ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
Y89
Los Gatos, Calif.

59679

NICOLAI YSAMBERTI AVRELIANENSIS,

DOCTORIS ET SOCII SORBONICI,

ET IN ACADEMIA PARISIENSI REGII THEOLOGIÆ PROFESSORIS

DISPVTATIONES

IN PRIMAM PARTEM S. THOMÆ

DE DEO EIVSQVE ATTRIBVTIS, Trinitate & Angelis.

LVTETIÆ PARISIORVM.

Sumptibus DIONYSII DE LA NOÜE, viâ Iacobæâ.

M. DC. XLIII.

CVM PRIVILEGIO, ET APPROBATIONE.

INDEX QVÆSTIONVM, DISPVTATIONVM, ET ARTICVLORVM HVIVS TOMI.

DE DEO, EIVSQVE ATTRIBVTIS.

AD I. QVÆSTIONEM primæ Partis sancti Thomæ.

DISPVTATIO PRIMA.
De genere Theologiæ.
Art. I. DE nomine & existentia Theologiæ. 1
Art. II. Quodnam sit proximum genus Theologiæ, seu an Theologia sit scientia propriè dicta. 2
Art. III. Soluuntur fundamenta aduersariorum. 3
Art. IV. Quisnam habitus sit nostra Theologia. 4
DISPVTATIO II.
De obiecto & subiecto nostræ Theologiæ.
Art. I. Quodnam sit obiectum nostræ Theologiæ. 6
Art. II. Quodnam sit subiectũ Theologiæ. 8
DISPVTATIO III.
De subalternatione Theologiæ.
Art. I. An nostra Theologia subalternetur Beatorum Theologiæ. 9
Art. II. Quædam consectaria traduntur. 11
DISPVTATIO IV.
De Vnitate Theologiæ.
Art. I. Quæ sit formalis ratio vnitatis in nostra Theologia. 12
Art. 2. Soluuntur obiectiones. 13
Art. III. Qua vnitate tota nostra Theologia sit vna. 14
Art. IV. Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ, & traduntur quædã corollaria. 15
DISPVTATIO V.
De diuisione Theologiæ.
Art. I. Quomodo Theologia diuiditur. 16
Art. II. Soluitur obiectio aduersus doctrinam superioris articuli, ostenditúrque quomodo habitus Theologiæ sit supernaturalis. 17
Art. III. Vtrum nostra theologia sit theoretica an practica. 19
DISPVTATIO VI.
De necessitate & certitudine Theologiæ.
Art. I. Vtrum Theologia sit necessaria. 21
Art. II. An conclusio Theologica sit æqualis certitudinis cum propositione de fide. 22
Art. III. Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ. 23
Art. IV. Vtrum conclusio Theologica sit maioris certitudinis, quàm conclusio syllogismi non Theologici. 24
Art. V. Soluuntur fundamenta aduersariorum. 25
DISPVTATIO VLTIMA.
De argumentis Theologicis.
Art. I. Vtrum Theologia nostra sit argumentatiua, & vnde desumat sua argumenta. 26
Art. II. Vtrum Theologia possit probare sua principia. 27
Art. III. Vtrum Theologia possit probare sua principia esse possibilia. 28
Art. vltimus. Vtrum Theologia possit soluere argumenta quæ fiunt contra fidem & quomodo. ibid

AD QVÆSTIONEM II.

DISPVTATIO VNICA.
De Dei existentia.
Art. I. Vtrum Deum esse sit per se notum. 30
Art. II. Vtrum Deum esse sit demonstrabile à priori. 31
Art. III. Vtrum Deum esse sit demonstrabile à posteriori. 32

AD QVÆSTIONEM III.

DISPVTATIO VNICA.
De simplicitate Dei.
Art. I. An per simplicitatem Dei intelligatur aliquid negatiuum, vel positiuum. 34
Art. II. Vtrum simplicitas, quæ concipitur in Deo, sit aliquod attributum. 35
Art. III. An simplicitas sit perfectio. 36
Art. IV. Vtrum essentia diuina sit omninò simplex. 37

Art. V. *Colliguntur & ponuntur quædam consectaria ex articulo præcedenti.* ibid.
Art. VI. *Vtrum Deus ita sit simplex, vt in eo non reperiatur compositio rationis.* 39
Art. VII. *Vtrum diuinæ simplicitati repugnet aliquod tertium componere cum alio.* 40
Art. VIII. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.* 41

AD QVÆSTIONEM IV.

DISPVTATIO VNICA.

De perfectione Dei.

Art. I. *Vtrum Deus sit perfectus.* 42
Art. II. *Vtrum omnes omnium rerum perfectiones sint in Deo.* 43
Art. III. *Quomodo omnes omnium rerum perfectiones sint in Deo.* 44
Art. IV. *Soluitur obiectio contra doctrinam præcedentis articuli.* 45
Art. V. *Vtrum perfectiones, quæ sunt in creaturis, sint eædem numero in essentia Dei.* 46
Art. VI. *Quid importat reale perfectio Dei, & vtrum sit eius attributum.* 47
Art. VII. *An Deus & vniuersum simul sint aliquid perfectius, quàm solus Deus.* ibid.
Art. VIII. *Vtrum aliqua creatura possit esse similis Deo.* 48

AD QVÆSTIONEM VI.

DISPVTATIO VNICA.

De bonitate Dei.

Art. I. *Vtrum Deus sit in se ipso summè bonus.* 49
Art. II. *Soluuntur obiectiones contra præcedentis articuli doctrinam, & respondetur dubio.* 51
Art. III. *Vtrum Deus sit bonus ratione suæ essentiæ, an hoc sit illi proprium, & vtrum omnia sint bona ipsâ Dei bonitate.* 52

AD QVÆSTIONEM VII.

DISPVTATIO VNICA.

De infinitate Dei.

Art. I. *Quid negat infinitas, quæ in Deo concipitur.* 53
Art. II. *An Deus sit infinitus.* 54
Art. III. *Tria dubia soluuntur ex articulis superioribus.* ibid.
Art. IV. *Vtrum infinitas Dei possit ratione probari.* 55
Art. V. *Vtrum repugnet dari creatum aliquod infinitum per essentiam.* ibid.

AD QVÆSTIONEM VIII.

DISPVTATIO PRIMA.

De substantiali præsentia Dei in rebus, & locis positiuis.

Art. I. *Vtrum Deus sit substantialiter præsens rebus omnibus.* 56
Art. II. *Vtrum immensitas Dei sumpta formaliter sit aliquid reale, & positiuum, & quid illa sit.* 57
Art. III. *Vtrum immensitas Dei sit eius attributum.* 58
Art. IV. *Vtrum Deus sit in loco, vt locus est.* ibid.
Art. V. *Vtrum substantialis præsentia Dei in omnibus rebus probetur efficaciter ex ipsa eius operatione.* 59
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ doctrinæ præcedentis articuli.* 61
Art. VII. *Vtrum Dei coëxistentia in rebus colligatur à priori ex eius operatione transeunte, vel tantùm à posteriori.* 62

DISPVTATIO POSTREMA.

De substantiali præsentia Dei in locis seu spatiis negatiuis.

Art. I. *Quid sit spatium imaginarium seu negatiuum.* 63
Art. II. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.* 65
Art. III. *Vtrum detur spatiũ imaginariũ.* 66
Art. IV. *Colliguntur & ponuntur quædam consectaria ex articulo præcedenti.* 67
Art. V. *Respondetur duabus obiectionibus contra doctrinam præcedentium duorum articulorum.* 68
Art. VI. *Vtrum Deus sit extra mundum.* 69
Art. VII. *Vtrum Deus sit in spatiis imaginariis.* 71
Art. VIII. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 73
Art. IX. *Vtrum ita Deo conueniat esse vbique, vt repugnet illud communicari alicui creaturæ.* 74

AD QVÆSTIONEM IX.

DISPVTATIO VNICA.

De immutabilitate Dei.

Art. I. *Vtrũ Deus sit omninò immutabilis.* 75
Art. II. *Vtrum esse immutabile sit ipsi Deo proprium.* 78

AD QVÆSTIONEM X.

DISPVTATIO VNICA.

De æternitate Dei.

Art. I. *Vtrum æternitas sit formaliter duratio.* ibid.
Art. II. *Fundamentum sententiæ Aureoli soluitur, & proponũtur consectaria quædã.* 78

Art. III. *Quomodo æternitas sit interminabilis.* 80
Art. IV. *Vtrum æternitas in sua formali ratione includat rationem mensuræ esse diuini, seu includat aliquid rationis.* ibid.
Art. V. *Soluuntur fundamenta primæ sententiæ, & satisfit dubio.* 82
Art. VI. *Proponuntur quædam corollaria.* 83
Art. VII. *Vtrum Deus sit æternus, & an esse æternum sit illi proprium.* ibid.

AD QVÆSTIONEM XII.

DISPVTATIO I.

De possibilitate visionis beatificæ.

Art. I. *Vtrũ cognitio clara & intuitiua diuinæ essentiæ sit humano intellectui possibilis.* 85
Art. II. *Soluuntur fundamẽta Armenorũ.* 86
Art. III. *Vtrum possibilitas visionis beatificæ per intellectum creatum possit demonstrari naturali ratione.* 89
Art. IV. *Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.* 90
Art. V. *Soluitur dubium.* 91
Art. VI. *Vtrum beati nunc de facto videant Deum per essentiam.* 92
Art. VII. *Soluuntur fundamenta aduersariorum.* 93
Art. VIII. *Vtrum clara Dei visio sit possibilis intellectui creato secundùm virtutem naturalem, an verò vt eleuato, & secundùm virtutem supernaturalem.* 95
Art. IX. *Soluuntur fundamenta Anomæorum & Durandi.* 96
Art. X. *Soluitur dubium.* ibid.

DISPVTATIO II.

De lumine gloriæ secundùm se.

Art. I. *Quid sit lumen gloriæ.* 97
Art. II. *Vtrum lumen gloriæ sit potentia propriè dicta vel habitus.* 98
Art. III. *Vtrum sit de fide dari lumen gloriæ habituale.* 99
Art. IV. *Vtrum lumen gloriæ sit habitus perfectior ex propria, & formali sua ratione, quàm sit habitus gratiæ, vel charitatis.* 100
Art. V. *Vtrum proprium munus luminis gloriæ sit disponere intellectum ad recipiendam visionem beatificam.* ibid.
Art. VI. *Vtrum lumen gloriæ necessarium sit, vt primò per se immediatè intellectus recipiat diuinam essentiam habentem se ad modum speciei impressæ.* 102
Art. VII. *Vtrum lumen gloriæ detur, vt loco speciei impressæ concurrat ad visionem beatificam.* 103
Art. VIII. *Expenduntur responsiones, quas Vasquesius affert ad confirmationem nostræ propositionis.* 104
Art. IX. *Detegitur falsitas fundamenti Vasquesij.* 105
Art. X. *Quale sit proprium munus luminis gloriæ.* 106

DISPVTATIO III.

De lumine gloriæ comparato cum intellectu beati.

Art. I. *Quomodo lumen gloriæ augeat virtutem intellectus beati.* ibid.
Art. II. *Vtrũ intellectus concurrat ad visionẽ beatificam, vt causa instrumentalis.* 108
Art. III. *Soluuntur fundamenta sententiæ affirmantis.* 109
Art. IV. *Vtrum lumen gloriæ sit instrumentũ propriè dictũ intellectus vidẽtis Deum.* 110
Art. V. *Vtrum intellectus & lumen gloriæ constituant vnicam causam principalem visionis beatificæ.* 111
Art. VI. *Vtrum absolutâ Dei virtute intellectus creatus videre possit essentiam diuinã intuitiuè sine lumine gloriæ.* ibid.
Art. VII. *Soluuntur fundamenta sententiæ contrariæ.* 113
Art. VIII. *Soluitur dubium.* 114

DISPVTATIO IV.

De lumine gloriæ comparato cum creatura.

Art. I. *Vtrum habitus luminis gloriæ possit emanare ab aliqua possibili creatura.* 115
Art. II. *Vtrum Deus possit creare aliquem intellectum, qui ex vi sua naturali possit videre clarè Deum sine vllo sibi superaddito.* 116
Art. III. *Eadem veritas probatur primâ ratione.* ibid.
Art IV. *Eadem veritas alterâ ratione probatur.* 117
Art. V. *Præmittuntur modi, quibus potest concipi aliqua substantia entitatiuè supernaturalis.* ibid.
Art. VI. *Non posse dari substantiam creatam supernaturalem in prima significatione præcedenti articulo allata.* 118
Art. VII. *Idem ostenditur de creata supernaturali substantia in secunda, tertia, & quarta significatione.* 119
Art. VIII. *Probatur eadem veritas de substantia creata supernaturali iuxta quintam & sextam significationem.* 120
Art. IX. *Soluitur primum fundamentum contrariæ sententiæ.* 121
Art. X. *Soluuntur alia duo fundamenta aduersariorum.* 122
Art. XI. *Vtrũ possit dari aliqua creatura, quæ ratione solius suæ naturalis perfectionis postulet lumẽ gloriæ tanquã sibi debitũ.* 123

DISPVTATIO V.

De possibilitate visionis Dei ab oculo corporeo.

Art. I. *Vtrum oculus corporeus possit videre diuinam essentiam per potentiam ordinariam.* 125

Art. II. *Vtrum oculus corporeus per absolutam potentiam Dei poßit essentiam diuinam intueri.* ibid.
Art. III. *Vtrum aliquis in hac vita mortali, poßit oculo saltem mentis videre Deum per essentiam.* 127

DISPVTATIO VI.
De specie impressa essentiæ diuinæ in visione beatifica, vel de eo, quod in ipsa se habet ad instar illius.
Art. I. *Vtrum Deus de facto videatur à beatis per speciem impressam.*
Art. II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 129
Art. III. *Vtrum de absoluta Dei potentia dari poßit species impressa diuinæ essentiæ, per quam illa videatur à beatis.* 132
Art. IV. *Soluitur primum fundamentum aduersariorum.* 133
Art. V. *Secundum fundamentum negantis sententiæ soluitur.* 134
Art. VI. *Tertium fundamentum eiusdem sententiæ soluitur.* 135

DISPVTATIO VII.
De inæqualitate visionis beatificæ.
Art. I. *Vtrum omnes beati clarè videant Deum.* 136
Art. II. *Vnde inæqualitas visionis beatificæ prouenit.* 138
Art. III. *Eadem veritas probatur alterâ ratione.* 139
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 141
Art. V. *Vtrum omnes visiones sint eiusdem speciei in omnibus beatis.* 142
Art. VI. *Soluuntur fundamenta aduersariorum.* 143

DISPVTATIO VIII.
De visione comprehensiua essentiæ diuinæ.
Art. I. *Quid sit comprehensio.* 144
Art. II. *Vtrum visio beatifica alicuius intellectus creati poßit esse comprehensiua diuinæ essentiæ.* 146
Art. III. *Quæ sit adæquata ratio incomprehensibilitatis diuinæ essentiæ à beatis.* 147

DISPVTATIO IX.
De essentia diuina in ratione obiecti visionis beatificæ.
Art. I. *Vtrum beati videant de facto omnia quæ sunt in Deo.* 148
Art. II. *Vtrum per absolutam Dei potentiam essentia diuina adæquatè sumpta poßit videri sine personis vel attributis.* 150
Art. III. *Vtrum quidditatiuè poßit videri diuina persona sine essentia, vel vnâ persona sine alia.* ibid
Art. IV. *Vtrum poßit diuina essentia videri sine suis attributis absolutis & relatiuis, eâ visione, quæ sit beatifica & correspondens fidei, quam nunc habemus in via.* 152
Art. V. *Vtrum essentia diuina poßit intuitiuè videri, & sicuti est inadæquatâ visione sine suis attributis absolutis & relatiuis.* 153
Art. VI. *Soluuntur obiectiones aduersariorum.* 154
Art. VII. *Soluuntur aliæ eiusdem sententiæ obiectiones.* 155
Art. VIII. *Vtrum hæc visio inadæquata intuitiua & quidditatiua essentiæ diuinæ, non visis attributis & relationibus esset beatifica.* 157

DISPVTATIO X.
De creaturis, quæ videntur à beatis in visione beatifica.
Art. I. *Vtrum absolutè loquendo poßit dari visio beatifica, quâ nullæ ex creaturis merè poßibilibus videantur in Verbo secundùm illud esse, quod habent extra Verbum.* 158
Art. II. *Vtrum communicari poßit intellectui creato cognitio omnium poßibilium.* 159
Art. III. *Vtrum beati videant aliquas creaturas in Verbo, & cur has potiùs quàm illas.* 160
Art. IV. *Vtrum beati videant omnia fidei mysteria, quæ habent esse in aliqua temporis differentia, vtrum etiam videant ea, quæ pertinent ad suum statum, quæ pendent à libera voluntate creaturæ rationalis, vniuersum hoc, & an videant in Verbo omnia simul, an verò cum succeßione.* 161

AD QVÆSTIONEM XIII.

DISPVTATIO VNICA.
De nominibus Dei.
Art. I. *Vtrum poßit nomen aliquod imponi Deo.* 165
Art. II. *Vtrum nomen, qui est, sit proprium Dei.* 164

AD QVÆSTIONEM XIV.

DISPVTATIO PRIMA.
De existentia & essentia scientiæ Dei.
Art. I. *Vtrum scientia sit in Deo.* 165
Art. II. *Vtrum intellectio actualis sit aliqua ratio primò constituens diuinam essentiam.* 166
Art. III. *Soluitur primum sententiæ aduersariorum fundamentum ab auctoritate petitum.* 167
Art. IV. *Soluuntur duo fundamenta contrariæ sententiæ à ratione petita.* 169
Art. V. *Vtrum actualis intellectio per essentiã ita sit constitutiua diuinæ essentiæ, vt sit vltima ratio & veluti differentia eius.* 170

Art. VI. *Probatur nec ipsam infinitatem, nec ipsum existere vltimò constituere essentiam diuinam.* 171
Art. VII. *Ostenditur ipsum esse à se, seu esse independens, non esse vltimum constituentium essentia diuina quasi specificè considerata.* 172
Art. VIII. *Ostenditur nec ipsum esse intellectiuum prout importat gradum intellectiui radicalis, vel potētialis tantùm, nec ipsam diuinam voluntatem, vel etiam diuinam volitionem constituere vltimò diuinam essentiam specificè consideratam.* 173
Art. IX. *Soluuntur fundamenta aduersariorum aduersus doctrinam praecedentium articulorum.* ibid.

DISPVTATIO II.
De diuisione scientiæ Dei.
Art. I. *De scientia simplicis intelligentiæ & visionis.* 175
Art. II. *Vtrum adequata sit diuisio scientiæ Dei in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.* 176
Art. III. *De diuisione scientiæ Dei in necessariam & liberam, & in abstractiuam & intuitiuam.* 177

DISPVTATIO III.
De primario obiecto scientiç diuinæ. 178
Art. I. *Vtrum Deus se ipsum intelligat, & quale sit medium istius cognitionis.* ibid.
Art. II. *Vtrum Deus se & omnia quæ sunt in ipso formaliter comprehendat.* 179
Art. III. *Soluuntur tria dubia.* 180

DISPVTATIO IV.
De rebus creatis prout sunt obiectum secundarium scientiæ diuinæ.
Art. I. *Vtrum Deus distinctâ cognitione cognoscat alia à se.* 181
Art. II. *Vtrum Deus cognoscat res alias à se, essentiâ ipsius se habente per modum speciei impressæ.* ibid.
Art. III. *Vtrum Deus cognoscat res alias à se in ipso tanquam in specie expressa, aut tãquam in causa illarum rerũ cognita.* 183
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 184

DISPVTATIO V.
De malis, prout subsunt diuinç scientiæ.
Art. I. *Vtrum Deus cognoscat mala, & quâ scientiâ.* 185
Art. II. *Quomodo Deus cognoscit peccata.* 186
Art. III. *Respondetur tribus dubiis.* 187

DISPVTATIO VI.
De scientiæ Dei circa futura contingentia absoluta certitudine.
Art. I. *Vtrum Deus cognoscat futura contingentia absoluta.* 188
Art. II. *Soluitur primum fundamentum aduersariorum.* 190
Art. III. *Soluitur secundum fundamentum aduersariorum.* ibid.
Art. IV. *Soluitur fundamentum tertium contrariæ sententiæ.* 191

DISPVTATIO VII.
De prima & adæquata ratione, cur Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia libera. 192
Art. I. *Quædam monita præmittuntur, & sensus difficultatis exponitur.* ibid.
Art. II. *Vtrum Dei decretum prædefiniens libera futura contingentia absoluta, vel ideæ, quas habet de illis, sunt prima & adæquata ratio, cur ea certò & infallibiliter cognoscat.* 193
Art. III. *Vtrum coëxistentia futurorum liberorum contingentium æternitati Dei sit prima, & adæquata ratio cur ab illo certò, & infallibiliter videantur.* 194
Art. IV. *Resellitur responsio, quâ soluere conantur aduersarij nostram rationem.* ibid.
Art. V. *Soluitur primum fundamentum aduersariorum.* 195
Art. VI. *Soluitur secundum fundamentum aduersariorum.* 196
Art. VII. *Soluitur fundamentum tertium contrariæ sententiæ.* 197
Art. VIII. *Soluitur fundamentum quartum.* ibid.
Art. IX. *Soluitur vltimum eiusdem sententiæ fundamentum.* 198
Art. X. *Soluitur dubium ad illustrationem nostræ propositionis articulo tertio positæ.* 199
Art. XI. *Vtrum veritas determinata futurorum contingentium liberorum absolutorum considerata antecedenter ad decretum Dei, sit prima & adæquata ratio, ob quam Deus illa certò & infallibiliter cognoscit.* ibid.
Art. XII. *Vtrum veritas determinata futurorum contingentium liberorum absolutorum, factâ suppositione quòd futura sint, sit Deo prima & adæquata ratio, cur certò & infallibiliter illa cognoscat.* 201
Art. XIII. *Proponitur & explicatur nostra sententia.* ibid.
Art. XIV. *Ostenditur futurum liberum contingens in sensu nostræ propositionis articuli superioris habere certitudinem obiecti, vt est obiectum diuinæ cognitionis.* 202
Art. XV. *Soluuntur obiectiones aduersariorum contra doctrinam præcedentis articuli.* ibid.
Art. XVI. *Ostenditur essentiam diuinam, vt causam particularium eiusmodi effectuum, obiicere illa cognitioni.* 204
Art. XVII. *Ostenditur intellectionem Dei esse proportionatam istis obiectis, & ab æterno penetrare certò, & infallibiliter*

actualem connexionem contingentium cum sua propria futuritione. 205
Art. XVIII. *Eadem veritas alterâ ratione probatur.* 206
Art. XIX. *Tertia ratio proponitur pro eadem veritate.* 207

DISPVTATIO VIII.
De scientia Dei circa futura contingentia libera conditionata.

Art. I. *Vtrum Deus cognoscat futura libera contingentia conditionata.* 208
Art. II. *Soluuntur duo fundamenta contraria sententiæ.* 209
Art. III. *De modo quo Deus certò, & infallibiliter cognoscit hac futura contingentia.* 210

DISPVTATIO IX.
De scientia Dei circa non entia.

Art. I. *Vtrum Deus cognoscat possibilia & repugnantia, & quomodo.* 211
Art. II. *Vtrum Deus cognoscat priuationes, negationes, entia rationis, & quomodo.* ibid.

DISPVTATIO X.
De scientia Dei prout est causa rerum.

Art. I. *Vtrum scientia Dei sit causa rerum & quænam scientia.* 212
Art. II. *Quænam scientia est causa rerum.* 213

AD QVÆSTIONEM XV.

DISPVTATIO VNICA.
De ideis.

Art. I. *Vtrum ideæ sint in Deo.* 214
Art. II. *Quid illud sit in Deo quod habet rationem ideæ.* 215
Art. III. *Soluitur dubium ex præcedenti doctrina.* 217
Art. IV. *Vtrum sint plures ideæ in Deo.* ibid.
Art. V. *Quarum rerum ideæ sint in Deo.* 218

AD QVÆSTIONEM XIX.

DISPVTATIO PRIMA.
De existentia & diuisione voluntatis Dei.

Art. I. *Vtrum voluntas sit in Deo.* 219
Art. II. *De diuisione voluntatis diuinæ in voluntatem signi & beneplaciti.* 220
Art. III. *De altera diuisione voluntatis Dei in antecedentem & consequentem.* ibid.
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ, & respondetur dubio.* 221
Art. V. *De diuisione voluntatis Dei in absolutam & conditionatam.* 222
Art. VI. *Vtrum omnis voluntas beneplaciti, quæ est in Deo, impleatur.* 223
Art. VII. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 224

DISPVTATIO II.
De obiecto diuinæ voluntatis.

Art. I. *Quodnam sit formale obiectum diuinæ voluntatis.* 225
Art. II. *Consectarium ex doctrina præcedenti.* ibid.
Art. III. *Quodnam sit materiale obiectum voluntatis Dei, & quomodo Deus amet seipsum.* 226
Art. IV. *Vtrum & quomodo Deus amet res creatas existentes in aliqua temporis differentia.* 227
Art. V. *Vtrum Deus amet res possibiles.* 228
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 229
Art. VII. *Vtrum voluntas Dei sit malorum.* 230

DISPVTATIO III.
De libero Dei arbitrio.

Art. I. *Vtrum liberum arbitrium sit in Deo.* 231
Art. II. *Vtrum actus liber sit denominatio extrinseca.* ibid.
Art. III. *Vtrum actus liber Dei sit libera perfectio ipsi superaddita.* 232
Art. IV. *Vtrum actus liber Dei sit respectus rationis.* ibid.
Art. V. *Quid sit actus liber Dei.* 233
Art. VI. *Soluuntur obiectiones contra nostram doctrinam.* 234

DISPVTATIO IV.
De aliis diuinæ voluntatis affectionibus.

Art. I. *Vtrũ voluntas Dei sit causa rerũ.* 236
Art. II. *Vtrum possit assignari aliqua causa diuinæ volitionis.* 237
Art. III. *Vtrum voluntas Dei sit mutabilis.* 238
Art. IV. *Vtrum libertas diuinæ voluntatis sit prima radix, seu causa primaria contingentiæ rerum.* 239
Art. vltimus. *Vtrum voluntas Dei imponat necessitatem nobis.* 240

AD QVÆSTIONEM XX.

DISPVTATIO VNICA.
De amore Dei.

Art. I. *Vtrum amor sit in Deo, & an sit æqualis erga omnia.* ibid.
Art. II. *An actus voluntatis, qui passiones dicuntur, sint in Deo.* 241

AD QVÆSTIONEM XXI.

DISPVTATIO VNICA.
De iustitia & misericordia Dei.

Art. vnicus. *Vtrum iustitia & misericordia sint in Deo, an iustitia Dei sit veritas, & vtrum in omnibus operibus Dei sit misericordia cum iustitia.* 242

AD QVÆSTIONEM XXII.

DISPVTATIO VNICA.

De prouidentia Dei.

Art. I. *An Deus habeat prouidentiam, & an consecutio finis sit de ratione illius.* 243
Art. II. *Vtrum Deus immediatè prouideat rebus omnibus, & an eius prouidentia rebus necessitatem imponat.* ibid.

AD QVÆSTIONEM XXIII.

DISPVTATIO PRIMA.

De essentia & existentia prædestinationis.

Art. I. *De nomine prædestinationis.* 244
Art. II. *Vtrum prædestinatio sit actus intellectus, an voluntatis vel vtriusque.* 245
Art. III. *Soluuntur fundamenta contrariæ doctrinæ precedentis articuli.* 247
Art. IV. *Quomodo prædestinatio definiatur.* ibid.
Art. V. *Vtrum aliqui sint de facto prædestinati.* 249

DISPVTATIO II.

De causa prædestinationis ad gratiam.

Art. I. *Status quæstionis proponitur.* 250
Art. II. *Vtrum constellatio, temperamentum aut actiones ab anima factæ antequã infundantur in corpus, sint causæ prædestinationis ad primam gratiam.* ibid.
Art. III. *Vtrum bona opera arbitrij secundùm naturæ vires considerati, sint causa prædestinationis ad primam gratiam.* 251
Art. IV. *Vtrum prædestinatio ad primam gratiam à mera Dei voluntate dependeat.* 252

DISPVTATIO III.

De causa prædestinationis ad gloriam insigniter prædestinatorum.

Art. I. *Vtrum aliqui possint absolutâ Dei virtute prædestinari ad gloriam ante præuisa eorum merita.* 254
Art. II. *Respondetur obiectionibus contra nostræ propositionis probationem à ratione petitam.* 256
Art. III. *Soluuntur fundamenta aduersariorum contra nostram propositionem.* 257
Art. IV. *Vtrum aliqui sint electi ad gloriam ante eorum præuisa merita.* 258

DISPVTATIO IV.

De causa prædestinationis ad gloriam eorum, qui viâ tantùm ordinariâ sunt prædestinati.

Art. I. *Vtrum præter eos, qui sunt insigniter prædestinati ad gloriam, nulli alij sint ad gloriam prædestinati.* 259
Art. II. *An modus communior electionis hominum & Angelorum ad gloriam, sit ante vel post præuisa merita.* 260
Art. III. *Probatur eadem veritas ex Patribus.* 261
Art. IV. *Probatur eadem veritas primâ ratione.* 262
Art. V. *Probatur eadem veritas secundâ ratione.* 263
Art. VI. *Eadem veritas tertiâ ratione probatur* ibid.
Art. VII. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ desumpta ex sacra Scriptura.* 265
Art. VIII. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ desumpta ex Patribus.* 267
Art. IX. *Soluitur primum fundamentum aduersariorum à ratione petitum.* 269
Art. X. *Soluuntur quatuor aliæ rationes aduersariorum.* 271
Art. XI. *Soluitur vltimum aduersæ sententiæ fundamentum à ratione petitum.* 272
Art. XII. *Vtrum merita pueri alicuius hominis possint esse aliquo modo causa prædestinationis alterius, vel illam iuuare.* 274

DISPVTATIO V.

De effectibus prædestinationis.

Art. I. *Quænam sint conditiones & quot, effectuum prædestinationis.* 275
Art. II. *Quænam bona supernaturalia sint effectus prædestinationis.* 276
Art. III. *Soluuntur aliquæ obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli, & satisfit dubio.* 277
Art. IV *Vtrum res aliquæ ordinis naturalis sint effectus prædestinationis, quænam illæ sint, & quomodo.* 278
Art. V. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli, & quædam consectaria proponuntur.* 279
Art. VI. *Vtrum aliqua mala, & quænam possint esse effectus prædestinationis.* 280

DISPVTATIO VI.

De certitudine prædestinationis, & numero prædestinatorum.

Art. I. *Vtrum prædestinatio sit certa.* 282
Art. II. *Vtrum prædestinatio sit in potestate prædestinati, & an prædestinatus possit non saluari.* 283
Art. III. *Vtrum aliquis possit scire certò se esse de numero prædestinatorum.* ibid.
Art. IV. *Vtrum certus sit numerus prædestinatorum, & cui cognitus.* 284
Art. V. *Vtrum numerus prædestinatorum excedat numerum reproborum.* ibid.

DISPVTATIO VII.

De essentia, & existentia reprobationis.

Art. I. *De nomine ac essentia reprobationis.* 285
Art. II. *De existentia reprobationis.* ibid.

DISPVTATIO VIII.
De causa reprobationis.
Art. I. *Vtrum Deus ante præuisa mala opera habuerit voluntatem efficacem excludendi aliquos à gloria, & ad pœnas æternas deputandi.* 286
Art. II. *Respondetur obiectionibus contra doctrinam præcedentis articuli.* 287
Art. III. *Vtrum Deus ante præuisa peccata habuerit efficacem voluntatem excludendi aliquos à gloria ad splendorem suæ gloriæ & iustitiæ manifestationem.* 288
Art. IV. *Soluuntur duæ obiectiones contra doctrinam superioris articuli.* 289
Art. V. *Vtrum Deus aliquos ante præuisa eorum mala opera negatiuè reprobauerit.* 290
Art. VI. *Vtrum Deus post præuisa mala opera tantùm reprobet homines.* 291
Art. VII. *Vtrum aliqua causa reprobationis detur ex parte reprobi.* ibid.
DISPVTATIO IX.
De effectibus reprobationis.
Art. I. *Quænam sint conditiones effectuum propriè dictorum reprobationis.* 292
Art. II. *Vtrum peccatum sit propriè dictus effectus reprobationis.* 293
Art. III. *Vtrum permissio peccati, & perseuerantia in peccato sint effectus reprobationis propriè dicti.* ibid.
Art. IV. *Vtrum obduratio & excæcatio sint propriè effectus reprobationis.* ibid.
Art. V. *Vtrum inflictio pœna æterna sit propriè effectus reprobationis.* 294

AD QVÆSTIONEM XXIV.
DISPVTATIO VNICA.
De libro vitæ.
Art. I. *Quid sit liber vitæ.* 295
Art. II. *Vtrum aliquis possit deleri de libro vitæ.* 296

AD QVÆSTIONEM XXV.
DISPVTATIO VNICA.
De potentia Dei.
Art. I. *Vtrum in Deo sit potentia.* ibid.
Art. II. *Vtrum actiua Dei potentia formaliter considerata sit ipsa diuina essentia.* 297
Art. III. *Vtrum actiua Dei potentia formaliter sumpta, sit idem cum intellectu & voluntate.* ibid.
Art. IV. *Vtrum actiua Dei potentia sit infinita.* 298
Art. V. *Quodnam sit obiectum actiuæ Dei potentiæ.* 299
Art. VI. *Quædam colliguntur & ponuntur consectaria ex præcedentis articuli doctrina.* 300
Art. VII. *Vtrum Deus possit facere, quòd præterita non fuerint, præsentia non sint, & futura non futura sint.* 301
Art. VIII. *Vtrum Deus possit facere, quæ non facit.* 302
Art. vltimus. *Vtrum Deus possit facere meliora iis, quæ fecit.*

DE MYSTERIO TRINITATIS.

AD QVÆSTIONEM XXVII.
DISPVTATIO I.
De pluralitate personarum diuinarum.
Art. I. *Esse plures personas in Deo contra Iudæos probatur.* 305
Art. II. *Expenduntur quatuor Iudæorum responsiones tertio argumento superioris articuli.* 307
Art. III. *Esse plures personas in Deo contra hæreticos probatur.* ibid.
DISPVTATIO II.
De consubstantialitate personarum diuinarum.
Art. I. *Patrem esse verum Deum, & Filium esse Patri consubstantialem.* 309
Art. II. *Eadem veritas altero probatur argumento.* 311
Art. III. *Soluuntur argumenta Arianorum contra præcedentem doctrinam.* 312
Art. IV. *Spiritum sanctum esse verum Deum consubstantialem Patri & Filio.* 313
Art. V. *Soluuntur fundamenta Macedonianorum contra præcedentem doctrinam.* 314
DISPVTATIO III.
De processionibus diuinis in genere.
Art. I. *Quid & quotuplex sit processio.* ibid.
Art. II. *Vtrum sit processio in diuinis.* 315
Art. III. *Vtrum processio, quæ est in diuinis, sit transiens, vel immanens physica, vel metaphysica.* ibid.
Art. IV. *Consectaria ex doctrina præcedenti.* 316
Art. V. *Vtrum principium immediatum diuinarum processionum sit diuina natura, an verò intellectus & voluntas eius.* 317
Art. VI. *Soluuntur fundamenta sententiæ Durandi.* 318
Art. VII. *Cōsectaria ex doctrina præced.* 319
DISPVTATIO IV.
De distinctione, quæ inter processionem Filij & Spiritus S. intercedit.
Art. I. *Quid sit vitalis generatio.* 320
Art. II. *Vtrum processio Filij sit vera generatio.* 322
Art. III. *Vtrū detur in diuinis processio alia à processione Verbi, quæ sit generatio.* 323
Art. IV. *Rationes Patrum, ob quas processio*

Verbi est generatio, processio autem Spiritus sancti non item. 324
Art. V. *Proponitur & refellitur ratio sancti Bonauenturæ, ob quam Filij processio est generatio, & non processio Spiritus sancti.* 326
Art. VI. *Expenditur ratio Richardi à sancto Victore.* ibid.
Art. VII. *Soluitur fundamentum praeced. sententiæ Richardi.* 328
Art. VIII. *Reiicitur ratio Scoti.* 330
Art. IX. *Refellitur ratio Torrensis.* ibid.
Art. X. *Examinatur ratio quorumdam Thomistarum.* 331
Art. XI. *Affertur ratio probabilior propter quam processio Filij sit generatio, non autem processio Spiritus sancti.* 334
Art. XII. *Soluitur obiectio contra primam maiorem primi nostri argumenti.* 336
Art. XIII. *Soluitur obiectio altera contra nostram doctrinam.* 337

DISPVTATIO V.

De numero processionum diuinarum.

Art. vnicus. *Vtrum sint plures processiones, quàm duæ.* 338

AD QVÆSTIONEM XXVIII.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia & essentia, & diuisione relationum diuinarum.

Art. I. *Vtrum aliquæ relationes reales sint in Deo.* 340
Art. II. *Respondetur obiectionibus contra doctrinam præcedentis articuli, & soluitur dubium.* 341
Art. III. *Iuxta quam rationem relationes diuinæ sint reales.* 342
Art. IV. *Quot sint relationes diuinæ originis.* 344

DISPVTATIO II.

De distinctione relationum originis à se inuicem.

Art. I. *Vtrum diuinæ relationes originis distinguuntur inter se realiter.* ibid.
Art. II *Soluuntur fundamenta Durandi.* 345

DISPVTATIO III.

De distinctione relationum originis ab essentia diuina.

Art. I. *Vtrum relationes originis distinguantur ab essentia diuina.* 347
Art. II. *Soluuntur fundamenta Gilberti Porretani.* 348
Art. III. *Vtrum relationes originis solo nomine ab essentia diuina distinguantur.* 349
Art. IV. *Soluuntur fundamenta sententiæ superiori articulo resectæ.* ibid.
Art. V. *Vtrum relationes originis distinguantur formaliter, seu ex natura rei ab essentia diuina.* 350
Art. VI. *Soluuntur fundamenta sententiæ Scoti.* 351
Art. VII. *Vtrum relationes originis distinguantur ratione ratiocinatâ ab essentia diuina.* 353

DISPVTATIO IV.

De distinctione attributorum absolutorum tam à se inuicem, quàm ab essentia, & diuinis relationibus.

Art. I. *Quomodo attributa absoluta tam à se inuicem, quàm à diuinis relationibus & essentia distinguantur.* 354
Art. II. *Vtrum hæc distinctio virtualis superiùs explicata sit absque vllo ordine ad creaturas tam respectu intellectus increati, quàm creati.* 356

DISPVTATIO V.

De ratione formali relationum originis.

Art. I. *Vtrum diuinæ relationes originis sint de intrinseca ratione diuinæ essentiæ.* 358
Art. II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 359
Art. III. *Soluuntur duæ obiectiones contra solutionem vltimi fundamenti aduersariorum.* 361
Art. IV. *Vtrum essentia diuina sit de formali ratione singularum diuinarum relationum originis.* ibid.
Art. V. *Soluuntur tria contrariæ sententiæ fundamenta.* 363
Art. VI. *Soluuntur alia eiusdem aduersariorum sententiæ fundamenta.* 364

DISPVTATIO VI.

De formali ratione attributorum diuinorum.

Art. vnicus. *Vtrum attributa essentialia sint de formali ratione diuinæ essentiæ, & econtrà; item an illa sese mutuò includant, & quomodo tunc hæc de sese inuicem, tum relationes prædicētur de diuina essentia.* 366

DISPVTATIO VII.

De perfectione diuinarum relationum.

Art. I. *Vtrum vnaquæque diuinarum relationum dicat formaliter perfectionem entitatiuam.* 367
Art. II. *Vtrum tot sint perfectiones relatiuæ, quot sunt relationes, & an vnaquæque earum sit infinita in suo genere.* 368
Art. III. *Vtrum vnaquæque relatio diuina originis dicat formaliter perfectionem respectiuam.* 369
Art. IV. *Vtrum diuinæ relationes originis dicant perfectionem simpliciter, an tantùm simplicem.* 370

AD QVÆSTIONEM XXIX.

DISPVTATIO VNICA.

De personis diuinis.

Art. I. *Quid sit persona.* 371

Art. II. *Vtrum persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia & substantia.* 372
Art. III. *Vtrum nomen personæ sit ponendum in diuinis.* 373
Art. IV. *Quid sit personalitas in diuinis & quid nomen personæ significet, prout Deo competit.* 374

AD QVÆSTIONEM XXX.

DISPVTATIO I.

De nomine & ratione personæ communis personis diuinis.

Art. vnicus. *Vtrum nomen & ratio personæ sit aliquid commune tribus diuinis personis & quomodo.* 376

DISPVTATIO II.

De pluralitate existentiarum diuinarũ.

Art. I. *Vtrum detur in diuinis vna existentia absoluta.* 377
Art. II. *Vtrum præter existentiam absolutam dentur tres relatiuæ.* ibid.
Art. III. *Eadem veritas duabus aliis rationibus probatur.* 379
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ ab auctoritate petita.* 380
Art. V. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ à ratione petita.* 381

DISPVTATIO III.

De communi absoluta subsistentia.

Art. I. *Vtrum communis & absoluta quædam subsistentia detur in diuinis.* 383
Art. II. *Eadem veritas probatur ratione.* 384
Art. III. *Soluuntur fundamenta sententiæ aduersariorũ ab auctoritate desumpta.* 386
Art. IV. *Soluitur primum aduersariorum fundamentum à ratione petitum.* 388
Art. V. *Soluuntur alia fundamenta à ratione.* 390

DISPVTATIO IV.

De subsistentiis diuinis relatiuis.

Art. I. *Vtrum tres subsistentiæ relatiuæ dentur in diuinis.* 392
Art. II. *Vtrum tres res, tres entitates, tria entia, tria indiuidua, tres vnitates, tres bonitates, & tres veritates, & tria indiuidua sint in Deo.* 393

AD QVÆSTIONEM XXXI.

DISPVTATIO VNICA.

De iis quæ pertinent ad vnitatem, vel pluralitatem in diuinis.

Art. vnicus. *Vtrum & quomodo hæc dicantur de Deo, vel de aliqua persona diuina, nimirum Trinitas, trinus, triplex, alius, distinctus, differens, diuersus, diuisus & solus.* 395

AD QVÆSTIONEM XXXII.

DISPVTATIO VNICA.

De cognitione diuinarum personarum.

Art. I. *Vtrum adorandum mysterium sanctissimæ Trinitatis poßit cognosci ratione naturali.* 397
Art. II. *Quid sit notio.* 399
Art. III. *Vtrum notiones admittendæ sint in diuinis.* 400
Art. IV. *Quot sint notiones in diuinis.* ibid.
Art. V. *Respondetur quibusdam dubiis.* 402

AD QVÆSTIONEM XXXIII.

DISPVTATIO VNICA.

De persona Patris.

Art. I. *Vtrum Pater sit principium Filij & Spiritus sancti.* 404
Art. II. *Vtrum Pater sit causa, auctor & initium respectu Filij & Spiritus sancti.* 405
Art. III. *Vtrum hoc nomẽ* Pater *sit proprium primæ personæ Trinitatis.* 407
Art. IV. *Vtrum esse ingenitum sit proprium soli Patri.* 408

AD QVÆSTIONEM XXXIV.

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine Verbi.

Art. I. *Vtrum Verbum in diuinis sit nomen personale.* 409
Art. II. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.* 410

DISPVTATIO II.

De obiecto ex cuius cognitione procedit Verbum diuinum.

Art. I. *Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione diuinæ essentiæ, & omnium personarum diuinarum.* 411
Art. II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 414
Art. III. *Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione omnium creaturarum purè poßibilium.* 416
Art. IV. *Soluuntur fundamenta aduersariorum.* 417
Art. V. *Vtrum Verbum diuinum formaliter procedat ex cognitione omnium creaturarum existentium in aliqua temporis differentia.* 419
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* ibid.

AD QVÆSTIONEM XXXV.

DISPVTATIO VNICA.

De imagine.

Art. I. *Quid & quotuplex sit imago.* 421
Art. II. *Vtrum Filius in diuinis sit imago*

ratione cuius, & an solus ex personis diuinis. ibid.

AD QVÆSTIONEM XXXVI.

DISPVTATIO VNICA.

De persona Spiritus sancti.

Art. I. *Vtrum nomen hoc Spiritus sanctus sit proprium alicuius personæ diuinæ.* 423
Art. II. *Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio.* ibid.
Art. III. *Soluuntur fundamenta Græcorum.* 425
Art. IV. *Vtrum si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo.* 426
Art. V. *Soluuntur fundamenta aduersariorum.* 428
Art. VI. *Vtrum Spiritus sanctus ex se postulet & necessariò esse à duabus personis, Patre nimirum & Filio.* 429
Art. VII. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 430
Art. VIII. *Vtrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.* 432

AD QVÆSTION. XXXVII.

DISPVTATIO VNICA.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

Art. I. *Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti, & ex cuius obiecti amore Spiritus sanctus procedat.* 433
Art. II. *Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.* 434

AD QVÆSTION. XXXVIII.

DISPVTATIO VNICA.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum.

Art. I. *Quid sit donum.* 435
Art. II. *Vtrum donum sit nomen personale, & proprium sit Spiritus sancti.* 436

AD QVÆSTIONEM XXXIX.

DISPVTATIO VNICA.

De personis diuinis ad essentiam relatis.

Art. I. *Vtrum nomina essentialia prædicentur singulariter de personis diuinis.* 438
Art. II. *Vtrum nomina concreta possint supponere pro personis diuinis.* 439
Art. III. *Vtrum personæ seu nomina personalia possint prædicari de nominibus essentialibus.* 441
Art. IV. *Vtrum nomina essentialia sint appropriande personis diuinis, & an id fiat conuenienter.* ibid.

AD QVÆSTIONEM XL.

DISPVTATIO VNICA.

De personis comparatis ad relationes seu proprietates.

Art. I. *Vtrum personæ diuinæ habeant proprietates nomine abstracto significatas, quibus constituantur & distinguantur.* ibid.
Art. II. *Soluuntur fundamenta aduersariorum.* 443
Art. III. *Vtrum proprietates personales, quibus diuinæ personæ constituuntur, sint absolutæ an relatiuæ.* 444
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 445
Art. V. *Præmittuntur notanda, & variæ sententiæ Theologorum de ratione, sub qua relationes diuinæ constituunt personas diuinas.* 446
Art. VI. *Ostenditur sub qua ratione formali relationes constituãt personas diuinas.* 447
Art. VII. *Corollarium ex doctrina præcedenti.* 449

AD QVÆSTIONEM XLI.

DISPVTATIO VNICA.

De personis diuinis comparatis ad actus notionales.

Art. I. *Vtrum dentur actus notionales, quot, & quid sint.* 450
Art. II. *Vtrum actus notionales sint voluntarij.* ibid.
Art. III. *Vtrum actus notionales sint de aliquo.* 451
Art. IV. *Vtrum in diuinis sit potentia comparatione actuum notionalium.* 453
Art. V. *Quid sit potentia notionalis producendi in Deo ad intra.* 454
Art. VI. *Soluuntur quædam dubia.* 456

AD QVÆSTIONEM XLII.

DISPVTATIO VNICA.

De æqualitate & similitudine personarum diuinarum.

Art. I. *Vtrum diuinæ personæ sint sibi æquales in substantia, duratione, potentia & perfectione.* 457
Art. II. *Vtrum inter diuinas personas aliquis realis ordo naturæ detur.* 458
Art. III. *Vtrum circumincessio personarum detur in diuinis.* 459

AD QVÆSTIONEM XLIII.

DISPVTATIO VNICA.

De missione personarum diuinarum.

Art. I. *Quid sit missio, an æterna vel temporalis, & quibus personis diuinis cõpetat.* 460

Art. II. *Quotuplex sit missio.* 461
Art. vltimus. *Vtrum effectus missionis inuisibilis debeat esse necessariò gratia sanctificans, vel eius augmentum.* 462

DE ANGELIS.

AD QVÆSTIONEM XLIV.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia Angelorum.

Art. I. *Varia huius nominis* Angelus *acceptio.* 463
Art. II. *Quàm certum sit dari Angelos.* 464
Art. III. *Quando creati sint Angeli.* 466
Art. IV. *Vbi creati sint Angeli.* 467

DISPVTATIO II.

De essentia Angelorum.

Art. I. *Vtrum Angeli sint omninò incorporei.* 469
Art. II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 470
Art. III. *Vtrum Angeli sint incorruptibiles.* 471
Art. IV. *Satisfit cuidam difficultati ex doctrina præcedenti exortæ.* 473

DISPVTATIO III.

De numero Angelorum.

Art. I. *Vtrum Angeli sint in magno numero.* 474
Art. II. *Vtrum numerus Angelorum sit maior numero reliquarum creaturarum.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De distinctione specifica Angelorum.

Art. I. *Vtrum de facto detur specifica distinctio in Angelis.* 475
Art. II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 476
Art. III. *Vtrum plures Angeli possint esse eiusdem speciei infimæ.* 477
Art. IV. *Eadem veritas ratione probatur.* 478
Art. V. *Tertiâ ratione probatur eadem propositio.* 479
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 480
Art. VII. *Vtrum de facto sint plures Angeli in eadem specie.* 481
Art. VIII. *Soluuntur fundamenta aduersariorum contra primam propositionem præcedentis articuli.* 483

AD QVÆSTIONEM LI.

DISPVTATIO PRIMA.

De ratione assumptionis corporis factæ per Angelum.

Art. I. *Quot modis possit intelligi Angelum corpus assumere.* ibid.
Art. II. *Vtrum assumptio corporis facta ab Angelo sit vnio substantialis.* 484
Art. III. *Vtrum assumptio corporis facta ab Angelo, fiat per nudam assistentiam ad corpus, tanquam motoris in mobili aut torquentis & vexantis illud.* ibid.
Art. IV. *Vtrum assumptio corporis facta ab Angelo fiat per substantialem illius positionem in eo, vt tanquam instrumento vtatur.* 485

DISPVTATIO II.

De corporibus assumptis ab Angelis.

Art. I. *Vtrum Angeli assumant vera corpora.* 486
Art. II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 487
Art. III. *Vnde diiudicantur apparitiones esse tantùm imaginariæ, vel in reali corpore, item bonorum & non malorum Angelorum.* 489
Art. IV. *Quænam corpora Angeli possint assumere, qualia illa sint, & ex qua materia.* ibid.
Art. V. *Soluuntur duo dubia.* 491
Art. VI. *Quâ virtute, & à quibus efformentur corpora ab Angelis assumpta.* 492
Art. VII. *Vtrum Angeli ita efformare possint corpora, vt habeant veram mollitiem & duritiem humani corporis.* 493

DISPVTATIO III.

De operationibus Angelorum in corporibus assumptis.

Art. I. *Vtrum Angeli possint exercere opera vitæ in corporibus assumptis secundùm quod vitæ opera sunt.* 496
Art. II. *Proponuntur quædam corollaria ex doctrina præcedentis articuli.* 497
Art. III. *Vtrum Angeli in assumptis corporibus possint opera vitæ exercere, quæ consistunt in motu.* 498

AD QVÆSTIONEM LII.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia Angelorum in loco.

Art. I. *Vtrum Angeli sint in loco.* 500
Art. II. *Vtrum Angeli habeant locum sibi determinatum.* 501

DISPVTATIO II.

De loco intrinseco Angelorum.

Art. I. *Vtrum Angeli sint in loco intrinseco formaliter per aliquem modum sibi immediatè infusum à Deo, qui non sit in pote-*

state voluntatis Angeli. ibid.
Art. II. *Vtrum Angeli sint formaliter in loco intrinseco per suam substantiam.* ibid.
Art. III. *Vtrum Angeli sint formaliter in loco intrinseco per operationem.* 502
Art. IV. *Quæ sit formalis ratio, per quam Angeli sint in loco intrinseco.* 504

DISPVTATIO III.
De loco extrinseco Angelorum.
Art. vnicus. *Quæ sit formalis ratio, per quam Angeli sint in loco extrinseco.* 505

DISPVTATIO IV.
De comparatione Angelorum ad suos locos adæquatos, & inadæquatos.
Art. I. *Vtrum Angelus in pluribus locis contiguis inadæquatis esse possit.* 507
Art. II. *Soluuntur fundamenta aduersariorum contra secundam nostram propositionem.* 508
Art. III. *Vtrum Angelus possit esse simul in pluribus locis inadæquatis à se inuicem spatio discretis & intra locum suum adæquatum contentis.* 509
Art. IV. *Vtrum detur aliquis locus diuisibilis ita minimus, vt Angelus non possit sese constituere in minori.* 511
Art. V. *Vtrum Angelus possit esse in puncto* 513
Art. VI. *Soluitur dubium.* ibid.
Art. VII. *Vtrum plures Angeli possint esse naturaliter simul in eodem loco.* 515

AD QVÆSTIONEM LIII.

DISPVTATIO PRIMA.
De existentia, essentia & causis motus Angelorum.
Art. I. *Vtrum Angeli localiter moueantur.* 516
Art. II. *Quid sit Angelum moueri localiter.* 517
Art. III. *A quo sit motus Angelicus, & quid sit potentia motrix Angeli.* ibid.

DISPVTATIO II.
De motu continuo & discreto Angelorum.
Art. I. *Vtrum motus Angeli possit esse continuus.* 518
Art. II. *Vtrum Angelus possit naturaliter moueri de vno extremo ad alterum, non transeundo per medium.* 519
Art. III. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 520
Art. IV. *Vtrum Angelus possit in instanti acquirere locum distantem ab eo, quem relinquit.* 525
Art. V. *Vtrum detur terminus celeritatis motus contrarij Angelorum.* 527

DISPVTATIO III.
De effectibus potentiæ motricis Angelorum
Art. I. *Quidnam Angeli mouere possint.* 528
Art. II. *Vtrum Angeli mouentes rem aliquã imprimant ei impulsum.* 529
Art. III. *Vtrum Angeli per motum aliquid possint producere distinctum ab impulsu.* 530

AD QVÆSTIONEM LIV.

DISPVTATIO VNICA.
De cognitione Angelorum.
Art. vnicus. *Vtrum cognitio Angelica, intellectus Angelicus sint idem cum substantia & existentia Angeli, item an agens intellectus, possibilis, & cognitio sensitiua sint in Angelis.* 531

AD QVÆSTIONEM LV.

DISPVTATIO VNICA.
De medio cognitionis Angelicæ.
Art. I. *Vtrum Angeli intelligant omnia per suam substantiam.* 532
Art. II. *Vtrum Angeli intelligant per species intelligibiles.* 533
Art. III. *Vtrum Angeli species, per quas intelligunt accipiant à rebus.* 534
Art. IV. *Soluuntur fundamenta aduersariorum.* 535
Art. V. *A quo, quando, & quomodo Angeli accipiant species, per quas intelligunt.* ibid.
Art. VI. *Vtrum superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales, quàm inferiores.* 537
Art. VII. *Soluuntur fundamenta aduersariorum contra doctrinam præcedentis articuli.* 539

AD QVÆSTIONEM LVI.

DISPVTATIO VNICA.
De cognitione Angelorum ex parte rerum immaterialium.
Art. I. *Vtrum Angelus seipsum cognoscat.* 541
Art. II. *Vtrum vnus Angelus alium cognoscat.* 542
Art. III. *Vtrum Angeli per sua naturalia possint Deum cognoscere.* ibid.

AD QVÆSTIONEM LVII.

DISPVTATIO PRIMA.
De cognitione Angelorum respectu rerum materialium, & singularium.
Art. I. *Vtrum Angeli cognoscant res materiales, & item singulares.* 543
Art. II. *Quomodo Angeli cognoscant res*

vniuersales & singulares. 544
Art. III. *Vtrum Angeli possint naturaliter aliquot singularia contingentia possibilia tantùm cognoscere.* 545
DISPVTATIO II.
De cognitione Angelorum respectu futurorum
Art. I. *Vtrum Angeli cognoscant futura necessaria non libera, & quomodo.* ibid.
Art. II. *Vtrum Angeli cognoscant certò futura contingentia libera.* 546
DISPVTATIO III.
De cognitione Angelorum respectu cogitationum cordis.
Art. I. *Vtrum Angeli cognoscant cogitationes cordium.* 546
Art. II. *Quænam sit ratio propter quam Angeli naturaliter non possint certò cognoscere cogitationes cordium.* 547
DISPVTATIO IV.
De loquutione Angelorum.
Art. I. *Vtrum Angeli sibi inuicem loquantur.* 548
Art. II. *Quomodo sibi inuicem Angeli loquantur.* ibid.
DISPVTATIO V.
De cognitione Angelorum respectu mysteriorum gratiæ.
Art. I. *Vtrum Angeli cognoscant mysteria gratiæ naturaliter.* 550
Art. II. *Quænam mysteria gratiæ Angeli in via cognouerunt cognitione supernaturali.* 551
DISPVTATIO VI.
De illuminatione Angelorum.
Art. vnicus. *Quid sit illuminatio in Angelis, & quomodo vnus alium illuminet.* ibid.

AD QVÆSTIONEM LVIII.
DISPVTATIO VNICA.
De modo Angelicæ cognitionis.
Art. I. *Vtrum intellectus Angeli quandoque sit in potentia & actu.* 552
Art. II. *Vtrum Angelus possit plura simul intelligere.* 553
Art. III. *Vtrum Angeli cognoscant discurrendo.* 554

AD QVÆSTIONEM LIX.
De voluntate Angelorum.

AD QVÆSTIONEM LX.
DISPVTATIO VNICA.
De amore & dilectione Angelorum.
Art. vnicus. *Quæ dilectio, & circa quæ obiecta sit in Angelis.* 555

AD QVÆSTIONEM LXII.
DISPVTATIO VNICA.
De perfectione Angelorum in esse gratiæ & gloriæ.
Art. I. *Vtrum Angeli fuerint creati in beatitudine.* 556
Art. II. *Vtrum Angeli fuerint creati in gratia sanctificante.* 557
Art. III. *Vtrum sese disposuerint ad gratiam sanctificantem.* ibid.
Art. IV. *Vtrum Angeli meruerunt beatitudinẽ priùs duratione quàm essent beati.* 558

AD QVÆSTIONEM LXIII.
DISPVTATIO VNICA.
De malitia Angelorum quoad culpam.
Art. I. *Vtrum malum culpæ seu peccatum possit esse in Angelis.* 560
Art. II. *Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum.* ibid.
Art. III. *Quodnam fuerit motiuum seu obiectum peccati superbiæ Angelorum.* 562
Art. vltimus. *Vtrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis, & quando peccauerit.* 564

AD QVÆSTIONEM LXIV.
DISPVTATIO VNICA.
De pœna dæmonum.
Art. I. *Quam pœnam dæmones patiantur in intellectu.* 565
Art. II. *Quam pœnam dæmones patiantur in voluntate.* 566
Art. III. *Quam pœnam dæmones patiantur in sua substantia.* 568

YSAMBERTI THEOLOGIA.


NICOLAVS YSAMBERTVS
Aurel. Presbyter, Doctor, et ſocius
ſorbonicus, et in Academia pariſien.
regius S. Theologiæ profeſſor.
Obiit 14 Maij
ætatis ſuæ

DE DEO
ET ATTRIBVTIS EIVS.
AD PRIMAM PARTEM S. THOMÆ.

I. QVONIAM ex ordinata obiecti consideratione nascitur legitima totius operis distributio, & in Deo essentialia sunt priora notionalibus; ideò rectus ordo postulat, vt, qui de Deo disputare aggredimur, priùs de illo quatenus est *vnus in essentia*, & de singulis perfectionibus ipsam eius essentiam consequentibus disseramus, quàm de illo eodem, vt est *trinus in personis.*

Et quia indecorum est artifici ignorare naturam, & conditionem eius artis, quam profitetur, primâ nostrâ quæstione cum S. Th. agemus de prolegomenis Theologiæ; in quibus septem disputationibus naturam, obiectum, diuisionem, vnitatem, cæteráſque eius conditiones explicabimus.

II.
AD I. QVÆSTIONEM.
DISPVTATIO PRIMA.
De genere Theologiæ.
ARTICVLVS PRIMVS.
De nomine, & existentia Theologiæ.

TRIPLEX distinguitur significatio huius nominis *Theologia:* prima valde ampla correspondens suæ deriuationi, vt sanctus Augustinus obseruat libro 8. *de Ciuit. Dei* cap. 10. quæ idem est, ac sermo seu dissertatio de diuinitate, iuxta quam quicunque agit de Deo, etiam vt cognito per solum naturæ lumen, appellatur *Theologus*, teste S. Isidoro libro 8. *etymologiarum* capite 6. sic Poëtæ & Philosophi ex S. Augustino suprà dicuntur *Theologi*, & ipsa Metaphysica quia agit de Deo dicitur *Theologia*, etiam ex Aristotele lib. 12. *Met.*

Secunda significatio est strictissima, quâ ea doctrina quę agit de diuinitate, & iis quæ sunt A in Deo, vt cognitis per immediatam reuelationem, vocatur *Theologia*, quâ ratione sanctus Ioann. Euang. cognominatur *Theologus*, eo quòd præ aliis altissimum Trinitatis mysterium & diuinitatem Christi Domini suo sit complexus Euangelio, & S. Gregor. Nazianz. eas quas habuit de diuinitate Christi Domini orationes inscripsit *de Theologia*. Hinc Theodoretus dialog. 2. & aliqui alij, quando de Incarnatione Christi Domini disputant, dicunt se non in *Theologia*, sed in *Oeconomia* versari, quia hoc mysterium pertinet ad specialem prouidentiam Dei, quâ nobis prouidet de mediis ad consequendum vitam æternam necessariis. III.

Tertia & vltima significatio est inter hanc vtramque media, & communis apud Patres & Scriptores Ecclesiasticos, scilicet pro ea doctrina quæ ex rebus reuelatis, & per fidem infusam cognitis deducit per discursum conclusiones, quibus fidem Christianam & Catholicam nititur suadere, explicare & defendere, tam circa Incarnationem Verbi diui- B ni, & alia mysteria nostræ fidei, quàm circa diuinitatem ipsam trium personarum: quæ doctrina à S. Thoma hîc & aliis vocatur *sacra*, ob res quas pertractat, item *reuelata* à speciali modo procedendi, nimirum quòd per discursum humanum suas deducit conclusiones ex propositionibus per se reuelatis, sicque est reuelata, non quidem primò & per se, seu formaliter & in se ipsa, sed tantùm virtualiter & in suo principio, ex quo, vt virtute contenta, deducitur, iuxta quam acceptionem hîc disputamus de Theologia. IV.

Hanc autem doctrinam dari in Ecclesia patet, tum ex eo quòd Christus Dominus apud S. Matth. 23. dicat se dare Ecclesiæ *scribas:* tum ex Apost. qui 1. ad *Cor.* 12. ait Christum Dominum dedisse Ecclesiæ *Doctores:* at istis locis *Scriba* & *Doctor* eum significant, qui doctrinam Euangelij probat, & eruit ex lege & prophetis, quod est proprium Theologi: tum etiam quòd aliquibus de Ecclesia detur *sermo sapientiæ & scientiæ* ex cit. cap. 12. sancti Pauli, & S. Aug. lib. 14. *de Ciuitate Dei* capite 1. explicat hunc sermonem de nostra Theologia.

I. Tum denique ex eo quòd vsus supponat eius existentiam, at Christus apud S. Matth. capite 22. vtitur hâc doctrinâ, quando ex illo Psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo*, &c. probat se esse *filium Dei*, & alibi resurrectioné mortuorum, ex eo quòd Deus dicatur in sacris literis *Deus viuentium*: similiter Apostoli passim, vt quando probant resurrectionem hominum, ex eo quòd Christus Dominus resurrexit: & hic vsus nostræ doctrinæ semper viguit in Ecclesia, vt patet ex libris SS. Augustin. Damasceni, Thomæ & aliorum, sempérque vigebit, vt Apostolus expresè docet capite 4. ad *Ephes.* & ipsemet status variarum Academiarum in toto orbe Catholico perseuerans.

ARTICVLVS II.

II. *Quodnam sit proximum genus Theologiæ, seu an Theologia sit scientia propriè dicta.*

VNIVSCVIVSQVE rei essentia explicatur suo genere proximo, & propriâ suâ differentiâ, hîc primum inquirimus, sunt autem hæc apud omnes certa. Primò nostram Theologiam viatorum (nam de hac sola agimus) esse aliquem habitum intellectus, quippe quæ consistit formaliter in aliqua cognitione.

Secundò, certum est nostram Theologiam non esse loquendo propriè *prudentiam*; hæc enim versatur circa agibilia, & res deducendas ad praxim in earum directione, vt Aristoteles docet in *Eth.* nostra verò Theologia satis frequenter circa speculabilia, vt tota ferè III. hâc primâ parte, tum etiam quia hæc occupatur tota in singularibus, nostra verò Theologia satis etiam communiter in rebus vniuersim considerandis.

Tertiò, non est *intellectus*, seu habitus primorum principiorum, quia hic propriè est tantùm circa principia naturaliter cognita, de quibus nemo qui intelligat terminos, potest dubitare, & habitus iste loquendo in rigore, non est discursiuus, sed sistit in nuda cognitione principiorum, vt S. Thomas expresè notat primâ secundæ qu. 57. art. 2. in corpore, & in responsione ad secundum; at nostra Theologia propriè discurrit, & est de rebus valde obscuris ipsam naturam excedentibus.

Denique constat hanc nostram Theolog. non esse *artem* propriè dictam, cùm nullum opus externum moliatur. Tota ergo difficul- IV. tas restat de scientia, & sapientia propriissimè sumptis, sed quoniam ex Aristot. lib. 6. *Ethic.* cap. 7. & lib. 1. *Metaph.* cap. 2. & ex S. Thom. suis commentariis ad istos locos Aristotelis, & 1. 2. quæst 57. art. 2. in solutione ad 1. sapientia propriè dicta est præstantissima, & exactissima quædam scientia; videndum priùs an nostra Theologia sit scientia propriè dicta.

Vbi notandum est, non quæri an hæc nostra Theologia semper, & in qualibet cognitione suarum conclusionum procedat scientificè; est enim hoc ei commune cum multis scientiis, vt aliquando procedat tantùm probabiliter: sed præsentis difficultatis sensus est, an saltem aliquando id faciat scientificè, atque adeò sit scientia propriè dicta.

Qua de re duæ sunt sententiæ; vna affir- A mans, quæ est Henrici Gandauensis primâ parte suæ summæ quæst. 1. art. 6. Cani libro 12. de *locis Theolog.* capite 2. & plurium interpr. S. Thomæ hîc. V.

Posterior tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est, *Theologiam nostram non esse scientiam propriè dictam, defectu euidentiæ requisitæ ad scientiam*; & quia talis defectus est fundamentum nostræ propositionis, probamus primò euidentiam requiri in scientia, primò auctoritate S. Thomæ *in quæst. disp. de verit.* qu. 14. art. 9. & 1. 2. qu. 66. artic. 6. vbi ait esse de ratione scientiæ, vt fiat cum visione: item Scoti qu. 3. prologi sentent. Probatur etiam ratione: illud est de intrinseca ratione scientiæ propriè dictæ, à quo intellectus habet, vt vi propriæ suæ actionis conquiescat in cognitione suæ conclusionis, ipsam pe- B netret, videátque necessariam connexionem intrinseci eius medij seu motiui cum extremis illius, quia ex Aristotele 1. *posteriorum* tunc scire arbitramur vnamquamque rem simpliciter, cùm putamus cognoscere causam propter quā res est, eius rei esse causam, nec posse eam aliter se habere; atqui intellectus scientis habet totum istud ab euidentia, hæc enim nihil est aliud, quàm quædam claritas, quâ veritas obiecti ita apertè manifestatur intellectui, vt ipse videat quomodo hæc & illa principia sint huius, & istius conclusionis principia & veræ illius causæ, vnde desinit inquirere vlteriùs; sicq; euidentia est de intrinseca ratione scientiæ propriè dictæ. Dixi maiori in propositione (*vi propriæ suæ actionis*) quia quando voluntas vel affectus captiuant intellectum, vt assentiatur, non tunc est propriè scientia, quemadmo- C dum patet in fide quæ relinquit in nobis desiderium videndi clarè & euidenter res quas nunc credimus. VII. VI.

Ex hoc fundamento sic stabilito nostra propositio probatur: euidétia rei cognitę requiritur essentialiter ad scientiam propriè dictam; atqui nostra Theologia non habet euidentiam rei cognitæ, seu suæ conclusionis; quia hæc pendet ab euidentia principiorum: principia autem conclusionis Theologicæ sunt veritates à Deo reuelatæ, vt supernaturali fide creditæ, quæ quatenus tales sunt obscuræ & ineuidentes ex illo Apostoli ad *Hebræos* 11. *fides est argumentum non apparentium*: igitur nostra Theologia non est scientia propriè dicta.

Addidi in hac propositione hanc particu- D lam *defectu euidentiæ*, quia reliquæ conditiones essentiales scientiæ possunt facilè animaduerti in nostra Theologia. VIII.

Nec obstat, quòd aliqui dicunt euidentiam principiorum in scientia requiri, vt intellectus conuincatur, & firmiter adhæreat principiis, & conclusionibus, hanc autem reperiri in nostra Theologia, quatenus essentialiter fundatur in fide Theologica, & sic illam non desinere esse scientiam propriè dictam. Non inquam satisfacit, patet enim hoc esse falsum, nam ex dictis suprà, & ex iis quæ Philosophi tradunt agendo de scientia, euidentia tantùm requiritur, vt intellectus conquiescat in cognitione sui obiecti, quam tamen quietationem non habet per fidem Theologicam, cùm hæc sit de rebus obscuris, & obscuro tantùm modo cognitis, vt Theologi docent

I. secundâ secundæ agendo de fide, & obscura
cognitio semper relinquat in cognoscente de-
siderium cognoscendi perfectum.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRimvm est, quòd nostra Theologia ha-
beat omnes conditiones scientiæ propriè
dictæ, exceptâ solâ euidentiâ, vt patet indu-
ctione; hanc autem non esse de essentia scien-
tiæ propriè dictæ, sed meram duntaxat condi-
tionem in illa requisitam, vt certitudo habea-
tur; ergo cùm aliunde suppleatur in Theolo-
gia scilicet per fidem, cui mediatè innititur,
erit scientia propriè dicta; quòd autem eui-
dentia sit tantùm quædam conditio probant,
tum ex eo quòd Aristoteles agés de conditio-
II. nibus requisitis in scientia lib. 1. *posteriorũ*, cap.
2. & 2. *Top.* capite 1. non meminerit euiden-
tiæ; tum etiam quia lib. illo *posteriorum* docens
nullum posse habere scientiam de aliqua con-
clusione, nisi eam habuerit de præmissis illius,
addat hanc limitationem, *vel aliquid maius
scientiâ*, ac proinde cùm præmissæ conclusio-
nis Theologicæ cognoscantur per fidem diui-
nam, quę est aliquid maius ipsâ scientiâ, cogni-
tio Theologica non desinet esse propriè scien-
tifica.

Respondetur; solutionem patere ex dictis
superiori artic. cùm enim ibi hanc euidentiæ
necessitatem fundemus in Aristotelica defini-
tione ipsius *scire*, Aristoteles sufficienter me-
minit illius, nec illa iuxta eius mentem erit
minus essentialis scientię propriè dictæ, quàm
sit ipsa certitudo cognitionis.

III. Ad id verò quod vrgent Aristotelem adde-
re hanc particulam, *vel aliquid maius scientiâ*,
respondetur eum ibi per istam particulam, *vel
aliquid maius scientiâ*, non intelligere quid-
quid simpliciter est maius scientiâ, sed intelli-
git determinatè illud quod est illâ maius, pro
euidentia principiorum ingeneranda ei, qui
acquirit scientiam, cuiusmodi est habitus pri-
morum principiorum, per quem euidentia &
veritas propositionis apparet ex simplici in-
telligentia terminorum.

Alterum fundamentum est, nostram Theo-
logiam habere euidentiam, quæ sufficiat ad
scientiam propriè dictam; alij enim volunt
euidentiam consequentis non requiri in scien-
tia, sed euidentiam solius consequentiæ suffi-
cere, hanc autem reperiri in nostra Theolo-
IV. gia nemo dubitat; alij requirunt quidem eui-
dentiam consequentis, seu quòd ipsa princi-
pia, quibus conclusio innititur, sint euiden-
tia, sed dicunt ad id satis esse, quòd sint euiden-
tia in superiori scientia, verbi gratiâ, principia
Musicæ in Arithmetica, Medicinæ in Physica:
vel etiam in ipso testificante, id est, vt sint eui-
dentia illi, qui ea nobis reuelat, & quem certò
scimus non posse falli, nec fallere: hæc autem
omnia reperiuntur in principiis Theologiæ,
sunt enim res nobis propositę ad credendum,
quas Deus, & beati clarè & euidenter cogno-
scunt.

Respondetur ad hoc fundamentum priori
modo consideratum, negando euidentiam
solius consequentiæ sufficere ad scientiam
propriè dictam, vt patet in illa cognitione

A obiecti certi, quę tantùm habetur per medium V.
probabile in syllogismo legitimè disposito,
quam tamen omnes philosophi negant esse
scientificam, & quando philosophi definiunt
scientiam cognitionem certam & euidentem,
non definiunt esse certam & euidentem con-
sequentiæ cognitionem, sed rei, quæ nimirum
ponitur in consequenti propositione, per pro-
priam causam contentã in præmissis; & cogni-
tio bonitatis consequẽtiæ etiam in re Theolo-
gica, spectat propriè ad dialecticũ, cuius pro-
prium est tradere modum benè & legitimè ar-
gumentandi, seu disponendi argumẽtationes.

Ad idem fundamentum consideratum se-
cundo modo, negatur ad veram scientiam suf-
ficere, quòd eius principia sint euidentia in su-
periori scientia, quoniam ex Aristotele suprà
nemo censetur propriè habere cognitionem VI.
B scientificam, nisi sciat illam reducere vsque
ad propositiones per se notas, vt sic intellectus
eius conquiescat, & euidens actualis cognitio
principiorum influat intrinsecè in actualem
cognitionem, quam idem intellectus habet de
veritate conclusionis, nec scientia subalterna-
ta est scientia propriè, nisi vt in eodem intelle-
ctu coniuncta subalternãti, habet euidentiam
& certitudinem principiorum suæ conclusio-
nis; quare licet Deus & beati cognoscant clarè
veritatem articulorum nostræ fidei, quæ sunt
principia nostræ Theologiæ, quia tamẽ Theo-
logus non sic illam cognoscit, sed tantùm cre-
dit, & ex istis articulis, vt fide solùm creditis,
& obscurè cognitis ratiocinatur; item Deus
reuelans mysteria nostræ fidei ea tantùm pro-
ponit, suóque testimonio nos reddit certos il-
la esse vera, nec manifestat nobis ipsam eorum
C veritatem, fit, vt hæc cognitio Theologica, VII.
quæ reperitur in nobis, non sit propriè scien-
tifica, quemadmodum Musica non est scientia
propriè dicta, in eo homine, qui solâ fide hu-
manâ teneret veritates Arithmeticas, quibus
Musicus deducit suas conclusiones, cùm vt
sic loquendo propriè, talis earum cognitio
innitatur potiùs humano testimonio dicen-
tis, quàm euidenti cognitioni principiorum
eius.

Tandem alij, vt Gandauensis quodlibeto 12.
qu. 2. distinguunt 3. lumina à Deo infusa ho-
minibus, per quæ cognitio articulorum fidei
habeatur: 1. lumen est *fidei infusæ*, quo res eius-
modi cognoscuntur obscurè, 2. *intelligentiæ*
quo iidem articuli fidei clariùs cognoscuntur,
verbi gratiâ, à doctoribus quàm à rusticis fide-
libus; 3. est *visionis* seu gloriæ, quo res creditæ
D videntur à beatis in patria; & isti auctores exi- VIII.
stimant nostram Theologiam ratione 2. istius
luminis, per quod habet aliquam euidentiam,
esse in illis scientiam propriè dictam.

Respondetur, lumen illud ibi propositum,
esse omninò fictitium, sanctos Paulum & Au-
gustinum insignes Theologos nunquam fuis-
se illud expertos in præsenti vita, quin potiùs
negasse, cùm iste priori ad *Corinthios* 13. hic
epistolâ suâ *ad Consentium* quæ est 222. profi-
teatur nos in hac vita semper videre in æni-
gmate, & per speculum, quantumcunq; pro-
ficiamus in fide; & quando Scriptura sacra
dicit apud Isaiam primo cap. *nisi credideritis,
non intelligetis*, sensus est iste; quòd assensus
veræ & supernaturalis fidei prærequiratur in
nobis ad habendum pro modulo & condi-

I. tione nostri status cognitionem ipsarum rerum fidei, vt S. Aug. tam epist. nunc citatâ, quàm suâ secundâ ad Volusianum explicat.

Deinde illa euidentia quæ haberetur per tale lumen esset aut à priori, aut à posteriori: non à priori, quia qui videret articulos fidei à priori esset beatus; non à posteriori, quia nullus est effectus qui demonstret Deum esse vnum, & trinum.

Denique tale lumen euacuaret fidem, cùm enim certò & euidenter per illud cognosceremus articulos fidei, non indigeremus auctoritate Dei, & Ecclesiæ propositione ad assentiendum illis.

Nec obstat, quòd S. August. in illud Ioan. 1. *erat lux vera*, distinguat duplex lumen, aliud II. ad credendum, aliud ad intelligendum, & subdat lucem increatam illuminare hominem duplici lumine, paruulos quidem lumine fidei quo nutriuntur vt lacte; maiores autem lumine sapientiæ, quo, vt solido cibo vescuntur, quod lumen habebat Apost. dicens 1. *Cor. Sapientiam loquimur inter perfectos.*

Non obstat, inquam, quia S. Aug. vel intelligendus est de *sapientia* quæ datur aliquibus, non vt per illam cognoscant euidenter res fidei, sed vt possint illas aliis explicare: vel de nostra *Theologia*, quę illas explicat & defendit.

ARTICVLVS IV.

Quisnam habitus sit nostra Theologia.

HÆc difficultas nascitur ex dictis arti- III. culo præcedenti, cùm enim nostra Theologia sit aliqua virtus mentis, quia inclinat in verum, quod est proprium virtutis intellectualis, ex Aristotele libro tertio *Ethicorum*, capite sexto, & sancto Thoma primâ secundæ, quæstione quinquagesimâ septimâ: nec sit aliquis ex enumeratis ab Aristotele, & S. Thoma istis locis, quæritur quisnam igitur sit iste habitus.

Aureolus quæstione primâ, *prologi sentent.* articulo tertio, & primo distinctione quadragesimâ octauâ, articulo tertio, censet illam esse habitum solummodò *declaratiuum*, & non *adhæsiuum*, id est, per quem præcisè non assentimur conclusioni, vt deductæ per discursum ex aliquo fidei principio, sed per quem solummodò mysteria nostræ fidei, vt in eo contenta declarantur & ex- IV. plicantur.

Deinde Syluester *in Conflato*, quæstione primâ, articulo decimo, existimat nostram Theologiam esse eundem habitum cum fide infusa, habet enim idem obiectum cum illa, & habitus qui inclinat ad assensum principiorum, ille idem inclinat ad assensum conclusionum in illis contentarum. Tertiò alij, vt Ochamus quæstione tertia prologi; Gabriel ibidem quæstione septima: Vasquez hîc disputatione quintâ, capite tertio, existimant illam esse habitum quemdam fidei humanæ, vel opinionis. Fundamenta istarum opinionum facilè intelligentur, & soluentur ex iis quæ afferemus pro nostra sententia; quare sit hæc

Prima propositio. *Nostra Theologia non est habitus, nudè & simpliciter solummodò declaratiuus, sed primò per se, & principaliter ad-* A *hæsiuus*: ita sanctus Thomas hîc articulo octauo, & probatur: habitus qui causat assensum conclusionis propter assensum præmissarum est propriè adhæsiuus, quia formaliter, & vi suâ facit intellectum adhærere seu assentiri veritati enuntiatæ per conclusionem, sed nostra Theologia primò per se causat in intellectu assensum conclusionis Theologicæ: igitur & assensum principiorum fidei, & bonitatem ratiocinationis per quam deducit illam existis fidei principiis, vt patebit inferiùs agendo de formali eius obiecto, & ostendendo quòd sit propriè argumentatiua: igitur nostra Theologia est primò per se, & principaliter habitus quidam adhęsiuus. V.

Addidi in priori parte huius propositio- B nis istas particulas *nudè, simpliciter, & solummodò*: item in posteriori istas *primò per se & principaliter*, quia infrà ostendemus habitum nostræ Theologiæ, hoc vtrumque præstare, sed secundum ex proprio suo munere, primum verò, vt facit contra infideles, & ex aliquibus aliis quàm ex principiis à Deo reuelatis, ex suo quidem munere, sed minus proprio, quatenus scilicet est superior omnibus scientiis. VI.

Secunda propositio. *Nostra Theologia non est idem habitus cum fide infusa*; probatur: habitus distinguuntur penes suum formale motiuum, seu formalem & proprium modum tendendi in sua obiecta, & actus; atqui formale motiuum fidei infusæ est immediata reuelatio Dei, seu sola auctoritas Dei reuelantis, formale verò motiuum nostræ Theolo- C giæ est mediata, & virtualis tantùm reuelatio, seu ipsum deducibile per discursum ex principiis à Deo reuelatis, & fide diuinâ creditis, vt ostendetur infrà; ergo Theologia nostra est habitus propriè, & formaliter distinctus ab habitu fidei infusæ. VII.

Deinde, tunc tantùm habitus qui inclinat ad assensum principiorum, ille idem inclinat ad assensum conclusionum, quando vterque assensus fit ex eodem formali motiuo, aliàs intellectus & scientia, item subalternans & subalternata scientia, non essent habitus propriè & formaliter distincti; ergo etiamsi conclusiones Theologicæ contineantur virtualiter tanquam in suis principiis in propositionibus à Deo reuelatis, & per fidem infusam creditis, quia tamen nostra Theologia sub alio formali motiuo inclinat in illas, sem- D per erit habitus distinctus à diuina fide infusa. VIII.

Tertia propositio. *Nostra Theologia non est quidam habitus humanæ fidei acquisitæ, vel opinionis*; prior pars probatur: humana fides tota & immediatè innititur auctoritati hominum, sic enim distinguitur à fide diuina, & quolibet alio habitu; nec propriè fides, siue diuina, siue humana discurrit, sed tantùm auditâ propositione, vt à tali illam pronuntiante, vi solius auctoritatis, præbet ei assensum; at nostra Theologia non innititur auctoritate humanâ, sic enim nullo modo esset doctrina etiam virtualiter reuelata, & insuper propriè discurrit.

Posterior item pars probatur: opinio quatenus propriè & formaliter est opinio, includit essentialiter & intrinsecè aliquam formidinem, vt Aristoteles libro primo *posteriorum*, capite vigesimo sexto, & sanctus

I. Thomas primâ secundæ, quæstione sexagesimâ septimâ, articulo octauo docent, & potest ei falsum subesse; at in Theologia multæ propositiones dantur, quæ in suo assensu nullam includunt formidinem, & quibus nullum potest subesse falsum; exempli gratiâ hæc, Christus est risibilis, duæ sunt voluntates in Christo, & quamplures aliæ.

Quarta propositio. *Licet nostra Theologia sit loquendo propriè habitus quidam medius inter fidem & scientiam, si tamen est reducendus ad aliquem ex habitibus intellectus superiori articulo recensitis, conuenientiùs reducetur ad habitum scientiæ & sapientiæ, quàm ad vllum alium.* Duæ sunt partes propositionis: prior probatur: medium illud dicitur quod de vtroque suo extremo aliquid participat, atqui nostra Theologia participat de fide tres conditiones
II. sibi proprias obscuritatem, seu ineuidentiam, item quòd aliquomodo innitatur diuinæ auctoritati, seu reuelationi, scilicet virtuali & mediatæ; tertiò & certitudinem, quia ratione suorum principiorum, assensus in eius conclusionem est certior quouis alio assensu purè naturali; item participat de scientia modum deducendi suas conclusiones ex propositionibus reuelatis, secundò euidentiam consequentiæ.

Posterior pars etiam probatur: quando vnum debet reduci ad aliquod aliud, est reducendum ad illud cum quo maiorem habet proportionem, & à quo differt in paucioribus; atqui nostra Theologia habet maiorem proportionem, seu analogiam cum scientia & sapientia propriè dictis, quàm cum vllo alio
III. habitu intellectus, & in paucioribus differt ab illis, quàm ab vllo alio; de iis quæ sunt communia scientiæ & sapientiæ patet, est enim nostra Theologia cognitio per se, & ex sua natura discursiua rei immutabilis, vel ab intrinseco, cuiusmodi sunt attributa Dei, vel ab extrinseco nimirùm Dei, qui hæc & illa quæ credimus voluit esse hoc & illo modo, verbi gratiâ Incarnationem Verbi diuini, institutionem sacramentorum, quæ voluntas nunquam mutabitur, & tam ad hæc à Deo immutabiliter volita, quàm ad diuina eius attributa tanquam ad aliquas causas, vel reales, vel virtuales rei, vel etiam cognitionis Theologicæ veritates sequuntur ex aliqua necessitate, vt intelligitur ex dictis: igitur nostra Theologia rectè deducitur ad habitum scientiæ.

IV. Idem patet de iis, in quibus sapientia strictè sumpta distinguitur à scientia, tum ex sancto Thoma hîc articulo sexto: tum ex iis conditionibus quas Aristoteles libro primo *Metaphysicorum*, capite secundo requirit in sapientia, quæ omnes & singulæ reperiuntur in illa. Nam imprimis Aristoteles vult, vt sapientia sit cognitio *vniuersalissima*, & quantum fieri potest de rebus omnibus secundùm aliquam rationem sibi specialem; at hoc conuenit nostræ Theologiæ, agit enim de Deo, vt obiecto suo principali, qui est causa præcipua & generalissima efficiens & finalis rerum omnium, vnde etiam aliquo modo spectat ad illam agere de omnibus rebus quatenus scilicet ordinantur ad vltimum finem, & sunt per Dei efficientiam.

A Secundò Aristoteles requirit in sapientia quòd versetur circa res *difficillimas* & remotissimas à sensibus; & hoc conuenit nostræ Theologiæ, hęc enim considerat Deum vnum, & trinum, & mysteria nostræ fidei, prout hæc omnia innotescunt nobis per lumen fidei, quomodo sunt à sensibus remotissima, cùm sint supra illos, & ad intelligentiam istorum oporteat captiuare intellectum in obsequium fidei. V.

Tertiò requirit Aristoteles in sapientia quòd sit *certissima* & procedat ex causis certissimis: at nostram Theologiam esse certiorem omni & quâlibet cognitione ordinis naturalis, & causam eius cognitionis esse certissimam, patebit inferiùs.

Quarta conditio sapientiæ, est, vt illa sit *causâ sui*, & non causâ alterius, seu propter VI.
B seipsam & non aliò ordinatam, vt præsit aliis potiùs eas dirigendo, quàm eis ministret; hoc etiam habet Theologia, ad nullam enim naturalem scientiam refertur, & naturalibus scientiis tanquam ancillis seu instrumentis vtitur; nam Prouerbiorum nono, de illa dicitur, *misit ancillas vocare ad arcem*, ad altiorem finem eas dirigit, vt patet de Morali, quam (agendo de bonis & studiosis actibus) ordinat ad vitam æternam: si quando illæ errent, corrigit illas, & explicat, quo sensu principia & conclusiones illarum sint veræ, vt patet de isto principio physico *ex nihilo nihil fit*; item de distinctione suppositi à natura; item *accidentis esse, est inesse*, & id genus pluribus, similiter est eius discurrere, vtrum lex siue Ciuilis, siue Canonica sit conformis VII.
C diuinæ legi, & rectæ rationi, cuius tamen vtriusque legis executionem relinquit iuri Canonico & Ciuili; quia habent vim aliquo modo coactiuam, quatenus decernunt pœnas violantibus hoc vtrumque ius, sicque nostra Theologia etiam vt practica subordinat sibi omnes alias scientias; vnde aliqui non ineptè conferunt Theologiam cum domino alicuius familiæ, & ius Ciuile & Canonicum cum œconomo; quia sicut œconomi est, ea quæ ipse dominus iudicat expedire ad pacem & quietem suæ familiæ, exequi; sic etiam est vtriusque iuris Ciuilis & Canonici curare, vt diligenter obseruentur, quæ nostra Theologia iudicat esse consentanea diuinæ legi; sicque ex his quatuor conditionibus sibi modo nunc explicato conuenientibus, nostra Theologia habet, vt sit VIII.
D sapientia propriè dicta, imò sola ex omnibus scientiis quæ naturæ viribus possunt acquiri ab homine, iuxta sanctum Augustinum libro decimo quarto *de Trinitate*, capite primo; quippe quæ sola est *cognitio rerum diuinarum*, licet enim aliquæ naturales scientiæ sint de rebus diuinis, attamen de illis tantùm modo *humano* disputant; nostra autem Theologia *diuino*, cùm propriè innitatur soli diuinæ reuelationi, & procedat tantùm ex reuelatis à Deo.

Quæres quomodo Theologia possit simul ad habitum sapientiæ & scientiæ reuocari, cùm habitus sapientiæ sit alius, & distinctus ab habitu scientiæ, iuxta Aristotelem libro 6. Eth. cap. 7.

Respondetur, non repugnare vnum & eundem habitum, diuerso tamen modo conside-

I. ratum esse scientiam & sapientiam, vt Aristoteles asserit de Metaphysica, libro primo *Metaphysicorum*, capite secundo; erit ergo Theologia scientia prout deducit conclusiones ex certissimis præmissis per veras & certissimas causas cognitionis, erit autem propriè sapientia prout facit istud non per quascunque causas certissimas, sed per altissimas, & est de rebus altissimis, modo speciali altissimo cognitis, idque totum præstat iuxta proprias conditiones sapientiæ strictè sumptæ superiùs explicatas.

An autem sapientia sit aliquis habitus quasi compositus ex habitu primorum principiorum, & scientia simul congregatis, an verò sit specialis quidam habitus continens eminenter perfectionem huius vtriusque prædicti habitus ad eum modum, quo anima
II. rationalis est specialis forma distincta à sentiente & vegetante, non est præsentis loci disquirere, sed pertinet ad librum sextum Ethicorum, & ad primam secundæ, vbi ex professo agitur de habitibus mentis.

DISPVTATIO II.

De obiecto & subiecto nostræ Theologiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quodnam sit obiectum nostræ Theologiæ.

III. QVIA propria differentia habituum desumitur ex eorum obiectis; ideò post explicatum proximum genus nostræ Theologiæ, inquirimus eius obiectum, & quoniam in rigore loquendi (quemadmodum Durandus notat quæstione quintâ, prolog. sentent.) duo isti termini, *obiectum* & *subiectum*, in scientiis distinguuntur, licet alioquin satis frequenter sumantur tanquam synonyma, nimirum quatenus illud propriè dicitur esse obiectum in aliqua scientia, quod obiicitur, seu proponitur cognoscendum per eam, éstque aliqua propositio, quæ per ipsam scientiam cognoscitur; subiectum verò scientiæ illud dicitur esse de quo aliquid probatur in scientia, vnde appellatur subiectum *attribu-*
IV. *tionis*, quia quæcunque docentur in tali scientia ei attribuuntur; ideò sic loquemur vt præsentem difficultatem explicemus iuxta vtramque acceptionem istorum terminorum. Est autem hîc repetenda ex dialecticis multiplex diuisio obiecti, vt in materiale & formale, in adæquatum & inadæquatum, inadæquati præcipuum & minus præcipuum: & quamuis variæ sint de re proposita Theologorum opiniones, quia tamen illæ omnes possunt facilè reuocari ad concordiam, vel etiam minus probabiles refelli, explicabimus totum istud sequentibus propositionibus; quarum sit hæc

Prima propositio. *Adæquatum materiale obiectum nostræ Theologiæ*, (prout iuxta præmissam obseruationem obiectum distingui-

A tur à subiecto) *est ens deducibile per discursum ex reuelatis à Deo*, id est, *omnes & quælibet propositiones, quæ mediante discursu possunt colligi ex veritatibus reuelatis à Deo: inadæquatum verò, seu partiale obiectum materiale eiusdem nostræ Theologiæ est qualibet talis propositio seorsim sumpta.* V.

Ita sanctus Thomas in prologo sentent. quæstione vnicâ, articulo quarto, vbi ait, subiectum Theologiæ esse *ens diuinum*, cognoscibile per inspirationem, quò loci per *ens diuinum*, non intelligit duntaxat illud quod est tale formaliter, vel etiam participatiuè, sed illud omne quod aliquem habet etiam respectum ad illud, & vt tale cognoscitur mediante discursu ex aliqua veritate, seu propositione immediatè reuelata, iuxta quam expositionem adæquatum hoc obie-
B ctum comprehendit sub se etiam peccata, & id genus alia, quæ magis pugnant cum *ente diuino* propriè dicto, quàm ei conueniant. VI.

Probatur autem prima pars propositionis: illud est adæquatum materiale obiectum alicuius habitus, quod totaliter sumptum adæquat obiectum eius formale sibi applicatum, hæc enim duo obiecta debent sibi inuicem correspondere; atqui ens omne deducibile per verum discursum ex veritatibus à Deo reuelatis, seu omnes illæ propositiones, quæ possunt deduci per discursum ex veritatibus à Deo immediatè reuelatis, simul & collectim sumptæ adæquant totam virtualem reuelationem veritatum contentam in veritatibus à Deo reuelatis & propositis nobis ad credendum, quæ virtualis
C reuelatio, vt per discursum cognita, est adæquatum formale obiectum nostræ Theologiæ, vt mox ostendetur; ergo adæquatum materiale obiectum nostræ Theologiæ est ens deducibile ex reuelatis, seu sunt omnes simul sumptæ propositiones, quæ possunt deduci per discursum ex veritatibus immediatè reuelatis à Deo; & efficacia huius rationis potest explicari exemplo fidei diuinæ, cuius obiectum adæquatum est illud omne, quod vt à Deo immediatè reuelatum, sufficienter proponitur ad credendum: item & exemplo omnium quorumcunque habituum. VII.

Secundò probatur: illud est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, quod in seipso comprehendit omnia quæ in tali scientia per-
D tractantur, iuxta illam formalem & præcisam rationem, secundùm quam traduntur in tali scientia, vt facilè intelligitur ex ipso eius nomine: atqui ens deducibile, seu cognoscibile per discursum ex reuelatis à Deo, sumptum purè & simpliciter, comprehendit in seipso omnia, & singula quæ tractantur in Theologia, & simul exprimit specialem rationem secundùm quam traduntur in Theologia, vt intelligitur ex præcedenti ratione: igitur ens deducibile, seu cognoscibile per discursum ex reuelatis à Deo purè, & simpliciter sumptum est adæquatum obiectum Theologiæ. VIII.

Posterior pars probatur eâdem ratione, seruatâ proportione.

Secunda propositio. *Ipsum cognoscibile per discursum ex reuelatis à Deo sumptum præcisè*

I. quæ demonstretur de suo subiecto per tale medium; at ipsum credibile est per medium solummodo extrinsecum, scilicet per testimonium & reuelationem dicentis; vnde cognitio habita de aliqua veritate, vt fundatur in testimonio seu reuelatione alterius, cuiusmodi est nostra Theologia, non potest habere pro formali obiecto aliquam realem proprietatem sui obiecti licet aliquæ aliæ scientiæ tale quid habeant.

ARTICVLVS II.

Quodnam sit subiectum Theologiæ.

SIT hæc propositio. *Subiectum adæquatum Theologiæ prout distinguitur ab adæquato eius obiecto est ens sumptum in tota sua latitudine,*
II. *de quo aliquid potest ex aliqua propositione de fide probari per cognitionem discursiuam: primarium verò inadæquatum eius subiectum est ipse Deus sub ratione deitatis, alia denique singula, de quibus aliquid singillatim potest eodem modo ostendi, sunt inadæquata tantum, minus tamen præcipua obiecta nostræ Theologiæ:* tres sunt partes propositionis.

Prima pars probatur: illud, de quo solo, vel aliqua eius parte aliquid demonstratur, vel probatur in tota scientia est subiectum adæquatum talis scientiæ: sed de solo eo ente, vel aliqua eius parte, aliquid demonstratur, vel probatur in tota Theologia, de quo vel aliqua eius parte aliquid potest ex aliqua propositione de fide demonstrari, vel probari per cognitionem discursiuam; igitur solum
III. illud ens de quo vel aliqua eius parte aliquid potest ex aliqua propositione de fide probari vel demonstrari per cognitionem discursiuam, est subiectum adæquatum nostræ Theologiæ.

Confirmatur ex sancto Thoma secundâ secundæ, quæstione 1. artic. 1. in corpore, & in responsione ad secundum: eadem est ratio seruatâ proportione subiecti adæquati nostræ Theologiæ, quæ est subiecti adæquati diuinæ fidei, quia vt hæc est de omnibus immediatè reuelatis à Deo, vt credendis ob solam auctoritatem primæ veritatis in dicendo, absque aliquo discursu, sic ista est propriè & formaliter de mediatè, & virtualiter à Deo, vt per discursum deducendis ex immediatè reuelatis à Deo: atqui subiectum adæquatum nostræ fidei diuinæ est totum illud, & solum
IV. de quo aliquid potest obscurè reuelari à Deo, & credi ob eius auctoritatem, vt primæ veritatis in dicendo: igitur & totum illud ens & solum de quo vel aliqua eius parte aliquid potest ex aliqua propositione fidei demonstrari aut probari per cognitionem discursiuam, est adæquatum subiectum nostræ Theologiæ.

Secunda item pars eiusdem propositionis probatur: illud est primarium subiectum alicuius scientiæ, quod primò & principaliter subiicitur in aliqua, vel in aliquibus demonstrationibus illius, & quòd præterea est tale, vt cætera ad illud solum ordinentur, vel tanquam eius principia, vel tanquam proprietates, vel effectus, vel vt aliquid istis simile; sed totum hoc in nostra Theologia conuenit Deo, ratione diuinitatis, quatenus
A nimirum diuinitas sumitur pro diuina essen- V.
tia, vt condistincta virtualiter ab omnibus suis attributis, & vt est ipsum eorum fundamentum; nam diuina attributa demonstrantur de diuina essentia seu de diuinitate in hac nostra scientia, & consequenter primò, & principaliter subiicitur istis eiusmodi demonstrationibus: deinde essentia diuina præcisè sumpta est radix omnium suorum attributorum, & quæcunque tractantur in Theologia, tractantur in ea vt habent aliquam habitudinem vel effectus, vel alicuius alterius conditionis ad ipsum Deum, sub ratione deitatis; nam cùm Christus Dominus non redemisset nos perfectè nisi simul esset Deus, nec etiam perfectè glorificaret, proprietates illæ quæ demonstrantur de Christo Do-
mino in Theologia semper explicantur, vt VI.
B aliquem habent respectum ad diuinitatem. Tertia denique pars eiusdem propositionis probatur eâdem ratione secundùm proportionem applicatâ.

Obiicies primò contra secundam partem: proprietates quæ probantur vel demonstrantur in scientia debent inesse suo primario subiecto & ei competere sub ea ratione, quâ est tale subiectum in scientia: sed innascibilitas, seu esse ingenitum est aliqua proprietas quæ non conuenit Deo ratione deitatis, sed ratione paternitatis, & nihilominus probatur de Deo in nostra Theologia.

Respondetur, primarium subiectum alicuius scientiæ posse duobus modis considerari; primò, vt est præcisè in se, & secundùm vniuersales proprietates, quæ ei vt sic, conueniunt:
secundò, vt est in aliis ipsum participantibus, VII.
C & iuxta proprietates quæ ei, vt sic competunt, verbi gratiâ, in physicis corpus naturale potest considerari secundùm communes proprietates quæ sunt motus vel quies; deinde corpus naturale potest considerari, vt est determinatæ alicuius speciei, ratione cuius habet speciales proprietates, verbi gratiâ, esse lucidum esse visibile, inter quas duas species proprietatum hæc est distinctio, quòd priores debeant priùs conuenire primario subiecto spectato secundùm priorem modum, posteriores verò minimè, sed tantùm iuxta secundum modum; quare licet innascibilitas non conueniat Deo præcisè, vt est Deus, seu formaliter ratione diuinitatis, sed vt est prima persona seu pater in diuinis, quia tamen inter proprietates naturæ diuinæ in-
nascibilitas est de posteriori genere, immen- VIII.
D sitas verò, sapientia, volitio, omnipotentia, & id genus aliæ sunt de priori genere proprietatum, fit, vt Deus sub ratione deitatis non desinat esse primarium subiectum Theologiæ, & innascibilitas considerari in ea, vt habet aliquem ordinem ad Deum etiam spectatum sub ratione deitatis, præsertim cùm proprietates personales in diuinis radicentur in essentia.

Obiicies secundò: essentia, seu definitio subiecti est in demonstratione medium ad probandum proprietates de illo, ex Aristotele primo *poster.* sed Theologus non demonstrat de Deo attributa illius per propriam definitionem diuinitatis, quippe quæ haberi non potest.

Respondetur, maiorem esse veram in illa

I. propositione quæ innititur medio intrinse-
co, & in scientifica demonstratione, non
autem in ea quæ innititur externo medio,
cuiusmodi est nostra Theologia; quæ ha-
bet virtualem reuelationem Dei pro suo me-
dio.

Obiicies tertiò: nulla scientia probat de
suo subiecto quòd sit, sed supponit; at Theo-
logia probat quòd Deus sit.

Respondetur maiorem non esse veram de
inadæquato subiecto, vt patet ex eo quòd
cœlum est partiale subiectum physicæ, quod
tamen Aristoteles primo *de cœlo*, capite se-
cundò probat dari. Deinde Theologia pro-
bat Deum esse tanquam suprema quædam
scientia, cui est proprium probare suum sub-
iectum, si illud reuocetur in dubium, & hoc
facit mutuando rationes ab aliis inferioribus
II. scientiis.

Obiicies vltimò: Deus sub ratione verita-
tis non est subiectum primarium inadæqua-
tum Theologiæ, sed potiùs adæquatum, cùm
quidquid in ea tractatur sit, vel Deus sub ra-
tione deitatis, aut aliquid dicens ordinem ad
Deum sub ratione deitatis.

Respondetur duplex posse distingui subie-
ctum adæquatum in scientiis, vnum simpli-
citer & absolutè, & est illud de quo omnia
quæ cognoscuntur per talem scientiam di-
cuntur in recto, etiam secundùm formalem
illam rationem, quâ est tale subiectum, & ad
distinctionem posterioris appellatur à qui-
busdam adæquatum subiectum *communitatis*:
alterum adæquatum subiectum est duntaxat
attributionis, & est illud quod est tale, vt eius
III. proprietates considerentur principaliter in
scientia, & quæcumque tractantur in ea spe-
ctentur, vel vt sunt aliquid illius, vel vt ha-
bent aliquam habitudinem ad illud, quo po-
steriori modo Deus sub ratione deitatis, est
adæquatum subiectum nostræ Theologiæ: at
priori modo totum istud, & solum est adæ-
quatum obiectum nostræ Theologiæ de quo
aliquid potest probari per connexionem dis-
cursiuam cum aliqua propositione de fide,
quia illud in aliqua scientia debet absolutè &
simpliciter esse adæquatum obiectum quod
in seipso habet omnes & singulas proprieta-
tes secundùm illam formalem rationem quâ
traduntur in tali scientia, quomodo proprie-
tates quæ demonstrantur à Theologo de ipso
Deo, conueniunt ipsi enti reuelato sumpto ge-
nericè, de quo aliquid potest probari per con-
IV. nexionem discursiuam cum aliqua proposi-
tione de fide.

DISPVTATIO III. V.

De subalternatione Theologiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

An nostra Theologia subalternetur beatorum Theologiæ.

NOTANDVM est, duplicem
distingui cognitionem in bea-
tis, vnam claram & euiden-
tem, & in ipsa diuina es-
sentia; quæ dicitur à Theo-
logis *matutina*; aliam minus
claram quâ beati extra diuinam essentiam
aliquid cognoscunt de Deo, eiúsque perfe-
ctionibus, dicitúrque *vespertina*, cuius vtrius-
que distinctionis mentionem primus fecit san- VI.
B ctus Augustinus passim agendo de Angelis,
eámque voluit significari per *mane & vespere*,
quæ describuntur Genesis primo capite, nam
cùm putaret omnes creaturas simul ab initio
conditas esse, & non per interuallum sex die-
rum; distinctionem illam dierum retulit ad
distinctionem operum Dei, quæ duplici co-
gnitione ab Angelis cognosci dixit, nempe
matutinâ, quæ est cognitio rerum creatarum
in verbo, & *vespertinâ*, quæ est cognitio ea-
rumdem rerum in proprio genere, & per pro-
prias species. Primum diem docuit esse ex co-
gnitione Angelica, quia seipsos primùm co-
gnouerunt; secundum ex cognitione firma-
menti, & sic deinceps ex cognitione rerum
creatarum, quæ repræsentantur intellectui
Angelico distinxit dies creationis; in vnoquo-
C que autem die esse mane & *vesperam*, quia VII.
quælibet res creata, vel cognosci potest in
verbo, quod est primordiale quoddam rerum
principium, sicut manè est principium diei, vel
in propria natura & in creaturis, quæ cognitio
dicitur *vespertina*. Atque hinc Theologi occa-
sionem sumpserunt vocandi cognitionem quâ
essentia diuina videtur in se & intuitiuè *ma-
tutinã*, aliam verò quâ eadem essentia videtur
non quidem in se, sed ex creaturis *vespertinã*,
vt pote longè imperfectiorem priori quæque
comparatè ad illam se habeat veluti *vesperè*,
& *manè*: quo prænotato, sit hæc propositio.

*Nostra Theologia neutri istarum cognitionum
de Deo, & aliis rebus, seu ipsi Theologiæ beatorum,
vel etiam Dei, loquendo propriè subalternatur.*

Probatur: inter alias conditiones ad veram
subalternationẽ requiritur, quòd scientia sub-
D alternata sic accipiat euidentiam suorũ princi- VIII.
piorũ à subalternante, vt ex natura sua & pro-
pria sua conditione sit nata esse simul in vno
& eodem intellectu cum ipsa subalternante,
vt sic subalternata habeat in tali subiecto ra-
tionem veræ scientiæ, & vt sic idem intelle-
ctus possit resoluere suas conclusiones vsque
ad prima sua principia, quæ traduntur à sub-
alternante, sicque certò & euidenter scire res
in illis enuntiatas, non posse aliter se habere,
quod iuxta Aristotelem in libris *posteriorum* est
propriè scire; atqui visio beatifica & cognitio
illa quam habemus de veritatibus Theolo-
gicis, vt per verum discursum deductis ex
propositionibus reuelatis non sunt aptæ, na-
tæ ex propria sua, & naturali conditione esse
simul & semel in vno, & eodem intellectu;
quia nostra Theologia essentialiter supponit

I. fidem infusam, & importat cognitionem obscuram & ineuidentem suorum principiorum; beatifica autem visio est essentialiter clara, euidens, & ipsius Dei sicuti est in seipso, & saltem loquendo de lege ordinaria, visio beatifica, & fides infusa sunt sibi inuicem incompossibiles respectu eiusdem subiecti; vt omnes Theologi communiter docent, secundâ secundæ cum sancto Thoma.

Deinde in scientia verè & propriè subalternata obiectum distinguitur ab obiecto subalternantis penes accidentariam duntaxat differentiam secundùm quam cognoscatur in subalternata, sicque aliud cognoscitur in subalternante, & aliud in subalternata, vt docent dialectici; at obiectum nostræ Theologiæ non habet nudam aliquam differentiam accidentalem sibi superadditam, II. quâ solâ distinguatur ab obiecto scientiæ Dei & beatorum; nam quæcunque beati vident sunt reuelata obscurè, aut possunt à Deo obscurè reuelari, & à nobis credi, & etiam vt sic possunt esse aliquod subiectum nostræ Theologiæ, & ipsum esse reuelatum in nostris Theologicis propositionibus non est id quod primò, & per se Theologia cognoscit, sed est illarum veritas, & hæc earum reuelatio, vt virtualiter contenta, est duntaxat quædam conditio quâ redduntur aptæ, vt cognoscantur per nostram Theologiam; ergo Theologia non est propriè subalternata beatificæ visioni ipsius Dei vel Sanctorum eius.

Tandem in vera subalternatione vtraque III. scientia debet esse propriè & rigorosè discursiua, vt patet inductione, neque enim scientiæ, quæ accipiunt euidentiam suorum principiorum ab habitu intelligentiæ, dicuntur propriè subalternari ei, & Aristoteles libro primo *posteriorum*, ait scientiam subalternantem probare à priori principia subalternatæ; at visio beatifica tam beatorum quàm Dei non est discursiua, sed simplex quidam intuitus: adde quòd nostra Theologia quatenus talis, formaliter non resoluitur in claram visionem Dei, sed sistit in auctoritate Dei, vt primæ veritatis in dicendo, sic enim est virtualiter reuelata.

Atque omnes istæ rationes ostendunt nostram Theologiam non subalternari, etiam ei scientiæ beatorum, quam vulgò vocant *vespertinam*, nam in vera & propriè dicta IV. subalternatione inferior scientia accipit euidentiam suorum principiorum à subalternante: at nostra Theologia non accipit suam euidentiam à cognitione vespertinâ beatorum, nec eius certitudo resoluitur in illam, imò cognitio vespertina habet se merè per accidens ad nostram Theologiam quoad rationem subalternationis; si enim Deus denegaret talem scientiam beatis, & nihilominus reuelaret nobis credendum aliquid fide diuinâ, adhuc aliquæ conclusiones possent deduci per discursiuam connexionem ex sic reuelatis, quæ tamen conclusiones sic cognitæ non ad alium habitum pertinerent, quàm ad habitum nostræ Theologiæ.

Secundò ostendunt nostram Theologiam nulli habitui siue per se infuso, & supernaturali, siue purè & simpliciter natu-

A rali existenti in aliquo viatore subalternari siue habitus sit in voluntate, siue in intellectu, non esse quidem subalternatam vlli habitui siue naturali, siue supernaturali voluntatis, quia habitus subalternatus & subalternans sunt intra idem genus, & respiciunt obiectum aliquo modo idem; at omnes boni habitus voluntatis cuiuscunque sint conditionis respiciunt bonum, inclinant, iuuant & perficiunt eam in ordine ad illud; nostra verò Theologia respicit verum, quod in ratione obiecti distinguitur toto genere à bono; similiter docent illam non esse subalternatam alteri supernaturali habitui, nam si id esset verum, maximè respectu fidei infusæ nobis: at vltima nostra ratio ostendit id esse falsum, cui non obstat quòd nostra Theologia dependeat ab hac B fide, & in illam resoluat suas conclusiones, non enim quælibet dependentia vnius cognitionis ab alia, nec quælibet eius resolutio in aliam, sufficit ad veram subalternationem, vt patet in scientiis naturalibus, quæ in sua perfectione dependent ab habitu primorum principiorum, & sæpe suas conclusiones resoluunt in eius propositiones, sed scientia verè & propriè subalterna illam sibi postulat à subalternante dependentiam, quam omnes, & singulæ conditiones à philosophis ad veram subalternationem requisitæ important, quæ vt facilè intelligitur ex dictis hîc non reperitur. V. VI.

Tertiò ostendunt illam etiam non esse subalternatam alicui humanæ, seu naturali scientiæ, licet quampluribus earum scientia- C rum conclusionibus vtatur; nam nec obiectum nostræ Theologiæ, sumptum formaliter continetur sub obiecto alicuius scientiæ naturalis, nec per aliquam differentiam accidentalem contrahitur, nec ab illis nostra Theologia sua emendicat principia; dum enim hæc illis vtitur non tanquam sibi propriis, sed solummodò alienis, quemadmodum sanctus Thomas expressè notat hîc artic. 8. in solutione ad secundum, quin etiam vt ancillis, & quemadmodum illa dependentia vt obseruauimus, quam aliqua scientia habet ad habitum primorum principiorum, non sufficit, vt talis scientia loquendo propriè subalternetur habitui principiorum; sic etiam illa dependentia quam nostra Theologia habet à quibusdam naturalibus propositionibus pro euidentiori & magis clara deductio- D ne suarum conclusionum ex principiis fidei, non efficiet, vt nostra Theologia subalternetur alicui naturalium scientiarum. VII. VIII.

Quartò ostendunt, nullam scientiarum naturalium ei propriè subalternari, cùm sua principia non accipiant ab illa, nec similiter eorum euidentiam, cùm eâ careat, & nemo det alteri quod non habet; sed vt nostra Theologia est certior aliis conclusionibus solo naturæ lumine cognitis, ita etiam potest earum aliquibus maiorem dare certitudinem, quàm solum naturæ lumen ostendat illis inesse.

Addidi in nostra propositione hanc particulam, *loquendo propriè*, quia licet nulla ex conditionibus requisitis ad veram subalternationem reperiatur in nostra Theologia, vt comparatur cum aliqua

I. scientia Dei & beatorum, si quæ enim esset, ea maximè, quâ finis scientiæ subalternatæ est sub fine subalternantis & subalternans vtitur subalternatâ ad consequendũ finẽ suum proprium (sicut ars frenofactoria est subalternata equestri) hoc autẽ modo Theologia nostra nõ est adhuc subalternata scientiæ Dei vel beatorum, cùm enim istæ scientiæ loquendo propriè nullum habeant finem, sed sint fines quidam vltimi, non possunt vti nostrâ Theologiâ vel eam ordinare pro fine suo vlteriore cõsequendo: attamen sumẽdo nomen subalternationis in significatione tantùm valde ampla & metaphorica, nimirum pro quadam analogia ad veram subalternationem, possumus dicere Theologiã nostrã esse prædictæ scientiæ Dei,
II. & beatorum subalternam, quatenus procedit ex principiis in superiori scientia Dei, & beatorũ clarè cognitis, scilicet ex propositionibus immediatè reuelatis, quas vt Deus perfectè sciret, debuit clarè & euidenter cognoscere, conformiter ad illud S. Ioan. de Christo Domino cap. 1. *veritas per Iesum Christum facta est, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis*, & hoc tantùm sensu S. Thomas hîc art. 2. voluit nostram Theologiam esse subalternatam scientiæ Dei & beatorum, vt indicat exemplum quo ibi vtitur, imò non est vsus nomine subalternantis, sed tantùm *superioris*: quare sicut Musica in eo homine, qui tantùm per fidem nouit principia illius ob auctoritatem Arithmetici (quod est exemplum S. Th.) non est propriè scientia & multò minus subalternata
III. Arithmeticæ, sic nec nostra Theologia subalternatur scientiæ diuinæ.

ARTICVLVS II.

Quadam consectaria ex doctrina præcedentis articuli traduntur.

EX hactenus dictis sequitur quòd cùm nostra Theologia possit considerari duobus modis, primùm *formaliter*, seu vt est propriè aliquis habitus deductiuus conclusionum ex principiis, seu propositionibus à Deo reuelatis, vt fide infusâ creditis: secundò *materialiter*, seu vt est tantùm quædam cognitio veritatum, quibus tamen assensus non præbetur, prout illæ innituntur prædictis suis principiis
IV. tanquam fide diuinâ creditis: sequitur inquam Theologiam nostram priori modo consideratam non remanere in patria, seu in beatis, nec item in damnatis, & hæreticis quoad illas veritates Theologicas, quas dum essent Catholici didicerunt, nec adhuc negant.

Prior pars corollarij probatur: vt aliquis habitus dicatur remanere *formaliter*, & iuxta præcisum & formalem conceptum, debet & illud cui intrinsecè & essentialiter innititur, & à quo intrinsecè, & essentialiter dependet remanere; nihil enim potest esse sine eo quod est sibi intrinsecum & essentiale, sed habitus nostræ Theologiæ formaliter spectatus innititur essentialiter diuinæ fidei infusæ, & sic ab illa dependet; cùm vt sic formaliter sit habitus cognoscitiuus conclusionum, per discursum deductarum ex creditis & obscu-

A rè reuelatis à Deo, fides autem non remaneat in beatis: igitur nostra Theologia præcisè & formaliter sumpta non remanet in patria seu beatis: & hæc ratio idem probat de damnatis Christianis olim Theologis, quippe diuina fides infusa in illis non remanet, vt ex professo docetur secundâ secundæ sancti Thomæ. Econtrariò verò quia fides diuina manet in iis qui sunt in Purgatorio, qui ex illis eam sibi compararunt in via, nec ante mortem sunt obliti, illam *formaliter* spectatam adhuc ibi retinent: & hoc est verum non tantùm de Theologia, vt est in nobis viatoribus, sed etiam vt spectatur secundùm se & iuxta propriam suam naturam; vnius enim & eiusdem habitus duæ non dantur essentialiter V.
B differentiæ oppositæ, quales sunt *esse euidens & esse ineuidens* comparatione habituum cognoscitiuorum. VI.

Neque hîc obstat illud S. Hieron. in epistola *ad Paulinum: discamus in terris quorum scientia perseuerat in cœlo*: id enim intelligitur de rebus cognitis per intelligentiam sacrarum Scripturarum, quæ nos beatificant in patria, quatenus imperfecta illa cognitio quæ etiam cum fructu habetur de illis, est aliqua inchoatio vitæ æternæ; nam de hac scientia sic præmittit: *Nonne tibi videtur iam hîc in terris, regni cœlestis habitaculum*: at nos hîc loquimur de Theologia secundùm modum illum, quo suas conclusiones colligit ex vna aut ex duabus præmissis de fide.

Posterior autem pars eiusdem corollarij probatur: quamdiu species repræsentatiuæ
C conclusionum, anteà cognitarum manent in intellectu, tandiu habitualis cognitio illarum manet, & intellectus vtens illis efformat cognitionem de illis: sed species repræsentatiuæ veritatum Theologicarum manent in intellectu beatorum, qui nostram Theologiam aliquando didicerunt in terris, nec ante mortem sunt illam obliti, & hæc cognitio in illis non est formaliter Theologica, quia non præbent assensum istis propositionibus ob virtualem reuelationem, seu vt sunt deductæ ex immediatè reuelatis à Deo: igitur &c. VII.

Maior patet ex eo quòd recordatio sic formatur, & intellectus noster etiam in altera vita potest recordari rerum anteà in præsenti vita cognitarum, vt patet ex dicto Abrahæ ad diuitem Epulonem in Euangelio.

D Minor probatur, quia species eiusmodi nihil habent in beato, ratione cuius destruantur, vel desinant esse, & in illo conseruari, hoc enim esset vel illarum subiectum, vel diuina fides, à qua hæc cognitio dependet, vel ipse status beatitudinis; at ex nullo istorum capitum destruuntur, aut esse desinunt. Non ex primo, quia illud est incorruptibile, nimirum intellectus: non ex secundo, quia sicut cognitio quæ tunc habetur per illas est independens à fide diuina, sic etiam & eiusmodi species huic cognitioni inseruientes, & qui illis vtitur, nullum elicit assensum formaliter & propriè Theologicum, sed tantùm cognoscit istas veritates vi talis connexionis cum his & istis principiis fide diuinâ à nobis perceptis rectè deduci, & assensum illis datum à viatore esse rectum, & conformem, & istas conclusiones esse Theologicas & veras, VIII.

I. quod non magis repugnat statui beatorum, A quàm repugnet beatam animam Christi Domini cognoscere assensum illum, quem eis præbemus in via esse verè Theologicum, & illum quem præbemus rebus immediatè reuelatis à Deo esse diuinæ fidei, non etiam species istæ, & cognitio illis correspondens destruuntur, vel esse desinunt ex tertio capite assignato, scilicet ex statu beatitudinis, quia si quid posset assignari, esset obscuritas & ineuidentia, at neutrum istorum propriè reperitur in tali actu beatorum, vel etiam in ipso quasi habitu recordationis rei per Theologiam cognitæ, sed duntaxat in actu & habitu verè propriè & formaliter Theologico.

II. Et hæc ratio sic explicata ostendit Theologiam illam, quâ Christus Dominus adhuc viator vtebatur in Euangelio non fuisse *formaliter*, sed tantùm *materialiter* eandem cum nostra; tum quia nostra innititur diuinâ fide, & habet pro formali motiuo sui assensus virtualem reuelationem diuinam, obscuram & ineuidentem; at in Christo Domino etiam viatore diuina & infusa fides locum non habuit, nec item aliqua ineuidens & obscura cognitio; hoc enim vtrumque repugnabat eius perfectioni, vt Theologi ex professo docent tertiâ parte; tum etiam quia in discursu verè & formaliter Theologico duæ dantur cognitiones, quarum prior est causa posterioris, sicque Theologus illam sibi comparat; at Christus Dominus nullam scientiam exceptâ experimentali comparauit sibi per actus proprios, sed illas omnes habuit à Deo infusas, vt ibidem Theologi docent; nec discursus mentalis propriè dictus habuit locum in illo, vt ex professo ostendimus tertiâ parte agendo de scientia per se infusa eius animæ, ad quæstionem II. vnde nostra Theologia alio modo est in Christo Domino, & aliis beatis, & alio in Theologis viatoribus per hæresim deficientibus; in his enim actualis Theologica cognitio habet veram rationem veri, & propriè dicti discursus, quam non habet in Christo Domino & beatis, quia non mouentur ad assensum conclusionum ex illa virtuali diuina reuelatione formaliter considerata, quâ huiusmodi conclusiones continentur implicitè in suis præmissis, vt diuinâ fide creditis.

III.

IV.

DISPVTATIO IV. V.

De vnitate Theologiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sit formalis ratio vnitatis in nostra Theologia.

NOTANDVM est primò, in habitibus iudicatiuis quales sunt habitus scientifici & discursiui, duplicem distingui rationem formalem; prior dicitur formalis ratio *sub qua*, VI.
B quæ nihil est aliud, quàm ipsa scibilitas, vt philosophi vocant, seu ratio *sub qua* obiectum terminat scientiam; sic verbi gratiâ, abstractio à materia singulari dicitur à philosophis ratio *sub qua* ipsius scientiæ physicæ, posterior vocatur formalis ratio *per quam*, & hæc nihil est aliud, quàm ipsum motiuum, seu medium, ratione cuius noster intellectus assentitur conclusioni: inter has autem formales rationes istud est discrimen, quòd prior latiùs pateat, est enim vna tantùm in aliqua totali scientia, vt patet exemplo nunc allato, posterior verò minimè, sed alia atque alia & multiplex pro diuersitate mediorum, quæ assumuntur ad probandum.

Secundò notandum est, in iisdem habitibus perfectam vnitatem desumi ex ipso motiuo, seu medio & ratione per quam fit, vt intelle-
C ctus assentiatur cóclusioni, quatenus nimirum VII.
talis ratio *propter quam*, seu *per quam*, côiungitur rationi *sub qua*; quemadmodû Ochamus qu. 8. *in prolog. sentent.* Gabriel ibid. & post illos Conimbricenses, & plures alij benè docent in libris *posteriorum*; & breuiter probatur eodem modo seruatâ proportione: habitus iudicatiui sunt quid vnum inter se vel distinguuntur à se inuicem, quo actus per quos generantur sunt quid vnû inter se, vel distinguuntur à se inuicem, quia habitus tendunt in sua obiecta per eandem rationem formalem, per quam & ipsi eorum actus tendunt in illa, sed actus iudicatiui, seu ipsa iudicia sunt vnum inter se, vel distinguuntur à se inuicem per ipsam rationem assentiendi, seu per ipsum medium, vt est idem medium vel distinctum, vt omnes facilè agnoscunt: ergo cùm habitus scientifici sint lo- VIII.
D quendo propriè iudicatiui, nam singuli actus illorum sunt propriè quædam iudicia, vnitas etiam & distinctio illorum debet peti ab vnitate & distinctione motiui ad assentiendum cum eadem ratione formali *sub qua*.

Addo hanc particulam, *cum eadem formali ratione sub qua*, nam quoad hoc est distinctio inter potentias & habitus discursiuo, quòd illæ & alia non iudicatiua, seu etiam discursiua accipiant rationem suæ vnitatis & specificationis à sola illa ratione sub qua tendunt in sua obiecta, quia tunc in illis ratio *sub qua*, & ratio *per quam* coincidunt in vnum; at in prædictis habitibus quia datur quædam distinctio inter istas duas rationes, fit, vt tota & adæquata ratio talis vnitatis includat rationem *sub qua*, & rationem *per quam*; ita tamen vt ratio *sub qua* prout habet sub se varias rationes *per quam* respectu diuersarum cóclusionum, det tali ha-

I. bitui aliquam vnitatem magis vniuersalem; ratio verò *per quam* magis specificam.

His præmissis, sit hæc nostra propositio. *Reuelatio virtualis seu mediata est formalis ratio vnitatis, quæ est in tota nostra Theologia:* ita S. Thomas hîc art. 3. & omnes communiter. Probatur: illud quod in habitibus iudicatiuis, & discursiuis est medium proprium ad assentiendum conclusionibus, est formalis ratio vnitatis illorum, vt nunc probatum est; sed reuelatio virtualis seu mediata est proprium medium toti Theologiæ ad assentiendum suis conclusionibus: quia aliqua conclusio est in tantum propriè Theologica, in quantum est mediatè reuelata, seu in quantum mediante discursu deducitur ex aliqua propositione de fide, & assensus præbetur ei cum connexione cum propositione de fide, &
II. B sic est virtualiter seu mediatè reuelata: ergo virtualis reuelatio seu mediata est formalis ratio vnitatis, quæ est in tota Theologia.

Addidi in propositione hanc particulam, *virtualis seu mediata*; nam diuina reuelatio potest considerari duobus modis: primò, *incomplexè*, nudè, simpliciter, & solitariè, nimirum vt est reuelatio Dei nulli alteri propositioni coniuncta, verbi gratiâ, hæc propositio, Christus Dominus est homo, & secundùm hanc considerationem est formalis ratio diuinæ seu infusæ fidei: secundò, diuina reuelatio potest considerari *complexè*, id est quatenus cõiungitur alicui propositioni, siue reuelatæ à Deo, siue non reuelatæ, seu naturali, & vt ex tali coniunctione cum altera illa propositione, fundat aliquam veritatem, id
III. C est quatenus vt sic coniuncta est radix eliciendæ alicuius conclusionis; verbi gratiâ, quando hæc prædicta propositio, Christus Dominus est homo, coniungitur isti, omnis homo est risibilis, fundat nobis hanc veritatem: ergo Christus Dominus est risibilis, sic Theologicè ratiocinando, omnis homo est risibilis, sed Christus Dominus est homo: ergo Christus Dominus est risibilis; iam diuina reuelatio considerata tantùm hoc *posteriori modo*, est formalis ratio vnitatis illius, quæ est in tota nostra Theologia; quod sic patet, diuina reuelatio debet esse eo modo formalis ratio illius vnitatis, quæ est in tota Theologia, quomodo est in illa motiuum seu medium ad assentiendum eius conclusionibus, vt intelligitur ex præmisso, & probato notabili nostro
IV. D secundo: atqui diuina reuelatio est tale medium in tota nostra Theologia, prout dumtaxat sumitur *complexè*, hoc enim solo modo iudicium eius de suis conclusionibus est propriè discursiuum, quia secundùm Dialecticos iudicium discursiuum consistit in ea compositione seu coniunctione vnius propositionis cum alia, quâ vnum colligitur ex alio, id est, conclusio ex coniunctione vnius præmissæ cum alia: ergo diuina reuelatio est tantùm formalis ratio illius vnitatis, quæ est in tota Theologia, quatenus hæc diuina reuelatio sumitur *complexè*.

Confirmatur, quia quodlibet suâ formali, & propriâ vnitate est distinctum à quouis alio, est enim vnum, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: at nostra Theologia per hanc diuinam reuelationem vt *complexè* sumptam, distinguitur ab omnibus aliis

A habitibus iudicatiuis & discursiuis, & facilè patet inductione. V.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obicies primò: formalis ratio, quæ est rei alicuius constitutiua, debet ei esse intrinseca, & conuenire ei intrinsecè: diuina autem reuelatio conuenit tantùm extrinsecè nostræ Theologiæ: ergo.

Respondetur, in habitibus, & potentiis hæc duo distingui; id vnde & per habitudinem ad quod scientiæ, & potentiæ accipiunt suam vnitatem formalem suámque specificationem, & id quod est ipsamet entitas talis habitus, vel potentiæ etiam considerata formaliter & specificè: non est necesse primum VI.
entitatiuè & formaliter consideratum, esse aliquid *intrinsecè inexistens* ipsis habitibus, vel potentiis; sed vt istud det illis vnitatem, & specificationem, sufficit, quòd ordo & habitudo ad hæc, & ista obiecta sic considerata insit formaliter in ipsis habitibus & potentiis: nam ipsum visibile, vel coloratum, quod dat vnitatem, & specificationem potentiæ visiuæ, item esse à Deo obscurè reuelatum, non inest formaliter, & intrinsecè ipsi potentiæ visiuæ, vel ipsi habitui diuinæ fidei, sed ipsa habitudo quam visus habet ad coloratum, & diuina fides ad veritatem, vt immediatè & obscurè à Deo reuelatam, & credendam ob solam auctoritatem Dei primæ veritatis in dicendo, dat vnitatem & specificationem in- VII.
trinsecam ipsi potentiæ visiuæ, & diuinæ fidei, similiter licet virtualis reuelatio diuina formaliter, & præcisè sumpta sit aliquid extrinsecum entitati habitus nostræ Theologiæ; quia tamen illa habitudo, quâ nostra Theologia respicit talem reuelationem, est ei intrinseca, hæc virtualis & mediata diuina reuelatio non desinit esse formalis ratio vnitatis illius, quæ est in tota nostra Theologia.

Obiicies secundò: licet omnes scientiæ naturales deducant suas conclusiones mediante eodem lumine naturali, non tamen accipiunt suam vnitatem formalem ab illo: ergo quamuis nostra Theologia deducat suas conclusiones mediante diuinâ reuelatione, non propterea tamen virtualis seu mediata reuelatio diuina erit formalis ratio vnitatis, quæ est in tota nostra Theologia. VIII.

Respondeo quòd alio modo lumen naturale sese habet in omnibus sciẽtiis naturalibus, & alio modo virtualis diuina reuelatio in nostra Theologia: lumen naturale in istis scientiis sese tantùm tenet ex parte intellectiuę potentiæ, quatenus reddit illam in ratione principij elicitiui potentem percipere obiectum; vnde cùm vnitas, & specificatio habituum non petatur à principiis elicitiuis actuum illorum, vnitas illa luminis naturalis, quæ est in intellectu comparatione omnium scientiarum naturalium, non faciet, vt omnes illæ naturales scientiæ sint vnica tantùm scientia: virtualis autẽ seu mediata reuelatio in nostra Theologia, non se tenet ex parte potentiæ, sed tantùm ex parte obiecti, & medij ad assentiendum conclusioni, vt explicatum est suprà: vnde cùm vnitas & specificatio habi-

I. tuum iudicatiuorum & discursiuorum peta- A
tur ab istis, vt probatum est, & in scientiis na-
turalibus varia, & non tantùm specie, sed et-
iam genere reperiantur distincta motiua; in
nostra autem Theologia vnicum, scilicet vir-
tualis reuelatio diuina, omnes scientiæ natu-
rales non erunt vna scientia, quemadmodum
nostra Theologia est vna.

Obiicies tertiò: si Deus reuelaret alicui
omnes scientias naturales, earúmque con-
clusiones, ista diuiná reuelatio non faceret, vt
omnes illæ scientiæ naturales essent vna tan-
tùm scientia, sed quia essent infusæ duntaxat
per accidens, essent vnius, & eiusdem ratio-
nis, & speciei, ac nunc sunt, quando acqui-
runtur ab hominibus: ergo pari iure illa vir-
tualis reuelatio diuina omnium conclusio-
num totius Theologiæ non erit formalis ra-
II. tio illius vnitatis, quæ reperitur in tota B
Theologia.

Respondeo, quòd quia talis infusio natu-
ralium scientiarum pertinet tantùm ad mo-
dum, quo illæ acquiruntur, & non ad mo-
dum, quo operantur, seu quo intellectus illis
instructus mouetur ad assentiendum veritati-
bus istarum scientiarum; & quia scientia, &
habitus iudicatiui non accipiunt suam vnita-
tem, & specificationem à modo illo, quo ac-
quiruntur, sed à modo sub quo tendunt in sua
obiecta, & à motiuo propter quod assentiun-
tur conclusionibus: & in hypothesi obiectio-
nis, qui habet scientias naturales sibi à Deo
infusas, non ideò dat assensum illarum con-
clusionibus, quia Deus eas sibi reuelauit, sed
propter propria, & intrinseca eorum motiua,
III. quæ ostendunt necessariam connexionem at- C
tributi cum subiecto, sicut contingit in aliis
hominibus, qui istas scientias proprio suo la-
bore sibi compararunt, fit, vt omnes tales
scientiæ etiam à Deo infusæ nunquam con-
fluerent in vnam tantùm scientiã, sed semper
essent diuersę & diuersæ, sicut & illarũ motiua
ad assentiẽdum, cum ipsa illarum formali ra-
tione, sub qua sunt diuersa & diuersa specie.

ARTICVLVS III.

Quâ vnitate tota nostra Theologia sit vna.

NOTANDVM est assensus circa conclu-
siones verè Theologicas esse in duplici
differentia: alij enim sunt circa conclusiones,
IV. quæ deducuntur ex duabus præmissis de fide; D
verbi gratiâ, assensus iste, Christus Dominus
liberum habet arbitrium, sic, omnis homo ha-
bet liberum arbitrium, sed Christus D. est ho-
mo: ergo Christus D. habet liberũ arbitrium;
alij verò assensus sunt circa conclusiones quæ
deducũtur ex vna tantùm præmissa de fide, &
ex altera tantùm naturali; vt iste, Christus D.
est risibilis, sic, omnis homo est risibilis, Chri-
stus D. est homo: ergo Christus D. est risibi-
lis: hoc prænotato sensus præsentis articuli est;
an duo isti assensus sint eiusdem speciei, & ab
vno, & eodem habitu; an verò sint à distin-
ctis, qui tamen omnes simul sumpti faciant to-
tam Theologiam vnam aliquo modo.

Duæ sunt hac de re sententiæ: vna affirmans,
quam discipuli sancti Thomæ communiter se-
quuntur hâc quæstione.

Melior tamẽ est sententia negans, quam lo-
co nostræ propositionis ponimus, & est Ocha- V.
mi, Gabrielis quæst. 8. *in prologum sententiarum*,
& plurium recentiorum, hâc quæst. S. Tho-
mæ. Et quoniam inter nos, & auctores prioris
sententiæ conuenit vnitatem habituum, & as-
sensuũ peti ab vnitate motiui seu ratione as-
sentiendi, conuenit etiã virtualem reuelatio-
nem esse formale hoc motiuum in assensibus
verè Theologicis, & totum, & adæquatum in
illis, qui deducuntur ex duabus præmissis de
fide; tantúmque inter nos, & illos controuer-
titur, an sola illa virtualis reuelatio, quæ repe-
ritur in syllogismo Theologico constante vnâ
præmissâ de fide, & alterâ naturali, sit adęqua-
tum motiuum assentiendi illis; an verò dun-
taxat inadæquatum, & proinde vt coalescens
etiam ex naturali dicta propositione distinctũ
essentialiter à priori, vt constante solâ virtua-
li reuelatione nos ita esse probamus. VI.

Illud in omni syllogismo est verè & propriè
adæquatum motiuum à quo assensus conclu-
sionis syllogisticæ totus, & totaliter causatur,
& illud est motiuum duntaxat inadæquatum,
quod non nisi altero sibi coniuncto etiam, vt
causante facit assensum conclusionis: sic enim
totum formale motiuum coalescit ex duo-
bus; sed in Theologico syllogismo constante
vnâ præmissâ de fide, & alterâ tantùm natu-
rali assensus non est totus, & totaliter ab illa
propositione, quæ est de fide, sed est etiam à
propositione naturali, vt concausante illum
cum altera præmissa, quæ est de fide per mu-
tuam inter se connexioné: ergo in illis Theo-
logicis syllogismis, quorum vna præmissa est
de fide, & altera tantùm naturalis, diuina vir-
tualis reuelatio sola non est adæquatum mo- VII.
tiuum assensus conclusionis, sed duntaxat in-
adæquatum, & adæquatum illud motiuum
coalescit ex illa virtuali reuelatione, & natu-
rali propositione ei coniuncta. Maior propo-
sitio est satis euidens ex se.

Minor probatur: omnis assensus conclusio-
nis veræ syllogisticæ, & discursiuæ causatur nõ
ab vna tantùm, sed ab vtraque simul pręmissa,
sicut post Aristotelem lib. 1. *poster.* cap. 1. om-
nes Dialectici communiter docent: atqui as-
sensus conclusionis syllogismorum Theolo-
gicorũ, in quibus vna est de fide, & altera na-
turalis est syllogisticus, & propriè discursiuus;
causatur enim ex connexione vtriusque præ-
missæ inter se, & medij cum ipsis extremis;
igitur talis assensus conclusionis Theologicæ
est ab vtraque præmissa, nimirum & natura-
li, & de fide, & ex consequenti sola virtua- VIII.
lis diuina reuelatio non est adæquatum mo-
tiuum talis assensus.

Neque potest afferri aliqua disparitas syllo-
gismi verè Theologici à syllogismo purè na-
turali, ratione cuius vna propositio sit tan-
tùm conditio, & quasi applicatio alterius in
Theologico, & in purè naturali; sic etiam
causa assensus conclusionis cum altera sua
præmissa: nam in syllogismo verè Theologi-
co tam benè ambæ illæ præmissæ connectun-
tur inter se, & ex illis, vt inter se connexis ip-
se assensus conclusionis causatur, quàm am-
bæ præmissæ in syllogismo purè naturali: er-
go quemadmodum in hoc vna præmissa non
est tantùm applicatiua alterius ad causandum
assensum, sed est etiam verè causatiua illius,
sic etiam & propositio naturalis, quæ poni-

I. tur in syllogismo Theologico, non est tantùm applicatiua propositionis de fide ad causandum assensum, sed est etiam causatiua istius assensus, quod ostenditur hoc exemplo. Hæc conclusio est verè Theologica; Christus D. est risibilis, non ideò præcisè, & hoc solo titulo intellectus Theologi assentitur ei, quia assẽtitur huic ex eius præmissis, Christus D. est homo, quæ est de fide, sed etiam quia assentitur huic alteri, omnis homo est risibilis, nimirũ ob naturalem connexionem, quæ est inter esse hominem & esse risibilem, nisi enim penetraret talem connexionem, non daret assensum prædictæ conclusioni Theologicæ: ergo totum & adæquatum motiuum prædicti assensus Theologici non est sola virtualis diuina reuelatio, sed est totum illius, quod coalescit ex duabus illis præmissis sic inter se connexis.

Confirmatur: illud in quolibet syllogismo
II. est tota, & adæquata causa assensus in conclusionem eius, quod est tota causa certitudinis illius, quia certitudo sequitur conditionem motiui; atqui causa tota certitudinis, quæ est in assensu conclusionis Theologicæ, non est sola eius præmissa de fide, sed etiam & altera quæ est tantùm naturalis, sic enim hæc certitudo, vt proueniens ab his duabus præmissis est maior eâ certitudine quæ est purè naturalis, & inferior eâ certitudine quæ est solius fidei, quod totũ habet solummodò à tali coniunctione vnius præmissę naturalis cum altera præmissa quæ est de fide; igitur totale motiuũ assentiendi conclusioni istorum syllogismorũ Theologicorum, qui constãt tantùm vnâ de fide, & alterâ tantùm naturali, non est sola illa propositio de fide seu virtualis diuina reuela-
III. tio, sed vtraque præmissa seu totum aggregatum ex vna præmissa de fide, & alterâ purè naturali, vt inter se connexis.

Iam præmisâ totâ hâc probatione, quâ euicimus totam & adæquatam causam assensus in prædictas conclusiones Theologicas, esse vtramque præmissam simul sumptam; facilè ostenditur distinctio specifica assensuum circa istas conclusiones Theologicas, ab illis quarũ præmissæ sunt ambæ de fide. Probatur hoc modo: vbi ratio assentiendi aliquibus conclusionibus est distincta specie, ibi & assensus sunt specie distincti, vt intelligitur ex dictis: atqui in syllogismis Theologicis constantibus vtrâque præmissâ de fide, tota ratio assentiendi est sola virtualis diuina reuelatio cõtenta in vtraque præmissa; in illis verò syllogismis qui con-
IV. stant vnâ de fide, & alterâ naturali, tota ratio assentiẽdi est ipsum aggregatũ ex virtuali reuelatione diuina, & naturali ratione simul inter se connexis, vt iam probatum est, & hoc aggregatũ in ratione motiui est distinctum specie ab illo motiuo quod est tantùm diuina reuelatio, quia quælibet formalis diuersitas ex parte ipsius motiui sufficit ad illud diuersificandum etiam specie, & in præsenti casu propositio naturalis quæ ingreditur totum & adæquatũ istud motiuum, est alia & diuersa etiã specie à propositionibus fidei, quæ solæ constituunt adæquatum motiuum assensus conclusionum syllogismorum Theologicorũ, qui sunt ex duabus de fide: ergo assensus in conclusionem syllogismi ex vna de fide, & altera naturali est distinctæ speciei ab assensu in conclusionem syllogismi ex duabus de fide.

A

ARTICVLVS IV. V.

Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ, & traduntur quædam corollaria.

OBIICITVR: omnes illi assensus qui vnum & idẽ specie habent motiuũ, seu eandem specie rationẽ assentiendi suis cõclusionibus, sunt eiusdem omninò speciei, vt patet ex dictis initio præcedẽtis articuli: sed omnes isti assensus Theologici vtriusq; generis habent idem specie motiuum, seu eandem specie rationem assentiẽdi suis conclusionibus, nimirũ virtualem, & mediatã reuelationẽ diuinã. De priori genere assensuũ conuenit inter omnes, de posteriori probatur: naturalis illa propositio quę adhibetur discursui Theologico, iuxta posteriorẽ modum nõ adhibetur ei, tanquã motiuũ
B seu ratio assentiẽdi etiã partialis, sed solum ve-
lut applicatio; at omnis applicatio est tantùm VI.
quædam conditio requisita ad agẽdum, nullo modo diuersificans specie actionem: ergo nec naturalis illa propositio, quæ in syllogismo Theologico admiscetur alicui præmissæ de fide, faciet, vt assensus datus suæ conclusioni sit diuersæ speciei ab eo assensu in conclusionem istius syllogismi Theologici, qui constat duabus præmissis de fide.

Respondeo propositionem naturalem coniunctam propositioni de fide in syllogismo Theologico nõ se habere per modũ nudæ applicationis, sed per modũ cõcausę ipsius Theologici assensus, vt rationes superiori articulo allatæ probãt; aliàs enim omnes eiusmodi syllogismi non tã essent deductiui loquẽdo propriè, quã expositorij tantũ, & explicatiui, quod
C est cõtra cõmunem omniũ Scholast. sententiã. VII.

Neque his obstat auctoritas S. Thom. hîc art. 3. asserẽtis diuinã reuelationẽ esse formalẽ rationẽ vnitatis in Theologia; ibi enim tantùm loquitur de illa, prout versatur circa cõclusiones deductas, ex duabus præmissis de fide.

Neque itẽ obstat, quòd eadẽ virtualis diuina reuelatio assumatur in omnibus syllogismis Theologicis; ita enim assumitur eadem in illis omnibus, vt tamen cõnexio illius sit diuersa in diuersis syllogismis Theologicis. Vnde cũ totale motiuũ assensus cõsistat in ipsa cõnexione præmissarũ, & hæc connexio sit alia secundùm speciẽ, quando vna præmissa de fide coniungitur alteri naturali, quia scilicet vnum extremũ est alterius speciei, & aliter coniungitur, quãdo præmissæ sunt de fide, fit, vt remanente eâdem virtuali reuelatione assensus tamen
D conclusionum deductarum ex eiusmodi præ- VIII.
missis, sint semper distinctæ speciei.

Ex dictis hæc sequũtur corollaria. Primum, omnes illos assensus, qui sunt ex duabus præmissis de fide, esse eiusdẽ omninò speciei, & habitũ illis correspondentẽ esse etiã vnũ specie infimâ, quia scilicet habet idem specie infimâ motiuũ, intra quã tamẽ eandẽ speciẽ ita multi habitus numero distincti dantur, vt qui habet vnũ non propterea cẽseatur habere & alterũ, quia quilibet eorũ habet distinctã connexionẽ suæ cõclusionis ad virtualem reuelationẽ pro diuersitate rerũ, quæ per discursiuam connexionẽ cum illa virtuali reuelatione inferũtur, ratione cuius diuersę cõnexionis, ipsa virtualis reuelatio habet ordinẽ seu habitudinẽ specialẽ transcẽdentalem ad vnãquamq; rẽ in particulari, quæ ex tali cõnexione potest cognosci.

I. Secundum corollarium est, omnes illos assensus, qui sunt ex vna de fide, & ex altera naturali, distingui eodem modo à se inuicem specie, similiter & habitus illorum, quo naturales propositiones, quæ tunc coniunguntur alteri propositioni de fide, distinguuntur specie à se inuicem ob fundamentum superiori articulo allatum pro nostra propositione.

Tertium corollarium est, conclusiones immediatè deductas ex aliis conclusionibus Theologicis pertinere ad illum, eundémque specie habitum, ad quem illæ conclusiones ex quibus deducuntur pertinent; verbi gratiâ, si illæ sunt deductæ ex duabus de fide pertinebunt ad illum habitum, quem suprà diximus esse vnũ specie infimâ, si verò sint deductæ ex vna de fide & altera naturali, referẽtur ad illũ habitum, ad quẽ illa conclusio immediatè de-
II. ducta ex vna de fide & altera naturali pertinet, ob rationem ibi allatã agendo de tali assensu.

Quartum corollarium est assensus illos, qui sunt ex vna de fide, & altera tantùm probabili, non propriè loquẽdo, pertinere ad aliquem ex omnibus habitibus Theologiæ, eo modo, quo docuimus nostrã Theologiam esse reductitiè scientiam, quia habitus sic scientificus, ita est deductiuus suarum conclusionũ ex aliqua de fide, & alterâ naturali, vt ex certa connexione medij cum extremis, & præmissarum inter se, inferat certam conclusionem: at connexio illa, quæ est propositionis tantùm probabilis cum alia de fide, est duntaxat probabilis, sicut & propositio ei correspondens, cuius conditionem ipsa conclusio sequitur iuxta doctrinam Dialecticorum; & ita cùm opinio in-
III. cludat formidinem, scientia certitudinẽ & cõclusio deducta ex vna de fide, & altera tantùm probabili possit esse falsa, assensus ille & conclusiones eiusmodi nullo modo possunt (loquendo propriè) esse tales habitus Theologiæ, sed nihilominùs quemadmodum in aliis naturalibus scientiis assensus verè & formaliter opinatiui, quia procedunt ex principiis illis naturalibus, ex quibus procedũt & ij qui in eiusmodi scientiis sunt verè & propriè scientifici, & aliquo modo iisdem innituntur, & modum, quo totales scientiæ procedunt, imitantur, licet imperfectè (nimirum cùm incertitudine veritatis, & cum formidine falsitatis oppositæ tali veritati) reducuntur ad tales scientias naturales: sic etiam, quia assensus illi, qui sunt ex vna de fide, & altera tantùm pro-
IV. babili, item & habitus illorum imitantur modum verè & propriè dictæ Theologię; ideò tales omnes assensus, & eorum habitus reductitiè pertinebunt ad nostrã Theologiam, exempli gratiâ, iste syllogismus, & assensus in eius conclusionẽ: omnis hostia ritè, & debito modo, tam ex parte materiæ, formæ, ministri, intentionis eius, quàm reliquorum aliorũ ad id requisitorum consecrata, continet realiter verum, & reale Christi Domini corpus, sed hæc hostia per hunc sacerdotem est quoad omnia superiùs requisita ad validam consecrationẽ, ritè cõsecrata: ergo hæc hostia per hunc sacerdotẽ consecrata cõtinet verè & realiter, verũ & reale corpus Christi D. cuius syllogismi cõclusio est tantũ probabilis, nec in rigore *Theologica*, cùm connexio propositionis reuelatæ cum alia sit tantùm probabilis, & possit cõtingere, quòd ille consecrãs nõ sit verè sacerdos, vel si est talis, deficiat in aliquo alio ad eâdem consecrationem essentialiter requisito. V.

Quintum corollarium est, diuinam reuelationem sumptam vniuersaliter & secundùm se non dare eam vnitatẽ nostræ Theologiæ, quã illi adscribimus; sed reuelationẽ diuinã primò rectè diuidi in reuelationẽ factam obscurè & reuelationem factam clarè, hanc constituere visionem beatificam. Deinde reuelationẽ obscurè factam diuidi in immediatã & mediatam seu virtualem, hanc constituere Theologiam, istam verò fidem. Tertiò, reuelationem diuinam mediatam rectè diuidi in eam, ex qua aliquid deducitur per medium infallibile, & infallibilem connexionem, & in illam, ex qua aliquid deducitur per medium tantùm fallibile, istam constituere nostram Theologiam propriè dictam quæ est reductitiè sciẽtia, hanc verò dare vnitatẽ, & specificationem opinioni Theologicę, & habitui opinatiuo Theologię. VI.

Quæres cùm in Theologia adæquatè sumpta distinguamus tot habitus, non tantùm specie infimâ, sed etiã subalternâ distinctos, quomodo nostra Theologia, prout coalescit ex illis omnibus, est vna. Respondetur esse vnam vnitate tantùm artificiali secundùm quam ea, quæ ad entitatem sunt multa specie, attamen prout aliquam habent inter se vnionem artificialem faciũt aliquod totum; verbi gratiâ, variæ qualitates etiam distinctæ secundùm speciem debitâ tamẽ, & conueniẽti proportione dispositæ, faciũt vnam pulchritudinem; sic etiam plures habitus Theologici, non tantùm numero, sed etiã interdum specie distincti, faciunt vnam totã Theologiã, quæ dicitur, & est vna, quatenus omnes illi habitus simul sumpti, & inter se cõiuncti versantur circa totũ, & VII. adęquatũ ens deducibile per discursum ex reuelatis, cuius entis deducibilis partes singulas, singuli etiã habitus ingredientes compositionem totius, & adæquatæ Theologiæ, explicãt.

DISPVTATIO QVINTA.

De diuisione Theologiæ.

Articvlvs Primvs.

Quomodo Theologia diuiditur.

Sit hæc vnica nostra propositio. *Tres sunt veluti species Theologiæ, nimirum scholastica, positiua, & moralis.* ita communiter omnes hîc, & in prologũ VIII. sententiarum; probatur: species alicuius scientiæ, tot debẽt esse, quot sunt quę diuersimodè participãt formalem rationẽ obiecti illius, & quot simul sumptæ adæquant illam; sed tres illæ species enumeratæ participant veluti diuersimodè deducibilitatem per discursum ex reuelatis, quæ deducibilitas est formalis ratio obiecti Theologiæ, vt suprà docuimus, & tres illæ species simul sumptæ adæquant istam rationẽ: ergo scholastica, positiua, & moralis sunt veluti species totius nostræ Theologiæ sumptæ secundùm totam suam & adæquatam rationem. Maior ex se patet.

Minor probatur: conclusio deducibilis per discursum ex reuelatis & per connexionem ad illa, vel est proprius sensus alicuius loci sacræ Scripturæ inuestigandus ex collatione di-

I. uersorum locorum sacræ Scripturæ idiomatum, & ex Patrum sententia, & Theologia sic præcisè sumpta constituit membrum illud, quod vocant *positiuam Theologiam*, vel conclusio sic deducēda est aliqua propositio pertinens ad compositionem morum, aut ad obseruationem præceptorum Dei & Ecclesiæ, & sic formaliter cōsiderata constituit membrū illud, quod vulgò vocant *moralem Theologiam*, quæ tota occupatur in explicandis casibus conscientiæ: vel denique est aliqua conclusio ita per verū discursum eruenda ex propositionibus fidei, vt tamen accuratiùs, subtiliùs, & cum maiori Dialectica methodo & ordine deducatur, tam ad explicandam fidem, illam nutriendam in fidelibus, quàm ad eandem fortiùs propugnandam contra aduersarios fidei, vt S. Augustinus explicat lib. 14. *de Trinitate* cap. primo, & ad certò etiam co-
II. gnoscendum illas veritates, quæ delitescunt, & virtualiter continentur in ipsis principiis nostræ fidei; & sic *Scholastica Theologia* constituitur.

Prima ex istis tribus speciebus vocatur *positiua* à Latinis, à Græcis θετική, quasi *firma*, & *rata*, θέσις, apud Aristotelem significat sententiam firmam & ratam. Vnde lib. 2. *politicorum* capite 1. *leges* cuiusdam Philosophi vocat νόμους θετικούς leges fixas & ratas, quia igitur *positiua*, vt plurimùm, & vt consideratur præcisè secundùm proprium suum munus ea solùm explicat, quæ iam sunt posita in sacris Litteris, colligēdo ex antecedentibus, & consequentibus verum sensum illarum; fit, vt appelletur hoc nomine: cur autem secunda quasi species appelletur *moralis*, ipsum eius nomen
III. satis indicat, sicut & nomen quasi tertiæ speciei: nam apud Ciceronem secundo *de oratore*, ille qui est peritus, & subtilis appellatur homo *de schola*, & nomen hoc *scholasticus*, fuisse in hac significatione vsurpatum à S. Augustino lib. *de catechisandis rudibus*, & à S. Gregorio passim Durantus Præses obseruat lib. 2. *de ritibus Ecclesiasticis* cap. 32. numero 5.

Addidi in conclusione hanc particulam diminuentem *veluti*. Nam loquendo propriè istæ Theologiæ non differūt essentialiter, sed duntaxat accidentariò seu penes aliquem modum procedendi; omnes enim illæ nituntur iisdem principiis tanquam reuelatis, & per fidem cognitis, ideóque vbi illæ deducunt conclusionem ex duabus præmissis de fide, tunc efficiunt vnum & eundem specie infimâ ha-
IV. bitum. Vbi verò colligunt aliquid per verum discursum ex altera tantùm naturali; tunc iuxta ea, quæ superiori disput. tradidimus, pertinent ad habitus diuersos specie.

Addidi inter explicandum hanc particulam *veluti*, & loquēdo de principiis nostræ Theologiæ hunc terminum, *tanquam reuelatis & vt per fidem diuinam cognitis*. Si quis enim valdè exercitatus in rebus Theologicis incidat in hæresim, in qua perseueret, & quia non negat mysteriū Trinitatis, nec Incarnationis, deducat ex illis aliquā conclusionem Theologicam: verbi gratiâ, Christum Dominum esse risibilem, ex eo quòd est homo, & ex eo quòd dantur in illo duæ naturæ integræ diuina & humana, etiam in illo duas esse voluntates, diuinam, & humanam, non propterea tamen hæ conclusiones spectatæ secundùm quod eli-

A ciuntur à tali homine, erunt cognitiones propriè loquendo Theologicæ; nec ille habitus Theologiæ, quem ante suum lapsum in hæresim habuit perfectissimum, remanet in eo; sed simul cum fide perdidit talem habitum, & cognitionē istam, vt formaliter Theologicam, quemadmodum disput. 3. art. 2. ostendimus. V.

Nec obstat, quòd iste hæreticus procedat eâdem methodo in producendis istis veritatibus, quâ anteà; tunc enim, vt ibidem obseruauimus, hæc methodus est tantùm eadem materialiter, quatenus vtitur eâdem subtili, & accuratâ ratione procedendi; non est tamen eadem formaliter, quatenus non ex eodem formali motiuo, nec ex iisdem formaliter principiis, scilicet ex propositionibus, vt per veram fidem creditis, sed vt per huma-
B nam dumtaxat tunc ratiocinatur, & has conclusiones deducit, eodem planè modo seruatâ proportione: & fides illa, quæ in tali casu est in illo de omnibus illis veritatibus nostræ fidei, non est loquendo propriè nisi humana, & humano tantùm testimonio innixa, licet sit diuina ex obiecto suo materiali. VI.

Neque id obstat, quòd habitus supernaturalis fidei, & habitus veræ Theologiæ distinguantur realiter à se inuicem, cùm in plerisq; rusticis, in quibus nō est habitus nostræ Theologiæ habitus excellens diuinæ fidei reperiatur, vt S. Augustinus citato cap. 1. lib. 14. *de Trinitate* obseruat, & experientia docet: hoc inquam non obstat: nam & habitus charitatis, & spei distinguuntur realiter ab habitu diuinæ fidei, súntque in subiectis immediatis distinctis & nihilominùs, quia illi fundantur, & radicantur essentialiter in fide su-
C pernaturali secundùm illud Apostoli *ad Hebræos* vndecimo: *fides est substantia rerum sperandarum*: ad deperditionem diuinæ fidei, spes & charitas infusæ deperduntur, non obstante reali illâ distinctione, quam aliàs seruant inter se, non enim omnis deperditio vnius rei ad deperditionem alterius fundatur in reali identitate cum illa, sed etiam in sola essentiali dependentia vnius ab alia, vt etiam videre est in correlatis. VII.

ARTICVLVS II.

Soluitur obiectio, aduersus doctrinam superioris articuli, ostendit úrque quomodo habitus Theologiæ sit supernaturalis.

D OBIICIES hinc sequi habitum Theologiæ esse supernaturalem per se, seu quoad entitatem, & esse infusum per se, non autem acquisitum, quod tamen repugnat experientiæ; quâ videmus plerosque magno labore, industriâ, & frequenti exercitio euadere insignes Theologos: quòd autē id sequatur, probatur: quidquid pendet necessariò per se & essentialiter tam in suo esse, quàm in suo produci, & habet habitudinem transcendentalem ad aliquid essentialiter supernaturale, tanquam ad formalem rationem constitutiuam sui, illud est intrinsecè, & essentialiter supernaturale, quoad suam substantiā & entitatem: hæc enim omnia respiciunt substantiam rei. Sed habitus Theologiæ & eius assensus pendent necessariò per se, & essentialiter ab habitu diuinæ fidei, & eius assensu; VIII.

I. tam in suo esse, quàm in suo fieri, quia non potest esse hic habitus, nisi vbi est diuina fides, nec eius assensus, nisi vbi est assensus diuinæ fidei circa propositionem reuelatam, quæ ponitur in eius syllogismo, habet item habitudines transcendentales velut ad formalem rationem sui ipsius, quia formale motiuum eius, & formalis ratio eius vnitatis est diuina reuelatio ex dictis suprà: igitur habitus nostræ Theologiæ est supernaturalis secundùm suam entitatem, & ex consequenti infusus per se, cùm illud propriè sit infusum per se, quod ex natura sua, & ex vi suæ entitatis postulat produci à Deo tanquam supernaturali agente, quatenus inter causas naturales, nulla datur quæ sit apta nata illud producere.

Respondetur primò, non deesse qui totum
II. admittant ob rationes datas in hac obiectione, & eo quòd assensus in præmissas de fide influat etiam efficienter in ipsum assensum conclusionis Theologicæ, & proinde non esse dumtaxat supernaturalem quoad modum.

Verùm nobis non probatur hæc sententia, sed existimamus habitum Theologiæ consideratum ratione sui fundamenti & radicis esse supernaturalem: at consideratum formaliter & in se esse substantialiter naturalem & acquisitum; vnde est potiùs aliquid medium inter ens naturale, & ens supernaturale, quatenus participat aliquid de vtroque. Attamen loquendo simpliciter est habitus naturalis, & sanctus Thomas ita videtur sentire, quando hac quæstione articulo sexto, in solutione ad tertium ait, nostram Theologiam
III. esse doctrinam, quæ habetur per studium, licet eius principia ex reuelatione habeantur; hâc enim posteriori particulâ asserit illam esse tantùm radicaliter & fundamentaliter supernaturalem, priori verò esse habitum per se acquisitum: & huius nostræ responsionis prior pars est certa apud omnes; nam habitus nostræ Theologiæ fundatur in assensu diuinæ fidei, cùm eius formale motiuum sit virtualis diuina reuelatio, & articuli nostræ fidei sint eius principia, vt patet ex dictis.

Posterior item pars eius probatur. Habitus ille est entitatiuè, & quoad suam substantiam simpliciter naturalis & acquisitus, qui actibus naturalis potentiæ agentis ex vi naturali, & modo etiam naturali producitur, sed habitus nostræ Theologiæ sic producitur;
IV. nam primò acquiritur studio, & frequenti repetitione actuum Theologicorum, vt sanctus Thomas relatus, & ipsa experientia docet; nec tales actus sunt tantùm quoad dispositiones, ad quas Deus infundat talem habitum; nam essent vel morales, vel meritoriæ, quatenus Deus, vt talem habitum infundat, prærequirit eiusmodi actus, vt meritorios, vel essent physicæ dispositiones; primum dici nequit, quia fidelis constitutus in peccato mortali exercendo tales actus non desinit illum acquirere: secundum etiam dici non potest, quia tale studium est ordinis inferioris, & habitus per se infusus non postulat ex sua naturali cõditione, sed ex quadam tantùm decentia aliquas dispositiones, quæ etiam sint eiusdem ordinis cum illo: & si Theologia esset habitus per se infusus, cùm radicetur in habitu fidei supernaturalis, quicumque accipit

A incrementum fidei, deberet consequenter accipere habitum Theologiæ, vel aliquod eius incrementum; quod tamen est falsu n: sanctus enim Augustinus citato loco, ait inter fideles multos pollere magnâ fide qui tamen non pollent hâc doctrinâ. V.

Deinde quòd iste habitus producatur actibus intellectus, tanquam potentiæ naturalis, vt agentis ex efficacia naturali, & modo etiam naturali probatur; tunc aliqua potentia agit ex viribus suæ naturæ, & vt sic producit habitus proportionatos suis actibus, quando est completa in ratione principij: sic enim habet in se ipsa quidquid requiritur ex parte eius ad rationem causæ efficientis comparatione talis effectus; sed intellectus hominis Catholici absque alio sibi superaddito auxilio specialis gratiæ remanens intra suos limi-
B tes, vtens tamen humanâ industriâ & labore, VI.
acquirit sibi habitum nostræ Theologiæ, licet sit constitutus in peccato mortali.

Nec obstat, quòd habitus diuinæ fidei, qui est entitatiuè supernaturalis, & aliquis eius assensus præsupponantur ei; nam hæc distinguuntur, (præsupponi ad aliud, ingredi eius essentiam, eique dare formale esse talis entitatis) vt patet in intellectu & intellectione, quæ essentialiter præsupponũtur ad voluntatem & volitionem, nec tamen pertinent intrinsecè & essentialiter ad illas: ergo quemadmodum voluntas nonobstante istâ præsuppositione est completa potentia ad suos actus, eósque & habitus illis correspondentes producit vi & modo sibi naturali; sic etiam & intellectus Catholici non obstante illâ præsup-
C positione fidei diuinæ ad habitum nostræ VII.
Theologiæ semper remanebit naturalis completa potentia illius, illúmque vi suâ naturali producet.

Hoc itaque sic præmisso. Respondetur ad singulas partes obiectionis propositæ, non sequi ex nostra doctrina Theologiam esse habitum per se infusum, & supernaturalem in sua entitate. Ad primam partem probationis in contrarium patet solutio ex nunc dictis, scilicet esse falsum id quod essentialiter quidẽ, sed tantùm præsuppositiuè dependet tam in fieri, quàm in esse, ab ente supernaturali, quatenus supernaturale est, esse supernaturale secundùm suam substantiam, vnumquodque enim iis tantùm constat intrinsecè, & constituitur essentialiter, quæ ingrediuntur eius
D entitatem, & formalem eius rationem, non VIII.
autem iis, quæ duntaxat supponuntur ad illud.

Ad secundam eiusdem probationis partem, quæ procedit de habitudine transcendentali, & de ratione formali constitutiua habitus nostræ Theologiæ respondetur posse duobus modis intelligi ens aliquod habere transcendentalem habitudinem ad aliquid supernaturale velut formalem rationem constitutiuam sui ipsius. Primò, immediatè & proximè. Secundò, remotè, & fundamentaliter tantùm: quæ priori modo talem habent transcendentalem habitudinem sunt intrinsecè essentialiter & quoad suam entitatem supernaturalia, vt constat inductione factâ per omnia, quæ sunt secundùm suam entitatem supernaturalia: quæ verò sunt posteriori tantùm modo supernaturalia, non sunt præcisè ex hoc

I. capite essentialiter, & quoad ad suam substan-
tiam supernaturalia, sed duntaxat secundùm
quid, absolutè tamen & simpliciter conside-
rata sunt entitatiuè, & substantialiter natura-
lia: cuius discriminis ratio nunc est tacta, ni-
mirum quòd vnumquodque constituatur en-
titatiuè formaliter tale, non ipso fundamento
cui propria eius entitas innititur, sed ipsâ-
metsuâ entitate tali fundamento innixâ; res
enim quæ fundatur, & eius fundamentum
solent distingui quoad suas entitates; quare
cùm Theologia habeat pro sua formali im-
mediata ratione reuelationem virtualem,
prout illa consistit in necessaria, & infallibili
connexione discursiua consequentis cum an-
tecedenti reuelato & supernaturali: quem-
admodum talis discursiua connexio, & eius
II. penetratio, vt sic & formaliter considerata
est aliquid ordinis naturalis quoad substan-
tiam fabrefactam, & cognitam vi & efficaciâ
ipsius luminis naturalis; & vt sic est formalis
ratio assentiendi conclusioni per talem dis-
cursiuam connexionem deductæ ex reuelatis:
sic etiam faciet, vt tam hæc cognitio conclu-
sionis sic deductæ & perceptæ, quàm habitus
ei correspondens sint absolutè, & simpliciter
loquendo, entia quoad suam substantiam na-
turalia tantùm, quæ tamen radicentur in ali-
quo supernaturali.

Et tota hæc responsio explicatur facilè
exemplo illius cognitionis, quam dæmones
habent de quibusdam veritatibus nostræ fi-
dei, quæ licet innitatur alicui diuinæ reuela-
tioni, non tamen desinit esse purè & simplici-
ter naturalis, quoad suam entitatem, vt do-
III. cebimus secundâ secundæ agendo de fide. Si
igitur hoc exemplum sit euidens dæmoni eui-
dentiâ tantùm *in attestante*, vt vocant Theo-
logi, Deum esse qui ei dicit, & reuelat verum,
& reale Christi Domini corpus esse in Eucha-
ristia, potest ille ex tali testificatione sibi facta,
& ex illa veracitate, quam naturali sua cogni-
tione percipit esse in Deo, connexis inter se,
cognoscere tantùm naturali cognitione, cor-
pus Christi Domini esse sub speciebus conse-
cratis, per hunc vel similem discursum; quid-
quid Deus testatur & ait, est verum, quia
Deus non potest mentiri: sed est mihi euidens
euidentiâ *in attestante* Deum esse qui testa-
tur, & ait, corpus Christi Domini esse verè,
realiter, & substantialiter in Eucharistia; er-
go corpus Christi Domini est verè, reali-
ter & substantialiter in Eucharistia. Vbi
IV. licet iste assensus fundetur in aliqua diuina
reuelatione obiecti etiam supernaturalis,
quia tamen non immediatè innititur prædi-
ctæ reuelationi, sed infallibili, & necessariæ
connexioni, quam habet hæc veritas cum ve-
racitate Dei, & euidentia prædicta *in attestan-
te* ab illo percepta, & penetrata, quæ co-
git intellectum eius ad assensum istius con-
clusionis, iuxta illud sancti Iacobi, *Dæmones
credunt & contremiscunt*, est tantùm naturalis,
& non propriè supernaturalis, & si quis ha-
bitus ex frequenti repetitione istius actus,
vel similium produceretur in dæmone, esset
tantùm naturalis quoad entitatem loquendo
simpliciter; nulli enim dantur habitus super-
naturales in dæmonibus.

Ad alteram rationem petitam ab influxu
præmissarum syllogismi in suam conclusio-
A nem, quam auctores sententiæ affirmantis V.
producunt in fauorem obiectionis, quam sic
soluimus: respondetur dato (quod tamen
nonnulli Philosophorum negant) præmis-
sas syllogismi concurrere efficienter ad assen-
sum conclusionis, non aliter tamen ad id con-
currere quàm inclinando intellectum, vt ra-
tione connexionis, quam eorum extrema, &
illæ inter se, & cum medio seruant, & quam
connexionem ipse intellectus percipit & pe-
netrat, det consensum conclusioni ex illis de-
ductæ: quæ efficientia non est propriè super-
naturalis, sed naturalis tantùm, licet aliquod
eius principium, vel comprincipium sit ali-
quid supernaturale, nimirum quædam propo-
sitio immediatè reuelata à Deo.

B

ARTICVLVS III. VI.

Vtrum nostra Theologia sit theoretica, an practica.

CONDITIONES ad scientiam pro-
priè theoreticam & practicam requisi-
tæ, sunt hîc repetendæ ex Dialecticis: quibus
præsuppositis, variæ sunt de re præsenti apud
Theologos sententiæ. Alij enim, vt Scotus
quæst. 4. *prologi sententiarum*, volunt illam esse
omninò practicam: alij vt Gandauensis in sua
Summa art. 8. quæst. 3. esse omninò specula-
tiuam. Alij vt Caietanus hâc primâ quæstione
articulo quarto, esse vtramque, sed eminen-
ter. Alij esse vtramque formaliter. Totam
hanc difficultatem explicamus sequentibus
propositionibus.

C Prima sit propositio. *Theologia moralis, vt* VII.
*ab aliis quasi speciebus totius Theologiæ distin-
guitur, est omninò practica:* Probatur: hæc pars
Theologiæ eundem tenet gradum inter om-
nes alias partes, & veluti species Theologiæ,
quem moralis Philosophia tenet inter partes
Philosophiæ, quia vtraque versatur in com-
ponendis moribus hominum; hæc deducen-
do conclusiones suas ex principiis solo natu-
ræ lumine cognitis, & in finem naturalem;
ista ex principiis à Deo reuelatis, & in super-
naturalem finem: atqui Philosophia moralis
est simpliciter & absolutè practica ex con-
sensu omnium Philosophorum: ergo.

Secunda propositio. *Theologia positiua, qua-
tenus talis, & vt ab aliis, quasi speciebus Theo-
logiæ condistincta, est purè & simpliciter specula-
tiua.* Propositio est contra Durandum quæst.
D 6. *prologi sententiarum*, contra quem proba- VIII.
tur: scientia illa, quæ ex propria sua & nati-
ua conditione ita conquiescit in cognitione
sui obiecti, vt hanc cognitionem vlteriùs non
ordinet ad aliquid operandum, est propriè
speculatiua secundùm omnes Dialecticos; sed
Theologia positiua, prout deducit suas con-
clusiones ex veritatibus à Deo immediatè re-
uelatis ita conquiescit in cognitione veri, &
legitimi sensus sacræ Scripturæ, qui est pro-
prium eius obiectum, vt sistat ibi, nec talem
cognitionem ordinet vlteriùs ad aliquid ope-
randum; hæc enim vt præcisè est positiua,
nulla dat præcepta faciendi aliquod opus;
sed ea tantùm seruatâ methodo, quæ est com-
munis aliis interpretibus auctorum propha-
norum, inquirit verum, & genuinum sensum
sacræ Scripturæ sistendo in perfecta intel-

I. ligentia illius: igitur nostra Theologia pro-
ut est tantùm positiua, est propriè loquen-
do speculatiua tota.

Nec obstat, quòd dilectio Dei & proximi
dicatur *plenitudo legis*, apud sanctum Mat-
thæum cap. 22. & *ad Rom.* 13. sensus enim hu-
ius sententiæ est tantùm iste, nimirum vni-
uersam legem, & ipsos prophetas contineri
istis duobus præceptis de dilectione; non au-
tem quòd talis dilectio sit obiectum, vel finis
sacrarum Scripturarum, prout illæ sunt obie-
ctum istius partis Theologiæ, quam *positiuam*
vocant.

Deinde respondetur alium esse finem *scien-
tis*, & alium finem *scientiæ* ab hoc, & non ab
isto aliqua scientia habet, vt sit practica, hæc
autem relata testimonia sacræ Scripturæ so-
II. lum finem legentis scripturas exprimunt, vt
sanctus Augustinus docet lib. 1. *de doctrina
Christiana* cap. 36. tandem, & hæc præcepta
dilectionis contenta in sacris Litteris, prout
spectant ad mores præscindendo à nuda, &
simplici inquisitione veri & legitimi sensus
spectant ad Theologiam moralem, quam di-
ximus esse practicam: vnde quamuis in toto
Leuitico, & pluribus aliis sacræ Scripturæ
partibus, multa tradantur facienda, quæ sunt
practica; quia tamen Theologia positiua, quà
præcisè est *positiua*, non tradit illa, vt dedu-
cuntur ad opus, sed vt vera tantùm intelli-
gentia scripturarum habeatur, & relinquit
modum exequendi illa Theologiæ morali,
fit, vt censeatur tantùm esse speculatiua.

Tertia propositio. *Theologia scholastica,
III. prout adæquatè sumitur, est formaliter theoreti-
ca simul & practica, non autem solummodò emi-
nenter.* Probatur quoad singulas partes; &
primùm, quòd sit formaliter *speculatiua*, quia
multa purè speculatiua modo tantùm specu-
latiuo considerantur in illa: vt in prima parte
Deus vnus & trinus, natura Angelica, in ter-
tia parte mysterium Incarnationis.

Deinde quòd sit formaliter *practica* patet,
quia multa practica considerat practicè, id est,
tradendo modum, quo sunt facienda, vel fu-
gienda, & in hunc finem, vt primâ secundæ,
& secundâ secundæ virtutes & vitia, in tertia
parte sacramenta nouæ legis, quorum admi-
nistrandorum, & recipiendorum modum le-
gitimum tradit.

Tertia denique pars probatur, aliquam
scientiam esse formaliter practicam, nihil est
IV. aliud, quàm aliquid operabile esse obiectum
eius, & in ea tradi modum, quo illud debet
fieri, ita vt ex vi, & efficacia talis cognitionis
facultas hominis dirigatur in faciendo isto
opere: aliquam verò scientiam esse formali
ter speculatiuam, est obiectum eius esse ita
speculabile, vt intellectus conquiescat tan-
tùm in eius cognitione; esse denique eminen-
ter speculatiuum, & practicum est esse hoc
vtrumque secundùm quoddam esse perfe-
ctius, seu secundùm formam quamdam per-
fectiorem, quæ suâ virtute, modo tamen per-
fectiori, contineat quidquid est perfectionis
in inferiori, quod dicitur esse tale formaliter
absque eius imperfectionibus; verbi gratiâ,
anima rationalis est *eminenter* sentiens, quia
habet esse spiritale, quod talis est conditionis,
vt possit exercere in homine omnia officia,
quæ anima formaliter sentiens potest per

A se ipsam præstare, & præterea habet quòd ca- V.
reat materiâ, quam anima illa quæ est forma-
liter sentiens includit; sed nullum *esse eleua-
tum* potest assignari in nostra Theologia, ra-
tione cuius dicatur continere tali modo emi-
nentiori rationem scientiæ, tam formaliter
practicæ, quàm theoreticæ, nec item aliqua
imperfectio scientiæ practicæ, vel speculatiuæ
propria potest nominari, quæ non reperia-
tur in nostra Theologia adæquatè considera-
ta: ergo Theologia scholastica adæquatè
sumpta non est eminenter simul & semel spe-
culatiua & practica.

Neque obstat secundæ parti huius proposi-
tionis quòd duæ essentiales differentiæ non
possint vni & eidem competere, cùm vna im-
portet negationem alterius, practicum verò
B & speculatiuum sint differentiæ essentiales VI.
habituum, nam imprimis multi recentiorum
contendunt istas differentias esse tantùm ac-
cidentales ipsis habitibus; deinde quia hoc
discutere pertinet ad Philosophum, esto sint
aliquando essentiales differentiæ habituum;
attamen tunc tantùm erunt tales, quando ad-
æquant totum suum habitum, quia omnis dif-
ferentia essentialis debet adæquare suum ma-
teriale, cùm aliquam det ei specificationem,
quando verò tales differentiæ non adæquant
suum subiectum, vt in præsenti materia: tunc
erunt differentiæ tantùm accidentales, & sic
poterunt vni & eidem habitui conuenire,
prout totalis ille habitus coalescit ex pluri-
bus particularibus, quatenus comparatione
vnius est formaliter speculatiuus, & compa-
C ratione alterius est etiam formaliter practi- VII.
cus; quomodo esse practicum, & specula-
tiuum non sibi inuicem propriè opponuntur
in tali habitu, cùm non sint de eodem respe-
ctu eiusdem, & eodem modo considerati,
quod potest illustrari exemplo intellectus
creati, qui secundùm Aristotelem libro ter-
tio *de anima*, textu 49. est formaliter practi-
cus, & formaliter speculatiuus: item exem-
plo illius scientiæ quæ est in Deo, cuius iuxta
sanctum Thomam hîc articulo tertio in solu-
tione ad vltimum, Theologia est veluti quę-
dam impressio; nam ex sancto Thoma infe-
riùs quæst. 14. art. 16. scientia Dei est simul
& semel formaliter practica, & speculatiua.

Nec item obstat, quòd habitus acquisitus
(qualis est nostra Theologia) generetur tan-
tùm per actus sibi correspondentes, nullus
D autem actus Theologiæ possit dari, qui sit si- VIII.
mul practicus & theoreticus: nam primò, vt
aliquis habitus generetur, non est necesse
quòd aliquis eius actus detur, qui feratur ad
omnia & singula obiecta illius, sed sufficit
quòd actus illi per quos generatur, terminen-
tur ad sua obiecta, sub ea formali ratione
sub qua, & per quam habitus fertur in omnia
sua obiecta: sicut adhoc vt visiua potentia
specificetur, non est opus dari aliquem actum,
qui feratur in omnes colores, & in omnia ob-
iecta visibilia, sed sufficit quòd ratio sub qua
noster visus fertur in omnia sua obiecta sit ea-
dem, ac quando fertur in vnicum obiectum:
quare cùm actus nostræ Theologiæ, prout
deducunt suas conclusiones ex duabus præ-
missis de fide, habeant vtramque formalem
rationem *sub qua*, & *per quam* omninò ean-
dem, siue ambæ illæ præmissæ sint speculati-

I. uæ, siue practicæ, possunt indifferenter generare habitum nostræ Theologiæ, ita tamen, vt si ambæ præmissæ sint speculatiuæ, & ex consequenti actus merè speculatiui, tunc talis habitus generetur totus quoad suã substantiam, primò quidem, & per se sub ratione speculatiui, & quia formalitas practici habet in tali habitu intimam connexionem cum formalitate speculatiui; tunc hæc formalitas practici simul in illo comproducitur ad productionem prædictæ formalitatis speculatiui, sicut & econtrà; at vbi habitus nostræ Theologiæ producitur specie distinctus propter propositionem naturalem adiunctam alteri reuelatæ, tunc quia tam propria illius entitas, quàm eorum actuum seu assensuum, quibus generatur, est distincta specie, ab entitate habitus nunc explicati, quemadmodum intelligitur ex dictis superiùs, tunc ad productionem vnius eiusmodi habituum specie distinctorum, non comproducentur & alij habitus etiam specie distincti, ob defectum necessariæ connexionis quoad vtramque formalem rationem *sub qua, & per quam,* sed tantùm producentur, vbi & quando actus correspondentes illis exercebuntur.

II. Præterea ad minorem eiusdem obiectionis potest responderi, non repugnare vnum eundémque actum esse simul ratione tamen diuersorum obiectorum, ad quos se terminat, practicum, & speculatiuum, & de scientia Dei id habet sanctus Thomas loco citato quæstione decimâ quartâ, & patet de beatis in visione beatifica, imò & in Angelis, qui vnico actu naturalis suæ cognitionis plura, & distincta etiam obiecta vident, quemadmodum explicabitur agendo de cognitione illorum.

III. Neque propterea vna & eadem conclusio est simul, vel successiuè practica & speculatiua, sed hoc tantùm sensu, quòd alterâ sui parte actuali, vel virtuali comparatione vnius obiecti sit speculatiua, & alterâ sui parte actuali, vel virtuali, comparatione alterius obiecti sit practica, quod quidem secundum obiectum simul & semel cum alio cognoscitur.

Vltima propositio. *Scholastica Theologia adæquatè sumpta est quoad dignitatem subiectorum magis speculatiua, quàm practica; considerata tamen quoad multitudinem subiectorum particularium est magis practica, quàm speculatiua.* Prior pars probatur, quia primarium

IV. inadęquatum subiectum Theologię estDeus, de quo vt vno, vt trino, vt incarnato, vt creatore, multa purè speculatiua, & modo etiam purè speculatiuo traduntur in nostra Theologia, cùm in nuda cognitione illorum conquiescat.

Posterior etiam pars probatur, ex eo quòd tota 1. 2. tota 2. 2. & magna pars tertiæ partis semper agunt de subiectis practicis, & modo practico, puta de actibus humanis, de vitiis & virtutibus; item de sacramentis, tam in genere, quàm in particulari; quæ singula si numerentur excedent numerum aliorum inadæquatorum subiectorum Theologiæ, quemadmodum quilibet potest facilè animaduertere.

A

DISPVTATIO SEXTA. V.

De necessitate, & certitudine Theologiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Theologia sit necessaria.

NOTANDVM est imprimis secundùm rigorem loquendi vtile, & necessarium distingui: Secundò, aliud esse aliquid esse necessarium singulis indiuiduis speciei, vt cibus singu-

B lis hominibus, & aliud esse necessarium duntaxat speciei, sicut matrimonium humano generi. VI.

Tertiò notandum Theologiam posse considerari duobus modis: primò secundùm se tantùm, quatenus scilicet includit defensionem, & explicationem articulorum fidei; item & cognitionem conclusionum deductarum ex illis; deinde secundùm methodum quatenus traditur, & docetur eâ methodo, quæ nunc seruatur in scholis. His prænotatis,

Prima sit hæc propositio. *Theologia spectata secundùm se est ipsi Ecclesiæ ad salutem animarum necessaria, non tamen singulis eius membris.* Prior pars probatur *de scholastica:* ea doctrina quæ explicat mysteria fidei, illa suadet & tuetur contra aduersarios fidei, & depellit

C à fidelibus circumuentionem erroris, est Ecclesiæ necessaria ad salutem animarum; Apostolus enim *ad Titum* capite primo, talem requirit in Episcopo, & Christus Dominus ex Apostolo *ad Ephesios* quarto capite in hunc finem *doctores* dedit Ecclesiæ, sed Theologia hæc præstat tanquam proprium suum munus, vt significat sanctus Augustinus libro 14. *de Trinitate* capite 1. VII.

Idem probatur de *morali*, quia doctrina quæ ex sacris Litteris docet quænam sint facienda, quænam fugienda, debet esse in Ecclesia; aliàs Deus frustrà dedisset ei pastores, qui sale purioris doctrinæ condirent mentes hominum, & pro sectandis veris virtutibus, vtque essent perfecti, & instructi ad omne opus bonum; sed moralis Theologia totum id præstat.

D Vltimò idem patet de *positiua:* vbi Deus Ecclesiæ tanquam columnæ veritatis, dedit sacras Litteras, circa quarum intelligentiam graues admodum occurrunt difficultates, ibi aliqua disciplina ad explicandum illas est necessaria; huic enim Deus in lege veteri; imò & in noua dedit scribas, iuxta illud Christi Domini apud S. Matthæum capite 23. *Ecce mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas,* vt ad illum locum S. Hieronymus explicat: sed Deus dedit sacram Scripturam Ecclesiæ, ex Apostolo secundæ *ad Timotheum* tertio, & in sacris Scripturis multa sunt *intellectu difficilia,* vt sanctus Petrus secundâ suâ canonicâ capite tertio notat expressè de epistolis sancti Pauli, quarum difficultatem non reiicit in illud, quòd nimirum homines sint carnales, sed in ipsasmet epistolas, vt patet ex ipsomet VIII.

I. textu, & ex eo quòd sanctus Augustinus vir sanctissimus & studiosissimus libro *de fide & operibus*, cap. 15. agnoscit etiam multa sibi difficilia intellectu contineri in eiusmodi epistolis; & ad totum istud munus exequendum datur Theologia *positiua*.

Posterior pars eiusdem nostræ propositionis probatur ex Apostolo 1. *ad Corinthios* 10. & 12. item *ad Ephes.* 4. vbi ait, non omnes in Ecclesia esse *Doctores*, & ex citato 1. cap. lib. 14. *de Trinitate*, vbi sanctus Augustinus loquens de Theologia, ait multos carere hâc scientiâ, qui tamen pollent multâ fide plurimùm.

Secunda propositio. *Theologia scholastica secundùm eam methodum, quâ nunc traditur in scholis est Ecclesiæ admodum vtilis.* Probatur:
II. ea methodus est optima, & proinde vtilis Ecclesiæ, quæ in tradenda doctrina digerit omnia per ordinem, vtitur verbis simplicibus, aptè rem ipsam explicantibus, quæ item detegit fallacias aduersariorum, eásque refellit, hoc enim est callere diuinam sapientiam: atqui tota nostra Theologia scholastica procedit tali methodo; nam distribuit tractatus in quæstiones, quæstiones in articulos, quos propriis conclusionibus explicat, & tam ex sacris Litteris, Oecumenicis Conciliis, & Patribus, quàm rationibus, quantum res ipsa patitur probat, & reducit vsque ad prima sua principia; item detegit versutias hæreticorum, vnde illis tantopere displicet.

Nec refert, quòd scholastici videantur interdum mouere aliquas quæstiones inutiles;
III. nam primò quæ aliquando nonnullis videntur inutiles, si benè perpendantur prosunt maximè ad ampliorem, & faciliorem intelligentiam alicuius mysterij nostræ fidei. Deinde si quod ibi sit vitium, illud non est *scientiæ*, sed *docentium*.

Nec item illud Apostoli *ad Coloss.* 2. *videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam*, obstat nostræ propositioni; nam Apostolus sic statim subiiciendo, *& inanem fallaciam*, explicat se tantùm loqui de ea Philosophia, quam aliqui, vt Simoniani suo tempore falsam & mendacem partim à Platone acceptam, partim à se inuentam admiscebant veræ doctrinæ fidei; & Clemens Alexandrinus lib. primo *Stromatum* notat Apostolum ibi loqui de ea Philosophia, quæ propriè erat Epicureorum, quæque tollebat prouidentiam Dei, & abducebat homines à vera fide in Christum.

IV. Et pro defensione scholasticæ Theologiæ præter eos, qui scribunt in hanc quæstionem sancti Thomæ, possunt videri Canus libro 8. de *locis Theologicis*: Sixtus Senensis lib. 3. *Bibliothecæ sanctæ*, capite *de methodo scholastica*, vbi refert hanc nostram methodum cœpisse circa tempora Lotharij secundi Imperatoris, cuius tamen aliqua forma præcesserat in S. Damasceno scribente quatuor libros *de fide orthodoxa*; nam si nostra Theologia consideretur secundùm se, est tam antiqua, quàm ipsa fides, cùm semper opus fuerit aliquâ instructione fidelium quoad res credendas, & semper debuerint aliqui esse parati ad satisfaciendum (vt sanctus Petrus loquitur primâ suâ canonicâ capite tertio) *omni poscenti rationem de ea fide, quæ est in Ecclesia*: at totum istud exequi est proprium Theologi, vt pa-

A tet ex iam dictis. V.

An autem Theologia sit necessaria pro addiscendis naturalibus scientiis, idem est sentiendum ac de necessitate gratiæ ad discendum illas; quod ex professo Theologi tractant cum S. Thoma 1. 2. quæst. 109.

ARTICVLVS II.

An conclusio Theologica sit æqualis certitudinis cum propositione de fide.

NOMEN hoc *conclusio* sumitur hîc propriè, nimirum pro ea propositione, cui intellectus assentitur immediatè propter discursum, tanquam propter aliquam formalem rationem.

B Nomine autem *certitudinis*, nihil aliud intelligitur, quàm firmitas cognitionis, quâ scilicet cognoscitur esse impossibile assensum circa tale obiectum, vt tali medio cognitum, esse falsum, & ita assensus ille erit certior, cui minus potest subesse falsum, & hæc certitudo causatur à medio, & necessaria eius connexione cum re, quæ cognoscitur, & eius antecedente, quia verò in syllogismis Theologicis motiuum est aliquid extrinsecum rebus per illos cognitis, scilicet virtualis reuelatio, in scientiis verò naturalibus est aliquid intrinsecum; ideò vt intelligamus, an assensus Theologicus sit certior quouis assensu cuiuscumque alterius cognitionis, debemus conferre hæc eorum motiua inter se, ita vt assensus ille sit iudicandus certior, & minus fallibi- VI.
C lis, qui habet motiuum magis certum & infallibile, quódque vi huius cognitionis apprehenditur, vt tale; non est autem hæc certitudo diiudicanda penes euidentiam ipsius rei, aut aliquid aliud eius, vt patet in fide diuina, cuius assensus est longè certior quouis assensu cuiuscumque cognitionis naturalis, obscurus tamen est & ineuidens, vt Theologi docent ex professo cum sancto Thoma secundâ secundæ quæstione primâ, & maior illa euidentia rei facit maiorem tantùm certitudinem subiecti, vt sanctus Thomas loquitur hîc articulo quinto in solutione ad primum, hoc sensu quòd magis tollit & remouet ab intellectu omnem indeliberatum, & inuoluntarium motum dubitationis insurgentem contra aliquam veritatem certissimam, quæ maior certitudo subiecti prouenit ex ipsa naturali im- VII.
D becillitate nostri intellectus, & non ex ipsa maiori certitudine rei cognitæ, vt rectè citato art. 5. S. Thomas obseruat: de qua tamen sola certitudine cognitionis, quam Philosophi, & Theologi vocant *formalem*, nunc agimus: hæc autem certitudo potest comparari, vel cum certitudine assensus diuinæ fidei, vel cum certitudine assensus demonstrationis purè naturalis: de posteriori comparatione agemus articulis 4. & 5. sequentibus. VIII.

Quod spectat ad priorem comparationem, Canus libro sexto *de locis Theologicis* capite 8. in solutione ad decimum, existimat certitudinem assensus conclusionis Theologicæ esse æqualem cum certitudine assensus propositionis de fide.

Melior tamen est communis aliorum sententia, quam hâc nostrâ propositione explicamus. *Theologicæ conclusiones etiam per euiden-*

I. *tem consequentiam deducta ex duabus præmissis de fide sunt inferioris certitudinis, quàm sint propositiones de fide.* Probatur: æqualis & inæqualis certitudo assensuum, & conclusionum debet attendi penes æquale, & inæquale motiuum, quo secundùm suam dignitatem firmitatis apprehenso, & cognito, vt concurrente ad talem assensum, iste intellectus assentitur conclusionibus, quo enim motiuum est firmiùs, & apprehenditur vt tale, maiorem causat firmitatem iudicij, seu assensus in intellectu cognoscentis: atqui motiuum illud, quo noster intellectus assentitur conclusionibus Theologicis est certitudinis longè inferioris motiuo illo, quo per fidem diuinam assentimur propositionibus fidei, quia hoc est immediata reuelatio diuina pura, & sine vllo
II. discursu; istud verò est diuina tantùm reuelatio virtualis complexa, seu inuoluens discursum: pura autem, & immediata reuelatio non indigens discursu est longè certior illâ reuelatione, quæ tantùm est mediata virtualis, & includit essentialiter discursum.

Secundò probatur: nunquam certitudo conclusionis est æqualis certitudini suorum principiorum ex Aristotele libro primo *posteriorum*: nec item quod habetur per lumen propriè acquisitum est tam certum, ac illud quod habetur tantùm per lumen per se infusum directum à Deo infallibiliter circa sua obiecta per aliquam infallibilem regulam: atqui propositiones veræ Theologicæ quæcumque illæ sint, & cuiuscumque conditionis, quatenus tales, sunt tantùm quædam conclusiones deductæ per discursum ex propositio-
III. nibus fidei, tanquam suis principiis: item certitudo propositionum fidei habetur per fidem infusam; quæ fides est aliquod lumen per se infusum nostro intellectui, quod Deus dirigit infallibiliter circa sua obiecta assignando ei Ecclesiam, vt regulam infallibilem in proponendis rebus fidei, ipsa autem certitudo propositionum Theologicarum habetur duntaxat per lumen Theologicum, quod propriè est acquisitum, vt intelligitur ex dictis suprà de habitu Theologiæ: igitur conclusiones Theologicæ sunt inferioris certitudinis, quàm sint illæ propositiones, quæ sunt de fide.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

IV. PRIMVM est; hæc propositio Christus Dominus est risibilis, est tantùm Theologica; qui tamen illam negaret, puniretur vt hæreticus: ergo.

Respondetur, eum qui negaret istam propositionem, Christus Dominus est risibilis, non inde punitum iri tanquam hæreticum, quia præcisè negat illam, sed quia videtur negare istam aliam, Christus Dominus est homo, ex qua secundùm communem sensum deducitur euidentissimè, cùm risibilitas sit proprietas necessariò fluens à suo subiecto, & proinde ab illo inseparabilis.

Secundum est: hæc propositio est Theologica, in Christo Domino sunt duæ voluntates, nihilominùs est de fide, definita contra Monothelitas: ergo.

A Respondetur, motiuum cur præbeamus assensum huic propositioni tanquam de fide, (in Christo Domino duæ sunt voluntates) non est quòd per discursum deducatur ex alia propositione fidei, sed quod motiuum illius sit diuina reuelatio immediata nobis proposita per Ecclesiam; an autem hæc, vel alia similis propositio considerata secundùm se, & non præcisè, vt deducta per discursum esset de fide, antequam definiretur per Ecclesiam; an verò tantùm post definitionem Ecclesiæ spectat propriè ad secundam secundæ sancti Thomæ, quando quæstione primâ agit de obiecto fidei. V.

Tertium est. conclusio debet habere similitudinem cum præmissis: ergo vbi ambæ præmissæ erunt de fide, conclusio erit etiam de

B fide.

Respondetur, conclusionem debere habere similitudinem cum aliqua suarum præmissarum, non tamen omnimodam, vt verbi gratiâ, quòd sit certa, euidens, vel obscura pro conditione suæ præmissæ, non tamen eodem gradu certitudinis, vel euidentiæ, sed inferiori, vt explicant Dialectici *priorum*, & *posteriorum* libris. VI.

Vltimum est: hæc propositio, Christus Dominus est passus, & mortuus pro me, habet certitudinem fidei; nam Apost. *ad Galatas* secundo capite, ita loquitur de Christo Domino, vt pro se solùm mortuo, *qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me*; quò loci Oecumenius, & alij interpretes, Apostolum notant ita explicare beneficium, quod est commune omnibus, vt quisque sibi persuadeat Christum

C Dominum quicquã esse passum, & mortuum pro se: & tamen ista propositio est conclusio Theologica; nam deducitur ex illa propositione fidei, Christus Dominus est passus, & mortuus pro omnibus hominibus: quam propositionem vniuersalem passim sacræ Scripturæ habent. VII.

Negatur hanc propositionem ibi relatam, Christus Dominus est passus, & mortuus pro me, vel aliam ei similem esse in rigore loquendi duntaxat Theologicam, sed agnoscimus illam esse de fide, quia id quod per illam significatur est immediatè reuelatum à Deo, licet aliis verbis eodem tamen sensu; nam signum vniuersale appositum vniuersaliter alicui termino, supponit pro omnibus & singulis contentis sub tali termino vniuersali, & per illum significatis, quemadmodum Dia-

D lectici docent agendo de *terminis*; est enim idem sensus quoad significationem aliquid esse factum pro omnibus, & singulis hominibus, & esse factum pro isto, & isto homine singulari nullo excluso; vnde cùm modus loquendi solummodò varius quoad modum grammaticalem significandi non immutet veram conditionem propositionis de fide, fit, vt quemadmodum hæc propositio est propriè de fide, Christus Dominus est mortuus, & passus pro omnibus hominibus; sic & hæc, Christus Dominus est mortuus, & passus pro me. VIII.

Nec his obstat, quòd hæc propositio inferatur ex ista priori; nam duobus modis aliqua propositio potest inferri ex alia: primò ratione *significationis*, quatenus vna significat virtute, idem quod alia, vt patet exem-

I. plo præsentis propositionis. Deinde ratione A
connexionis, quatenus significatum vnius pro-
positionis habet connexionem cum significa-
to alterius, verbi gratiâ, *esse risibilem* cum ip-
so *esse hominem*, eo modo, vel alio, quo pro-
prietas est coniuncta suo subiecto: quomodo
hæc propositio, Christus Dominus est risibi-
lis, deducitur ex ista, Christus Dominus est
homo: prior modus illationis non tam facit
discursum in rigore loquendi, quàm conti-
net explicationem, & expositionem præce-
dentis propositionis: quare sicut simplex, &
nuda expositio terminorum propositionis de
fide, non facit talem propositionem, loquen-
do propriè, esse conclusionem Theologicam,
nec talis eius explicatio ingreditur formale
obiectum assensus intellectus, sed tantùm pro-
ponit illud intellectui: sic etiam in præ- B
II. senti exemplo, & aliis similibus ista deductio
ex vi solius significationis, pertinet potiùs
ad simplicem expositionem, quàm ad illatio-
nem propriè discursiuam.

Atque ex dictis intelligitur, quòd licet in
syllogismo Theologico constante duabus
præmissis de fide, assensus præmissarum sit di-
uinæ fidei, eum tamen non facere, vt assensus
in conclusionem ex illis deductam, sit etiã di-
uinæ fidei, & æqualis infallibilitatis cum illo,
quia diuina fides tunc non eodem, & tam in-
fallibili modo applicatur isti conclusioni, ac
suis præmissis: his enim applicatur immediatè
nullo mediante discursu, & eius bonitate, &
formali motiuo, & tanquam veritatibus à
Deo immediatè reuelatis, & in facienda tali
applicatione dirigitur ab Ecclesia tanquam
regula infallibiliter proponente obiectum: C
III. at fides diuina applicatur tantùm mediatè
conclusionibus istorum syllogismorum, scili-
cet, vt per verum discursum, & legitimam
consequentiam deductis, & virtualiter dun-
taxat reuelatis, qui discursus licet legitimus,
est tamen aliquid longè minus infallibile, &
minus certum, quàm sit diuina fides, & eius
assensus.

Deinde ex solutione ad vltimum patet, quo-
modo sint intelligendi Patres, qui dicunt non
minus esse credenda, quæ colliguntur, & in-
feruntur ex sacris Litteris, quàm quæ in illis
habentur expressa, nimirum id esse intelligẽ-
dum de iis, quæ ex vi suæ significationis con-
tinentur in eis, & vt sic deducuntur ex eis; non
autem de his, quæ ex vi tantùm suæ conne-
xionis, tanquam alia ab illis radicaliter ta- D
IV. men in illis contenta deducuntur ex eis per
discursum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conclusio Theologica sit maioris certitudinis, quàm conclusio syllogismi non Theologici.

DVæ sunt hac de re Theologorum sen-
tentiæ: prima, Theologicas conclusiones
deductas ex vna de fide, & alterâ naturali
esse minoris certitudinis, quàm sint illæ na-
turales præmissæ, ex quarum coniunctione ad
alteram de fide deducuntur.

Melior tamen est aliorum sententia, quam
hâc propositione explicamus. *Theologicæ con-
clusiones per euidentem consequentiam deductæ
ex vna de fide, & altera naturali, sunt maioris* V.
*certitudinis, quàm sint conclusiones syllogismo-
rum merè naturalium, seu non Theologicorum.*
Ita sanctus Thomas videtur sentire hîc quæst.
primâ articulo quinto, tam in corpore, quàm
in solutione ad primum; vbi ait certitudinem
nostræ Theologiæ esse maiorem ipsâ certitu-
dine scientiarum naturalium, & simpliciter,
& absque aliqua distinctione conclusionis
Theologicæ loquitur; idem habet Ganda-
uensis in summa, & plures alij etiam ex re-
centioribus. Probatur primùm eodem fun-
damento, quo propositio secundi articuli
præsentis disputationis: maior certitudo
cognitionum attenditur penes maiorem cer-
titudinem motiui; sed motiuum conclusio-
nis Theologicæ, quæ deducitur ex vna de fi-
de, & altera tantùm naturali, habet maiorem VI.
certitudinem, quàm habeat motiuum natu-
ralis conclusionis deductæ ex duabus præ-
missis purè & simpliciter naturalibus, quia
totale motiuum huius conclusionis Theolo-
gicæ non est purè naturale, sed coalescit ex
duabus præmissis, quarum vna est de fide, &
altera naturalis; quod autem est eiusmodi
est maioris certitudinis, quàm motiuum il-
lud, quod secundùm se totum est duntaxat
naturale.

Confirmatur: conclusio est in syllogismo
effectus non vnius tantùm præmissæ, sed
vtriusque simul, & aliquem influxum ac-
cipit ab illa vtraque; sed propositio Theo-
logica, vt hîc consideratur, est verè con-
clusio respectu vtriusque præmissæ: ergo ali-
quem influxum debet accipere ab altera illa VII.
sua præmissæ, quæ est de fide: at talis influ-
xus, quia debet correspondere suæ causæ,
& hæc est superior & altior, non potest esse
in tam inferiori gradu, ac est influxus alte-
rius naturalis præmissæ concausæ illius: er-
go cùm vnus ex effectibus, quos conclusio
accipit à suis præmissis, sit ipsa sua certitudo
ex communi doctrina Dialecticorum; con-
clusio verè Theologica debet esse certior
conclusione purè naturali.

Nec potest responderi, totum illum in-
fluxum, quem conclusio Theologica acci-
pit à suo antecedenti esse in tali syllogismo
à præmissa tantùm naturali, vel si etiam sit
ab altera præmissa de fide, hunc eius influ-
xum ita restringi per consortium alterius pro-
positionis purè naturalis, vt agat duntaxat
iuxta modum propositionis purè naturalis, VIII.
nec proinde maiorem certitudinem acci-
pere.

Neutrum, inquam, istorum potest dici:
non primum, tum ex dictis suprà, vbi osten-
dimus vtramque præmissam componere mo-
tiuum formale conclusionis; tum etiam quia
conclusio verè Theologica dicitur commu-
niter ab omnibus esse virtualiter reuelata,
seu per discursum deducta ex reuelatis: er-
go cùm omne quod per discursum deduci-
tur ex alio accipiat aliquid ab illo, trahátque
suum esse reale, quod nunc habet ex eo, in
quo anteà virtute tantùm delitescebat, debet
talis conclusio aliquid accipere à tali propo-
sitione de fide, & ex consequenti propriam
suam certitudinem.

Secundum item non potest dici, quia quan-
do aliqua duo disparis ordinis, & perfectio-

I. nis vniuntur inter se ad componendum vnam causam totalem, súntque veluti compartes istius causæ totalis; tunc illud quod ex istis duobus est perfectius, impeditur quidem per consortium alterius inferioris, agere secundùm totam virtutem sibi propriam, & cum tanta perfectione, cum quanta est aptum natum seorsim agere, attamen semper agit modo correspondente secundùm quid perfectioni sibi propriæ, nimirùm nobiliori, & perfectiori modo, quàm agat aliud agens inferius sibi coniunctum; imò ex ipso sui consortio eleuat tale agens inferius, vt attingat & comproducat aliquid se ipso perfectius, quemadmodum videre est in generatione muli ex equo & asina, & pluribus aliis similibus: sed in syllogismo verè Theo-
II. logico præmissa illa quæ est de fide & altera naturalis, concurrunt tanquam duæ quasi partes vnius totalis causæ ipsius conclusionis Theologicæ, quia simul componunt totum eius motiuum, & illa, quæ est de fide est ordinis secundùm se supernaturalis, & altera ordinis purè naturalis: ergo influent aliquod esse tali conclusioni, quod sit perfectius & proinde certius ipsâ propositione purè naturali, & minus perfectum seu certum, quàm sit propositio de fide.

Tandem probatur nostra propositio: illud quod essentialiter radicatur in diuina fide est maius, & certius eo, quod radicatur tantùm in cognitione purè naturali; fides enim est certior quauis cognitione naturali; sed certitudo & motiuum conclusionis Theologicæ radicantur essentialiter in fide
III. diuina, quemadmodum intelligitur ex dictis, certitudo autem & motiuum naturalis propositionis minimè: ergo certitudo conclusionis Theologicæ ex vna de fide, & altera tantùm naturali, est maior certitudine propositionis tantùm naturalis.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRIMVM est, quòd conclusio semper sequitur debiliorem partem præmissarum; imò cùm sit aliquis illarum effectus est aliquid minus perfectum, & certum illis; sed in istis Theologicis syllogismis de quibus hîc agitur, vna præmissarum est quædam veritas, seu propositio tantùm naturalis, vt
IV. per se constat, & propositio per se Theologica est tantùm vera quædam conclusio ex illis deducta per discursum: ergo.

Respondetur, maiorem esse hoc sensu intelligendam, quòd conclusio comparata cum suis ambabus præmissis tanquam compartibus totalis sui motiui, debeat magis accedere ad cognitionem debilioris præmissæ seorsim sumptæ, quàm ad conditionem perfectioris, non autem quòd in tota latitudine suæ perfectionis debeat ei omnimodè correspondere; nam confirmatio primæ nostræ rationis ostendit contrarium: at conclusio verè Theologica magis accedit ad conditionem, & perfectionem propositionis purè naturalis, quàm ad conditionem, & perfectionem propositionis de fide; est enim magis naturalis, quàm supernaturalis cùm inni-
A tatur humano discursu. V.

Secundum est: hæc propositio *quodlibet est, vel non est*, est naturalis propositio; nam pertinet ad habitum primorum principiorum, & Aristoteles qui fide, & cognitione supernaturali caruit, habet illam passim in *Metaphysicis*: item hæc propositio Christus Dominus est risibilis, est Theologica conclusio ex dictis suprà; sed prior illa propositio naturalis est longè certior hâc posteriori, vel aliis pluribus conclusionibus Theologicis, quia propositio illa cui magis implicat intellectum dissentire, est certior eâ aliâ, cui minus implicat intellectum dissentire; at magis implicat intellectum dissentire huic propositioni, *quodlibet est, vel non est*, quàm isti, Christus Dominus est risibilis; nam prior
B apparet tam certa ex simplici notitia termi- VI.
norum quibus constat, vt necessitet intellectum ad assensum: posterior verò, vel aliæ ei similes minimè; nam licet vi & efficaciâ consequentiæ, & dispositionis syllogisticæ necessitent intellectum, vt assentiatur, non tamen eum necessitant vi consequentis, nec tam implicat dissentire posterioribus, quàm prioribus.

Respondetur, hanc propositionem, *quodlibet est, vel non est*, posse considerari duobus modis. Primò, vt simpliciter est propositio habitus primorum principiorum, cognita solo naturali lumine, per cuius cognitionem aliquæ aliæ veritates naturales possunt probari: secundò potest considerari, vt necessariò includitur in quolibet assensu tam diuinæ fidei, quàm ipsius Theologiæ
C circa vnumquodque ex propriis suis obie- VII.
ctis; nam eo ipso, quo diuina fides, vel nostra Theologia assentitur alicui veritati sibi propositæ, simul etiam, & eodem actu negat oppositum suæ propositionis, illa enim eadem fides, quæ facit credere affirmationẽ, facit credere partem oppositam seu negationem eius esse falsam; sicque tali suo assensu inuoluit veritatem istius principij, *quodlibet est, vel non est*. Prædicta propositio priori tantùm modo considerata est naturalis, posteriori autem minimè, sed est eiusdem conditionis cum alia, siue fidei, siue Theologica, in cuius assensu includitur, quâ posteriori consideratione est longè certior se ipsâ, vt priori modo consideratâ, sicut & motiuum diuinæ fidei, & Theologiæ est certius quolibet motiuo cuiuscumque scientiæ purè naturalis.
D Vnde quando fidelis, vel explicando veri- VIII.
tatem fidei, vel discurrendo Theologicè, vtitur prædictâ propositione ad aliquid probandum, non eâ vtitur nisi hoc posteriori modo consideratâ, vel si eâ vtatur, vt pertinente ad habitum primorum principiorum, tunc eâ vtitur tanquam sibi concessâ ab aduersariis, non autem quòd illa præcisè vt sic, sit certior; nam prima veritas reuelans, siue immediatè, siue tantùm mediatè, est motiuum longè certius, quàm sit simplex, & nuda quædam conditio propositionis disiunctiuæ formatæ de duobus contradictoriis, cùm hæc vt sic, sit purè aliquid naturale inferius ipso Deo, & etiam virtuali reuelatione per illum factâ.

Ad rationem ibi allatam in confirmationem, respondetur sistendo in sola certitu-

I. dine, & considerando prædictam propositionem, vt est tantùm habitus primorum principiorum, magis implicare negare hanc propositionem, Christus Dominus est risibilis, quàm negare istam; *quodlibet est, vel non est*, quia motiuum prioris est longè certius, vt nostræ rationes ostendunt. Dixi inter respondendum (*sistendo in sola certitudine*) nam si habeatur ratio euidentiæ per sensum, vel per experientiam, vel alio modo acquisitæ, tunc attendendo hunc solum titulum, magis implicat negare istam propositionem, *quodlibet est, vel non est*, quàm Theologicam superiùs allatam, vel aliam ei similem; hæc enim habet tantùm euidentiam *consequentiæ*, ista verò habet insuper euidentiam *consequentis*, sed ex tali maiori euidentia vnius conclusio-
II. nis supra euidentiam alterius, non benè infertur maior etiam certitudo vnius supra certitudinem alterius, vt patet in fide diuina, & scientia naturali acquisita. Nam certitudo cognitionis sumpta præcisè dicit tantùm determinationem cognitionis ad suum obiectum, vt verum: euidentia autem dicit claritatem seu manifestationem veritatis, quæ cognoscitur: nec certitudo, & euidentia cognitionis habent necessariam inter se connexionem, nisi vbi & quando certitudo cognitionis est per medium intrinsecum rei cognitæ, quod non habet locum in nostra Theologia, vt iam sæpè animaduertimus.

Vltimum; principia in syllogismis sunt certiora suis conclusionibus, vt Dialectici docent in libris *posteriorum*; sed in his syllogismis, de quibus agimus, quædam propo-
III. sitio purè naturalis est aliquod principium propositionis Theologicæ, quia est præmissa illius: ergo hæc conclusio Theologica erit minus certa illâ naturali propositione, quæ est vna ex eius præmissis. Confirmatur ex eo quòd dantur plures Theologicæ conclusiones, quas tamen aliqui Theologi negant.

Respondetur, concessâ maiore ad eius minorem, naturalem propositionem, quæ ponitur in syllogismo Theologico posse considerari duobus modis: primò secundùm se tantùm, seorsim & solitariè; secundò, vt coniungitur alteri propositioni de fide ad inferendam conclusionem; illam consideratam priori modo esse minus certam conclusione Theologicâ; spectatam posteriori modo esse
IV. certiorem, quia tunc ratione talis consortij & connexionis, quam habet cum propositione de fide reuelata immediatè, eleuatur ad concausandum tam cognitionem conclusionis Theologicæ, quàm eius certitudinem, vt intelligitur ex dictis in secunda nostra ratione.

Ad id quod ibi affertur in confirmationem, scilicet Theologicas quasdam conclusiones negari à nonnullis Theologis, qui tamen admittunt propositiones naturales tanquam verissimas & certissimas, respondetur nostram propositionem tantùm intelligi iuxta quartum corollarium articuli quarti disputationis quartæ superioris, scilicet de conclusionibus verè Theologicis, & propriè pertinentibus ad habitum nostræ Theologiæ, non autem de iis, quæ ex vna de fide & altera tantùm probabili deducuntur: nam sicut ex dictis ibi proprius

A habitus illarum est distinctus ab habitu veræ Theologiæ, ita & illarum certitudo; & quemadmodum eiusmodi conclusiones sunt tantùm opinatiuæ habentes aliquid formidinis sibi admixtum, ita & conclusiones illarum minorem habent certitudinem intra istud genus, quæ tamen si considerentur, vt opiniones, tunc sicut innituntur alicui propositioni de fide, cui alia naturalis adiungitur secundùm probabilem connexionem, & motiuum, compositum ex tali admixtione est intra ordinem opinionis certius alio opinabili motiuo purè naturali, sic etiam opiniones Theologicæ in præcisa ratione opinionis, excedunt certitudinem opinionum purè & simpliciter naturalium seu fundatarum in duabus præmissis purè naturalibus.

B Addi etiam potest plerumque fieri, vt defectu sufficientis penetrationis illius conne- VI.
xionis, quam vna naturalis propositio habet cum aliqua reuelata, quidam Theologi existiment propositionem, quæ secundùm veritatẽ rei est Theologica non esse Theologicã: & sic illam reiiciant, quod tamen non tollit ab illa rationem propositionis Theologicæ simpliciter, & absolutè dictæ; cùm hæc denominatio propriè non fundetur in sola æstimatione hominis, sed in tali cõditione propositionis, quæ potest de facto esse talis, licet non cognoscatur, sicut potest euenire, vt aliquid spectatum secundùm se, sit *de fide*, quod tamen ab aliquo Theologo verè Catholico non existimetur esse *de fide*, ob immediatam eius reuelationem non sufficienter ad id applicatam, vel saltem non satis penetratam.
C VII.

DISPVTATIO VLTIMA.

De argumentis Theologicis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Theologia nostra sit argumentatiua, & vnde desumat sua argumenta.

PARS affirmans patet ex dictis, est enim argumentari nihil aliud, quàm vnum ex alio per discursum colligere; at nostra Theologia ex creditis fide diui-
D nâ deducit per discursum suas
conclusiones; nam per hoc distinguitur tam à fide, quàm ab aliis habitibus purè naturali- VIII.
bus. Et hæc nostra propositio intelligitur ex capite tertio posterioris *ad Timoth. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum ad arguendum*, id est, vt ibi explicant Patres ad veritatem fidei Christianæ docendam, & ad refellendos errores ei contrarios; vnde idem sanctus Paulus *ad Titum* primo capite, ait, Episcopum debere amplecti *fidelem sermonem, vt sit potens eos qui contradicunt arguere*, id est, tum Scripturæ testimoniis, tum firmis rationibus in illis fundatis contradicentes reuincere: hinc Sapientiæ 8. & Ecclesiastici trigesimo nono, dicitur Sapiens, *scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum*, item *introire in versutias parabolarum*.

I. Obiicies illud sancti Ambrosij libro primo *de fide* capite quinto, *aufer hinc argumenta vbi fides quæritur.* & paulò pòst, *non creditur philosophis, creditur peccatoribus : non creditur Dialecticis, creditur publicanis.*

Respondetur, sanctum Ambrosium ibi agere tantùm de assensu fidei, quatenus ille non debet inniti rationibus naturalibus, tanquam suo fundamento; agit enim ibi contra Arianos, qui quamplurimis rationibus solùm naturalibus impugnabant diuinitatem Christi Domini, non tamen negat nostram doctrinam argumentatricem esse perutilem Ecclesiæ, cùm ibidem eâ vtatur contra Arianos; & quando Isaiæ quadragesimo *scrutatio secretorum* damnatur, id intelligitur de vana & curiosa, non autem de vtili & studiosa,
II. qualis est illa Theologorum in erudiendis veritatibus ex reuelatis iuxta finem ab Apostolo superiùs præscriptum; & à sancto Augustino explicatum libro decimoquarto *de Trinitate* capite primo.

Quæres primò, cùm nostra Theologia sit specialis quidam habitus argumentatiuus, vndenam desumat argumenta sibi propria, seu quinam, & quot sint proprij eius loci & sedes argumentorum.

Respondetur ex Scholasticis alios plures recensere, alios pauciores, si quæstio sit de locis Theologicis strictè sumptis, illos esse tantùm tres: primus est *sacra Scriptura* prout complectitur vtrumque Testamentum *vetus & nouum.* Secundus est *traditio Christi Domini, & Apostolorum eius,* sub qua comprehenditur communis consensus Patrum in
III. docendo & fidelium in credendo, quia traditio maximè cognoscitur ex istis duobus. Tertius est *auctoritas Ecclesiæ,* sub qua comprehenditur auctoritas Conciliorum, & Summorum Pontificum.

Et primò, quòd hi omnes loci sint proprij Theologiæ, probatur : ij tantùm loci sunt proprij huic nostræ scientiæ, qui habent infallibilem auctoritatem, & continent infallibiliter propositiones à Deo immediatè reuelatas, quia Theologiæ est proprium deducere per discursum conclusiones ex veritatibus à Deo reuelatis : sed hæc tria continent propositiones immediatè reuelatas à Deo, & habent auctoritatem infallibilem.

De *sacra Scriptura* id patet; est enim conscripta inspiratione & dictamine ipsius Spi-
IV. ritus sancti, vt testatur sanctus Petrus secundæ *suæ Canonicæ* capite primo, & sanctus Paulus secundæ *ad Timotheum* tertio.

Idem patet de *traditione.* Et primò quòd Christus Dominus aliquas veritates reuelatas *traditione* tantùm reliquerit Apostolis, patet ex illo eius verbo apud sanctum Ioannem capite decimoquarto : *ille docebit vos omnia & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* & primæ *ad Corinthios* vndecimo : *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis,* & 2. ad *Thessalonicenses* secundo : *tenete traditiones quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Item de traditionibus Apostolicis primæ *ad Corinthios* vndecimo, *sicut tradidi vobis præcepta mea tenete.* Et quòd eiusmodi traditiones habeant infallibilem auctoritatem, patet

A ex illo Christi Domini ad Apostolos, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Idem patet de *Ecclesia* ex illo Christi Domini : *Dic Ecclesiæ,* & ex eo quod dicitur ab Apostolo *veritatis columna.* V.

Addidi inter respondendum hanc particulam, *strictè,* nam si nomine *loci Theologici* illud omne intelligatur ex quo Theologus vtiliter desumit aliquod argumentum, plura istis erunt annumeranda, vt auctoritas rationis naturalis, historiæ, & plurium id genus aliorum; quæ licet non habeant auctoritatem infallibilem, vel nec contineant veritates à Deo reuelatas, vel si illas continent, non tamen infallibiliter, multum nihilominùs possunt prodesse Theologo : vnde à nonnullis vocantur *loci extrinseci,*
B quod etiam expressit sanctus Thomas VI.
hîc articulo octauo in solutione ad secundum : de locis Theologicis, fusè agit Canus toto suo opere de illis inscripto.

Quæres secundò, cùm sacra Scriptura habeat plures sensus, scilicet *litteralem, & spiritalem,* & hunc *spiritalem,* adhuc triplicem, scilicet *tropologicum* seu moralem, *allegoricum,* & *anagogicum,* quos isti vulgares versus rectè exprimunt,

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

de quibus singulis sensibus agere pertinet ad positiuam Theologiam. Quæres, inquam, ex quo eiusmodi sensuum Theologus possit desumere validum argumentum.

Respondetur desumi ex litterali tantùm; & nunquam ex sensibus spiritalibus, ni-
C si quando illi sunt, vel per Christum Do- VII.
minum, vel per Apostolos explicati, aut per Ecclesiam approbati tanquam de fide, quemadmodum docent Patres, sanctus Hieronymus in caput decimumtertium sancti Matthæi, sanctus Augustinus epistolâ quadragesimâ octauâ, sanctus Thomas *quodlibeto septimo* articulo decimoquarto; & præsenti quæstione articulo decimo in solutione ad primum: sensus enim litteralis est longè certior & manifestior nobis, quàm sint spiritales, éstque fundamentum reliquorum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Theologia possit probare sua principia.

D QVIA vnum ex muneribus Theologi, VIII.
est tueri fidem contra infideles, illi autem negant articulos fidei, qui sunt nostræ Theologiæ principia, & item Theologia est suprema in suo genere, probationem principiorum suorum à nulla alia scientia accipit, sed solâ fide credit; ideò hîc est videndum an possit illa probare: pro cuius explicatione,

Notandum est, nostra principia esse in duplici differentia, alia *mediata,* vt Christum Dominum habere duas voluntates, alia immediata, vt *Deum esse vnum & trinum.*

Notandum secundò, alia item principia haberi ex sola reuelatione Dei, vt mox enumerata, alia etiam ex lumine naturali, vt Deum esse æternum, immutabilem, & cætera id genus: nos hîc tantùm loqui de principiis

I. solâ reuelatione creditis: his ita præmissis, A
sit

Prima propositio. *Principia immediata Theologiæ nullo demonstrationis genere*, id est necà priori, nec à posteriori, *sed tantùm aliquando possunt argumento ad hominem* (vt loquuntur Dialectici) *demonstrari*. Prima pars probatur: demonstratio *à priori* est per veram causam ex Aristotele *in Analyticis*; at prima principia immediata nullam habent veram causam, quia iam non essent prima.

Secunda item pars probatur: omnis demonstratio procedit ex notioribus ex Aristotele lib. *posteriorum*; at principia mediata quæ sunt effectus primorum principiorum non sunt nobis notiora ipsis primis principiis, quia cognitio principiorum mediatorum pendet à
II. cognitione primorum seu immediatorum
principiorum sibi correspondentium per lu- B
men fidei cognitorum.

Tertia denique pars probatur: tunc aliquis argumentatur *ad hominem*, quando ex quibusdam sibi ab aduersario concessis colligit veritatem suæ conclusionis, aut cogit eum negare quæ concesserat, vel admittere contradictoria; atqui Theologus potest interdum aliqua principia etiam immediata hoc modo probare; verbi gratiâ, contra Iudæos mysterium Incarnationis iam à longo tempore esse peractum, ex sacris Litteris quas illi admittunt.

Secunda propositio. *Principia mediata Theologiæ possunt demonstrari à priori*, scilicet *per immediata sibi correspondentia*. Probatur: Christum Dominum habere duas voluntates est
III. principium mediatum: Christum verò esse C
Deum & hominem est principium immediatùm, per hoc istud probatur; hoc enim est causa necessaria istius.

ARTICVLVS III.

Vtrum Theologia possit probare sua principia esse possibilia.

NOTANDVM primò est, hæc duo distingui inter se, aliquid demonstrari esse *possibile*, &, aliquid demonstrari esse *credibile*; nam id per quod aliquid ostenditur esse *credibile* est semper externum rei ipsi creditæ; sunt enim ipsa motiua fidei, verbi gratiâ, auctoritas dicentium, communis fama, mira-
IV. cula, & alia id genus, quæ ostendunt ista my-
steria posse à viro prudenti sine aliqua suspi- D
cione leuitatis credi: medium autem per quod aliquid ostenditur esse *possibile*, est intrinsecum rei cognitæ; nam desumitur ex eo quòd ipsum attributum non habeat repugnantiam inesse subiecto ipsius propositionis.

Notandum secundò, eiusmodi possibilitatem posse duobus modis ostendi: primò *positiuè*, id est, afferendo medium quo affirmatiuè ostendamus intrinsecam aptitudinem existentiæ ipsius rei, vt ex eo quòd animal & rationale possint coniungi simul tanquam genus, & differentia ostendimus hominem posse esse. Secundò *negatiuè*, id est, remouendo illud omne quod videtur probare impossibilitatem, verbi gratiâ, cùm possibilitas Incarnationis Verbi diuini ostenditur, ex eo quòd nec finitas naturæ humanæ, nec infinitas Ver-
bi diuini, nec eius etiam immutabilitas illam V.
impediant; qui posterior modus spectat potiùs ad modum dissoluendi contraria argumenta, quàm ad modum probandi aliquam propositionem; hîc non agimus de probatione credibilitatis mysteriorum nostræ fidei; nam agere de motiuis fidei Christianæ, & etiam Catholicæ, spectat ad secundam secundæ, vbi agitur *de fide*; sed tantùm agimus de probatione possibilitatis illorum. Sit itaque

Propositio. *Principia Theologica non possunt naturaliter positiuè demonstrari esse possibilia*. Probatur: quæcumque naturaliter, & positiuè demonstrantur *possibilia*, continentur intra limites naturæ, & demonstrantur per medium intra naturæ limites contentum; atqui principia Theologica non
continentur intra limites naturæ, vt per se VI.
patet, nec potest dari medium intra limites naturæ contentum, quo illorum possibilitas demonstretur; quia tale medium debet esse ipsi rei internum; hæc autem res est extra limites naturæ: igitur principia Theologica non possunt naturaliter, & positiuè demonstrari *possibilia*.

Neque tamen ideò possunt demonstrari *impossibilia*, quia verum, cuiusmodi est quodlibet mysterium nostræ fidei, non est impossibile, & prætereà possibile & impossibile non sunt contradictoria, cùm vtrumque sit affirmatiuum ex secundo libro *de interpretatione* capite tertio, & inter posse demonstrari impossibile, & posse demonstrari possibile, detur aliquod medium, scilicet non
posse demonstrari possibile, nec posse de- VII.
monstrari impossibile; fit enim plerumque, vt noster intellectus careat medio, quo demonstret tam possibilitatem rei, quàm eius impossibilitatem.

Neque item ex eo quòd mysteria nostræ fidei, seu principia Theologica possint probari credibilia, sequitur illa etiam posse probari possibilia, quia radix possibilitatis non est ipsa credibilitas, est enim extrinseca rei cognoscendæ, sed debet esse aliquid ei intrinsecum, vt suprà notauimus.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrum Theologia possit soluere argumenta, quæ fiunt contra fidem, & quomodo.

NOTANDVM est, argumenta quæ pro- VIII.
priè fiunt contra fidem, aut esse *gentilium*, seu eorum qui Christianismum non amplectuntur, aut *hæreticorum* qui licet profiteantur Christianismum, à vera tamen fide deficiunt.

Notandum secundò, duobus modis posse intelligi aliquod argumentum solui: primò *euidenter positiuè*, scilicet ostendendo euidenter esse falsum, quod tamen assumitur tanquam verum: secundò *euidenter negatiuè*, quando scilicet respondens ostendit suum intellectum non conuinci argumento aduersarij.

Notandum tertiò, ea quæ opponuntur fidei esse in duplici differentia; alia enim opponuntur ei directè, vt Deum non esse simul vnum, & trinum, alia tantùm indirectè, vt

I. sunt quæ ex se & sua conditione pertinent ad
aliam scientiam, verbi gratiâ, quòd acciden-
tia non possint separari à suo subiecto, quate-
nus Philosophia docet inhærentiam actualem
non esse de essentia accidentis, cuius opposi-
tum indirectè aduersatur fidei; nam eo ad-
misso sequitur substantiam panis & vini rema-
nere in sacramento Eucharistiæ, cùm eorum
accidentia ibi remaneant; his ita præmissis
sit

Prima propositio. *Argumenta omnia quæ
fiunt contra fidem, siue fiunt ab infidelibus, siue
ab hæreticis, possunt solui per Theologiam.* Hæc
propositio est contra Holcoth. qui in eo de-
ceptus est, vt existimarit res fidei esse con-
tra rationem, quod etiam tentauit proba-
re; est tamen communis inter omnes Theo-
II. logos.

Probatur: Ecclesia præcipit tantùm possi-
bilia, quia nullum est præceptum, vel exhor-
tatio impossibilium; atqui Ecclesia in Con-
cilio Lateranensi sub Leone decimo sessione
8. præcipit viris doctis, vt soluant ratio-
nes quæ videntur pugnare cum rebus fidei,
cuiusmodi sunt gentilium, & hæreticorum
argumenta.

Quod autem fefellit Holcoth. est quòd
non satis distinxit hæc *esse supra captum puræ
rationis naturalis*, & *pugnare cum ratione na-
turali*; vnum non infert aliud: mysteria nostræ
fidei sunt quidem supra naturalem rationem,
sicut & supra naturam, non tamen contra
illam; verùm enimuerò nostra mysteria sunt
verissima, ac proinde nullomodo repugnant
rationi naturali, vt etiam patet ex toto il-
III. lo opere sancti Thomæ, quod scripsit *con-
tra gentiles*.

Secunda propositio. *Theologus potest quidem
euidenter negatiuè soluere argumenta à gentili
facta directè contra fidem, non potest tamen ea sol-
uere euidenter positiuè.* Prior pars probatur: si
quis infidelis ita argumentetur contra myste-
rium Trinitatis; ibi est distinctio naturarum,
vbi est distinctio personarum, sed in diuinis
est distinctio personarum: ergo & distinctio
naturarum: Theologus soluet hoc argumen-
tum negatâ maiori, quia non apparet eius
intellectui, quomodo hæc propositio sit in
vniuersum vera, & soluet euidenter negati-
uè afferendo infinitatem diuinæ essentiæ, quæ
mouet intellectum eius, ad non assentiendum
dictæ propositioni.

Posterior item pars probatur, quia Theo-
IV. logus non habet medium quo euidenter po-
sitiuè demonstret maiorem superioris argu-
menti esse falsam.

Dixi *à gentili*, quia quædam argumenta
ita proponuntur *ab hæreticis*, contra quos-
dam articulos fidei, vt tamen eorum falsitas
possit euidenter & positiuè ostendi, ex ne-
cessaria connexione & similitudine, quæ est
inter articulum fidei, in quo dissentiunt à no-
bis, & alium articulum in quo consentiunt,
vt argumenta Monothelitarum contra duas

A voluntates Christi Domini; argumenta Lu- V.
theranorũ pro vbiquitate humanitatis Chri-
sti Domini; item argumenta Caluinistarum,
beatos in patria orare pro nobis, cùm ta-
men admittant viuentem in terris posse pro
altero viuente Deum orare, & alia id genus
quamplurima.

Dixi secundò in conclusione *directè*, quia
argumenta quæ tantùm pugnant contra fi-
dem ex consequenti, & directè sunt contra
aliquam veritatem naturalem, quam articu-
lus fidei supponit, (sicut in exemplo allato
suprà de inhærentia actuali accidentium in
suo subiecto) possunt euidenter & positiuè
solui, sicut & veritas naturalis illis opposita
potest euidenter positiuè probari.

Quæres primò, an tunc Theologus ex pro-
B prio suo munere soluat hæc argumenta poste- VI.
rioris generis.

Respondetur negatiuè, quia tunc tantùm
agit ex proprio munere Theologi, loquendo
præcisè, quando arguit ex aliquo principio
reuelato, quando autem ex purè naturalibus
minimè; atqui Theologus soluendo positiuè
euidenter argumenta illa, quæ tantùm ex
consequenti sunt contra fidem, ex nullo prin-
cipio reuelato arguit; quia nulla præmissa-
rum eius est de fide: igitur vt Philosophi mu-
nus gerit, aut ad summum quatenus vtitur
aliis inferioribus scientiis.

Quæres secundò, an ad soluenda argumen-
ta prædicta detur specialis quidem habitus
distinctus ab habitu Theologiæ, & aliarum
scientiarum, contra quas pugnãt argumenta.

Respondetur negatiuè, quia nulla est eius
C necessitas; aut enim argumenta peccant in for- VII.
ma, aut in materia; si in forma soluuntur per
Dialecticos, si in materia, aut præmissa vna,
vel ambæ pugnant directè contra fidem, &
tunc si arguens sit hæreticus, & aliquid ad-
mittat ex quo præmissæ eius falsitas possit
conuinci, soluitur euidenter positiuè, aut
arguens est gentilis infidelis, & tunc solui-
tur tantùm negatiuè, & hoc vtrumque per
habitum Theologiæ; quia per eundem habi-
tum assentimur alicui propositioni, & dissen-
timur eius oppositis: atqui per habitum Theo-
logiæ assentimur propositionibus deductis
ex reuelatis; vel denique ambæ præmissæ ar-
gumenti pugnant tantùm ex consequenti
contra fidem, & directè contra veritatem
naturalem; & tunc soluuntur per Philoso-
phiam, ob rationem mox allatam.

Postremò quæres vnde proueniat ista eui-
D dentia, quâ intellectus cognoscit prædicta ar- VIII.
gumenta esse solubilia.

Respondetur à lumine naturali, vt adiuto
per fidem; fides enim reddendo intellectum
certum excitat illum ad quærendas illas pro-
positiones communes, quibus probat argu-
mentum aduersarij non conuincere, & dum
habet Theologiam longè adhuc præstantiùs
id totum exequitur. Et hæc de prolegomenis
Theologiæ.

I.

AD QVÆSTIONEM II.

DISPVTATIO VNICA.

De Dei existentia.

QVIA Deus est præcipuum huius scientiæ subiectum, nec desunt, qui existentiam eius reuocent in dubium, cuiusmodi sunt, qui vulgò dicuntur Athei, & est proprium supremæ scientiæ, qualis est Theologia, probare existentiam sui subiecti; ideò ne dispu-
II. tatio de Deo, & eius attributis temerè, & frustrà videatur suscipi, sanctus Thomas exorditur à præsenti quæstione; in cuius explicatione, sicut & in omnibus aliquot sequentibus, ita nos geremus, vt quæ pertinent ad Philosophos, & ab illis ex professo tractantur supponamus: vel vbi erunt inter illos controuersa, breuiter exponamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deum esse sit per se notum.

NOTANDVM est primò propositionem dici notam per se, quæ est apta nata cognosci, terminis eius obiectiuis tantùm co-
III. gnitis, hoc est, cuius veritas est tam clara, vt cognitâ re per eius voces importatâ, seu cognitâ essentiâ subiecti & prædicati propositionis, intellectus statim ei præbeat assensum: vnde ex Dialecticis ad caput secundum & tertium libri primi *posteriorum* duo requiruntur ad propositionem *per se notam*. Primum est, vt cognitis terminis eius obiectiuis, veritas illius cognoscatur: *alterum* est, vt nullum detur medium rei, per quod deueniamus *à priori* in cognitionem coniunctionis attributi eius cum suo subiecto; nam veritas propositionis *notæ per se*, est independens à quacumque alia priori veritate: & sic propositio *per se* nota, est eadem cum *immediata*: vocatúrque ab Aristotele primo *posteriorum* capite tertio & octauo, propo-
IV. sitio *vacans medio*.

Diuiditur autem propositio *per se nota*, in propositionem *per se notam secundùm se tantùm*; & in propositionem *per se notam secundùm se, & quoad nos simul*: prior est, quæ ita est cognoscibilis per suos terminos, vt etiam nullum habeat medium à quo veritas rei dependeat, licet habeat aliquod aliud medium, quod vocant *cognitionis*, per quod cognoscatur à nobis: sicut æternitas Dei per eius immutabilitatem: posterior est, quæ caret tam medio cognitionis, quàm rei, constátque terminis à nostro intellectu quamprimùm cognoscibilibus: cuiusmodi est hæc: *omne totum est maius suâ parte*. Vnde cùm in demonstratione *à priori* coniunctio attributi cum suo subiecto ostendatur per aliquid; quod verè & realiter illa connectit inter se; quod autem est duntaxat *medium co-*

A *gnitionis*, id non præstet: vbi aliqua propositio caret *medio rei*, habet tamen *medium cognitionis*, illa ex hoc capite non desinit dici, & esse *nota per se secundùm se tantùm*: econtrà, propositio illa, cuius res significata non potest cogitari non existens; si tamen habet aliunde, quo veritas eius probetur, non est propositio nota *per se quoad nos*. V.

Notandum secundò, nomine *Dei*, omnes intelligere naturam quandam perfectissimam, quâ nihil melius aut maius potest cogitari: vt sanctus Augustinus docet libro primo *de doctrina Christiana* capite septimo.

Notandum est tertiò, verbum substantiuum *esse*, in titulo præsentis articuli sumi pro *existere*, seu *esse*, vt loquuntur Dia-
B lectici, *de secundo adiacente*. His ita prænotatis sit hæc VI.

Prima propositio. *Deum esse, seu existere, est per se notum secundùm se*; ita sanctus Thomas hîc articulo primo, & omnes eius discipuli.

Probatur: illud est *per se notum secundùm se*, cuius termini ex se, & suâ naturâ sunt cognoscibiles, quódque caret *medio rei*, quo extrema illius, id est, *attributum*, & *subiectum*, coniunguntur inter se, ex primo notabili: nam apud Aristotelem suprà, propositio *per se nota*, eadem est ac propositio *indemonstrabilis*; sed *Deus*, qui est subiectum in præsenti propositione, & eius *existentia*, quæ est attributum, sunt aliquid *secundùm se* maximè cognoscibile, cùm
C sint aliquid maximè immateriale: item, VII.
Deus, & eius *existentia* carent omni medio, quo connectantur inter se; imò *existentia Dei* est de intrinseco conceptu diuinæ essentiæ, etiam prout essentia consideratur *inadæquatè*, seu quatenus noster intellectus, ob suam imbecillitatem in concipiendo, & intelligendo, diuidit illam in plures conceptus inadæquatos, quemadmodum Deus, Exodi tertio capite indicat, exprimens proprium nomen suæ naturæ, sic loquendo Moïsi, *ego sum, qui sum*. & *essentia* Dei distinguitur ab *essentia* vera creaturarum, quòd hæc includat aliquid *potentialitatis*, ratione cuius dicitur esse *possibilis* antequam existat; essentia verò Dei excludat *simpliciter*, & absolutè *omnem istam potentialitatem*, quæ potentialitas excludi-
D tur tantùm per existentiam: ergo, *Deum esse*, seu existere, est *per se notum secundùm se*. VIII.

Secunda propositio. *Deum esse, non est per se notum quoad nos*; ita sanctus Thomas, & eius discipuli eodem primo articulo.

Probatur: ad propositionem *notam per se quoad nos*, requiruntur duo: primum est, vt eius veritas cognoscatur ex sola, & simplici cognitione terminorum eius obiectiuorum: *alterum est*, vt careat omni medio, tam *cognitionis*, quàm *rei*: sed veritas huius propositionis, *Deus est*, non cognoscitur ex sola & simplici cognitione terminorum eius obiectiuorum; nam non omnis, qui nouit quid apud homines intelligatur nomine *Dei*, quid item verbo *est*, in propositione *de secundo adiacente*, statim cognoscit eius veritatem; mul-

I. ti enim negarunt Deum existere; vnde illud Psalmi decimi tertij, *dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* & prætereà hæc eadem propositio non caret *medio* quo probetur, quia Deus potest cognosci, & probari existere ex rebus creatis, iuxta doctrinam Apostoli *ad Romanos* primo capite; res enim creatæ sunt veri effectus Dei, & causa potest rectè probari *à posteriori* per suos effectus, vt omnes Philosophi docent cum Aristotele in libris *posteriorum:* igitur *Deum esse*, non est *per se* notum quoad nos.

Hinc quando aliqui Patres, vt sanctus Damascenus libro primo *de fide*, capite primo & tertio, sanctus Anselmus libro *contra insipientes*, dicunt cognitionem huius propositionis, *Deus est*, esse *nobis à natura insitam*, loquuntur tantùm hoc sensu, quòd ab
II. infantia & traditione parentum, & communi omnium æstimatione discamus veritatem illius; vel vt sanctus Thomas respondet in quæstionibus disputatis de veritate, quæstione primâ articulo duodecimo, quòd habeamus à natura magnam facilitatem ad cognoscendam veritatem huius propositionis, cùm singulæ creaturæ nobis semper obiiciant motiua sufficientia, per quæ illam percipiamus; vnde quia nemo, propriè loquendo, censetur ignorare *inuincibiliter* quod tenetur, & potest facilè addiscere, etiamsi præsens propositio non sit *per se nota quoad nos*; nulla tamen potest dari in adulto habente vsum rationis, ignorantia inuincibilis circa existentiam Dei.

Obiicies: principia *practica* præsupponunt
III. necessariò *speculatiua* sibi proportionata, cognoscibilia eodem genere cognitionis, quo practica sunt cognoscibilia: sed hæc propositio, *Deus est colendus*, est aliquod principium *practicum per se notum quoad nos*; & principium *speculatiuum* ei correspondens est hæc propositio, *Deus est*: ergo & hæc propositio *Deus est*, est *per se nota quoad nos*.

Respondetur, negando maiorem quoad eius illam partem, *principia practicæ supponunt speculatiua cognita cognitione eiusdem generis*: nam aliquo modo notum est *per se* (sumendo *notum per se* in ampliori significatione) nos debere colere parentes, non tamen est *nobis per se notum*, hos & illos in particulari esse veros nostros parētes, cùm id habeamus tantùm ex communi fama, traditione, educatio-
IV. ne & id genus cæteris: cuius discriminis hæc est ratio: quòd ad hoc vt aliquod principium sit hoc modo *notum per se*, & nos inducat ad operandum, sufficit quòd cognoscatur eâ cognitione, quæ satis est ad inchoandum operationem, & ad manifestandum conformitatem eius cum recta ratione; à qua quidem conformitate intellectus practicus habet, vt sit & dicatur *rectus*; vnde cùm ad hoc sufficiat cognitio imperfecta principij *speculatiui* sibi correspondentis, (qualis est illa quæ habetur per traditionem, vel similem alium modum, vt patet in exemplo nunc allato) fit vt aliquod principium *practicum*, possit esse *notum per se*, licet *speculatiuum* principium ei correspondens non sit *per se notum*. Adde minorem huius obiectionis esse falsam; licet enim veritas istius propositionis practicæ cognoscatur ex nuda, & simplici notitia suo-

A rum terminorum, non tamen caret omni me- V.
dio: multæ enim rationes *naturales*, & *Theologicæ* assignantur, quibus moralis Philosophus & Theologus ostendant veritatem istius practicæ propositionis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deum esse sit demonstrabile à priori.

SIT hæc nostra propositio. *Deum esse seu existere, non potest demonstrari à priori*: ita sanctus Thomas præsenti *quæstione articulo secundo*, & pluresalij; quos eius interpretes hîc fusè referunt. Probatur ex dictis articulo præcedenti: omnis propositio *per se nota secundùm se*, est indemonstrabilis ex Aristotele ibi relato: sed hæc propositio, *Deus est*,
B est *per se nota secundùm se*, ex doctrina supe- VI.
rioris articuli: ergo *Deum esse, seu existere*, est *indemonstrabile*.

Secundò: demonstratio *à priori*, est per aliquam veram causam, aut saltem rationem connectentem attributum cum subiecto: at nihil potest in Deo assignari, quod sit talis causa, vel ratio vniens existentiam eius cum sua essentia; item quod demonstratur de aliquo, non includitur in conceptu eius, de quo demonstratur, quia sic seipsum demonstraret, & nihil propriè seipsum demonstrat: at vt obseruauimus articulo præcedenti, ex tertio capite Exodi, ipsum *existere*, seu existentia, est de formali & intrinseco conceptu diuinæ essentiæ: ergo existentia Dei non potest demonstrari demonstratione *à priori* de diuina
C essentia. VII.

Dices, has & similes rationes probare quidem nostram propositionem *secundùm legem ordinariam Dei*, & iuxta modum cognitionis, quem nunc habemus de Deo, at non ostendere eiusmodi veritatem de existentia Dei, esse indemonstrabilem vel *beatis* assumentibus visionem beatificam pro medio talis demonstrationis, vel saltem *per absolutam potentiam* quâ Deus infunderet alicui viatori notitiam euidentem istorum terminorum, *Deus est*, vel saltem istius, *Deus*, quæ notitia euidens à Deo infusâ posset inseruire tali demonstrationi loco definitionis.

Respondetur, nostras rationes probare nostram propositionem, tam *respectu beati* quàm viatoris, & etiam *secundùm absolutam potentiam Dei*; nam fundatur in formali, & in- VIII.
D trinseca ratione demonstrationis *à priori*, & in præcisa ac formali ratione tam diuinæ essentiæ, quàm existentiæ eius; quæ omnia sunt immutabilia, etiam de absoluta Dei potentia; aliàs enim tunc desinerent esse quod sunt, & aliam sortirentur rationem etiam essentialem, quod implicat.

Neque beatifica visio potest esse beato medium talis demonstrationis; vel enim hæc sumitur *formaliter*, seu prout est actus hominis, vel Angeli beati; aut sumitur *obiectiuè*, nimirum, quatenus est ipsamet diuina essentia beatificans hominem, vel Angelum: sed beatifica visio considerata *priori modo*, non potest esse tale medium; hoc enim debet esse aliquid intrinsecum rei, vt communiter docent Dialectici: at visio beatifica, vt sic, est aliquid extrinsecum Deo, cùm sit actus eli-

I. citus à creatura. Non etiam posteriori mo- A
do, quia summa beatitudo obiectiua non est
Deo causa, vel ratio cur existat: nam iuxta
nostrum modum concipiendi, actualis exi-
stentia Dei præsupponitur ad hanc *obiectiuam*
beatitudinem: priùs enim concipimus Deum
existere, quàm esse obiectum beatificans.

Neque etiam notitia euidens istorum ter-
minorum, *Deus est*, vel istius solius, *Deus*,
infusa alicui, posset per absolutam Dei po-
tentiam ab aliquo viatore assumi pro medio
demonstrandæ huius veritatis, *Deus est*:
nam tunc hæc notitia vel sumeretur *obiecti-
uè*, quomodo nihil esset aliud, quàm essen-
tialis ratio diuinæ essentiæ, & sic, cùm nihil
demonstret seipsum demonstratione propriè
dictâ, talis notitia non posset esse medium hu-
II. ius propositionis demonstrandæ, *Deus est*; vel B
illa eadem notitia sumeretur pro *conceptu for-
mali*, & tunc non posset etiam esse tale me-
dium, cùm vt sic, sit aliquid Deo extrinse-
cum: ergo qui acciperet à Deo talem euiden-
tem notitiam, licet haberet euidentem co-
gnitionem existentiæ ipsius Dei, non tamen
haberet demonstratiuam; imò ex tali no-
titia euidenti cognosceret, se talem verita-
tem non cognoscere *demonstratiuè*, quatenus
euidenter cognosceret existentiam Dei in-
cludi essentialiter in præciso formali conce-
ptu etiam *inadæquato* diuinæ essentiæ, nullò-
que intermedio ei conuenire; quæ cognitio
non esset *intuitiua*, sed *abstractiua* tantùm.

Articvlvs III.

III. ### *Vtrum Deum esse sit demonstrabile à posteriori.* C

NOTANDVM est hæc duo distingui, ali-
quid posse demonstrari, & aliquid re-
ipsa, & de facto demonstrari: primum affir-
mat dari solummodò sufficiens medium, per
quod talis veritas possit demonstrari, illud
tamen non explicat in particulari, nec de fa-
cto applicat: secundum verò id præstat &
exequitur; hîc circa existentiam Dei pri-
mum duntaxat aggredimur: secundum verò
duabus de causis omittimus: prior est quòd
nullo argumento Theologico, id est funda-
to in aliqua veritate diuinitus reuelata, po-
test existentia Dei probari contra Atheos, cùm
illi sacras Scripturas, traditiones diuinas,
Apostolicas, & auctoritatem Ecclesiæ re-
IV. spuant: posterior, quòd omnes Philosophi, D
tam in physicis, vbi agunt de primo motore,
quàm in metaphysicis agendo de Deo, pro-
bent & demonstrent existentiam Dei, & diffi-
cultates occurrentes circa demonstrationes
naturales istius veritatis accuratè soleant ex-
pendere & soluere; quare ex istis locis spe-
ciales eiusmodi demonstrationes possunt re-
peti.

Sit hæc itaque nostra propositio. *Deum esse*,
seu *existere à posteriori demonstrari potest*. ita
sanctus Thomas articulo secundo huius quæ-
stionis. Probatur primò ex sacris Litteris, quæ
docent res creatas demonstrare & clamare
Deum esse. Sapientiæ decimotertio, *à magni-
tudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter pote-
rit creator horum videri*: vbi postremæ par-
ticulæ denotant cognitionem euidentem
certam; priores autem, *à magnitudine speciei & creaturæ*, exprimunt cognitionem V.
istam certam & euidentem peti à rebus crea-
tis tanquam propriis effectibus ipsius Dei, &
ex consequenti probant existentiam Dei.
Item Isaiæ quadragesimo, *Leuate in excelsum
oculos vestros, & videte quis creauit hec.* ad
Romanos primo, *Inuisibilia Dei à creatura
mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspi-
ciuntur, sempiterna quoque eius virtus & di-
uinitas, ita vt sint inexcusabiles*, &c. Quò lo-
ci, hæ particulæ, *conspiciuntur, ita vt sint inex-
cusabiles*, sunt ponderandæ; nam significant
cognitionem Dei ex ipsis creaturis esse tam
facilem vnicuique, vt gentiles, qui ignorant
Deum, sint inexcusabiles à peccato, vt etiam
suprà animaduertimus. Quod tamen videre-
tur esse falsum, nisi existentia Dei esset tam VI.
certa & euidens, vt etiam posset demonstra-
ri ex creaturis.

Probatur item ex Patribus, qui passim do-
cent hanc suis commentariis ad citatum lo-
cum Apostoli *ad Romanos* primo capite; vn-
de sanctus Cyprianus libro *de idolorum vani-
tate*, sanctus Athanasius oratione *contra ido-
la*, sanctus Augustinus libro *de spiritu &
littera* capite duodecimo docent, quòd Athei
negent Deum esse, id prouenire tantùm ex
eorum proteruia, vel cæcitate: quòd scili-
cet nolint perpendere vim argumentorum,
non autem ex defectu sufficientis demonstra-
tionis.

Tandem probatur ratione: existentia ali-
cuius causæ efficaciter demonstratur à poste-
riori per certam, necessariam, & euidentem VII.
connexionem effectuum cum illa, quemad-
modum patet ex his quæ Dialectici tradunt
de demonstratione *à posteriori*: sed res om-
nes creatæ sunt veri quidam effectus Dei, ha-
bentes certam necessariam connexionem
cum Deo, quatenus positâ earum existentiâ,
illæ necessariò dependent, tam in suo *fieri*,
quàm in suo *conseruari* ab aliqua prima cau-
sa independente à quacumque alia; quæ pri-
ma causa independens, non potest esse alia
quàm Deus: & hæc necessaria connexio rei
cuiuslibet creatæ cum prima causa seu Deo,
est naturaliter certa & euidens, quia solo
naturæ lumine cognoscimus certò & eui-
denter, eiusmodi res esse aliquid actualiter
dependens à prima causa: dependentia au-
tem actualis potest tantùm esse ab eo, quod
actu existit: igitur existentia Dei rectè po- VIII.
test demonstrari à posteriori ex rebus creatis
tanquam veris effectibus ipsius Dei.

Neque potest responderi, medium cuius-
cumque demonstrationis etiam à posterio-
ri debere esse necessarium, aliàs non pariet
scientiam, sed actualem dependentiam crea-
turarum à prima causa, seu à Deo esse tan-
tùm contingentem, cùm fundetur in earum
existentia, quæ illis aduenit contingenter,
quatenus potuerunt non produci, & acce-
perunt existentiam ex mera & gratuita vo-
luntate Dei: hoc, inquam, non potest respon-
deri; nam in præsenti consideratione, actua-
lis creaturarum dependentia à Deo est ali-
quid aliud à connexione existentiæ illarum,
vt iam positæ cum Deo seu prima causa in-
dependente: est enim *essentialis* quidam *mo-
dus* illius, & quidem existentia rerum crea-

I. tarum est illis contingens, non tamen illâ iam
positâ, hæc creaturarum connexio cum prima
causa, quam fundat illarum dependentia à
Deo, sed est eis essentialis & intrinseca: quip-
pe repugnat aliquid creatum de facto exi-
stere, vel posse existere sine Deo. Iam quan-
do dicimus existentiam Dei posse demonstra-
ri ex creaturis, vt effectibus, eius medium
talis demonstrationis non erit hæc existentia
creaturarum, quæ est illis contingens; sed
ipsa connexio, quam existentia illarum vt
posita vel conseruata habet cum prima cau-
sa seu Deo, quæ connexio importatur per
dependentiam, & est simpliciter & absolutè
essentialis & necessariò conueniens rebus
creatis sic consideratis: quare talis demon-
stratio existentiæ Dei per res creatas, semper
erit per medium necessarium; imò per me-
II. dium magis necessarium, quàm sit risibilitas,
vt per illam demonstratur rationale de aliquo
subiecto.

Obiicies primò: illud quod diuinâ & in-
fusâ fide cognoscitur, non potest demonstra-
ri, quia fides, & scientia non sunt de eodem;
& habitus diuinæ fidei, & habitus scientiæ
respectu eiusdem obiecti non se compatiun-
tur in eodem intellectu, vt patet in beatis:
sed diuinâ & infusâ fide credimus Deum exi-
stere; nam Apostolus *ad Hebræos* vndecimo
capite, ait, *credere oportet accedentem ad Deum
quia est*, vbi hæc particula, *est*, ponitur de *se-
cundo adiacente*, & supponit pro *existere*, &
hæc præcedens particula, *credere*, denotat
verum actum diuinæ fidei circa talem verita-
tem; *Deus est*; nam eò loci Apostolus agit de
III. ea fide, quæ est fundamentum totius ædificij
spiritalis, & sine qua impossibile est placere
Deo: quemadmodum verba proximè ante-
cedentia declararunt: hanc autem fidem esse
diuinam, & *per se infusam*: húncque locum
Apostoli esse de ea intelligendum, Conci-
lium Tridentinum docet sessione sextâ capite
sexto: ergo non possumus vllo modo etiam *à
posteriori* demonstrare Deum existere.

Respondetur negando maiorem; licet e-
nim respectu status beatifici, qui omnem im-
perfectionem excludit à beato, fides & visio
beatifica, actus diuinæ fidei & clara intuitio
diuinæ essentiæ, sese ordinariè non compa-
tiantur (ob quam causam suprà diximus no-
stram Theologiam non remanere in beatis)
attamen in nostro statu qui est *peregrinatio-
nis*, & admixtus multis imperfectionibus,
IV. fides & scientia, obscura cognitio & scienti-
fica de eodem obiecto *per diuersa media*, seu
motiua possunt esse simul; nam habitus *præci-
sè* non repugnat habitui, sed tantùm *me-
diante* suo actu, & ratione illius: & quemad-
modum habitus opinionis potest in eodem in-
tellectu consistere, in quo est habitus scientiæ
respectu vnius & eiusdem veritatis, & qui
habet tales habitus, potest nunc *medio scien-
tifico*, seu per veram causam *à priori*, cogno-
scere aliquam conclusionem, & illam eandem
conclusionem alio & distincto actu cognosce-
re per *medium* duntaxat *probabile*: item &
propter auctoritatem virorum grauium illam
affirmantium; sic ~~enim~~ Philosophus Christia-
nus, vel etiam Theologus potest eandem ve-
ritatem, quam & lumen naturæ docet, & fi-
des diuina tradit, nunc per medium purè na-

A turale etiam scientificum cognoscere, nunc V.
alio & distincto actu ei assentiri ob solam
auctoritatem Dei illam reuelantis, & ita si-
mul & semel habere habitum fidei superna-
turalis & scientiæ acquisitæ: hinc quando
aliquis iam philosophus fit ex Ethnico Chri-
stianus, hoc per fidem acquirit, circa eius-
modi veritates à se iam naturaliter cognitas,
quòd illas cognoscat alio motiuo longè cer-
tiori, sicut qui cognoscebat veritatem me-
dio tantùm probabili, vbi acquirit scientiam
illius, habet de nouo, quòd illam certiùs
& euidentiùs cognoscat, quàm anteà.

Obiicies secundò: si existentia Dei potest
demonstrari, poterit & eius essentia, quia
hæc est vnum & idem cum illa; poterit & Tri-
nitas, quia hæc identificatur cum illa: sed nec
diuina essentia, nec Trinitas potest demon-
B strari etiam *à posteriori*, vt docebimus agen- VI.
do de mysterio Trinitatis: ergo neque exi-
stentia Dei poterit demonstrari etiam à po-
steriori.

Respondetur primò, si diuina essentia con-
sideretur, vt præscindit ab existentia, & ap-
prehenditur à nobis *inadæquato* conceptu,
non quidem sibi *proprio*, sed *alieno*, quate-
nus scilicet ex apprehensione essentiæ rerum
creatarum, formamus aliquem conceptum
de essentia Dei; respondetur inquam, illam
vt sic non posse demonstrari: non quidem *à
priori*, ob rationes allatas articulo præceden-
ti, non etiam *à posteriori*, quia nullus datur
effectus, qui sit ab illa vt sic. Quòd si essen-
tia diuina consideretur, vt actuata per suam
existentiam, iam effectus ille qui demonstrat
existentiam Dei, simul etiam demonstrat &
C eius essentiam, cùm talis demonstratio sit pro- VII.
priè rei existentis, diuina autem essentia, per
existentiam actuata, est res existens.

Deinde respondetur, ex eo quòd existen-
tia Dei est idem *formalissimè* cum diuina es-
sentia, vel etiam essentia Dei vt actuata, est
idem cum Trinitate personarum, & ex eo
quòd diuina existentia demonstratur *à poste-
riori*, non benè inferri & Trinitatem diui-
narum personarum *eodem genere demonstratio-
nis* de facto demonstrari, vel saltem posse
demonstrari; nam hæc cognitio de Deo, es-
sentia, & existentia eius, aliisque perfectio-
nibus eius, formatur à nobis per conceptus
desumptos à rebus creatis: quibus conce-
ptibus, quidquid est perfectionis in creatu-
ris, tribuimus Deo, & isti conceptus sunt
D inadæquati tantùm, & distincti ex imbecilli- VIII.
tate nostri intellectus, summáque perfectio-
ne diuinæ essentiæ, quæ tota non potest à
nobis vno conceptu apprehendi: quare cùm
formales nostri conceptus debeant correspon-
dere *obiectiuis*, quod de vno vt sic, id est,
inadæquatè apprehenso affirmatur, vel demon-
stratur, vel etiam negatur, non statim affir-
matur, demonstratur, vel negatur de alio
sibi quidem *formaliter* identificato, sed alio
inadæquato conceptu sibi correspondente
apprehenso. Adde quòd demõstratio existen-
tiæ Dei fundatur in connexione illa, quam
creaturæ, positâ suâ existentiâ, habent cum
prima causa, *vt necessariâ, & euidenter cogni-
tâ*, quemadmodum patet ex dictis: at intelle-
ctus noster instructus solâ cognitione natura-
li, non penetrat etiam euidenter, quam ha-

I. beant necessariam connexionem creaturæ A cum Trinitate diuinarum personarum, cùm hæc naturaliter sit incognita.

Quæres, an hæc propositio sit de fide.

Negant aliqui, quia testimonia sacræ Scripturæ, quibus probatur, possunt explicari de aliqua tantùm *persuasione rationabili*, propter quam homines qui ita Deum cognoscút, tenentur eum colere; nolunt autem hæc testimonia explicare de ratione *demonstratiua*, etiam per effectum: alij volunt hanc propositionem, ita esse certam, vt existiment oppositam esse duntaxat temerariam: alij erroneam, vt sanctus Thomas libro primo contra *Gentes* capite duodecimo, sed si testimonia sacræ Scripturæ, quæ faciunt pro nostra propositione accuratè ponderentur, expositione Patrum illis adiunctâ, videtur *esse de*
II. *fide*; nam testantur *expressè* se loqui, non tantùm de aliqua *probabili*, & coniecturali cognitione, quæ tamen sit rationabilis, sed de *certa*, & euidenti petita ex necessaria habitudine & connexione, quam creaturæ, positâ suâ existentiâ, habent cum Deo; dicunt enim *Deum cognoscibiliter videri, conspici*, Sapientiæ decimotertio, id est, *euidenter*, vt Actuum decimoseptimo capite, Deus dicitur *attrectari*, quia uidens cognitio de existentia Dei tam facilè omnibus & vbique occurrit, vt palpari videatur ab iis qui volunt eam inquirere: sicut cæco erranti in sylua densissima facilè occurrit arbor, in quam impingat, vel quam palpet, & suâ manu attrectet: item *ad Romanos* primo, existentia Dei dicitur Philosophis esse à Deo *mani-*
III. *festata*, id est, à Deo *euidenter* illis exposita per res creatas.

Neque his obstat quòd verbum hoc *manifestare*, dicatur aliquando, etiam in sacris Litteris, de cognitione *obscura, & per fidem tradita*, vt apud sanctum Ioannem capite decimoseptimo; similiter & verbum, *videre*; nam hæc verba debent *diiudicari*, accipi pro obscura, vel euidenti & manifesta cognitione *ex subiecto*, & materia cui applicantur. Quare cùm in locis sacræ Scripturæ citatis pro præsenti propositione, applicentur obiecto, vt cognito *solo lumine naturæ*, & ex creaturis, vt ingenerantibus nobis certam, euidentem & quasi *palpabilem* cognitionem de existentia Dei, fit vt hæc propositio videatur esse *de fide*: fatemur tamen, vt est quædam latitudo ingeniorum, ita etiam da-
IV. ri quosdam homines qui faciliùs aliis penetrant eiusmodi demonstrationes, & inter particulares istas demonstrationes existentiæ Dei, alias etiam esse aliis faciliores, quemadmodum ex illarum consideratione in particulari, & earum collatione ad se inuicem, facilè diiudicari potest.

V.

AD QVÆSTIONEM III.

DISPVTATIO VNICA.

De simplicitate Dei.

PROBATA Dei existentiâ, Theologi cum sancto Thoma aggrediuntur explicationem eorum quæ Deo conueniunt propriè, nec solùm metaphoricè prædicantur de illo.

Sumunt autem initium ab eius simplicitate, ob duas rationes: prima quia hæc denotat B *specialem conditionem*, pertinentem ad consti- VI.
tutionem diuinæ essentiæ vt sic, nostro imperfecto modo considerandi magis ei propinquam, quàm sint illæ aliæ perfectiones, quas tantùm concipimus, vt adiacentes diuinæ essentiæ, quæ nomine proprio appellantur à Theologis *attributa*: secunda, quia cùm sit *duplex* modus cognoscendi Deum; (vt S. Dionysius docet cap. 7. *de diuinis nominibus*:) *vnus per viam negationis*, quo scilicet remouemus à Deo omnes imperfectiones, quas animaduertimus in rebus creatis; alter *per viam affirmationis*, quo cognoscimus, & dicimus omnes illas perfectiones, quas videmus in rebus creatis esse in Deo; & prior modus est facilior, minúsque obnoxius errori: simplicitas ad hunc priorem modum pertinet, eiúsque explicatio C viam sternit ad explicationem perfectionis, VII.
vnitatis & id genus aliorum quæ sunt in Deo, & de quibus posteà est agendum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An per simplicitatem Dei intelligatur aliquid negatiuum, vel positiuum.

CERTVM est, apud omnes *simplicitatem* dicere in Deo negationem cuiuscumque compositionis, sicut *vnitas* dicit negationem diuisionis & multitudinis: sed difficultas est, an tota formalis eius ratio cõsistat in tali negatione, an verò præter illã includat in suo formali conceptu ratioñe aliquam *positiuam*, vel saltem illam connotet in obliquo, scilicet *summam actualitatem*, seu infinitatem actus puri, D exclusiuam omnis & cuiuscumque potentiali- VIII.
tatis: qua in re vnicuique philosophandum est eo modo, quo in metaphysicis philosophatur de vno: qui enim existimat vnum & vnitatem in suo præciso formali directo conceptu esse meram negationem diuisionis & multitudinis, ille, insistendo suis principiis, debet dicere hanc simplicitatem Dei in suo directo & formali conceptu esse negationem cuiuscumque compositionis: quia eo modo simplicitas sese habet ad compositionem, quomodo vnitas sese habet ad diuisionem: hæc enim sibi inuicem opponuntur.

Et certè, si hæc opinio velit tam vnitatem, quàm simplicitatem ei correspondentem, dicere nudam tantùm negationem multitudinis, vel diuisionis absque vlla inclusione, vel connotatione saltem *in obliquo* alicuius positiui, non videtur probabi-

I. lis: nam præcisa ratio negationis tam benè potest tribui entibus rationis, negationibus quibuslibet, & figmentis nostri intellectus, quàm aliquibus entibus verè realibus: ergo cùm *enti reali, & enti rationis nihil conueniat vniuocè*, simplicitas etiam Dei non potest dici, esse hoc sensu mera quædam negatio compositionis.

Si quis autem existimet *vnum*, & *vnitatem*, ita esse formaliter negationem multitudinis, vt tamen *in obliquo* connotet aliquid positiuum, scilicet ipsum ens, & actualitatem eius: ille conformiter ad sua principia dicet, hanc simplicitatem consideratam formaliter esse negationem cuiuscumque compositionis, connotando summam actualitatem Dei, tanquam proprium suum funda-
II. mentum; sicut simplicitas illa, quæ est in Angelo considerata formaliter est quædam negatio compositionis, cuius tamen fundamentum, & quasi causa seu ratio ad quam veluti resultat, est *actualitas* naturæ ipsius Angeli, quatenus vbi simplicitas in aliquo ente, est quædam connexio nobilitatis (quomodo sese habet in Deo, & Angelis) debet fundari in aliqua *actualitate* sibi correspondente.

Qui denique existimat formalem rationem *vnius*, & *vnitatis*, esse entitatem, prout hæc subest negationi diuisionis, & multitudinis: sícque illam *in recto*, esse aliquid partim positiuum, partim negatiuum, conformiter ad suam opinionem debet dicere simplicitatem in Deo, non esse formaliter negationem, sed ipsammet entitatem diui-
III. næ essentiæ, prout subest negationi multitudinis, & diuisionis, vel quod in idem recidit, quatenus ipsa entitas Dei excludit à se omnem & quamlibet compositionem ad eum modum, quo nomina artefactorum, verbi gratiâ, hoc nomen *scamnum*, non significant pro suo formali solas figuras, sed materiam idoneam taliter figuratam.

Neque his quæ diximus de eadem ratione philosophandi circa diuinam simplicitatem, & circa vnitatē, potest opponi illud posse quidem concedi de simplicitate, quæ potest reperiri in entibus creatis, non autem de ea, quæ est in Deo, ente increato, & alterius omninò connexionis. Hoc inquam dici non potest. Quia sanctus Augustinus libro sexto *de Trinitate* capite quinto, ita philosophatur, dum agens de simplicitate Dei, sic ha-
IV. bet: *Si quæritur, quomodo simplex, & multiplex sit illa substantia, animaduertenda primò, quare creatura sit multiplex, nullo autem modo verè simplex.*

ARTICVLVS II.

Vtrum simplicitas quæ concipitur in Deo, sit aliquod attributum.

NOTANDVM est ex sancto Damasceno libro primo *de fide* capite quarto, & ex receptissima apud omnes Scholasticos doctrina, eorum, quæ propriè conueniunt Deo, & prædicantur de illo, alia prædicari tanquam constitutiua essentiæ illius, seu vt ingredientia formalem constitutionem diuinæ essentiæ, alia verò prædicari de eo tanquam ad-

A iuncta eius essentiæ, seu per modum adiacentis, & proprietatis: *de priori genere* prædicatorum sunt, spiritus, viuens: *de posteriori*, sunt iustus, bonus, misericors, & id genus alia quæ in nobis sunt, vel proprietates substantiarum, vel qualitates aduenientes substantiæ iam constitutæ: prædicata prioris generis appellantur simpliciter prædicata: quæ verò sunt posterioris generis ad distinctionem aliorum vocantur peculiari nomine à Theologis attributa, *quasi tributa alicui quod supponitur iam constitutum in suo esse essentiæ*, & quidditatis. V.

Hæc distinctio fundatur in nostro modo cognoscendi aliquid de Deo: quia enim quæ de Deo cognoscimus, cognoscimus ex rebus creatis, & per quandam analogiam ad illas
B ex Apostolo *ad Romanos* primo capite, & in substantiis creatis prædicata alia sunt essentialia, & constitutiua essentiæ illarum, pertinéntque ad prædicamentum substantiæ: alia prædicata sunt, quæ fiunt circa substantiam, eíque semper adduntur, cuiusmodi sunt quæ pertinent ad reliqua nouem prædicamenta accidentium: ideò prædicata illa, quæ concipimus in Deo, vt constitutiua essentiæ substantiarum creatarum, & pertinent ad prædicamentum substantiæ, & à substantiis creatis transferuntur à nobis in Deum, dicuntur esse constitutiua ipsius essentiæ Dei: ea verò, quæ concipimus in Deo, & ex sua ratione analoga supponunt in rebus creatis substantiam iam constitutam in suo esse essentiali, eíque, vt iam constitutæ adueniunt, vel adiiciuntur ei, dicuntur propriè VI.
C *attributa*. VII.

Hinc ad rationem *attributi* propriè dicti in Deo, hæ conditiones requiruntur: prima est, vt prædicetur de Deo, seu de diuina essentia per *modum adiacentis* proprietatis, seu perfectionis quasi superadditæ essentiæ iam constitutæ: quemadmodum intelligitur ex citato loco S. Damasceni, per quam conditionem, omnia & singula prædicata constitutiua diuinæ essentiæ in præciso, & *formali suo esse* excluduntur à ratione attributi. Secunda conditio, vt non sit aliquod prædicatum *personale*, seu *proprium* alicui ex diuinis personis, quatenus illa distinguitur ab aliis, quia sic loquendo propriè non se habet ad diuinam essentiam, *per modum formæ*, vel proprietatis *adiacentis ei*, sed tantùm respicit personam: hinc S. Thomas hâc parte quæst. 39. art. 7. tam *in corpore*,
D quàm *in solutione ad secundū*, distinguit *attributa* Dei ab iis, quæ sunt *propria* personis diuinis. VIII.

Tertia conditio est, vt dicat aliquam *perfectionem* existentem formaliter in Deo; nam Theologi ideò agunt de attributis diuinæ essentiæ, vt explicent perfectionem eius: ergo attributa illa debent significare aliquam perfectionem ei *inexistentem*, & ex consequenti *absolutam*; omnis enim relatiua perfectio existens formaliter in Deo, pertinet ad personas: ergo cùm attributum non significet aliquid personale in Deo, sed aliquid veluti *adiacens* diuinæ essentiæ, quemadmodum essentia, vt præscindit à diuinis personalitatibus, est aliquid propriè *absolutum*; sic etiam prædicatum illud, quod propriè est *attributum*, debet dicere aliquam absolutam perfectionem per modum adiacentis conuenien-

I. tem diuinæ essentiæ. Hinc quia *transcendentalis relatio*, iuxta omnes Philosophos, non tollit ab eo cui inest, & conuenit, rationem entis absoluti, sed ea tantùm quæ est relatio *secundùm esse*, fit, vt omnipotentia, & aliæ ei similes perfectiones dicentes transcendentalem relationem ad omnes res creatas, rectè annumerentur attributis Dei propriè dictis.

Ex quo etiam intelligitur, non requiri ad intrinsecam rationem attributi diuini propriè dicti, quòd perfectio illa, quam importat, sit *communis Deo, & creaturis*, aliàs non solùm omnipotentiam, sed & immensitatem, immutabilitatem, & æternitatem à numero attributorum Dei deberemus excludere, quas tamen perfectiones Theologi censent communiter esse de numero attributorum. Nec item requiritur ad rationem attributi, vt illa perfe-
II. ctio, quam significat esse in Deo, sit *demonstrabilis naturaliter* ex creaturis. Primò, quia de multis constat, inter Theologos esse attributa Dei verè & propriè dicta, de quibus tamen controuertitur inter Scholasticos, an possint demonstrari ratione naturali. Deinde quia Deum clarâ, & intuitiuâ visione sui ipsius, seu visibilitate esse obiectum beatificatiuum est diuinum aliquod attributum, quam tamen visibilitatem hâc parte quæst.12. docebimus non posse ostendi aliquâ ratione naturali.

Notandum est secundò, *attributa Dei*, propriè dicta diuidi *in affirmatiua, & negatiua*, quæ diuisio fundatur in S. Dionysio loco superiùs citato, dicente, *Deum à nobis & scientiâ cognosci, & ignoratione*; nam Deus dicitur cognosci à nobis *scientiâ*, quatenus positiua,
III. seu affirmatiua eius attributa nouimus, cognosci verò *ignoratione*, quatenus habemus cognitionem negatiuorum eius attributorũ, ea dicuntur attributa *positiua*, seu affirmatiua, quæ tam ipsâ *voce* quâ exprimuntur, quàm *re* per illam importatâ, significant certam aliquam perfectionem inexistentem diuinæ essentiæ, *adiacentem* ei, *per modum cuiusdam formæ ei superadditæ*, cuiusmodi sunt bonitas, iustitia, misericordia; illa autem dicuntur *negatiua*, quæ *voce* ita significant remotionem alicuius imperfectionis, vt tamen ex ipsa intentione eorum, qui imposuerunt hæc nomina, denotent per negationem imperfectionis quam dicunt, aliquam perfectionem *formaliter existentem in Deo*: verbi gratiâ, *immensitas* diuina negatione localis con-
IV. tinentiæ denotat positiuam aliquam perfectionem, quâ diuina essentia continet infinita spatia locorum.

His ita præmissis. Quod spectat ad difficultatem propositam, *vtrum simplicitas Dei, sit aliquod eius attributum propriè dictum*. Respondetur loquendo *in rigore Theologico*, non esse sequendo primum modum philosophandi de vno, quo simplicitas dicitur esse pura negatio: nam de ratione attributi est dicere *in recto*, vel saltem *in obliquo*, aliquam perfectionem formaliter existentem in Deo, ex nunc dictis: at mera negatio, qualis est simplicitas Dei iuxta hunc modum philosophandi, nullam dicit perfectionem; omnis enim *perfectio* est quædam *actualitas*.

Sequendo etiam duos posteriores modos philosophandi *de vno*, simplicitas hæc non est attributum quoddam, quia licet dicat

A aliquam perfectionem in Deo, vel in formali suo conceptu, vel ratione sui fundamenti; nihilominùs tamen non se habet ad diuinam essentiam, vt constitutam in suo esse formali & quidditatiuo, *tanquam forma ei veluti adiacens*, & superaddita, eámque veluti *qualificans*, sed tantùm, vt *intrinsecè modificans illam*; dicit enim solummodò modum quemdam positiuu. ı diuinæ entitati intrinsecum, ratione cuius actualitas est *summa, & exclusiua omnis cuiuscumque potentialitatis, & diuisionis*. Sicut autem quæ sunt eiusmodi in rebus creatis pertinent ad prædicamentum substantiæ, & ad constitutionem completæ substantiæ, nec reponuntur in aliis categoriis accidentium, nec se habent per modum alicuius *formæ adiacentis, & qualificantis* substantiam: vt videre est in existen- V.
B tia, & subsistentia substantiæ creatæ: sic etiam quia prædicata in Deo dicuntur *attributa* per analogiam ad qualitates superadditas creatis substantiis, qualificantes illas, modi verò complentes *intrinsecè* substantiam computantur inter constitutiua substantiæ completæ apud omnes Philosophos, ideò simplicitas, & id genus cætera prædicata diuina, quæ in suo præciso conceptu dicunt aliquem modum ingredientem formaliter, & intrinsecè constitutionem diuinæ essentiæ (cuiusmodi sunt increatum, independens, & incorporeum,) licet dicant aliquam perfectionem *simpliciter simplicem*; attamen defectu huius conditionis non erunt attributa diuina, propriè dicta. VI.

C ARTICVLVS III. VII.

An simplicitas sit perfectio.

PRÆMITTENDVM est, istud posse quæri duobus modis: primò de simplicitate *in communi*: secundò, *in particulari* de simplicitate, quæ est in Deo: si quæstio sit de priori, & simplicitas iuxta primam sententiam superiùs expositam sit mera quædam negatio, tam vt consideratur *fundamentaliter*, quàm *formaliter*, illa nullam dicit perfectionem, cùm omnis *perfectio* sit vel quædam actualitas, vel fundetur in aliqua actualitate: iuxta secundam, & tertiam sententiam abstrahit à perfectione, & imperfectione. Hæc enim in quibusdam arguit imperfectionem: verbi gratiâ, in materia
D prima & compositio ei opposita denotat perfectionem, & hoc sensu composita dicuntur esse nobiliora simplicibus, & totum perfectius suis partibus: in quibusdam verò arguit perfectionem, vt in anima, angelis, & hæc perfectio, & imperfectio diiudicanda est, per *accessum ad purum actum*, & recessum ab illo, & *accessum* ad puram potentiam. VIII.

Si autem quæstio moueatur de sola simplicitate Dei, hæc iuxta primam sententiam nullam dicit perfectionem; iuxta secundam dicit perfectionem simpliciter simplicem ratione sui fundamenti, & iuxta tertiam, vt consideratur formaliter.

Prima pars probatur: omnis perfectio dicit aliquid positiuum vel *in recto*, vel *in obliquo*: at iuxta primam sententiam simplicitas in

Deo,

I. Deo, est tantùm mera quædam negatio. A

Nec obstat, quòd excludere imperfectionem sit quædam perfectio: hæc autem negatio excludit à Deo omnem compositionem, & potentialitatem, quæ est aliqua imperfectio; hoc inquam non obstat, nam hæc negatio excludit tantùm *negatiuè* hanc imperfectionem, & non *positiuè*, cùm repugnet puræ negationi excludere imperfectionem modo positiuo: at excludere solummodo *negatiuè* aliquam imperfectionem, nulla est prorsus perfectio.

Secunda etiam pars responsionis probatur: primò, quia sic est aliquid positiuum, scilicet summa actualitas Dei excludens positiuè à sua entitate omnem, & quamlibet compositionem: deinde quia perfectio illa dicitur à Theologis ex sancto Anselmo in
II. *Monologio*, capite decimo quarto, esse *simpliciter simplex*, quæ *melior est ipsa, quàm* B
non ipsa, id est, quæ in vnoquoque ente, *quatenus est ens*, est melior, quàm eius oppositum, quæque aliam, vel æqualem, vel maiorem perfectionem non excludit: at melius est diuinæ essentiæ, *quatenus est ens*, habere rationem exclusiuam imperfectionis illius, quam compositio importat, fundatam in infinitudine actus puri, vel habere entitatem, vt formaliter exclusiuam talis imperfectionis, seu compositionis; & hæc ratio positiua exclusiua huius imperfectionis, est simplicitas Dei considerata, vel ratione sui fundamenti, iuxta secundam sententiam, vel formaliter, & *in recto* iuxta tertiam: igitur simplicitas, quæ est in Deo, est perfectio simpliciter
III. citer simplex. C

ARTICVLVS IV.

Vtrum essentia diuina sit omninò simplex.

FIDES Catholica docet, *essentiam diuinam esse omninò simplicem*: ita enim habemus definitum in multis Conciliis, vt in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur *de summa Trinitate*, capite *firmiter*, capite *damnamus*, & pro hac nostra propositione plures Conciliorum, & Patrum auctoritates videri possunt apud Magistrum sententiarum, libro primo distinctione octauâ, & eius interpretes, & S. Thomæ hâc præsenti quæ-
IV. stione. D

Probatur primò ex summa actualitate diuinæ essentiæ; nam illud est omninò simplex, cui omnis potentialitas repugnat, sed essentia diuina est summè actu, quia vt iam animaduertimus, & fusiùs infrà ostendetur, existentia, quæ est forma actuans, est de intrinseco conceptu illius, nec diuina essentia habet aliquod esse merè *possibile*, prout illud præscindit ab esse *actu*.

Secundò probatur ex modo loquendi sacræ Scripturæ, & Patrum: nam passim in illis tam existentia Dei, quàm singula eius attributa etiam sumpta in *abstracto* prædicantur de Deo in recto casu: vt Exodi tertio; *ego sum qui sum*, & iterum *qui est, misit me ad vos*; apud sanctum Ioannem decimo quarto capite, *ego sum via, veritas, & vita*: item in

Concilio Rhemensi sub Eugenio III. contra V.
Gilbertum Porretanum, fuit, teste sancto Bernardo sermone octauo in Cantica Canticorum, definitum Deum esse sapientem, eâ tantùm sapientiâ, quæ est ipse Deus, & sic de cæteris attributis, & Concilium Lateranense relatum suprà, dicendo Deum esse immensum, esse vnam substantiam, essentiam, seu naturam omninò simplicem, satis exprimit essentiam Dei esse penitus expertem omnis compositionis realis: nam si quæ talis daretur compositio in Deo, ex essentia & eius attributis; prædictæ loquendi formulæ sacræ Scripturæ & Patrum essent in reipsa falsæ; sicut est hæc propositio, in qua pars prædicatur de toto.

Probatur tertiò ex ratione primi entis: nam omne compositum est secundùm or-
dinem naturæ, posterius suis componentibus VI.
& ab illis dependet; item ab eo quod illa coniungit inter se, sed Deus est primum ens, quo nihil potest fingi naturâ prius, est etiam independens.

Probatur quartò ex ipsa eminentia Dei: nam omne illud quod est perfectius debet inesse Deo, aliàs non esset primum ens in genere perfectionis, sed cæteris paribus est perfectius habere omnem & quamlibet perfectionem consistentem in vna tantùm simplici entitate, quàm in aliqua entitate composita consurgente ex coniunctione plurium inter se: vnde illud sancti Dionysij, *quæ sunt dispersa & diuisa in inferioribus vniuntur in superioribus*: vt videre est in variis & diuersis gradibus animæ & vitæ, qui sunt distincti in
substantiis ipso homine inferioribus, & in VII.
ipso homine sunt etiam formaliter indistincti.

ARTICVLVS V.

Colliguntur & ponuntur quædam consectaria ex articulo præcedenti.

EX dictis articulo præcedenti variæ hæreses, & multi errores refelluntur: primò Anthropomorphitarum, apud S. Epiphanium de *hæresibus*, hæresi septuagesimâ, qui volebant Deum esse aliquod corpus, seu ens quoddam corporeum. Refelluntur, inquam, tum ex citato decreto Lateranensi, in
quo Deus dicitur substantia omninò indiui- VIII.
sibilis, & omninò simplex, quod vtrumque repugnat rei corporeæ; tum ex capite quarto sancti Ioann. vbi sic habetur, *spiritus est Deus*, id est, Deus est substantia quædam incorporea, vt sancti Patres explicant, Hilarius libro secundo *de Trinitate* circa finem, Chrysostomus homiliâ trigesimâ secundâ *in Ioannem*, Augustinus tractatu decimo-quinto *in sanctum Ioannem*, & ipsa ratiocinatio, quâ Christus Dominus ibi vtitur, euincit hanc particulam *spiritus*, esse ibi accipiendam pro substantia incorporea: nam ex eo quòd Deus est spiritus, & vbique, cultus verò & adoratio debet ei esse proportionata, colligit Deum esse adorandum in spiritu, animo, & venisse tempus, quo etiam vbique locorum adoretur, & alij Patres communiter dispu-

I. tant contra hanc hæresim, vt sancti Epipha-
nius suprà, & Basilius homilia primâ *hexa-
meron*; Augustinus duabus epistolis centesi-
ma vndecima & centesima duodecima, à qua
hæresi libro de *hæresibus*, hæresi octogesima
sexta excusat Tertullianum dicentem Deum
esse corpus, pro qua defensione videri potest
Pamelius ad *paradoxa* Tertulliani *paradoxo*
decimo quinto; hoc enim sensu dicit Deum
esse corpus, quòd vsurpet nomen hoc, *corpus*,
prout significat aliquid verum, solidum, &
quod non est aliquid inane.

Deinde probatur ratione: si Deus est cor-
pus, aut animatum, aut inanimatum, si ani-
matum, ergo corpus eius est organicum,
quia anima definitur ab Aristotele *actus cor-
poris organici potestate vitam habentis*, & ex
consequenti constat etiam potentiâ passiuâ, at
II. potentia passiua dicit imperfectionem, quæ
nulla debet admitti in Deo.

Deinde, si Deus ita est corporeus, vt constet
materiâ & formâ; ergo non est ampliùs Deus.
Probatur consequentia: illud non est propriè
Deus, quo datur necessariò aliquid prius sal-
tem prioritate naturæ, quia Deus est primum
ens; atqui posito quòd Deus sit ita corporeus,
vt constet materiâ & formâ, debet necessariò
dari aliqua causa efficiens, quæ vniat formam
illam cum sua materia; quia nunquam ma-
teria & forma possunt vniri inter se nisi per
actionem causæ efficientis, & omnis cau-
sa efficiens est prior saltem naturâ suo effe-
ctu: igitur si Deus ita est corporeus, vt con-
stet materiâ & formâ, non est Deus, quod im-
plicat.

Nec item Deus potest esse corpus inanima-
III. tum, quia Deus debet esse ens supra omnes
creaturas perfectissimum; atqui posito quòd
sit corpus inanimatum est imperfectius plu-
ribus creaturis: quod probatur, corpus ani-
matum, seu vnum quatenus tale, est sim-
pliciter, & absolutè loquendo perfectius
quouis alio corpore inanimato, vt docet re-
ctè sanctus Augustinus libro de *vera religio-
ne* capite vigesimo nono: cuius rei hæc est
ratio, quòd mouere se ex cognitione etiam
tantùm sensitiua, sit longè perfectius quàm
se mouere sine vlla sua cognitione propriâ;
primum enim dicit tale ens seipsum dirigere;
secundum verò ens dicit tantùm dirigi ab
alio; est autem perfectius seipsum dirige-
re, quàm dirigi tantùm ab alio, atqui plu-
res creaturæ sunt corpora viuentia anima-
IV. ta, vt docet experientia: ergo si Deus est
corpus inanimatum, dantur plures crea-
turæ ipso Deo perfectiores; quod est absur-
dum.

Obiicies primò: homo qui est corporeus
dicitur Genes. 1. *factus ad similitudinem Dei*,
ergo Deus est corporeus.

Respondetur negando consequentiam,
quia hæc similitudo hominis ad Deum,
non consistit in compositione corporis, sed
vel in ipsa eius anima rationali, quæ cùm sit
vna, habet tamen tres potentias, intelle-
ctum, voluntatem, & memoriam, quibus
tendat ad Deum, vt sanctus Augustinus libro
vigesimo quarto *contra Faustum*, capite se-
cundo explicat, vel consistit in libero arbi-
trio, in quo homo est similis Deo, nimirùm
ratione dominij, quod habet in proprias suas

A actiones, vt Sancti Patres explicant, Basilius V.
homilia nonâ *hexameron*, Ambrosius libro
sexto *hexameron*, capite octauo, Hieronymus
epistolâ *de filio prodigo*: vel denique hæc si-
militudo consistit in eo dominio, quod Deus
contulit homini in res creatas, quemadmo-
dum verba illa Dei statim sequentia indi-
cant, *& præsit piscibus maris, & volatili-
bus cœli, & bestiis terræ*, vt sanctus Chry-
sostomus explicat homiliâ octauâ & nonâ *in
Genesim*.

Obiicies secundò: membra corporis pas-
sim in sacris literis attribuuntur Deo; ergo est
corporeus.

Respondetur ad antecedens, membra, actus
& res corporeas tribui Deo, in sacris literis
tantùm per metaphoram, & similitudinem,
vt sub similitudine corporalium intelligamus
B diuina, vt fusè sanctus Anselmus docet, libro VI.
secundo *de membris, vestimentis, & actibus cor-
poreis tributis Deo*, & ceteri Patres disputando
contra Anthropomorphitas.

Secundò, ex eadem nostra doctrina de sim-
plicitate Dei, refellitur error ille, qui as-
serit Deum esse compositum ex essentia, &
propria sua existentia: nam vbi existentia
est de formali, & intrinseco conceptu essen-
tiæ, ibi nulla potest dari vera, & realis
compositio; membra enim componentia
sunt, saltem quoad suum formalem conce-
ptum extra se inuicem, cùm nihil propriè &
formaliter componat seipsum: atqui, vt
iam animaduertimus ex capite tertio *Exodi*;
existentia Dei est de intrinseco conceptu
diuinæ essentiæ; hoc enim significat istud
Dei ad Moïsem, *Ego sum qui sum, & qui est,
misit me*. VII.

C Confirmatur, quia diuina essentia non po-
test etiam per cogitationem præscindi ab exi-
stentia, quæ enim sic concipitur, concipitur
vt ens potentiale, implicat autem concipere
diuinam essentiam, vt ens potentiale: sic
enim esset in potentia aliquarum causarum
actiuarum, illam ad actum reducentium, &
Deus desineret esse actus purus, nec posset es-
sentia diuina concipi, vt distincta ab omnibus
rebus creatis, etiam merè possibilibus: cùm
in istis essentia creata distinguatur à sua exi-
stentia, quòd dicat meram potentialitatem;
& hæc actualitatem, per quam potentialitas,
& possibilitas reducatur formaliter ad actum,
est enim essentia rerum creatarum conside-
rata secundùm se, & præcisè indifferens ad
D existendum, vel non existendum; quod ta- VIII.
men absolutè, & simpliciter repugnat essen-
tiæ diuinæ: ergo cùm hæc repugnantia tol-
latur tantùm per existentiam, vt pertinen-
tem intrinsecè ad formalem conceptum di-
uinæ essentiæ, existentia Dei erit de formali &
intrinseco conceptu suæ essentiæ, nec proin-
de faciet cum illa aliquam compositionem in
Deo.

Atque istæ rationes, & similes aliæ, quæ
probant essentiam, & existentiam in Deo
nullam facere compositionem; illæ eædem
ostendunt essentiam Dei, & eius rationem
indiuidui similiter illam non facere, quia
quidquid concipitur vt existens, concipitur
vt singulare, sola enim singularia existunt:
ergo quomodo diuina existentia non facit
compositionem cum essentia Dei, ita nec

I. ratio indiuidui, seu singularis facit aliquam in Deo, cum eius essentia compositionem.

Tertiò, ex hac eadem nostra propositione refellitur error Abbatis Ioachim, existimantis aliquem modum compositionis ex natura, & supposito dari in Deo, & sic admittentis aliquam quaternitatem in diuinis, contra quem disputabitur agendo de mysterio Trinitatis.

Patet similiter, quòd licet attributa diuinæ essentiæ non sint de conceptu eius, nec item hæc de formali conceptu eorum (qua de re, & eorum inter se distinctione agetur disputando de diuinis relationibus) hæc tamen inter se non facere aliquam compositionem: cùm vt ibidem ostendetur hæc

II. attributa identificentur cum essentia diuina, & virtualem duntaxat admittant inter se distinctionem, quæ distinctio non destruit rationem simplicitatis, vt ibidem ostendetur ex professo.

Tandem, rationes allatæ ostendunt etiam nullam in Deo esse compositionem ex subiecto, & accidente: hæc enim arguit potentialitatem, & mutabilitatem, & est tam clarum solo etiam naturæ lumine, vt Aristoteles in Metaphysicis negauerit actum intelligendi in Deo esse accidens, sed voluerit esse eius substantiam; & pro hac simplicitate Dei penes negationem ex subiecto, & accidente, videri possunt Patres, Sancti Augustinus libro quinto *de Trinitate*, capite primo, quarto & quinto, Leo *epistola nonagesima tertia decretali*, capite 5. Bernardus 85. sermone *in Cantica Canticorum*.

III. Quâ autem ratione libera decreta Dei, non sint accidentia in Deo, & quam entitatem dicant in illo, commodiùs explicabitur infrà agendo de voluntate Dei, & eius libertate.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus ita sit simplex, vt in eo non reperiatur compositio rationis.

NOSTRA propositio est, *in Deo non reperiri compositionem rationis*; hanc breuiter ostendimus hoc pacto: non intercedit hæc compositio inter essentiam diuinam comparatam cum sua existentia, nec inter eandem es-

IV. sentiam & attributa absoluta, vel relationes: ergo non datur in Deo compositio rationis: consequentia euidens est, quia si posset admitti aliqua in Deo compositio, maximè inter ista.

Probatur antecedens quoad vtramque eius partem, & primò de essentia comparata cum existentia eâ ratione: ad hoc vt duo simul sumpta faciant aliquam compositionem etiam rationis, vnumquodque debet esse extra præcisum conceptum alterius; nam compositio, vt ipsum eius nomen sonat, postulat vnum superaddere aliquid alteri & veluti simul cum illo ponere: sed vt iam ostendimus existentia includitur in præciso conceptu diuinæ essentiæ: ergo non datur in Deo compositio rationis ex essentia & existentia.

A Nec obstat quòd aliter concipiamus essentiam diuinam, & aliter eius existentiam, quódque ita præscindamus vnam ab alia, vt essentiam apprehendamus per modum formæ, & existentiam eius per modum actus: nam vt varius modus concipiendi vnam rem sit aliquod *signum compositionis per rationem*, debet esse fundatus in re, & *obiectiuo* eius conceptu, non autem in aliquo conceptu *ei alieno*, seu rei alicuius sibi extrinsecæ, ad cuius analogiam aliquam concipiatur ex sola imbecillitate intellectus sic concipientis illam, quia vt nunc animaduertimus, compositio dicit positionem vnius supra alium, non verò dicit positionem conceptus formalis supra alium conceptum formalem, sed vnius conceptus obiectiui positionem supra alium obiectiuum: at quando

B noster intellectus concipit essentiam diuinam præscindendo ab existentia, id tantùm facit, quatenus conceptum illum, quem format de essentia rerum creatarum transfert à creaturis ad Deum, propter quandam analogam similitudinem vocum, & notionum, & quando sic præscindit, non format conceptum de essentia diuina *sub speciali*, & propria eius ratione (sic enim includit formalissimè existentiam) sed tantùm sub *communi* quadam ratione: vnde ab hac essentia, vt est diuina, eius existentia non potest abstrahi etiam per conceptum. VI.

Nec item obstat quòd diuina essentia vt actu existit, habeat se tanquã *concretum*, à quo suum *esse* seu *existere* tanquam eius *abstractum* potest præscindi, nam iuxta dialecticos concretum & abstractum distinguuntur tantùm *penes mo-*

C *dum significandi*, solus autem modus significandi, non inducit ex se aliquam distinctionem rationis inter res significatas, vt patet in definito, & eius definitione; ergo distinctus ille modus concipiendi diuinam essentiam non arguit aliquam compositionem rationis in illa. VII.

Altera pars antecedentis, quæ est de essentia & attributis, vel relationibus, ostenditur: quod componit debet ad minus formali, aut modali distinctione esse distinctum ab eo, cum quo componit, & non esse cum illo, eadem omnino realitas summè identificata; quia nihil seipsum componit, & in compositione etiam rationis vnum habet aliquam rationem potentiæ, & aliud rationem actus, vt intelligitur ex Aristot. lib. 7. *metaphysicorum* cap. 16. & lib. 8. *metaph.* cap. 6. vel perfectibilis, & per-

D fectiui, sed omnia, & singula attributa diuina & relationes sunt vna, & eadem simplicissima entitas, virtute tantùm multiplex, vt fusiùs explicabitur agendo de mysterio Trinitatis, vbi distinctio horum omnium explicabitur simul cum distinctione diuinarum relationum ab essentia, & in essentia nihil habet rationem potentiæ, vel etiam perfectibilis, quia hæc important aliquid potentialitatis. VIII.

Confirmatur: in omni vera compositione etiam secundùm rationem componentia faciunt aliquem numerum; est enim compositio, coniunctio multorum inter se vnitorum: at nec attributa cum diuina essentia, nec personæ diuinæ cum illa faciunt aliquam multitudinem, vel etiam vnionem loquendo propriè, sed identitatem & vnitatem, vt sanctus Hilarius libro quinto

I. & sexto *Trinitate*, sanctus Augustinus passim eodem opere, sanctus Bernardus libro quinto *de consideratione ad Eugenium* docent.

Nec his obstat, quòd *obiectiuus* conceptus vnius attributi inadæquatè considerati sit extra conceptum diuinæ essentiæ, vel alicuius attributi diuini etiam inadæquatè considerati: nam singuli illi conceptus obiectiui inadæquati ita sunt extra sese inuicem & extra essentiam diuinam inadæquatè consideratam, vt tamen nec à diuina essentia, nec à se inuicem separentur distinctione formali verè, & propriè dictâ, sed tantùm virtuali: sicque nullum propriè faciunt numerum entitatum actualium, quarum vni tanquam potentiæ vel perfectibili superaddatur alia, velut actus aut perfectiuum illius, sed sem-
II. per manet vna simplicissima entitas, quæ est virtute tantùm multiplex, & etiam virtualem in se habens tantummodo compositionem.

Quòd verò Deus non sit compositus ex genere & differentia propriè dictis, nec habeat locum in Categoria, docent ex professo omnes philosophi agendo de prædicamentis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum diuinæ simplicitati repugnet aliquod tertium componere cum alio.

DVPLEX potest distingui *compositio* respectu vnius, & eiusdem entis, *vna
III. passiua*, quatenus, scilicet in sua formali entitate, habet plures partiales entitates, ex quibus componitur intrinsecè: *altera actiua*, quatenus, scilicet, tale ens cum aliquo sibi vnito, facit aliquod tertium, seu compositum; quomodo materia prima, quæ in genere physico est ens simplicissimum vnita formæ, facit compositum physicum: articulo præcedenti exclusimus à Deo quamlibet *passiuam* compositionem: nunc agendum est de actiua: pro cuius expositione

Notandum est ex S. Thoma tertiâ parte, quæstione secundâ, articulo quarto in *solutione ad secundum*, duplicem distingui compositionem, vnam, quæ fit ex *partibus propriè dictis*: alteram, quæ est *ad modum nu-
IV. meri*. Prior est, quando ipsa componentia ex se, & sua natura ordinantur ad conficiendum aliquod totum, & ad se se mutuò perficiendum, habéntque aliquam dependentiam à se inuicem, quemadmodum videre est in materia, & forma physicis: posterior est, quâ ipsa componentia, ita se se habent in componendo aliquo, vt nullam mutationem recipiant in seipsis, sed vnumquodque illorum semper retinet suam distinctionem ab alio, vt patet in numero à quo propter hanc similitudinem posterior hæc compositio accepit suum nomen, qui est aliquod compositum, cùm importet multitudinem vnitatum inter se coniunctarum; singulæ tamen illæ vnitates ita se se habent, vt nullam accipiant in seipsis mutationem; sed vnaquæque illarum retinet suam distinctionem:

A & hinc numerus vocatur communiter à phi- V.
losophis *quantitas discreta*: prior compositio appellatur à nonnullis Theologis compositio *ex his*, posterior compositio *cum his*, de hac posteriori non hîc agimus, de illa enim Theologi disputant ex professo tertia parte, quæstione secunda; vbi ostendunt personam Christi Domini esse compositam hâc posteriori compositione, non tamen ex ipsa vnione Verbi diuini ad humanitatem vllam mutationem fuisse consecutam in persona Verbi, vel in natura eius diuina; sed agimus tantùm de priori compositione.

Propositio nostra est. *Diuinæ simplicitati repugnare componere aliquod tertium cum aliquo alio eâ compositione quæ dicitur compositio ex his.* Propositio est de fide, ex citatis Conciliis suprà pro omnimoda simplicitate Dei,
B quibus potest addi primum Toletanum Con- VI.
cilium sub sancto Leone, in quo concluditur nullam creaturam esse tam perfectam, cui Deus ipse sit *natura*, id est, cuius naturam & essentiam Deus ingrediatur: addi etiam possunt Concilia, & Patres qui condemnarunt hæresim Eutychetis, contra quam Theologi disputant ex professo tertiâ parte, quæstione secundâ: item qui condemnarunt illam hæresim Arij, quâ volebat Verbum diuinum esse loco animæ in corpore Christi Domini, contra quam Theologi disputant eâdem 3. parte, qu. 5.

Probatur conclusio inductione factâ per omnes compositiones actiuas, & primò de compositione materiæ; illa enim formaliter & intrinsecè includit imperfectionem repugnantem Deo; nam in præciso & formali
C suo conceptu importat potentialitatem à su- VII.
perueniente actu sibi correspondente perfectibilem, & prætereà dicit intrinsecam, & sibi essentialem habitudinem ad formas tanquam ad actus perfectiuos illius, vt etiam Aristoteles agnouit lib. 1. *physicorum*, & omnes interpretes eius ibi.

Idem probatur de compositione actiua formæ: primò, quia forma includit essentialem habitudinem ad materiam cum qua componit, tanquam ad illud cuius ope, & consortio indiget ad aliquod ministerium; sunt enim plurimæ actiones, quas anima etiam rationalis non potest exercere sine corpore. Secundò, quia quod componit per modum formæ non est tota essentia rei compositæ, sed tantùm pars eius actualior: at ra-
D tio partis, item ordo essentialis ad aliquam VIII.
creaturam repugnat Deo; sic enim indigeret aliquâ re creatâ, nec esset sibi sufficiens contra illud Psalmi vigesimi quinti: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Idem probatur de ea compositione, quæ est per mutuam confusionem plurium naturarum inter se; tum ex his quæ proferunt Theologi loco superiùs citato contra Eutychianos; tum etiam ex eo, quòd iuxta Aristotelem libro primo de *Generatione animalium*, capite decimo, id quod resultat ex mixtione est alterius naturæ, ab ipsis miscibilibus, & aliquid perfectius illis; tum etiam quia quæ sic miscentur, habent de facto potentialitatem: quæ omnia repugnant Deo primo enti, & independenti à

I. quocumque alio, & hæc ratio idem probat A
de compositione per modum *partis integrantis.*

Confirmatur ampliùs: nam pars quatenus pars, dicit intrinsecè imperfectionem, scilicet habitudinem essentialem ad alteram compartem sui compositi, & dependentiam ab efficiente coniunctionem sui ipsius cum alia comparte pro conficiendo composito: item pars vt pars, est semper aliquod minus perfectum toto suo composito, & ipsâ sui coniunctione ad compartem accipit aliquam perfectionem; sic enim illa perfectibilitas quam habet in ratione partis completur; sed essentiam diuinam seu Deum, qui est primum ens, & actus purissimus, independens, habere essentialem habitudinem ad res creatas, & dependentiam ab illis esséque aliquid minus perfectum omni alio quocunque ente est
II. contra naturam eius. Hinc sanctus Augusti- B
nus, libro tertio *contra Maximinum* capite decimo, negat Deum posse esse partem vllius rei.

Tandem idem probatur de illa compositione quæ posset fingi ex diuina natura, & aliquo supposito alieno, quia vt suppositum aliquod sustentet aliquam naturam alienam, seu sibi non propriam, debet inter alias conditiones habere vim sufficientem ad terminandum illam, & ex consequenti esse, vel ad minus eiusdem ordinis cum illa, vel superioris, seu perfectioris, vt Theologi docent tertiâ parte, quæstione tertiâ: at nulla subsistentia creata quantumcumque eleuetur à Deo, habet vim sufficientem ad terminandum naturam diuinam, & ad complendum
III. illam in ratione subsistentis, quia quælibet C
talis subsistentia, debet esse formaliter, & & intrinsecè infinita, sicut est & essentia diuina: hæc autem perfectio repugnat cuilibet enti creato.

Atque ex his varij errores & hæreses refelluntur, quarum meminit hîc sanctus Thomas articulo octauo, & Priscillianistarum qui cum Democrito & Pythagora dixerunt Deum esse animam mundi, vel mundum esse animal, cuius anima Deus esset, vt videre est apud sanctum Augustinum libro septimo *de Ciuitate Dei*, cap. 6. Item Almarianorum qui dixerunt, Deum esse formam omnium rerum: item cuiusdam Dauidis de dinando, qui nesciens distinguere simplicitatem Dèi, vt S. Thomas hîc obseruat, censuit Deum
IV. esse materiam primam, licet enim mate- D
ria prima sit simplex simplicitate physicâ, non tamen metaphysicâ: est enim composita ex essentia & esse, ex potentia & actu metaphysicis, & Deus, & materia prima loquendo in rigore physico, non tam propriè differunt, quàm sunt diuersa seipsis, vt sanctus Thomas obseruat hîc in solutione ad vltimum.

ARTICVLVS VIII. V.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.

CONTRA præcedentis articuli doctrinam nonnulla obiici possunt; primum est quòd etsi ratio causæ materialis repugnet Deo, quia dicit potentiam passiuam, ei tamen non videri repugnare quin per modum principij formalis possit aliquod tertium componere cum materia, illámque formaliter perficere; hæc enim causalitas sonat tantùm actualitatem, & quamuis formæ nobis notæ habeant defectum aliquem sibi annexum, non tamen apparere contradictionem euidentem, si Deus cogitetur forma informans præciso omni de-
fectu formarum creatarum. VI.

Respondetur, formale principium sumptum præcisè in vero composito non dicere tantùm actualitatem, seu ipsum actuare, sed tale actuare, quod intrinsecè importat esse partem, & habere essentialem habitudinem ad materiam, vt compartem, item illam informare, & ab ea dependere, vt patet ex dictis: hæc autem omnia repugnant Deo.

Secundò obiicitur: Deus aliquod tertium componit actiuè cum alio, ergo non repugnat diuinæ simplicitati eiusmodi compositio, consequentia euidens est, quia ab actu ad posse valet consequentia, & quod possibile est esse, non repugnat esse. Probatur antecedés, componere actiuè nihil est aliud, quàm esse id ex quo cum alio fiat, & constituatur vnum aliquod totum, sed quando Deus supplet vicem
habitus supernaturalis in nondum iustificatis, VII.
tunc ex ipso Deo, & facultate tum intellectus, tum voluntatis, fit vnum integrum principium talis actus, quemadmodum fieret ex habitu si adesset, & ex dictis facultatibus; ergo Deus actu aliquod tertium cõponit actiuè cum alio.

Respondetur negando antecedens, intellectum de compositione entis *per se*, vt debet procedere: hîc enim agimus tantùm de tali compositione, & non de compositione alicuius entis *per accidens*, in quo res vnitæ non dicuntur esse aliquod vnum nisi denominatione quâdam extrinsecâ petitâ ab aliquo tertio ad quod dicunt aliquam habitudinem, vel quod dicit ad illas habitudinem alicuius dependentiæ. Ad eius probationem respondetur, quòd Deus supplens vicem habitus
supernaturalis ad credendum & diligendum, VIII.
facit tantùm vnum ens aliquod *per accidens* cum nostris facultatibus; sicut habitus infusi, vel acquisiti prout sunt principia actuum sibi proportionatorum cum suis potentiis.

Tertiò obiicitur: non videtur maior contradictio cur diuina natura non possit componere cum supposito creato, quàm diuinum suppositum possit cum natura creata: at hæc posterior compositio datur de facto in mysterio Incarnationis: ergo prior dari potest.

Respondetur, negando maiorem, quia nullum suppositum potest sustentare naturam alienam, nisi sit vel eiusdem ordinis cum illa, vel superioris; at nulla substantia creata potest esse eiusdem vel superioris cum Deo ordinis: deinde non posset sustentare naturam diuinam substantia creata, nisi sit formaliter

I. & intrinsecè infinita, sicut est diuina essentia, aliàs non haberet vim sufficientem ad terminandum illam; impossibile autem est creaturæ communicari Dei infinitatem.

Quartò obiicitur: Deus, vt est beatitudo obiectiua & visio Dei, quæ est formalis beatitudo, componunt vnum integrum obiectum tam spei viatorum, quàm gaudij & fruitionis beatorum: ergo non videtur compositio actiua repugnare diuinæ simplicitati.

Respondetur, Deum beatitudinem obiectiuam & visionem eius formalem non facere *vnum per se*, sed tantùm *per accidens*, scilicet in ratione obiecti, quatenus simul influunt influxu obiectiuo in actum nostræ spei, & in patria in fruitionem, & gaudium beatorum partialitate causæ, sumptâ denominatione extrinsecâ ab influxu, quem causant.

II. Quintò obiicitur: plures homines in statu gratiæ existentes dicuntur in sacris literis fieri *vnus spiritus* cum Deo, prima *Corinthiorum*, & alibi: ergo possibilis est compositio actiua cum Deo.

Respondetur, nos hîc tantùm agere de *physica*, seu reali compositione, non de *morali*; istam compositionem esse tantùm *moralem*, quatenus eorum voluntates, & affectus conspirant in illud idem, quod Deus vult.

Quæres, an Deus possit communicare alicui creaturæ suam simplicitatem.

Respondetur non posse: quia hæc vel formaliter, vel fundamentaliter dicit omnimodam actualitatem cum negatione cuiuscumque compositionis etiam ex essentia & existentia: sed omnimoda actualitas repugnat creaturæ, quia eo ipso quo est creatura, habet potentiam obiectiuam, seu non repugnantiam ad non existendum, & existendum: item repugnat ei negatio omnis, & cuiuslibet compositionis, quia habet saltem compositionem ex essentia & existentia, cùm existentia non ingrediatur præcisum conceptum essentiæ eius: igitur Deus non potest communicare alicui creaturæ suam omnimodam simplicitatem.

III.

AD QVÆSTIONEM IV.

DISPVTATIO VNICA.

De perfectione Dei

IV.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit perfectus.

NOTANDVM est, ex sancto Thoma hîc in solutione ad primum, præsentem difficultatem non moueri eo sensu, quo hæc particula, *perfectus*, sumitur secundùm suam notationem, seu Grammaticalem significationem, prout idem sonat ac totaliter *esse factum*: A cùm enim Deus sit ens increatum à seipso, & independens à quocunque alio, etiam iuxta communem omnium hominum conceptionem, non potest iuxta hanc acceptionem esse perfectus; sed hæc particula, *perfectus*, eo sensu hîc accipitur, quo apud Aristotel. lib. 5. *Metaph.* textu 21. & communiter apud omnes Philosophos, illud dicitur esse *perfectum*, cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis, id est, quod habet actu omnia, quæ debentur & conueniunt propriè naturæ ipsius: vnde aliud est quærere, an Deus sit perfectus, & an habeat omnes omnium rerum perfectiones: primum enim petit solummodò, an Deus habeat omnia requisita ad suam essentiam; secundum verò addit aliquid amplius, nimirum, an Deus sit tale ens, quod habeat omnes omnium rerum perfectiones, abstrahendo ab eo, quòd requirantur, vel non requirantur ad constituendum eius essentiam; rectè enim intelligimus hominem, vel Angelum habentem omnia quæ conueniunt suæ naturæ, licet non habeat omnes perfectiones rerum omnium, verbi gratiâ bruti, vel superioris alicuius Angeli, non desinere esse perfectum in seipso. Hanc difficultatem in primo tantùm sensu hîc explicamus, pro qua sit V.

B VI.

Nostra hæc propositio. *Deus est perfectissimus.* Est de fide, non tantùm ex illo Christi Domini apud S. Matthæum cap. 5. *Estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est*, id est, iuxta expositionem Concilij Lateranensis sub Innocentio III. & refertur capite *damnamus* de summa Trinitate: *Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ*; sed etiam ex aliis locis sacræ Scripturæ, quibus Deus dicitur nullo modo indigere aliis rebus, sed esse sufficiens sibiipsi, vt Psalmo 15. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum*, &c. Vbi notanda est illa particula rationalis, *quoniam*, quæ denotat ipsam carentiam indigentiæ rei alicuius necessariæ Deo, vt supremo enti, ostendere nobis illum esse Deum, & supremum dominum; tum etiam ex aliis Scripturæ sacræ locis pro sequenti artic. citandis.

C VII.

Et hæc veritas est tam certa ac tam euidens, vt non solùm Aristoteles loco superiùs citato, (quem locum Auerroës vult intelligi de Deo tanquam perfecto) sed & Lucretius qui alioquin est habitus pro Epicureo, illam agnouerit: sic enim libro primo scribit de natura Dei,

Ipsa suis potens opibus nihil indiga nostris.

D VIII. & omnes Philosophi Gentiles, quando agnouerunt Deum esse seipso contentum.

Fauet etiam ratio: Deus est ens omnimodè necessarium, vnde non potest seipsum aliquo sibi requisito priuare: est supremum, & independens; vnde non potest ab aliquo alio impediri, ne habeat quæ sunt naturæ suæ propria, & debita; est etiam summè actu, seu habet rationem essendi in summo gradu, caret omni & qualibet potentialitate ex dictis: ergo ratione suarum eiusmodi perfectionum debet necessariò habere quidquid requiritur, & pertinet ad conditionem suæ naturæ.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrum omnes omnium rerum perfectiones sint in Deo

NOTANDVM est primò, omnes perfectiones rerum omnium rectè diuidi à Theologis in perfectiones *simpliciter simplices*, & in perfectiones tantùm *simplices*, seu *secundùm quid*.

Perfectio *simpliciter simplex*, ea est, quæ secundùm suum formale sumptum præcisè est perfectio, id est, quæ in sua ratione præcisa formali nullam imperfectionem includit, nec est incompossibilis cum alia perfectione æquali, vel maiori in eodem ente, quatenus est ens, seu quatenus habet rationem entis
II. sumpti generalissimè. Atque totum illud est, quod sanctus Anselmus in *Monologio* capite decimo quarto hâc breui definitione expressit: *Perfectio simpliciter simplex, est, quæ in vnoquoque melior est ipsa, quàm non ipsa*, id est, quam habere melius est alicui indiuiduo, quatenus est ens, quàm vel carere illâ, vel quàm habere aliam cum illa incompossibilem; quemadmodum ex Scoto libro 1. *sententiarum* distinct. 8. quæst. 2. Caietanus explicat libro *de ente & essentia* cap. 2. & alij communiter post illos.

In explicatione huius definitionis hæc particula additur, *vt ens est simpliciter*, non autem, vt est *tale ens*, siue huius vel istius speciei, quia vt sic datur quædam perfectio habens aliquam imperfectionem sibi annexam, quæ tamen melior est alicui enti, quatenus est indiuiduum eius vel illius speciei, quàm ali-
III. qua alia forma, quæ alioqui spectata secundùm se est perfectior; verbi gratiâ, melior est lapidi quatenus est lapis ipsa durities, vel aliqua alia eius specialis conditio, quàm sapientia; si verò lapis consideretur præcisè in ratione entis tantùm præscindendo ab eo omnes alias rationes, melius est enti vt sic sapere, quàm habere duritiem: vnde colligimus duo requiri ad perfectionem simpliciter simplicem; primum est, vt sit perfectio; ex qua parte negationes, & priuationes excluduntur à ratione perfectionis simpliciter simplicis: alterum est, vt talis perfectio non excludat aliam perfectionem æqualem, aut maiorem, ratione cuius conditionis relatio, quæ excludit aliam relationem sibi in perfectione æqualem, non censetur esse perfectio simpli-
IV. citer simplex. Illa autem perfectio dicitur tantùm simplex seu secundùm quid; *quæ in formali sua ratione continet aliquam imperfectionem sibi admixtam, vel repugnantem, vel oppositam cum maiori, aut sibi æquali perfectione ita vt non possint simul ambæ in eodem subiecto residere*: sic sapientia creata, quia est quædam qualitas & qualitas dicit imperfectionem, & dependentiam à subiecto, iuxta hanc considerationem, est tantùm perfectio simplex. His ita prænotatis,

Nostra sit propositio. *Omnes perfectiones omnium, & singularum creaturarum tam simplices, seu secundum quid, quàm simpliciter simplices sunt in Deo*: ita S. Thomas hîc artic. 2. probatur primò ex sacris literis Exodi tertio, vbi Moisi desideranti videre faciem Dei, ait
A Deus, *ostendam tibi omne bonum*. Nam vbi omne bonum, & quodlibet bonum est, ibi omnis & quælibet perfectio reperitur, quia quælibet perfectio creaturæ est aliquod bonum; sed in ipsa essentia Dei seu in ipso Deo omne bonum est. ex testimonio Dei nunc relato; ergo omnis & quælibet perfectio creaturarum est in essentia Dei. Item capite 7. Sapientiæ, spiritus diuinus dicitur continere omnem virtutem, & cap. sequenti, & cap. 8. lib. Prouerb. Sapientia Dei ait, se omnes perfectiones habere: item S. Ioan. 1. *quod factum est, in ipso vita erat*: sed omnis & quælibet perfectio creaturæ est aliquid factum: ergo & quælibet perfectio creaturæ in Deo. V.

Probatur item ex Patribus, S. Dionysio libro de *diuinis nominibus*, cap. 5. S. Ambros. cap. 4. *hexameron*, & ad caput 18. S. Lucæ, S. Aug.
B lib. 4. *de Trinitate*, cap. 1. & tract. 1. Matth ei, & aliis, qui docent Deum continere in seipso omnia, vt S. Dionys. & Aug. suprà: & ex Philosophis, qui admittunt ideas rerum omnium in Deo, sequuntur nostram propositionem. VI.

Probatur denique ratione, quam S. Thom. hîc sumpsit ex S. Dion. suprà; omnis perfectio effectus præsupponitur necessariò esse in sua omninò primaria causa efficiente: quidquid enim habet effectus, habet à tali sua causa, & nemo dat, quod non habet: sed omnes & singulæ rerum omnium perfectiones sunt quidam effectus Dei, tanquam causæ efficientis omninò primariæ, quia Deus est prima omnium causa & primum agens, vt etiam Philosophi docent: igitur omnes & singulæ perfectiones sunt in Deo.

Additur in maiori propositione primùm hæc particula, *efficiente*, vt hæc continentia
C effectus excludatur à causa materiali, cuius formalitas cùm sit in *recipere*, & sustentare, quia est pura potentia, & non in *dare*, perfectio effectus eius non debet necessariò præexistere in illa. VII.

Deinde additur in eadem maiori hæc alia particula, *omninò primaria talis effectus*, tum vt causa instrumentalis excludatur, tum etiam causa secundaria, licet æquiuoca, quæ, quatenus tales, non habent necessariò in seipsis perfectiones suorum effectuum, vt patet in sole & semine, respectu rerum, quæ generantur in his inferioribus; at causa omninò primaria, siue sit æquiuoca, siue vniuoca, debet habere in seipsa perfectionem sui effectus, cùm vt sic semper sit nobilior proprio suo effectu, vel saltem æquè nobilis. Quod enim
D aliqui obiiciunt solem in generatione animalium imperfectorum ex putri materia, esse causam primariam omninò æquiuocam, quorum tamen perfectionem non continet in se ipso, cùm illa viuant, iste minimè, soluitur facilè, si dicatur Deum tanquam causam omninò primariam æquiuocam non excludi à generatione eiusmodi animalium imperfectorum, quia S. Ioann. 1. habetur *sine ipso factum est nihil*, & hoc tantùm sensu, tunc solem dici causam primariam, quatenus inter secundarias ita est prima, vt tamen in istis casibus nulla alia primaria causa vniuoca detur. Potest etiam responderi tunc solem non tam producere eiusmodi animalia, quàm disponere materiam ad formas illorum; Deum verò vt auctorem naturæ supplere defectum pri- VIII.

I. mariæ causæ vniuocæ, educendo formas è materia in instanti vltimæ dispositionis, vt fusiùs Suares docet in Metaphysicis disputatione 18. sectione 2.

Habet S. Thomas hîc, & alij Scholastici plures alias rationes pro hac nostra propositione, fundatas in eo, quòd Deus sit ens necessarium, illimitatum, & independens, sed quæ videntur minus efficaces; nam diuinæ personæ sunt necessariæ, independentes, illimitatæ, nec tamen quatenus tales præcisè, prout realiter à se inuicem distinguuntur, habent omnes omnium rerum perfectiones, sed tantùm ratione suæ essentiæ.

Quæres, an hæc nostra propositio sit de fide.

Respondetur videri de fide, non tam ex euidenti testimonio sacræ Scripturæ, quàm
II. ex communi consensu Patrum adiunctis testimoniis sacræ Scripturæ superiùs citatis, & aliis similibus, nam singula hæc testimonia indigent aliquâ illatione, vt probent nostram conclusionem, & sic faciunt illam esse tantùm Theologicam, vel admittunt etiam alium literalem sensum, vel etiam aliam lectionem, iuxta quæ possunt saluari, in alio sensu, quàm in sensu nostræ propositionis, vt facilè potest animaduerti discurrendo per singula etiam ex plerisque interpretationibus Patrum ad eiusmodi testimonia sacræ Scripturæ.

ARTICVLVS III.

Quomodo omnes omnium rerum perfectiones sint in Deo.

III. IMPRIMIS notandum est hoc, & præcedenti articulo quæstionem moueri tantùm de existentia eiusmodi perfectionum in Deo, tanquam in subiecto, seu habente illas, non autem in cognoscente, vel producente, vel conseruante illas in subiectis creatis: nam S. Thomas, & alij Scholastici sequentibus quæstionibus agunt de istis modis.

Notandum secundò, tribus modis vnum posse esse, & contineri in alio, scilicet *formaliter*, *eminenter*, & *virtualiter*, seu virtute; tunc vnum continetur *formaliter* in alio, quando est in eo secundum totum illud, quod est de præcisa eius essentia, & formali ratione, ita vt occasione huius formalis continentiæ prædicetur formaliter de suo continente, seu subiecto, illúdque denominet formaliter tale; quomodo albedo est in corpore, in pa-
IV. riete, & vtrumque illud denominat formaliter album: vnum verò *eminenter* contineri in alio, est ipsum contentum esse in ipso continente secundùm quoddam esse eleuatum, & secundùm formam aliquam perfectiorem propriâ formâ ipsius contenti, quæ forma perfectior, non tantùm contineat virtute quidquid est perfectionis in contento, sed etiam possit nobiliori modo præstare totum illud quod contentum præstabat; vnde ad continentiam hanc eminentialem duæ conditiones requiruntur.

Prima est, vt contentum contineatur in continente secundùm aliquam formam perfectiorem, & nobiliorem suâ propriâ formâ, eiúsque imperfectiones excludat; hoc enim significat ipsum nomen continentiæ *eminen-*
A *tialis*: nam vnum non potest continere aliud, nisi habeat illud in seipso, & hæc particula, V.
eminenter, importat relationem comparationis penes excellentiam in ipsa ratione continentiæ.

Altera conditio est, vt continens possit efficere nobiliori modo totum, quod ipsum contentum præstat, cuius conditionis hæc est ratio; quòd hæc continentia sit ipsius continentis causa: vnde cùm causa respiciat effectum, & vt est causa specialis postulat specialem modum sibi proportionatum, sicut causa, quæ continet aliud eminenter est nobilior: sic & nobiliori modo debet posse producere effectus formæ à se contentæ, & proinde si modus agendi propriæ formæ, seu causæ includat in præciso suo conceptu aliquam imperfectionem, quod continet talem causam
B eminenter, producet quidem effectum eius, VI.
sed nobiliori modo, & absque tali imperfectione, vt videre est in accidentibus conseruatis sine subiecto.

Illud denique dicitur contineri tantùm *virtualiter* ab alio, quod potest ab illo quomodocumque produci, licet continens careat vtrâque prædictâ conditione à nobis requisitâ ad continentiam eminentialem.

Ex quibus facilè intelligitur ipsum continere *eminenter*, non benè explicari ab Ochamo, & Gabriele in 1. sentent. distinct. 36. quæstione vnicâ; quando dicunt illud nihil esse aliud, quàm *esse alio perfectius*; sic enim homo cùm sit reliquis animantibus perfectior; diceretur continere in se *eminenter* omnia animantia, licet formas illorum non contineret in seipso, quod est contra rationem con-
C tinentiæ, quæ vltra perfectionem agendi, im- VII.
portat vnum includi in alio, vt ipsum nomen sonat.

Notandum tertiò, perfectiones simpliciter simplices, vt sunt verbi gratiâ sapientia, scientia, & reliquæ eiusmodi, posse considerari duobus modis: primò secundùm suum præcisum formalem conceptum expressum nomine abstracto, præscindendo ab eo omne aliud, in quo conuenit cum aliis, & à modo, quo eiusmodi perfectiones sunt in nobis, verbi gratiâ in scientia, & sapientia, præscindendo quòd sint qualitates, quòd inhæreant intellectui creato: deinde possunt considerari, vt includunt eiusmodi conditiones. His prænotatis sit

Prima propositio. *Omnes perfectiones simpliciter simplices consideratæ iuxta primum modum*
D *tertij nostri notabilis sunt formaliter in Deo.* VIII.

Propositio est de fide, ex variis sacræ Scripturæ testimoniis, in quibus istæ perfectiones prædicantur formaliter de Deo, verbi gratiâ, *bonitas* apud S. Matthæum 19. capite, *veritas* apud S. Ioannem 14. capite, item ex Concilio Rhemensi superiùs citato, & Patribus relatis præcedenti quæstione, quibus addi possunt S. Ambros. lib. 2. *de fide*, statim in principio, S. August. lib. 7. *de Trinitate*, cap. 1. S. Ansel. in *Monologio*; capite 15. qui docent ista omnia non metaphoricè, sed propriè conuenire Deo, & dici de illo: ex quibus omnibus hæc ratio formatur pro nostra propositione. Modus prædicandi sequitur modum essendi, quemadmodum dialectici communiter docent: at tam ex sacris literis, quàm ex Sanctis

I. Patribus nunc relatis perfectiones simpliciter simplices, prout considerantur iuxta præcisum & formalem suum conceptum prædicantur formaliter de Deo, eique propriè conueniunt: ergo omnes perfectiones simpliciter simplices consideratæ iuxta formalem & præcisum suum conceptum, sunt formaliter in Deo.

Secunda propositio. *Tam perfectiones simpliciter simplices, quàm duntaxat simplices consideratæ secundo modo tertij nostri notabilis non sunt formaliter in Deo, sed tantùm eminenter.* Propositio prout negat continentiam formalem istarum perfectionum in Deo, est de fide. Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur capite *damnamus*, vbi propositiones
II. Almarici damnantur, quarum, vt Turrecremata refert in *summa*, lib.4. cap. 35. hæc etiam vna erat, quòd scilicet omnes creaturæ verè & propriè dicebantur de Deo: ita vt Deus diceretur propriè leo, albus, & sic de cæteris.

Hæc autem prima pars probatur his omnibus testimoniis Scripturæ, & Patrum, quibus suprà ostendimus Deum esse perfectum, carere omni potentialitate, omni compositione, & id genus aliis, quæ omnia essent falsa, si istæ perfectiones spectatæ hoc modo essent formaliter in Deo: nam lapis verbi gratiâ, importat in suo conceptu formali esse compositum ex materia, & forma, & infinita id genus absurda sequerentur, quæ tamen sola ratio naturalis dictat nullatenus conuenire Deo: vnde in citato capite *damnamus* extremis verbis doctrina Almarici dicitur *in-*
III. *sana*; item sequeretur incompossibilia esse in Deo, cùm perfectiones simplices habeant incompossibilitatem cum quibusdam perfectionibus simpliciter simplicibus, vt patet ex earum definitione, quas tamen ostendimus esse formaliter in Deo.

Altera pars propositionis probatur ipsâ definitione eminentialis continentiæ: tunc vnum continet aliud eminenter, quando contentum absque propriis suis imperfectionibus est in continente secundùm aliquam formam nobiliorem propriâ suâ formâ, potéstque continens producere modo nobiliori omnes eius effectus; sed omnes & singulæ omnium creaturarum perfectiones simplices in Deo sunt eius ipsa essentia creatrix, iuxta illud sancti Ioannis primo capite, *quod factum est in ipso,*
IV. *vita erat*, & perfectiones illæ sunt ibi secundùm formam nobiliorem, tum quia sunt ipsamet essentia Dei, & ibi viuunt, vt prædictus locus sancti Ioannis indicat, quemadmodum S. Augustinus tract. 1. *in S. Ioannem*, S. Ansel. in *Monologio*, cap. 35. explicant, & sunt ibi sine suis propriis imperfectionibus, quia nihil est imperfectionis in Deo, nihil est ibi per modum qualitatis vel entis creati, & illarum effectus possunt produci ab essentia diuina, quia habet omnipotentiam; ergo diuina essentia continet eminenter omnes omnium rerum perfectiones tam simplices, quàm simpliciter simplices quoad illum modum quem habent in nobis.

Et hæc pars intelligitur etiam de ipsis realibus modis & formalitatibus, cum quibus vel sub quibus ipsæ res creatæ sunt, vel producuntur; hæc enim continentia eminentialis

A fundatur in omnipotentia & virtute operatiua Dei, quare cùm modi illi vel producantur, vel comproducantur, vel sint reales quædam connotationes sub quibus res creatæ sunt, vel producuntur, sicut omnis productio *ad extra*, & quælibet res, vel etiam realis modus eius sunt aliqui effectus, vel aliquid effectuum ipsius Dei, sic etiam eminenter continentur in illo proportionatè ad rationem illam, iuxta quam sunt in ipsis rebus creatis vel eis conueniunt. V.

Neque ex hac eminenti continentia creaturarum in Deo, sequitur Deum esse lapidem verbi gratiâ, vel aliquam aliam creaturam, quia sola inexistentia rei secundùm suum esse formale denominat simpliciter & absolutè
B suum subiectum tale, non autem sola virtualis, aut eminentialis tantùm, vt patet in sole, quia licet virtute contineat multa ex his inferioribus, ad quorum generationem concurrit, verbi gratiâ, aurum & alia id genus, & calorem, non tamen denominatur aurum, vel calidus formaliter, vel aliquid aliud simile. VI.

ARTICVLVS IV.

Soluitur obiectio contra doctrinam præcedentis articuli.

OBIICIES relationem dicere perfectionem duntaxat simplicem, vt suprà significauimus, & nihilominus illam esse formaliter in Deo; tum quia diuina essentia est ens simul absolutum & relatiuum; tum etiam quia
C paternitas & filiatio & spiratio sunt propriè relationes, quæ reperiuntur formaliter in personis diuinis, nec incompossibilitas vnius cum alia impedit, quin simul etiam reperiantur in Deo formaliter: ergo pari ratione perfectiones tantùm simplices poterunt esse formaliter in Deo, nec earum incompossibilitas id impediet. VII.

Respondetur, duobus modis intelligi aliquid esse formaliter in Deo; primò prout Deus *adæquatè* consideratur, quâ ratione est ens simul absolutum & relatiuum; deinde vt consideratur *inadæquatè* sub solo conceptu essentialium, iam relatio est in Deo formaliter spectato priori modo, vt probat obiectio, & etiam, prout inadæquatè concipitur sub conceptu entis relatiui, non est tamen formaliter in Deo, vel in eius essentia, prout
D concipitur inadæquatè sub solo conceptu essentialium: at quando Theologi dicunt perfectiones eas, quæ sunt simpliciter simplices esse formaliter in Deo, & perfectiones tantùm simplices esse solummodò eminenter in Deo, non tantùm intelligunt de diuina essentia, prout concipitur solò conceptu essentialium præscindendo ab alio eius conceptu inadæquato entis relatiui: nam id potissimum fundant in ipsa virtute, & potentia Dei ad causandum illas in creaturis, vt patet ex citatis Patribus, & ex rationibus superiùs allatis: at hæc virtus Dei ad causandum illas *ad extra* tenet se ex parte diuinæ essentiæ, vt est ens absolutum, & non quatenus est ens relatiuum, vt patet ex eo, quòd omnia opera Trinitatis *ad extra*, dicantur à Patribus indiuisa ratione vnius istius eiusdem potentiæ numero, in omnibus diuinis personis: vn- VIII.

I. de rectè possumus intelligere relationem esse formaliter in Deo, scilicet adæquatè considerato, nec tamen esse perfectionem simpliciter simplicem.

Dixi inter respondendum præsenti obiectioni, id solùm intelligunt de essentia diuina, prout concipitur *solo conceptu essentialium* præscindendo ab alio suo conceptu inadæquato *entis relatiui*, quia essentia diuina etiam, vt præscindit à diuinis relationibus, potest adhuc etiam inadæquatè concipi duobus modis: primò, prout includit tantùm substantialia, seu constitutiua illius formaliter in ratione substantiæ, quomodo præscindit à suis attributis propriè dictis: deinde conceptu quidem inadæquato essentiæ, sed ampliori, quatenus scilicet includit tam attributa eius propriè dicta, quàm prædicata illam intrinsecè, vt sic constituentia. Iam quando Theologi dicunt diuinam essentiam continere formaliter, vel eminenter omnes omnium rerum perfectiones, non id intelligunt de essentia diuina secundùm priorem eius conceptum, quo præscindit à suis attributis, sed de illa, iuxta posteriorem conceptum eius: tum quia illæ perfectiones quæ sunt formaliter in Deo, sunt magna ex parte attributa propriè dicta, & proinde extra conceptum diuinæ essentiæ consideratæ primo modo: tum etiam quia eminentialis illa continentia perfectionum fundatur immediatè in ipsa potentia Dei, vt iam animaduertimus: at omnipotentia Dei cùm sit attributum aliquod propriè dictum ingreditur solummodo conceptum diuinæ essentiæ consideratæ posteriori modo, & sic continentia eminentialis mediatè tantùm conuenit diuinæ essentiæ consideratæ primo modo, & ipsi eius omnipotentiæ immediatè.

II. (margin, at "tenus scilicet") — III. (margin, at "essentiæ consideratæ posteriori modo")

Neque propterea diuina essentia, vt præscindit à suis attributis, est aliquod ens limitatum, & finitum, tum quia iuxta hunc præcisum conceptum habet omnem perfectionem in tali genere possibilem cum essentiali actualitate existendi absque omni potentialitate, quod loquendo simpliciter arguit infinitatem, & illimitationem: tum etiam quia illa, vt sic est radix omnium suorum attributorum, & etiam diuinarum relationum, quæ prædicata cùm sint infinita, & illimitata, radix etiam illorum debet esse simpliciter & absolutè illimitata, & infinita in genere entis:
IV. tum etiam quia, licet attributa diuina non sint de præciso, & formali conceptu diuinæ essentiæ, quatenus hæc ab illis virtualiter distinguitur, nihilominus tamen quia ad conceptum entis simpliciter infiniti & illimitati, sufficit habere omnes perfectiones, vel essentialiter inclusas in sua quidditate, vel essentialiter identificatas in sua simplicissima entitate, seu essentialiter postulare actualem connexionem cum illis per omnimodam identificationem, nec est necesse habere illas omnes inclusas essentialiter in suo cóceptu quidditatiuo essentiæ, vt essentia est, & præscindit ab aliis; quemadmodum patet de relationibus diuinis, quas Theologi admittunt esse extra conceptum diuinæ essentiæ, & quia essentia diuina postulat essentialiter talem identificationem sui cum attributis diuinis, fit, vt illa sit semper ens simpliciter infinitũ, etiamsi

A omnes illæ perfectiones ei mediatè duntaxat conueniant: vnde in illa duplicem possumus distinguere infinitatem, vnam in ratione *essentiæ*, seu in proprio suo genere: alteram simpliciter, & absolutè in *omni genere*; primam habet ex se, secundam habet ex summa identitate sui ipsius cum propriis attributis, & diuinis relationibus: neque enim esse de essentiali conceptu entis diuini, vt simpliciter diuinum est, esse infinitum in omni & quolibet genere, docent diuinæ relationes & personalitates, quæ secundùm omnes habent esse diuinum, nec tamen in suo formali conceptu præcisè sumpto sunt infinitæ in omni genere. V.

Ad id verò quod additur ibi de incompossibilitate, quâ non obstante duæ relationes VI.
B sibi oppositæ sunt formaliter in Deo, respondetur illas, vt sic non esse in eodem supposito, sed in distinctis tantùm personis, vt per se patet: at incompossibilitas quam simplex tantùm perfectio habet cum alia, attenditur penes idem subiectum, *& eodem modo* consideratum.

ARTICVLVS V.

Vtrum perfectiones quæ sunt in creaturis, sint eædem numero in essentia Dei.

NOTANDVM est, posse *duobus modis* concipi perfectiones quæ sunt in Deo, & creaturis, *esse in Deo:* primò, vt eædem numero perfectiones sint *in Deo* & creaturis: secundò, vt eædem perfectiones dicantur *esse in Deo,* VII.
C quæ in creaturis, quatenus aliæ illis similes vel in specie, vel in genere, vel secundùm analogiam in Deo sunt. Hoc prænotato sit

Nostra propositio. *Omnes perfectiones creaturarum ita sunt in Deo formaliter, vel eminenter, vt tamen non sint eædem numero in essentia Dei, quæ sunt in ipsissimet creaturis, sed tantùm eædem secundùm quandam analogiam.*

Prior pars probatur: multa sunt de conceptu intrinseco huius & istius perfectionis numericæ, prout est in creatura, quæ vt sic, repugnant Deo; verbi gratiâ de ratione sapientiæ humanæ, vt est hæc, quòd sit qualitas inhærens saltem aptitudine, quòd habeat modum finitum, quòd sit aliquid creatum: deinde Deus est aliud omninò indiuiduum, habétque aliud omninò esse ab indiuiduo, & esse quocumque creato.

D Posterior pars probatur: datur analogia effectus ad suam causam exemplarem, & efficientem, quatenus iste his respondet: atqui omnes & singulæ perfectiones creaturarum sunt quidam effectus diuinæ essentiæ tanquam causæ exemplaris, & efficientis, iuxta illud S. Ioan. 1. *omnia per ipsum facta sunt, quod factum est, in ipso vita erat:* Deus enim dum creat, agit per intellectum, & omne agens per intellectum habet in seipso exemplar rei, quam facit: igitur omnes perfectiones creaturarum habent analogiam ad essentiam Dei; & ex consequenti illæ, quæ sunt in creaturis, sunt tantùm eædem cum iis, quæ sunt in Deo quoad istam analogiam: & ita distinctè, vt quæ sunt in creaturis, si sint rerum inanimatarum, vt sic non dicantur habere vitam, vt verò sunt in Deo, vitam habeant: quemadmo- VIII.

I. dum S. August. explicat tract. 1. in *S. Ioann.* exemplo artificis fabricantis arcam iuxta exemplar, quod habet in mente: quæ arca, vt est in opere, non est eadem entitatiuè cum ipsa prout est, & remanet in mente artificis, sed alia, habens cum illa analogiam. Ex quo intelligitur creaturas habere in Deo verius esse, sumptâ hâc particulâ *verius* pro perfectiori, quàm habeant in propria sua natura, seu in seipsis.

ARTICVLVS VI.

Quid importat reale perfectio Dei, & vtrum sit attributum.

RESPONDETVR primùm, si perfectio sumatur hîc iuxta sensum primi articuli,
II. perfectionem in Deo, esse veluti optimum modum essendi Dei, ratione cuius diuina essentia habet in se quidquid requiritur ad illam constituendam in proprio suo genere, quodquidem positiuum fundat in Deo negationem cuiuscumque defectus in tali genere, seu diuinæ essentiæ, & ex consequenti perfectionem Dei, vt sic sumptam non esse aliquod attributum diuinæ essentiæ propriè dictum.

Prior pars responsionis est Caiet. hâc quæstione articulo primo, quam ibi probat ex responsione S. Thomæ in corpore primi articuli, vbi ex eo, quòd Sanctus Doctor probat Deum esse perfectum, quia non est in potentia, sed in actu, & esse in actu, vel potentia, pertinet ad modum essendi ipsius rei; rectè infert esse hoc modo perfectum, seu talem
III. perfectionem in essentia Dei nihil aliud importare, quàm veluti optimum quemdam modum specialem essendi diuinæ essentiæ, prout illa est in seipsa, & consideratur secundùm seipsam.

Deinde probatur: tunc vnumquodque est perfectum in ordine ad seipsum, quando quæcumque illud constituunt, & quasi integrant, sese habent ad illud modo optimo, & consentaneo eius naturæ; vbi enim ab isto modo deficiunt non est perfectum, sed imperfectum: atqui hoc nihil superaddit enti, quod dicitur sic perfectum, nisi aliquem modum, quo hæc omnia sese habent optimè in illo: ergo perfectio sumpta primo illo modo est tantùm modus aliquis: ergo cùm diuina perfectio de qua hîc agimus sit (seruatâ proportione) talis, erit etiam perfectio Dei veluti modus
IV. specialis essendi optimè, ratione cuius diuina essentia habet in seipsa, & in ordine ad seipsam, quidquid requiritur ad illam constituendam in proprio suo genere.

Posterior etiam pars eiusdem responsionis probatur ex dictis ad qu. 3. de conditionibus requisitis in attributo Dei propriè dicto. Nam inter alias requiritur, vt conueniat diuinæ essentiæ per modum formæ adiacentis, & quasi nostro modo concipiendi, illi vt iam constitutæ aduenientis, non autem per modum alicuius constitutiui intrinsecè: at diuina perfectio vt nunc explicata denotat potiùs intrinsecum modum, quo diuina essentia constituitur intrinsecè in seipsa, vt est diuina, & in tali genere, quàm significet aliquid vt ei iam constitutæ in suo esse adiacens.

Deinde transcendentia vt formaliter talia,
A non possunt sortiri rationem attributi propriè dicti, quia sic intrinsecè imbibuntur in ipsis entibus de quibus prædicantur: sed perfectio, vt hîc sumitur, habet rationem cuiusdam transcendentis, est enim vnumquodque perfectum in seipso, prout habet rationem entis in seipso integri quoad illa, quæ propria eius natura sibi postulat: ergo hæc diuina perfectio sic considerata, non erit aliquod attributum essentiæ diuinæ propriè dictum. V.

Secundò respondetur, si diuina perfectio sumatur hîc pro illa perfectione, quæ in Deo ita est vna simplicissima, vt tamen habeat in seipsa omnes perfectiones supereminenti quâdam aggregatione, & vnitione congregatas: quemadmodum sanctus Dionysius loquitur libro *de diuinis nominibus*, capite secundo, & quinto: id est, quæ ita est vna, & simplicissi-
B ma, vt tamen ratione suæ eminentiæ sit multiplex virtute, & ipso suo sinu complectatur omnes & quaslibet perfectiones, quâ ratione ostendemus secundo & tertio artic. Deum esse perfectum, tûc diuina perfectio non est adhuc propriè loquendo, vnum aliquod attributum essentiæ diuinæ; quia est de ratione attributi, quatenus attributum est, quòd denotet aliquam particularem perfectionem, vt Fonseca docet libro 7. *Metaphys.* capite octauo, quæstione 7. sectione 3. sunt enim attributa in Deo multa secundùm virtualem distinctionem etiam absque vlla operatione cuiuscunque intellectus; vt docebitur agendo de distinctione hac virtuali inter essentiam & attributa etiam ad se inuicem comparata; diuina autem perfectio sumpta hoc modo dicit om-
C nes perfectiones, & non aliquam duntaxat specialem. VI. VII.

ARTICVLVS VII.

An Deus & vniuersum simul sint aliquid perfectius, quàm solus Deus.

OMNES facilè conueniunt, *Deum & vniuersum simul non esse aliquid melius, & perfectius intensiuè, quàm sit solus Deus:* & est expressa sent. S. Aug. lib. 6. *de Trinit.* cap. 8. sic dicentis: *cùm creatura adhærescit creatori, illa fit maior, quàm erat, non ille.* etiam est S. Th. 1. 2. qu. 34. art. 3. in solut. ad 2. & probatur: illud est intensiuè perfectius altero, quod habet in se plures gradus perfectionis alios aliis perfectiores, sed Deus & vniuersum simul non
D habent plures gradus perfectionis, quàm solus Deus habeat, quia non tantùm omnes, & singulæ omnium rerum perfectiones, sed etiam gradus illarum & formalitates sunt in solo Deo formaliter, & eminenter, vt docuimus: ergo Deus, & vniuersum simul non sunt aliquid intensiuè perfectius solo Deo. VIII.

Hæc ratio non tantùm probat responsionem de intensione perfectionis, quæ fiat per additionem perfectionis eiusdem rationis, sed etiam de illa quæ posset concipi additione boni alterius rationis, quia bonum illud & perfectio quæ in vniuerso est alterius rationis ab eo bono & perfectione, quæ est in Deo, reperietur etiam in Deo, vt eminenter contenta; & sic quidquid habet perfectionis secundùm istam considerationem ei adiunctum eius perfectionem non auget intensiuè.

I. Solùm restat difficultas de extensiua perfectione, scilicet an Deus & vniuersum vt simul sumuntur, sint aliquid extensiuè perfectius, quàm sit solus Deus.

Negant plerique discipuli S. Thomæ hîc & sequenti qu. 6. sed pars affirmans quæ est Durandi primo sent. distinct. 44. quæstione 3. & plurium recentiorum hîc, videtur *melior, & probabilior.*

Probatur: ad hoc vt aliquid sit extensiuè perfectius, & melius altero, sufficit, vt perfectio penes quam fit comparatio, sit maior numero in illo, quod dicitur esse extensiuè perfectius, quàm in altero, & quod in illo priori subiecto denominato extensiuè perfectius, hæc perfectio habeat aliquem specialem essendi modum, secundùm quem numericè sit in illo, & non in alio: verbi gratiâ II. plura meritoria opera Christi Domini dicuntur esse extensiuè perfectiora vnico eius opere, quia sunt valores plures numero distincti in istis pluribus actibus, quorum vnus non est in alio quolibet opere, licet quoad intensionem vnicum opus meritorium Christi Domini tantum valeat, quantum plura, & præterea singuli isti valores habent specialem modum numero distinctum in pluribus meritoriis operibus, quæ non habent in vnico tantùm: at in Deo, vt sumpto seorsim ab vniuerso, omnes omnium rerum perfectiones ita sunt, siue formaliter, siue eminenter, vt tamen non sint in Deo eædem numero, nec secundùm illum essendi modum, quem habent in rebus creatis, vt patet ex dictis articulo quinto, & sunt in Deo vnitissimè, & vt in vnico subiecto, in III. creaturis sunt plures numero, in pluribus & pluribus numero subiectis: ergo Deus & vniuersum simul sunt aliquid extensiuè perfectius solo Deo.

Neque huic rationi satisfacies, si dicas omnes eiusmodi perfectiones etiam sumptas numericè esse in Deo secundùm alium modum essendi: & ita quantum spectat ad perfectionem, nihil esse in creaturis, quod non sit in Deo, secundùm modum eminentiorem: hoc enim tantùm arguit Deum & creaturas simul non esse aliquid intensiuè perfectius solo Deo, quin potiùs confirmat hanc partem nostræ propositionis: nam modus iste, quem perfectiones eiusmodi habent multiplicatæ numero in creaturis, & secundum quem vtpote habentem aliquid imperfectionis sibi admixtum, non est in Deo formaliter vt sic, IV. & nihilominùs est aliquid positiuum: ergo licet illæ eædem perfectiones sint modo eminentiori in Deo, quia tamen non sunt in illo, nisi vt in vno subiecto, seu habente illas, & in creaturis multiplicantur quoad numerum, vt sic consideratæ facient, vt Deus & vniuersum simul sint aliquid extensiuè perfectius solo Deo.

Confirmatur: vbi aliquæ perfectiones sunt realiter distinctæ, nec inter se identificantur, ibi vna superaddita alteri quantumlibet summæ, facit maius extensiuè: sic enim bonum additur alteri bono sibi non identificato; sed perfectiones omnes rerum creatarum, vt sunt in Deo, sunt realiter distinctæ ab iisdem perfectionibus, vt sunt in ipsis creaturis: ergo Deus, & vniuersum simul sunt aliquid extensiuè perfectius Deo solitariè sumpto.

A Addidi in hac confirmatione particulam hanc, *bono sibi non identificato*, vt tacitè responderem obiectioni, quæ posset formari ex S. August. lib. 6. *de Trinitate*, cap. 7. dicente Patrem, & Filium in diuinis non esse maius bonum, quàm sit solus Pater, quod verum est; quia Pater, & Filius, vt comparantur cum diuina essentia sibi omnimodè identificantur: ergo à contrario quia perfectiones creaturarum quæ sunt in Deo, siue formaliter, siue eminenter non identificantur omnimodè cum iis, quæ sunt in creaturis, quin potiùs realiter distinguuntur ab illis, facient, vt Deus simul cum vniuerso sit aliquid extensiuè perfectius, quàm sit Deus solitariè sumptus. V.

Atque de perfectione intensiua S. Thomas est intelligendus infrà quæst. 103. artic. 3. in *solutione* ad 3. & 1.2. quæst. 34. art. 3. in *solutione* ad 2. quando ait bonum per essentiam non VI. B fieri melius additione alterius boni, sed hoc tantùm esse proprium boni per participationem: nam esse perfectius extensiuè, non est loquendo propriè esse perfectius, cùm hoc attendatur simpliciter penes præcisam rationem perfectionis, quæ vna simplicissima, & modo longè eminentissimo in Deo existens est longè maior, quàm existens multiplex, & diuisa in pluribus.

Neque potest obiici, vniuersum comparatum cum Deo esse quid minus puncto comparato cum linea, secundùm illud Isaiæ cap. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*; at punctum additum lineæ non facit maius extensiuè.

Hoc inquam obiici non potest; est enim VII. C dispar ratio: ideò punctum iunctum lineæ non facit maius, quia nullam habet diuisibilitatem, seu extensionem, ratione cuius per sui additionem linea fiat maior secundùm extensionem: at perfectiones quæ sunt in creaturis, habent quantitatem virtutis, seu aliquam rationem perfectionis, & sunt realiter distinctæ ab iis perfectionibus, quæ sunt in essentia Dei: ergo illis adiunctæ poterunt facere aliquid perfectius extensiuè.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliqua creatura possit esse similis Deo.

SIT hæc vnica propositio. *Repugnat dari ali-* D *quam creaturam, quæ sit similis Deo similitudine vniuocâ: potest tamen dari, imò dantur de facto creaturæ similes Deo similitudine analogâ:* VIII. ita sanctus Thomas hîc articulo 3. & est de fide.

Prior quidem pars ex illo Psalmi 32. *Deus quis similis tibi*, & Psalmi 85. *non est similis tui in diis Domine:* ad quem locum S. August. ita ait: *quodlibet aliud cogitet homo, non est simile quod factum est, illi qui fecit.* & habetur hæc propositio definita in Concilio Lateran. sub Innocent. III. & refertur de summa Trinitate, cap. *damnamus.*

Prior pars explicatur & simul probatur: tunc vnum est alteri simile similitudine vniuocâ, quando habet formam eiusdem speciei, & ordinis cum eo, cui dicitur simile; sic enim omnes homines dicuntur sibi similes vniuocè;

I. item & duo parietes albi, sed nulla potest dari A creatura, quæ habeat eandem specie formam cum Deo; est enim Deus ens per essentiam, independens, increatum, omninò simplex, quæ omnia repugnant creaturæ quamtumlibet perfectæ.

Posterior item pars explicatur: vbi vnum communicat cum alio in aliqua forma, ibi habet aliquam cum illo similitudinem, seu pro communicatione tali formæ, est ei simile, quia similitudo fundatur in conuenientia formæ; sed quælibet creatura quatenus est ens, vel etiam quatenus habet aliquem gradum entis, siue maximè perfectum, siue minus perfectum, communicat cum Deo in ipso tali esse, quia quodlibet ens creatum est quædam participatio entis increati: ergo quælibet creatura est similis Deo.

Et quoniam gradus illi, & entitates sin-
II. gulæ quæ sunt in creaturis, in quibus hæc si- B militudo fundatur, ita sunt participationes Dei, vt aliæ sint aliis perfectiores, imò & ordinis superioris, cuiusmodi sunt gratia sanctificans, lumen gloriæ, & id genus cætera quoad suam substantiam supernaturalia; ideò hæc similitudo ad Deum est in vna creatura minor, in alia maior, & perfectior etiam secundùm ordinem pro ratione formæ illius, in qua talis similitudo fundatur: sic quia creaturæ inanimatæ minorem habent cum Deo similitudinem, quàm creaturæ animatæ habeant; ita etiam homo, & Angeli, maiorem adhuc habent similitudinem cum Deo, etiam prout considerantur secundùm sua naturalia, quàm habeant reliquæ creaturæ inferiores.

III. Deinde eadem posterior pars explicatur, & C simul probatur: tunc tantùm est similitudo vniuoca, quando quæ sunt similia, habent eandem specie formam, suntque eiusdem ordinis; quando verò sunt diuersi ordinis, & forma secundùm quam vnum dicitur alteri simile, est principaliter in vno, in altero autem minus principaliter; in illo habet rationem alicuius causæ, siue efficientis, siue exemplaris, in isto rationem causati, seu effectus, siue exemplati, tunc talis similitudo est tantùm analoga, vt intelligitur ex S. Thoma in quæstion. disput. *de veritate*, quæst. 23. art. 7. in solut. ad 11. & ex art. 3. huius quæstionis; sed forma illa secundùm quam creaturæ dicuntur similes Deo, non est in Deo & illis, ea-
IV. dem specie, siue illa forma sit essentia, siue existentia, siue aliqua alia entitas, vel gradus D eius; nec item est eiusdem ordinis, sed diuersi, vt patet ex dictis prima parte huius propositionis, & præterea est in Deo principaliter, tanquam in ente per essentiam, & prima causa omnium efficiente, & exemplari; habet enim Deus ideas rerum omnium, iuxta quas producit res singulas ad extra: igitur similitudo illa secundùm quam res creatæ sunt similes Deo, est tantùm analoga.

Ex hac ratione sequitur istam similitudinem non esse reciprocam, vt S. Thomas obseruat vtroque loco nunc citato, id est, creaturas ita Deo esse similes, vt tamen Deus non dicatur esse similis illis, nec communicationem istarum formarum fundare relationem similitudinis inter Deum, & creaturas, seu vt dialectici vocant, *æquiparantiæ*, sed tantummodò *non mutuam*, seu *disquiparantiæ*, & inæ- V.
qualis proportionis, & comparationis; ad illam enim primam similitudinem & relationem correspondentem requiritur identitas specifica formæ in vtroque extremo comparationis, quæ hîc deficit; ad 2. verò diuersitas ordinis & aliqua ratio causæ, & causati, vt loco nunc citato apertè significat S. Thomas, & sumit ex S. Dionysio cap. 9. *de diuinis nominibus*; sic quia Cæsar, verbi gratiâ, & eius imago sunt diuersi ordinis, vt ipse Cæsar, est exemplar, ad quod propria eius imago efformatur, fit vt imago Cæsaris rectè dicatur esse similis Cæsari suo prototypo, non autem econtrà Cæsar dicatur esse similis suæ imagini.

AD QVÆSTIONEM V. VI.

QVIA hæc quæstio quam mouet S. Thomas *de bono in communi*, est planè philosophica, quámque omnes philosophi communiter tractant tam in *Metaphysicis* agendo de proprietatibus entis, quàm in *Moralibus*, dum disserunt de bono honesto, vtili & iucundo; nos illam vt istis locis explicatam omittimus.

AD QVÆSTIONEM VI.

DISPVTATIO VNICA. VII.

De bonitate Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit in se ipso summè bonus.

NOTANDA primùm est distinctio, quæ est inter pulchrum, & bonum, quam etiam sanctus Thomas hîc quæstione 5. articulo 4. in solutione ad primum tangit; est enim pulchritudo etiam ex Platone *in Phædro* quædam gratia, & splendor rei, qui mente, auditu, vel visu perceptus allicit animam: vnde Græcis dicitur *κάλλος* quasi *prouocans*: ideóque istud est discrimen inter bonum & pulchrum, quòd pulchrum dicat ordinem ad potentiam co- VIII.
gnoscentem, bonum verò ad appetentem: ac proinde licet res omnes appetant bonum, non tamen omnes appetunt pulchrum: sed hæ solùm, quæ habent iudicium quoddam discriminis pulchritudinis.

Triplex autem est pulchritudo, quædam reperitur in rebus *corporeis*, quam S. August. lib. 22. *de Ciuitate Dei*, cap. 19. definit *debitam membrorum congruentiam cum quadam coloris suauitate*, de qua Aristoteles lib. 4. *ethic.* cap. 3. secunda est in *vocibus*, & consistit in quadam harmonia vocum, exsurgitque ex proportione numerorum, & ex quibusdam interuallis: tertia est in *spiritalibus*, & consurgit ex debita proportione potentiarum spiritalis creaturæ in ordine ad perfectionem suæ speciei, & ad

I. finem proprium, quæ per virtutes & habitus animi maximè perficitur. In Deo autem, qui est simplicissimus, pulchritudo dicitur esse, ob infinitam perfectionem intellectus, voluntatis, & aliorum attributorum eius, quatenus maximè proportionantur nostro intelligendi modo, diuinæ essentiæ: item quatenus personæ diuinæ sunt realiter distinctæ cum maxima proportione æqualitatis in vna & eadem numero essentia, in qua summè identificantur, cuius pulchritudinis vestigium quoddam reperitur in creaturis, quatenus in illis datur distinctio cum vnitate, & hoc est quod maximè delectat.

Secundò notandum est, duplicem distingui bonitatem, vnam *transcendentalem*, de qua agunt philosophi in *Metaphys.* & consistit in integritate eorum, quæ requiruntur ad veram
II. constitutionem talis entis, quomodo illud censetur esse bonum, quod in se est perfectum, & cui nihil deest eorum, quæ eius natura postulat: alteram esse *moralem*, de qua philosophi agunt in *ethic.* & Theologi primâ secundæ, & consistit in ea subordinatione, quâ actus liber procedit à voluntate, vt subordinatâ rectæ rationi, tanquam perfectæ regulæ; quemadmodum Philosophi, & Theologi docent locis nunc citatis. His ita prænotatis, sit hæc

Prima propositio. *Deus non tantùm est bonus in seipso, sed etiam est summè bonus:* est de fide; nam passim in sacris literis appellatur *bonus*, vt Psalmo 72. 106. 117. & alibi: item ex Patribus ad hæc testimonia, & ad alia aliis similia.

Probatur etiam ratione prior pars: tunc
III. aliquid est bonum in seipso, quando nihil deest ei, sed habet omnia, quæ ad conuenientem constitutionem eius possunt requiri, vt patet ex secundo notabili: at Deus habet omnes eiusmodi perfectiones, vt docuimus ex professo præcedenti quæstione art. 1. igitur Deus est in seipso bonus.

Deinde, quia ex S. Augustino lib. 8. *de Trinitate*, capite 3. aliquid dicitur esse bonum *duobus modis:* primò in se, & sic ratio allata probat Deum esse bonum: secundò alteri, quatenus est alteri appetibile & conueniens: probatur etiam Deum esse bonum, hâc posteriori bonitate: illud est bonum iuxta hunc posteriorem modum, quod est alteri causa eius efficiens, quod dat esse omnibus rebus, quódque est finis vltimus rerum omnium: fi-
IV. nis enim vltimus, & summum bonum coincidunt: sed Deus est prima causa efficiens rerum omnium, earum omnium finis: illæ enim omnes tendunt in Deum vel appetitu *innato*, vt creaturæ irrationales, vel *elicito* vt rationales: igitur Deus est bonus, non tantùm in seipso & sibi, sed etiam & aliis omnibus: hinc illud Threnorum 3. *bonus est Dominus, sperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

Nec his obstat, quòd iuxta S. Augustinum libro de *natura boni*, cap. 3. ratio boni consistat in modo, specie, & ordine: quemadmodum etiam sanctus Thomas docet hîc qu. 5. articulo 5. quod tamen non habet locum in Deo: nam ex eodem sancto Thoma, quæst. 6. articulo 1. in solutione ad primum, istud intelligitur tantùm de bono creato, & non de bono increato, nisi quatenus ad illud perti-
A net imponere rebus omnibus modum, speciem, V.
& ordinem.

Eadem propositio probatur quoad posteriorem partem tam ex cap. 19. sancti Matthæi, quàm decimo octauo sancti Lucæ: vbi ità Christus Dominus ait, *nemo bonus nisi solus Deus:* quò loci hæc particula, *nisi*, excludit aliquam rationem bonitatis ab omnibus rebus à Deo distinctis; quam tamen ipse Deus habet, quod optimè intelligitur de bonitate *in summo*; patet item ex S. Augustino concione primâ in *Psalmum* 134. & aliis citatis Patribus ad vtrumque citatum locum Euangelij dicentibus: Deum nullam habere admixtionem mali; & ideò vocari absolutè *bonum*, cætera verò tantùm cum additione.

Tandem probatur ratione: vnaquæque res habet in seipsa tantum bonitatis, quantum in
B seipsa habet perfectionis, & res quælibet est VI.
in tantum bona alteri, in quantum est illi conueniens, & appetibilis; talis enim bonitas fundatur in conuenientia, vt S. Thomas satis frequenter docet: at Deus est in seipso perfectissimus: habet omnes omnium rerum etiam possibilium perfectiones, vt ostensum est quæstione præcedenti, & est vltimus finis rerum omnium: omnia enim propter semetipsum operatus est, & vltimus finis est valde conueniens cuilibet rei, & ab illa appetibilis: ergo Deus est summè bonus tam in seipso, quàm omnibus ipsis rebus creatis.

Secunda propositio. *Deus est summè bonus bonitate morali.* est etiam de fide ex citato illo verbo Christi Domini *nemo bonus*, &c. vbi respondens adolescenti qui eum vocauerat bonum
C bonitate morali, & interrogabat eum de bo- VII.
no morali ad consequendum vitam æternam, vt sic responderet ad mentem interrogantis, ait Deum solum esse etiam bonum summâ illâ morali bonitate.

Deinde probatur ratione: vbi in actibus liberis est summa conformitas voluntatis ad perfectam rectitudinem perfecti iudicij, ibi est summa moralis bonitas, & qui istud habet, est summè bonus bonitate morali, vt patet ex secundo nostro notabili: at in voluntate Dei respectu actuum liberorum est summa conformitas etiam per essentiam ad perfectam rectitudinem diuini iudicij, quia diuina voluntas est per suam essentiam infallibilis, & omnia operatur Deus propter debitum finem, scilicet propter semetipsum, ad quem omnia ordinantur; ergo Deus est summè bo-
D nus morali bonitate. VIII.

Hæc autem moralis bonitas est solùm in actibus liberis: vt docent Theologi 1. 2. quæstione 18. vnde cùm actus ille voluntatis, quo Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum, non sit liber, sed necessarius, non potest dici loquendo propriè bonus bonitate morali.

Hæc item moralis bonitas in Deo propter suam excellentiam dicitur essentialis *sanctitas Dei*; sanctitas enim importat duo, iuxta sanctum Thomam in tertium sententiarum, distinctione tertiâ, quæstione primâ, articulo secundo, primùm carentiam *omnis mali:* secundùm confirmationem *in omni bono:* hinc enim beati quia carent omni malo, & sunt confirmati in bono, dicuntur sancti accidentali tantùm sanctitate: Deus verò dicitur san-

I. ctus essentiali sanctitate, quia hæc eius bonitas est firmissima, omninò immutabilis, tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco, & secundùm quamcumque rationem.

Et cùm moralis bonitas attendatur non tantùm penes actus liberos, qui respiciunt obiecta moralia ordinis naturæ, sed etiam penes illos qui respiciunt obiecta supernaturalia, vt sunt in nobis actus virtutum per se infusarum, est etiam moralis bonitas Dei summa in isto genere: nam omnis perfectio, quæ participatur ab ente creato, est in Deo in summo gradu, & per essentiam: sed moralis bonitas actuum liberorum à nobis elicitorum ex gratia Dei, charitate & aliis virtutibus per se infusis est quædam participatio singularis gratiæ, charitatis, & aliarum eiusmodi perfe-
II. ctionum Dei: sic enim apud sanctum Petrum dicimur *fieri per gratiam consortes naturæ diuinæ*: item *filij Dei* passim apud Apostolum: ergo & hæc moralis bonitas, quæ in nobis est supernaturalis ordinis est summa in Deo: sic Deus satis frequenter in sacris literis dicitur *charitas*: sic perfectiones aliarum virtutum supernaturalium, ei etiam tribuuntur in summo gradu.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones contra præcedentis articuli doctrinam, & respondetur dubio.

III. PRIMA est: quod est summè bonum non potest compati malum existere, sed quantum est in se destruit illud: at Deus patitur malum esse, vt experientia docet: ergo.

Respondetur maiorem esse tantùm veram, si illud quod est summè bonum ageret ex necessitate naturæ, tunc enim agendo toto impetu suæ naturæ destrueret malum quantum potest destrui; at Deus est ita summè bonus, vt tamen sit agens liberum ad extra, & ideò pro libera sua voluntate destruit malum, vel sinit illud esse, & hoc in bonum finem, quia vt rectè docet S. Augustinus Enchiridio *ad Laurentium*, capite 11. nouit ex istis malis quædam bona elicere.

Obiicies secundò: quod est bonum per comparationem ad alterum, quod potest non existere, non est propriè absolutè & simpliciter
IV. bonum: sed tantùm secundùm quid, & veluti dependenter ab illo; quatenus accipit sic esse bonum ab existentia eiusmodi rei, quæ potest non esse: & proinde illud frustrare tali suâ bonitate; at Deus est summè bonus per comparationem ad res omnes creatas, quatenus hæc deriuantur ab illo, & in illum tendunt.

Respondetur, aliquid dici summè bonum, posse intelligi duobus modis: primò negatiuè, quando scilicet nihil eo perfectius, & melius potest esse, vel etiam excogitari, quomodo ad hoc vt aliquid sit summè bonum, non requiritur alia bona existere: secundò *positiuè*, & per comparationem ad omnia quæcumque alia bona tanquam extrema, ad quæ refertur per illam relationem: Deus dicitur summè bonus priori modo, non autem secundo, qua- A tenus importat comparationem ad alia bona, vt actu existentia: cum sit ex intrinseca sua ratione, & ex constitutiuis rationibus summè perfectus, non autem merâ quâdam denominatione extrinsecâ per aliquam habitudinem ad res creatas. V.

Dixi inter respondendum, *vt actu existentia*: quia si alia bona considerentur vt possibilia, seu vt sunt in potentia, Deus est etiam hoc modo positiuè summè bonus, per comparationem ad illa omnia, vt sic considerata: quia nihil est possibile, quo ipse Deus non sit perfectior, & melior: nam nomine Dei id omnes intelligunt, *quo nihil perfectius, nihil melius potest excogitari*, vt suprà animaduertimus. Hæc autem comparatio est tantùm per excessum, vt rectè notat sanctus Thomas quæstione sextâ, articulo secundo *in solutione*
B ad primum: vnde aliæ res cum quibus comparatur, non sunt eiusdem generis cum illo; neque propterea Deus est summè bonus dependenter ab ipsis rebus creatis de facto, vel etiam tantùm possibilibus, quia aliud est summam illam bonitatem intelligi, & explicari à nobis per ea, quæ sunt, vel possunt esse in creaturis, vel etiam sese ad illas, tanquam aliqua sua obiecta terminare; & aliud est Deum illam suam bonitatem habere dependenter ab illis, vt videre est etiam in potentiis quæ explicantur per obiecta, ad quæ illæ sese terminant, nec tamen sunt dependenter ab illis: summa bonitas Dei sese quidem terminat ad quaslibet res creatas, tanquam ad aliqua sua obiecta, & per eas explicatur à nobis qui naturaliter nihil de Deo nouimus, nisi ex rebus VI.
C creatis, & transferendo conceptus quos de illis formamus, in Deum, sublatis earum imperfectionibus; sed ea inest, & conuenit Deo independenter ab illis. VII.

Obiicies tertiò: de ratione boni est, sese communicare, proindéque summi boni sese summè communicare: at Deus esto sese summè communicauerit per Incarnationem, ista tamen communicatio fuit tantùm in tempore, & non ab æterno; ergo erit tantùm summè bonus in tempore, & non ab æterno.

Respondetur primò, si agatur de communicatione *ad intra*, Deum sese communicasse ab æterno per processiones diuinarum personarum. Deinde si agatur de communicatione *ad extra*, respondetur, ad hoc vt aliquid sit formaliter bonum, sufficere quòd
D habeat aptitudinem ad sese communicandum: nam essentiæ rerum sunt potiùs in aptitudine, quàm in secundo actu correspondenti tali aptitudini; Deus autem semper & ab æterno habuit aptitudinem ad sese communicandum *ad extra*, & si quæ sit implicatio, ob quam talis communicatio repugnet ab æterno fieri, illa non tenet se ex parte Dei, sed ex parte recipientis. VIII.

Quæres, an bonitas Dei siue transcendentalis, siue moralis, sit aliquod attributum diuinæ essentiæ propriè dictum.

Respondetur ex dictis præcedenti quæstione de perfectione Dei, illam non esse ob easdem rationes propter quas ibi exclusimus perfectionem Dei à ratione attributi propriè dicti: nam transcendentalis bonitas, sicut & ipsa perfectio

I. ingreditur constitutionem diuinæ essentiæ, A & est veluti aliquis modus eius; bonitas etiam moralis, quia non dicit aliquam specialem, seu particularem perfectionem, sed aliquam genericam, vel plures simul per quandam aggregationem, hæc enim reperitur in omnibus, & singulis actibus liberis diuinæ voluntatis; attributum autem dicit aliquam specialem perfectionem, vt suprà animaduertimus: ergo moralis etiam bonitas loquendo in rigore, non erit attributum aliquod propriè dictum: vnde S. Thomas hîc non meminit illius, sed solummodò transcendentalis, de qua tamen agit, quia in præcedentibus egit de essentia, & existentia, & perfectione Dei, ad quam bonitas transcendentalis statim intelligitur.

ARTICVLVS III.

II. B *Vtrum Deus sit bonus ratione suæ essentiæ; an hoc sit illi proprium, & vtrum omnia sint bona ipsâ bonitate Dei.*

PRIMA sit propositio. *Deus est bonus ratione suæ essentiæ.* Ita sanctus Thom. hîc art. 3. & probatur: Deus per id est bonus, per quod habet in se omnes perfectiones debitas suæ naturæ, quia bonitas consistit in perfectione debita rei, prout illa inuoluit habitudinem conuenientiæ ad appetitum: at Deus ratione solius suæ essentiæ, habet omnes eiusmodi perfectiones sibi debitas: ergo Deus est bonus ratione suæ essentiæ.

Minor probatur: perfectio, quæ alicui rei potest conuenire, distinguitur triplex: prima est suæ *existentiæ*, ratione cuius constituitur in
III. esse actuali: secunda consistit in *accidentibus*, C quæ vel tanquam necessaria, vel vt vtilia ad operandum possunt superuenire rei, quomodo anima nostra perficitur suis potentiis, & habitibus: tertia consistit in assecutione, seu *possessione sui finis*: tunc enim aliquid censetur esse perfectum, & bonum quando assequutum est finem suum: atqui Deus habet hæc tria ratione solius suæ essentiæ; primum quidem, quia quæstione secundâ ostendimus existentiam Dei esse de intrinseco, & formali conceptu diuinæ essentiæ; secundum item, quia Deus non est capax accidentium, vt ostendimus quæstione 3. tum etiam, quia intellectus, & voluntas sunt idem cum essentia Dei, & hæc essentia Dei ex naturali sua conditione, habet intrinsecam necessitatem ha- D
IV. bendi actu, & de facto intellectum, & voluntatem: tertium denique, quia Deus est sibi ipsi vltimus finis beatus seipso, & eius essentia habet intrinsecam necessitatem habendi etiam actu beatitudinem, est enim Deus necessariò beatus: ergo Deus ratione solius suæ essentiæ est bonus.

Secunda propositio. *Propriè conuenit soli Deo esse bonum, ratione suæ essentiæ, seu per essentiam:* ita sanctus Thomas hîc articulo tertio. Probatur ex illo Christi Domini superiùs relato, *nemo bonus, nisi solus Deus*, nimirùm per naturam & essentialem necessitatem.

Probatur etiam ratione: tria illa bona explicata præcedenti propositione competunt soli Deo, ratione suæ essentiæ; & primò de *existentia* patet: illa enim non est de concepto vllius rei creatæ, & illâ præcisâ, essentia V. rei creatæ habet tantùm esse possibile: & proinde quia bonum reciprocatur cum ente, habet solummodò etiam bonum in potentia: & præterea vna essentia præcisè considerata, in tantum est aliâ nobilior, in quantum potest actuari per existentiam perfectiorem: item substantia creata dicitur per suam essentiam, esse ens per se, non quòd existentia illius habeat, sicut existentia Dei, absolutam necessitatem, quâ de facto insit suæ essentiæ; hoc enim habet à libera voluntate Dei, sed tantùm hoc sensu, quòd formalis ratio constitutiua substantiæ siue possibilis, siue existentis de facto, sit per se, in se, & non in alio.

Idem probatur de *secundo genere boni*, quia potentiæ, & accidentia, quibus substantiæ perficiuntur, ita sunt extra conceptum illarum, vt possint ab illis separari, quando Deus VI. voluerit. Idem denique patet de *vltimo genere boni:* nulla enim creatura est sibiipsi finis vltimus, nec est per se beata.

Quòd item soli Deo conueniat esse bonum per essentiam *bonitate morali*, patet ex iis, quæ Theologi 1. 2. agendo de peccatis docent, scilicet, nullam creaturam posse dari absolutè & simpliciter ex propria naturali sua constitutione impeccabilem.

Quæres, an Filius, & Spiritus sanctus etiam in diuinis dicantur boni per essentiam, cùm illam non habeant à se: sed Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre, & Filio.

Respondetur affirmatiuè, quia vt aliqua persona dicatur bona per suam essentiam, sufficit quòd vi suæ processionis habeat diuinam essentiam tres prædictas bonitates haben- VII. tem: at Filius, & Spiritus sanctus vi suæ processionis accipiunt eandem numero diuinam essentiam, quam habet Pater & cum suis iisdem omninò perfectionibus essentialibus, vt dicetur agendo de Trinitate: creaturæ verò quia accipiunt aliam essentiam entitatiuè distinctam quantumcumque actuentur, erunt tantùm bonæ per participationem.

Tertia propositio. *Omnes creaturæ sunt bonæ ipsâ bonitate Dei efficiente, exemplari, & finali, non tamen formali:* ita S. Thomas hîc quæstione sextâ, articulo quarto; sanctus Augustinus libro octauo *de Trinitate*, capite tertio.

Probatur: bonitas *efficiens* nihil est aliud, quàm causa, quæ efficit formalem bonitatem in subiecto: *exemplaris* ea est, ad cuius assimi- VIII. lationem fit formalis bonitas: ea est *finalis*, ad quam tanquam ad proprium suum finem vltimum formalis bonitas refertur: *formalis* denique bonitas est ipsamet entitas rei bonæ, quatenus integratur omnibus partibus requisitis ad suam essentiam, prout illæ habent conuenientiam, ratione cuius fundant appetibilitatem: at Deus ipse est, qui dat bonum rebus creatis, qui illas efformat iuxta ideas, quas habet in seipso, vt dicetur infrà agendo de ideis diuinis: est item id, ad quod vltimò omnia referuntur: nec denique ingreditur eorum entitatem, vt patet ex dictis suprà: igitur omnes creaturæ sunt bonæ bonitate Dei, tam efficienti, finali, quàm exemplari, non tamen formali.

Vnde iuxta hunc modum creaturæ omnes denominantur *bonæ*, denominatione tantùm

I. A extrinsecâ, nimirum petitâ à triplici illa causalitate Dei, quæ eiusmodi rebus est extrinseca: & cùm hæc denominatio fundetur in causalitate, non autem in sola tantùm relatione, fit vt Caietan. ad Articulum vltim. S. Thomæ dicat hanc denominationem esse extrinsecam, non puram, sed causalem; quæ tamen denominatio extrinseca non impedit, quin eædem res creatæ denominentur, & sint formaliter bonæ eâ bonitate, quæ formaliter illis inexistit: quemadmodum sanctus Thomas citato articulo in fine corporis obseruat, nam vnumquodque denominatur formaliter tale ab eo quod sibi formaliter inexistit: at bonitas formalis inexistit formaliter ipsis rebus creatis; ergo non obstante prædictâ denominatione extrinsecâ petitâ à triplici causalitate bonitatis per Deum in creaturis, non de-
II. sinent res creatæ esse, & dici formaliter bonæ denominatione intrinsecâ petitâ ab ipsa eatum formali bonitate.

AD QVÆSTIONEM VII.

DISPVTATIO VNICA.

De infinitate Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid negat infinitas quæ in Deo concipitur.

III. CVM ipsa infinitas dicat negationem finitatis, vt patet ex ipso nomine, priusquam probetur infinitas Dei, explicandum est quidnam sit illud quod ipsa negat, ex cuius negatione probata vt suo modo existente in Deo, meliùs ostendetur quomodo Deus sit infinitus. Quare sit hæc

Nostra propositio. *Infinitas secundùm essentiam, seu Dei non negat esse ab alio, seu esse dependens ab alio: nec negat habere esse receptum, sed negat omnem, seu quemlibet limitem, & terminum perfectionis in eo ente, quod denominatur infinitum per essentiam: ita vt non possit in perfectione habere superiorem, vel æqualem, qui sit distincta ab eo naturâ.*

IV. Tres sunt partes propositionis: prima, quæ asserit *ipsum esse infinitum, non negare esse dependens ab alio*, seu infinitatem Dei non consistere in eò, quòd Deus sit à nulla causa, seu absolutè independens, probatur: vbi vnum est etiam solo lumine naturæ clarius alio, ibi non est omnibus modis etiam virtualiter idem cum illo, licet vnum istorum consequatur ad aliud, seu vno posito debeat & aliud poni: sic enim vnum nostro modo concipiendi habet, se vt prius, & alterum vt posterius: at solo lumine naturæ est clarius Deum esse ens à se, independens à quocumque alio, quàm Deum esse infinitum: quia nomine *Dei* apud omnes intelligitur primum ens, prima causa, & aliqui philosophi censuerunt cœlos, & materiam primam non esse producta aliunde, quæ tamen nunquam dixerunt esse infi-

nita, & ad ipsum esse independens, & à se in Deo rectè sequitur eum esse infinitum: sic enim S. Thomas hîc articulo primo, conatur probare Deum esse infinitum, quia non habet esse ab alio: ergo cùm medium probationis sit distinctum ab eo, quod probatur; ipsa infinitas Dei non est idem omnimodè etiam virtualiter, cum eo prædicato, quo Deus à nullo alio est independens. V.

Confirmatur: Theologi, supposito quòd Deus sit independens, & quòd omnia ab eo dependeant, non desinunt quærere vtrum sit infinitus, & Theodoretus lib. 2. *de prouidentia* recenset duo ista prædicata *esse à se*, seu independens; & *esse infinitum* in Deo, tanquam distincta: ergo negatio illa, quam infinitas Dei importat, non est negatio essendi ab alio, seu dependentiæ ab alio.

B Secunda pars eiusdem propositionis, quæ asserit, *negationem importatam infinitate Dei, non esse negationem esse recepti in aliquo*, seu infinitatem in Deo, non significare ipsum eius esse, non esse receptum in aliquo, à quo consequenter limitetur; sicut contingit in rebus creatis etiam simplicissimis, probatur: vnaquæque natura creata, quatenus concipitur, antequam habeat existentiam, vel subsistentiam, intelligitur esse finita quoad suam essentiam, nec tamen apprehenditur tunc limitata & esse in alio. VI.

Nec obstat, quòd habeat ordinem, & potentialitatẽ ad suam existentiam, & subsistẽtiam, vt per illas de facto actuetur; nam non ideò præcisè aliqua essentia est limitata ad hoc esse, quia talem existentiam, vel subsistentiam habet: sed econtrà ideo habet talem existen-
C tiam, & subsistentiam sic limitatam, quia hæc essentia est talis conditionis, quæ ex se & sua natura postulet tantùm limitatam existentiam, & subsistentiam; modus enim rei sequitur potiùs conditionem rei, cuius est modus, quàm econtrà: ergo negatio, quam importat infinitas Dei, non est negatio esse recepti in alio. VII.

Vltima denique pars nostræ propositionis probatur auctoritate S. Thomæ lib. 1. *contra Gentes*, cap. 43. vbi ita scribit: *in Deo infinitum negatiuè tantùm intelligitur, quia nullus est perfectionis suæ terminus, vel finis, sed est summè perfectus, & sic Deo infinitum tribui debet*: quæ verba Ferrariensis ibi sic explicat, *Deus est summè perfectus*, id est, non est limitata sua perfectio, ad aliquem perfectionis gradum,
D ita quòd vnam perfectionem habeat, & non aliam, sed omnem perfectionem, & omnem perfectionis modum in se habet eminenter. VIII.

Probatur etiam ratione: primò infinitas in Deo illud significat, quo nihil maius potest excogitari: quia Patres sæpè dum loquuntur de illa, eam ita locutione explicant: at esse tale maius, est habere essentiam ita perfectam, vt neget omnem terminum etiam possibilem suæ essentiæ quoad omnem, & quamlibet perfectionem etiam possibilem; in iis enim quæ non sunt mole magna (cuiusmodi est Deus) idem sunt esse maius & esse melius, ex S. Augustino libro sexto *de Trinitate*, capite octauo, & hoc dicit negationem superiùs explicatam: ergo infinitas in Deo significat negationem limitationis in essentia diuina

I. quoad omnem, & quamlibet perfectionem etiam possibilem.

Tandem per prædicatum infinitatis, id negatur in Deo, quod affirmatur de creaturis, quãdo aliqua earũ dicitur esse finita quoad suam essentiam; quia finitũ & non finitum sunt termini contradictorij, & dum negamus finitatem de Deo, negamus aliquam imperfectionem, quam cognoscimus in creaturis: at quando dicimus aliquam creaturam esse finitam quoad suam essentiam, significamus illam habere certos limites suæ perfectionis: ita vt possit ab alia excedi, si cum illa comparetur, quatenus potentia creaturæ ita est syncategorematicè infinita, vt semper alia & alia perfectior possit dari: ergo dum affirmamus Deum esse infinitum, negamus essentiam
II. eius habere aliquos terminos suæ perfectionis, & affirmamus eam habere omnem & quamlibet perfectionem possibilem.

Atque idem quod hîc asserimus videntur sentire qui volunt negationem importatam infinitate Dei, esse negationem certi numeri perfectionum contentarum in Deo, quia illæ sunt simpliciter innumerabiles: nam id intelligunt de quibuscumque perfectionibus, tam secundùm formales suas rationes, quàm secundùm gradus suos consideratis, & sic quoad illas hoc vtroque modo spectatas, nullum in Deo dari terminum.

Nec obstat, quòd in reipsa & secundùm realem, vel formalem distinctionem, non sint in Deo plures perfectiones, sed vna tantùm. Hoc, inquam, non obstat, quia licet diuina perfectio sit vna tantùm & simplex in re, attamen est virtute multiplex, & æquiualet,
III. imo præcellit infinitis perfectionibus specificis, quæ per absolutam potentiam Dei, possunt dari in rebus possibilibus, si crearentur semper maioris, & maioris perfectionis sine fine: sícque cùm omnes istæ perfectiones in eiusmodi rebus, sint quædam participationes diuinæ naturæ, ipsa natura diuina, quæ est sic participabilis, debet actu, & reipsa habere in seipsa eminentiam actu infinitam, tot & tam infinitis modis participabilem: hac enim de causa S. Damascenus vocat Deum infinitum, *quoddam essentiæ pelagus continens vniuersa suo complexu.*

ARTICVLVS II.

An Deus sit infinitus.

IV. PARS affirmans est de fide ex pluribus Scripturæ sacræ locis, vt Psalmo 144. *magnitudinis eius non est finis*, Baruch 3. capite, *magnus est, & non habet finem*, & alibi passim; quibus non obstat quod satis communiter in sacris literis, ea quæ sunt in magno numero, licet verè non sint infinita, nihilominus verè dicuntur infinita, vt Deuteronomij vigesimo, libro Iudicum capite vndecimo, libro tertio Regum capite tertio, & alibi. Nam ex materia subiecta ibi, ex antecedentibus & consequentibus facilè intelligitur istis posterioribus locis, nomẽ hoc *infinitum* sumi impropriè pro numero in se quidem determinato, valde tamen magno, vt Patres & interpretes annotant ibi: at hæc expositio non potest adaptari citatis locis sacræ Scripturæ pro no-

A stra conclusione, cùm loquitur de ipso Deo, quo nihil maius non tantùm dici, sed nec excogitari potest. V.

Tum etiam quia Patres in hoc sensu quo propriè finitas negatur in Deo, explicant eiusmodi testimonia agendo de prædicato diuinæ infinitatis, vt S. Dionysius libro *de diuinis nominibus*, capite nono; S. Augustinus libro octauo *de Trinitate*, capite tertio; sanctus Gregorius Nazianzenus oratione trigesimâ octauâ; S. Damascen. libro 1. de *fide*, capite quarto: tum denique quia cùm Concilium Lateranense sub Innocentio III. & refertur capite *firmiter*, extra de summa Trinitate, definit & confitetur Deum esse immensum: at verba Concil. debent præsertim suis in definitionibus, & confessionibus fidei VI.
B sumi in sua significatione maximè propria, quantum natura rei, de qua est sermo, patitur.

Probatur etiam ratione: illud censetur esse infinitum formaliter, quod est ita perfectum in essentia, vt neget omnem & quemlibet terminum perfectionis etiam possibilis in sua essentia; sed Deus negat omnem eiusmodi terminum suæ essentiæ quoad perfectionem: quia omnes perfectiones etiam possibiles, cuiuscumque sint rationis, sunt in Deo, ex dictis suprà: ergo Deus est formaliter infinitus quoad suam essentiam.

Atque ex hac ratione sic explicata, intelligitur non esse parem rationem infiniti secundùm quantitatem derelicti in suo statu naturali, & infiniti per essentiam: quia enim finitas secundùm locum præcisè & formaliter VII.
C attenditur penes limitationem ad determinatum locum, fit, vt id omne, quod est infinitum secundum locum, debeat esse in omni loco, quia verò infinitas secundùm essentiam, attenditur tantùm penes continentiam omnium graduum essendi etiam possibilium, quatenus repugnat tali enti infinito limitari ad certos gradus entis, & perfectionis: fit, vt rectè intelligamus posse dari, imò dari de facto ens infinitum quoad essentiam aliis entibus finitis quoad suam essentiam remanentibus, licet non detur de facto aliquod infinitum quoad locum, quod naturaliter repleat extensiuo modo omnia loca.

ARTICVLVS III.

Tria soluuntur dubia ex articulis superioribus.

D QVÆRES primò, an hæc infinitas Dei sit formaliter negatio, vel aliquid reale ad quod negatio sequatur. VIII.

Respondetur, quòd si infinitas spectetur secundùm significationem nominis, est formaliter negatio: si autem sumatur pro re substrata tali nomini, est aliquid positiuum, quod est velut specialis quidam modus, quo diuina essentia maximè vna, & simplicissima est adeò summa quoad spiritalem magnitudinem perfectionis, vt contineat in se omnes perfectiones, & omnes illarum gradus etiam possibiles cum negatione, seu exclusione cuiuscumque limitis seu termini.

Hæc responsio videtur esse Gandauensis in sua summa articulo quadragesimo quarto,

I. quæstione primâ, circa finem corporis; vbi exemplo magnitudinis corporalis continentis infinitos gradus magnitudinum finitarum in infinitum accipiendarum explicat hanc infinitatem diuinæ essentiæ: atqui hæc magnitudo corporalis dicit aliquid positiuum, scilicet realem extensionem, vel aliquem modum realem ipsius quantitatis molis. Deinde inter infinitatem molis & infinitatem virtutis, est quædam proportio, ex S. Augustino superiùs citato, quatenus quòd in rebus corporeis est & dicitur magnum mole, in rebus spiritalibus seruatâ proportione, dicitur magnum virtute, & melius: sed res substrata huic nomini *finitum* & *infinitum*, vt dicitur de rebus corporeis est formaliter aliquid reale, quod vel fundat negationem limitis &

II. termini in re, quæ sic denominatur infinita, vel connotat aliquem limitem, seu terminum in re, quæ denominatur finita: nam ex Aristotele in physicis, & S. Damasceno in sua physica cap. 11. infinitum dicitur *illud ex quo semper est aliquid accipere:* hoc autem sonat aliquid reale, quod fundat negationem alicuius termini: ergo seruatâ proportione infinitas essendi in Deo dicit formaliter aliquid reale, quod tamen fundat negationem. Istud autem non videtur esse aliud, quàm veluti modus quidam essentiæ diuinæ, ratione cuius illa est sic in se perfectissima, vt existens vna simplicissima entitas tantam habeat eminentiam perfectionis, quâ includat actu omnes & quaslibet perfectiones essendi secundùm quemcumque gradum etiam possibiles.

Quæres secundò, an hæc negatio ita sit suo

III. modo vna, & simplex, vt tamen secundùm aliquam virtualitatem denotet multas particulares, vel partiales negationes, pro multitudine attributorum quæ distinguimus in Deo.

Respondetur affirmatiuè; vt enim hæc infinitas præcisè sumpta importat omnes perfectiones essendi possibiles, & secundùm quemcumque gradum possibilem simul sumptas, illásque veluti in confuso includit, & est modus ille, quo essentia diuina ratione summæ suæ actualitatis omnes illas sibi vendicat: sic negatio illa, quam hæc infinitas fundat, denotat multas veluti particulares negationes pro illa virtuali multitudine perfectionum, quæ includuntur in ista infinitate Dei.

Quæres tertiò, an hæc infinitas Dei sit aliquod attributum propriè dictum.

IV. Respondetur negatiuè, conformiter ad illud quod suprà docuimus de simplicitate, & perfectione Dei: nam rationes quibus exclusimus ista diuina prædicata à ratione attributi propriè dicti, illæ eædem applicatæ præsenti difficultati, probant idem de infinitate Dei; est enim hæc infinitas veluti quidam modus ingrediens constitutionem diuinæ essentiæ: vt enim infinitas specialis sese habet ad vnumquodque suum attributum; & etiam finitas in rebus creatis, sic seruatâ proportione, & hæc infinitas ad diuinam essentiam, sed infinitas in quolibet attributo Dei est tantùm quidam modus illius, & finitas in rebus creatis aliquis modus limitans earum entitatem: deinde hæc infinitas est veluti aliquid genericum, quia suo sinu complectitur omnes perfectiones possibiles, attributum autem propriè dictum,

A est specialis quædam perfectio: ergo hæc infinitas non est propriè attributum. V.

ARTICVLVS IV.

Vtrum infinitas Dei possit ratione probari.

VNICA sit propositio. *Infinitas Dei potest probari ratione naturali:* ita S. Thomas lib. 1. *contra Gentes*, cap. 43. Scotus, Durandus 1. sent. dist. 43. cum Magistro ibi, & plures alij, cuius oppositum Niphus tuetur, tractatu de *infinitate*, contra quem tamen

Probatur primò, ex sacris literis, Sapientiæ 13. capite, Ecclesiast. 43. vbi magnitudo Dei dicitur videri *cognoscibiliter ex creaturis.* Item ex cap. 1. ad Roman. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna* VI.

B *quoque eius virtus.*

Probatur etiam ex philosophis Gentilibus, qui in primo principio, seu in Deo agnouerunt hanc infinitatem, licet diuersimodè sentirent de natura talis principij. quemadmodum Gandauens. aduertit secundâ parte summæ, articulo 44. quæstione 1. & hanc ob causam ipso nomine *infiniti* intelligebant *Deum*, vt docet Eugubinus, libro 3. de *perenni philosophia*, cap. 8.

Philosophi in metaph. & Theologi hîc varias demonstrationes huius nostræ propositionis congerunt, apud quos legi possunt; nobis hoc loco ea sufficit, quam suprà articulo 2. formauimus ad probandum hanc infinitatem esse in Deo, cùm perfectiones omnes possibiles, secundùm totam latitudinem possibili-

C tatis dicant infinitatem, non tantùm extensiuam; sed etiam intensiuam saltem syncategorematicam, quæ arguit infinitatem simpliciter intensiuam in sua causa primaria, in qua omnes effectus, etiam possibiles debent aliquâ ratione actu præexistere, & sic ex effectibus potest ostendi Deum debere necessariò esse infinitum in sua essentia. VII.

ARTICVLVS V.

Vtrum repugnet dari creatum aliquod infinitum per essentiam.

NOSTRA hæc est propositio. *Neque de facto aliquod ens infinitum in essentia datur præter Deum; neque potest dari:* ita S. Thomas, hâc quæstione articulo secundo, & alij com-

D muniter. VIII.

Prior pars probatur: Psal. 34. Psaltes Regius ait de Deo, *quis similis tui.* Item Sap. 1. Deus dicitur fecisse omnia *in numero, pondere, & mensura:* at quod infinitum est, aliquam mensuram suæ perfectionis non habet.

Posterior etiam pars propositionis probatur: illud tantùm est propriè infinitum in essentia, quo nihil potest excogitari maius, quódque de facto habet in se omnes perfectiones, non tantùm quæ iam sunt de facto in rebus creatis: sed & quæ possunt esse, etiam absque aliquo termino: sed implicat aliquid præter Deum, quo nihil maius possit excogitari: quia cùm illud sit necessariò aliquid creatum, & proinde dependeat à Deo, aliquid potest cogitari maius illo, nimirùm Deus, qui est omninò independens.

I. Deinde datâ quacumque creaturâ, quantumuis perfectâ, Deus potest adhuc perfectiorem producere, & sic in infinitum; aliàs enim potentia Dei ad extra aliquando tandem exhauriretur, quam tamen posse exhauriri negant omnes Theologi communiter: & proinde talis creatura, quæ tunc produceretur, non haberet in se omnes omnium rerum perfectiones. An autem Deus cognoscat actu determinato creaturam, quam potest perfectissimam omnium creare, & an hæc dari possit, dicetur infrà, quando agemus de ipsa incomprehensibilitate Dei.

Neque obstat veritati nostræ propositionis, quòd vulgò omnes perfectiones reuocentur ad hos quatuor gradus, *esse, viuere, sentire*, & *intelligere*: nam præterquam quòd est dubium, an Deus non possit plures alios gradus producere, cùm sit potentiæ infinitæ, possibilia
II. item sint infinita, & totum fundamentum negandi istud sit valde infirmum, quòd scilicet non possimus illos nominare; quasi verò Deus plura non possit, quàm nos possimus nominare: nihilominus tamen quia gradus isti (datâ istâ hypothesi) ita sunt vniuersales, & generici, vt habeant sub se varias species, & adhuc in infinitum possint habere plures, si Deus voluerit producere: esto aliqua creatura detur, quæ habeat istos quatuor gradus, etiam cum pluribus illorum specificis differentiis; nunquam tamen hæc creatura poterit omnes habere, cùm illâ datâ, semper aliqui alij gradus possibiles restent, quibus essentia Dei infinitè participabilis, semper amplius, & adhuc amplius possit participari per effectum à Deo creatum.

III. Cæterùm quia infinitum quoad numerum, & quoad magnitudinem molis, nihil confert ad explicandum infinitatem Dei secundùm essentiam, de qua hîc tantùm agimus, & præterea philosophi hoc vtrumque disputant ex professo in physicis; nos illud vtrumque, vt iam ibi explicatum omittimus.

AD QVÆSTIONEM VIII.

DISPVTATIO PRIMA.

IIII. *De substantiali præsentia Dei in rebus, & locis positiuis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit substantialiter præsens rebus omnibus.

NOTANDVM est ex S. Thoma, hác quæstione, articulo 3. loquendo in vniuersum, quinque modos distingui à Patribus, & Theologis, secundùm quos Deus dicitur existere in rebus. Primus est per *præsentiam*, quatenus omnia peruia sunt intuitiuæ eius cognitioni, iuxta illud *ad Hebr. 4. non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius*, sicut Elizeus absens lib. 4. Regum capite 5. ait fuisse præsentem seruo Giezi, quando cucurrit post Naaman, vt

A ab eo acciperet munera: *nonne cor meum*, inquit, *in præsenti erat*; iuxta quem modum Deus dicitur potiùs præsens rebus, quàm res dicantur præsentes ipsi: quia scilicet, modus ille existēdi in alio, totus consistit in eo, vt qui sic dicitur existere in alio, cognoscat illum, & etiam videat cum aduertentia rationis: sicque coexistat illi: nam qui iubetur aliquid facere, verbi gratiâ, coram Titio, non videtur illo præsente facere, nisi Titius intelligat illud, & aduertat: quemadmodum docet Iurisconsultus, lege *coram*, digestis *de verborum significatione*; sicque Deus non dicitur esse hoc modo præsens rebus possibilibus, imò neque futuris, quia illæ nullam habent cum Deo coexistentiam.

Secundò. Deus dicitur esse in omnibus rebus per *potentiam*: quia operatur in omnibus rebus efficiendo illas, & conseruando: iuxta VI.
B quem modum, *ad Hebr.* cap. 1. dicitur de Deo, *portans omnia verbo virtutis suæ*.

Tertiò. Deus dicitur esse in omnibus rebus per *suam essentiam*, quia essentia eius, seu substantia, est indistans ab omnibus rebus; quæ præsentia dicitur ideò supernaturalis.

Quartò. Deus dicitur esse in aliquibus rebus tanquam *obiectum* cognitum, vel etiam amatum in cognoscente & amante: quomodo est tantùm in creaturis rationalibus, quia est tantùm illis obiectum cognitionis, & amoris, éstque in illis per similitudinem sui obiectiuam, & per affectum; sic ratione fidei per quam Deum cognoscimus, & etiam gratiæ sanctificantis quâ amamus Deum, Deus dicitur esse in fidelibus: item fideles dicuntur *templum Dei*, primæ *ad Corinthios* tertio: item
C Deus dicitur esse, & manere in illis, apud sanctum Ioannem, decimo quarto capite, & VII.
primâ sua Canonicâ capite quarto. Imò etiam aliquâ ratione esse & remanere in peccatoribus, retinentibus fidem & spem: quatenus illi eliciunt quosdam actus, tum fidei, tum attritionis, vel contritionis: sed modo longè imperfectiori, Deus iuxta hunc modum est in istis peccatoribus, quàm sit in fidelibus habentibus fidem formatam.

Postremò. Deus dicitur esse in humanitate Christi Domini per *vnionem hypostaticam*; quatenus ex vi & efficacia talis vnionis Deus seu essentia diuina ita est indistans ab ipsa humanitate Christi Domini, vt si per impossibile non esset vbique, sed certo duntaxat loco affigeretur; esset tamen vbicumque foret humanitas Christi Domini.

D His modis aliqui alios quosdam addunt, VIII.
verbi gratiâ, quòd Deus sit in Ecclesia per assistentiam, & directionem, quòd sit in cœlo Empireo per maiestatem & gloriam, quòd sit in inferno per iustitiam vindicatiuam; sed omnes isti modi facilè reuocantur ad illos quos explicauimus; & ita tres primi modi erunt veluti generales, qui posteà subdiuidantur in plures alios magis speciales.

Ex his omnibus modis, solus tertius pertinet ad præsentem disputationem de immensitate Dei, primus ad prædicatum diuinæ scientiæ, secundus ad attributum omnipotentiæ, quartus ad tractatum de fide, spe, charitate, & gratia, vltimus ad tractatum de Incarnatione. Sensus itaque præsentis articuli est: an Deus sit immediatè per suam

I. substantiam in omnibus rebus tam spiritalibus, quàm corporalibus: pro cuius explicatione sit ista

Propositio. *Deus est per suam essentiam, seu substantiam immediatè vbique in omnibus rebus, & est indistans ab illis.*

Propositio est de fide, ex sacris literis & Conciliis nunc citandis contra nonnullos, qui voluerunt Deum esse tantùm in superiori parte cœli, vt auctor lib. *de mundo* ad Alexandr. & Eughubinus suâ explicatione in Psalm. 138. item *contra Anthropomorphitas*, ex S. August. lib. contra *epistolam fundamenti*, cap. 16. Contra quos omnes

Probatur primùm ex Psalmo 138. *quo ibo à spiritu tuo, si ascendero in cœlum tu illic es: si descendero in infernum ades*, quod iisdem penè verbis habetur capite nono Amos Prophetæ. Item Iob 11. Deus dicitur *cœlo excelsior.*
II. Isaiæ 66. Deus describit metaphoricâ similitudine suam immensitatem: *cœlum*, inquit, *sedes mea, terra autem scabellum meorum pedum.* in Act. Apostol. ait Apostolus de Deo: *non longè est ab vnoquoque nostrûm, in ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* quæ omnia non possunt facilè accommodari ad aliam præsentiam Dei, quàm ad substantialem, vt patet tam ex antecedentibus, & consequentibus, quàm ex Patribus explicantibus istis locis hæc omnia testimonia ad sensum nostræ propositionis.

Probatur item ex Symbolo sancti Athanasij, in quo profitemur Deum esse immensum: item ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur capite *firmiter.*

Probatur item ex Patribus, vt sancto Hilario dicente libro primo *de Trinitate*, nullum
III. locum esse sine Deo: sancto Athanasio oratione *contra Idola*, S. Gregorio Nazianz. oratione secundâ de *Theologia*, S. August. epist. 57. *ad Dardanum*, vbi fusè probat nostram propositionem. Imò & aliqui Gentiles eam agnouerunt, quorum testimonia S. Cyrillus refert lib. 1. contra *Iulianum.*

Probatur ratione: vbicumque est virtus Dei, ibi & eius substantia existit, quia virtus Dei, & eius substantia sunt vnum, & idem re: at virtus Dei est vbique, & in omnibus rebus; quemadmodum etiam solo naturæ lumine cognoscitur testimonio illius Poëtæ Gentilis relato à sancto Paulo suprà Act. 17. igitur & substantia Dei est vbique, & in omnibus rebus.

IV. Deinde substantia spiritalis ita est tota in toto, & tota in qualibet parte, vt quo est perfectior quoad suam essentiam, etiã sit aptior sese totam exhibere præsentem alicui maiori spatio; quemadmodum patet de anima rationali, & infrà ostendetur de Angelis: ergo si detur aliqua substantia spiritalis infinita secundùm suam essentiam, poterit sese præsentem exhibere rebus, & locis infinitis: sed Deus, vt suprà ostendimus, est substantia purè spiritalis infinita per essentiam: ergo poterit esse in omnibus rebus, & locis, & cùm in Deo posse, & esse quoad illa, quæ sunt aliquid reale, & absolutum, sint idem, habebit Deus de facto positionem suæ substantiæ, & entitatis præscindendo à relatione compræsentiæ suam entitatem, seu substantiam, in omnibus rebus, & locis.

A Neque iis obstat, quòd Deus dicatur passim in sacris literis *habitare in cœlo*, & reliquisse V.
terram hominibus, vt Psalm. 133. & alibi: nam istis locis tantùm significatur Deum secundùm quosdam speciales effectus esse ibi, verbi gratiâ, secundùm maiestatem, & quosdam alios, quos tamen non producit vbique.

Neque item putandus est Deus aliquo modo infici, quòd existat in rebus sordidis, cùm enim sordes illæ non ei inhæreant, eum etiam non possunt inficere; quemadmodum nec radij solis inficiuntur, dum deferuntur ad sordes, nec anima dum informat corpus leprosum, vt S. August. rectè explicat lib. *de agone*, capite 14. lib. de *natura boni*, cap. 29. imò licet Deus non sit in dæmonibus, & aliis damnatis per gratiam sanctificantem, & alia dona supernaturalia illam consequentia, est tamen in illis
B secundùm suam substantiam, prout illi sunt VI.
aliquod ens verum, reale, actuale, quod non maiorem arguit indecentiam, quàm quod Christus Dominus sit passus se transferri à dæmone supra pinnaculum templi.

Ex his satis intelligitur contra Ioannem *Bassolis*, lib. 1. sentent. distinct. 37. hoc attributum diuinæ immensitatis, non tantùm cognosci à nobis fide, sed etiam solo naturæ lumine, cui sanctus Chrysostomus non suffragatur homil. secundâ in epistolam *ad Hebræos*, & homilia 5. in epistolam ad *Coloss.* quando inter ea, quæ credimus, nec tamen intelligimus, recenset hoc attributum. Nam possumus considerare duo in illo; primum est, quòd sit in Deo, seu quòd Deus secundùm suam substantiam sit præsens omnibus rebus, & locis: alterum est modus, quo Deus qui est ens
C simplicissimum maximè spiritale, & indiuisibile, existit tamen in tam vastis locis, & re- VII.
bus distantibus sine vlla sui diuisione; & hoc secundum est, quod S. Chrysostom. ait, nos non posse penetrare, & intelligere, vt ipsemet citatâ homiliâ in epistolam *ad Hebræos* explicat, dum ita ait: *multa loquimur & ea intelligere non sumus idonei, verbi gratiâ, quoniam vbique Deus est, scimus, quomodo autem vbique sit, non capimus.*

ARTICVLVS II.

Vtrum immensitas Dei sumpta formaliter sit aliquid reale & positiuum, & quid illa sit.

D PRIMA propositio. *Immensitas quoad nomen & grammaticalem significationem, est aliquid* VIII.
negatiuum. Propositio hæc euidens est ex dictis suprà de infinitate Dei: nam in istis & aliis similibus nominibus compositis ex præpositione, *in*, hæc particula denotat negationem eius, quod importatur nomine simplici secundùm vsum satis communem apud omnes, vt quilibet potest animaduertere inductione factâ per omnia eiusmodi nomina.

Secunda propositio. *Immensitas Dei formaliter sumpta, est aliquid reale, quod nihil est aliud, quàm virtualis quædam magnitudo infinitè spiritualis, quasi extensionis diuinæ essentiæ.* Duæ sunt partes propositionis nostræ, quarum prior quę asserit *immensitatem Dei formaliter sumptam esse aliquid reale*, probatur: eodem modo seruatâ proportione immensitas sese habet in Deo,

I. quo in substantia corporea, propria eius quan-
titas actu, vel aptitudine extendens illam
extensione molis, vt enim hæc respicit locum
quantitatiuum, quem substantia repleat, &
ad cuius partes singulas sit extensa: sic & im-
mensitas essentiæ diuinæ extendit illam, seu
explicat virtuali, & spiritali eius magnitudi-
ne, ad res omnes extra illam, & ad omnia loca;
& quod in substantia corporea est formalis ra-
tio quantitatis, illud in Deo est immensitas eius
sumpta formaliter: at quantitas molis consi-
derata secundùm suam extensionem, est ali-
quid reale in substantia corporea, loquendo
etiam rigorosè; est enim hæc quantitas vna ex
decem categoriis, & categoriæ sunt entium
propriè realium: ergo & immensitas Dei sum-
pta formaliter est aliquid reale.

Confirmatur: prædicata Dei, quæ cogno-
II. scimus ex ipsis rebus creatis, habent aliquam
cum illis analogiam; quia per hæc deuenimus
in cognitionem istorum, sed nos deuenimus
in cognitionem diuinæ immensitatis, ex co-
gnitione quantitatis molis secundùm exten-
sionem consideratæ: ergo sicut in substantia
corporea quantitas extensiua est formaliter
aliquid reale; sic etiam & immensitas Dei
sumpta formaliter, est aliquid reale.

Probatur tandem ex eo quòd tam in sacris
literis, quàm in sanctis Patribus, hæc immensi-
tas solet explicari per magnitudinem, & ma-
gnitudo sumpta formaliter non est aliquid ne-
gatiuum, sed positiuum, ratione cuius substan-
tia, cui inest, est actu, vel aptitudine extensa:
ergo & immensitas diuinæ essentiæ sumpta
formaliter est aliquid reale, ratione cuius est
vel actu, vel ad minus aptitudine in omnibus
III. locis, & rebus. Maior probatur ex illo Sap. 1.
Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Item
ex illo Ierem. 23. *Numquid & cœlum, & terram
impleo*, S. Damas. & aliis Patribus explicanti-
bus illā per repletionem, & per ipsum habere
suam substantiam in rebus, & locis omnibus.

Posterior pars nostræ propositionis ex hac
priori sufficienter explicata est & probata.

ARTICVLVS III.

Vtrum immensitas Dei sit eius attributum.

NOTANDVM est, immensitatem Dei
posse distingui ab eius compræsentia ad
res creatas, quatenus secundùm aliquos dicit
tantùm aptitudinem ad existendum in omni-
IV. bus locis, & rebus, vbi & quando illæ fient
vel erunt, quomodo vocatur à nonnullis im-
mensitas in *actu primo*, vel secundùm alios
est re ipsa, & de facto in omnibus spatiis etiam
negatiuis: potest deinde considerari, quate-
nus importat de facto compræsentiam ad res,
& loca, vt ad illud, cui coexistit; quomodo
fundat aliquem respectum ad illa. Hoc præ-
notato sit

Prima propositio. *Immensitas Dei considerata
hoc posteriori modo non est loquendo propriè attri-
butum.* Probatur: attributum est aliqua veluti
proprietas diuinæ essentiæ ei, vt iam constitu-
tæ, quasi adueniens ab intrinseco, & quasi ex
illa resultans, & proinde aliquid in illa ne-
cessarium, & independens à quocumque li-
berè, & contingenter existente, seu habente
suum esse ex libertate alterius: at immensitas

A hoc posteriori modo explicata, non conuenit V.
diuinæ essentiæ necessariò, sed liberè nimi-
rum ex creatione rerum & locorum realium
ipsi Deo libera, & quam res eiusmodi possunt
admittere, quando, & vbi Deus voluerit illas
omnes redigere in nihilum.

Secunda propositio. *Si immensitas Dei su-
matur aliquo ex duobus modis prioribus, illam esse
attributum diuinæ essentiæ propriè dictum.* Pro-
batur: quia imprimis est quædam positiua per-
fectio diuinæ essentiæ, vt patet ex dictis in
præcedenti articulo: deinde est specialis, &
condistincta ab omnibus aliis, vt etiam con-
stat inductione factâ per illas: nam per illam
aliquid tribuitur, & conuenit Deo, quod ei
per alia attributa formaliter non conuenit.
Tertiò, hæc immensitas supponit nostro
considerandi modo diuinam essentiam, iam
constitutam; & ei, vt iam constitutæ adue- VI.
B nit; quia dicit formaliter virtualem aliquam
quantitatem, seu explicationem extensiuam
substantiæ diuinæ, seu essentiæ: est autem
prius substantiam esse quoad sua principia
formalia illam formaliter constituentia, quàm
illam extendi; omnis enim extensio est rei iam
existentis, & proinde constitutæ extensio: er-
go cùm hæc immensitas dicat formaliter hanc
virtualem extensionem, siue in actu, siue in
aptitudine tantùm; hæc immensitas erit,
quantum requiritur ex parte huius conditio-
nis, aliquod attributum diuinæ essentiæ pro-
priè dictum.

Confirmatur ex dictis: hæc immensitas
eundem seruat ordinem in essentia diuina se-
cundùm analogiam, quem quantitas seruat in
substantia corporea; sed quantitas supponit
C substantiam corpoream, iam constitutam in VII.
suo esse quoad sua principia essentialiter con-
stitutiua, & ei, vt iam constitutæ aduenit:
Deus enim absolutâ suâ potentiâ potest impe-
dire, ne resultet, & vt substantia corporea
maneat sine vlla quantitate molis: igitur &
hæc Dei immensitas supponit essentiam diui-
nam iam constitutam, & sic quantum ex hoc
requiritur, erit attributum propriè dictum
essentiæ diuinæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus sit in loco vt locus est.

NOTANDVM est primò, locum sumi
duobus modis: primò pro ipsa superfi-
D cie corporis ambientis abstrahendo à conca- VIII.
uitate, quæ intra talem ambitum continetur:
secundò potest sumi locus pro ipsa conca-
uitate apprehensa intra talem superficiem,
seu pro determinata parte spatij occupati à re
locata. Locus priori modo consideratus, con-
sideratur propriè vt *res*, posteriori, vt *locus*: sic
enim habet in se & intra seipsum locatum. Et
hæc duplex consideratio loci fundat duplicem
modum, quo Deus existat in illo; nam vt in
illo sit priori modo, non sufficit, quòd essentia
diuina sit infinitè ei præsens per summam in-
distantiam, quod tamen sufficit ad simplicem
& præcisè sumptam rationem existendi in lo-
co: quemadmodum patet in Angelis, & no-
bis, sed insuper requiritur, quòd essentia Dei
peruadat intimè, & penetret suâ præsentiâ
talem concauitatem, & quidquid est in ea.

I. Secundò notandum est, posse adhuc duo- A
bus modis intelligi Deum esse in loco, vt lo-
cus est: primò repletiuè seu causaliter, id est,
producendo aliquid in loco, quod repleat il-
lum; secundò repletiuè formaliter, & hoc
adhuc duobus modis, vno ad modum corpo-
rum, quo illa replent loca, in quibus sunt, vt
tamen naturaliter non compatiantur secum
alia corpora in eiusmodi locis; altero ad eum
modum, quo res spiritales replent aliquem
locum; verbi gratiâ, Angelus locum illum, in
quo existit, anima spatium totius corporis sui.
His ita prænotatis,

Sit nostra propositio. *Deus est in omnibus locis
etiam vt formaliter loca sunt, non tamen repletiuè
formaliter ad modum corporum; sed repletiuè cau-
saliter, vel ad modum rei spiritualis:* quatuor sunt
II. partes huius propositionis, quarum prima pa- B
tet ex dictis: nam ostendimus suprà Deum ha-
bere essentiam indistantem ab eiusmodi locis,
& quòd Deus id habeat per se, & non per ac-
cidens, seu duntaxat ratione alicuius alterius,
verbi gratiâ, suæ operationis, patebit ex di-
cendis articulis sequentibus.

Secunda etiam, & tertia pars sunt sancti
Thomæ hîc artic. 2. & satis patent: nihil enim
reale est extra Deum, quod non sit à Deo pro-
ductum, & ab illo dependens in conseruari;
& cùm Deus sit substantia verè spiritalis: re-
pletio autem corporis sit quantitatiua, & pul-
siua alterius corporis, & impeditiua vacui,
fit, vt Deus non sit in locis omnibus repletiuè
ad modum rei corporeæ.

Vltima pars patet, quia Deus est substantia-
liter in omnibus locis, & ea replet suâ substan-
III. tiâ, quia ne vlla quidem particula veri loci po- C
test fingi, in qua Deus non habeat suam sub-
stantiam: imò si vacuum propriè dictum dare-
tur, Deus existeret in illo toto, & cùm Deus
explendo causaliter omnia, & singula loca ha-
beat simul intimam indistantiam suæ essentiæ
ab omnibus locis, non tantùm facit, vt hæc,
quæ producit, sint in istis locis, sed etiam facit
simul vt sit, & existat in illis, quatenus sunt
loca.

Cæterùm Deus quoad suam existentiam ita
est in omnibus locis, quatenus loca sunt, vt
tamen non sit in illis *localiter*, seu circumscri-
ptiuè: hic enim modus conuenit solis rebus
corporeis, quatenus habent partes extra par-
tes correspondentes singulis partibus loci,
non etiam in illis *definitiuè*, illud enim est
definitiuè in loco, quod est ita totum in toto,
IV. & totum in qualibet parte, vt tamen ex vi D
istius modi existendi repugnet ei esse, & re-
periri naturaliter extra illum locum, in quo
dicitur esse definitiuè, quia hæc particula *de-
finitiuè* sonat limitationem quoad locum: at
essentia Dei ita est tota in toto vniuerso,
& tota in singulis eius partibus, vt ex suo
etiam naturali statu, possit esse in pluribus,
& adhuc pluribus rebus, vel locis si creen-
tur.

Sed existentia diuina est in istis omnibus
per suam immensitatem repletiuè modo quo-
dam eminentiori, ratione cuius aliqui Pa-
trum dicunt Deum nusquam esse, & tamen
esse vbique. Sic S. Chrysostom. homilia 5. in
epistolam ad *Coloss.* S. Aug. lib. 83. *quæstionum*
quæstione 20. & plerique alij, quorum sensus
est iste, Deum esse quidem vbique, nusquam
tamen esse, quia nullo circumscribitur vel de- V.
finitur.

Alij vt S. Anselmus in *Monologio*, cap. 22.
aiunt esse conuenientius dicere Deum esse
cum loco, quàm *in loco*; quia primum significat
Deum esse secundùm suam substantiam præ-
sentem rebus omnibus, & locis: secundum
verò eum veluti limitari, & comprehendi à
loco; quod non cadit in Deum, modus autem
iste quo Deus per suam immensitatem etiam
repletiuè est in omnibus locis, iuxta expli-
cationem superiùs traditam, dicitur esse emi-
nentior istis aliis, quia habet quidquid est
perfectionis in aliis modis existendi comme-
moratis, & nobiliori modo: prætereà habet,
vt careat illorum imperfectionibus; res enim
existens in loco circumscriptiuo, habet hoc
perfectionis, vt repleat & penetret locum VI.
suum, & hoc Deus etiam habet, dum est in
omnibus.

Item res, quæ est definitiuè in loco, habet vt
sit tota in toto, & tota in qualibet parte: &
hoc etiam Deus habet, cùm sit in illis totus si-
ne aliqua sui diuisione. Est tamen modo nobi-
liori quàm importent modi illi superiùs expli-
cati, quia Deus ita suâ substantiâ replet omnia
loca, vt tamen non circumscribatur ab illis. Et
hæc substantialis existentia suæ essentiæ, ita
est naturalis & necessaria toti huic vniuerso,
vt etiam eâdem necessitate naturali, non tan-
tùm postulet, sed etiam necessariò existat,
& debeat existere in omnibus illis, non tan-
tùm qui sunt actu, sed etiam qui possunt creari,
posito quòd creentur.

Articvlvs V. VII.

*Vtrum substantialis præsentia Dei, in om-
nibus rebus probetur efficaciter ex ipsa
eius operatione.*

Notandvm est primò, nomine *opera-
tionis* hoc loco intelligi quamlibet actio-
nem Dei ad extra, siue illa sit productio rei,
siue eius conseruatio, siue gubernatio, siue
aliqua alia.

Notandum est secundò, distingui tres mo-
dos agendi in aliquod patiens: primus est *me-
diatione virtutis* tantùm; secundus est *imme-
diatione virtutis* tantùm; tertius est *immedia-
tione virtutis & suppositi* simul. illud dicitur
agere in aliud *mediatione virtutis* tantùm,
quod alteri communicauit virtutem agendi, VIII.
& producendi effectum, ad cuius tamen pro-
ductionem non concurrit; verbi gratiâ, pater
in humanis communicat filio potentiam ge-
nerandi filium, ad cuius tamen productio-
nem primus ille pater non concurrit: illud
verò censetur agere in aliud *immediatione
virtutis* tantùm, quod per virtutem à se dif-
fusam contingit patiens seu effectum: sicut
sol per influentiam, quæ est quædam virtus
ab illo diffusa, agit in inferiores partes ter-
ræ: est autem inter istos duos modos agen-
di distinctio hæc, quòd agens priori modo
non sit principium *quod* effectus, qui tunc
producitur, nec tale agens agat per virtu-
tem sibi aliquo modo inexistentem, tan-
quam principium *quo*: agens autem posterio-
ri modo, & est principium *quod* effectus qui

I. tunc producitur, & agit per virtutem sibi inhærentem, tanquam principium *quo*, vt patet in exemplis allatis: denique illud dicitur agere *immediatione virtutis & suppositi* simul, quod ita agit in effectum per virtutem sibi inexistentem, vt tamen habeat suum suppositum indistans ab ipso patiente: vnde fit, vt illi non benè explicent, quid sit agere immediatione virtutis simul & suppositi, qui volunt esse agere nullo alio supposito concurrente; si enim id ita definiamus, nulla creatura poterit agere immediatione virtutis & suppositi simul, cùm nulla secunda causa agat sine concursu Dei: imò nusquam Deus ita egit ad extra, præterquàm in ipsa creatione, quod videtur absurdum.

II. His ita prænotatis, duæ sunt de proposita difficultate sententiæ; vna negans quæ est Scoti lib. 1. sent. dist. 37. qu. vnicâ, Okami, & Gabrielis ibidem.

Melior tamen est affirmans, pro qua sit hæc nostra propositio. *Localis simultas Dei quoad suam existentiam substantialem tam cum rebus omnibus & locis, quàm intra res omnes, rectè colligitur ex eius operatione.* Probatur primò ex citatis testimoniis sacræ Scripturæ suprà, quæ ita probant existentiam Dei in omnibus rebus, ex ipsa Dei operatione, vt refundant causam cognitionis saltem talis existentiæ in operationem Dei; plerumque enim adhibent aliquam particulam causalem, verbi gratiâ *etenim, enim*, & similes, vt Psalmista Psalmo 138. vbi enumerauit varias partes mundi, ad quas si confugiat, semper inueniet Deum, ita subiungit,
III. *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit dextera tua:* ita Actorum 17. vbi sanctus Paulus reddens rationem huius suæ assertionis: ita subiungit, *in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus:* ergo vt istæ rationales particulæ sint rectè appositæ, debent significare istas operationes Dei, tam circa creaturas, quàm in creaturis ostendere nobis existentiam eius in illis.

Confirmatur primò hæc ratio ex eo quòd Apostolus ibi probet Deum non indigere templis ad inhabitandum, ex eo quòd dat omnibus vitam & inspirationem, & ex eo quòd non sit longè ab vnoquoque nostrûm, quod non rectè probaret, nisi vellet Deum esse summè indistantem ab omnibus rebus suâ substantiali præsentiâ.

Confirmatur secundò ex eo quòd eiusmodi
IV. di existentia Dei in creaturis eò loci, & ad *Hebr. 1.* explicetur per deductionem ad manum, per detentionem, per gestationem, & per vectionem creaturarum, in quibus Deus dicitur existere: nam deductio rei alicuius ad manum, item detentio, gestatio & vectio, postulant propinquitatem substantiæ deducentis, detinentis, gestantis, & vehentis, cum re, quæ sic deducitur, tenetur, gestatur, & vehitur, vt sensus & experientia docent.

Neque his obstat, quod aliqui respondent hæc testimonia scripturæ intelligi à nonnullis de cognitione, quam Deus habet de creaturis, vel etiam de cognitione quam ex creaturis habemus de Deo. Nam suprà retulimus Patres, qui in sensu nostræ propositionis explicant illa; quibus addi potest hanc explicationem non destruere nostram, quia vnius & eiusdem loci sacræ Scripturæ possunt inter-

A dum plures esse sensus literales. V.

Tandem probatur ratione: vbi agens agit immediatione virtutis & suppositi simul, ibi rectè intelligimus existere eius suppositum, & substantiam, vbi est eius operatio, seu vbi operatur, ex secundo notabili: at Deus est agens hoc vtroque modo, seu immediatione virtutis & suppositi simul, tam intra omnes creaturas, quàm prope illas; nam quidquid agit per virtutem sibi inexistentem, seu apud se retentam, & non distinctam realiter à suo supposito, illud agit immediatione virtutis & suppositi simul in esse locali; quia in tali agente substantia, virtus agendi, & immediata eius cõiunctio cum ipso patiente, non possunt esse distantia à se inuicem. vt patet ex ipsis terminis: at Deus agit, tam intra omnes & sin- VI.
B gulas creaturas, quatenus quidquid est in ipsis valdè intrinsecũ, producit & conseruat, quàm etiam circa illas, quatenus etiam conseruat, & producit exterius, quod est in illis externum, quia *sine ipso factum est nihil:* & præterea Deus agit per virtutem sibi inexistentem, seu apud se retentam, scilicet per suam potentiam executricem, quæ nihil est aliud, quàm ipsamet eius essentia, quatenus est per se effectrix cuiuslibet esse participati: igitur Deus est agens tam intra omnes illas creaturas, quàm circa illas immediatione virtutis & suppositi, & ex consequenti existentia in rebus creatis potest intelligi, & probari ex ipsa eius operatione, tam intra illas creaturas, quàm circa illas.

Confirmatur: agens perfectissimum debet attingere necessariò suum effectum per pro- VII.
C priam suam substantiam, eique absque vlla distantia coniungi: & proinde secundùm suam substantiam esse simul, vbi eius effectus existit, vt sic agat modo perfectissimo, & habeat plenũ dominium in suum effectum: quia agere per aliquid aliud distinctum à sua substantia, præterquàm quòd dicit aliquam compositioné in agente totali, importat tale agens in agendo dependere ab aliquo distincto à se; dependentia verò sonat imperfectionem: at Deus operans ipsas creaturas & conseruationem earum ita agit modo perfectissimo, vt excludat omnem imperfectionem, quia nulla imperfectio potest cadere in illum: ergo Deus operans, tam circa creaturas, quàm intra illas attingit illas per suam substantiam, eisque absque vlla distantia coniungitur secundùm suam substantiam: ergo ex consequenti ex ta-
D li eius operatione habente eius existentiam sibi necessariò annexam, rectè potest colligi VIII.
ipsa existentia & substantialis præsentia Dei in omnibus rebus creatis.

Tandem probatur: illud quod ita est primum principium rerum omnium, tam in conseruari, quàm in fieri, vt simul etiam sit ex necessitate suæ naturæ actus purissimus, excludens omnem & quamlibet potentialitatem, debet necessariò esse quoad suam substantiam præsens, tam intra, quàm circa res illas, quas sic producit, & conseruat; sed Deus est ita primum principium rerum omnium, tam in conseruari, quàm in fieri, vt etiam simul sit ex necessitate suæ naturæ actus purissimus excludens omnem & quamlibet potentialitatem: ergo Deus debet necessariò esse quoad suam substantiam præsens, tam intra, quàm circa

res

I. res omnes & singulas: & ita ex tali eius operatione, tam conseruatiua, quàm productiua, vt procedente à tali principio, ipsa existentia Dei quoad suam substantiam in omnibus & singulis rebus rectè colligi, & probari potest: Minor quoad vtramque partem patet ex dictis superiùs de existentia Dei, & eius simplicitate, estque satis per se euidens.

Maior probatur ex eo, quòd si tale istud principium non sit realiter & secundùm suam substantiam intimè præsens rebus omnibus à se productis & de facto conseruatis, iam habet aliquam potentialitatem, quatenus potest seipsum isto modo constituere in illis, quo tamen modo supponitur non fuisse in illis, etiamsi iam existerent. Quòd autem hoc sequatur sic probatur: tunc verè est
II. in aliquo potentialitas, quando vera quædam mutatio datur in illo, sed datâ hypothesi quòd res de facto & realiter existant, dato etiam quòd primum principium illas producens, & conseruans non sit substantialiter & intimè per suam substantiam in illis potest sese in illis, & circa illas constituere, per suam substantiam; hoc autem non potest fieri absque aliqua eius mutatione: ergo tunc dabitur in illo aliqua potentiālitas. Prior pars minoris patet ex eo, quòd à facto ad posse valet consequentia; Deus autem qui est tale principium, est de facto in omnibus rebus, & circa omnes res per suam substantiam.

Posterior pars eiusdem minoris probatur. Hæc noua constitutio talis principij per suam substantiā intra & circa eiusmodi res, non potest intelligi sine aliqua mutatione vel in illo,
III. vel in eiusmodi rebus: at non in eiusmodi rebus, quia supponuntur existere & manent in seipsis tales quales erant anteà: ergo talis mutatio debet intelligi fieri in primo illo prædicto principio: & proinde aliqua potentialitas intelligitur esse in illo, quod est absurdum: ergo ne id admittatur debet eiusmodi principium esse necessariò intimè præsens quoad suam substantiam, tam intra, quàm circa res illas, quæ pendent ab eo in fieri, & conseruari; & sic ex tali eius operatione, tam conseruatiua, quàm productiua rerum omnium substantialis existentia Dei in omnibus rebus potest rectè probari & intelligi.

ARTICVLVS VI.

IV. *Soluuntur fundamenta contraria doctrinæ præcedentis articuli.*

PRIMŪ est: non magis repugnat agens increatum agere vbi non est, quàm agens creatum: atqui agens creatum potest agere vbi non est, vt patet in sole; ergo & agens increatum.

Respondetur negando maiorem, quia vt ostendimus probando nostram propositionem, est de ratione agētis perfectissimi, agere immediatione virtutis & suppositi simul, & esse actum purissimum excludentem omnem potentialitatem; sed quod agit immediatione virtutis & suppositi simul necessariò non potest agere in distans, alioqui ageret, & non ageret; ageret quidem ex hypothesi: non a-

A geret autem quia non potest concipi Deum agere in aliquod nisi virtus eius sit indistans V.
ab illo in quod agit; porrò virtus Dei est indistincta realiter à Deo: ergo si supponatur non esse alicubi, aget & non aget; quod repugnat. Item Deus posset sese constituere in illa re à qua concipitur distans, cùm eam producit; hoc autem non potest intelligi nisi in eo admittatur potentialitas; quia cùm noua Dei præsentia in re aliqua non possit concipi sine aliqua mutatione, & mutatio nulla esset ex parte rei, quandoquidem supponeretur producta, & manens eadem quæ priùs erat, sanè restaret vt mutatio esset ex parte Dei; quod etiam implicat.

Obiicitur secundò: quæ requiritur coniunctio seu indistantia inter agens & patiens ea
B tenet se ex limitatione virtutis, quæ est in agente, quæ ideò quòd sit finita, non potest agere in distans: ergo cùm Deus habeat virtutem illimitatam, poterit agere, vbi non est. VI.

Respondetur negando antecedens, quia coniunctio agentis ad patiens non requiritur propter limitationem virtutis, sed fundatur in ratione agentis vt agens est, cuius virtutem oportet semper esse aliquo modo vnitam patienti; vnde cùm Dei virtus & suppositum sint duo in illo indistincta realiter, & repugnet vnum eorum, quæ sunt idem identitate reali realiter entitatiuè existere vbi alterum sibi realiter identificatum non existit realiter & entitatiuè, vbicumque virtus Dei est, ibi & essentia diuina existit. Hinc licet Deus possit concipi habens in seipso infinitam vim in operando & absens ab aliquo spatio; attamen non posset concipi operans de
C facto ex tali sua virtute nisi ex consequenti in- VII.
telligeretur esse præsens de facto, & reipsa quoad suam substantiam rei quam tunc produceret, & conseruaret in illo loco; à quo concipiebatur absens, non quòd actualis præsentia localis ipsius agentis ad patiens sit quædam conditio in quolibet agente prærequisita ad agendum, sed quòd in tali agente, nimirum Deo, virtus illa, per quam agit sit indistincta, & identificata realiter cum sua substantia, et oporteat virtutem ipsius agentis esse aliquo modo coniunctam ipsi patienti.

Obiicitur tertiò: ea præsentia de qua hîc loquimur, intelligitur esse illa, per quam Deus est, non tantùm circa, vel prope ipsas res creatas, sed etiam intra illas; at ex eo quòd aliquid agit in aliud non rectè colligitur agens illud
D esse intra ipsum patiens in quod agit; sed suffi- VIII.
cit quòd sit illi coniunctum exteriùs; vt patet in igne agente contra lignum quod comburit: ergo ex Dei operatione in rebus non benè colligitur eius præsentia seu substantialis existentia in iisdem.

Respondetur, concessâ maiore distinguendo minorem: ex eo quòd aliquid agit in aliud non rectè colligitur agens illud esse intra ipsum patiens in quod agit, sed sufficit quòd sit illi coniunctum exteriùs: distinguo, non rectè colligitur agens illud esse intra ipsum patiens per virtutem suam, nego, per suppositum, distinguo si virtus & suppositum sint indistincta realiter, nego si sint distincta concedo, patet ratio distinctionis ex præcedentibus.

I.

Articvlvs VII.

Vtrum Dei coexistentia in rebus colligatur à priori ex eius operatione transeunte, vel tantùm à posteriori.

Sensvs articuli est, an operatio transiens sit formalis ratio præcisè loquendo ipsius existentiæ Dei in creaturis; discipuli sancti Thomæ communiter sequuntur partem affirmantem articulo primo huius quæst. alij negantem: res tamen potest facilè explicari, si nonnulla prænotauerimus.

Primum est, tria posse distingui in substantiali præsentia Dei in rebus considera-
II. ta inadæquatè. Primum est existentia, seu realis positio substantiæ Dei in hoc, vel illo spatio reali, vel negatiuo abstrahendo ab eo, quod ibi creet, & conseruet aliquas res; secundum est relatio coexistentiæ, ratione cuius Deus comparatione factâ ad rem aliam dicitur esse ei præsens, eique coexistere: tertium est existentia, seu passiua veluti continentia Dei in creaturis, quâ Deus dicitur esse in illis, seu intra illas, quæ consideratio est distincta à præcedenti, quatenus possumus concipere aliqua sibi coexistere, exempli gratiâ, duo corpora sibi inuicem æqualia, si ponantur à Deo per penetrationem in eodem loco: quamuis vnum illorum propriè non dicatur continere aliud; & hoc totum potest explicari exemplo sum-
III. pto à substantia creata actu existente, quam primò intelligimus habere suam substantiam in aliquo spatio per proprium suum *vbi*, quod est aliquid absolutũ, etiam si Deus destrueret omnia alia creata; deinde ex eó quòd talis substantia sic habet suum vbi, vt etiam alia substantia creata ibidem suum habeat, intelligimus eam illi coexistere, & inter duas istas substantias aliquam relationem coexistentiæ dari; postremò intelligimus hanc substantiam comparatam ad spatium reale, in quo est tanquam in loco, præter dictam relationem coexistentiæ, habere quòd contineatur ab illo.

Notandum secundò, aliquid duobus modis probari à priori, vel scilicet quando medium quod assumitur, est propriè causa formalis, aut præcisa ratio, cur attributum insit suo subiecto. Secundo non propriè, nimirum
IV. quando medium quod assumitur est quidem aliquid præsuppositum ad attributum, vt hoc vel illo modo conueniens suo subiecto, non tamen propriè est ei formalis causa, vel ratio cur cõueniat suo subiecto. His ita prænotatis,

Sit ista prima propositio. *Existentia Dei in rebus omnibus considerata primis duobus modis, non propriè probatur à priori per transeuntem operationem Dei, siue in rebus creatis, siue circa res creatas, sed tantùm à posteriori.* Tres sunt partes propositionis.

Prima probatur: illud quod est intrinsecum Deo, & ei conuenit ex intrinseca necessitate suæ perfectionis, non potest probari loquendo propriè à priori per illud quod Deo est liberum, vt sit, vel non sit; quia in Deo antecedunt necessaria omnimodè ea quæ ei duntaxat conueniunt ex aliquo ei libero: sed existentia Dei in rebus omnibus
A considerata primo modo est aliquid conue- V.
niens Deo ex intrinseca necessitate suæ perfectionis, quia vt sic est aliquod absolutum. Nam seruatâ proportione eodem modo philosophandum est de existentia Dei istis duobus modis considerata, ac de existentia substantiali creaturarum ibi, vbi illæ dicuntur esse secundùm substantialem præsentiam, sumptis istis duabus particulis *ibi*, & *vbi*, in amplissima significatione: item hâc particulâ, *præsentia substantialis*, non pro compræsentialitate seu denominatione extrinsecâ, vel relatione rationis resultante ex positione vnius substantiæ ibi, vbi alia substantia est, vel ponitur, sed sumendo illam pro eo, quod est fundamentum talis denominationis, & relationis rationis; nimirũ pro existentia substantiæ ibi:
B atqui existentia substantialis creaturarum ibi, VI.
vbi sunt, est aliquid reale, & absolutum; est enim earum vbi; vt Dialectici communiter docent agendo de categoria *vbi*, quod vbi est apud illos aliquid reale, quia categoriæ sunt entium realium; est etiam aliquid absolutum, quia constituit categoriam distinctam à categoria relationis, & præterea motus localis terminatur per se ad vbi; ad relationem verò non est per se motus; sed relatio habet duntaxat suum esse per resultantiam: ergo existentia Dei considerata istis duobus modis est aliquid reale in Deo, quod proinde non potest probari per vllam operationem transeuntem ipsius Dei.

Addidi in maiori propositione huius probationis hanc particulam, *seruatâ proportione*,
C non enim volumus quod quemadmodum ip- VII.
sum vbi in nobis est aliquod accidens substantiæ, sic etiam sit in Deo; sed quod quemadmodum voluntas, iustitia, & id genus aliæ perfectiones, quæ in nobis sunt accidentia, sunt in Deo ipsa eius substantia, & quod quemadmodum vbi in nobis supra quantitatem molis dicit certam dispositionem substantiæ creatæ, seu modum aliquem substantiæ quantæ extrinsecum quo sese taliter habet ad locum, vt sit in illo, quam dispositionem substantiæ philosophi communiter explicant per habitudinem ad polos mundi: sic etiam talis existentia Dei considerata hoc vtroque modo supra virtualem quantitatem diuinæ substantiæ, in qua formaliter constituimus attributum diuinæ immensitatis, addit nostro modo considerandi aliquem veluti modum, quo hæc diuina substantia, ratione suæ immensita-
D tis, ita est disposita, vt de facto habeat suam VIII.
præsentiam sumpto, nomine *præsentiæ* iuxta præcedentem obseruationem, vbi, & vbicunque aliquid est, non tantùm creatum; sed etiam potest creari absque vlla etiam quantumlibet minima mutatione sui ipsius; quæ existentia Dei hoc modo præcisè considerata, cùm sit veluti aliquis duntaxat modus intrinsecus diuinæ immensitatis, non erit aliquod attributum propriè dictum, vt suprà ostendimus de diuina simplicitate.

Secundò eadem prima pars nostræ propositionis probatur: modus, quo Deus est in rebus omnibus per essentiam consideratus præcisè est in ratione modi existendi distinctus ab eo modo, quo idem Deus est in iisdem rebus per suam potentiam, vt patet ex dictis articulo primo; at præcisè ratio,

I. per quam Deus existit actu & de facto per suam potentiam in rebus creatis, est eius operatio transiens: ergo existentia Dei in rebus omnibus per essentiam considerata primo modo, propriè non probatur à priori ex transeunte eius operatione circa creaturas, vel in creaturis.

Secunda item pars eiusdem propositionis probatur: coexistētia rei alicuius ad aliam non potest probari à priori ex eo, quo sublato vel non præintellecto adhuc talis coexistentia potest intelligi; quia omnis probatio à priori fundatur in necessaria connexione, vel causæ formalis cum effectu, vel rationis quasi formalis, ad id, quod infertur ex illa, vt patet in omni vera demonstratione: at transiens operatio Dei, siue in creatura, si-
II. ue circa creaturam, non habet necessariam connexionem cum ipsa existentia Dei in creatura, seu cum eius coexistentia ad creaturam, tanquam causæ cum suo proprio effectu, vel etiam tanquam rationis, quasi formalis; quia ad coexistentiam Dei cum creatura simpliciter consideratam absoluta existentia Dei cum superaddito respectu ad locum, vel creaturam, cui dicitur coexistere, sufficit, vt patet etiam exemplo rerum creatarum; quando duæ res sibi inuicem coexistunt, in quo conceptu non inuoluitur quod, id quod coexistit alteri operetur aliquid in illo, vel circa illud, sed tantùm quod simul cum illo habeat existentiam, vt patet exemplo nunc allato.

Deinde probatur: si per impossibile aliquid daretur in rerum natura productum ab alio
III. quàm à Deo: nihilominùs tamen Deus esset in illo, eíque coexisteret ratione suæ immensitatis, quâ est ab intrinseco saltem aptus natus replere omnia, & esse vbique, & tamen in tali suppositione nihil operaretur circa talem rem vel in illa: ergo operatio transiens, siue in creatura, siue circa creaturam, non est formalis, aut quasi formalis ratio, cur Deus coexistat creaturis.

Tertia denique pars propositionis eiusdem probatur. Primùm ex testimoniis sacræ Scripturæ allatis præcedenti articulo: deinde illâ ratione, quâ ibidem probauimus Deum existere substantialiter in omnibus rebus; nam vbi existentia causæ probatur ex sui effectus existentia postulantis necessariò causam suam tam intra se, quàm prope se sibi præsentem substantialiter, ibi substantialis existentia ta-
IV. lis causæ, tam intra suum effectum, quàm prope illum quoad realem præsentiam probatur à posteriori, ex Dialecticis libro secundo de *demonstratione*: at substantialis existentia Dei, tam intra omnes res creatas, quàm prope illas fuit articulis superioribus à nobis probata ex ipsa rerum productione, & conseruatione, quæ sunt proprij effectus Dei; & ibidem probatum est, eiusmodi productionem & conseruationem rerum habere necessariam connexionem cum substantiali præsentia Dei; quia Deus est agens, tam immediatione suppositi, quàm virtutis: igitur substantialis existentia Dei in omnibus rebus creatis rectè probatur à posteriori ex transeunte operatione eius, tam intra ipsas res creatas, quàm circa illas.

Vltima propositio. *Substantialis existentia*
A *Dei intra creaturas considerata vltimis duobus modis, potest dici probari à priori, sumptâ hac particulâ,* à priori, *lato modo, & impropriè, vt explicatum est secundo notabili ex ipsa transeunte operatione Dei.* V.

Probatur: tunc datur talis demonstratio impropriè à priori, quando aliquod attributum probatur ex aliquo sibi præsupposito: at substantialis existentia Dei considerata duobus postremis modis ex *primo* notabili prærequirit transeuntem actionem Dei, tam intra creaturas, quàm prope illas, in quibus dicitur substantialiter existere, primo quidem ex istis duobus, modo: quia omnis relatio prærequirit suum terminum & ex consequenti actionem, per quam ponatur & conseruetur: at hæc præsentia Dei est relatio coexistentiæ Dei
B ad creaturas: ergo & ex consequenti prærequirit creaturas, earúmque productionem & conseruationem, quæ tamen tantùm est à Deo tanquam primo agente etiam immediatione suppositi. VI.

Secundo item modo, quia, vt aliquid sit in alio, tanquam in continente, si ipsum sit aliquid creatum, & permanens præsupponitur actio quâ tale continens creatur, producitur, & conseruatur in suo esse: at Deus existens positiuè in rebus & locis creatis, illa replet, aliquo modo continetur in illis, & actio quâ res eiusmodi creatæ producuntur & conseruantur in suo esse, est aliqua operatio transiens ipsius Dei, quâ tam immediatione suppositi, quàm virtutis agit circa eiusmodi creaturas: ergo substantialis existentia Dei potest probari hoc modo à priori.

C Dixi in conclusione, & eius rationibus *impropriè*, quia vt patet ex dictis, licet ista præsupponantur, non tamen propriè loquendo sunt causa, vel formalis ratio, aut quasi formalis, per quam Deus sic inexistit ipsis rebus creatis, quemadmodum patet ex dictis. VII.

DISPVTATIO POSTERIOR.

De substantiali præsentia Dei in locis seu spatiis negatiuis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit spatium imaginarium seu negatiuum.

D QVIA ad quæstionem, an Deus sit realiter, & quoad suam substantiam extra hoc vniuersum maximè confert explicatio huius termini, *Spatium imaginarium*, seu *negatiuum*, & illius existentiæ, quam suo modo potest habere, ideò aliquot articulos hac de re præmittemus. VIII.

Sit hæc prima nostra propositio. *Spatium illud quod plerique Philosophorum & Theologorū vocant imaginarium; alij negatiuum, non est aliquid reale, & positiuum:* ita communiter omnes, & probatur: illud quod est omninò distinctum à Deo & dicitur fuisse suo modo ante mundum conditum, non est aliquid reale & positiuum: aliàs enim præter Deum daretur de facto ens aliquod æternum à parte ante,

I. quod ipſa fides negat: atqui ſpatium iſtud fuit A
ſuo modo ante mundum conditum, nec eſt
ipſe Deus; tum quia Deus dicitur creaſſe
mundum in tali ſpatio; tum etiam quia appre-
henditur tanquam aliqua intercapedo ad re-
cipiendum corpus aliquod, vel plura modo
extenſiuo quaſi intra ſe: quod non poteſt con-
uenire Deo; & inſuper ſequenti propoſitione
patebit, tale ſpatium exiſtere ſuo modo, &
non poſitiuè, quemadmodum Deus exiſtit:
ergo hoc ſpatium non eſt aliquid reale.

Secunda propoſitio. *Hoc ſpatium non eſt pro-
priè aliqua priuatio.* Probatur: ſic enim pro-
priè eſſet vacuum, & ex conſequenti, quamuis
pro ſuo formali diceret negationem, pro ſuo
tamen materiali importaret aliquid reale &
poſitiuum, ſcilicet ſubiectum, cui forma op-
poſita tali negationi debeatur; eſt enim pri-
II. uatio carentia formæ in ſubiecto apto: ſed B
ſpatium hoc imaginarium nihil poteſt impor-
tare quod ſit reale & poſitiuum, vt patet ex
dictis præcedenti propoſitione.

Tertia propoſitio. *Spatium iſtud quod vulgò
vocant imaginarium, eſt negatiua quædam in-
tercapedo cum negatiua diſtantia occupabili à
corpore: ſicque eſt mera quædam negatio repu-
gnantiæ replebilitatis ſecundùm diſtantiam ne-
gatiuam, per aliquod ens, quod Deus poteſt crea-
re, ſeu eſt non repugnantia, vt in eo ſint entia
& corpora ſecundùm diſtantiam & repletionem,
ſi creentur ibi à Deo.*

Vt hæc propoſitio intelligatur: notandum
eſt, quòd quemadmodum in ente merè poſſi-
bili duplex negatio poteſt diſtingui, prior
repugnantiæ ad exiſtendum extra ſuas cau-
III. ſas, poſterior actualis exiſtentiæ, & hæc po- C
ſterior tollitur per poſitionem rei extra ſuas
cauſas; prior verò remanet, quia dum etiam
exiſtit, eſt poſſibilis, nec tamen res aliqua
dicitur merè ſolùm poſſibilis per hanc poſte-
riorem negationem, ſed duntaxat per prio-
rem: ſic etiam in hoc ſpatio, quod vocant *ima-
ginarium*, duplex poteſt diſtingui negatio, vna
repletionis, poſterior repugnantiæ replebili-
tatis, prior illa negatio non conſtituit forma-
liter ſpatium hoc, quod vocant *imaginarium*,
quia etiã reperitur in vacuo, à quo tamẽ diſtin-
guimus hoc ſpatium inane, & nemo philoſo-
phorũ negat poſſe dari vacuum, quorum tamẽ
aliqui negant hoc ſpatiũ; ſed ſola illa poſterior
negatio pertinet ad rationem huius ſpatij.

Hoc prænotato, tertia hæc propoſitio pro-
IV. batur quoad ſingulas partes: & primùm D
quòd ſit *mera quædam negatio*, patet ex dictis
primâ & ſecundâ propoſitione: quòd etiam
non ſit aliquod *ens rationis* propriè dictum,
ſeu purum aliquod figmentum noſtri intelle-
ctus, patebit ex dicendis: ergo reſtat, vt ſit
mera quædam negatio, cùm ex dictis præce-
denti propoſitione non ſit *priuatio*.

Quòd verò ſit *negatio repugnantiæ replebili-
tatis cum negatiua diſtantia occupabili à corpore*,
probatur. Hoc ſpatium eodem modo ſeſe ha-
bet ad poſſibilem replebilitatem per aliquod
verũ ens quod poteſt à Deo creari alicubi cum
vera, & reali aliqua diſtantia; quomodo iſta
poſſibilitas rerum ſeſe habet ad earum crea-
tionem: nam ſicut hæc poſſibilitas conſiderata
ex parte Dei, dicit in eo potentiam ad crean-
dum res, quæ dicuntur poſſibiles, & ex parte
ipſarum rerum poſſibilium, dicit potentiã lo-
gicam, vt illæ recipiant eſſe ſeu exiſtere à Deo V.
per creationem ſeu productionem: ita etiam
& hoc ſpatiũ dicit ex parte Dei potentiam ad
ponendum aliquod verum & reale ens occu-
patiuum ſpatij ſecundùm aliquam diſtantiam
negatiuã in illo: deinde ſpatium illud ex parte
ſui, dicit potentiam logicam ad recipiendum
intra ſe ſuo modo & ſecundùm aliquam nega-
tiuam diſtantiã, ſeu aptitudine logicâ occupa-
bilem à corpore, ens quodcunque creabitur à
Deo: atqui ipſa mera poſſibilitas rerũ nondum
creatarum præciſè conſiderata ex parte ſui, eſt
tantùm quædam negatio repugnantiæ ad ac-
cipiendum eſſe reale, ſeu exiſtere à Deo per
creationem, vel aliquam productionem: ergo
pari modo ſpatium hoc erit tantùm pura quæ-
dam negatio repugnantiæ replebilitatis cum
aliqua negatiua diſtantia occupabili ab ente,
vel corpore, quod poteſt Deus creare. VI.

Maior hæc vltima patet ex comparatione
huius ſpatij cum ipſa poſſibilitate rerum: hæc
enim duo conueniunt in illa generali ratione
non repugnantiæ, & differunt in hoc, quòd
poſſibilitas rerum reſpiciat actualem paſſiuam
earum creationem, vel productionem, vt non
repugnantem; ſpatium verò imaginarium re-
ſpiciat prædictam replebilitatem per ens à
Deo creandum, vt non repugnantem.

Minor etiam eiuſdem ſyllogiſmi patet: res
enim poſſibiles nunquam tamen creatæ, nec
vnquam creandæ nullum habent actum, nul-
lam de facto realitatem & exiſtentiam, ſunt
enim merè poſſibiles, & ſic non ſunt aliquid
poſitiuum: item exiſtentia illis non debetur,
& proinde non ſunt aliqua priuatio propriè
dicta: item quatenus ſunt merè poſſibiles, non VII.
ſunt aliquod figmentum noſtri intellectus, ſeu
non ſunt aliquod ens rationis propriè dictum,
quia nemine cogitante res eiuſmodi ſunt poſ-
ſibiles, habent ab æterno, & in æternum hanc
ſuam poſſibilitatem, quam Deus cognoſcit,
non fingit; & beati in patria vident & cogno-
ſcunt aliquas ex illis, vt docebimus ad quæſt.
12. ergo cùm nihil reſtet in quo talis poſſibili-
tas rerum conſiſtat formaliter, quàm quædam
non repugnantia, vt à Deo creentur & po-
nantur extra ſuas cauſas, talis earum poſſibi-
litas erit tantùm pura negatio quædam repu-
gnantiæ ad exiſtendum per creationem, vel
productionem: ergo etiam à pari ſpatium il-
lud, quod vocant *imaginarium*, erit mera quæ-
dam negatio repugnantiæ replebilitatis, cum
aliqua negatiua diſtantia occupabili ab ente,
vel corpore, quod poteſt à Deo creari. VIII.

Poſui tam in propoſitione, quàm in eius
probatione, hanc particulam, *cum negatiua
diſtantia occupabili à corpore, vel alio ente oc-
cupatiuo ſpatij*. Tum quia omnis intercapedo
eo ipſo quo talis eſt, dicit diſtantiam ſimili
modo, quo dicit exiſtentiam, vt etiam termi-
nus hic *intercapedo* ſonat: ergo ſicut hoc ſpa-
tium eſt negatiuum veri & realis ſpatij, ſic et-
iam habebit negatiuam diſtantiam, & proin-
de aptitudinem logicam, ſeu non repugnan-
tiam, vt aliqua entia ſecundùm hanc diſtan-
tiam longè à ſe inuicem diſſita ponantur. Tum
etiam quia in tali ſpatio, ſicut & in vacuo pro-
priè dicto poſſet diuinâ virtute motus localis
fieri; at motus hic ſupponit eſſentialiter di-
ſtantiam inter ſuos terminos. Tum etiam quia
Deus poſſet ponere in illo plura corpora ſe-

I. cundùm totam, & adæquatam extensionem
quantitatiuam absque aliqua mutua penetra-
tione, & positis etiam quibusdam corporibus
maximis, posset adhuc maiora & maiora se-
cundùm eandem extensionem sese mutuò
non penetrantium ponere: ergo tale spatium
debet includere aliquam distantiam sibi cor-
respondentem, & proinde negatiuam, quæ
sit logica aptitudo, & sic mera quædam non
repugnantia replebilitatis secundùm distan-
tiã negatiuã occupabilem ab aliquo corpore,
vel alio ente, quod Deus potest in eo creare.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.

OBIICIES primò: negatio non opponitur
II. negationi, sed affirmationi; & proinde
quod formaliter est negatiuum, debet tantùm
opponi alicui positiuo, & reali: atqui spatium
hoc formaliter consideratum est negatio re-
pugnantiæ replebilitatis, quæ repugnantia est
alia quædam negatio termini, seu rei illius
cui adiungitur: ergo spatium hoc non potest
formaliter esse talis negatio.

Respondetur maiorem sumptã vniuersaliter
esse falsam, vt patet in exemplo superiùs alla-
to de possibilitate rerum, quæ duas impor-
tat negationes, quarum vna opponitur alte-
ri: prima enim opponitur potentiæ logicæ,
quæ reperitur in istis rebus, quæ quidem po-
tentia logica non est aliquid positiuum & rea-
le, vt omnes Philosophi communiter admit-
tunt, sed mera quædam negatio: idem pa-
tet in ipsis vniuersalibus in prædicando, quo-
III. rum essentia consistit in aptitudine logica ad
inexistendum suis inferioribus, & de illis
prædicandum, quæ tamen aptitudo cùm sit
merè logica non est aliquid positiuum & rea-
le, vt omnes Philosophi communiter do-
cent, quare simili modo spatium hoc, quod
vulgò vocant *imaginarium*, rectè poterit es-
se specialis quædam negatio alterius cuius-
dam specialis negationis: & sicut non re-
pugnat aliquod ens reale opponi alicui en-
ti reali; verbi gratiâ corpus spiritui, ratio-
nale irrationali: sic etiam non repugnabit ali-
quam negationem specialem opponi alicui
alteri negationi.

Addi etiam potest, secundam partem mi-
noris sumptam vniuersaliter esse falsam.
Nam loquendo in rigore Dialectico eã di-
cuntur propriè repugnantia quæ de eadem
IV. re non possunt verè affirmari, vt Dialecti-
ci communiter docent agendo de *terminis*:
quæ autem non possunt verè affirmari de
eadem re, satis frequenter sunt ambo positi-
ua, licet aliquando vnum illorum explice-
tur per terminum negatiuum, ex imperfe-
ctione nostri intellectus non penetrantis rea-
le, quod in tali ratione constituit illud,
vt patet in exemplis nunc allatis & pluri-
bus aliis, sed in solis duntaxat repugnan-
tibus contradictoriè & priuatiuè vnum re-
pugnantium est aliquid negatiuum.

Obiicies secundò: formalis ratio huius
spatij non potest consistere in eo quod po-
test dici de quolibet ente etiam positiuo;
nam definitio debet esse propria suo defini-
to: at hæc negatio repugnantiæ replebilita-
tis potest dici de quolibet alio ente etiam
A positiuo: nam sicut non lapis est quædam V.
negatio, & rectè dicitur de ligno, spiritu,
accidente, Deo, Angelis, sole & de reli-
quis eiusmodi, quorum tamen formalis ra-
tio est aliquid positiuum, & reale, nec rectè
explicantur per suum formale per talem ne-
gationem; sic etiam quodlibet verum ens
reale est negatio repugnantiæ, quæ attribui-
tur huic spatio imaginario, & proinde quod-
libet ens reale erit etiam spatium istud nega-
tiuum; quod tamen est falsum & apud omnes
absurdum.

Respondetur, concessâ maiore, negan-
do minorem. Hæc enim negatio importata
per spatium illud imaginarium, non est quæ-
cumque & cuiuscumque, sed specialis est,
nimirum replebilitatis importantis aptitudi-
B nem logicam ad recipiendum corpus occu- VI.
patiuum spatij cum aliqua distantia, tam in-
ter eius partes quantitatiuè extensas, quàm
inter alia corpora, vel substantias, quas Deus
potest in aliis partibus eiusdem spatij longè
distantibus distantiâ purè negatiuâ creare,
quæ negatio vt sic explicata est specialis, nec
potest dici de Deo, de Angelis, & eiusmo-
di aliis: quare sicut explicatio possibilitatis
rerũ & ipsius vniuersalis logici allata in exem-
plum ita assignatur per non repugnantiam,
quæ est aliqua pura negatio, vt tamen non
conueniat omnibus aliis rebus, quia respicit
aliquid speciale; sic etiam hæc explicatio assi-
gnata spatij, vt vulgò vocant *imaginarij*, ei spe-
cialiter conueniet.

Obiicies tertiò: non repugnantia, in qua
constituimus formalem rationem huius spa-
C tij negatiui, eodem modo sese habet ad re- VII.
plebilitatem per aliquod corpus creandum
à Deo, quomodo in possibilitate rerum ipsa
non repugnantia, vt intelligitur ex proba-
tione secundæ propositionis: sed hæc poste-
rior non repugnantia nihil est aliud, quàm ip-
samet res possibilis, quæ dicitur non repu-
gnare; non enim est aliquid ab illa distin-
ctum, & prætereà res dum à Deo creatur non
dicitur recipi in ipsa non repugnãtia ad suam
productionem tanquam in aliquo distincto à
se, sed vel recipitur in subiecto si sit accidens,
vel in se ipsa si sit substantia: ergo pari iure non
repugnantia ad capiendum aliquod corpus
quod potest à Deo creari, nihil erit aliud quàm
ipsum corpus possibile creandum à Deo cum
tali vbi constitutũ, & sic non erit quasi aliquid
tertium distinctum à corpore creando & ipso
D eius vbi, in quo tertio tale corpus recipitur. VIII.

Respondetur ex obseruatis suprà non re-
pugnantiam, quæ constituit possibilitatem
rerum, & illam non repugnantiam, quæ con-
stituit hoc inane spatium, sese eodem modo
habere duntaxat secundùm suam rationem,
quasi genericam: at hæc obiectio procedit de
identitate rationis quasi specificæ, secundùm
quam tamen notauimus illas distingui, qua-
tenus non repugnantia quæ constituit possi-
bilitatem rerum, respicit res primò & per se,
& sic intelligitur, non esse aliquid distinctum
ab ipsa re, quatenus est merè possibilis; sic
enim non est repugnans ad accipiendum esse,
& existere extra suas causas: illa autem non
repugnantia, quæ constituit hoc inane spa-
tium, non respicit primò per se corpus con-
stituendum, vt vbicatum, sed intercapedinem

I. illam negatiuam cum distantia negatiua occupabili à corpore, quæ est aliquid distinctum à corpore, siue constituto, siue constituendo in aliquo vbi, & ita hæc repugnantia, quæ constituit formaliter tale spatium, non potest esse aliquid idem omninò cum corpore, vt à Deo constituendo in tali vbi: sicque cùm hæc non repugnantia dicat aliquod tertium distinctum à corpore, & ab ipso eius vbi, & intrinsecè importet negatiuam distantiam occupabilem à corpore, quod non importat non repugnantia, quæ constituit formalem rationem possibilitatis, rectè intelligimus tale spatium posse recipere intra se modo illo, quo existit, aliquod corpus.

Articvlvs III.

II. *Vtrum detur spatium imaginarium.*

Sit hæc nostra propositio. *Spatium istud quod vulgò vocant imaginarium, existit suo modo, etiam intellectu nostro non cogitante, quatenus citra vllam mentis nostræ operationem prædicta illa intercapedo negatiua, & non repugnantia replebilitatis est apta logicè recipere corpus, si creetur à Deo*: ita quamplures Theologi articulo sequenti referendi, & probatur.

Primò auctoritate Aristotelis libro primo de *cælo*, & *mundo* capite sexto, vbi postquam dixit extra cælum & mundum esse locum, vel vacuum, addit extra cælum esse quædam entia perfectissima incorporea habentia vitam indefectibilem, pro qua auctoritate Aristotelis in fauorem nostræ propositionis videri

III. possunt Conimbricenses libro octauo *Physic.* cap. 10. quæst. 2. artic. 2. hinc aliqui notant Aristotelem non agere contra præsentem nostram propositionem, quando agit contra veteres quosdam philosophos asserentes hoc spatium esse chaos illud poëticum; nam in tantum ibi reiicit hoc spatium, in quantum illi, vt supponit ibi Aristoteles, putabant hoc spatium esse aliquod corpus reale.

Probatur etiam ratione. Illud per cuius ordinem ipsa immobilitas veri & realis loci desumitur communiter à philosophis, debet esse & aliquo modo existere citra operationem mentis nostræ qualecumque sit illud eius esse, & existere; quia aliàs locus diceretur immobilis, & mobilis pro libito vniuscuiusque nostrûm, & ista mutatio loci posset aduenire ali-

IV. cui sine aliqua mutatione facta, vel recepta in illo; nimirum ad variam & variam imaginationem, seu conceptionem suam, vel alterius ita explicantis immobilitatem loci realis ad suum libitum, quæ omnia sunt absurda, & contra communem philosophorum sensum, quando disputant de loco; sed illud, per ordinem ad quod talis immobilitas loci desumitur iuxta communem sententiam philosophorum, est aliquid totius illius spatij imaginarij, quod exposuimus in præcedentibus, & cuius existentiam hîc explicamus, vt videre est libro quarto *physicorum*; vbi alij volunt illam desumi à distantia polorum mundi, qui tamen loquendo propriè secundùm omnes philosophos, non sunt aliquid reale, sed quid imaginarium eodem sensu, quo spatium hoc appellatur *imaginarium*. Alij ab ipsa quidem superficie reali, sed tamen prout ipsa superficies imaginaria correspondet ipsi reali circunquaque. Alij ex hac numero præsentia ad hoc reale spatium, vel imaginarium, cui reale spatium potest correspondere. Alij denique ab istis omnibus; quemadmodum ibidem videre est: ergo spatium illud quod vulgò vocant *imaginarium* existit suo modo, citra vllam nostræ mentis operationem. V.

Atque ex hac ratione sic explicata, patet non obstare nobis, quòd modi illi intrinseci quos philosophi vocant *vbi*, sint aliquid absolutum: nam non colligimus huiusmodi spatia dari ex eo quòd tales modi dicant essentialiter realem ordinem ad eiusmodi spatia: sic enim modi isti essent relatiui, seu relationes: sed ex eo quòd modi isti sint ita entia absoluta, vt tamen tam illi, quàm locus accipiant suam vnitatem, & immobilitatem per aliquam habitudinem ad eiusmodi spatia, vt non propriè facta per intellectum; quæ habitudo cùm sit tantùm transcendentalis, non impedit, quin eiusmodi modi seu vbi & locus sint entia propriè absoluta. Nam non est absurdum aliquid reale, & absolutum accipere suam specificationẽ per ordinem ad aliquid non reale, quod loquendo propriè sit nihilum, non tamẽ fictum ab intellectu, sed mera quædam negatio, vt patet in ipsa creatione, quæ per talem ordinem, seu habitudinem distinguitur ab aliis mutationibus; sed vis primæ nostræ rationis est sita in maiori propositione; nam minorem supponimus, vt communiùs receptam apud Philosophos, & ex illa vt sic communiùs recepta argumentamur: eius autem veritatem relinquentes Philosophis discutiendam. Quare quemadmodum illud quod præsupponitur creationi, non est loquendo propriè aliquid fictum per operationem intellectus, sed est pura quædam negatio totius entitatis, quæ eo modo quo negationes existunt potest dici fuisse & antecessisse creaturas: sic etiam & spatium, quod vocant *imaginarium*, non erit aliquod figmentum nostri intellectus, sed quædam negatio repugnantiæ superiùs explicata existens suo modo, quo nimirum negationes possunt existere. VI. VII.

Secundò eadem propositio probatur. Illud ratione cuius aliqua distantia potest dari inter duo corpora, vel inter alia entia, est, & existit aliquo modo independenter à nostro intellectu: sed dentur per hypothesim duo corpora à Deo creata, vnum in infima parte terræ, alterum in extima parte cæli: tunc Deus illa tantùm conseruet, & redigat in nihilum reliqua omnia, tam cælum, terram, quàm cætera creata entia positiua, hæc duo corpora sic à Deo conseruata distabunt tantâ intercapedine, quantâ distabant anteà; quia supponuntur manere immota, & hoc absque vlla operatione mentis nostræ, sicut & illorum existentia est independens à nostra conceptione: at tunc non distabunt reali & positiuâ intercapedine, seu spatio reali, quia nullum est, cùm omne tale positiuum supponatur annihilatum à Deo: ergo solâ intercapedine imaginariâ, seu negatiuâ habente aptitudinem logicam ad spatium reale, & recipiendum corpus à Deo creandum, & ex consequenti talis intercapedo, quæ nihil est aliud, quàm spatium hoc imaginariũ, existit suo modo sine aliqua operatione nostri intellectus. VIII.

I. Neque responderi potest in tali casu, spatium istud fore aliquod vacuum, quod tamen suprà distinximus ab hoc inani. Nam in ista hypothesi volumus Deum constituere omnia, exceptis duobus istis corporibus, in illo eodem planè statu, in quo erant ante creationem vniuersi: hoc enim nullomodo implicat, vt per se patet: quare sicut ante creationem mundi nullum dabatur vacuum propriè dictum; sic etiam intercapedo illa, in cuius duabus extremitatibus prædicta duo corpora existunt, non erit aliquod vacuum propriè dictum, & cùm non sit aliquod reale spatium, erit spatium istud, quod vulgò vocant *imaginarium*.

Confirmatur: in hac hypothesi duo ista corpora habent eamdem constitutionem, &
II. dispositionem ex parte suarum entitatum seclusâ omni habitudine ad aliquod aliud ens reale creatum, quam habebāt ante prædictam annihilationem omnium aliorum entium: ergo cùm anteà essent in aliquo spatio occupabili per corpus extensum quantitatiuè, quia Deus illa conseruat ibi cum omnibus suis accidentibus absolutis, inter quæ est ipsa quantitas & extensio quantitatiua: hæc autem non potest esse etiam de absoluta potentia Dei sine aliquo spatio vero, vel imaginario, cui talis extensio respondeat: igitur debet dari spatium aliquod, quod vocant *imaginarium* suo modo existens, in quo prædicta duo corpora substantialiter existant à se inuicem aptitudinali logicâ distantia, à se inuicem dissidentia.

Addidi in hac propositione particulam illam, *suo modo existit*; vt enim spatium hoc non
III. est aliquid positiuum, ita nec positiuè & realiter existit, sed negatiuè tantùm, seu ad modum negationum: quæ quia concipiuntur à nobis ad modum entium positiuorum, dicuntur tandiu suo modo existere, quandiu res oppositæ eiusmodi negationibus absunt: quemadmodum patet in cæcitate, in tenebris etiam iuxta modum loquendi sacræ Scripturæ Genes. primo, *& tenebræ erant super faciem terræ*, capite tertio libri Ruth tribuitur nocti *abscessus*; sic Sapientiæ 17. nox dicitur *superposita*, & capite 18. nox dicitur *habere medium iter in suo cursu*, & alibi passim.

Articvlvs IV.

Colliguntur & ponuntur quædam consectaria ex articulo præcedenti.

IV. PRimvm est, spatium istud propriè non appellari *imaginarium*, quòd scilicet sit aliquod figmentum nostri intellectus, sed ex eo tantùm, quòd concipiatur, & apprehendatur ad modum entis & spatij realis; quale tamen non est; & meliùs appellari *negatiuum*, sicut possibilitas in rebus merè possibilibus non dicitur esse aliquid propriè imaginarium, sed loquendo magis propriè quædam negatio repugnantiæ ad existendum.

Secundum est, quòd cùm loquamur de negationibus, & priuationibus factâ proportione ad illa quibus opponuntur, quemadmo-
A dum admittimus in spatio reali realem eius partibilitatem in aliquot partes: item admittimus in illo æquale, & inæquale: item aduerbia loci, similiter & coexistentiam rei coexistentis in illo ad illud spatium reale, & id genus alia similia: ita etiam nos per analogiam ad reale spatium posse distinguere ista omnia & singula, eáque admittere in nostro spatio negatiuo: nam quot modis vnum oppositorum dicitur, tot modis & alterum debet dici, & differentiæ istorum, quæ tribuimus eiusmodi negationibus, tam specificæ, quàm numericæ petentur ab ipsis formis, quæ negantur per eiusmodi spatia in præsenti difficultate, vt contingit in aliis entibus negatiuis. V.

Quando tamen formamus eiusmodi pro-
B positiones, quæ denotant distantiam, vel propinquitatem, vel coexistentiam entis alicuius VI. positiui cum negatiuo, sensus eiusmodi propositionum non est quòd vtrumque eiusmodi extremum sit aliquid verè positiuum, vel quod vnum existat positiuè in alio, tanquam in loco, vel ei positiuè, tanquam realiter existenti coexistat: hoc enim est falsum: sed sensus est tantùm iste, quòd positiuum illud, quod affirmamus distare vel esse propinquū, vel coexistere spatio negatiuo, vel certæ seu determinatæ alicui eius parti designabili per ordinem ad aliquam certam, & determinatam partem veri & realis spatij, ita habet substantialem existentiam, vt illa insit ei simul cum tali & tali habitudine ad negationē importatam tali spatio, vel aliqua eius parte: nam vt rectè dicimus hominem esse simul viuum &
C cæcum; item catulum ante octauum diem esse VII. simul viuum & non videntem, nec tamen per eiusmodi formulam loquendi intendimus facere comparationem inter terminos vtrinque positiuos; sed tantùm affirmare illud, quod est positiuum, fuisse simul quando & hæc ipsa negatio cum qua comparatur, extitit suo modo; ita & in præsenti difficultate. Hinc solemus communiter dicere *noctu*, seu *durante nocte* hoc & illud contigisse, quod tamen sonat coexistentiam: item solemus dicere *nocte appropinquante*: item post *abscessum noctis*: quæ loquendi formulæ sonant propinquitatem & distantiam; quo etiam modo sacræ Scripturæ relatæ superiùs & alibi passim loquuntur; & huius veritatis in eiusmodi locutionibus, hæc est ratio, quòd quotiescunque duæ propositiones de præsenti, quarum vna est affirmans,
D & altera negans, pronuntiantur simul cum VIII. veritate de eodem subiecto, tunc coexistentia seu concomitantia vtriusque veritatis obiectiuæ denotatur, & hæc coexistentia non potest esse alia quàm sit existentia vtriusque veritatis obiectiuæ: aliàs tales propositiones essent falsæ: at in eiusmodi propositionibus de quibus hîc agimus, vna est affirmans, altera negans, vtraque vera pronuntiatur de eodem subiecto, vt patet in exemplo allato, catulus est viuus & non videns: ergo significatur tantùm in illa proportione, (& est idem iudicium seruatâ proportione in aliis similibus) coexistentia vitæ in catulo cum negatione visus.

I.

ARTICVLVS V.

Respondetur duabus obiectionibus contra doctrinam præcedentium duorum articulorum.

PRIMA obiectio est eiusmodi: si tale spatium daretur, eius vastitas esset extensa in infinitum, cùm infinita moles corporum possit semper maior & maior creari à Deo; sed hoc est absurdum, aliàs pari iure infinita quædam duratio imaginaria fluens ab æterno posset dari; quo admisso statim sequeretur motum, & tempus potuisse esse ab æterno, cùm in tali duratione imaginaria fluente aliquot partes secundùm prius & posterius possint etiam designari: at tempus & motum posse
II. esse ab æterno, omnes communiter Philosophi & Theologi negant: ergo pari iure spatia illa imaginaria debent negari.

Respondetur, nos libenter dicere spatia ista esse infinitè extensa non quidem positiuâ extensione, sed negatiuâ, quatenus ista negatio repugnantiæ replebilitatis nunquam potest exhauriri; sed semper habet aptitudinem logicam, vt repleatur aliquo vero ente per Deum creando, nec magis repugnat admittere in tali spatio extensionem negatiuam, quàm in nocte, in qua tamen illam admittimus, dum dicimus noctem esse longissimam.

Ad id quod affertur de duratione imaginaria temporaria, respondetur, illam etiam esse admittendam, vt significat Apostolus, quando tam secundæ *ad Timotheum* primo,
III. quàm *ad Titum* primo vtitur istâ loquendi formulâ, *ante tempora sæcularia*, vel vt habet Græca lectio, *ante tempora æterna*; sic enim loquendo nobis insinuat distingui alia tempora à nostris: quæ cùm suo modo existendi antecedant nostra, sint etiam æterna suo modo, non tamen sic appellantur tempora, quasi verè extiterint, & veræ aliquæ partes fluentes, quarum aliæ sint antecedentes, aliæ subsequentes sint, vel fuerint in illis, sic enim esset verum & reale tempus propriissimè dictum: sed hoc tantùm sensu, quòd cùm non intelligamus infinitatem diuinæ durationis nisi per ordinem ad verum tempus, quatenus licet æternitas simul tota coexistat omnibus differentiis temporis; nihilominùs per ordinem ad tempus diuiditur à nobis in quasdam veluti partes, dum apprehendimus illam
IV. conceptibus tantùm inadæquatis, nimirum vt correspondentē nostro præsenti tēpori, modò vt correspondentem præterito, modò vt correspondentem futuro tempori: vnde vt illam iuxta nostrum modum concipiendi apprehendamus, prout illa antecessit creationem mundi, & vt potuit coexistere infinitis & infinitis temporibus, eorúmque differentiis si fuissent de facto; dicimus tunc fuisse imaginaria quædam tempora, quibus illa coexisteret, quatenus totâ illâ duratione, quâ nullum reale tempus existit, sed mera quædam tantùm eius negatio, semper ipsa æternitas Dei, eiúsque permanentia fuit coniuncta cum tota illa negatione temporis, quæ quoad partem anteriorem fuit suo modo, id est, negatiuo, etiam sine vlla mentis nostræ operatione.

Hinc tamen non sequitur motum propriè
A dictum secundùm prius & posterius potuisse V.
esse etiam in tali tempore imaginario, quia istud importat verum & reale tempus, sicut veras & reales partes priores & posteriores ipsius mobilis, quæ tunc nullæ fuerunt.

Secunda obiectio hæc est: si spatia illa existant, erunt æterna, tam à parte post, quàm à parte ante, & ex consequenti incorruptibilia; ab hac quidem parte, quia nunquam cœperunt existere, cùm sint suo modo ante creationem vniuersi & cuiuscunque partis illius creatæ, ab ista etiam, quia nunquam desinent; nec est maior ratio ob quam sint æterna potiùs à parte ante, quàm à parte post; cùm nullum detur æternum à parte ante, quod non sit etiam æternum à parte post, econtrà verò aliqua dentur quæ sunt æterna à parte post, non tamen à parte ante, vt Angelus,
B anima rationalis; sed hæc spatia esse sic æter- VI.
na, & sic incorruptibilia, est contra propriam illorum rationem, quia sunt mera quædam negatio: nam omnis negatio destruitur positione eius, cui opponitur, verbi gratiâ cæcitas visu; sed hæc spatia sunt quædam negatio spatij realis, & Deus in istis spatiis imaginariis, aut in aliqua saltem parte illorum creando hoc vniuersum, creauit & spatia realia, quæ sunt in mundo, & sic hæc illorum eiusmodi spatiorum pars non ampliùs existit, sed manet destructa: item Deus potest in aliis partibus huius spatij imaginarij suo adhuc modo remanentibus creare & ponere aliqua entia realia corporea, & ex consequenti facere ibi spatia quædam realia illis correspondentia: ergo tunc tollerentur, nec erunt æterna &
C incorruptibilia. VII.

Respondetur, hæc spatia imaginaria, & quamlibet illorum partem esse eodem modo æterna & incorruptibilia, quo apud Dialecticos ipsa vniuersalia sunt æterna & incorruptibilia, proportione inter hæc seruatâ, non quidem positiuè, sed negatiuè, quatenus hæc negatio repugnantiæ replebilitatis, quam hoc spatium dicit formaliter, semper fuit & est veluti quasi comitata positiuam æternitatem Dei, & ad illam habuit modo suo negatiuo coexistentiam: sicut enim vt iam animaduertimus, carētia visionis in catulo ante octauum diem, dicitur pro eo spatio temporis coexistere vitæ canis, quia istæ duæ propositiones formatæ de illo sunt simul & pro eadem duratione veræ, *catulus est viuus*, *catulus est*
D *non videns*: sic etiam duæ istæ propositiones, VIII.
æternitas Dei est, intellecta pro omni & quolibet puncto æternitatis: item *negatio repugnantiæ replebilitatis est*, sunt, fuerunt, & erunt semper, & pro eodem quolibet instanti simul veræ.

Ad rationem allatam in contrarium respondetur, negationes quantum spectat ad præsens institutum, esse in duplici differentia, vt etiam significauimus: aliæ enim sunt, quæ primò & per se opponuntur actibus, aut quasi actibus, & in suo conceptu præciso important negationem actus: aliæ sunt quæ primò & per se opponuntur ineptitudini, quasi habituali & impotentiæ: verbi gratiâ, in ipso vniuersali: prior negatio est, quòd de facto & re ipsa non insit multis, & ex consequenti quòd actu & reipsa non prædicetur de multis: posterior negatio est ineptitudinis

I. & veluti impotentiæ ad inexistendum multis & ad prædicandum de illis; est autem inter duas illas negationes hæc distinctio, quòd illæ quæ primò & per se opponuntur actibus, tollantur vel quoad totum, vel quoad partem, quando actus illis oppositus ponitur: negationes verò alterius generis minimè, vt patet exemplo allato de vniuersali, licet enim vniuersale ponatur ex hypothesi in omnibus & singulis inferioribus, quæ potest habere; & omnes & singulæ prædicationes eius de suis inferioribus formentur reipsa & de facto, non propterea tamen tale vniuersale desinit esse aptum inesse multis & posse prædicari de illis, quia etiam in physicis actus non tollit potentiam, sed illam semper relinquit, nec vniuersale istud in ratione vniuersalis con-
II. stituitur formaliter per hanc negationem oppositam actui, sed per aliam oppositam ineptitudini ad inexistendum suis inferioribus & prædicandum de illis: sic etiam in præsenti difficultate, negatio quæ formaliter constituit spatium imaginarium, non est negatio repletionis, sed est negatio ineptitudinis quasi habitualis, & potentiæ logicæ ad replebilitatem, cum distantia negatiua ad recipiendum corpus si creetur à Deo: quare quantumcumque creentur spatia realia & entia, quæ de facto illa repleant, nunquam propterea destruentur, vel desinent esse, seu existere modo illo, quo suprà diximus negationes existere.

ARTICVLVS VI.

III. *Vtrum Deus sit extra mundum.*

REPETENDVM est ex dictis, nos hîc non accipere hanc particulam, *existere*, prout sonat esse in aliquo tanquam positiuo & reali loco, sed tantùm prout idem sonat ac Deum habere realem positionem suæ substantiæ absque vera & reali compræsentialitate & coexistentia ad aliquid reale.

Hoc prænotato, duæ sunt de re præsenti sententiæ. Prima simpliciter & absolutè negat, Deum esse de facto extra mundum, & etiam in illis spatiis negatiuis, quæ tribuitur sancto Bonauenturæ, Scoto, Capreolo libro primo sententiarum distinctione 37. & quampluribus discipulis & interpretibus sancti Thomæ ad hanc quæstionem.

Verumtamen melior est affirmans, quam
IV. loco nostræ propositionis ponimus. *Deus est quoad suam substantiam interminabiliter actu, & de facto extra totum hoc vniuersum, & supra omnes cælos:* ita Altisiodorensis lib. primo suæ summæ capite 15. Maior in primum sententiarum distinctione 37. quæst. 1. & plures alij, quos ibi & hâc quæstione sancti Thomæ interpretes fusè referunt; imò & ipse sanctus Thomas tertiâ parte quæstione 57. articulo quarto, vbi apertè ait corpus Christi Domini esse extra totam continentiam cælestium corporum, & ita explicat multa testimonia sacræ Scripturæ, quæ sunt de Ascensione Christi Domini, pro qua explicatione potest videri Suarez ad illam quæstionem sancti Thomæ, vbi refert Patres pro hac sententia de Christo Domino constituto, non tantùm supra omnes cælos mobiles, sed etiam supra cæ-

A lum Empyreum: vnde licet locus sancti Pauli *ad Ephesios* tertio possit admittere alium sensum, & fortassis commodiorem; inde tamen non satisfit auctoritati sancti Thomæ, & Patrum ibi relatorum, dum ita explicant locum illum, vt velint Christum Dominum esse ibi. V.

Probatur autem nostra conclusio. Primùm ex sacris Litteris, in quibus Deus dicitur *excelsior cælo, profundior inferno*, vt libro tertio Regum capite octauo, Iob vndecimo, & vigesimo secundo capitibus, (quemadmodum S. Gregorius & Hieronymus ibi explicant,) significatur, Deum esse extra totum hoc vniuersum. Item libro secundo Paralip. capite secundo & sexto, quando sic dicitur de Deo, *quem cæli cælorum capere non possunt*, cui est con-
B forme illud, quod Ecclesia canit de Deo, *quem totus non capit orbis:* quæ sententiæ sacræ Scripturæ non possunt, vt Vasquez hâc quæstione, & aliqui alij volunt, ita detorqueri, quasi sensus illarum sit, Deum non ita esse in mundo, quin etiam possit esse extra mundum; & vltra, quatenus potest de nouo creare alium mundum, & alia entia, in illisque existere de facto; nam hæc explicatio est violenta; cùm citata testimonia Scripturæ loquantur de facto, & non solùm de potentia, quemadmodum illa loquendi formula, quâ quis diceret animam alicuius infantis esse extra corpusculum, quod in tali ætate informat, quia vbi infans iste adoleuerit, anima eius poterit informare corpus illud factum maius: hæc inquam loquendi formula esset inepta & simul falsa, quatenus diceretur anima eiusmodi in- VI.
C fantis, tunc non capi eius corpore, sic etiam inepta & falsa esset illa propositio, *Deus non capitur mundo*, si esto possit esse extra illum creando aliquid, nihilominùs tamen non sit de facto & reipsa extra illum; quia esse seu existere sumptum simpliciter dicit esse actuale: at esse duntaxat in potentia est solummodo esse secundùm quid: ergo cùm prædicta testimonia sacræ Scripturæ loquantur simpliciter de facto, significant Deum actu & reipsa existere quoad suam substantiam extra totum hoc vniuersum. VII.

Deinde probatur conclusio ex Patribus, sancto Dionysio libro de *diuinis nominibus* capite nono, sancto Hilario libro primo *de Trinitate*, non longè à principio, sancto Gregorio Nazianzeno secundâ oratione de *Theologia*, sancto Hieronymo ad caput 66. Isaiæ,
D sancto Augustino libro septimo confessionum capite quinto, & aliis Patribus communiter asserentibus, Deum esse extrinsecum rebus omnibus ratione suæ immensitatis, illis infundi, circumfundi, expandi supra omnem magnitudinem: item concludere, ambire, circundare omnem & quamlibet rem: item esse intra omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum: & plura id genus similia, quæ omnia procedunt de facto. Item ex eodem sancto Augustino libro vndecimo *de ciuitate Dei* capite quinto, vbi disputans cum Platonicis, ait, esse vaniloquium dicere Deum non esse in spatiis, quæ sunt extra mundum, cui testimonio non fit satis dicendo illum, vel argumentari ex sententia Platonicorum admittentium ista spatia, vel eum dicere in fine capitis; *inanes esse hominum cogitationes, ima-* VIII.

I. ginari infinita loca. Nam ſupponit tanquam certiſſimum eiuſmodi ſpatia dari: ait enim ſe exiſtimare aduerſarios non eò eſſe progreſſuros, vt illa negent, & proinde ſupponit illorum eiuſmodi ſpatiorum exiſtentiam & ſubſtantiam Dei extra totum hoc vniuerſum exiſtere quoad ſubſtantiam: ait enim, *ita ſentire de Deo dignum eſt*, quod non adderet ſanctus Auguſtinus niſi ita crederet. Et pro hac noſtra propoſitione plures alij Patres referuntur hîc ab interpretibus ſancti Thomæ, & etiam pro ea videri poteſt Eugubinus lib. 7. de *perenni philoſophia* cap. 22.

Tandem probatur ratione: vbi attributum aliquod abſolutum eſt totum poſitum in actu ſecundo, tunc illud debet eſſe in Deo ab æterno quoad totam actualitatem in actu ſecundo conſideratam: at immenſitas eſt quoddam
II. attributum abſolutum Dei totum poſitum in actu ſecundo, quia immenſitas Dei non eſt aliquod principium agendi ad extra, hoc enim competit attributo omnipotentiæ; & prætereà tota actualitas diuinæ immenſitatis, vt reuocata ad ſuum totum exercitium, eſt ipſamet diuina ſubſtantia, vt exiſtens vbicunque non repugnat ens aliquod creatum exiſtere: ergo diuina immenſitas prout importat actualem exiſtentiam diuinæ ſubſtantiæ, debet eſſe extra mundum, cùm non repugnet Deum producere extra mundum plures mundos.

Secundò probatur eadẽ propoſitio. Quemadmodum Deus ſeſe habet ratione æternitatis ad tempus; ita & ſeſe habet ratione ſuæ immẽſitatis ad locum: & quemadmodum iſta ad-
III. uerbia temporis *antè, pòſt*, ſeſe habent ad tempus creatum; ſic etiam hæc aduerbia loci *extra, ſuprà* ſeſe habent ad ſpatium: at Deus ratione ſuæ æternitatis verè realiter & de facto exiſtit ante tempus creatum, & hæc aduerbia temporis *antè* & *pòſt* dicuntur rectè de Deo comparato quoad ſuam exiſtentiam ad noſtrum tempus: ergo Deus ſimiliter ratione ſuæ immenſitatis verè & realiter & de facto exiſtit etiam extra omnem locum & ſpatium reale; item etiam & ſuprà: ergo extra totum hoc vniuerſum.

Maior patet. Quia quemadmodum tempus noſtrum eſt aliquod ſpatium fluens, ſic & locus eſt aliquod ſpatium permanens: item ſicut æternitas & tempus ſic conferuntur, quia vtrumque eſt duratio; ſic quia actualis im-
IV. menſitas Dei & locus dicunt aliquam repletionem, rectè comparabuntur inter ſe.

Minor eiuſdem ſecundæ rationis probatur, ex ſacris Litteris paſſim, vt Prouerbiorum octauo, primæ ad *Corint.* ſecundo, & ex ipſa fide, quæ cùm docet nihil eſſe coæuum Deo, ſimul docet Deum ratione ſuæ æternitatis præceſſiſſe de facto durationem rerum omnium creatarum: ergo quemadmodum, verbi gratiâ, generatio Verbi diuini ita de facto excedit creationem vniuerſi, vt extiterit realiter ante vniuerſum conditum, & vniuerſo annihilato exiſteret ratione æternitatis; ita etiam Deus ratione ſuæ immenſitatis, ſic excedit omnem locum, vt non tantùm ſit reipſa in illo, ſed etiam extra illum, & proinde extra totum mundum exiſtit.

Probatur vltimò: non tantùm omnis vera mutatio, ſed etiam obumbratio viciſſitudi- A nis debet negari de Deo ex ſancto Iacobo capite primo ſuæ canonicæ: ſed niſi Deus ſit & exiſtat realiter & ſubſtantialiter extra mundum, aliqua mutatio vel ſaltem obumbratio viciſſitudinis erit admittẽda in illo. De viciſſitudine probatur: tunc propriè obumbratio viciſſitudinis cenſetur eſſe in aliquo ente, quando eius ſubſtantia per aliquot vices modò accedit, modò recedit, modò habet abſolutam ſuam ſubſtantialem exiſtentiam alicubi, ſumptâ hâc particulâ *alicubi* in ampliſſima ſignificatione, quâ poteſt applicari alicui parti ſpatij negatiui, iuxta doctrinam articulis præcedẽtibus explicatam, modò illam non habet; ſed poſito, quòd Deus non ſit ſubſtantialiter extra mundum, ſubſtantia Dei per aliquot vices accedit alicubi, vbi antea non erat, nimirum quando Deus creat ſpatium reale & in B illo creaturas; modò item recedet, nimirum quando Deus per annihilationem, vt poteſt, deſtruet tam ipſas omnes res, quàm omnem locum poſitiuum: ergo vt hæc viciſſitudo euitetur Deus debet eſſe ſubſtantialiter extra totum hoc vniuerſum. V. VI.

Neque reſponderi poteſt totam illam rationem viciſſitudinis eſſe ex parte termini, ſeu ſpatij realis, vel creaturæ in illo poſitæ. Nam talis viciſſitudo non dicit nudam reſultantiam coexiſtentiæ Dei ad locum, vel ad creaturas inchoatam, vel factam de nouo, vel deperditam, ſub qua ratione poteſt intelligi, mutatione ſolùm factâ in termino: ſed inſuper dicit ſubſtantiam Dei de facto & realiter exiſtentem, vel non exiſtentem, & non duntaxat carere prædictâ coexiſtentiâ, ſed nec etiam C ampliùs ibi retinere ſuam ſubſtantiam exiſtentem, quatenus conſideratur abſolutè: ergo etiam reſpectu Dei eſt ibi aliqua obumbratio viciſſitudinis. Et hoc poteſt illuſtrari ſumpto exemplo à corpore Chriſti Domini exiſtente ſub ſpeciebus conſecratis: quod dum ſpecies conſecratæ deſinunt, non tantùm deperdit ſuam coexiſtentiam ad illas, ſed etiam ſubit aliquam viciſſitudinem, quatenus non retinet ampliùs propriam ſuam entitatem exiſtentem intra illud ſpatium, quod prædictæ ſpecies conſecratæ occupant. VII.

Idem hoc argumentum alij vrgent in motu recto, quo Deus poteſt mouere hoc vniuerſum extra mundum: nam quando vnum eſt in alio, quod mouetur localiter, nec tamen eſt ibi, quò ipſum mobile tendit, tunc illud D quod eſt in alio, mouetur ſaltem per accidens, quia motis nobis, mouentur & ea, quæ ſunt in nobis: at in hac ſuppoſitione vniuerſum, in quo Deus exiſtit ſubſtantialiter, mouetur motu recto extra mundum, in quo iuxta contrariam ſententiam Deus non exiſtit ſubſtantialiter: ergo Deus tunc mouetur, & cùm motus non poſſit eſſe ſine termino, qui per illum producatur in mobili, aliquid tanquam proprius terminus huius motus, debebit produci in Deo, quod eſt abſurdum. VIII.

Neque poteſt reſponderi, hoc vniuerſum poſſe quidem moueri motu circulari, non tamen recto, ex eo quòd illud quod importatur hâc particulâ *extra mundum*, tunc deberet poſſe diuidi & penetrari, quod tamen vtrumque non poteſt aſſeri cùm ſit nihilum. Hoc, inquam, non poteſt reſponderi; nam articulo præcedenti oſtendimus eaſdem eſſe ra-

I. tiones eiusmodi oppositorum, & loquendo propriè, nox non est aliquid positiuum, & tamen potest pati suo modo aliquam diuisionem: item non repugnat Deum creare de nouo mundum aliquem extra præsentem mundum: ergo non repugnabit etiam mouere motu recto totum hoc vniuersum extra hunc mundum.

Atque ex his rationibus sic explicatis. Satis patet eandem non esse rationem omnipotentiæ diuinæ ad creandum omnia, ac diuinæ immensitatis; Deum non desinere esse omnipotentem etiamsi nihil creet; & per creationem, Deum nullomodo mutari in seipso. Nam tota ratio omnipotentiæ, sicut & ratio actiuæ potentiæ consistit formaliter & præcisè in actu primo, seu in vi, efficacia & virtute suffi-
II. cienti ad producendum aliquid ex nihilo seu ex nullo præsupposito subiecto, seu ad posse ponere res possibiles extra suas causas: at tota ratio diuinæ immensitatis consistit formaliter in actu secundo.

Deinde *esse creatorem*, est tantùm in Deo quædam denominatio extrinseca, vel quædam relatio rationis resultans ex eo quòd Deus posuerit res extra nihilum, illisque dederit esse; denominatio autem extrinseca, & relatio rationis potest alicui aduenire nullâ reali mutatione factâ in illo, vt patet in columna, quæ manens immota & immutata, tam accidentaliter, quàm substantialiter intrinsecè, potest tamen acquirere nouam extrinsecam denominationem sinistri & dextri, vel etiam relationem rationis: at Deum habere realiter positionem suæ substantiæ et-
III. iam extra mundum est denominatio quædam intrinseca fundata in aliquo intrinseco ipsi Deo, nimirum in eo, quòd Deus habeat etiam realiter & de facto suam substantiam extra mundum.

Adde quòd creatio est tantùm quædam actio transiens, quæ non est formaliter in agente, sed est tantùm in patiente, cùm hæc non sit realiter distincta à suo termino, & proinde rectè intelligimus Deum creando res, quæ erant tantùm possibiles, non mutari intrinsecè, sed solùm ex tali eius actione ei de nouo aduenire aliquam extrinsecam denominationem creatoris, & relationem rationis ad res sic per illum creatas: at immensitas Dei seu existentia, & substantialis positio & constitutio Dei extra hunc mundum est aliquid intrinsecum Deo, sicut seruatâ pro-
IV. portione in nobis esse alicubi quoad substantialem existentiam, est aliquid intrinsecum in nobis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus sit in spatiis imaginariis.

QVIA nonnulli distinguunt hæc duo, *Deum esse extra mundum*, & *Deum esse in spatiis imaginariis*, seu *negatiuis*, primum admittentes, secundum negantes, ideò vt hanc difficultatem iuxta vtrumque sensum explicemus, subiungimus præsentem articulum.

Qui sunt in ea sententia, putant se duas extremas conciliasse, nimirum eam quæ negat Deum esse extra mundum, & alteram quæ affirmat eum esse in spatiis imaginariis,
A plus dicendo quàm prima sententia, & minus quàm secunda. Quòd si quæratur ab illis quomodo Deus sit extra mundum, nec tamen sit in spatiis negatiuis, vel illis non coexistat: respondent Deum ita esse realiter extra mundum, vt tamen sit duntaxat in seipso, & Patrum auctoritates allatæ superiori articulo pro nostra sententia hoc tantùm velle, quatenus nimirum non clauditur ambitu mundi, eo planè modo quo, quod si Deus crearet nouum cælum cæteris superius, esset quidem cælum istud extra totum mundum, non tamen esset in alio; quia supra mundum nihil extaret, sed esset tantùm in seipso. V.

Verùm altera sententia quæ asserit Deum ita esse realiter quoad suam substantiam extra mundum, vt etiam aliquo sensu sit re-
B ipsa, & de facto quoad suam substantiam in illis spatiis negatiuis, nobis videtur probabilior: pro cuius explicatione sit VI.

Hæc nostra propositio. *Deus non est extra hoc vniuersum eo solo sensu, quo prior sententia affirmat, quatenus nimirum sic Deum existere extra mundum nihil est aliud, quàm Deum existere substantialiter in seipso, sed in tali propositione hæc particula* extra *debet denotare aliquid saltem negatiuum distinctum ab ipso Deo, ratione cuius Deus dicatur existere substantialiter extra hoc vniuersum.*

Hæc propositio est omnium auctorum nostræ sententiæ articulo superiori explicatæ, & à qua auctores prioris sententiæ non possunt recedere si velint loqui consentaneè ad nostram propositionem articuli præ-
C cedentis, quam dicunt se tenere. VII.

Probatur primùm: hæc particula *extra* in hac propositione, *Deus est realiter extra mundum*, est aduerbium loci, & opponitur huic particulæ *intra mundum*. Nam *extra* & *intra* sunt aliquot differentiæ spatij: ergo sicut in hac posteriori propositione significat realem aliquem locum, seu reale spatium; sic etiam in priori propositione debet significare spatium negatiuum: ergo hæc particula *extra* non potest in præsenti difficultate accipi, vt idem significet, ac Deum esse & existere in seipso.

Confirmatur & simul explicatur hæc ratio: particula hæc *extra* in præsenti difficultate ita sumitur, vt denotet aliquid in quo Deus potest creare aliquem mundum distinctum à seipso Deo realiter, & existentem reali-
D ter extra ipsummet Deum, & extra hoc vniuersum, quod iam est creatum à Deo: at VIII.
Deus non potest intelligi, nec ex consequenti dici posse creare de nouo aliquẽ mũdum realem, realiter & substantialiter existẽtem propriâ & creatâ suâ existentiâ intra seipsummet Deum: sic enim Deus esset non tantùm alicui vicissitudini, sed etiam alicui veræ mutationi obnoxius: igitur hæc particula *extra* non potest ita accipi in præsenti difficultate, vt idem significet, ac hæc particula *in ipso Deo*, sed debet significare aliquid quod non sit Deus: hoc autem non potest esse aliquis locus realis, siue reale spatium; quia extra hoc vniuersum nihil est tale: ergo debet denotare aliquod spatium negatiuum, cùm nihil aliud restet, pro quo hæc particula *extra* possit supponere in prædicta propositione.

I. Probatur secundò: hæc particula, *extra*, in præsenti propositione supponit pro eo, intra quod totus mundus potest moueri localiter motu recto: & proinde in quo aliqua distantia occupabilis à corpore datur de facto, vt illæ rationes, quibus aduersarij nobiscum probant, Deum esse extra hoc vniuersum, declarant: atqui illud intra quod iuxta nostram sententiam ab aduersariis quoad hoc approbatam, Deus potest mouere localiter etiam motu recto totum hoc vniuersum, non est Deus; quia illud importat distantiam negatiuam occupabilem à corpore, quod nullo modo potest conuenire ipsi Deo, enti simplicissimo & indiuisibili: potest autem rectè conuenire spatiis negatiuis, vt patet ex dictis suprà: ergo Deum esse extra mundum, non est idem ac Deum esse in seipso, sed esse
II. aliquo sensu in spatiis negatiuis.

Tandem exemplum illud ab aduersariis allatum de cælo, quod Deus crearet extra hoc vniuersum, facit pro nostra propositione contra ipsos: nam quando dicunt in tali hypothesi cælum istud fore in seipso, id non ita asserunt, quasi negent illud habere suam substantiam constitutam positiuè & realiter, in illo negatiuo spatio, quod correspondet toti spatio reali, quod tale cælum occuparet: nam esset ibi creatum à Deo, vt etiam illi supponunt, sed tantùm possunt intelligi velle, tunc cælum istud fore in seipsò, quatenus *in seipsò*, negat esse *in alio* tanquam loco reali, & positiuo, ad quem id quod est in illo, habet realem habitudinem realis coexistentiæ & simultatis: sicut vltima sphæ-
III. ra non dicitur à philosophis esse *in loco*, & habere coexistentiam realem ex parte vtriusque termini; cùm tamen hæc sphæra vltima non desinat habere aliquod spatium negatiuum sibi correspondens, in quo Deus potest creare aliud corpus, & reale aliquod spatium, quod circumcingat totam illam sphæram vltimam.

Secunda propositio. *Deus potest rectè dici aliquo sensu esse, seu substantialiter existere in spatiis negatiuis: attamen meliùs & veriùs loquendo, debet potius dici habere ratione suæ immensitatis aliquam simultatem & coexistentiam ad illa, eo sensu, quo suprà diximus negationem visus, & vitam in catulo ante octauum diem habere coexistentiam & simultatem.*

IV. Duæ sunt partes propositionis, quæ vt meliùs intelligantur, notandum est quãdo res aliqua dicitur esse in aliquo spatio *temporis*, vel *loci*, hanc particulam, *esse in*, posse significare tres habitudines: prima potest appellari *Mathematica*, & est *mensurati ad mensuram actiuam*, quomodo hæc particula *esse in*, denotat illud, in quo dicitur esse, mensurare aliud, seu esse actiuam mensuram eius, quomodo res caduca mensuratur tempore, & corpus extensum partibus loci sui circunscriptiui: secunda habitudo potest appellari *physica* & actuantis ad actuabile, vel mobile, quando scilicet illud quod sese habet per modum receptaculi, accipit aliquã actualitatem ab eo, quod dicitur esse in illo, quâ ratione corpora etiam particularia, quæ sunt infra supremum cælum, sunt in loco, dum enim replet latera corporis ambientis conseruant, eius-

A modi laterum distantiam & ipsâ suâ occupatione locum actuant: aliàs enim eiusmodi latera corruerent ad impediendum ne vacuum daretur, quod natura abhorret. Tertia denique habitudo potest appellari *metaphysica*, & est *concomitantiæ, simultatis* seu *coexistentiæ*, quatenus esse *in loco* seu spatio idem est ac esse *cum loco*, cum spatio: hæc autem tertia habitudo appellatur *metaphysica*, quia per operationem nostri intellectus præscindit à duabus prædictis habitudinibus. V.

Ex hoc prænotato sic explicato, prior pars nostræ propositionis probatur: illud quod habet tertiam habitudinem nunc explicatam, rectè dicitur aliquo sensu esse, & existere in eo, ad quod habet talem habitudinem, vt patet ex eo quòd Deus ratione æternitatis comparatæ ad nostrum tempus, habens dum du-
B rat, aliquam simultatem & coexistentiam cum nostro tempore, rectè dicitur esse & existere in hoc tempore, quatenus dum hoc nostrum tempus durat, & ipse Deus propriâ suâ duratione seu æternitate etiam simul & concomitanter durat: ergo similiter quia Deus ratione immensitatis ita habet suam existentiam substantialem extra totum hoc vniuersum, vt etiam simul habeat illam, vbi spatia negatiua, quæ in prædicta propositione importantur per hanc particulam *extra*, habent negatiuam suam existentiam, rectè dicetur Deus ad hunc sensum esse in istis spatiis negatiuis. Antecedens satis patet ex se. Consequentia probatur ex proportione superiùs explicata in secunda ratione propositionis articuli sexti, quæ est ratio æternitatis ad VI.
C spatium fluens, ea est immensitatis diuinæ ad spatium permanens seu ad locum realem & negatiuum. VII.

Posterior etiam pars probatur. Primò ex Patribus, vt S. Anselmo *in monologio* capite vigesimo secundo, vbi loquendo de Deo existente in loco reali per suam immensitatem, & in tempore per suam æternitatem, sic scribit: *si vsus loquendi admitteret, conuenientiùs dici videretur Deus esse cum loco, vel cum tempore, quàm in loco, vel tempore: veriùs enim significatur contineri aliquid, cùm dicitur esse in alio, quàm cùm dicitur esse cum alio:* & ex S. Bernardo libro 5. *de consideratione* capite sexto, dum sic scribit: *de Deo compertum est quia nusquam sit, quia non clauditur loco, & nusquam tamen non sit, quia non excluditur loco.*

D Ex his & similibus auctoritatibus formatur hæc ratio pro posteriori parte nostræ propositionis; substantialis existentia Dei, per immensitatem meliùs & veriùs exprimetur per particulam, *cum*, importantem simultatem & coexistentiam Dei cum loco, & spatio reali, quàm per particulam, *esse in*, importantem continentiam & circunscriptionem Dei & habitudinem mathematicam mensurati ad mensuram actiuam, quia nihil potest fingi, quod sic contineat & mensuret Deum: ergo pari iure, seruatâ proportione, Deus meliùs & veriùs dicetur existere secundùm suam substantiam cum omnibus spatiis negatiuis, quàm secundùm suam substantiam esse in illis; quia sicut Deus propriè non est in loco reali, eo quòd non continetur, vel mensuratur ab illo, sed veriùs est tantùm cum illo, quatenus simul habet suam existentiam substantialem, & VIII.

I. concomitanter ad existentiam loci & spatij realis: sic etiam substantialis existentiæ positio & constitutio substantiæ Dei meliùs, & veriùs dicetur esse simul cum ipsa negatione repugnantiæ replebilitatis existente suo modo superiùs exposito, quàm esse in illa seu in spatiis negatiuis.

Quæres: cùm suprà distinxerimus plures modos existendi; quonam Deus *sit in*, vel vt loquamur meliùs cum illis spatiis negatiuis.

Respondetur esse in illis, seu cum illis *substantialiter* per suam immensitatem, quâ se solo illa quodammodo replet, habétque suam substantialem existentiam cum habitudine ad negationem repugnantiæ replebilitatis cum distantia negatiua occupabili à corpore, vt simul suo modo existentem. Et primò quòd

II. Deus ibi, & cum istis sit per immensitatem, patet ex dictis suprà: item & ex eo quod superiùs docuimus, scilicet immensitatem facere in Deo, quod ipsum vbi facit in nobis, modo ibi explicato: ergo immensitas debet constituere Deum substantialiter existentem in eiusmodi spatiis, seu veriùs cum illis.

Deinde quòd Deus se solo illa quodammodo repleat, patet ex Patribus suprà relatis, qui dicunt Deum extra cœlum esse expansum, esse superexpansum ipsis cœlis, & dum vtuntur aliis similibus formulis loquendi, quæ important aliquem modum repletionis; ista autem repletio debet concipi ad eum modum, quo res spiritales sunt in loco, nimirum quatenus Deus est totus in quolibet minimo illius spatij negatiui apprehenso à nobis per modum partis, est etiam

III. totus in toto illo spatio, habétque existentiam suam substantialem cum prædicta habitudine ad eiusmodi spatia, vt suo modo etiam tunc simul existentia: non est autem Deus hoc sensu repletiuè in illis, quòd repleat illa corporibus, vel entibus à se creatis; in illis enim nihil de facto producit vel conseruat, & iuxta modum illum, quo Deus est in aliquo per potentiam, non est in eiusmodi spatiis per potentiam, vt ad actum secundum reductam, sed tantùm vt hæc potentia consideratur in actu primo, seu quatenus Deus potest, quando voluerit, ibi creare & producere aliquid.

ARTICVLVS VIII.

IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.*

FVNDAMENTA aduersariorum sententiæ sunt in duplici differentia, alia à Patribus, alia à ratione: prioris generis ea sunt quòd Patres, vt sanctus Augustinus in Psalmum centesimum vigesimum secundum, sanctus Bernardus libro quinto de *consideratione*, capite sexto, & ante illos Tertullianus libro contra *praxeam*, capite quinto, dicant Deum ante mundum conditum fuisse tantùm in seipso, fuisse sibi locum & mundum, & aliqui eorum addunt stultum esse quærere, vbi Deus erat ante constitutionem mundi.

Respondetur istas auctoritates Patrum tantùm procedere de existentia Dei tanquam in loco, seu in aliqua re positiua, in qua sit tan-

A quam contentum in continente reali, eo modo, quo nos sumus in loco, & ei coexistimus, vt patet ex ipsa auctoritate Tertulliani ibi relata: nam vbi dixit ante mundum conditum Deum fuisse sibi mundum & locum, statim subiungit hæc verba, *solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum*, quâ additione declarat se vsurpare hunc terminum *esse in loco*, prout significat habitudinem ad realem locum, & tunc ante creationem mundi, Deum fuisse duntaxat in seipso. V.

Ex rationibus, quas auctores contrariæ sententiæ afferunt contra nostram propositionem, prima est huiusmodi, ex eo quòd res possibiles, tam propriè sint negationes aliquæ, quàm spatia negatiua, vt patet ex dictis articulo præcedenti: at Deus quoad suam substantiam non est in rebus merè pos-

B sibilibus, sicut nec in chimæra, monte aureo, & aliis id genus pluribus. VI.

Respondetur possibilitatem rerum, seu res ipsas merè possibiles, tam propriè importare negationem, quàm spatia negatiua, considerando eiusmodi negationes, item spatia & possibilitatem quoad suam rationem genericam: attamen considerando & comparando ista inter se, respondetur negationes eiusmodi esse omninò distinctas, & alterius quasi speciei, prout considerantur secundùm rationes suas formales, quasi specificas, vt articulo præcedenti docuimus, sicut & formæ, quibus opponuntur, sunt formaliter à se inuicem distinctæ: nam negatio, quæ est in rebus possibilibus est repugnantiæ ad existendum extra suas causas per aliquem actum diuinæ potentiæ: & sic re-

C spicit existentiam Dei in rebus per aliquam operationem transeuntem: quare cùm Deus non sit tali modo in aliqua re nisi illam producendo, conseruando, vel aliquid operando circa illam vel in illa: Deus autem nihil horum quidquam faciat in ipsis rebus merè possibilibus, non potest dici Deus existere in ipsis rebus merè possibilibus, vel etiam in præteritis aut futuris secundùm suam substantiam: at econtrà, quia negatio illa, quam spatia negatiua important formaliter, est negatio repugnantiæ replebilitatis cum negatiua distantia occupabili per aliquod corpus: & talis non repugnantia dicit logicam aptitudinem, vt aliquod ens reale sit secundùm suam substantiam realiter in illo: Deus au- VII.

D tem ratione suæ immensitatis est reipsa in omni eo, quod naturâ suâ est tale, vt ei non repugnet repleri aliquo corpore vel ente, fit, vt Deus sit substantialiter in eiusmodi spatiis, licet non sic existat in rebus merè possibilibus. VIII.

Addimus tamen, Deum posse dici existere substantialiter, dum res sunt adhuc in mera sua possibilitate: posse item dici existere ibi de facto, & substantialiter, vbi potest ad actum reducere possibilitatem illarum, hoc enim tantùm respicit spatium reale vel negatiuum, nihílque est aliud, quàm substantiam Dei esse præsentissimam ibi, vbi nihil quidem est reale distinctum à Deo, sed est merum quoddam inane, quod Deus potest replere aliis entibus, & existere hoc modo, non est loquendo

I. propriè esse in aliquo ente rationis : cuiusmodi est chimæra, in qua etiam Deus non est ob eandem rationem , seruatâ proportione, ob quam diximus illum non existere substantialiter in rebus merè possibilibus.

Secunda, datò quòd Deus sit substantialiter in eiusmodi spatiis , debet habere aliquam habitudinem necessariam ad illa, quia habet coexistentiam cum illis ; præterea debet necessariò substantialiter illis inexistere, quia talis præsentia conuenit ei ratione suæ substantiæ, non autem vi & efficaciâ alicuius operationis ab illo exercitæ, quæ autem sic Deo conueniunt, ei necessariò conueniunt : at absurdum est dicere Deum habere aliquam necessariam habitudinem ad aliquid sibi extrinsecum, item necessariò esse extra se cuiusmodi sunt ista omnia spatia.

Respondetur, hæc duo, repugnat Deum
II. habere aliquam necessariam habitudinem ad aliquid sibi extrinsecum; item repugnat Deum esse, seu existere necessariò extra se, solùm intelligi de reali habitudine ad aliquid reale extrinsecum ipsi Deo, & de Deo, vt inexistente in re aliqua positiua, seu propriè intelligi de ipsa eius coexistentia ad alia entia realia; non autem ista duo intelligi de aliqua habitudine tantùm rationis consequente aliquod prædicatum Dei, vt patet in ipsa omnipotentia & scientia Dei, quæ habent necessariò tales habitudines rationis, ad res possibiles, & exemplo æternitatis Dei: eo enim ipso, quo Deus solus est propriè æternus, habet coexistentiam & habitudinem rationis ad negationem, quæ importatur per tempus imaginarium, similiter immensitas Dei ad negationes,
III. quæ importantur nomine spatij negatiui.

Tandem probant ex eo quòd repugnet Deum esse in ente rationis, & item quòd esse in alio dicat relationem præsentiæ ad aliud verè & realiter existens, & ex aliis similibus.

Respondetur ad id quod de ente rationis affertur, solutionem patere ex dictis suprà: ad id verò quod additur de esse in alio, respondetur esse seu existere in alio vt hic sumitur in ampla significatione pro esse in eo quod habet aptitudinem logicam replebilitatis, non importare relationem præsentiæ ad aliud existens realiter, sed solummodo coexistentiam & simultatem substantialis existentiæ Dei, cum negatione importata per negatiuum spatium , sicut viuens & non videns in catulo ante octauum diem non dicit talem re-
IV. lationem realis præsentiæ, vt suprà explicatum est.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ita Deo conueniat esse vbique, vt repugnet illud communicari alicui creaturæ.

NOTANDVM est, posse duobus modis intelligi conuenire alicui, esse *vbique :* primò quatenus est tale : ita vt vi suæ naturæ nullum requirat terminum loci positiui , sed factâ quacunque suppositione nunquam possit limitari quoad illum : secundò esse *vbique* locorum realium potest alicui conuenire ex aliqua suppositione : verbi gratiâ, ex hypothesi quòd Deus vnicum duntaxat locum,

A eúmque paruum conseruet, reliqua verò omnia annihilet. V.

Secundò notandum est, ipsum esse vbique locorum realium, quod conuenit Deo , seu immensitatem, quâ Deus est in locis realibus posse considerari duobus modis : primò secundùm se quatenus scilicet Deus est per illam in omnibus rebus & locis; deinde secundùm *modum*, quo nimirum Deus est totus in toto & totus in qualibet parte, ita tamen vt istis locis non definiatur. His itaque præmissis sit nostra

Prima propositio. *Esse vbique locorum iuxta primum modum ita conuenit Deo , vt repugnet communicari alteri :* sic S. Thomas hîc art. 4. in corpore, & reliqui Theologi.

Probatur primò, ex Patribus probantibus ex hac vbiquitate Spiritum sanctum, vel aliam ex diuinis personis esse Deum, vel asserenti-
B bus soli Deo competere esse hoc modo vbi- VI.
que; sic S. Ambrosius lib. 1. de *Spiritu sancto,* capite 7. S. Hieronymus in illud Psalmi 138. *quo ibo à spiritu tuo :* item ex S. Damasceno libro *de orthodoxa fide*, capite 17. sancto Anselmo in *prosologio* , capite 13. & aliis Patribus.

Probatur etiam prior pars huius propositionis ex dictis suprà : nam agenti tam immediatione suppositi, quàm virtutis simul in omnia, & singula entia realia competit esse vbique locorum , vt suprà ostendimus : at Deus agit vtrâque hâc immediatione simul, tam conseruando res omnes creatas , quàm producendo illas : ergo ipsi Deo competit esse vbique locorum.

Probatur etiam posterior pars eiusdem pro-
C positionis: ei omni, quod ex conditione pro- VII.
priæ suæ naturæ habet aliquem terminum suæ magnitudinis, tam virtutis seu perfectionis, quàm molis, repugnat conuenire illi ex conditione propriæ suæ naturæ existere in omnibus spatiis realibus & rebus creatis, quia primum affirmat limitationem, quam secundum negat, & affirmatio & negatio non possunt simul & semel dici de eodem, iuxta eandem considerationem : atqui vt ostendunt philosophi ex professo in physicis, quælibet creatura habet ex propria conditione suæ naturæ aliquem terminum suæ magnitudinis secundùm molem, si sit res corporea viuens, aut ex re animata viuente saltem procreata : si autem non sit viuens nec procreata ex re viuente, licet ex absoluta potentia Dei pos-
D sit in immensum augeri, non tamen id postu- VIII.
lat ex præcisa conditione suæ naturæ, quia id nunquam de facto contingit; & omnes philosophi negant naturam frustrari suo naturali appetitu saltem in aliquo indiuiduo : deinde res omnis creata ex conditione suæ naturæ postulat virtutem limitatam, quia est entitatis limitatæ & modus tam existendi, quàm agendi sequitur modum essendi: ergo cuilibet enti creato repugnat , vt ex conditione solius suæ naturæ conueniat ei esse vbique in omnibus rebus & locis realibus.

Confirmatur : esse vbique ad modum Dei est, non tantùm esse substantialiter in omnibus rebus & locis, sed est esse totum in toto, & totum in qualibet re, & quolibet spatio reali, & habere ex propria sua conditione, vt creatura nullibi de nouo possit creari, in

I. qua ei non conueniat existere de facto, vt patet ex dictis: at id repugnat cōditioni naturali cuiuscumq; entis creati, quia hoc importat infinitatem in natura, quæ naturaliter esse non potest in re creata: igitur esse vbique ad modum Dei, repugnat communicari enti creato.

Atque ex his patet primùm, quod etiamsi aliquod corpus vndequaque infinitum daretur, illud adhuc non fore vbique ad illum modum, quo Deus est vbique: quia vbique esset duntaxat secundùm partes, quatenus vna eius pars esset in vno loco, & alia in alio, non autem totum in toto, & totum in qualibet parte, vt rectè S.Th. obseruat hîc art. 4. in respons. ad 4.

Deinde patet, quod etiamsi Deus possit creare aliquem Angelū ita perfectum, vt ex vi suæ perfectionis postulet totum hoc vniuersum pro suo loco, in quo sit totus in toto, & totus in qualibet parte: hunc tamen Angelū adhuc non
II. fore vbique, eo modo quo illud Deo competit; quia natura Angeli vel cuiuscumque alterius possibilis non postularet ex se esse seu existere in omnibus mundis possibilibus, vel in spatiis negatiuis, sicut diximus illud competere Deo, cùm talis Angelus semper ratione suæ entitatis, esset creatura, quæ proinde postulet certos limites, cui correspondeat localis positio seu existentia substantialis in loco vero vel negatiuo, & sic esset terminabiliter, Deus autem est interminabiliter.

Quæres, an infinitas, quæ est in istis spatiis negatiuis, sit *categorematica,* an tantùm *syncategorematica.*

Respondetur, solutionem huius dubij pendere ab illa difficultate, quam philosophi ex professo disputant in physicis de *infinito*, an
III. Deus possit facere infinitum actu secundùm spatium reale; nam cùm negationes debeant explicari per formas, quarum sunt negationes, tótq; modis vnum oppositorum dicatur, quot dicitur alterum, & forma positiua, quæ negatur per spatia negatiua, sit realis replebilitas, cum reali distantia realiter occupabili per aliquod corpus, vel aliqua id genus entia realia creata, fit, vt vnicuiq; sit respondendum præsenti dubio conformiter ad id, quod censet de infinito actu secundùm reale spatium ponendo per Deum: qui in physicis censet tale infinitum *categorematicum* posse per diuinam potentiam dari, is consentaneè ad hanc suam opinionem debet admittere hæc spatia negatiua esse, iam de facto iuxta suum modum existendi infinita *categorematicè*, quia omne &
IV. quodcumque actuale etiam quando nondum est, seu existit, semper præsupponit aptitudinem logicam sibi proportionatam & correspondentem: econtrà qui negat tale spatium reale infinitum *categorematicè* dari posse de facto per absolutam Dei potentiam, & asserit esse duntaxat possibile secundùm infinitatem syncategorematicam, respondebit, & hæc spatia esse tantùm infinita *syncategorematicè*; nec propterea immensitatem Dei desinere totam consistere in actu secundo; sicut scientia Dei est in actu secundo etiam respectu omnium quorumlibet possibilium, licet res illæ possibiles non sint tot, quin adhuc aliquæ aliæ semper restent possibiles in infinitum, vt explicabitur infrà agendo de infinitate diuinæ scientiæ: & ea omnia argumēta, quæ fiunt siue contra partem affirmantem siue contra negantem
A prædictæ illius controuersiæ philosophicæ de V.
infinito, possunt eadem omninò factâ solùm mutatione nominis hîc etiā fieri, seruatâ proportione: quare sicut discussio prædicti infiniti est planè philosophica; sic & argumenta quæ pro vel contra infinitatem huius spatij negatiui possunt formari, & solutiones eorum debent repeti ex his, quæ philosophi tradunt in physicis de infinito, & adaptari sententiæ de spatiis negatiuis, vel infirmari, prout quilibet senserit de isto reali infinito.

Secunda propositio. *Esse vbique & in omnibus rebus ex aliqua præsuppositione iuxta secundum modum primi notabilis, potest communicari creaturæ: imò & ei conuenire ex conditione suæ naturæ:* sic S. Thomas citato art. 4.

Probatur: non repugnat Deum ponere aliquod corpus, totum in toto, & totum in qua-
B libet parte huius vniuersi, quod est finitum, si- VI.
cut ponit totum corpus Christi Domini sub tota specie consecrata, & totum sub qualibet eius parte: nam vt pluries reproducit illud idem numero, sícq; ponit illud idem numero sub infinitis, vt ita loquar, speciebus, quæ simul & eodem tempore consecrantur quotidie vel asseruantur in Ecclesia: sic etiam potest illud eodem modo ponere in omnibus rebus & locis, quia non est maior repugnantia, siue ex parte Dei, siue ex parte corporis Christi D. ad reproductiones huiusmodi veluti infinitas, quàm ad quatuor quinque vel mille: igitur poterit per absolutam suam potentiam ponere totū corpus in singulis eius partibus, & multò magis si destruat totum hoc vniuersum conseruato solùm vnico loco, quem aliqua crea-
C tura tanquam debitum suæ quātitati postulat. VII.

AD QVÆSTIONEM IX.

DISPVTATIO VNICA.

De immutabilitate Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit omninò immutabilis.

NOTANDVM est, nomen *mutationis*, sumi duobus modis: primò propriè pro *accessu*, vel *recessu alicuius formæ*, siue accidentalis, siue substantialis, subiecto remanen- VIII.
D te eodem sub vtraque parte contradictionis; quomodo sumitur apud philosophos in physicis: secundò impropriè, quatenus etiam significat *transitum à non esse simpliciter, ad esse simpliciter*, secundùm quem res, quæ creatur habet se omninò aliter, quàm anteà: prior mutatio dicitur à nonnullis mutatio ex parte *subiecti*: posterior appellatur mutatio ex parte *termini*. Hoc prænotato, sit

Prima propositio. *Deus est omnimodè immutabilis, quoad suum esse substantiale, seu eâ immutabilitate, quæ dicitur esse ex parte termini:* propositio est de fide 1. ad *Timoth. 6. Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem*, & 1. capite eiusdem epistolæ, *regi sæculorum immortali*, seu vt habet tam Græca, quàm Syriaca versio *incorruptibili:*

I. est enim, vt S. Bernard. ait serm.81. in Can-
tica, *omnis mutatio quædam mortis imitatio*, &
de hac immortalitate Dei quoad substantiam,
S. Chrysost. homiliâ 4. in priorem ad *Timoth.*
explicat posteriorem locum Apostoli: & hæc
immutabilitas dicitur à S. Thoma hîc artic.2.
esse tam ab *extrinseco*, quàm ab *intrinseco*.

Probatur etiam conclusio ratione: in tan-
tum aliquid est mutabile quoad substantiam,
in quantum vel habet in seipso aliquod prin-
cipium suæ corruptionis, vt videre est in re-
bus physicis, quæ componuntur ex materia
& forma, vel in quantum subiicitur alicui ex-
terno agenti, à quo potest pati aliquid; sed
Deus nullum habet in seipso principium suæ
corruptionis, quia vt superiùs probatum est,
est expers omnis passiuæ potentiæ, nec etiam
subiicitur vlli externo agenti, quia est primum
II. ens, & omninò independens: deinde quod ha-
bet absolutam necessitatem essendi, illud idem
est immutabile quoad suam substantiam: atqui
Deus habet absolutam necessitatem essendi,
est enim ens necessarium, vt intelligitur ex
dictis: ergo Deus est secundùm suum esse sub-
stantiale immutabilis.

Neque contra hanc vltimam rationem po-
test obiici illam videri nullam, ex eo, quòd
necessitas & immutabilitas sint vnum & idem:
hoc, inquam, non potest obiici: nam in ente
necessario ipsa necessitas quatenus formaliter
talis respicit ipsum *esse* entis, immutabilitas
verò ipsum eius *fieri*, illud dicitur ens necessa-
rium, cui repugnat non existere, illud autem
ens dicitur immutabile, cui repugnat fieri, vel
desinere existere: vnde sicut *esse* distinguitur
III. ab ipso *fieri*, sic etiam immutabilitas ab ipsa ne-
cessitate essendi, & sic hæc ratio rectè procedit.

Secunda propositio. *Deus est absolutè & sim-
pliciter omnimodè immutabilis, tam secundùm
quamlibet formam accidentalem, quàm substan-
tialem eius substantiæ aduenientem.* est etiam hæc
propositio de fide; ea enim omnia Scripturæ
testimonia, Conciliorum & Patrum in præce-
dentibus allata, quæ probant Deum esse pu-
rissimum actum, expertem omnis compositio-
nis: item & rationes omnes, quibus hæc omnia
fuêre probata superiùs, probant etiam hanc
propositionem.

Obiicies 1. illud propriè mutatur quod tran-
sit à non esse ad esse, sed Filius & Spiritus san-
ctus dum producuntur *ad intra* in diuinis,
transeunt à non esse ad esse: ergo mutantur:
ergo Deus non est immutabilis.

IV. Respondetur negando minorem, quia illud
tantùm propriè transit à non esse ad esse, quod
producitur ex nihilo sui, & quod habet ter-
minum ex quo transeat: at personæ illæ diui-
næ, quamuis habeant principium à quo ema-
nent, non tamen transeunt de non esse ad esse:
nec habent terminũ ex quo transeant, & quem
veluti abiiciant, cùm non potuerint non esse:
& id dicatur tantùm transire de non esse ad
esse, quod quantum est ex se, potuit non esse;
quod de istis personis diuinis dici non potest,
quæ licet essentialiter petant esse ab alio pro-
ductiuè, sunt tamen formaliter necessariò, &
in ipsa actiua potẽtia principij sui producentis
sibi determinant formaliter esse necessarium.

Obiicies 2. id cui aliquid aduenit de nouo,
per hunc aduentum mutatur: atqui aduenit
Deo in tempore quòd sit creator, quòd sit Do-
A minus per creationem: ergo mutatur. V.

Respondetur maiorem esse veram, si illud
quod aduenit sit aliquid reale, non autem si sit
tantùm quædam relatio rationis, vel denomi-
natio extrinseca: qualis est ratio creatoris &
domini, quemadmodum ostendemus ad qu.13.

Obiicies 3. quando Verbum diuinum natu-
ræ humanæ hypostaticè vnitum est, facta est
mutatio in Deo: ergo Deus est mutabilis.

Respondetur, quòd Verbum diuinum assu-
mendo humanitatem, sese habuit tantùm ter-
minatiuè, quatenus scilicet terminauit naturã
humanam, vt Theologi explicant 3. parte, non
autem sese habuit ad illam passiuè recipien-
do aliquid in seipso: & tunc tantùm est vera
mutatio, quando subiectum recipit aliquid,
quod anteà non habebat, vt intelligitur ex illa
definitione Aristotelica motus lib.3. *physicorum*
B cap.2. motus *est actus entis in potentia*, &c. cuius VI.
vltimam particulam *in potentia*, omnes inter-
pretes Aristot. explicant de potentia passiua:
at ex vtraque nostra propositione & funda-
mentis eius, constat nullam esse potentiam
in Verbo. Quòd item mutatio localis non ca-
dat in Deum, patet ex dictis præced. quæst.

Quæres, an immutabilitas Dei sit aliquid for-
maliter positiuum, an negatiuum duntaxat.

Respondetur esse negatiuum *nomine tenus*,
& modo tantùm nostro explicandi: *formaliter*
tamen consideratum esse aliquid positiuum &
reale; patet ex dictis ad qu.3. de conditionibus
requisitis ad propriè dictum attributum, è
quarum numero hæc est, vt sit aliquid posi-
tiuum conueniens diuinæ essentiæ per modũ
adiacentis: at immutabilitas in Deo, est attri-
C butum propriè dictum supponens diuinam es- VII.
sentiam, vt constitutam quoad prædicata sua
essentialia, & ex consequenti ei conueniens
per modum adiacentis; dum enim intelligitur
esse substantia spiritalis viuens vitâ intelle-
ctuali, quæ sunt prædicata eius essentialia,
nondum intelligitur esse immutabilis.

Deinde, vt in rebus mutationi alicui obno-
xiis illarum mutabilitas est aliquid positiuum,
verbi gratiâ, in creaturis immortalibus ab in-
trinseco, summa earum subiectio ad Deum,
seu passiua obediẽtialis potentia respectu Dei
supremi Domini, & in aliis rebus ab intrinseco
corruptibilibus ipsa illarum principia, quibus
constant: sic etiam immutabilitas essentiæ di-
uinæ est aliquid reale, quo est *positiuè* expers,
tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco omnis
& cuiuscunque mutationis. Neque enim est
D potior ratio, cur immortalitas ab intrinseco VIII.
Angelis & nostris animabus conueniens, sit in
eis aliquod positiuum, similiter & illorum mu-
tabilitas ab extrinseco, quàm hæc vtraque im-
mutabilitas in essentia Dei; cũ tale positiuum
nihil dicat imperfectionis, ratione cuius de-
beat remoueri à Deo: quid autem sit illud,
speciali aliquo nomine positiuo, non possũ-
mus explicare, sed fundamentum eius & radi-
cem dicimus esse plenitudinem illam essendi,
quam habet diuina essentia.

Hanc autem Dei immutabilitatem expli-
camus per tres negationes, quæ conse-
quuntur ad illam: prima est negatio *deper-
ditionis* alicuius rei: secunda est negatio *ac-
quisitionis* alicuius rei: tertia est negatio *sub-
iectionis* sub aliquo alio; & hinc attributum
hoc probatur esse in Deo, ex ipsa infinitate

I. essendi : item ex summa actualitate & purita-
te actus excludentis omnem & quamlibet po-
tentialitatem, & etiam ex summa necessitate
essendi, quæ de facto reperitur in Deo.

ARTICVLVS II.

Vtrum esse immutabile sit ipsi Deo proprium.

PArs affirmans est de fide 1. ad *Timoth. 6.*
Apostolus ait, Deum solum habere immor-
talitatem, quia vt suprà exposuimus, Deus
est omninò immutabilis, tam ab extrinseco,
quàm ab intrinseco : omnes verò creaturæ
sunt mutabiles, vel ab intrinseco, quia in sei-
psis habent physicum principium suæ corru-
II. ptionis efficiendæ per physicam potentiam
agentis naturalis, cuiusmodi sunt res materia-
les, compositæ ex quatuor elementis, vel sunt
saltem ab extrinseco, quatenus licet ex natu-
ra sua sint incorruptibiles, nihilominus ta-
men possunt corrumpi & destrui ab aliquo
agente externo, seu vt hoc loco S. Thomas
loquitur per potentiam, quæ sit in alio; quo-
modo res omnes creatæ etiam maximè spiri-
tales dicuntur esse mutabiles & corruptibiles,
iuxta quem loquendi modum Angeli dicun-
tur esse immortales *per gratiam* in VI. Syno-
do actione 11. quatenus per creationem, quæ
est aliquod donum gratuitum Dei sunt conse-
quuti immortalitatem, & per sui annihilatio-
nem à Deo possunt eam deperdere.

Addidi in explicatione mutabilitatis ab in-
trinseco particulam hanc, *per physicam & na-
turalem potentiam*, vt eam melius distingue-
III. remus ab alia mutabilitate; licet enim subie-
ctio illa, quâ creaturæ omnes etiam purè in-
tellectuales pendent ab ipso nutu diuino, &
ratione cuius sunt mutabiles per sui annihila-
tionem, sit aliquid intrinsecum illis, vt Theo-
logi philosophantur de potentia obedientiali
creaturarum respectu Dei; attamen illa non
est physica seu naturalis, id est, quæ per acti-
uam potentiam alicuius agentis ordinis natu-
ralis possit reduci ad actum; quo tamen modo
mutabilitas rerum corruptibilium ab intrin-
seco potest reduci ad actum.

AD QVÆSTIONEM X.

IV. DISPVTATIO VNICA.

De æternitate Dei.

QVIA duratio supra existentiam
rei addit permanentiam, & illa,
vt docent philosophi in physicis
agendo de tempore, & patebit
ex dicendis, sequitur conditio-
nem rei cuius est duratio : ideò S. Thomas
post immutabilitatem Dei explicat eius æter-
nitatem : imò secundùm ordinem rationis,
qui reperitur inter attributa Dei, immutabi-
litas sic est prior æternitate, vt hæc definiatur
per istam aliquando à Patribus, tanquam per
propriam suam radicem & fundamentum :
sícque hoc prius attributum, est ratio ponen-
di hoc posterius in Deo, vt significatur isto
A versiculo Psalmistæ Psalmo 101. *tu autem idem* V.
ipse es, (quâ particulâ immutabilitas Dei ex-
primitur) dum posteà subiungitur, *& anni tui
non deficient* : quâ æternitas Dei explicatur, vt
fundata in eius immutabilitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum æternitas sit formaliter duratio.

NOTANDVM est, primò nomen hoc
æternitas sumi duobus modis : primò
propriè pro ea duratione, quæ in ratione du-
rationis caret fine & principio, non tantùm
actu & de facto, sed etiam secundùm quamli-
bet potentiam : sic Danielis 7. capite sumitur,
dum ita habetur, *potestas eius, potestas æterna:* VI.
B nam S. Hieronymus ibi ex hac particula col-
ligit sermonem esse de rege, qui sit verus
Deus; sic etiam sumitur in symbolo S. Athan.
& passim alibi, tam in sacris literis, quàm apud
Patres, quando est sermo de duratione Dei.
Sumitur secundò impropriè pro ea omni du-
ratione, quæ habet aliquam similitudinem
cum propria æternitate, in eo quod est care-
re termino, quamuis reipsa aliquem habeat
terminum, v.g. principium, vt est beatitudo
Sanctorum, quæ passim vocatur *vita æterna*,
vel habet vtrumque terminum; sed duratio
est valde longa, vt Genes. 17. cap. *Dabo tibi
terram, in qua habitas in possessionem æternam.*
vel quamuis res eiusmodi careat principio &
fine, est talis conditionis, vt possit accipere fi-
nem & principium, quomodo Angelus si esset
ab æterno creatus, diceretur esse æternus : in VII.
C hac autem quæstione nomen hoc *æternitas* su-
mitur in propria sua significatione.

Notandum est secundò tribus modis pos-
se disputari de æternitate sic sumpta : primò
secundùm se, id est, considerando illam quoad
illa, quæ ex propria sua formali ratione ha-
bet, abstrahendo à subiecto in quo est : dein-
de considerando illam, vt est *in Deo*, tanquam
in proprio veluti subiecto : tertiò comparan-
do illam cum *aliis durationibus* rerum aliarum;
de hac æternitate iuxta primam consideratio-
nem S. Thomas disputat 1. articulo præsentis
quæstionis; de illa autem iuxta secundam con-
siderationem 3. artic. reliquis verò articulis
de illa eadem iuxta tertiam considerationem,
quam tamen non expendemus, quia philo-
sophi in physicis agendo de tempore illam ex-
plicant, & quæ possunt explicationi eius pro-
D ut illa distinguitur ab æuo deseruire, com- VIII.
modiùs traduntur agendo de Angelis: & quia
in definitione æternitatis genus eius debet
primùm exquiri, videndum est, an illud sit
duratio, seu an æternitas in suo conceptu
formali & in recto dicat durationem, an verò
aliquid aliud, quod tamen connotet duratio-
nem : quod vt intelligatur,

Præmittendum est, duplicem distingui du-
rationem, vnam *internam*, alteram *exter-
nam*; ea dicitur *interna*, quâ seclusâ omni ope-
ratione intellectus, & quâuis aliâ re, res exi-
stens intelligitur durare : ea verò est *externa*,
quæ est aliquid distinctum ab ipsa re durante,
ex cuius cognitione metimur durationem rei
existentis, cuiusmodi est motus primi mobi-
lis, comparatione rerum corruptibilium : sic
enim philosophi distinguunt duplex tempus :

I. vnum *internum*, quod consistit in permanentia rei corruptibilis in suo existere, & est distinctum virtualiter, seu ratione ratiocinatâ ab ipsa existentia rei: alterum verò tempus *extrinsecum* consistens in circulatione primi mobilis; hoc loco agitur tantùm de duratione interna.

Quod igitur spectat ad difficultatem propositam.

Prima sententia est negans Aureoli apud Capreolum libro 1. sentent. distinct. 9. vult enim æternitatem formaliter esse ipsam vim rei, quæ est æterna, ad attingendum omne tempus imaginabile.

Ad hanc sententiam accedunt aliqui, dum volunt durationem ita esse realiter idem cum existentia rei, vt tamen connotet aliquam successionem veram aut negatiuam, seu imaginariam, cui talis res coexistat.

II. Melior tamen est aliorum sententia, pro cuius explicatione

Sit hæc nostra prima propositio. *Æternitas secundùm suam formalem rationem considerata intrinsecè, & in recto, est duratio:* ita Capreolus loco superiùs citato. Durandus secundo sentent. distinctione 2. quæstione tertiâ, & plures alij, videtúrque esse expressa sententia sancti Thomæ hâc quæstione articulo secundo.

Probatur primùm ex sacris literis, quæ passim loquentes de Deo, vt æterno, dicunt illum viuere in æternum, permanere in æternum; annos eius non deficere, & vtuntur id genus aliis loquendi formulis, quibus ipsa æternitas propriè explicatur, tanquam quædam duratio vera & propriè dicta.

III. Probatur: deinde argumento petito ex citatis auctoritatibus sancti Thomæ: æternitas eodem modo sese habet ad rem æternam, quomodo tempus internum sese habet ad rem temporalem: at tempus internum sese habet ad rem temporalem, vt eius duratio, & tale tempus est intrinsecè & formaliter duratio: ergo & æternitas sese habebit ad rem æternam, vt eius duratio; sícque æternitas erit formaliter & intrinsecè duratio.

Hinc facilè intelligitur quonam modo sacræ Scripturæ, Patres, item & sanctus Thomas hîc articulo primo contrà ponant æternitatem tempori, nimirum in ratione sua specifica, & non in generica, id est, in ratione successionis, seu difformitatis in sua

IV. existentia, & permanentia sui esse, non autem in præcisa ratione durationis, quæ vt sic, est generica æternitati, & tempori.

Secunda propositio. *Æternitas in re æterna est propriè, & formaliter aliquid absolutum, & non respectiuum.*

Probatur: æternitas secundùm formalem suum conceptum talis est, qualis est in Deo: tum quia sacræ Scripturæ passim dicunt, Deum esse æternum; tum quia æternitas est perfectio sine aliqua imperfectione; est enim permanentia rei in eadem simplici vniformitate suæ existentiæ; & proinde debet esse in illo: tum denique quia æternitas sumpta præcisè in nullo alio potest esse, quàm in Deo, vt patebit infrà: at æternitas in Deo est propriè aliquid absolutum, & non respectiuum; quia

A attributa, quæ ita consequuntur essentiam Dei, quatenus præcisè est essentia existens, & non quatenus habet rationem alicuius potentiæ, sunt simpliciter absoluta, nec connotant in suo formali conceptu aliquid extrinsecum, vt patet inductione: at æternitas est attributum consequens diuinam essentiam, quatenus præcisè est existens, dicit enim præcisè permanentiam in tali suo esse, nec habet aliquam rationem potentiæ. V.

Tum etiam quia non ideò Deus est æternus, quoniam simpliciter coexistit alicui, sed quia habet permanentiam vniformitatis in suo existere, quod quidem existere Dei loquendo simpliciter est aliquid absolutum, & non respectiuum: ergo æternitas præcisè sumpta est propriè & formaliter aliquid absolutum in ea re, quæ dicitur æterna.

B VI.

ARTICVLVS II.

Fundamentum sententiæ Aureoli soluitur, & proponuntur consectaria quædam.

FVNDAMENTVM contrariæ sententiæ est, quòd omnis duratio considerata formaliter, importat successionem secundùm prius & posterius: atqui æternitas non importat formaliter hanc successionem; ergo, &c. probat maiorem, quia vna duratio non potest esse maior alterâ, nisi habeat esse prius, quàm altera incipiat, vel posterius quàm altera desinat; sed hoc est importare formaliter successionem secundùm prius & posterius.

Confirmatur: duratio rei permanentis concipitur tanquam quædam mora, & extensio

C existentiæ rei: ergo quemadmodum extensio permanens, verbi gratiâ, in linea non potest concipi nisi per modum diuisibilis in partes permanentes, ita etiam extensio non permanens non poterit concipi nisi per modum diuisibilis in partes non permanentes, & ex consequenti habentes successionem secundùm *prius & posterius*, quæ successio non habet locum in æternitate. VII.

Respondetur ad argumentum primum negando simpliciter maiorem, quia duratio prout abstrahit à suis speciebus nihil est aliud, quàm permanentia rei in suo existere, seu quædam extensio existentiæ eius, quod dicitur durare: in quo præciso conceptu, nulla importatur successio secundùm prius & posterius, & duratio vbi concipitur cum successio-

D ne, non concipitur ampliùs vt abstracta à suis speciebus, sed vt ad certam aliquam speciem contracta. VIII.

Ad minorem eius, & simul ad confirmationem maioris respondetur, posse duobus modis intelligi aliquam durationem in specie importare successionem secundùm prius & posterius, & vnam esse alterâ maiorem: primò propriè & formaliter, quatenus duratio seu permanentia & extensio rei in suo existere habet actu, & de facto partes distinctas, quibus correspondeat distinctis partibus spatij successiui, seu temporis veri vel negatiui: qualis reperitur in rebus inferioribus, quæ à philosophis propriè dicuntur durare tempore: secundò potest duratio intelligi importare hanc successionem secundùm prius & posterius virtute tantùm, quatenus perma-

I. nentia & extensio existentiæ rei, quæ dicitur durare, non habet actu partes, sed duntaxat est talis naturæ, vt in eo quod est correspondere durationi successiuæ veræ, vel imaginariæ possit præstare totum id, quod actu & de facto præstat illa duratio, quæ habet actu partes distinctas in ordine ad durationem successiuam: iam vt vna duratio comparetur alteri, & vna dicatur maior alterâ, non est necesse vt quæ dicitur maior aliâ, habeat formalem successionem nunc explicatam, sed sufficit, quòd habeat virtualem: quemadmodum vt anima, quæ informat totum corpus humanum dicatur esse maior solo capite humano, aut aliquâ aliâ parte corporis, non est necesse eam habere aliquas partes distinctas à se inuicem, quibus excedat totum caput, aut aliam partem corporis, sed satis est
II. quòd sit tantæ virtutis, vt existens tota in capite, non desinat esse de facto in aliis partibus humani corporis, in quibus ipsum caput hominis non est. Pari modo, vt æternitas comparata ad tempus, vel ad aliam durationem dicatur esse maior illâ, non requiritur vt propriè habeat in seipsa aliquas partes priores & posteriores quoad successionem, sed sufficit, vt sit maior virtute istâ, vel aliâ duratione, quatenus permanens, vna & indiuisibilis in seipsa coexistit isti durationi & aliis omnibus. Et hanc solutionem sanctus Augustinus insinuat lib. vndecimo *confessionum* capite vndecimo, ex qua nullomodo sequitur, formalem dari successionem in æternitate; sed ad summum nos tantùm deuenire in cognitionem tantæ, & tam perfectæ duratio-
III. nis, per ordinem & comparationem ad tempus, quod habet veram & formalem successionem secundùm prius & posterius, quam tamen non tunc affirmamus reperiri in æternitate: sicut nec affirmamus simplicia esse formaliter composita, dum ea cognoscimus ex compositis, vt etiam intelligitur ex sancto Thoma hîc articulo 1. in corp. & in solut. ad primum.

Ad confirmationem: respondetur antecedens eius esse verum de mora & extensione, quæ habeat virtualem tantùm extensionem, quæ vt patet ex dictis, potest intelligi, imò & dari sine formali successione.

Neque ex his sequitur, nos incidere in illam sententiam recentiorum, quam diximus accedere ad sententiam Aureoli. Nam aliud est loquendo propriè, aliquid connotare in-
IV. trinsecè & secundùm se per ordinem ad aliud; & aliud est, illud ob imperfectum nostrum modum cognoscendi, cognosci à nobis per ordinem ad aliud: posterius non infert prius, vt patet ex nunc dictis de rebus simplicibus, ideóque fatemur æternitatem in Deo esse, & eius durationem non dicere aliquid, quod formaliter connotet ordinem ad aliud, sed esse attributum absolutum, quod benè explicari & intelligi potest à nobis per ordinem ad tempus, vel per ordinem ad alias durationes.

Atque ex his facilè intelligitur quomodo vna & eadem duratio, re quidem & actu indiuisibilis, carens formali extensione, ha-

A bens tamen virtualem extensionem secundùm prius & posterius, possit coexistere duabus durationibus sibi succedentibus: item intelligitur quomodo duæ propositiones, vna affirmans, altera negans de eodem subiecto sint simul veræ, verbi gratiâ, *Antichristus est; Antichristus non est*. Nimirum quantum spectat ad primum, dicendo æternitatem secundùm se consideratam esse totam simul, non tamen coexistere simul omnibus & singulis partibus temporis, sed successiuè, prout partes succedunt, ita vt talis successio sese teneat tantùm ex parte temporis, & non ex parte ipsius æternitatis: quod facilè potest intelligi exemplo puncti in baculo existentis ad ripam fluminis, quod ita est totum simul, vt tamen non coexistat simul omnibus partibus aquæ fluentis iuxta illud, sed tantùm successiuè prout aliæ par- V.
B tes istius aquæ succedunt aliis: an autem res creatæ sint præsentes in æternitate Dei secundùm suum esse reale disputabitur infrà, ad quæst. 14. VI.

Similiter patet ex dictis, prædictas illas propositiones, quæ alioquin apparent contradictoriæ, non esse propriè contradictorias, licet enim sit affirmatio & negatio de eodem subiecto, non tamen, vt consideratur eodem modo, quod omnes dialectici docent requiri ad veram contradictionem. Nam in istis propositionibus verbum *est*, consignificat aut connotat distinctas differentias nostri temporis: quia intelligimus æternitatem per ordinem ad nostrum tempus & sacræ Scripturæ, vt se accommodent nostro captui, sic passim de ea loquuntur dum dicunt, Deum fuisse, esse, & futurum esse; quemadmodum Apocal. 1. cap.
C dicitur de Christo Domino, *qui est, qui erat, qui venturus est*, ad Hebr. 13. cap. *Christus heri & hodie ipse, & in sæcula*: vnde cùm istæ propositiones de quibus loquimur non referantur ad idem momentum nostri temporis, sed ad distinctum, verbi gratiâ, hæc *Antichristus non est*, ad præsens tempus; ista *Antichristus est* ad futurum, quo Antichristus actu existit, fit, vt istæ propositiones non sint propriè loquendo contradictoriæ. VII.

Deinde dici potest easdem propositiones etiam respectu æternitatis, non esse simul veras & contradictorias: quia non respiciunt illam consideratam sub eodem modo: nam licet æternitas sit tota simul, habet tamen extensionem virtualem, vt explicatum est suprà, ratione cuius potest diuidi à nobis in plures
D conceptus inadæquatos, tanquam in partes correspondentes pluribus partibus temporis veri vel imaginarij: ita vt secundùm illam, quâ correspondet præsenti tempori, verum sit dicere, *Antichristus nondum est*, & secundùm aliam quæ correspondet futuro tempori, in quo Antichristus habet existentiam, dicatur verè, *Antichristus est*: vt autem eiusmodi propositiones essent contradictoriæ, deberent non tantùm referri ad *nunc æternitatis*, quod est idem realiter & de facto indiuisibile, sed deberent etiam referri ad *nunc æternitatis*, quod sit omninò idem virtualiter, seu quod non sit virtute multiplex, quod tamen hîc non habet locum. VIII.

I.

Articvlvs III.

Quomodo æternitas sit interminabilis.

EX præcedentibus articulis, habemus æternitatem esse formaliter durationem ex parte sui generis: habemus etiam aliquid propriæ eius differentiæ, quâ distinguatur à tempore, quatenus ibi exposuimus, quâ ratione sit *tota simul:* quare, cùm hæc differentia æternitatis compleatur per interminabilitatem principij & finis, tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco, quæritur quidnam hæc interminabilitas dicat; an aliquid purè negatiuum vel positiuum. Scotus quodlibeto 6. existimat hoc nomine *interminabilis* hîc significari duntaxat negationem principij & finis.

II. Melior tamen est aliorum sententia, cum qua concludimus, ***intelligi aliquid reale existens formaliter & intrinsecè in re durante: quod potest rectè à nobis appellari*** infinitas duratiua, ***seu infinitas in genere durationis, quæ tamen iuxta nostrum modum intelligendi explicatur per eiusmodi terminum*** interminabilis.

Hæc propositio probatur quoad singulas partes: quoad primam sic, eadem est ratio interminabilitatis in æternitate ac ipsius carentiæ termini, in quacumque quantitate siue propria siue modali, siue etiam perfectionis: atqui carentia termini in quantitate propriè dicta, exempli gratiâ, in linea infinita, importat tantam latitudinem extensionis, vt excludat terminum, quæ latitudo est in illa aliquid reale: ergo pari iure interminabilitas seu carentia vtriusque termini in æternitate importabit
III. aliquid positiuum, scilicet tantam latitudinem extensionis virtualis, vt excludat omnem & quemlibet terminum, tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco.

Maior patet: duratio, vt dialectici docent, est quædam species quantitatis: ergo cùm æternitas sit vera duratio, debet habere aliquam cum illa conuenientiam maximè in eo, quod nullam dicit imperfectionem, cuiusmodi est hoc positiuum, quod importatur per carentiam termini.

Secunda item pars probatur: vnumquodque attributum diuinum est infinitum in suo genere: & quemadmodum vnum attributum Dei est distinctum ab alio attributo Dei: ita etiam habet infinitatem sibi propriam distinctam ab alia infinitate propria alterius attri-
IV. buti: sed æternitas Dei, est quoddam speciale attributum Dei distinctum virtualiter ab aliis: ergo & æternitas habet propriam suam infinitatem: ergo cùm æternitas sit formaliter duratio, erit propriè infinitas duratiua seu in genere durationis.

Vltima denique pars probatur ex S. Thoma hîc artic. 1. in solutione ad 1. quia, inquit, intellectus noster non potest deuenire in cognitionem simplicium, nisi per remotionem compositionis: & æternitas est aliquid valdè simplex; ideò totum illud, quod est in illa positiuum, solemus explicare per negationem.

Obiicies: eodem modo interminabilitas sese habet in æternitate propriè dicta ex parte vtriusque termini, ac interminabilitas sese habet in æuo Angeli ex parte finis, quia An-
A gelus ex natura sua est æternus à *parte post:* V.
atqui hæc interminabilitas in æuo Angeli est mera tantùm quædam negatio termini, & non aliquid positiuũ: quia si per hypothesim Deus annihilaret Angelum, quem anteà creauit; tunc eius creatio nihil reale minus haberet, quàm nunc habet quando est permansurus in æternum; sed negatio termini ex parte finis solùm ei tunc deficeret ex parte finis, quam nunc habet: ergo & in æternitate propria interminabilitas est tantùm mera quædam negatio termini.

Respondetur ad maiorem, duo distingui posse in æuo Angeli, sicut & in æternitate: primum est ipsum eius esse in duratione, quatenus consideratur carens formali successione & habens suum esse totum simul: alterum est ipsa carentia termini ex parte finis: quoad
B primum, conuenit cum Deo, quatenus habet VI.
totum suum esse simul, & quatenus caret formali successione: si tamen duratio æui spectetur quoad secundum, negatur maior propositio, quia quoad hoc dispar est ratio æternitatis ab æuo in Angelo: hoc enim ita habet ab intrinseco, carere finali termino, vt tamen id habeat ex conseruatione Dei sibi extrinseca, quatenus Deus per simplicem substractionem sui concursus, quo conseruat Angelum, potest facere, vt eius duratio habeat finem: at verò æternitas habet ex sua præcisa ratione carere principio & fine, tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco, & ideo fit, vt vi suâ propriâ excludendo hunc vtrumque terminum, hoc vtroque modo debeat habere aliquid reale, ratione cuius interminabilitas eius sit alterius conditionis ab interminabili-
C tate, quæ est in æuo Angeli. VII.

Articvlvs IV.

Vtrum æternitas in sua formali ratione includat rationem mensuræ esse diuini, seu includat aliquid rationis.

QVIA diximus æternitatem esse formaliter durationem, & S. Thomas illam præcenti quæst. comparat cum nostro tempore, difficultas nascitur: an quemadmodum in tempore iuxta Aristotelem lib. 4. physicorum cap. 14. duo distinguimus, primum est *ipsa duratiò motus fluentis*, & habet hoc totum citra mentis operationem, quia nemine cogitante
D motus primi mobilis durat, habétque partes
priores & posteriores: alterum est ipse *numerus motus secundùm prius & posterius*, quo distinguimus partes priores & posteriores motus primi mobilis, vt ex eius duratione dimetiamur durationes mutationum, quæ fiunt in his inferioribus, verbi gratiâ diem, mensem, annum, & id genus, & motus habet hoc secundum ab operatione intellectus, & hominum arbitrio, & tempus ratione huius dicitur, pendere ab anima, seu aliquo modo compleri per animam ex Aristotele, & eius interpretibus suprà: quia nimirum non habet partes secundùm propriam rationem discretæ quantitatis actu inter se diuisas, nisi ab intellectu, qui eas separat, & iis quasi separatis vtitur ad mensurandum aliquid earum durationum, quæ sunt in his rebus inferioribus iuxta illud Genes. 1. *fiant luminaria in firmamento*

I. *cœli, & diuidant diem ac noctem, vt sint in signa,* A
nimirum durationis, *& tempora, in dies & annos.*

Quæritur, inquam, an simili ratione possumus distinguere duo in æternitate Dei. Primum est ipsa eius duratio, quæ dicitur ætas Dei, & est in eo independenter à quocumque intellectu creato, vt patet ex dictis. Alterum est aliqua ratio mensuræ, siue in ordine ad essentiam diuinam, siue in ordine ad aliquas creaturas: sicque cùm esse mensuram alicuius in ratione durationis pendeat ab operatione intellectus, vt nunc est explicatum, quæritur, an æternitas Dei compleatur per illud rationis, vel per aliquid aliud etiam rationis: an verò tota essentialis eius ratio contineatur solis eius conditionibus hactenus explicatis; nimirum virtuali eius extensione totâ simul vniformiter & interminabiliter exi-
II. stente. Vt autem explicatio huius difficultatis sit facilior,

Notandum primò est, ex Aristotele lib. 1. metaph. capite secundo, mensuram nihil esse aliud, quàm *id quo tanquam medio vtimur ad cognoscendum quantitatem alicuius rei:* sic vlna, quâ cognoscimus quantitatem panni vocatur *mensura*; cùm autem sit multiplex quantitas, alia extensionis seu molis, alia multitudinis, alia perfectionis, alia denique durationis; quia scilicet nomine quantitatis id omne intelligitur, quod habet modum quantitatis, fit, vt sit mensura quantitatis multiplex: sic quod est primum in vnoquoque genere dicitur mensura cæterorum quoad quantitatem perfectionis, quia perfectio inferiorum attenditur penes perfectionem supremi, & per comparationem ad illam; sic
III. mensura quantitatis quoad multitudinem, est ipse numerus: quoad durationem, alia quædam duratio, verbi gratiâ, tempus est mensura rerum corruptibilium; quia ex Aristotele suprà, mensura debet esse *congenia*, id est, eiusdem rationis cum mensurato, exempli gratiâ, vera quantitas molis debet mensurare veram quantitatem; sic perfectio quantitatem perfectionis, & vera duratio quantitatem durationis.

Notandum est secundò, quantitatem, prout est mensura, esse duplicem: vnam *internam* rei, quæ mensurátur, cuiusmodi est illa quantitas secundùm formalem extensionem, quæ est interna panno, illúmque extendit; aliam esse *externam*, cuiusmodi est vlna, respectu
IV. panni, & sic in aliis quãtitatibus, seruatâ proportione, iam prior illa quantitas, non habet rationem mensuræ loquendo propriè, rei, cui inest, quia vt animaduertimus ex Aristotele mensura debet esse id quo cognoscimus quantitatem rei: item debet esse notior eo, quod mensurat; at non cognoscimus vnum & idem per seipsum, nec vnum & idem est notius seipso eodem: igitur loquendo propriè ratio mensuræ, non competit quantitati internæ, sed tantùm externæ; ex quo tandem sequitur mensuram debere distingui realiter à re cuius est mensura; quemadmodum philosophi colligunt ex cap. 15. lib. 5. metaph. His præmissis,

Prima sententia affirmat æternitatem esse mensuram diuini esse: & proinde illam compleri per aliquid rationis iuxta explicationem paulò antè traditam. Quæ sententia est Ferrariensis lib. 1. contra *Gentes*, cap. 15. & multorum discipulorum S. Thomæ hâc quæstione. V.

Secunda sententia negat æternitatem compleri per rationem mensuræ, affirmat tamen illam compleri per aliquod ens rationis dependens ab actuali cognitione intellectus; nimirum per negationem mensurabilitatis, per quamcumque aliam durationem; non enim, inquiunt, aliter concipimus æternitatem esse *interminabilem*, quod est de eius definitione, nisi ex eo quod apprehendimus illam non posse mensurari quacumque alia duratione. His tamen non obstantibus, sit

Prima propositio. *Æternitas in sua præcisa & formali ratione, non includit aliquid ens rationis:* ita Durandus 1. sentent. distinct. 19. quæst. 2. Ochamus 2. sent. quæst. 13. & plures ex recentioribus, vt Suares in metaph. disp. 50. sect. 4.

B Probatur: omnis perfectio simpliciter simplex & absoluta est in Deo independenter ab intellectu creato; nec proinde includit aliquod ens rationis: sed æternitas, vt patet ex dictis, est perfectio simpliciter simplex & absoluta: ergo & independens ab intellectu, nec proinde includit aliquid rationis. VI.

Maior patet, quia esse simpliciter absolutum, & dependere ab intellectu sunt aliquo modo opposita: vnum enim negat omnimodam dependentiam, quam alterum importat, & quod simpliciter dependet ab intellectu, non potest sine illo esse: hoc autem affirmare de aliquo absoluto attributo Dei comparatione factâ ad intellectum creatum valde absurdum est. Minor etiam patet ex dictis suprà.

Probatur secundò: definitio æternitatis hoc
C loco relata per S. Thomam ex Boëtio continet totam essentiam illius: quia hìc cum sancto Thoma omnes Theologi illam probant: at in nulla eius parte aliquod ens rationis includitur: tres enim tantùm habet partes, nimirum quòd sit *duratio*, quòd sit *tota simul*, & quòd *careat principio & fine:* at hæ tres singulæ partes sunt in Deo aliquid formaliter reale, etiam seclusâ omni operatione intellectus, vt patet ex præcedentib. artic. Tandem esse æternum conuenit formaliter Deo, seclusâ omni operatione intellectus. VII.

Atque rationes istæ probant nostram conclusionem, tam de negationibus principij finis & mensurabilitatis, quàm de ente rationis: nam ipsa negatio est alia species entis rationis latissimè sumpti, vt docent philosophi
D quando diuidunt ens rationis in suas species. VIII.

Secunda propositio. *Æternitas non est propriè loquendo mensura diuini esse, vel cuiuscumque alterius rei.*

Probatur primùm ex præcedenti propositione, ipsum esse mensuram rei alicuius secundùm durationem, importat aliquid rationis, vt suprà obseruauimus: atqui æternitas præcisè sumpta nihil includit rationis ex præcedenti propositione.

Probatur secundò, quoad primam sui partem: mensura ex dictis suprà, debet esse realiter distincta à re mensuratâ; item debet esse aliquid notius re mensuratâ: sed æternitas Dei non distinguitur realiter ab esse diuino, & est æquè nobis ignota, ac ipsamet substantia Dei: deinde quantitas seu duratio interna non potest actiuè mensurare substantiam, cui

I. formaliter ineſt, ſed ad ſummum poteſt eam A reddere menſurabilem: atqui æternitas Dei eſt interna quantitas durationis ſubſtantiæ Dei, vt intelligitur ex dictis ſuprà.

Probatur etiam eadem propoſitio quoad poſteriorem partem: menſura debet eſſe congenia rei menſuratæ ex Ariſtotele ſuperiùs relato: atqui æternitas non eſt congenia internæ durationi rerum creatarum, vt per ſe patet: deinde æternitas Dei, non eſt nobis notior ipsâ internâ duratione rerum creatarum. Neque item Deus vel nos vtimur æternitate Dei ad menſurandum durationes rerum creatarum: quod enim aliquando dicimus, durationem Angeli eſſe æternam à parte poſt, non eſt quòd vtamur æternitate tanquam menſurâ durationis Angelicæ, quaſi per iſtam reddamur certiores de illa: ſed hâc loquendi for-
II. mulâ tantùm ſignificamus durationem An- B
geli tunc coexiſtere æternitati: ita tamen, vt habeat principium & careat fine, quod non eſt, tam rem menſurare, quàm concipere coexiſtentias rerum, ſcilicet durationem Angeli futuram à parte poſt, tantam, quanta futura eſt duratio Dei.

Vltima propoſitio. *Æternitas Dei eſt menſura perfectionis omnium aliarum durationum.*

Probatur ex dictis: illud, quod eſt primum ſecundùm perfectionem in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum quoad menſuram perfectionis, quatenus inferiora in tantum cognoſcuntur eſſe perfectiora, in quantum aſſimilantur iſti primo: atqui æternitas eſt perfectiſſima omnium durationum, vt patet ex hactenus dictis de illa, & reliquæ durationes
III. cognoſcuntur eſſe perfectiores, quò magis aſ-
ſimilantur ei, vt patet comparatione factâ illarum ad æternitatem: ergo. C

Articvlvs V.

Soluuntur fundamenta primæ ſententiæ, & ſatisfit dubio.

Primvm Ferrarienſis & quamplurimorum è ſchola S. Th. pro 1. ſent. fundamentum eſt, quòd S. Thom. art. 1. hîc comparet rationem æternitatis cum ratione temporis, & dicat æternitatem ita conſiſtere in apprehenſione vniformitatis eius quod eſt omninò extra motum, ſicut ratio temporis conſiſtit in numeratione prioris & poſterioris; ſed hæc ratio temporis eſt quædam menſura; & præterea completur per aliquid rationis, iuxta Ariſtotelem vt monuimus; ergo æternitas eſt quædam
IV. menſura diuini eſſe, & præterea completur D
per aliquid rationis.

Reſpondetur duplicem poſſe diſtingui apprehenſionem vniformitatis: vnam, quam poſſumus vocare *formalẽ*, quæ tenet ſe ex parte noſtri intellectus, nihílque eſt aliud, quàm ipſa actio intellectus apprehendentis durationem habentem ſeſe eodem planè modo: alteram, quam cum Caietano hîc ad primum artic. S. Thomæ vocamus *obiectiuam*, nihílque eſt aliud, quàm ipſamet duratio Dei, vt ſemper vniformis, ſeu ſeſe habens ſemper eodem modo: prior dicit aliquem reſpectum reſultantem ex tali apprehenſione: poſterior verò minimè, ſed eſt ſecundùm ſe totam realis. Iam S. Thom. hîc iuxta Caietan. loquitur tantũ de hac obiectiua vniformitate: vnde iux-
ta illum, tunc æternitas nihil includit rationis. V.

Poſſet etiam dici ad minorem, iuxta hanc diſtinctionem duplicem dari ſucceſſionem motus ſecundùm prius & poſterius; vnam *obiectiuam*, quæ ſe tenet ex parte rei ſucceſſiuæ & conſtituit tempus internum: alteram *formalem*, quæ conſtituit tempus externum; S. Thom. hîc tantùm opponere vniformitatem obiectiuam æternitatis ſucceſſioni obiectiuæ motus ſecundùm prius & poſterius, nec opponere æternitatem externo tempori, ſed tantùm interno, quòd non pendet à noſtro intellectu, vt ſuprà oſtendimus.

Quòd ſi quis vrgeat, S. Thom. lib. 1. ſent. diſtinct. 19. qu. 2. art. 1. formare hanc eandem oppoſitionem æternitatis ad tẽpus, eámq; explicare de tẽpore externo, tunc dicemus eum ibi videri propendere in primã illam ſenten-
tiam, quam tamen non iudicamus veriorem. VI.

Secundum fundamentum eſt, quòd Patres ſæpè vocant æternitatem, menſuram durationis Dei.

Reſpondetur æternitatẽ tantùm impropriè dici menſuram diuini eſſe, nimirum quatenus tam latè patet, quàm ipſa duratio diuini eſſe.

Deinde reſpondetur, hoc nomen *æternitas* ſumi 2. modis: primò propriè vt ſuprà, deinde pro quadam duratione imaginaria, quæ concipitur extrinſecè coexiſtere veræ æternitati ad modum rei fluentis, & hanc aliquando vocari à Patribus *menſuram Dei*, impropriè tamen, vt iam præmonuimus: ſic apud S. Greg. Nazianz. orat. 42. vt Nicetas eius interpres ibi obſeruat: ſic apud S. Damaſ. lib. 2. *de fide* cap. 1.

Tertium eſt: illud dicitur eſſe de ratione
formali æternitatis, per quod illa formaliter VII.
diſtinguitur à tempore, ſed ex S. Thoma ſuprà æternitas diſtinguitur à tempore per illud rationis nunc explicatum, quódque eſt oppoſitum tempori: ergo æternitas in ſuo conceptu formali includit aliquid rationis.

Reſpondetur ad minorem, æternitatem propriè diſtingui à tempore, quòd ſit tota ſimul & ſemper vniformis: hoc verò ſit ſucceſſiuè, & habeat partes priores & poſteriores.

Quæres, cùm dixerimus internam quantitatem potiùs reddere rem cui ineſt menſurabilem, quàm illam menſuret, & prætereà diximus æternitatem eſſe internam quantitatem durationis ſubſtantiæ Dei & exiſtentiæ Dei: quæres, inquam, an poſſimus dicere, vel æternitatem, vel ipſam ſubſtantiam Dei eſſe menſurabilem.

Reſpondetur negatiuè, & eſt ſententia ſan- VIII.
cti Thomæ hâc qu. art. 4. vbi ait æternitatem, nec ſecundùm ſe totam, nec ſecundùm aliquas partes eſſe menſurabilem, quia infinitum non eſt menſurabile, nec item illud, quod caret principio & fine: at hoc vtrumque reperitur, tam in ſubſtãtia & exiſtentia Dei, quàm in ipſa eius æternitate: attamen loquendo impropriè æternitas poteſt dici menſurari, quatenus per applicationem infiniti temporis imaginarij ſeu negatiui ad illam, duratiua infinitas, in qua æternitas Dei conſiſtit, poteſt vtcũq; cognoſci.

Addo has particulas *impropriè & vtcũq;* quia tunc magis cognoſcitur coexiſtentia æternitatis ad tale tẽpus, quàm ipſa duratio æternitatis, cùm hæc habeat vniformitatem, & ſit ſemper tota ſimul, quod tamen prædictum tempus imaginarium non facit nos agnoſcere.

I. ## ARTICVLVS VI.

Proponuntur quædam corollaria.

PRIMVM est, hanc esse legitimam definitionem descriptiuam æternitatis: *æternitas est duratio interminabilis tota simul & perfecta vitæ possessio*, cuius singulæ partes manent explicatæ ex dictis; vt quòd sit *duratio*, quòd sit *tota simul*, quòd sit *interminabilis*, tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco: dicitur autem *vitæ*, quia per illam tam ipsa Dei operatio, quàm existentia intelligitur: nam esse & viuere, sunt vnum & idem in Deo, & ipsum Dei viuere, est operatio eius: dicitur *possessio* ad exprimendum firmitatem & stabilitatem
II. æternitatis in sua vniformitate, quod enim possidemus, tenemus firmiter. Tandem hæc particula additur *perfecta*, vt significetur carentiam successionis, quam æternitas requirit, non debere tantùm attendi penes ipsam existentiam rei, sed etiam penes quamlibet eius perfectionem: vnde vt aliqua res sit & dicatur propriè æterna, debet, tam in suis operationibus & perfectionibus, quàm in seipsa, & in sua existentia nullam admittere mutationem & successionem.

Secundum corollarium est, æternitatem in Deo esse attributum quoddam propriè dictum, omnésque conditiones in vero attributo requisitas in illa reperiri. Et primò quòd illa sit aliquid *reale* & *positiuum*, patet ex dictis artic. 1. vbi ostendimus, illam esse veram & realem durationem: & ex dictis artic. 3. vbi ostendimus interminabilitatem propriam æ-
III. ternitatis esse positiuam, & ex dictis artic. 4. vbi ostendimus illam in suo formali conceptu nihil includere, quod sit aliquod ens tantùm rationis.

Deinde quòd æternitas dicat specialem aliquam perfectionem distinctam ab omnibus aliis, patet ex ibidem dictis, importat enim durationem infinitam seu infinitatem duntaxat duratiuam, vt præcisè consideratur, & sicut existere est quædam perfectio; sic & durare seu permanere in illo suo existere est aliqua perfectio etiam absoluta: sicut & ipsum existere, cuius æternitas est permanentia.

Et hanc esse distinctam ab aliis, ostendimus, ex eo quòd singula attributa Dei sint infinita in suo genere, & quòd duratio seu permanentia in suo esse, & existere, sit aliquid omninò
IV. distinctum ab immutabilitate, penes id, quod formale positiuum constitutiuum huius excludat præcisè accessum & recessum alicuius formæ, & quamlibet mutabilitatem secundùm esse à Deo, & duratiua infinitas, quæ constituit formaliter æternitatem, excludat à Deo quemcumq; terminum durationis secundùm quamcumque potentiam, tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco, & ab immensitate quòd hæc præcisè spectata sit quædam infinitas duntaxat per respectum ad quodcumque spatium.

Denique quòd æternitas supponat essentiam diuinam iam constitutam, eique adueniat per modum alicuius adiacentis, patet ex eo quod diximus, eam fundari in ipsa immutabilitate Dei, & ad præcedentem quæ-
A stionem, ostendimus immutabilitatem supponere diuinam essentiam, vt constitutam: V.
ergo & à fortiori æternitas, quæ fundatur in illa supponit essentiam diuinam, vt constitutam, eíque aduenit per modum cuiusdam adiacentis; & sic omnes conditiones in vero & propriè dicto attributo requisitæ in illa reperientur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus sit æternus, & an esse æternum sit illi proprium.

PARS affirmans huius vtriusque difficultatis propositæ est de fide: prior quidem ex capite Deuter. 32. vbi Deus ita ait: *viuo*
B *ego in æternum*, Psalmo 9. *Dominus permanet* VI.
in æternum, ex Symbolo S. Athanasij, *æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus*. ex Concil. Lateran. sub Innocentio III. & refertur cap. *firmiter* de summa Trinitate.

Pars item affirmans posterioris difficultatis est etiam de fide: ex Apostolo primæ ad *Timoth. 6.* vbi ait, *solum Deum habere immortalitatem.*

Vtraque pars probatur ex definitione æternitatis: illud propriè est æternum, cuius duratio ita est perfecta, & tota simul vitæ possessio, vt neque actu, neque potentiá, neque ab extrinseco, neque ab intrinseco, neque in toto, neque in partibus habeat aliquem terminum, sed est semper vniformis: at Deus est talis: imò solus ipse est talis, vt patet ex dictis suprà de immensitate Dei.

C Hinc quando Patres aliqui, vt S. August. VII.
lib. 83. quæstionum quæstione 13. dicunt Deum esse auctorem suæ æternitatis, sensus eorum non est, quòd Deus fecerit illam positiuè in seipso, vel fecerit seipsum, hoc enim implicat; cùm nihil possit facere seipsum, & Dei æternitas sit ipsemet Deus: sed debet accipi negatiuè, quatenus æternitas ita est à Deo, vt tamen à nullo alio sit; sicut quando Deus dicitur esse *à se*, & non *ab alio*, non significamus Deum emanare vel fieri à seipso, sed tantùm volumus negare simpliciter & absolutè illum esse ab aliquo alio ente.

Secundò sequitur, quòd quando sacræ literæ tribuunt æternitatem durationi creaturarum, illas tunc tantùm accipere nomen *æternitatis* impropriè, vt obseruauimus art. 1. huius quæstionis.

D Tertiò sequitur, quòd licet, vt multi volunt, VIII.
quod hîc non disputamus quia est alterius loci, non repugnet aliquam creaturam esse ab æterno & durare in æternum; sícque habere æternitatem ex vtraque parte interminabilem, repugnat tamen dari aliquam creaturam, quæ ex naturali sua conditione postulet æternitatem: huius repugnantiæ ratio est, quòd implicet creaturam, non esse creaturam, non subiici Deo, ab eo non dependere, tam in suo esse quàm conseruari, & talem habere immutabilitatem, qualem Deus habet, tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco: hæc autem omnia essent necessariò admittenda, si ens aliquod creatum ex naturali sua conditione postularet talem æternitatem.

Primò non esset creatura ex nihilo sui, nec posset reduci in nihilum à Deo: nam æternitas

I. Dei talem dicit permanentiam, quæ importet A
negationem cuiuſcúmque limitis in duratione etiam ab extrinſeco. Non etiam ſubiiceretur Deo, nec ab eo dependeret; quia ratione talis ſuæ æternitatis haberet ſtabilitatem, & vniformitatem, tam in ſua operatione, ac in ſubſtantia ſua; quemadmodum Deus habet: & proinde ſicut hæc vtraque ſtabilitas & firmitas Dei fundatur in ipſa ſua omnimoda independentia, & etiam immutabilitate; ſic etiam oporteret talem creaturam eſſe pari modo independentem & immutabilem; imò eſſe ens ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, nec ei conueniret intrinſecè ratio entis merè poſſibilis; ſed ad minus neceſſitaret Deum ad ponendum illud extra ſuas cauſas, quatenus eſſentia talis entis priùs naturâ, quàm acciperet à Deo ſuum eſſe reale per creationem,
II. exigeret naturaliter & ex neceſſitate ſuæ naturæ creationem ſuam & poſitâ ſui creatione B
conſeruationem æternam, quæ omnia repugnant cuilibet enti creato quantumlibet perfecto, prout illud conſideratur ſecundùm naturalem exigentiam ſuæ conditionis.

Neque his obſtat, quòd æternitas à parte poſt ſit in Angelo, ſecundùm exigentiam naturalem ſuæ conditionis; vt patet in dæmonibus in quibus naturalia remanſerunt integra, & in animabus damnatorum, quæ ex naturali ſua conditione, durabunt in æternum. Hoc, inquam, non obſtat: nam primò hæc æternitas à parte poſt conuenit duntaxat Angelo ab intrinſeco, & hæc naturalis exigentia illius, non eximit eum à ſubiectione Dei, nec facit, vt Deus non poſſit illum redigere in nihilum, vt ſuprà obſeruauimus: quod tamen æterni-
III. tas ab extrinſeco ei ſuperaddita faceret. C

Deinde hæc æternitas præſupponit in Angelo aliquod beneficium ei à Deo conceſſum liberaliter & gratuitò; non autem repugnat poſito vno dono gratuito in aliqua creatura, alterum fieri ei connaturale & eſſe ei debitum iuxta aliquam exigentiam ſuæ conditionis, quatenus hoc donum poſterius habet connexionem, quaſi naturalem cum priori, ſicut ex hypotheſi, quòd Deus det alicui lumen gloriæ, viſio beatifica eſt ei connaturalis: at ſi æternitas etiam à parte ante conueniret alicui creaturæ ſecundùm naturalem exigentiam ſuæ conditionis, nullum præſupponeret in tali creatura beneficium à Deo collatum ei gratuitò, quia tam ipſa eius creatio etiam ab æterno, & duratio ſeu eius permanentia in D
IV. ſuo exiſtere, eſſet ei naturaliter debita: & cùm nulla res loquendo propriè accipiat ſuam poſſibilitatem à Deo, ſed habeat illam ex eo, quòd principia intrinſeca illius conſtitutiua nullam habeant repugnantiam, quin poſſint coniungi inter ſe, talis res etiam creata nihil haberet in ſe ex aliqua liberali & gratuita conceſſione Dei, quod eſt abſurdum, & repugnans etiam libertati diuinæ in agendo *ad extra*.

Hinc Patres diſputando contra Arrianos, rectè probabant Filium in diuinis ſeu verbum eſſe Deum, & non creaturam etiam omnium poſſibilium excellentiſſimam, ex eo quòd verbum erat ab æterno, non ſecundùm qualemcumque æternitatem, ſed ſecundùm illam, quæ ex vi propriæ ſuæ conditionis naturaliter ab eo exigeretur, quomodo æternitas poteſt

ſoli Deo competere: ſic S. Athanaſ. ſermone V.
ſeu libro 3. contra *Arrianos*: ſic S. Damaſcen. libro 1. de *orthodoxa fide*, capite 8. & plures alij.

AD QVÆSTIONEM XI.

QVæ primis duobus artic. ſanctus Thomas explicat, ſcilicet quid vnum addat ſupra ens, & an vnum & multa opponantur, philoſophi tractant ex profeſſo in metaphyſicis agendo de proprietatibus entis.

Quod verò differit art. 3. nimirum, an Deus ſit vnus, hunc habet ſenſum: an Deus ita ſit vnicus, vt præter illum nulli alij ſint dij: ita
vt hæc particula, *vnus*, non accipiatur *affirmatiuè*, quomodo ſenſus eſſet, an Deus ſit in ſe VI.
indiuiſus & diuiſus à quocumque alio: ſed ſumitur *excluſiuè* modo nunc explicato, ſecundùm quam conſiderationem iſtud poteſt duobus modis diſputari, nimirum vel remanendo tantùm intra limites luminis naturalis; ita vt quæratur tantùm, an poſſit ratione naturali probari vnicum eſſe Deum, vel vt quæratur, an id conſtet etiam lumine fidei ſupernaturalis; prior modus eſt omninò philoſophicus, cuius partem affirmantem philoſophi probant ex profeſſo in metaphyſicis; & Plato illam agnouit in *Timæo*, vt S. Auguſtin. libro 8. *de Ciuitate Dei*, cap. 9. animaduertit; ſimiliter & Ariſtoteles lib. 12. *metaph.* cap. 8. & plures alij Gentiles tam poëtæ, quàm philoſophi, quorum teſtimonia videri poſſunt apud La-
ctantium lib. 1. cap. 5. apud Arnobium contra VII.
Gentes lib. 3. apud Auguſt. Eugubinum lib. 3. 4. & 5. *de perenni philoſophia*: & philoſophi in metaphyſicis congerunt rationes purè naturales pro hac veritate, quibus S. Thomas poteſt addi hâc qu. & lib. 1. contra *Gentes*, cap. 45. & eius interpretes iſtis locis.

Ex quibus nonnulli ſcholaſtici reuincuntur, qui exiſtimant hanc veritatem eſſe nobis perſpectam ſolo lumine fidei: quia igitur hîc ſupponimus res planè philoſophicas, & quæ ſolent communiter tradi in philoſophia, non expendemus eiuſmodi rationes; hoc vno contenti, quòd locos indicauerimus, cùm etiam argumenta illa, quæ probant Deum eſſe, probent etiam ſaltem per aliquam conſequentiam eum debere eſſe vnicum.

Si tamen hæc quæſt. diſputetur poſteriori
modo: pars affirmans patet ex ſacris literis VIII.
paſſim, vt Deuteron. cap. 32. Iſaiæ capite 44. Pſal. 17.

Et probatur etiam contra Manichæos reſpuentes vetus teſtamentum, ex nouo; apud S. Ioan. 17. cap. ait Chriſtus Dominus: *hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te Deum ſolum verum.* S. Marci 12. cap. *Deus tuus, Deus vnus eſt*. 1. ad Corinth. 8. ad Epheſ. 4. & ex Patribus paſſim dum ſcribunt contra Manichæos.

Tandem maxima vnitas Dei, quam ſanctus Thomas expendit art. vlt. manet ſatis probata ex dictis ſuperiùs de ſimplicitate Dei, quare vlteriùs nobis eſt procedendum.

I.

AD QVÆSTIONEM XII.

HACTENVS sanctus Thomas egit de essentia Dei secundùm se considerata: nunc agit de illa eadem in ordine ad creaturam intellectualem, sumítque initium ab eius cognoscibilitate; & quamquam quinque sint modi, quibus Deus possit cognosci; primus in suis operationibus *ad Romanos* primo: *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Secundus quando Deus videtur in aliqua specie corporea, vel à sensibus exterioribus, vel ab imaginatione; quomodo passim in veteri Testamento est
II. visus, quemadmodum sanctus Augustinus docet libro secundo *de Trinitate* cap. 9. & sequentibus. Tertius per fidem obscurè, & ænigmaticè, quomodo dixit Paulus, *videmus nunc per speculum in ænigmate.* Quartus, quo est visus per humanitatem assumptam, vt sancti Ioannis primo. Quintus, quo videtur immediatè in sua essentia: nihilominus tamen Theologi solùm hîc disputant de hoc quinto; nam reliqui habent suos speciales locos in aliis partibus Theologiæ: quintus autem iste modus nihil aliud importat, quàm videre seu cognoscere clarè & intuitiuè Deum in seipso immediatè: itaut Deus per suammet essentiam, sit immediatum obiectum cognitionis; nulla verò creatura sit obiectum interiectum, in quo ipse Deus videatur: vnde visio per
III. essentiam opponitur visioni ænigmaticæ & per speculum, quòd illa terminetur immediatè ad obiectum; hæc verò nonnisi mediatè & beneficio alicuius similitudinis, quæ repræsentat obiectum potentiæ intelligenti, quæque terminat actum istius cognitionis.

DISPVTATIO PRIMA.

De possibilitate visionis beatificæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cognitio clara & intuitiua diuinæ essentiæ, sit humano intellectui possibilis.

IV. SENSVS articuli non est de potentia naturali, sed tantùm an repugnet secúdùm quamcunque potentiam, intellectum creatū cognoscere clarè & intuitiuè diuinam essentiā.

Armeni, vt refert Armacanus libro 14. cap. 1. *quæstionum Armenicarum,* & quidam Almaricus tempore Innocentij tertij, vt Prateolus in catalogo hæreticorum refert, verbo *Almaricus,* sequuti sunt partem negantem.

Contraria tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est de fide, scilicet *claram & intuitiuam diuinæ essentiæ cognitionem esse possibilem intellectui creato.*

Probatur primò, ex sacris Litteris ita expressè asserentibus: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt:* quod sanctus Augu-
A stinus epistolâ 111. intelligit de visione Dei per essentiam ex mente sancti Ambrosij. Et ipsemet sanctus Ambrosius in Psalmum 118. ad illa verba, *deprecabor vultum tuum:* item sanctus Hieronymus ad sextum caput Isaiæ ad illa verba, *& ea quæ sub ipso erant implebant templum,* & in caput 66. eiusdem Isaiæ ad illa verba, *à sæculo non est auditum,* & apud sanctum Augustinum epistolâ nunc citatâ. V.

Probatur etiam ex illo Christi Domini apud sanctum Matthæum capite 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris,* quod sanctus Augustinus suprà intelligit de clara visione Dei per essentiam ex mente sancti Hieronymi, quem ibi refert: sanctus item Hilarius canone 18. in sanctum Matthæum, & in Psalmum 118. ad illa verba, *deprecatus sum faciem tuam:* sanctus Ambrosius ibidem.

B Neque isto loco Euangelistæ potest intelligi aliquid corporale, quo Deus videatur; quia VI.
talis facies nihil conferret ad visionem in Angelis qui sunt spiritales; nec item aliquid deriuatum à Deo potest intelligi, quia tunc cognitio esset tantùm *ex parte,* & in *speculo,* non autem *facie ad faciem,* contra illud Apostoli primæ *ad Corinthios* decimo tertio: *videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum,* id est, absque omni inuolucro fidei, vel interiectu rei alicuius: sicut ipsa facies hominis videtur ab oculo corporeo, visione intuitiuâ sine vllo interiecto medio: vnde nomine *faciei* debet ibi intelligi substantia, seu essentia Dei, quatenus Apostoli sensus est iste, quòd sicut homo est co-
C gnoscibilis facie; ita Deus suâ substantiâ & VII.
essentiâ, & hoc iuxta phrasim sacræ Scripturæ, quæ per visionem faciei alicuius personæ nihil aliud intelligit, quàm ipsum aspectum intuitiuum talis personæ, vt lib. 2. Regum cap. 3. quando Deus dicit Ioab *faciem meam non videbis,* id est, meipsum non videbis; eodem libro capite 14. quando Dauid loquens de Absalon, ita dicit: *reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat,* id est, meipsum; & ibidem, *Absalon non vidit faciem Regis:* item Actorum vigesimo, quando sanctus Paulus vult explicare Christianos quibus vale dicit, non esse ampliùs eum visuros, sic ait, *quia amplius non videbitis faciem meam.*

Neque his obstat, quòd aliquando Patres veteris Testamenti, vt Geneseos 32. Exodi 33.
D dicantur vidisse faciem Dei, qui tamen negantur communiter vidisse essentiam Dei intuitiuè, vt infrà docebitur. Nam tam ex antecedentibus, quàm consequentibus ibi satis intelligitur, hoc nomen *faciei* ibi non sumi pro ipsamet diuina essentia seu substantia; sed pro aliqua similitudine, sub cuius inuolucro Angelus delitescens loquebatur in persona Dei, vt priori loco, quando dicitur vidisse Dei faciem, subiungitur, *& ecce vir luctabatur cum eo vsque mane:* in posteriori verò additur, *non videbit me homo & viuet:* vnde sanctus Augustinus libro secundo *de Trinitate* capite nono & sequentibus, negat omnes istas apparitiones veteris Testamenti intelligi de visione intuitiua Dei per essentiam: at locis citatis pro nostra conclusione nihil tale reperitur additum, sed potiùs aliquid explicans hanc visionem esse intuitiuam diuinæ essentiæ, vt citato VIII.

I. loco prioris *ad Corinthios* 13. & 1. sancti Ioannis 3. *videbimus eum sicuti est,* quod de beatifica visione Patres explicant. Sanctus Euaristus Papa primâ suâ epistolâ decretali. Sanctus Augustinus lib. 14. *de Trinitate* cap. 7. libro 2. *de peccatorum meritis* cap. 8. Concilium Francofordiense epistolâ ad Episcopos Hispaniæ, & plures alij, quos ibi referunt interpretes S. Ioannis. A

Probatur secundò ex Conciliis, Florentino in *decreto vnionis,* & ex Concilio Viennensi, & refertur Clementinâ *ad nostrum, de hæreticis*, vbi nostra conclusio supponitur tanquam verissima.

Probatur tertiò ex Patribus suprà citatis & pluribus aliis, quos fusè referunt interpretes sancti Thomæ ad hunc locum, qui post Vasquesium scripsêre: & alij agendo de præ-
II. senti materia, vt Petrus Lorcha in primam secundæ disputatione 27. & 28. Ægidius *à præsentatione* libro 12. *de beatitudine* quæstione 1. articulo 2.

Probatur tandem ratione fundatâ in sacris Litteris: vera & æterna beatitudo creaturarum intellectualium est possibilis, quia quælibet species potest in aliquo saltem indiuiduo assequi finem suum vltimum; cuiusmodi est beatitudo respectu creaturæ intellectualis: atqui clara & intuitiua visio seu cognitio diuinæ essentiæ, est vera & æterna beatitudo creaturæ intellectualis, iuxta illud Christi Domini apud sanctum Ioannem 17. capite: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum:* ergo clara & intuitiua visio seu cognitio diuinæ essentiæ, est possibilis intellectuali creaturæ.

III. Deinde probatur ex mysterio Incarnationis: maior est disproportio inter Verbum diuinum, & naturam humanam in ordine ad hypostaticam vnionem, quàm sit inter essentiam diuinam, & intellectum creatum in ordine ad claram, & intuitiuam visionem Dei: quia inter essentiam diuinam, & intellectum creatum est habitudo obiecti ad potentiam, & vtrumque est spiritale: at licèt Verbum diuinum, & anima rationalis, altera pars humanitatis, sint aliquid spiritale; sicque ad se inuicem habeant proportionem habitudinis in ratione terminantis & terminati, ea tamen non videtur tanta respectu corporis: non enim videtur ita conueniens, vt res corporea, quatenus talis, compleatur, terminetur & supponetur à re spiritali: deinde difficilius est ex
IV. Verbo diuino, & ente creato fieri vnum per se, & resultare vnionem substantialem, quàm ex diuina essentia & intellectu creato fieri vnum per accidens, & inde vnionem tantùm accidentalem resultare; quia duo priora videntur magis accedere ad veram compositionem, quam tamen suprà negauimus Deum posse ingredi: sed hæc duo sunt possibilia, imò dantur de facto, vt patet ex mysterio Incarnationis, & vnio diuinæ essentiæ per modum obiecti ad intellectum creatum in ratione potentiæ est tantùm accidentalis, vt per se patet: ergo & vnio diuinæ essentiæ in ratione obiecti ad intellectum creatum, tanquam potentiam in ordine ad claram & intuitiuam visionem Dei est possibilis.

ARTICVLVS II. V.

Soluuntur fundamenta Armenorum.

PRIMVM est, quòd sacræ Scripturæ passim dicant Deum esse inuisibilem, habitare lucem inaccessibilem, & esse talem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, vt Exodi 33. 1. *ad Timotheum* 1. & 6. & alibi sæpè.

Respondetur, ex sancto Euaristo in sua decretali, & ex sancto Augustino epistolâ 112. cap. 5. item libro 3. contra Max. cap. 9. & 12. item concione sexta in Psalmum 118. vtrumque locum Apostoli 1. *ad Timotheum* 1. & 6. capite intelligi quidem de intuitiua visione
B Dei per essentiam, quæ tamen iuxta legem or-
dinariam Dei sit denegata puris viatoribus: VI.
quomodo idem sanctus Augustinus eâdem epistolâ capite 8. ait esse intelligendum illud Dei in Exodo cap. 33. *non videbit me homo, & viuet,* & illud sancti Ioannis capite 1. *Deum nemo vidit vnquam:* ibi enim Euangelista significat, ea omnia, quæ ibi refert de processione Verbi diuini, & de mysteriis nostræ fidei esse certissima, quia accepit illa à Christo qui solus mortalium viderat Deum per essentiam, in qua intuebatur clarè omnia mysteria nostræ fidei; ideóque testimonium eius esse certius & maius quocumque alio testimonio.

Secundum fundamentum desumitur ab auctoritate sanctorum Patrum, quorum plurimi si credamus Vasquesio disputatione 37. capite 2. & 3. ad hanc primam partem sancti
C Thomæ ita sentiunt, scilicet sanctus Hiero- VII.
nymus ad caput primum Isaiæ, dum ait, *nullam creaturam videre faciem Dei iuxta naturæ suæ proprietatem.* Sanctus Ambrosius in caput primum sancti Lucæ, sic dicens: *plenitudinem diuinitatis nemo conspexit.* S. Basilius libro primo contra Eunomium, quando ait, *substantiam Dei esse omnibus præterquam vnigenito & Spiritui sancto inuisibilem:* sanctus Epiphanius hæresi 70. S. Gregorius Nyssenus *de beatitudinibus* oratione 7. ad illa verba, *beati mundo corde.* Sanctus Chrysostomus homiliâ 14. in S. Ioannem, dum explicans illud, *Deum nemo vidit vnquam,* ait, *nec prophetas, nec Angelos Deum vidisse, sed solum Filium & Spiritum sanctum: item nec Archangelos.* Item homiliâ 1. 2. 3. 4. *de incomprehensibili natura Dei,* ait, *Angelos non videre sinceram substantiam*
D *Dei.* quod Theodoretus iisdem ferè verbis
habet dialogo 1. & dialogo 3. & in Psalmum VIII.
17. ad illum versum, *inclinauit cœlos,* & suo commentario in 1. *ad Corinthios,* ad illa verba capitis 13. *videmus nunc per speculum,* & aliqui alij Patres, quos Vasquesius suprà fusè refert.

Respondetur, Patres ibi relatos non in ea fuisse opinione, vt constat ex clarissimis eorum testimoniis, pro nostra sententia superiùs relatis. Tum etiam ex sancto Augustino duabus epistolis superiùs citatis, sancto item Thoma articulo primo huius quæstionis, eosdem Patres & alios in sensu Catholico explicantibus; vnde recentiores Scholastici superiùs citati, & nonnulli alij qui post Vasquesium scripsere, ita expendunt accuratè citata Patrum testimonia, vt etiam verbis disertis Vasquesium accusent audaciæ, &

I. imprudentiæ; quòd ne dicat Eunomium hæreticum fuisse amentem, (qualem tamen illum fuisse agnoscunt sanctus Basilius epistolâ 168. sanctus Chrysostomus secundâ, & quintâ homiliâ contra Anomœos, sanctus Epiphanius hæresi septuagesimâ) accusat sanctum Chrysostomum istius erroris, quem nostrâ propositione reiicimus: quem sanctum Chrysostomum, & alios Patres dum Vasquesius vult hac in parte esse inexcusabiles, reddit ad cæteras fidei veritates comprobandas testes minus idoneos, vtpote qui in re tam manifesta turpiter lapsi fuerint; vnde melius est eos cum sancto Augustino suprà, sancto Thoma hîc & aliis Scholasticis explicare, quàm cum Vasquesio erroris accusare.

II. Secundò ad idem fundamentum in particulari: respondetur ad auctoritatem sancti Hieronymi, sanctum Augustinum citatâ epistolâ 111. circa medium illam intelligere de visione quæ fiat per oculos corporeos, vt sensus sancti Hieronymi sit Deum in seipso, & per suam essentiam non posse videri oculis corporeis. Deinde potest ita explicari, vt illud sancti Hieronymi, *secundùm naturæ suæ proprietatem*, non construatur cum termino præcedenti, scilicet *facie seu substantia Dei*, sed cum sequenti, *cum creatura*, vt sit sensus, nullam creaturam iuxta naturæ suæ proprietatem, id est, *solis naturæ suæ viribus*, posse videre Deum clarè & intuitiuè: nam verbis immediatè præcedentibus admittit beatos in patria visuros clarè & facie ad faciem ipsum Deum, verbis autem in obiectione contentis explicat modum, quo id fiet, scilicet non viribus naturæ nostræ.

III. Tandem si quis contendat verba illa, *secundùm naturæ suæ proprietatem*, esse construenda cum præcedentibus, respondetur tunc esse intelligenda de cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ, ita vt hæc particula *iuxta naturæ suæ proprietatem* idem significet, ac secundùm eum omnem modum tali diuinæ essentiæ proprium, quo spectata secundùm se est cognoscibilis, qui modus est incomprehensibilis cuilibet creaturæ, quantumcunque supra naturam suam eleuatæ.

Ad auctoritatem sancti Ambrosij respondetur, illam à S. August. epistolâ 112. explicari de comprehensiua cognitione diuinæ essentiæ; nam cùm eodem loco verbis præcedentibus asserat nostram propositionem, & verbis

IV. in obiectione citatis subiiciat particulam istâ, *vidit*, in hac sententia S. Ioan. cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, esse referendam tam ad oculum mentis, quàm corporis, ne videatur sibi contrarius, debet eius auctoritas intelligi de cognitione comprehensiua, quod satis exprimit ita subiungendo, *nemo mente aut oculis comprehendit*.

Ad auctoritatem S. Basilij respondetur, illam eodem modo esse intelligendam, ibi enim disputat contra *Eunomium*: at vt expressè refert idem S. Basil. lib. 1. contra illum paulò post medium, S. item Chrysostomus passim citatis homiliis contra Anomœos, S. Epiphanius suprà, contendebat Eunomius se suâ cognitione etiam naturali comprehendere diuinam essentiam, séque tam perfectè cognoscere diuinam essentiam, quàm ipsemet Deus: vnde

A ibi infert S. Basil. datâ tali hypothesi nullam ampliorem cognitionem diuinæ essentiæ relinqui Filio & Spiritui sancto: quod tamen asserere est impium & blasphemum; ideóque quando sanctus Basilius ibi ait, *substantiam Dei Patris esse tantùm cognitam Filio & Spiritui sancto*; loquitur tantùm de cognitione comprehensiua, vt sic refellat hæresim Eunomij. V.

Eodem planè modo est intelligendus S. Epiphanius, ex ipso eius textu numero 7. & 8. sanctum autem Gregorium Nyssenum negare visionem diuinæ essentiæ esse possibilem creaturæ intellectuali, prout tantùm consideratur intra solos naturæ limites fusè docet ex ipsomet contextu S. Gregorij, Ægidius *à præsentatione* citat. suprà art. 3. §. 5.

B Ad auctoritates S. Chrysostomi respondetur, illas omnes tantùm procedere de cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ; nam istis omnibus locis disputat contra Anomœos, & eam negat esse in illis diuinæ essentiæ cognitionem, quam sibi arrogabant; ideóque cùm sibi vendicarent comprehensiuâ etiam in hac vita, & solis naturæ viribus, negat essentiam Dei sic videri ab Angelis; quod satis ipse indicat homil. 1. contra Anomœos, quando ait, *se cognoscere quidem Deum esse vbique, esse sempiternum, esse à se, nihilominùs tamen se non posse intelligere quomodo ita sit*; quâ posteriori particulâ exprimitur ipsa eiusmodi attributorum Dei incomprehensibilitas. VI.

Neque est, quòd his obiiciat Vasquesius suprà sanctum Chrysostomum non agere de incomprehensibilitate Dei ad modum Scholasticorum, scilicet tam ex parte modi cognoscendi, quàm ex parte obiecti cogniti, cùm

C modus iste sit postmodum excogitatus à Scholasticis: non est inquam quòd id obiiciat; nam licet S. Chrysostom. & aliqui alij Patrum non explicent incomprehensibilitatem eâdem loquendi formulâ, ac nunc Scholastici illam explicant, eodem tamen sensu illam exponunt, vt videre est apud eundem S. Chrysostomum homil. 3. & 4. contra Anomœos, item apud S. Basil. lib. 1. contra *Eunomium* suprà, & epistolâ eius 168. quæ est *ad Eunomium*. VII.

Ad auctoritatem Theodoreti respondetur, illam procedere tantùm de cognitione diuinæ substantiæ per solas vires naturæ ab homine elicita oculo corporeo; nam dialogo primo, vbi dixit Deum non cadere sub aspectum, subiungit Apostolum sic rectè dixisse, *Deus manifestatus est in carne, per illam enim*

D *apparuit natura quæ videri non poterat*; quatenus scilicet substantia Dei, ex se inuisibilis sese ipsam in carne assumpta manifestauit hominibus, Angelis verò oculo mentis prout essentiam diuinam aliquo modo cognoscût, quatenus humanitatem à Verbo assumptam naturaliter percipiunt: vnde quando 1. *ad Corinthios* 13. ait, *nos non esse visuros naturam Dei, sed humanitatem quam assumpsit*, loquitur tantùm de visione corporea quam post resurrectionem habebimus de Christo Domino. VIII.

Tertium fundamentum quod à ratione petitur est eiusmodi: nulla vitalis potentia, siue intellectiua, siue sensitiua potest etiam de absoluta Dei potentia ferri extra latitudinem adæquati sui obiecti specificatiui, quemadmodum Philosophi communiter docent in libris *de anima*, & patebit inferiùs: at Deus

I. vt clarè, & intuitiuè visus seu immediatè per
suam essentiam, & sicuti est cognitus, est ex-
tra latitudinem adæquati obiecti specificatiui
intellectus creati, quia hoc obiectum respe-
ctu talis intellectus est aliquid ordinis tantùm
naturalis: Deus autem clarè visus est aliquid
ordinis supernaturalis: ergo intellectus crea-
tus non potest per vllam Dei potentiam ferri
in Deum, vt clarè intuitiuè sicuti est, & per
suam essentiam, cognoscendum, vel etiam
cognitum.

Respondetur concessâ maiore, negando
minorem quoad primam partem, & conce-
dendo eam quoad alteram; nam adæquatum
obiectum specificatiuum intellectus creati,
est ipsum ens, vel vt alij volunt ipsum intelli-
gibile, sumptum secundùm totam suam lati-
tudinem & in confuso, prout quoad conce-
II. ptum distinctum abstrahit ab ente ordinis na-
turalis & supernaturalis, adæquatum enim
obiectum specificatiuum alicuius potẽtiæ de-
bet formaliter consistere in eo, ad quod attin-
gendum secundùm totam suã latitudinẽ, talis
illa potentia habet proximam, & immediatã
radicalem coaptationẽ, seu commẽsurationẽ,
& extra quod ad nullum aliud habet coapta-
tionem talem, quatenus est vitalis quædam
potẽtia suis essentialibus terminis conscripta,
verbi gratiâ visus, quatenus est specialis quæ-
dam sensitiua vitalis potentia, habet pro suò
adæquato specificatiuo obiecto lumen & co-
lorem, non verò sonum; econtrà auditus habet
sonum, & non lumen, vel colorem: & sic aliæ
omnes potentiæ habẽt pro suo adæquato spe-
cificatiuo obiecto aliquid vniuersale, compre-
hendens sub se omnia, quæ in particulari pos-
III. sunt ab illis attingi, & quæ participant forma-
lem illam rationem, sub qua feruntur in sin-
gula sua obiecta, & quâ ratione seclusâ ab istis
obiectis potentiæ eiusmodi desinunt posse fer-
ri in illa: atqui intellectus creatus, siue huma-
nus, siue Angelicus ex illis terminis essentiali-
bus quibus circumscribitur, habet radicalem
coaptationem, & commensurationem ad at-
tingendũ quodcumque ens, seu ad percipien-
dum quodcumq; intelligibile, quatenus intel-
ligibile sumitur secundùm totam suam latitu-
dinem in confuso, seu prout quoad conce-
ptum distinctum abstrahit ab ente ordinis na-
turalis & supernaturalis; quia intelligibilitas,
quæ est ratio, sub qua intellectus ipse tendit
in suum obiectum, & à quo accipit suam speci-
ficationem, tam latè patet, quàm ipsum ens,
IV. vel quodcumque intelligibile: igitur adæqua-
tum obiectum specificatiuũ intellectus crea-
ti, est ipsum ens quodcumque seu intelligibi-
le sumptum adæquatè, & consideratum quo-
ad totã suam latitudinem: quare cùm sub tali
ente includatur Deus clarè visus, fit, vt conti-
neatur intra totã latitudinem obiecti adęqua-
ti specificatiui cuiuscumq; intellectus creati.

Ad id verò quod contrà obiicitur, scilicet
Deum clarè visum esse ordinis supernatura-
lis: respondetur id esse verum: negatur ta-
men inde sequi, illum vt sic excludi à tota la-
titudine seu continentia, quasi passiua adæ-
quati specificatiui obiecti intellectus creati,
quia aliunde prouenit, quòd aliquod conti-
neatur intra latitudinem obiecti specificatiui,
& aliunde, quòd sit obiectum ordinis natura-
lis, vel supernaturalis: ad primũ sufficit, quòd
A induat formalem rationem intelligibilitatis V.
& respiciatur ab intellectu, tanquam aliquid,
ad quod attingendum ille habet radicalem
coaptationẽ superiùs explicatã, qui respectus
& passiua attingentia abstrahunt ab ordine
supernaturali & naturali: ad secundum verò
requiritur specialis quædam determinatio su-
peraddita isti respectui & passiuę attingentiæ.

Vt autem id intelligatur, notãdum est, quòd,
quemadmodum in qualitatibus operatiuis
quæ possunt intendi & remitti, verbi gratiâ,
in calore, vel alia simili qualitate, possumus
duo distinguere; primum est ipsa illarũ essen-
tia pręcisè sumpta circunscripta suis essentiali-
bus terminis, ratione quorum talis operatiua
qualitas respicit certũ aliquod ens, quoad to-
tam suam latitudinẽ, vt calor omne calefacti-
bile; secundum est ipsa intensio qualitatis ope-
B ratiuæ, verbi gratiâ, in prædicto calore effica- VI.
cia, & virtus importata suis gradibus, & hæc
intensio est veluti quędam determinatio istius
radicalis coaptationis quasi reuocatæ ad exer-
citium, & ad actualem operationem, quæ in-
tensio graduum potest rectè appellari quanti-
tas virtutis qualitatum eiusmodi operatiua-
rũ; ita tamen vt licet qualitates eiusmodi sint
ex se radicaliter aptæ ad operãdum, nunquam
tamen de facto operantur, nisi in aliquo certo
& determinato gradu intensionis: sic etiam
seruatâ proportione, possumus distinguere
duo in potentiis nostris vitalibus; primum est
ipsa essentia potentiæ vitalis, quæ formaliter
consistit in ipsa radicali coaptatione superiùs
explicata: alterum est ipsa efficacia talis po-
tentiæ, seu quantitas virtutis ad exercendum
C de facto actus, circa ea quæ includuntur in to-
ta latitudine obiecti specificatiui, quæ quan- VII.
titas virtutis, seu efficacia determinat quo-
ad exercitium, seu quoad actualem opera-
tionem modum operandi eiusmodi poten-
tiæ, quatenus pro conditione talis quantita-
tis seu efficaciæ illa operatur hoc, vel isto
modo perfecto, vel minus perfecto; nimirum
iuxta hanc, vel illam specialem rationem &
conditionem: simili modo ac prædictæ qua-
litates operatiuæ agunt & operantur de facto
pro conditione & perfectione suorum gra-
duum: nam licet potentiæ nostræ cognosciti-
uæ nullam in sua essentia admittant intensio-
nem & remissionem, attamen quia illarum
modus operandi sequitur modum essendi illa-
rum, & sæpè contingit eandem specie poten-
D tiam habere perfectiorem essendi modum in
vno, & imperfectiorem in alio, vt patet in po- VIII.
tentia visiua prout reperitur in lynce, in aqui-
la, in homine, & in noctua, fit vt hæc eadem
specie potentia habeat maiorem efficaciam,
seu quãtitatem virtutis in vno subiecto, quàm
in alio: quare cùm modus essendi intellectus
creati in corpore humano, vel etiam extra cor-
pus sit talis, prout consideratur secundùm pu-
ra sua naturalia, quòd scilicet sit tantùm aptus
natus ea cognoscerę quæ possunt cognosci,
vel ex rebus sensibilibus, vel per media purè
naturalia, quemadmodum docent philosophi
in libris *de anima,* quantitas & efficacia crea-
ti intellectus ad ea tantùm obiecta sese exten-
det, quæ tali modo & tali medio erunt cogno-
scibilia, & sic pro duplici illa consideratione
intellectus creati superiùs explicata, scilicet
iuxta radicalem suam coaptationem, & iuxta

I. quantitatem suæ virtutis, seu iuxta suam efficaciam duo distincta erunt illi assignanda obiecta; vnum magis latè patens, & adæquatè correspondens tali suæ coaptationi radicali, & hoc est *specificatiuum*: alterum correspondens suæ quantitati efficaciæ, & modo suo operandi minus latè patens, & hoc rectè appellari potest obiectum *motiuum*, quatenus est id per quod ipse intellectus de facto applicatur alicui parti specificatiui adæquati sui obiecti, & in aliquam eius partem reipsa mouetur; inter quæ duo obiecta istud est discriminis, quòd posterius constituat rem sic percipiendam intra latitudinem ordinis naturalis, & arguat in ipso intellectu aliquam positiuam inclinationem naturalem in cognitionem eius, quatenus cognoscibilitas obiecti,
II. vt sic considerata, respondet quantitati, seu efficaciæ eius quam habet, & secundùm quam intellectus applicatur de facto ad percipiendam veritatem: prius verò, quia non consideratur secundùm quantitatem & efficaciam virtutis, vt reductam ad actum secundum: sed duntaxat secundùm vim suam naturalem, & quasi tantùm inchoatam, abstrahit ab vtroque ordine, & tunc tantùm aliquid totalis eius obiecti specificatiui censetur esse ordinis supernaturalis, quando transcendit naturalem illum modum cognoscendi ex rebus sensibilibus, & per media ordinis purè naturalis, & ideò postulat ad sui cognitionem aliquid superaddi intellectiuæ potentiæ, ratione cuius illa eleuetur, & eius efficacia, alioquin tanto obiecto percipiendo impar & disproportionata,
III. corroboretur, & hoc modo Deus clarè visus in seipso cognitus & sicuti est, sese habet ad quemlibet intellectum creatum consideratum secundùm vires naturæ.

Vltimum Armenorum fundamentum est tale: debet esse aliqua proportio saltem habitudinis obiecti cogniti ad potentiam cognoscentem, quia obiectum cognitum perficit potentiam cognoscentem; & quædam proportio debet esse inter perfectiuum & perfectibile: at inter intellectum creatum & essentiam diuinam intuitiuè cognitam, non est proportio habitudinis: quia essentia Dei clarè visa est semper ordinis superioris, quàm sit intellectus creatus quantumcunque eleuatus: nam essentia diuina vt sic considerata, importat proprium modum essendi ipsius Dei, cùm dicatur videri sicuti est; proprius autem modus essen-
IV. di Dei, quemadmodum & ipse Deus, est ordinis longè superioris, quàm sit quilibet intellectus creatus quantumcumque eleuatus: igitur essentia diuina clarè & intuitiuè, & sicuti est in se ipsa, non potest esse obiectum cognitionis cuiuscunque intellectus creati.

Respondetur concessâ maiore, negando minorem, quia ex sancto Thoma hîc articulo primo in responsione ad quartum; vt aliquid habeat proportionem habitudinis ad aliud, sufficit quòd sese habeat ad illud, tanquam potentia ad obiectum: quemadmodum videre est in omnibus potentiis; Deum autem clarè visum, esse aliquod obiectum intellectus creati patet ex dictis suprà.

Ad rationem in contrarium ibi allatam, scilicet Deum clarè visum, esse semper altioris ordinis, quàm sit intellectus creatus quantumcunque eleuatus: respondetur obiectum ali-
A quod esse duplici modo altioris ordinis: primò in ratione cuiuscunque obiecti, etiam specificatiui: deinde in ratione modi quo obiectum se habet in seipso. Iam quando obiectum est duntaxat ordinis altioris iuxta modum posteriorẽ, tunc potentia non propterea desinit posse illud cognoscere: quia tale obiectũ semper participat formalem rationẽ, quâ hæc potentia tendit in suum obiectum, & illud includitur intra latitudinẽ obiecti specificatiui, nec inferioritas quæ est in potentia comparatione obiecti impedit eius cognitionẽ, vt patet in illa cognitione etiam naturali quam habemus de Deo, vt fine nostro naturali, agente increato, & independente à quocunq; alio: Deus enim vt talis, semper est altioris ordinis, quàm sit quilibet intellectus creatus consideratus se- V.
B cundùm quamcumque vim intelligendi: sed hæc improportio & inæqualitas facit tantùm, vt talis cognitio obiecti nõ adęquet perfectionem cognoscibilitatis quæ est in obiecto, nec vt illud sic cognoscatur comprehensiuè, sine qua tamen perfectione potest dari cognitio etiam intuitiua Dei sicuti est, & vt est in seipso: quemadmodum patebit ex dicendis. VI.

ARTICVLVS III.

Vtrum possibilitas visionis beatificæ per intellectum creatum possit demonstrari naturali ratione.

SENSVS articuli est, an ratione purè naturali possit demonstrari intellectum creatũ
C eleuari posse à Deo, vt diuinam essentiam clarè & intuitiuè videat: quod duobus modis potest intelligi; primò nullo supposito lumine fidei Christianæ, vt adiuuante nostrum intellectum ad excogitandas rationes naturales pro demonstranda aliqua veritate: secundò supposito prædicto lumine fidei: in priori sensu aliqui sequuntur partem affirmantem etiam ex recentioribus, hâc quæstione sancti Thomæ, tribuitúrque Scoto in quartum sententiarum distinctione 49. quæstione 8. Durando ibidem. VII.

Secunda sententia affirmat, supposito lumine fidei prædictam conclusionem posse demonstrari naturaliter, ita vt rationes quæ demonstrant prædictam conclusionem non penetrentur nisi suppositâ fide: sic Vasquesius in primam secundæ disputatione 20. capite 2.
D & aliqui alij. VIII.

His tamen non obstantibus, melior est sententia negans, quam vt stabiliamus repetendum ex dictis suprà ad quæstionem primam, aliud esse aliquid demonstrari positiuè esse possibile, & aliud tantùm negatiuè: item aliud esse aliquid tantùm ostendi probabile, & aliud aliquid verè demonstrari, vt etiam docent Dialectici. His præmissis,

Prima sit propositio. *Non potest verâ aliquâ demonstratione ostendi positiuè, quòd clara & intuitiua Dei visio per essentiam sit possibilis creato intellectui, etiam prout eleuatur à Deo.*

Probatur: omnis & propriè dicta demonstratio, est, vel à priori seu per causam, vel à posteriori seu per effectum, vt Dialectici docent: at neque à priori, neque à posteriori hæc veritas probari potest. Non à priori, quia

I. in tali demonstratione medium est ipsa propria, vera, & necessaria causa eius, quod demonstratur, ex omnibus Dialecticis: sed nihil ordinis purè & simpliciter naturalis est vera, & necessaria causa possibilitatis illius, quæ est in intellectu creato ad cognoscendum Deum clarè & intuitiuè: aliàs enim talis visio esset naturaliter possibilis, quod est contra fidem. Nam id, cuius causa est loquendo propriè naturalis, est etiam naturale, & potest obtineri medio naturali: causa quippe dicitur naturalis, quæ habet naturalia principia causandi: sed clara visio Dei, non est naturaliter possibilis creato intellectui, vt patebit infrà: ergo neq; possibilitas eiusmodi visionis potest probari à priori per veram demonstrationem.

Confirmatur: si quæ causa istius possibilitatis posset naturaliter assumi tanquam medium le-
II. gitimæ demonstrationis à priori, esset, vel omnipotentia Dei, quæ naturaliter cognoscitur esse infinita, vel esset ipsa actiuitas intellectus creati, quæ etiam naturaliter, & ex sua vi propria propendet in Deum, vt clarè visum: at ex neutro capite istud potest probari; non ex primo, quia ad hoc, vt omnipotentia Dei cognoscatur naturaliter esse infinita, sufficit quòd cognoscamus naturaliter illam esse infinitam loquendo in genere, & posse illud omne quod à parte rei, non inuoluit contradictioné, non autem requiritur, vt in particulari & indiuiduo sciamus illam sese ad hoc, & illud particulare quodcunque extendere: aliàs deberemus naturaliter penetrare illam, & patet etiam in nobis, qui licet fide credamus Deum esse omnipotentem; attamen vbi descendimus ad
III. particularia sæpè dubitamus, an sese extendat ad hæc & illa: atqui possibilitas intellectus creati ad videndum Deum clarè, est de aliquo obiecto, seu effectu sumpto in particulari: quòd etiam hæc possibilitas, non possit ostendi ex actiuitate nostri intellectus, patebit ex dicendis infrà de modo, quo noster intellectus concurrit ad visionem beatificam, scilicet non per potentiam purè naturalem, sed per obedientialem tantùm.

De demonstratione à posteriori, patet, quia nullus datur effectus purè naturalis, qui per suam existentiam ostendat, vel futuram claram visionem Dei, vel illam esse possibilem.

Obiicies, remissionem peccatorum posse naturaliter demonstrari possibilem, licet illa sit effectus supernaturalis: item posse intelle-
IV. ctum creatum videre clarè & intuitiuè Deum, tanquam primam causam: ergo & intuitiuè sicuti est in seipso.

Ad primum, negatur remissionem peccatorum quæ opponuntur fini supernaturali, posse cognosci naturaliter, quia nec finis iste supernaturalis, nec eius præcepta possunt naturaliter cognosci: imò hoc etiam præcognito per fidem, non possumus naturaliter cognoscere talem remissionem esse possibilem per infusionem gratiæ inhærentis, sed ad summum possumus cognoscere Deum posse nobis remittere eiusmodi peccata, per puram condonationé, sicut remittimus nobis inuicem offensam.

Ad secundum, negatur posse naturaliter cognosci Deum in se, tanquam primam causam: hæc enim cognitio transcendit limites ordinis naturæ, sed ad summum Deus potest naturaliter cognosci, tanquam prima causa, quan-
A tum est cognoscibilis ex creaturis, seu effectibus consistentibus intra ordinem naturæ. V.
Nam naturalis beatitudo hominis tantùm consistit in tali cognitione, vt philosophi docent in *Ethicis* agédo de naturali beatitudine.

Secunda propositio. *Supposito lumine fidei possibilitas visionis beatificæ, vt elicitæ per intellectum creatum, potest probari euidenter negatiuè, & doceri non impossibilis aliquâ ratione naturali.*

Prior pars patet ex dictis citatâ primâ quæstione; nam illud omne quòd videtur facere impossibilem talem visionem Dei, ostenditur à Theologis non impedire possibilitatem eius.

Confirmatur ex eo quòd Caietanus hîc art. 1. & plures alij recentiores ita explicant S. Thomam, dum probat possibilitatem visionis essentiæ diuinæ ex naturali desiderio, quod habemus ad Deum clarè videndum: ratio au-
B tem probabilis, pro hac parte potest esse illa VI.
vtraque, quam secundo & tertio loco articulo sequenti pro prima sententia proferemus.

Altera pars propositionis patebit ex solutionibus argumentorum primæ sententiæ.

Articvlvs IV.

Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.

PRIMVM est: omne naturale desiderium rationalis creaturæ potest à Deo compleri, agente modo saltem extraordinario, & completio huius desiderij potest naturaliter cognosci saltem vt possibilis, quia nullus datur appetitus naturalis frustraneus, & rerum omninò impossibilium: atqui resultat desideriú
C videndi quidditatiuè causam, visis eius effecti- VII.
bus, sic enim intellectus tantùm conquiescit: res autem omnes & singulæ sunt quidam effectus ipsius Dei: ergo cùm plures ex illis cognoscantur naturaliter ab intellectu creato, intellectus eiusmodi potest appetere videre Deum sicuti est, & ex consequenti, ex tali appetitu potest hæc visio, seu cognitio Dei per essentiam demonstrari possibilis.

Respondetur negando minoré: ad eius probationé respondetur, causam aliquam posse 2. modis cognosci. Primò eo perfecto modo, quo ipsa est in se cognoscibilis: secúdò quatenus est cognoscibilis per eos effectus, per quos excitatur in nobis desiderium videndi illam; iam in homine considerato secundùm sua naturalia nullum est absolutum desiderium videndi
D Deum primo modo: nec proinde clarè & in- VIII.
tuitiuè, quia tale desiderium est semper rei alicuius, tanquam possibilis apprehensæ & cognitæ: at homo iuxta sua naturalia tantùm cósideratus non cognoscit naturaliter aut apprehendit cognitionem intuitiuàm diuinæ essentiæ, vt possibilem; cognoscit enim solummodo Deum ex effectibus constitutis intra ordinem naturæ, intra quem clara visio Dei non continetur, vel aliquid habens naturalem ordinem: adde quod si desiderium quoddam videndi Deum sicuti est, fingatur in tali homine, tunc non tam fore desiderium loquendo propriè, quàm velleitatem quandam: cùm tunc cognosceret se pro tali statu posse ea tantùm cognoscere de Deo, quæ possunt deduci ex rebus creatis: & proinde cùm voluntas efficax sit eorú quæ noster intellectus iudicat sibi esse possibilia, & probè nouerit velleitates non es-

I. se necessariò adimplendas, nunquam habebit voluntas istius hominis absolutum desideriũ videndi clarè & intuitiuè diuinam essentiam.

Secundum fundamentum est: naturaliter cognoscimus, intellectum posse ferri in quodcunque obiectum contentum intra latitudinẽ specificatiui sui obiecti, si non propriis suis viribus, saltem prout eleuatur à Deo, aliàs enim tale obiectũ malè assignaretur ei, essétque aliqua potentia frustrà, cùm nullâ ratione posset reuocari ad exercendum actum circa aliquod proprium suum obiectum; at Deus clarè visus continetur intra latitudinem obiecti specificatiui nostri intellectus, vt ostendimus articulis præcedentibus: ergo.

Respondetur maiorem eius esse duntaxat verã cum hac restrictione, quòd scilicet quando descenditur ad aliquod obiectum particu-
II. lare contentum intra latitudinem obiecti specificatiui, tale obiectum solo naturæ lumine apprehendatur esse cognoscibile sub hac speciali ratione, quâ restringitur ad obiectũ motiuum: aliàs enim defectu istius apprehensionis, intellectus non poterit naturaliter cognoscere se posse à Deo eleuari ad cognoscendum istud obiectum sub tali, & speciali ratione; sed quemadmodum apprehendit illud duntaxat, vt intelligibile, non descẽdendo ad hanc specialem rationem intelligibilitatis sibi incognitam; sic tantùm naturaliter iudicabit tale obiectum esse, quatenus intelligibile, à se ipso cognoscibile: at intellectus creatus naturaliter tantùm cognoscit Deum esse obiectum aliquod cognoscibile, non autẽ naturaliter, seu Deum vt clarè visum esse cognoscibilem ab
III. intellectu creato, nec proinde potest naturaliter cognoscere se etiam à Deo confortatum posse illum, vt tale obiectum in particulari attingere: sicut noster intellectus etiam naturaliter rectè iudicat Deum posse facere quidquid non implicat, sed quia istud, *quidquid non implicat,* est obiectum aliquod genericũ multa sub se in confuso complectens, ad hoc, vt idem ille intellectus naturaliter iudicet hoc & istud in particulari esse tali, & tali modo possibile ipsi Deo, debet etiam naturaliter scire in particulari talem, & talem modum nullam inuoluere repugnantiam in propriis suis terminis: aliàs quanquã naturaliter sciat istud esse Deo possibile secundùm aliquã rationem sibi communem cum pluribus aliis, non tamen naturaliter sciet illud esse possibile Deo, secun-
IV. dùm hanc particularem rationem: quemadmodum videre est in pluribus rebus, quas aliqui Theologi admittunt esse hoc modo possibiles, alij negant, quas tamen illi omnes fatẽtur esse possibiles secundùm aliquot alias rationes communes pluribus aliis: Deus autem vt clarè visus non spectat propriè ad obiectum specificatiuum intellectus creati, quà præcisè est specificatiuum, sed ad aliquod motiuum eius obiectum, scilicet supernaturale, vt patet ex dictis.

Tertium fundamentum est: quando naturaliter cognoscimus potentiã inferiorem intellectu creato posse aliquid circa quoddam obiectum minus nobile, tunc cognoscimus naturaliter intellectum creatũ posse illud idem præstare circa propriũ suũ obiectum: si modò id nullam dicat imperfectionẽ; quia quemadmodum intellectus est potẽtia perfectior om-

A nibus aliis inferioribus potẽtiis, ita debet habere in se omnes illarũ perfectiones, quæ carent imperfectione: atqui visus est potentia inferior nostro intellectu, & nihilominus percipit intuitiuè suum obiectum; imò & Angelus superior inferiorem, vel etiam animam rationalem, & cognoscere clarè intuitiuè aliquod obiectũ est quædam perfectio cognitionis sine imperfectione; importat enim videre rem sicuti est, & secundùm proprium suum modum essendi, non autem per aliquid aliud intermedium: ergo potest naturaliter cognosci intellectum posse videre Deum per essentiam. V.

Respondetur negando maiorem; est enim soli Deo propriũ habere in seipso omnes perfectiones omnium rerum, nec semper superius
B cõplectitur in se omnes perfectiones suorũ inferiorum etiam quæ caret imperfectione: cælum enim est inferius homine, ei incorruptibilitas competit, quæ est perfectio sine imperfectione, nec tamen reperitur in homine. VI.

Atque ex his intelligitur contra secundam sententiam, supposito etiam lumine fidei, prædictam propositionem non posse probari verâ demõstratione naturali: non enim aliqua propositio habet à lumine fidei Catholicæ, quòd sit propriè loquendo demonstrabilis naturaliter; sed ab ipso medio, quod naturaliter est intrinsecum rei demonstratę, & si defectu virtutis sufficientis in humano intellectu, talis demonstratio nequeat percipi, quia tamen est intra puros limites ordinis naturalis, poterit percipi ab intellectu creato; sed propositio, quam hîc discutimus nullum habet naturale
C medium sibi intrinsecum, quo demonstretur, vt patet ex dictis: ergo absolutè & propriè loquendo est naturaliter indemonstrabilis. VII.

ARTICVLVS V.

Soluitur dubium.

QVÆRES, si Deus nobis non reuelasset nostram beatitudinem fore in clara visione suæ essentiæ, sed tantùm reuelasset nostram sanctificationem per gratiam, & charitatem habitualem esse possibilem, an tunc ex possibilitate talis sanctificationis, possibilitas visionis beatificæ posset probabiliter deduci: negant aliqui ex eo quòd gratia inhærens non sit per se, & secundùm absolutam potentiam Dei necessaria ad visionem beatificam etiam
D præsuppositiuè.

Oppositum tamen videtur probabilius, quia cognitâ possibilitate causæ efficientis, potest & possibilitas proprij eius effectus saltem probabiliter deduci: at gratia seu charitas est aliqua causa efficiens saltem moralis, & meritoria ipsius vitæ æternæ consistentis in clara visione Dei: nam passim in sacris Litteris gratia vocatur *vita æterna*, item beatifica visio dicitur à Theologis *gratia consummata.* VIII.

Nec potest responderi habitum illum gratiæ posse cognosci, vt possibilem ad sanctificandum nos, absque eo quòd cognoscatur, vt possibilis ad conciliandum nobis intuitiuam visionem essentiæ diuinæ: tunc enim deberet ita cognosci possibilis in ordine ad veram sanctificationem animæ, vt tamen homo posset intelligere vltimam quietem correspondentem isti sanctificationi, posse

I. aliquando obtineri ab anima sic sanctificata, quia posset intelligere istam animã posse beatificari modo proportionato tali sanctificationi: at non potest alia quies sic proportionata excogitari, nisi ea quæ est per clarã visionem, & fruitionem Dei; nam extra illam cor nostrum semper intelligitur esse inquietum.

Neque ratio allata in contrarium obstat, licet enim sanctificatio per gratiam hàbitualem non sit iuxta potentiam absolutam Dei necessaria ad obtinendum de facto claram & intuitiuam visionem essentiæ diuinæ, nihilominus tamen visio beatifica habet de se, & ex sua conditione, vt sit obtentu possibilis per gratiam sanctificantem, tanquam per connaturale quoddam principium conciliatiuum illius
II. quippe, quæ est semen vitæ æternæ.

Articvlvs VI.

Vtrum beati nunc de facto videant Deum per essentiam.

Sensvs articuli est, an Sanctorum animæ, quæ hinc discedunt omninò purgatæ, tàm ab omni pœna, quàm culpa, statim atque abeunt, videant diuinam essentiam, an verò aliquod aliud tempus sit illis expectandum.

Partem negantem plures etiam ex antiquioribus sunt sequuti, & primò Millenarij; (sic dicti quod mille annos regni Christi Domini post resurrectionem futuri in terris admitterent, antequam deduceret Sanctos ad visionem beatificam) item Vigilantius hæreticus apud sanctum Hieronymum libro quem
III. scripsit contra illum: item Armeni & schismatici Græci, vt intelligitur ex Concil. Florent. sess. vltimâ, & refert S. Thomas opusculo 6. cap. 9. ex recentioribus hæreticis Lutherus *in Genesi*, ex Staphylo 2. parte de tripartita eius Theologia; Caluinus libro tertio *suarum Institutionum* capite 25. §. 6. qui omnes censent ex hominibus solum Christum videre Deum per essentiam, ante diem vniuersalis iudicij, reliquos verò sanctos homines esse tantùm in atrio paradisi, ibíque expectare vsque ad consummationem sæculi.

Pars affirmans, cum qua concludimus, est de fide à tempore Benedicti XII. qui primus illam definiuit suâ extrauagante, quæ incipit *benedictus Deus:* quam Marsilius suprà, & Alphonsus *à Castro* libro tertio aduersus hæreses, verbo *beatitudo* hæresi 6. referunt: item
IV. est de fide ex Concilio Florentino sess. vltimâ in decreto Eugenij: item ex Trident. sess. 5. in decreto *de peccato originali*, & sess. 25. in decreto *de inuocatione Sanctorum.*

Dixi *à tempore Benedicti* XII. licet enim Innocentius III. cap. *cùm Marthæ*, de celebratione missarum, & cap. *maiores* titulo de baptismo, hanc nostram sententiam docuerit, non tamen ibi, vel aliquis alius Summus Pontifex, aut Concilium eam definiuit ante prædictum Benedictum, quinimò adhuc tempore Ioannis XXII. qui hunc Benedictum præcessit, eam multi Theologi negarunt: & dictus Ioannes Prælatis & Doctoribus in Theologia iniunxit, vt diligenti circa hanc difficultatem studio sese præpararent ad suam hac de re opinionem explicandam, quando à sancta Sede id ita volente requirerentur, quemadmodum
A expressis verbis habet Benedictus XII. in prædicta sua extrauagante; quod nec Ioan. XXII. V.
nec Benedictus XII. fecissent, si id iam ab aliquo generali Concilio, vel à sancta Sede definitum reperissent: est enim Benedictus iste XII. vt benè animaduertunt Marsilius suprà, & Sotus in 4. sent. dist. 45. qu. 1. non autem Benedict. XI. vt citatur à nonnullis; nam Benedictus XI. præcessit Ioannem XXII. cuius tamen Ioannis tanquam sui prædecessoris Benedictus ille facit mentionem expressam in prædicta extrauagante.

Probatur autem primò ex sacris Litteris, vt ex illa Christi Domini promissione facta latroni, apud S. Lucam cap. 23. *hodie mecum eris in paradiso:* vbi duæ illæ particulæ sunt notandæ; prima *hodie*, quæ determinat tempus præsen-
B tis diei, quo Christus loquebatur: secunda hæc
paradiso, quæ non potest ibi aliud significare, VI.
quàm fruitionem visionis beatificæ; non enim potest significare paradisum terrestrẽ, quia in eo Christus non fuit; nec cælum Empyreum, quia Sancti eò tantùm peruenerũt cum Christo D. in ascensione eius; nec potest significare *sinum Abrahæ* nudè sumptum, cum exclusione visionis beatificæ, quia ante descensum Christi Domini in limbum Patres veteris Testamenti non dicuntur ingressi paradisum, vt expresse notat S. Chrysostomus homiliâ *de diuite epulone*, sed tantùm eo tẽpore quo Christus fuit in limbis: vnde in nouo Testamento nomen hoc *paradisus* sumitur, vel pro visione beatifica, vel pro eo loco, in quo Deus videtur beatificè, atque locum hunc Euangelij sic explicant S. Ambros. ibi; S. Hieron. ad cap. 9. Zacha-
C riæ, S. August. epist. 57. & plures alij, quos re- VII.
ferunt ibi interpretes.

Probatur item ex cap. 5. 2. *ad Corint.* dum Apostolus ita ait, *Audemus & bonam voluntatẽ habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum:* vbi notandum ex S. Aug. lib. 14. *de Trinitate* cap. 2. *peregrinari à corpore* excludere fidem ab eo, qui sic peregrinatur, sicut & esse *præsentem ad Dominum*, cui opponitur, *ambulare per fidem, statim videre Deum per essentiam clarè & intuitiuè*, quia clara Dei visio succedit fidei, vt ibi docet S. August. sensus ergo Apostoli est iste, vehementer optamus dissolutionem nostri corporis, vt simus Domino præsentes, seu vt Deum ipsum intuitiuè, & facie ad faciem videamus, quod Apostoli desiderium esset ineptum, si beatitudo
animæ, consistens in visione Dei, esset diffe- VIII.
D renda vsque ad vniuersale iudicium.

Nec dici potest eò loci particulam illam *præsentes ad Dominum*, significare præsentiam ad Christum, cuius humanitatem videri in atrio paradisi admittunt aliqui, cùm passim hęc particula *Dominus*, supponat pro Christo Domino: hoc inquam non potest responderi; nam hæc particula *Dominus*, ita debet sumi ibi pro Christo, vt tamen hæc illa præsentia ad Christum, de qua loquitur Apostolus, excludat fidem ab eo, qui ita dicitur esse præsens Christo, vt patet ex citato loco S. August. at qui tantùm est in atrio paradisi præsens Christo, cuius solam humanitatem videt, retinet fidem, quia fides in iusto mortuo non recedit, nisi accedente lumine gloriæ, quo Deus clarè videtur, vt patet ex S. August. mox citato: ergo cùm Apostolus ibi excludat fidem, talis

I. præsentia ad Christum, quam ibi exoptat Apostolus, debet intelligi de præsentia ad Christum, vt clarè visum, sicut & aliæ scripturæ, vt *ad Ephesios* 4. *ad Hebræos* 9. & 11.

Neque his obstat quod 1. sancti Petri primo, boni Angeli dicantur *desiderare prospicere in Deum*; nam vt rectè notat S. Thom. infrà qu. 58. art. 1. ad 2. desiderium istud non excludit rem desideratam, sed tantùm fastidium eius, quatenus Angeli ita Deum vident, vt eius aspectu nunquam satientur vsque ad fastidium, sed cum tali affectu, ac si nũquam illum vidissent. Nam Matth. 18. cap. ait Christus Dominus de Angelis, *semper vident faciem Patris*.

Probatur secundò nostra conclusio ex Patribus, vt S. Cypriano epist. 52. & lib. *de exhortatione ad Martyrium* cap. vlt. in quorum
II. priori loco ait aliquos statim atque discedunt ex hoc sæculo, *accipere mercedem fidei, & virtutis, statim coronari à Domino, aliquos mitti in carcerem, & inde non exire, donec reddant vltimum quadrantem*, id est, mitti in purgatorium è quo non discedunt nisi satisfecerint: in posteriori loco docet martyres ab ipsis tormentis quæ hîc patiuntur pro Christo statim *reponi in regnis cœlestibus, ibique Deum videre*. S. item Hieronymo epistolâ de obitu Letæ: *nunc*, inquit, *pro breui labore æternâ beatitudine fruitur*. S. August. lib. 20. *de ciuitate Dei* cap. 13. & communiter aliis Patribus tam Græcis quàm Latinis, quos fusè referunt Coccius lib. 5. *thesauri Catholici* art. 2. *Ægidius à præsentatione* lib. 12. *de adeptione beatitudinis* quæst. 5. art. 6. Bellar. lib. 1. *de beatitudine* cap. 4. & 5. & alij Theologi tam hâc quæstione 12. S.
III. Thomæ, quàm 1. 2. quæst. 5. & citatis Scripturæ testimoniis.

Tandem probatur ratione: Deus est pronior ad remunerandos iustos, quàm ad inferendum supplicium damnatis, Psalm. 144: *miserationes eius super omnia opera eius*: atqui Deus infligit pœnam æternam sensus animabus impiorum, statim atque decedunt è corporibus, vt patet de diuite epulone Luc. 18. & habetur etiam in Concilio Florentino sessione vltimâ.

Deinde: Deus est iustior quouis homine in reddenda mercede debita bonis operibus; atqui homo iustus non remoratur mercedem operarij, sed statim atque opus est peractum soluit illam Leuit. 19. & vita æterna consistens in intuitiua visione Dei est merces bonorum operum, quæ iusti exercuerunt in hac vita, Ia-
IV. cobi 1. cap. Apocalyp. 2. & quodcumque bonum statim post mortem ita peruenit ad suum præmium, vt non possit ampliùs esse meritorium pro sequenti tempore, quia sola præsens vita est tempus meriti; nec potest fingi aliquod impedimentum animæ ad retardandum istud præmium; nam anima secluso corpore est capax illius, cùm consistat in visione Dei, quæ propriè est actus animæ independens à corpore, & anima est præcipua causa totius operis meritorij: ergo Deus dabit animæ iustæ decedenti ex hoc sæculo, sine vllo debito tam pœnæ, quàm culpæ, visionem beatificam ante resurrectionem corporum.

A

ARTICVLVS VII. V.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRIMVM repetitur ex sacris Litteris Matth. 20. & 25. 2. *ad Tim.* 4. vbi merces quæ ibi significat beatitudinem, dicitur dari *in fine diei omnibus operariis simul*, id est, in extremo die iudicij, omnibus Sanctis qui strenuè in hac vita militarunt, *ad Hebræos* 11. Apostolus factâ enumeratione Sanctorum veteris Testamenti, ait in fine capitis, *eos nondum accepisse repromissionem*, id est, visionem beatificam, & S. Ioannes cap. 6. Apocal. ait se vidisse animas iustorum sub altari Dei, & illis esse dictum, *vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum*: quem locum S. Ber-
B nardus sermone 4. *de omnibus Sanctis*, explicat de Sanctis nondum videntibus diuinam essentiam, sed vniuersale iudicium ad id obtinendum expectantibus. VI.

Respondetur duplicem distingui beatitudinem; vnam totalem & completam, scilicet tam quoad corpus quàm quoad animam; alteram principalem quidem, non tamen completam totius hominis, sed solius eius animę: iam quãdo sacræ Scripturæ dicunt beatitudinẽ seu remunerationem operũ esse dandam post iudiciũ vniuersale, loquuntur tantùm de beatitudine totali & completa, vt patet ex eo quòd Matth. 25. Christus D. sit eodem modo dicturus beatis, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*; quo dicet damnatis, *discedite à me maledicti in ignem æternum*: at hoc 2. ita dicet damnatis, vt tamen illi iam ante iu-
C dicium istud crucientur reipsa quoad animã, & post iudicium cruciabuntur, tam secundùm corpus, quàm secundùm animã, erũntque ita totaliter maledicti: ergo & pari iure Deus ita decernet præmium vitæ æternæ beatis in vltimo iudicio, vt tamen istud intelligatur de totali, & completa beatitudine. VII.

Quod autem Matth. 20. in parabola patrisfamilias iubẽtis suo procuratori, *vt serò* soluat mercedem operariis, particula illa, *serò*, significet tempus iudicij vniuersalis, patet ex S. Aug. *serm.* 59. *de verbis Domini*, & glossâ item interlineari, istam particulam explicantibus per consummationem sæculi.

Deinde licet ista explicatio esset falsa (quod tamen negamus) nihilominùs semper valeret nostra solutio ob rationem illi adiunctam: nec obstaret prædicta particula, *serò*, aliter expli-
D cata; nam vt rectè obseruãt Patres, in parabola nõ est necesse omnes & singulas eius partes aliquid significare, quod deseruiat eius fini: sępè enim adduntur aliqua non tam ad finem parabolæ, quàm ad eius ornamẽtum; & in illa inspiciendus est tantùm scopus, qui in pręsenti est iste, *erunt nouissimi primi, & primi nouissimi*, scilicet quoad æqualitatẽ beatitudinis, ex parte obiecti, quatenus omnes beati eãdem videbunt essentiam Dei, vt posteà explicabitur. VIII.

Quod item locus Apostoli *ad Hebr.* 11. intelligatur de consummatâ beatitudine, præterquam quòd ita explicatur à S. August. epist. 99. patet ex eo quòd Apostolus ibi non dicit, *vt non sine nobis coronentur*, sed, *vt non sine nobis consummarentur*: quemadmodum etiam animaduertit S. Chrysost. hom. 28. in epistol. *ad Hebr.* id est, totã ac perfectam sibi promis-

I. ſam acciperét remunerationem conſiſtentem in beatitudine animæ ſimul,& corporis:quod enim verbum iſtud *conſummarentur*, ibi ita accipiatur,patet ex eo quòd Apoſtolus præmiſit quoſdam ſanctos veteris Teſtamenti noluiſſe acceptare conditioné redéptionis ſibi oblatæ à tyrannis, *vt meliorem inuenirent reſurrectionē* ſcilicet in conſummatione ſæculi: igitur vt vltima reſpondeant præcedentibus debet hęc particula, *conſummarentur*, ibi apud S. Paulum intelligi de conſummatione gloriæ Sanctorum per beatitudinem corporis.

Secundum fundamentum repetitur ab auctoritate Patrum, quorum plurimi ita videtur ſentire, inter quos recenſent ſanctum Iuſtinum martyrem qu. 60. & 76. Irenæum lib. 5. *aduerſus hæreſes* cap. 31. & S. Bernardum ſuprà,
II. vbi duas ſtellas,id eſt,beatitudines,animæ ſcilicet & corporis, ita admittit, vt tamen velit illas beatis contingere antequam perueniant ad claram viſionem diuinæ eſſentiæ; vnde per primam quæ eſt animæ, intelligit tantùm aliquam felicitatem, quam ex Chriſti Domini humanitate percipiunt in atrio paradiſi: proferunt etiam nonnullos alios minoris tamen auctoritatis,vt Origenem, Tertul. Euthym.

Confirmant ex eo quòd Ioan. XXII. Papa hanc opinionem publicè in concionibus quas habuit ad populum, docuerit, vt refert Ochamus in opere quod inſcripſit, Compendium errorũ Ioan. XXII. imò Gerſon in quodã ſer. *de Paſchate*, Marſilius in 4. qu. 13. art. 3. Adrianus Papa in 4. tract. *de ſacramẽto Confirmationis*: referunt dictũ Ioan. præcepiſſe Academiæ Pariſienſi, ne vllum ad aliquem gradum pro-
III. moueret,qui hanc ſententiam non iuraſſet.

Reſpondetur primò, repetendum eſſe quod ſuprà notauimus, Patres iſtos ita ſcripſiſſe, antequam hæc res definiretur ab Eccleſia; vnde hac ex parte poſſunt excuſari: deinde communé Patrum conſenſum eſſe attendendum,non autem paucorum opinionem: at communior Patrum conſenſus etiam ante tempus Benedicti XII. fuit pro noſtra ſententia, vt videre eſt apud Coccium, Ægid. Bellarm. & alios locis cit. Addunt alij quoſdam ex iis qui citantur pro contraria ſententia fuiſſe aliqua ex parte Millenarios, & proinde ſequutos fuiſſe primam opinionem.

Tandem reſpondetur, illos citatis locis dixiſſe Sãctos non frui beatitudine ante vniuerſalem reſurrectioné, vt tamen alibi verbis ſatis apertis dixerint eos ſtatim à ſeparatione ani-
IV. mæ à corpore videre Deum per eſſentiam, vt de S. Irenæo obſeruat Feuardentius ad citat. cap. 31. lib. 5. S. Irenæi, & de S. Bern. patet ex eius epiſtolà ad fratres *de Hibernia*, item ſerm. *de S. Malachia*, item ſerm. *de obitu Humberti* monachi, & epiſt. 226. & de quampluribus aliis Patribus ſigillatim probat Ægid. loco cit. vnde Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliothecę ſanctę *annotatione* 348. rectè ait illos propriè eſſe explicandos de beatitudine conſummata, vt ſic non videantur contradicere iis quæ alio loco docuerunt.

Ad id quod affertur de Ioan. XXII. reſpondetur eum tunc, vt priuatũ doctorem ita potuiſſe ſentire, cùm nondum res eſſet definita per Eccleſiam vt monuimus, nec tamen partem negantẽ aliquando determinaſſe; imò ex teſtimonio ipſiuſmet Ochami, qui dicto Ioan-
A ni fuit infenſiſſimus in 2. parte ſui dialogi cap. 8. & 10. dictus Ioannes proteſtatus eſt in conſiſtorio Cardinalium hanc noſtram concluſionem hactenus non fuiſſe definitam, & ſi qua extaret eius definitio, ſe eſſe paratiſſimũ illam defendere, & vbi iudicabitur ab Eccleſia probabilior, ſe eſſe paratum partem negantem relinquere. Vnde circa hanc difficultaté morte præuentus nihil potuit definire, vt expreſsè habet Bened. XII. in citata extrauag. imò morti vicinus adhæſit noſtræ concluſioni tanquam parti veriori, vt teſtatur Villanouus ſcriptor iſtius temporis lib. 11. *hiſtoriæ Florentinæ* cap. 19. V.

Et quod circumfertur de prædicta prohibitione huic Pariſienſi Academiæ per eum facta, eſt planè commentitium, vtpote de qua nihil
B extat etiam apud Ochamum, qui aliàs quo ardebat in eum odio, non erat illud omiſſurus, VI.
cùm ſingula eius dicta diligẽtiſſimè expendat in citata parte ſui dialogi, & cit. opere *de erroribus Ioan.* XXII. Vnde Adrianus VI. ſuprà ait iſtam prohibitionem haberi tantùm ex rumore,& ſi credamus Marſilio ſuprà, tantùm abeſt vt prohibuerit promouere ad gradus Theologicos eos qui noſtram defendunt ſententiam, quin potiùs, vt loquitur Marſilius ibi, ad determinationem Vniuerſitatis Pariſienſis Ioannes XXII. ſuam ſententiam reuocauit, quæ omnia ſatis oſtendunt totum iſtud haberi tantùm ex falſo quodam rumore.

Vltimum fundamentum repetunt à ratione, vt quòd reſurrectio & aſcenſio Chriſti Domini fuit exemplar noſtrum, corpus autem non priùs aſcenderit in cælum quàm reſurre-
C xerit: item quòd præmium debeat correſpon- VII.
dere merito, at meritũ eſt à toto homine prout conſtat animâ & corpore: tum deniq; quòd præmium debeat tantùm ſubſequi iudicium, rectus enim ordo poſtulat, vt examen priùs fiat, deinde cauſâ diſcuſsâ feratur iudicium, tum vltimò prẽmiũ conferatur; ergo cùm viſio beatifica ſit præmium bonorum operum, quæ Sancti exercuerunt in hoc mundo, dum adhuc eſſent in corpore,& illi ſint etiam iudicandi in extremo iudicio vniuerſali, debet viſio beatifica differri vſque poſt vltimum vniuerſale iudicium.

Reſpondetur Chriſtum D. non priùs ſecundùm corpus aſcendiſſe in cælum, quàm reſurrexerit, priùs tamen fuiſſe beatum quoad animam, vt docent Theologi 3. parte; vnde hac ex parte beatitudo Sanctorum correſpondet
D beatitudini Chriſti D. & eorũ reſurrectio eius VIII.
reſurrectioni, quatenus non habent totalem beatitudinem niſi poſt reſurrectionem, & ante illam poſt ſeparationem animæ à corpore habent illam quæ eſt propria animæ. Meritũ item propter quod datur viſio beatifica, ita eſt à toto homine, vt tamen ſit principaliter ab anima, & à corpore tanquam eius inſtrumento; ideóque cùm anima etiam à corpore ſeparata ſit capax viſionis beatificæ, tanquam prẽmij, fuit conueniés illam priùs beari, quàm corpus. Nec tale præmiũ ei decernitur omiſsâ diſcuſſione operum eius & ſine iudicio: nam iudicium particulare quod fit ſtatim atque homo moritur præcedit, ſufficitque ad receptionem præmij, ſicut idem particulare iudicium ſufficit in damnatis, vt ſtatim à morte puniantur æternâ pœnâ ſenſus.

I. ## ARTICVLVS VIII.

Vtrum clara Dei visio sit possibilis intellectui creato secundùm virtutem naturalem, an verò vt eleuato, & secundùm virtutem supernaturalem.

QVIA articulo primo ostendimus tantùm possibilitatem intellectus creati respectu visionis beatificæ abstrahendo à virtute, iuxta quam talis possibilitas est, nunc explicandum est, an ex parte intellectus creati, virtus eius naturalis ad id sufficiat, an verò aliquid requiratur, quo eleuetur ad Deum clarè videndum.

II. Fuit hæresis Anomœorum, intellectum creatum solis naturæ viribus posse, imò de facto videre Deum per essentiam, vt tradunt sanctus Epiphanius hæresi 76. sanctus Basilius, Chrysostomus, & Theodoretus locis citatis primo articulo.

Begardi & Beguinæ eamdem hæresim sunt sequuti, vt constat ex quinta eorum propositione condemnata in Concilio Viennensi sub Clemente quinto, & refertur Clementina *ad nostrum*, titulo *de hæreticis*.

Ad hanc hæresim, quatenus vult nihil amplius requiri ex parte intellectus creati, Durandus accedit in quartum sententiarum distinctione 49. quæstione secundâ numero vigesimo quarto, dum vult intellectum creatum esse ex se aptum ad Deum clarè videndum, remotis impedimentis, sine aliqua su-
III. pernaturali virtute ei addita: nimirum per hoc solùm, quod Deus est ei præsens, nunc autem Deum, non esse præsentem nostro intellectui secundùm ordinem naturæ in quo est, quia ordo iste postulat, vt intellectus creatus cognoscat tãtùm Deum ex creaturis, vt rebus sensibilibus: vnde impedimentum istud non se tenet ex parte potentiæ præcisè spectatæ, quasi illa non habeat satis virtutis & efficaciæ; sed ex parte ordinis naturalis in quo est, quatenus tantùm intelligit ex sensibilibus: hinc consequenter vult solam manifestationem essentiæ diuinæ in ratione obiecti factam cum mutatione ordinis naturalis sufficere intellectui creato, vt videat Deum clarè, intuitiuè & per essentiam.

Communis sententia Theologorũ, cum qua concludimus, est *aliquid supernaturale requiri*
IV. *ex parte intellectus, quo virtus eius reddatur sufficiens & completa ad Deum clarè videndum*: ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo 4. & ibi omnes eius interpretes, & alij Scholastici quarto sententiarum distinctione quadragesimâ nonâ.

Probatur primùm ex omnibus illis sacræ Scripturæ testimoniis, quibus citato articulo primo ostendimus, Deum dici inuisibilem, quia virtute naturali non potest videri ab intellectu creato, sicut est.

Probatur item maximè ex Concilio Viennensi, & refertur Clementinâ *ad nostrum*, vbi inter errores Begardorum & Beguinarum ibi condemnatos, isto quinto loco refertur, quòd anima non indiget lumine gloriæ eleuante illam, ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.

A Probatur item ex Patribus articulo pri- V.
mo relatis.

Probatur tandem ratione: ea tantùm obiecta intelligibilia possunt naturaliter, seu virtute naturali percipi ab intellectu creato, quantum ex parte illius, quæ correspondent efficaciæ & quantitati virtutis secundùm suum proprium modum essendi, quia vt præmonuimus, inde aliquid habet, vt dicatur cognosci naturaliter, quòd attingatur ab intellectu per efficaciam & quantitatem virtutis correspondentem proprio suo modo essendi: sed Deus vt clarè visus in ratione obiecti cogniti, non correspondet efficaciæ, quam intellectus creatus habet secundùm proprium suum modum essendi, siue in Angelo, siue in anima rationali, tam extra corpus hu-
B manum, quàm in illo, quin potiùs excedit il-
lam: ergo intellectus creatus quouis modo VI.
spectatus, non potest naturaliter seu virtute suâ naturali videre Deum clarè per essentiam. Maior manet probata & explicata ex dictis articulo primo. Minor probatur: Deus vt clarè visus etiam in ratione obiecti est ordinis longè superioris, quàm sit efficacia & quantitas virtutis intellectus creati iuxta proprium modum essendi, siue extra corpus, siue in corpore: hæc enim sese tantùm extendit ad intelligendum entia ex rebus creatis: Deus autem vt clarè visus cognoscitur altiori modo, quia cognoscitur immediatè in se, & nullo intermedio ente creato, tanquam obiecto cognito: ergo cùm intellectus cum sola sua prædicta efficacia maneat potentia incompleta, respectu visionis beatificæ eliciendæ indiget aliquo supernaturali, quo compleatur ad il-
C lam eliciendam. VII.

Secunda ratio: eadem est conditio intellectus creati comparatione visionis beatificæ eliciendæ, ac est ipsius intellectus comparatione actuum supernaturalium spei, & charitatis exercendorum in via; quia lumen gloriæ in patria succedit fidei viæ, comprehensio spei, & fruitio diuinæ essentiæ respondet charitati: sed intellectus & voluntas indigent ex parte sui, & non tantùm ex parte aliquorum impedimentorum sibi extrinsecorum simpliciter, & absolutè aliquo supernaturali dono gratuito eleuãte & confortante illas ad exercendum, non tantùm faciliùs, sed etiam simpliciter actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, vt Concilia congregata contra Pe-
lagium, & Tridentinum sessione sextâ canone VIII.
D secundo & tertio definiunt: ergo intellectus creatus ex parte sui indiget aliquo supernaturali dono eleuante, & confortante illum ad eliciendum actum visionis beatificæ.

Atque duæ istæ rationes, tam probant nostram conclusionem contra Durandum, quàm contra Anomœos: nam etiamsi gratis daremus Durando, Deum tollere ab intellectu dependentiam illam, quam habet à rebus creatis in intelligendo, adhuc tamen intelligeremus intellectum eiusmodi etiam Angelicum esse insufficientem videndæ diuinæ essentiæ sese illi immediatè præsentanti: quia talis intellectus non esset proportionatus tanto obiecto; cùm tunc non haberet eundem essendi modum, seu non esset intra eundem essendi ordinem, in quo Deus vt clarè visus constituitur; hic enim est ordinis omninò su-

I. pernaturalis, iste verò minimè: sed semper remaneret incompletum & inchoatum duntaxat quoddam principium radicale ad eliciendum actum circa tale obiectum: vnde prius postularet compleri in seipso, quàm talem actum exercere.

ARTICVLVS IX.

Soluuntur fundamenta Anomœorum & Durandi.

FVNDAMENTVM Anomœorum fuit id: quod est omninò simplex, & indiuisibile non potest cognosci, quin totum perfectè & sicut est, cognoscatur, quia nullas habet partes, vt cognoscatur quoad aliquas, & quoad alias non cognoscatur: atqui Deus est omni-
II. nò simplex & indiuisibilis, vt suprà ostendimus & cognoscimus naturaliter aliquid de illo, vt omnes fatentur: ergo Deus videtur in hac vita sicuti est.

Respondetur ad maiorem, illam esse intelligendam duntaxat de eo solo simplici & indiuisibili, quod vnicum habet conceptum indiuisibilem in plures inadæquatos: tunc enim quia apprehendi non potest, nisi vnico tali conceptu, debet aut totum cognosci, aut omninò ignorari: cùm nihil sit ex parte eius, vnde intellectus creatus possit accipere occasionem formandi plures conceptus formales inadæquatos, & ita partim cognoscere illud, & partim non cognoscere: at quando indiuisibile & simplex ita est perfectum, vt æquipolleat pluribus entitatibus, & ratione suæ per-
III. fectionis potest fundare in intellectu creato plures conceptus inadæquatos, cuiusmodi est Deus ex dictis suprà quæstione tertiâ, & sequentibus: tunc quia eiusmodi formalibus nostris conceptibus aliquid respondet in obiecto, & vnus formalis conceptus potest formari sine alio, possumus aliquid cognoscere de tali obiecto, & aliquid non cognoscere de isto tali obiecto: iuxta quem sensum Apostolus primæ *ad Corinthios* 13. ait nos etiam, vt informatos fide supernaturali, cognoscere Deum tantùm ex parte.

Fundamenta Durandi tria sunt. Primum: quælibet potentia potest ex se percipere quodlibet obiectum contentum intra limites obiecti sui specificatiui, dummodo sit ei præsens, & omnia impedimenta secludantur: at
IV. Deus clarè visus est aliquod speciale obiectum contentum intra latitudinem obiecti specificatiui intellectus creati, vt patet ex dictis in præcedentibus.

Respondetur maiorem esse tantùm veram, quando potentia est completa non solùm quoad radicalem vim percipiendi obiectum, sed etiam quoad proximam & immediatam, quæ consistit in efficacia & quantitate virtutis superiùs exposita: esse autem falsam de potentia intellectiua, vt præscindit à quantitate virtutis; hanc enim potentiam sic consideratam esse tantùm incompletam agnoscit sanctus Thomas in quæstionibus disputatis de *veritate* quæstione decimâ quartâ articulo tertio, & quæstione de *virtute in communi* articulo primo, & nos explicauimus suprà: vnde cùm noster intellectus remotis quibuscumque impedimentis, sumptus præcisè ca-

A reat efficaciâ, & quantitate virtutis correspondente Deo clarè videndo, sic remanens numquam poterit videre diuinam essentiam clarè & intuitiuè quantumlibet sibi præsentissimam: econtrà verò quia in hoc statu intellectus noster habet efficaciam, & quantitatem virtutis correspondentem intelligendis rebus spectantibus ad ordinem naturæ, sit, vt remotis omnibus impedimentis, & iis sibi debitè applicatis intelligat illas. V.

Secundum fundamentum est: quando aliquod obiectum contentum intra latitudinem obiecti specificatiui superat potentiam excellentiâ, tunc tantùm non potest percipi ab illa, quando potentia læderetur ab illo, vt patet in sensibus exterioribus: ergo vbi potentia non erit capax læsionis, cuiusmodi est intellectus, qui est incorruptibilis, vbi omnia alia
B impedimenta sublata erunt, poterit illud percipere, si præsentetur ei: ergo licet Deus superet in excellentia intellectum creatum, vbi intellectus erit extra corpus, poterit videre Deum clarè, si Deus sese illi præsentet in ratione obiecti. VI.

Respondetur, maiorem esse simpliciter falsam, quatenus vult adæquatam rationem cur aliquod obiectum contentum intra latitudinem specificatiui obiecti, non possit à potentia sibi correspondente percipi, esse ipsam excellentiam illam lædentem, vt sanctus Thomas animaduertit hâc primâ parte quæstione 88. articulo primo in solutione ad tertium; sed est etiam eius improportio ad efficaciam, seu quantitatem virtutis potentiæ eiusmodi, quæ ratio habet locum in Deo clarè viso re-
C spectu intellectus creati considerati secundùm se. Nam quod vehemens sensibile, verbi gratiâ, corpus valde lucidum, seu luminosum lædat sensum visus, prouenit ex eo quòd actio eius physica opponitur temperamento nostri visus, quatenus adiunctam sibi habet qualitatem alteratiuam, vt philosophi ex professo tradunt libro secundo de *anima*, quando disputant de iis, quæ sunt communia omnibus sensibus. VII.

Tertium denique eius fundamentum est eiusmodi: si quid requiratur ex parte intellectus præcisè spectati, maximè lumen gloriæ: at Durandus ibi fusè contendit nullam esse necessitatem istius luminis.

Respondetur, requiri lumen gloriæ, vel aliquid gerens vices illius, quo intellectus
D eleuetur ad videndum Deum clarè, vt patebit articulis sequentibus, vbi etiam dissoluemus argumenta Durandi contra necessitatem illius. VIII.

ARTICVLVS X.

Soluitur dubium.

QVÆRES, quid sit sentiendum de ista opinione Durandi.

Respondetur videri *erroneam*, licet enim possit excusari à prædicto errore Anomœorum & Begardorum, quatenus ad visionem beatificam postulat remotionem impedimentorum, quam vult tantùm pertinere ad ordinem gratiæ, vt ipse explicat in quartum sententiarum distinctione quadragesimâ nonâ quæstione secundâ num. vigesimo quarto:

I. quia tamen Concilium Viennense suprà damnat in terminis expressis hanc propositionem, quam Begardi ex sua præcedenti inferebant, anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, quam tamen Durand. suprà tuetur: sententia eius est erronea.

Nec obstat, quòd Durandus suprà existimet intellectum creatum sese habere tantùm passiuè ad visionem beatificam. Concilium enim suprà damnat absolutè prædictam propositionem Begardorum, quia negabant simpliciter necessitatem eleuationis in intellectu, non discutiendo, an ille concurrat effectiuè ad illam, an verò tantùm passiuè: potest tamen persona Durandi excusari ab errore per id quod fortassis non vidit, nec audiuit promulgationem huius definitionis Concilij Viennensis, quando scripsit.

II. Addi tamen debet eandem esse rationem omninò intellectus Angelici, ac humani quoad necessitatem eleuationis in ordine ad visionem beatificam; licet enim verba expressa citati Concilij non comprehendant Angelos, vt animaduertit Maior in 4. sent. dist. 49. quæst. 4. ratio tamen & connexio posterioris partis quintæ propositionis Begardorum cum priori illos comprehendit: damnatur enim hæc posterior pars ibi à Concilio: *qualibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter*, id est, viribus naturæ *est beata*: quæ propositio comprehendit etiam Angelos, cùm Angeli ex se, & naturali sua conditione, sint creaturæ intellectuales: ergo Angeli vt videant clarè & intuitiuè Deum, opus habent eleuatione supernaturali, sicut & homines: est autem so-
III. lùm facta mentio animæ rationalis, quia Begardi agebant principaliter de illa.

DISPVTATIO II.

De lumine gloriæ secundùm se.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit lumen gloriæ.

SVPERIORI disputatione ostendimus, ad actum visionis beatificæ requiri ex parte intellectus creati donum aliquod supernaturale confortans & eleuans illum: nunc quæritur quid illud sit. Ad cuius explicationẽ

IV. Præmittendum, communiter vocari à Theologis lumen gloriæ, vt patet ex citata Clementina *ad nostrum*, & ex Scholasticis citatâ distinct. 49. lib. 4. sententiarum, & hâc quæstione duodecimâ sancti Thomæ, per analogiam ad lumen corporeum, ea scilicet de causa quod rem reddit intelligibilem, quia enim iuxta Apostolum ad *Ephesios* 5. *omne quod manifestatur lumen est*, & hoc donum eleuat intellectum creatum ad Deum clarè videndum, facítque eum, cui communicatur *gloriosum*, vocatur *lumen gloriæ*: eius autem naturam expendemus seqq. propositionibus.

Prima propositio. *Lumen gloriæ formaliter non est ipsa visio essentiæ diuinæ.*

Probatur: quod præsupponitur saltem ordine naturæ ad aliquid, non est idem formaliter cum illo: nihil enim seipsum præsuppo-
A nit: at lumen gloriæ præsupponitur saltem ordine naturæ ad visionem beatificam, quia ex Conc. Viennensi suprà eleuat intellectum ad clarè videndum Deum; & proinde sicut intellectus præsupponitur visioni saltem ordine naturæ; ita etiam & lumen gloriæ, quod illum eleuat; cùm intellectus creatus non eliciat visionem beatificam nisi vt eleuatus. V.

Deinde hoc lumen gloriæ est effectiuè à solo Deo, & nullomodo ab intellectu creato: sed visio beatifica est etiã effectiuè ab intellectu: ergo hoc lumen gloriæ non est visio beatifica.

Tertiò, omne quod disponit aliquo modo ad aliud, non est formaliter illud ad quod disponit, dispositio enim & forma semper distinguuntur à se inuicem: sed lumen gloriæ disponit aliquo modo intellectum ad videndum Deum, quia illum constituit in statu accom-
B modato ad eliciendam visionem beatificam, VI.
quæ excedit naturam intellectus secundùm se considerati; ergo lumen gloriæ non est formaliter visio diuinæ essentiæ.

Secunda propositio. *Lumen gloriæ non est formaliter ipsum lumen increatum Dei, nec iste concursus, quo Deus concurrit cum intellectu creato ad visionem beatificam.*

Prior pars probatur: quia Conc. Vienn. suprà dum asserit necessitatem huius luminis, intelligit per illud, aliquid creatum: loquitur enim de illo ad sensum Theologorum, quorum communis sententia per lumen gloriæ intelligit aliquid creatum existens formaliter & subiectiuè in intellectu.

Posterior pars probatur: quia per lumen gloriæ intelligitur donum aliquod, ratione cuius intellectus eleuatur permanenter, &
C modo sibi connaturali ad Deum clarè viden- VII.
dum: cùm enim status beatitudinis sit perpetuus, debet habere modum quàm conuenientissimum, cuiusmodi est esse, & fieri modo connaturali & per aliquid habens esse permanens: at concursus ille non intelligitur eleuare intellectum permanenter, sed tantùm transeunter, nec modo connaturali, quia tunc censetur aliquid fieri modo connaturali à potentia, quando fit ab illa, vt habente in seipsa permanenter vim completam & perfectam requisitam ex parte principij: sic enim actus supernaturales virtutum Theologicarum dicuntur fieri à nobis connaturaliter: igitur lumen gloriæ non est ipse concursus Dei, quo cum intellectu creato concurrit ad eliciendum visionem beatificam.

D Deinde, concursus ille loquendo præcisè VIII.
tenet se ex parte Dei, tanquam causæ vel vniuersalis, vel specialis concurrentis ad talem actum, vt patebit inferiùs: at lumen gloriæ tenet se ex parte intellectus, quia eum eleuat & confortat.

Neque primæ parti huius propositionis obstat illud Psalmi 35. *In lumine tuo videbimus lumen*: imprimis enim in illo loco Psalmi particula illa *in*, idem est ac *per*, & particula *lumen* priori loco sumitur pro creato lumine gloriæ; in posteriori verò pro ipsa facie, seu essentia Dei, vt ad illum locum notat Genebrardus: vnde sensus est iste: per lumen hoc creatum gloriæ videndum esse lumen increatum, quod est essentia diuina.

Deinde rectè possumus dicere beatos videre Deum, lumen increatum, in lumine Dei

I. sumpto effectiuè, quatenus confortati lumine
gloriæ, quod est illis à Deo infusum, vident
ipsum Deum seu essentiam diuinam, pro qua
expositione videri potest S. Augustinus suâ
enarratione ad illum Psalmum, vel etiam ita
vt per istam particulam *lumine tuo*, intelliga-
tur Filius Dei, qui in Symbolo Nicæno dici-
tur *lumen de lumine*, & apud sanctum Ioan-
nem capite primo, *lux hominum*, & dicun-
tur beati videre Deum lumen in *suo lumi-
ne*, id est, in Filio, quatenus vi & efficaciâ
meritorum eius consequuti sunt visionem di-
uinæ essentiæ.

Tertia propositio. *Lumen gloriæ, quo in-
tellectus beati eleuatur iuxta legem ordinariam
Dei, est quædam habitualis qualitas supernatu-
ralis infusa à Deo ipsi intellectui:* ita commu-
niter omnes Theologi hâc præsenti quæst. 12.
II. & 4. sententiarum distinctione quadragesimâ
nonâ.

Probatur ex 2. parte præcedentis proposi-
tionis, vbi ostendimus, Concilium Viennense
suprà non posse explicari de concursu Dei, vel
de aliquo alio habente tantùm se per modum
transeuntis; sed debere intelligi de aliquo
habente se permanenter, ac proinde quod sit
aliquid habituale.

Probatur ampliùs: Deus iuxta legem ordi-
nariam, tam in ordine supernaturali, quàm
naturali semper facit quod est magis consen-
taneum naturis rerum, quia Sapient. 8. *Deus
disponit omnia suauiter:* atqui magis est con-
sentaneum statui beatifico, vt intellectus crea-
tus eleuetur & fiat potens completè ad Deum
clarè videndum per qualitatem sibi inhæ-
rentem permanenter, quàm per aliquid tan-
III. tùm transiens, aut solummodo assistens: ergo
lumen gloriæ, quo intellectus creatus eleua-
tur iuxta potentiam ordinariam est qualitas
habitualis.

Confirmatur hæc ratio, ex eo quòd eo-
dem modo S. Thom. 1. 2. quæstione 110. arti-
culo secundo, probat gratiam sanctifican-
tem esse habitualem: *item* 2. 2. quæstione 23.
articulo 2. charitatem esse habitum; & Theo-
logi communiter primâ secundæ, quæstione
sexagesimâ secundâ, articulo 1. & sequentibus
probent dari habitus supernaturales infusos
per se.

Quòd autem habitus ille luminis gloriæ sit
propriè supernaturalis quoad suam substan-
tiam, seu in sua entitate, & ex consequenti
immediatè infusus à Deo, patet iisdem funda-
mentis & rationibus, quibus Theologi agen-
IV. do de habitibus prædictis supernaturalibus
fidei, spei, & charitatis, ostendunt illos esse
supernaturales in sua entitate: est enim ea-
dem planè ratio huius luminis gloriæ, vt fa-
cilè intelligitur ex dictis: quare id de hoc
lumine sic breuiter ostenditur: habitus ille
censetur loquendo propriè esse supernatura-
lis quoad suam entitatem, cuius propria en-
titas spectata secundùm prædicatum suum
specificum est talis conditionis, vt non de-
beatur ipsi vniuerso, vel alicui ex eius enti-
bus seu partibus, prout tam ipsum vniuersum,
quàm singulæ partes eius considerantur se-
cundùm naturales suas perfectiones, & fi-
nem suum naturalem; & quòd præterea ex
præcisa, & formali sua ratione perficit, &
ordinat creaturam rationalem ad gloriam

A supernaturalem: nam ex primo capite quo V.
habet, quòd sit supra exigentiam totius sub-
stantiæ creatæ, & ei consideratæ secundùm
sola sua principia naturalia indebitum, fit vt
talis habitus quoad sui productionem sit ex-
tra vim cuiuscumque agentis naturalis, & ex
consequenti ad hoc vt existat, postulet ex sua
ratione præcisa, produci à Deo.

Ex secundo autem capite habet, quòd in
tali sua substantia, seu entitate transcendat
totum ordinem naturæ: nam totus hic ordo
sistit in Deo, tanquam vltimo fine, vt aucto-
re naturæ, & in mediis intra illum eumdem
ordinem constitutis, vt deducentibus & or-
dinantibus omnes & singulas creaturas ad
Deum, vt finem correspondentem tali ordini
rerum: atqui entitas habitus luminis gloriæ
spectata secundùm prædicatum suum specifi-
B cum, quo reddit intellectum creatum proxi- VI.
mè & positiuè habilem, & idoneum elicere
claram & intuitiuam visionem essentiæ diui-
næ, seu Dei sicuti est in seipso, non debetur
ipsi vniuerso, vel alicui ex eius entibus, seu
partibus, prout tam ipsum vniuersum, quàm
singulæ partes eius considerantur secundùm
naturales suas perfectiones, & iuxta finem
suum naturalem, vt per se patet & ampliùs
intelligetur ex dicendis infrà: & præterea en-
titas luminis gloriæ ex sua formali, & præ-
cisa ratione complet, perficit & ordinat in-
tellectum creatum ad claram & intuitiuam
visionem diuinæ essentiæ, seu ad supernatura-
lem gloriam: hæc enim est intrinseca eius na-
tura, & inde appellatur lumen gloriæ: ergo
habitus luminis gloriæ est propriè loquendo
supernaturalis quoad suam entitatem. VII.

C

ARTICVLVS II.

Vtrum lumen gloriæ sit potentia propriè dicta vel habitus.

PRIMA sit nostra propositio. *Lumen gloriæ
non est propriè loquendo potentia.* Probatur
imprimis, quia proprium potentiæ est fluere
immediatè ex principiis intrinsecis ipsius es-
sentiæ rei: at lumen gloriæ non fluit ex essen-
tia animæ rationalis, sed à Deo infunditur
intellectui. Deinde proprium est potentiæ re-
cipi immediatè in essentia: at lumen gloriæ
recipitur immediatè in intellectu: sicut & fi-
des infusa, cui succedit. Tertiò potentia actus
immanentis est proximum subiectum illius:
at lumen gloriæ non est subiectum immedia-
D tum & proximum visionis beatificæ, sed in- VIII.
tellectus.

Tandem si lumen gloriæ esset quædam po-
tentia cùm sit principium cognitionis intel-
lectiuæ, deberet esse quidam intellectus,
& sic in quolibet beato, purâ creaturâ de-
beret dari triplex intellectus; primus natu-
ralis potentia, secundus lumen gloriæ, tertius
aliud lumen pro cognitione vespertina: at
multiplicare eiusmodi intellectus videtur es-
se frustraneum.

Secunda propositio. *Hoc lumen gloriæ est
propriè habitus operatiuus.* Probatur: essentialis
ratio habitus operatiui, prout consideratur
genericè, & abstrahit ab habitu acquisito &
infuso per se, importat tantùm quòd sit qua-
litas permanens in subiecto ordinata per se

I. primò ad operationem ſupponens primam facultatem operandi, abſtrahendo à completa & incompleta: ita vt illa duplex ratio præſupponendi facultatem, ſeu potentiam operandi conſtituat duas ſpecies habitus operatiui, ſcilicet ipſum præſupponere primam potentiam operandi completam ad exercendos actus, conſtituat ſpeciem habituum acquiſitorum: ipſum verò præſupponere primam potentiam duntaxat operandi incompletam & inchoatam, ad exercendos actus contentos intra limites obiecti ſui ſpecificatiui, excedentes tamen proprium eſſendi modum intellectus creati, conſtituat ſpeciem habituum per ſe infuſorũ: quare cùm lumen gloriæ præſupponat in intellectu primam potentiam exercendi actum viſionis beatificæ iuxta inchoatum tantùm principium, vt docuimus articc. præcedd.
II. erit propriè habitus, ita tamen vt ſit in hac 2. ſpecie habituum, ſcilicet per ſe infuſorum.

Quòd autem hæc ratio ſit conſtitutiua habituum ſupernaturalium & diſtinctiua eorumdem ab habitibus acquiſitis, patet ex Concilio Mileuitano can. 5. & Trid. ſeſſ. 6. can. 2. & ex communi doctrina Theologorum, & Patrum docentium ſupernaturale donum à Deo infuſum (quo nomine Scholaſtici communiter iuxta potentiam ordinariam Dei intelligunt qualitatem permanentem ſeu habitualem) requiri, non tantùm ad faciliùs exercendum actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, ſed eſſe neceſſarium: in eo diſtingui donum iſtud ab habitibus acquiſitis, quòd hi dent tantùm faciliùs operari: iſtud verò det poſſe operari.

Obiicies 1. proprium habitus operatiui pro-
III. priè dicti eſt tantùm facilitare potentiam ad operandum, ſicque præſupponere principium agendi completum; ſed lumen gloriæ dat intellectui creato ſimpliciter poſſe exercere viſionem beatificam, & non illam duntaxat faciliùs elicere; ergo potiùs eſt dicendum potentia naturalis quàm habitus.

Reſpondetur ex dictis, facilitare duntaxat potentiam eſſe proprium ſolius habitus acquiſiti per ſe, non autem infuſi per ſe, cuiuſmodi eſt lumen gloriæ.

Obiicies 2. viſio beatifica cùm ſit entitatis ſupernaturalis, poſtulat etiam eſſe à potentia ſupernaturali; ſed nulla alia poteſt ei aſſignari potentia, quàm ipſum lumen gloriæ. Nam ſi quæ alia poſſet ei aſſignari, maximè intellectus creatus; at ille non poteſt ei aſſignari pro tali
IV. potentia, quia concurrit ad illam tantùm ex ſe per ſuam inchoatam & incompletam vim; quæ eſt ei natiua & naturalis, non autem ſupernaturalis, quippe quæ ei ineſt ante eleuationem: ergo viſio beatifica poteſt tantùm refundi in lumen gloriæ tanquam in potentiam ſupernaturalem, & proinde cùm potentia ſit alia ſpecies qualitatis ab habitu, vt patet ex Ariſtotele in categoria qualitatis, lumen gloriæ non erit propriè habitus, ſed potiùs quædam potentia ſupernaturalis.

Reſpondetur, viſionem beatificam prout elicitur à potentia ſupernaturali, nimirum ab intellectu, vt eleuato per lumen gloriæ, eſſe à potentia ſupernaturali propriè dicta; licet enim vis illa inchoata & incompleta ſuperiùs explicata, ſit hoc ſenſu naturalis intellectui, prout id dicitur naturale, quod fluit à princi-

A piis naturæ: attamen prout illud dicitur naturale, quod reſpicit agens naturale, à quo V.
fiat & producatur, virtus iſta inchoata & incompleta, quæ eſt in intellectu creato (quod ſimiliter dicendum eſt de quacunque alia potentia) dicetur tantùm naturalis comparatione eorum actuum, quorum obiecta habent eumdem eſſendi modum cum ipſa natura cognoſcéte, & vt percipiuntur ſunt proportionata efficaciæ, ſeu quantitati virtutis correſpondenti illi proprio eſſendi modo talis naturæ: vbi verò excedunt talem modum, actus illi dicuntur ſupernaturales & exerceri per potentiam, non quidem naturalem, ſed obedientialem tantùm & ſupernaturalem: ſicq; cùm viſio beatifica non eliciatur ab intellectu creato iuxta efficaciam correſpondentem proprio modo eſſendi ſuæ naturæ, ſit, vt dicatur elici
B ab illo tanquam ſupernaturali potentia. VI.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit de fide dari lumen gloriæ habituale.

SENSVS articuli eſt, an propter auctoritatem Conc. Viennenſis ſuprà relatam non tantùm ſit de fide dari lumen gloriæ abſtrahendo ab actuali & habituali, ſed etiam habituale & in ratione habitus.

Prima ſit propoſitio. *Non videtur expreſſè de fide eſſe dari lumen gloriæ habituale.* Probatur, quia Concilium ibi determinat tantùm dari lumen gloriæ & neceſſitatem eius, quomodo Begardi negabant illud, & eius indigentiam; intentio enim Concilij ibi eſt damnare Begar-
C dos: at iſti hæretici negabant hoc lumen, & VII.
eius indigentiam, non determinando, quod eſſet habituale, & in iſta definitione Concilij nullum habetur verbum expreſſè, quo præciſè & ſine admixto diſcurſu Concilium intelligatur loqui de habituali: cùm ſemper abſtineat à nomine *habitus*: nec mens Concilij ibi fuit dirimere controuerſiam ſcholaſticam. Adde quòd etiam nunc eſt controuerſum inter ſcholaſticos, an ſit de fide, fidem, ſpem, & charitatem ſupernaturales dari in ratione habituum, vt docent ſcholaſtici locis ſuprà citatis.

Secunda propoſitio. *Licet non ſit de fide expreſſè definitum lumen gloriæ eſſe habitum, tamen id ita certum eſt, vt oppoſitum videatur erroneum.* Probatur, quia vt aliqua propoſitio cenſeatur *erronea*, ſufficit quòd propoſitio ei oppoſita
D colligatur per diſcurſum Theologicum ex ali- VIII.
qua propoſitione de fide: at ex prædicta definitione Concil. Viennenſis colligitur per diſcurſum Theologicum, hoc lumen gloriæ eſſe habituale: nam quando agitur de re vt eleuanda ad actionem duraturam perpetuò, abſque aliqua interruptione, tunc principium eleuans debet etiam accipi & intelligi, vt ſemper durans, & perſeuerans; quia ſine illo non poteſt intelligi talis operatio durare: ſed Concilium ſuprà loquitur de eleuatione intellectus per lumen gloriæ ad viſionem beatificam, vt duraturam perpetuò & ſine interruptione: ergo etiam Concilium intelligitur loqui de principio eleuante intellectum, vt duraturo ſemper & vt perſeuerante ſine interruptione, & per conſequens habituali.

I.

ARTICVLVS IV.

Vtrum lumen gloriæ sit habitus perfectior de formali & propria sua ratione, quàm sit habitus gratiæ vel charitatis.

SIT hæc vnica nostra propositio. *Habitus luminis gloriæ ex sua propria & formali ratione est perfectior, quàm sit habitus gratiæ vel charitatis.*

Probatur: habitus sicut specificantur à suis actibus & illis mediantibus ab obiectis; sic & ab istis duobus accipiunt suam nobilitatem, ita vt habitus, qui ex formali sua ratione producunt actus secundùm se nobiliores, & respiciunt obiecta etiam æquè nobilia sub nobiliori tamen ratione, sunt etiam nobiliores aliis habitibus respicientibus eadem quidem
II. obiecta, sed modo non ęquè nobili: atqui habituale lumen gloriæ ex præcisa sua ratione producit actum longè nobiliorem quàm gratia sanctificans, vel charitas, & respicit Deum suum obiectum perfectiori modo, quàm gratia sanctificans: ergo est etiam perfectior habitus. Maior est certa ex iis, quæ philosophi in ethicis, & Theologi 1. 2. tradunt communiter de habitibus.

Minor patet, quia actus visionis beatificæ est perfectior actu charitatis, seu gratiæ sanctificantis. Hic enim ordinatur ad istum, hic dicit tantùm inchoationem gloriæ æternæ & ius ad illam, iste consummationem & possessionem gloriæ, & S. Thomas 1. 2. quæst. 3. artic. 4. satis docet, actum visionis beatificæ esse perfectiorem actu charitatis, dum vult beatitudinem essentialem debere consistere
III. in operatione perfectissima, & hanc esse eam, quâ intellectus videt Deum clarè. Item lumen gloriæ per proprium suum actum respicit Deum, vt suum obiectum sub nobiliori modo, quàm gratia sanctificans, quia illum respicit, vt intimè vnitum secundùm suam substantiam intellectui creato gerentem vices speciei impressæ, vel sese habentem ad instar speciei impressæ; at per gratiam, secundùm rationem obiecti, quâ amans est per affectum in re amata: ergo habitus luminis gloriæ est ex formali sua ratione perfectior, quàm sit habitus charitatis, seu gratiæ sanctificantis.

Obiicies primò: gratia est quædam participatio diuinæ naturæ ex S. Petro in sua epist.
IV. Canonica, per illam sumus formaliter *Filij Dei*: ergo est perfectior habitus quàm sit lumen gloriæ.

Respondetur concesso antecedente negando consequentiam, quia lumen gloriæ ratione proprij sui actus est maior participatio diuinæ naturæ, quàm sit gratia habitualis, cùm per illud diuina natura participetur consummatè, non autem per gratiam: item reddimur similes essentiæ diuinæ per actum visionis beatificæ productum à lumine gloriæ, quatenus efformamus expressam similitudinem diuinæ essentiæ & perfectionum eius; quæ similitudo manet in nostro intellectu.

Obiicies secundò: Patres communiter dicunt nullum donum Dei esse excellentius charitate: item charitas est habitus Theologicus attingens Deum vt est in se, & faciens
A vt voluntas sit in Deo tanquam in obiecto amato: lumen verò gloriæ non est virtus V.
Theologica; cùm tres tantùm enumerentur, faciátque Deum esse in cognoscente iuxta modum cognoscentis; quia intellectio trahit ad se obiectum; & proinde lumen istud facit, vt Deus sit in beato modo minus perfecto quàm charitas seu gratia sanctificans efficiat: ergo lumen gloriæ videtur esse habitus minus perfectus quàm sit habitus gratiæ sanctificantis.

Respondetur, istud intelligi de donis supernaturalibus, quæ dantur ordinariè viatoribus: lumen gloriæ posse dici habitum Theologicum, tres verò tantùm habitus Theologicos admitti à scholasticis; quia loquuntur tantùm de habitibus viæ, & quòd lumen gloriæ respiciat Deum sub ratione perfectiori,
B quàm gratia sanctificans, patet ex dictis: intellectus autem dicitur trahere ad se obie- VI.
ctum ratione speciei impressæ, per quam illud percipit: at in visione beatifica non datur species impressa, vt patebit inferiùs.

ARTICVLVS V.

Vtrum proprium munus luminis gloriæ, sit disponere intellectum ad recipiendam visionem beatificam.

DIFFERENTIA habituum attenditur penes illud speciale, ad quod operandum ordinantur ex præcisa sua ratione, vt philosophi docent agendo de illis; ideóque cùm præcedentibus articulis exposuerimus proprium genus luminis gloriæ, aggrediemur iam eius VII.
C proprium munus.

Paludanus in 4. sentent. distinct. 49. qu. 1. art. 1. & cum eo alij nonnulli ex iis qui existimant intellectum concurrere efficienter ad visionem beatificam, putant proprium eius munus esse disponere intellectum ad eam recipiendam.

Melior tamen est contraria sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus. *Lumen gloriæ non ideò est necessarium, vt beatifica visio recipiatur in intellectu beati.* Probatur: si lumen gloriæ requiritur tanquam dispositio intellectus ad recipiendam visionem, vel vt hæc recipiatur immediatè in lumine gloriæ, tanquam in subiecto, quo mediante recipiatur in intellectu; sicut accidentia materialia recipiuntur in materia mediante quantitate; vel requiri-
D tur, vt simpliciter disponat intellectum ad receptionem visionis beatificæ, quatenus il- VIII.
lum præparat ad vlteriorem formam, sicut calor præparat materiam stuppæ, ad formam ignis immediatè recipiendam.

Primum dici non potest, quia actus vitalis & immanens, cuiusmodi est visio beatifica, recipitur tantùm immediatè in suo vitali principio, vt patet inductione: at lumen non est tale principium formaliter.

Deinde, tunc vnum tantùm accidens regulariter est subiectum alterius accidentis, quando vel propria eius ratio conuincit à priori talem eius esse subordinationem, verbi gratiâ, quia propria ratio habitus operatiui est adiuuare potentiam ad operandum, rectè intelligimus tale accidens debere esse in potentia, quam adiuuat, & mediante illâ in sub-

I. stantia : vel saltem à posteriori intelligimus vnum accidens debere esse in alio, quando aliquod signum, seu indicium datur, quo talis subordinatio inter illa ostendatur : atqui propria ratio visionis beatificæ non conuincit talem subordinationem dari inter illam, & lumen gloriæ, vt illa postulet subiectari in isto, nec etiam aliquod signum huius subordinationis datur, sed contrarium potiùs iudicatur, scilicet ex eo, quòd visio hæc sit actus vitalis, illam debere necessariò recipi in suo principio vitæ, non autem in omni eo, à quo effectiuè procedit, vt etiam patet in habitibus acquisitis scientiarum; qui licet cum intellectu producant effectiuè actus sibi correspondentes, non propterea tamen sunt immediata subiecta actuum scientificorum, sed solus intellectus qui est vitale principium.

Secundum item dici non potest, quia si lu-
II. men gloriæ requireretur ad sic disponendum intellectum pro recipienda visione beatifica, maximè quia ante aduentum huius luminis, intellectus est ei improportionatus, cùm nondum sit ordinis supernaturalis, cuius tamen est visio beatifica; actus autem & potentia debent esse eiusdem ordinis : at falsum est intellectum creatum esse improportionatum receptioni visionis beatificæ secundùm se spectatæ : nam omnis potentia obedientialis est proportionata recipiendo suo actui; sed intellectus recipit in seipso visionem beatificam, prout ille consideratur iuxta potentiam suam obedientialem, & non iuxta naturalem : tunc enim aliqua entitas induit rationem obedientialis potentiæ, siue passiuæ, siue actiuæ : quando accipit vel agit modo
III. excedente proprium suum, & naturalem modum essendi, vt explicatum est suprà, quo tamen modo tunc intellectus recipit visionem beatificam : ergo lumen gloriæ non præcisè requiritur ad hoc, vt intellectus per illud disponatur ad receptionem visionis beatificæ.

Deinde hæc improportio visionis beatificæ recipiendæ in intellectu creato, & necessitas luminis gloriæ ad faciendum istam proportionem, fundatur iuxta oppositam sententiam præcisè in ipsa supernaturalitate visionis beatificæ: at ipsa supernaturalitas rei, non requirit ex se, & ex præcisa sua conditione aliquam præuiam dispositionem in suo subiecto, vt patet in habitibus supernaturalibus, qui paruulis infunduntur in ba-
IV. ptismo, & primi actus fidei, spei & dilectionis supernaturalis sæpè eliciuntur ab adultis ante iustificationem primam omnium, nullâ supernaturali præuiâ dispositione illis inhærente; & quòd in adultis aliquæ dispositiones prærequirantur ad gratiam habitualem accipiendam, non prouenit ex natura rei, seu ex physica necessitate, sed tantùm ex morali, seu ex ipsa institutione Dei habente fundamentum in congruentia & honestate : vt Theologi docent primâ secundæ, agendo de iustificatione.

Neque his rationibus conuictus satisfaciet, si dixerit, non ideò visionem beatificam requirere, vt intellectus disponatur ad illam recipiendam, quia est supernaturalis, sed quia est forma principalis in suo ordine, quæ non ordinatur ad formam vlteriorem; hoc enim respondendo non satisfaciet. Nam

A primò necessitas dispositionis vt præparantis subiectum non fundatur præcisè in eo, V.
quòd forma sit principalis vel non, nec in eo quòd vlteriùs ordinetur, vel non ordinetur ad aliam formam; sed præcisè in eo, vt subiectum reddatur proportionatum formæ quæ debet in eo recipi, & est ei quoad hoc per accidens, quòd sit forma principalis & non vlteriùs ordinata ad aliam formam, vt etiam patet ex ipso eius nomine : deinde actus etiam fruitionis in voluntate beati tam est principalis in suo ordine, quàm sit visio beatifica, nec tamen aliquid habituale de nouo infusum assignatur voluntati beatorum, quo disponatur in patria ad recipiendum in se ipsam fruitionem.

Nec denique obstat, quòd visio beatifica iuxta potentiam ordinariam non recipiatur in intellectu beati, nisi vt iam informato lu- VI.
B mine gloriæ : non enim id prouenit ex præsuppositione luminis gloriæ necessaria in ratione dispositionis, sed ex naturali conditione & ordinatione, quæ est inter exercitium actus visionis beatificæ & receptionem eius, quatenus scilicet prius est ordine rationis actum illum elici à sua potentia, quàm recipi in illa; ideóque cùm ordinariè non eliciatur, nisi præsupposito lumine gloriæ, nec etiam est in illo nisi præsupposito eodem lumine in intellectu, etsi visio beatifica esset talis, vt posset supernaturaliter infundi absque eo quod effectiuè procederet ab intellectu, posset etiam intellectus, sine aliqua eleuatione facta per aliquid sibi superadditum recipere illam, sicut & recipit alias formas entitatiuè supernaturales : imò VII.
C & ipsum habitum luminis gloriæ, sine alia præuia dispositione.

Cur autem intellectus vel alia similis potentia recipiat eiusmodi formas supernaturales absque aliqua præuia dispositione; ad producendum verò illas indigeat aliquo eleuante & confortante; hæc est ratio, quòd subiectum recipiendo aliquam formam nihil ei communicet præter seipsum & receptaculum : vnde si subiectum & forma sibi correspondeant in entitate & ordine, istud nullo sibi superaddito, poterit illam recipere : at potentia actiua producendo effectum communicat ei aliquid, scilicet ipsum esse tale, quod in illo reperitur, & ideò si illa secundùm se spectata est tantùm incompleta pro tali effectu producendo, debet
D priùs compleri & aliunde confortari, quàm VIII.
agat.

Atque ex his intelligitur axioma istud sancti Thomæ hâc quæstione articulo quinto, & libro tertio *contra Gentes*, capite tertio : omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet quòd disponatur aliquâ dispositione, quæ sit supra naturam, non militare contra nostram propositionem. Nam præterquàm quòd sanctus Thomas ibi illud tantùm pronuntiat de potentia actiua (quia ex illo concludit necessitatem luminis gloriæ ob defectum actiuæ virtutis sufficientis ad Deum clarè videndum) intellectus recipit tantùm visionem beatificam per suam obedientialem potentiam, quæ est supernaturalis, & sic intellectus non censetur eam recipere supra suas vires, nec proin-

I. de ad id indigere dispositione præparante. A

Secundò ex eadem propositione constat falsam esse eorum opinionem, qui existimant necessitatem luminis gloriæ peti etiam ex eo quòd oporteat intellectum creatum priùs accipere aliquam rationem fundamentalem, quâ homo acceptetur ad perfectam filiationem adoptiuam Dei, quàm fruatur illâ, sicut in via fides infusa datur, tanquam fundamentum quoddam illius adoptionis, quæ reperitur in viatoribus : constat inquam ex dictis hoc esse falsum. Nam eo ipso, quo quis moritur in gratia sanctificante, quæ est semen vitæ æternæ, eámque retinet, habet in seipso sufficienter rationem proximam fundamentalem perfectæ istius filiationis obtinendæ in patria, & lumen gloriæ dicitur succedere fi-
II. dei; quæ est in via, quia vt hæc est principium B
productiuum actuum, quibus supernaturaliter credimus; ita & lumen gloriæ est principium productiuum actus visionis beatificæ, quo clarè & intuitiuè videmus mysterium Trinitatis & alia, quæ per fidem supernaturalem credimus in via.

Articvlvs VI.

Vtrum lumen gloriæ necessarium sit, vt primò per se immediatè intellectus recipiat diuinam essentiam habentem se ad modum speciei impressæ.

Præsupponendvm est ex philosophis, actum cognitionis pendere à duobus, nimirum à potentia cognoscente, & ab obie-
III. cto rei cognitæ, quæ res cognita seu obie- C
ctum vel per seipsum, vel per suam speciem impressam obeuntem vicarias eius operas efficiat cognitionem cum potentia vt potentia, vt philosophi docent ex professo in libris *de anima*: vnde cùm talis species sit quoddam accidens, quo subiectum cognitum coniungitur potentiæ ad eliciendum cognitionem, illud nulli alteri commodiùs inexistere potest, quàm tali potentiæ: iam ergo quæritur, cùm essentia diuina ita sese habeat ad intellectum, an ille indigeat lumine gloriæ, vt disponatur ad sic recipiendam diuinam essentiam.

Affirmant S. Thom. hîc aliquo modo art. 5. & lib. 3. *contra Gentes*, cap. 53. & aliquot ex eius discipulis.

Verior tamen videtur esse negans opinio, pro qua sit hæc nostra propositio. *Lumen glo-*
IV. *riæ non est necessarium, vt primò per se immediatè* D
intellectus beati recipiat diuinam essentiam in seipso, vt formam intelligibilem, quatenus essentia diuina supplet vices speciei impressæ, vel sese habet de facto ad instar speciei impressæ.

Probatur : quando aliqua forma est duntaxat assistens & non inhærens, tunc nulla præuia dispositio requiritur in eo quod recipit assistentiam talis formæ, præsertim vbi hæc receptio comparatione recipientis tota sese habet secundùm potentiam obedientialem, vt patet in nostris sacramentis, dum recipiunt assistentiam Dei ad producendam gratiam iustificantem, patet etiam in cœlis dum recipiunt assistentiam intelligentiarum in faciendo suo motu: at diuina essentia habens se ad instar speciei impressæ, vel gerens vicem eius, est forma tantùm assistens intellectui beati,
& non ei inhærens : repugnat enim diuinæ V.
essentiæ quæ est substantia perfectissima inhærere : ergo diuina essentia, vt sic non prærequirit aliquam dispositionem in intellectu, vt vniatur ei ad instar speciei impressæ : nec proinde lumen gloriæ requiritur pro disponendo intellectu beati, vt recipiat essentiam diuinam in ratione formæ intelligibilis.

Dices, hanc rationem tantùm probare lumen non requiri, vt intellectus beati disponatur ad recipiendum diuinam essentiam, vt formam intrinsecè actuantem, non tamen probare illud non requiri velut dispositionem, quâ intellectus beati fiat proportionatus diuinæ essentiæ sibi coniungendæ in ratione concausæ influentis in visionem beatificam: præsertim cùm intellectus creatus iuxta le-
gem ordinariam non sit proportionatus, vt VI.
vniatur essentiæ diuinæ tanquam formæ intelligibili, nisi ille sit affectus lumine gloriæ.

Respondetur, nostram rationem probare vtrumque: nam & in sententia eorum qui volunt cœlos ita moueri à sua forma, vt simul etiam moueantur ab intelligentia, propter maximam regularitatem sui motus, nulla dispositio prærequiritur in cœlis, vt illis intelligentiæ coniungantur in ratione concausæ.

Deinde, ratio concausæ sumpta præcisè non postulat dispositionem in alia concausa etiam disproportionata præcisè propter vnionem faciendam cum illa in ratione concausæ; sicut enim ratio causæ attenditur penes vim ad producendum effectum; ita & ratio concausæ spectata præcisè postulat tantùm, vt quod est concausa productiua alicuius effectus, habeat
totum quod ex parte eius requiritur in ratio- VII.
ne comprincipij : at intellectus beati informatus lumine gloriæ, vt confortante illum ad eliciendum visionem beatificam præscindendo ab eo, quòd per istud lumen disponatur ad recipiendum essentiam diuinam modo prædicto, habet quidquid requiritur ex eius parte in ratione comprincipij productiui visionis beatificæ, quia illa eius virtus inchoata, quæ antea reddebat illum improportionatum tali effectui producendo, est completa per lumen gloriæ, sub hac tantùm præcisa ratione illi infusum : ergo intellectus beati non ex eo præcisè requirit lumen gloriæ, vt recipiat diuinam essentiam habentem se ad instar speciei impressæ vel gerentem vices eius.

Tandem, quando duæ concausæ ita produ-
cunt eundem effectum, vt tamen sese teneant VIII.
ex duabus distinctis partibus, & efficientia vtriusque est simultanea ad producendum completè totum effectum: tunc non est necesse vnam ex istis concausis recipere aliquid in seipsa, quo præcisè disponatur ad recipiendam aliam concausam; sed satis est, quòd vtraque sit completa ex parte suæ actiuitatis & sibi inuicem assistant; ita vt actiuitas vtriusq; concausæ habeat suum influxum, vt videre est in omnibus concausis naturalibus: atqui essentia diuina habens se ad instar speciei impressæ, vel gerens eius vicem, & intellectus beati, ita sunt duæ concausæ ad producendum visionem beatificam, vt tamen diuina essentia, vt sic, teneat se ex parte obiecti, quemadmodum species impressa in nostra cognitione naturali: intellectus verò sit potentia, quæ corrobora-

I. tur per lumen gloriæ, & prætereà influxus tam diuinæ essentiæ sic concurrentis, quàm intellectus informatus lumine gloriæ totus est simultaneus ad producendum completè visionem beatificam, vt patebit infrà: ergo non est opus, vt intellectus recipiat in seipso aliquid, quo præcisè disponatur ad recipiendum diuinam essentiam sese habentem ad instar speciei diuinæ essentiæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum lumen gloriæ detur, vt loco speciei impressæ concurrat ad visionem beatificam.

AFFIRMAT Vasquesius hîc disputatione 43. capite 3. & sequentibus, vbi docet admisso lumine gloriæ esse superfluum
II. dari speciem impressam Dei, vel essentiam diuinam supplere vicem speciei impressæ in visione beatifica: & proinde cùm Vienn. Conc. suprà definiat dari lumen gloriæ, proprium eius munus debere esse illud, quod conueniret speciei vel diuinæ essentiæ gerenti vicem speciei. Melior tamen nobis videtur contraria sententia, quare sit

Nostra hæc propositio. *Lumen gloriæ non datur, vt loco speciei impressæ concurrat ad visionem beatificam:* conclusio communis est & probatur: vbi duæ causæ à se inuicem omninò distinctæ concurrunt ad producendum vnum & eumdem effectum, oportet vtramque illarum esse completam, & in seipsa, seu habere propriam vim agendi requisitam ex parte sui omninò completam, nec sufficit vnam earum esse perfectam quoad propriam suam vim
III. agendi: at intellectus creatus & diuina essentia gerens vicem speciei impressæ, seu sese habens ad instar speciei impressæ, vel ipsamet species impressa diuinæ essentiæ, posito quòd detur, sunt duæ causæ omninò distinctæ à se inuicem efficientes simul visionem beatificam: ergo vtraque illarum debet esse completa; sed intellectus beati secundùm se spectatus est incompletum duntaxat & inchoatum quoddam eius principium, vt suprà ostendimus, nec potest compleri de potentia ordinaria Dei per diuinam essentiam, vt se habentem ad instar speciei impressæ, vel vt supplentem locum speciei impressæ, vel ipsammet speciem impressam diuinæ essentiæ, posito quòd detur: ergo debet compleri per aliud, hoc autem est id quod vocamus *lumen gloriæ*;
IV. ergo lumen gloriæ non datur, vt loco speciei impressæ concurrat ad visionem beatificam.

Maior est disertè S. Thomæ 1. 2. quæst. 4. artic. 2. & patet inductione factâ per omnes eiusmodi causas: & fauet ratio: effectus enim sequitur conditionem suæ causæ, pendétque omninò ab illa: ergo si illa sumpta adæquatè sit impotens ad agendum, ille non ponetur in rerum natura.

Minor verò probatur: visio beatifica cùm sit de genere cognitionis, habet eumdem modum suæ productionis: ac notitia seu cognitio intellectualis elicita solis naturæ viribus: at hæc habet duas causas efficientes sui à se inuicem omninò distinctas; scilicet intellectum & obiectum rei cognitæ vel eius speciem, vt S. August. ait lib. 9. *de ciuitate Dei*, duobus

A vltimis capitibus, dum ait notitiam gigni à *cognoscente & cognito*. Item philosophi communiter ad secundum librum Aristotelis *de anima*, vbi ex professo tradunt speciem impressam, non tantùm determinare potentiam ad speciem actus, sed simul etiam cum illa concurrere efficienter ad cognitionem: maximè cùm species sit id, cui effectus, id est, species expressa & verbum mentis assimilatur: ergo pari iure ad visionem beatificam debent duæ istæ causæ, essentia se habens ad instar speciei, vel propria eius species, & intellectus, concurrere; & sicut in cognitione naturali influxus intellectus ad producendum cognitionem est distinctus ab influxu speciei, ex communi doctrina philosophorum agentium de speciebus impressis; ita etiam in visione beatifica influxus intellectus, tanquam potentiæ V.
B erit distinctus ab influxu diuinæ essentiæ sese habentis ad instar speciei impressæ, vel ipsiusmet speciei impressæ, si de facto detur, cùm hæc sese teneat ex parte obiecti. VI.

Quòd denique ratio principij incompleti, quæ inest intellectui creato per vim suam radicalem respectu beatificæ visionis, non compleatur de facto iuxta potentiam ordinariam Dei, ab essentia diuina habente se ad instar speciei impressæ, vel gerente vicem eius, vel ab ipsamet specie impressa, supposito quòd detur, probatur: diuina essentia considerata istis modis, vel propria eius species id duntaxat ex se præstat, quod nostræ species, tam sensibiles, quàm intelligibiles præstant in ipsa sua notitia, quia habere se ad instar speciei impressæ, vel gerere vicem eius, vel dari propriã speciem diuinæ essentiæ importat tantùm in
C hoc negotio, exercere proprium munus impressæ speciei: at in hac vtraque nostra cognitione, intellectiua scilicet & sensitiua, species impressæ non complent virtutem potentiæ siue sensitiuæ, siue intellectiuæ, sed supponunt illam completam in ratione potentiæ respectu suorum actuum, vt intelligitur ex iis quæ philosophi communiter tradunt de speciebus: ergo diuina essentia habens se ad instar speciei impressæ, vel species eius impressa (si detur de facto) supponet ipsum intellectum beati completum in ratione principij productiui beatificæ visionis, quantum requiritur ex parte potentiæ: ergo cùm intellectus secundùm se spectatus sit principium incompletum respectu prædictæ visionis, nec sit aliquid aliud, per quod intelligamus illum VII.
D compleri, quàm lumen gloriæ, & facere istud complementum sit aliquid aliud à proprio munere speciei impressæ, lumen gloriæ non datur propriè in visione beatifica, vt sit loco speciei impressæ. VIII.

Confirmatur: intellectus beati consideratus secundùm se est eodem modo principium incompletum visionis beatificæ, quo noster intellectus in via spectatus secundùm se est principium duntaxat inchoatum supernaturalis actus fidei, & intellectus beati modo proportionato completur ad Deum clarè videndum, quo noster intellectus ad eliciendum supernaturalem actum fidei: nam eadem est necessitas admittendi habituale lumen gloriæ in beatis; quæ est necessitas admittendi de lege ordinaria habitum fidei infusæ: at noster intellectus spectatus

I. ſecundùm ſe, ita eſt principium incompletum exercendi actus ſupernaturales fidei, vt tamen non fiat cōpletum principium per ſolam ſpeciem intelligibilem referentem, repræſentantem, & coniungentem obiectum credendum, etiam in ratione *intelligibilis*: imò nec per gratiam excitantem & illuminantem intellectum, ſed per habitum fidei ſupernaturalis ſibi infuſum concurrentem etiam efficienter ad productionem eiuſmodi actuum fidei, vt omnes philoſophi docent ex profeſſo 2.2.

ARTICVLVS VIII.

Expenduntur reſponſiones, quas Vaſqueſius affert ad confirmationem noſtræ propoſitionis.

II. AD confirmationem propoſitionis noſtræ reſpondet Vaſqueſius, pro exercendis actibus fidei ſupernaturalis vltra ſpecies impreſſas, quibus myſteria credenda repræſentantur, ideò dari habitum ſupernaturalem, quia apprehendimus iſta myſteria ad inſtar rerum naturalium, quâ apprehenſione factâ modo & virtute tantùm naturali, actus fidei ſupernaturalis non poteſt ſequi in intellectu, niſi eleuetur: ſicque opus ei eſſe infuſo habitu fidei, quo confortetur ad exercendum hunc actum: in viſione autem beatifica apprehenſionem, iudicium & totum illud, quod interuenit in illa exercenda, ita fieri modo ſupernaturali, vt tamen totum ſit ab eodem principio: & proinde ſicut diuina eſſentia vnita intellectui ad inſtar ſpeciei impreſſæ eſt cauſa ſufficiens apprehenſionis euidentis &
III. intuitiuæ: ſic etiam eſſe cauſam ſufficientem iudicij & aſſenſus, qui reperitur in viſione beatifica.

Verùm hoc reſponſum non ſatisfacit: nam vt in naturalibus obiectum quantumuis approximatum potentiæ & perfectum in ſe quoad ea, quæ ex parte ſui vel ſpeciei requiruntur, non poteſt mouere potentiam, nec concurrere cum illa ad eius actionem, niſi talis potentia ſit in ſtatu accommodato & proportionato tali obiecto apprehendendo, vt patet in oculo noctuæ reſpectu luminis ſolaris: ita etiam quantumuis eſſentia diuina habens ſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ, ſit cauſa ſufficiens euidentis, & intuitiuæ apprehenſionis, iudicij, prout requiritur ex parte obiecti, quia tamen apprehenſio, iudicium, & aſſenſus non ſunt à
IV. ſolo obiecto vel eius ſpecie, ſed etiam ſunt ab ipſa completa potentia, tanquam altero principio diuerſæ rationis requiſito eſſentialiter, fit, vt quia intellectus beati abſque lumine gloriæ, eſt tantùm incompleta potentia reſpectu actus beatifici, tunc apprehenſio, iudicium, & aſſenſus circa Deum ita repræſentatum per diuinam eſſentiam ſeſe habentem ad inſtar ſpeciei impreſſæ, non poſſint de facto ſequi: ergo quo iure habitus fidei requiritur in via ad eliciendum ſupernaturalem actum diuinæ fidei, eodem iure habitus luminis gloriæ requiritur in patria, vt intellectus beati eliciat viſionem beatificam.

Neque etiam ſatisfacit dicendo eſſentiam diuinam, ita eſſe aliquid eminens vnum & ſimplex, vt tamen prout habet ſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ, ſit virtute duplex: proindéque

A duas rationes ſibi vendicare, vnam luminis V.
gloriæ, præſtando intellectui, quod aliqua qualitas diſtincta realiter à ſpecie tribueret intellectui, & aliam rationem ſpeciei impreſſæ tenentis ſe ex parte obiecti: ſicque lumen gloriæ ſemper dari, vt concurrat cum intellectu loco ſpeciei vel diuinæ eſſentiæ gerentis eius vicem.

Hæc, inquam, reſponſio non ſatisfacit. 1. quia ab identitate materiali ad formalem identitatem conſequentia non valet, vt Dialectici docent: at ex hac reſponſione tantùm haberetur lumen gloriæ & ſpeciem impreſſam Dei, quæ ſupponitur dari, eſſe vnam & eandem realiter qualitatem, non tamen formaliter: & ſicut ex eo quòd intellectus & voluntas in Deo ſunt vna & eadem planè entitas, virtute tamen duplex, aliquis malè inferret eſſe tantùm in Deo
B intellectum & nullam eſſe voluntatem, ſed in VI.
illo eſſe ſuperuacaneam, cùm intellectus in Deo ſufficiat ad exercendum munus voluntatis: ita pari iure Vaſqueſius malè inferret lumen gloriæ ſumptum formaliter, non eſſe neceſſarium beatis, ſi ſpecies impreſſa & lumen gloriæ, ſint vna tantùm realiter entitas.

Deinde dicendo lumen gloriæ & ſpeciem illam impreſſam eſſe eandem realiter qualitatem virtute duplicem, non poteſt ſibi conciliare S. Aug. & philoſophos ſuprà, dum communiter volunt cognitionem intellectiuam pendere à duobus, ſcilicet ab vno ex parte *intellectus*, & ab altero ex parte *obiecti*: id enim intelligunt de principiis, tam à ſe inuicem diſtinctis iuxta legem ordinariam, quàm potentia & obiectum diſtinguuntur à ſe inuicem, vt pa-
C tet ex his, quæ tradunt de neceſſitate ſpecie-
rum impreſſarum: nec S. Thom. hîc qu. dum VII.
negat dari ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, ſed eſſentiam Dei ſupplere vicem ſpeciei; imò nec Viennenſe Conc. ſuprà. Nam S. Th. ſuprà & alij nomine *luminis gloriæ* requiſiti ad viſionem beatificam intelligunt aliquam qualitatem creatam, permanentem in intellectu beati, quo tamen nomine diuina eſſentia ſeſe habens ad inſtar ſpeciei intelligibilis, aut gerens eius vicem, non poteſt intelligi.

Confirmatur ampliùs ex iis, quæ S. Thom. & eius interpretes 3. parte qu. 11. communiter tradunt de ſcientia infuſa per ſe, quæ eſt in Chriſto Domino; docent enim intellectum Chriſti Domini indiguiſſe lumine infuſo per ſe diſtincto à lumine gloriæ, & à ſuo naturali lumine, item & ab omnibus ſuis ſpecie-
D bus, vt ſic redderetur potens percipere obie- VIII.
cta talis ſcientiæ: ergo quemadmodū ſpecies correſpondentes ſuæ ſcientiæ, licet ſupernaturales non complebant ratione ſuæ eminentiæ actiuitatem potentiæ intellectiuæ, quia iſtud eſt contra naturam ſpeciei, vt ſpecies eſt, cuius proprium eſt ſe tantùm tenere ex parte obiecti, iuxta communem philoſophorum doctrinam libris de *anima*: ſic etiam eſſentia Dei habens ſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ non complebit actiuitatem intellectus beati.

Ex quo etiam patet eſſe falſum, quod in prædicta reſponſione Vaſqueſius aſſerit, ſcilicet totum quod eſt in viſione beatifica, ſiue illud ſit apprehēſio, ſiue iudicium, & aſſenſus, eſſe totum ab vno principio, prout ibi ſumit hanc particulam *vnum principium*; cùm enim ſumat illam pro diuina eſſentia, vt excludente

I. lumen gloriæ, quatenus se habet ad instar speciei impressæ, vt patet ex eius consequentia, oporteret similiter intellectum excludi ab influxu in visionem beatificam.

ARTICVLVS IX.

Detegitur falsitas fundamenti Vasquesij.

ID in quo Vasquesius decipitur, tam citato loco primæ partis, quàm 3. parte disput.54. cap.2.& 3.est, quòd existimauerit esse sufficientem efficacitatem in intellectu creato spectato secundùm se, ad cognoscendum quodlibet obiectum etiam supernaturale, dũmodo species impressa talis obiecti detur ei; duo enim tantùm, ait ibi Vasquesius, distinguuntur in cognitione etiam infusa rei alicuius: primum est
II. ratio cognitionis spectata genericè, & principium sufficiens huius est intellectus secundùm se: alterum est specifica ratio talis cognitionis, nimirum quòd talis sit obiecti propria & euidens, & hoc habet à specie impressa: vnde cùm nihil ampliùs in ea appareat considerandum vel distinguendum, & ista duo etiam secluso lumine gloriæ reperiantur in intellectu beati habente diuinam essentiam sibi vnitam ad instar speciei impressæ, vel propriam illius speciem, (supposito quòd detur) lumen gloriæ est omninò superuacaneum, vel si detur illud, duntaxat præstabit, quod prædicta species efficeret.

In hoc, inquam, decipitur Vasquesius: nam suprà ostendimus intellectum nudè, & secundùm se consideratum importare tantùm vim radicalem intelligendi, & insuper requirere
III. efficaciam, seu quantitatem virtutis, quæ istam radicalem vim compleat in ordine ad producendum aliquem actum, quod species impressa eï non tribuit; cùm hæc teneat se tantùm ex parte obiecti: & si hæc propositio Vasquesij vera esset, esset etiam verum nostram voluntatem & nostrum intellectum habere totam virtutem sibi à natura innatam, requisitam ex parte illarum ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, tantúmque requiri concursum obiecti, vel speciei eius; quod est contra omnia Concilia congregata aduersus Pelagianos, & etiam simul incidere in opinionem Durandi superiùs reiectam.

Neque fauet Vasquesio illa consideratio duplicis rationis in cognitione etiam infusa. Nam intellectus non est ita principium cogni-
IV. tionis obiecti supernaturalis, quasi attingat tantùm præcisè rationem genericam cognitionis, & species impressa tantùm specificam, sed tam species impressa, quàm ipse intellectus attingit totam cognitionem: quando enim communis illa, seu generica ratio cognitionis determinati cuiusdam obiecti est de facto realiter indistincta à speciali ratione cognitionis eiusdem determinati obiecti; tunc intellectus vel principium quod suâ actione productiuâ attingit genericam illam rationem obiecti, simul attingit & specialem, & econtrà: quia productio rei secundùm fieri sequitur conditionem rei, vt est in se, & non vt solùm est nostro modo distinguendi per rationem: atqui species impressa (supposito quòd detur) vel essentia diuina habens se ad instar speciei impressæ, est causa productiua visionis

A seu cognitionis beatificæ, quatenus est talis obiecti, etiam ex Vasquesio, & ratio illa communis seu generica cognitionis est de facto, & realiter indistincta à speciali ratione obiecti beatifici, quia quidquid producitur est singulare & gradus generici & specifici in rebus actu existentibus non distinguuntur à se inuicem realiter, vt philosophi cõmuniter docent, & iuxta Vasquesium intellectus beati attingit genericam rationem cognitionis, quæ est in visione beatifica: igitur beatifica visio est tota ab intellectu beati, & etiam tota ab essentia diuina habente se ad instar speciei impressæ, vel ab eius specie, (supposito quòd detur) & proinde cùm non possit esse ab intellectu præcisâ eius eleuatione & corroboratione, quia vt sic habet tantùm potentiam radicalem & incompletam potentiam, debet talis visio esse V.
B tantùm ab intellectu informato & eleuato per lumen gloriæ. VI.

Hæc solutio explicatur ampliùs: quando aliquis effectus est à duobus, vt integrantibus vnicum agens: tunc nihil est in tali effectu, quod non sit ab vtroque, quia vnum illorum habet tantùm inchoatam vim & virtutem, quæ vt sic, & secundùm se sumpta seorsim nihil quidquam talis effectus potest de facto producere, sed necessariò requirit accessum alterius sui comprincipij, quo illa eius actiuitas inchoata integretur & compleatur in esse talis principij: quemadmodum patet in prole respectu maris & fœminæ: item in qualitatibus non agentibus de facto, nisi vt existentibus in aliquo gradu: item in potentiis nihil de facto operantibus, nisi prout habẽt efficaciam,
C seu quantitatem virtutis correspondentem effectui producendo: at intellectus beati & lumen gloriæ vnicum duntaxat complent, & integrant principium ex parte potentiæ requisitum in visione beatifica, vt infrà docebitur: ergo quidquid est in visione beatifica, tam est à lumine gloriæ, quàm ab intellectu, & econtrà: vitalitas quidem, quia intellectus non est proximè potens elicere talem actum vitalem ratione virtutis suæ tantùm inchoatæ, nisi vt roboratus per lumen gloriæ: supernaturalitas etiam, quia lumen gloriæ, quod tanquam quantitas & efficacia virtutis ponit intellectum in ordine supernaturali, facit vt intellectus illo illustratus illam suâ actiuitate pertingat, quod tamen anteà neutrum illorum sumptum seorsim præstare poterat. VII.

Quòd si Vasquesius vrgeat, quando plures causæ producunt eundem effectum, debere in
D ipso effectu aliquam specialem rationem distingui, sub qua attingatur ab vnaquaque istarum causarum. VIII.

Respondetur primò: si illud intelligatur de ratione *sub quâ*, tenente se ex parte effectus, non esse vniuersaliter verum. Nam causa instrumentalis & causa principalis respectu eiusdem effectus sunt distincti ordinis in genere causæ; & nihilominus sub eadem formali ratione sese tenente ex parte effectus attingunt illum: deinde etiamsi illud admitteretur in pluribus causis totalibus diuersi ordinis, adhuc tamen non esset necesse illud admittere in iis pluribus causis, quæ vnione sui vnicam tantùm completam integrant; sed satis esset specialem aliquam rationem assignare secundùm quam vna iuuat aliam, vt in

I. præsenti, quòd lumen gloriæ eleuet & corroboret intellectum ad Deum clarè videndum.

Tandem si agatur de ratione aliqua tantùm specificante, potest etiam assignari in præsenti casu: nam visio beatifica specificabitur *vitalis*, per ordinem ad intellectum, *supernaturalis*, per comparationem ad lumen gloriæ; suprà enim docuimus rationem naturalis & supernaturalis prouenire à quantitate virtutis, seu ab obiecto motiuo, & quòd talis visio sit intuitiua & ipsius Dei, specificabitur ab essentia diuina, vt gerente vicem speciei impressæ.

ARTICVLVS X.

Quale sit proprium munus luminis gloriæ.

II. EX præcedentibus articulis, in quibus probauimus in quo non consistat munus proprium luminis gloriæ, & reiecimus ea de re plures sententias Theologorum, facile est statuere quid sit illud in quo situm sit.

Sit hæc propositio. *Tota & adæquata ratio, cur lumen gloriæ sit necessarium intellectui beatorum, est quòd intellectus illorum præcisè & secundùm se spectatus sit principium duntaxat incompletum visionis beatificæ: ideóque vt fiat completum & sit proximè potens illam elicere, lumen gloriæ requiritur, quo eius virtus, quæ alioquin est incompleta, reddatur completa: lumen autem gloriæ datur intellectui beatorum in ratione habitus, vt intellectus illo vt sic confortatus, eliciat connaturaliter visionem beatificam.* Duæ sunt partes huius propositionis. Prior procedit de necessitate luminis gloriæ abstrahendo ab actuali

III. & habituali. Posterior procedit tantùm de habituali.

Prior pars est S. Thomæ hîc artic. 5. in solutione ad primum, vbi vocat lumen gloriæ, *augmentum virtutis intellectiuæ*, atque illud requiri per modum, quo potentia fit per habitum potentior ad operandum. Item & in responsione ad 2. quando ait hoc lumen requiri, tanquam perfectionem quandam intellectus confortantem illum ad videndum Deum clarè: & hunc sequuntur omnes eius interpretes, saltem quatenus asserit lumen gloriæ dari in elicienda visione beatifica ad corroborandum intellectum.

Et probatur ex citato loco Conc. Viennensis, dum definit animam indigere lumine gloriæ illam eleuante ad Deum videndum: nam iuxta

IV. ta communem loquendi formulam hæc particula, *eleuari ad Deum videndum*, idem sonat, ac ad efficienter eliciendam visionem beatificam, quia *videre* sumptum formaliter, non est solùm recipere visionem, alioquin potentiæ vitales essent tantummodo passiuæ & nullomodo actiuæ, quod tamen communior sententia Philosophorum & Theologorum negat; sed est efficienter elicere visionem, quod Theologi docent ex professo 1. 2. qu. 3. artic. 2. vbi tradunt cum S. Thoma beatitudinem formalem esse operationem elicitam à beatis. Deinde argumenta illa omnia, quibus suprà probauimus intellectum ex se non posse videre Deum clarè, sed indigere aliquâ eleuatione supernaturali, probant hanc partem nostræ propositionis, sicut & præcedentes nostri articuli, quibus discurrimus per om-

A nia & singula alia munera, quæ ab aliis tribuuntur lumini gloriæ, ostendunt hanc solam rationem necessitatis debere assignari lumini gloriæ, quam præsenti hâc nostrâ propositione explicamus. V.

Posterior pars propositionis probatur ex illa communi ratione, propter quam S. Thom. tam 1. 2. quàm 2. 2. & reliqui Theologi admittunt dari supernaturales habitus, nimirum quia connaturalius est potentiæ, agere per principium sibi inexistens & semper perseuerans, quàm per aliquid sibi duntaxat assistens aut transiens: vnde cùm status beatorum sit perfectissimus, eorum visio debet fieri modo connaturali, & ex consequenti per aliquam qualitatem habitualem, quæ non est alia, quàm id, quod omnes Theologi vocant communiter *lumen gloriæ*.

B VI.

DISPVTATIO III.

De lumine gloriæ comparato cum intellectu beati.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo lumen gloriæ augeat virtutem intellectus beati.

PRIMA sit propositio. *Lumen gloriæ non auget virtutem intellectus beati intendendo illam, seu addendo ei aliquam partem homogeneam*, id est, *eiusdem rationis in*

C *sua entitate cum illa:* sic Caietan. ad quintum artic. huius quæst. & alij plures; argumenta illa, quibus Durand. in 4. sentent. distinct. 49. quæst. 2. num. 21. impugnat assertionem luminis gloriæ, probant hanc conclusionem; verbi gratiâ, quod illud tantùm possit augeri per intensionem, quod potest suscipere magis & minus, vt patet in calore, quódque est eiusdem planè rationis quoad entitatem cum eo, per quod intenditur: gradus enim caloris, quo calor intenditur est eiusdem rationis in sua entitate cum præcedentibus: & intensionem sic fieri philosophi docent ex professo in libris de *generatione & corruptione*: at intellectus non est capax intensionis, vt iidem philosophi docent libris *de anima*, & quòd vnus intellectus intelligat perfectiùs alio, VII.

D prouenire ex maiori perfectione organi, quo anima vtitur in operando, docet Aristoteles lib. 1. *de anima* capite 4. lib. 2. capite 9. sanctus Thomas in *quæstionibus disputatis*, quæstione *de anima* artic. 7. in solutione ad 7. Nec item lumen gloriæ est eiusdem rationis quoad entitatem cum intellectu, quia hic propriè est potentia fluens naturâ suâ ex essentia animæ: lumen verò gloriæ habitus ei infusus à Deo. VIII.

Deinde, quod sic augetur est talis conditionis, vt per se & secluso augmento intendente illud, possit producere aliquid eius, quod cum augmento producit intensius; quemadmodum experientia docet: at intellectus creatus secluso lumine gloriæ ne minimũ quidem diuinæ essentiæ tanquam clarè visæ, potest attingere propter suam improportionem: igitur lumen gloriæ non auget virtutem intel-

I. lectus beati intendendo illam, seu addendo ei aliquam partem homogeneam.

Secunda propositio. *Lumen gloriæ non sic auget virtutem intellectus beati, quòd sit tota forma, per quam ille intelligat.* Est contra Scotum in 4. sentent. quæst. 3. artic. 2. & nonnullos recentiores; est tamen S. Thomæ hâc quæstione artic. 5. & libro 3. *contra Gentes*, cap. 53. in quarta ratione, & plurium eius interpretum.

Probatur: illud quod tantùm complet inchoatam virtutem agendi præsuppositam in ipsa facultate seu potentia, non potest esse ei tota forma, per quam agit, quia supponit aliquam inchoationem illius: at ex dictis suprà intellectus beati ante aduentum luminis gloriæ, habet inchoatam tantùm virtutem ad Deum clarè videndum, quàm lumen gloriæ superueniens complet: ergo lumen gloriæ
II. non auget virtutem intellectus beati, eo sensu, quòd sit tota forma, per quam intelligit.

Imò nec hoc sensu est forma intellectus, quasi propriè loquendo sit ei formalis causa beatificæ intellectionis, quam vt illo instructus eliciat: quia habitus superadditus potentiæ vitali immanenti, operanti vitaliter & immanenter, nunquã potest ei esse causa formalis propriè dicta suæ operationis; cùm enim habitus, quatenus habitus præsupponat primam facultatem operandi abstrahẽdo à completa & incompleta, vt iam obseruauimus, & facultas constituatur in esse facultatis talis, & talis effectus vel obiecti, per propriam causam formalem respicientem eiusmodi effectum, id quod posteà ei aduenit, non potest dici esse
III. causa eius formalis: at lumen gloriæ est habitus superadditus intellectui in ratione facultatis saltem inchoatæ, in ordine ad actum vitalem & immanentem eliciendum vitaliter & immanenter: ergo, &c.

Tota hæc doctrina confirmatur ampliùs ex iis omnibus, quibus Theologi 1. 2. probant nostram voluntatem non se habere passiuè in iustificatione adultorum, sed verè cooperari assentiendo Deo vocanti & excitanti illam; est enim quoad efficientiam & actiuitatem potentiæ par vtrobique ratio.

Tertia propositio. *Lumen gloriæ auget virtutem intellectus beati tanquam virtus heterogenea, seu illi dissimilis, quæ secundùm se & seorsim sumpta non est completa, iuncta tamen intellectui, facit vnam causam completam in ratione*
IV. *principij sese tenentis ex parte potentiæ.*

Hæc propositio est sancti Thomæ hâc quæstione artic. 5. verbis expressis, saltem quoad primam partem, dum ait intellectum per lumen gloriæ eo modo fieri potentiorem, quo potentia ad operandum fit potentior per habitum: habitus autem propriè & physicè sumptus siue sit acquisitus, siue infusus est semper quoad entitatem dissimilis suæ potentiæ, vt patet inductione factâ per omnes, & quoscumque habitus: deinde hoc patet euidenter in præsenti casu, ex dictis pro prima propositione.

Posterior pars eiusdem propositionis probatur: tunc aliqua duo censentur propriè componere vnam causam in suo genere, quando duæ sunt tantùm partes vnius & eiusdem causæ totalis in suo genere, verbi gratiâ, actus
A & potentia dicuntur componere causam physicam in ratione vnius causæ; quia sunt partes V.
talis causæ, & effectus physicus non dicitur esse ab actu physico, qui est in causa physica prout ille opponitur potentiæ physicæ, tanquam à tota aliqua causa sui: nec item à potentia, quæ est in causa physica, vt hæc opponitur actui physico, sed dicitur esse à toto resultante ex actu & potentia physicis, tanquam partibus componentibus vnam causam physicam: vt enim ens physicum, quatenus tale, componitur essentialiter ex potentia & actu physicis, ita etiam & causa physica, quatenus est vna tota in suo genere, debet includere actum physicum, & potentiam physicam tanquam partes componentes sui, similiter potentia, & efficacia eius seu quantitas virtutis non faciunt loquẽdo propriè duas causas, sed
B vnam duntaxat completam: atqui intellectus VI.
beati & lumen gloriæ habent se tanquam potentia & virtus, seu efficacia ad producendum, vt patet ex dictis, suntque duæ tantùm partes totalis principij beatificæ visionis, prout illa tenet se ex parte potentiæ; aliàs enim cùm sint distinctæ entitatis & causent visionem beatificam, vt mox patebit, oporteret eas esse causas partiales partialitate effectus, id est, quòd vna illarum produceret vnam partem beatificæ visionis, & altera, alteram, quod statim apparebit esse falsum.

Quarta propositio. *Intellectus & lumen gloriæ, non concurrunt ad visionem beatificam, velut duæ partiales causæ.* Hæc propositio sequitur ex præcedentibus, & vt probetur,

Supponendum est primò, intellectum beati
C concurrere efficienter ad visionem beatificam, VII.
quod disputare ex professo pertinet ad 1. 2. vbi quæritur, an formalis beatitudo consistat in operatione intellectus, & in qua: & quod hîc supponimus probatur breuiter; omnis actio vitalis & immanens producta vitali modo, debet esse efficienter à propria sua potentia, & ab anima intelligentis, quia Aristoteles libris *de anima* definit animam *principium vitæ:* item esse id, *quo primò viuimus,* & viuere idem est, ac seipsum mouere à principio intrinseco: at intellectio beatifica est actio vitalis immanens producta vitali modo, quâ beatus viuit in patria vitâ supernaturali: ergo debet esse efficienter ab intellectu.

Deinde supponendum etiam est, hanc visionem esse etiam efficienter à lumine gloriæ, quod facilè intelligitur ex dictis; nam quod
D datur ad augendum & complendum virtu- VIII.
tem actiuam duntaxat inchoatam alicuius potentiæ eo modo, quo habitus reddit facultatem ad operandum potentiorem, debet esse actiuum, & actiuè influere in proprium effectum eius potentiæ, quam confortat, vt patet in omnibus operatiuis habitibus, qui communiter dicuntur à philosophis concurrere efficienter ad productionem suorum actuum: at lumen gloriæ ex dictis suprà supponit in intellectu virtutem inchoatam ad Deum clarè videndum, quam idem lumen suo aduentu complet, & facit potentiorem ad agendum eo modo, quo habitus faciunt potentiores ipsas potentias ad agendum: ergo lumen gloriæ etiam concurrit efficienter ad beatificam visionem. His suppositis, vt ita de facto habentibus locum in beatitudine Sanctorum iux-

I. ta sententiam Theologorum magis communem.

Probatur quarta nostra propositio: quando duo concurrunt tanquam causæ partiales partialitate effectus; tunc vnumquodque illorum est talis conditionis, vt se solo, & secluso alio secum concurrente, possit aliquam partem effectus producere, vt indicat ipsum nomen causæ partialis *partialitate effectus*: at visio beatifica, vt de facto elicita, est tota & integra producta ab intellectu beati & lumine gloriæ informante illum, neque aliqua entitas assignari potest in beatifica visione, tanquam distincta ab alia realiter distincta in visione beatifica, quæ sit à solo intellectu, & alia quæ sit à solo lumine gloriæ; vt enim suprà animaduertimus, licet iuxta nostrum modum considerandi aliquæ rationes specificatiuæ possint à nobis concipi, tanquam distin-
II. ctæ, non tamen ita vt de facto vna sit ab vna causa, & alia ab altera tantùm, nec intellectus creatus prout est distinctus à lumine gloriæ potest producere aliquid eius, cùm habeat tantùm virtutem incompletam, vt docuimus suprà, & vnumquodque debeat priùs compleri, quàm agere: nec item lumen gloriæ, quia tantùm complet potentiam iam inchoatam: ergo illâ seclusâ nihil potest producere visionis beatificæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum intellectus concurrat ad visionem beatificam, vt causa instrumentalis.

AFFIRMANT Suares tertiâ parte disputatione 31. sectione 6. & nonnulli alij:
III. Negant Bannes hâc quæst. 12. articulo quinto dubio 3. & plures recentiores, cum quibus sit

Hæc nostra propositio. *Intellectus non concurrit ad visionem beatificam, vt instrumentum Dei tanquam causæ principalis visionis.* Probatur primò: intellectus beati, vt instructus lumine gloriæ eo modo concurrit ad visionem beatificam, quo modo idem intellectus in via informatus habitu fidei infusæ concurrit ad actum vitalem & supernaturalem fidei: item sicut voluntas informata habitibus spei, & charitatis ad supernaturales actus spei, & charitatis, quia intellectus eodem planè modo eleuatur in patria per lumen gloriæ, quo in via eleuatur per prædictos habitus fidei,
IV. spei, & charitatis: item actus visionis beatificæ est tam supernaturalis quoad suam substantiam & etiam vitalis, quàm prædicti actus supernaturales fidei, spei, & charitatis: at ex apertissima sententia sancti Thomæ 2. 2. intellectus & voluntas informati prædictis habitibus non concurrunt ad prædictos suos actus, tanquam instrumenta Dei: voluntas enim est domina eiusmodi actuum, quos elicit in via, potéstque pro sua libertate eos elicere vel non elicere, per eos mereri, vel non mereri: sícque est causa principalis illorum, & non instrumentalis, vt enim aliquis actus sit liber, vel non liber, non pendet ab instrumento, quod subest voluntati principalis causæ, sed pendet à principali causa vtente, vel non vtente instrumentali causâ: ergo similiter intellectus beati non concurrit ad

A visionem beatificam, tanquam instrumentum Dei. V.

Dices disparem esse rationem visionis beatificæ & actuum supernaturalium fidei, spei, & charitatis elicitorum in via, quòd hi sint liberi & propterea debeant esse à nostra voluntate, tanquam causâ principali; actum verò beatificæ visionis esse necessarium, ideóque posse esse ab intellectu beati, tanquam instrumento Dei, actus verò supernaturales fidei, spei, & charitatis minimè cùm eliciantur liberè.

Sed hæc responsio refellitur: nam licet actus isti distinguantur in *esse moris* penes eiusmodi modum procedendi: attamen si spectentur physicè, seu secundùm suam entitatem, & causas suas proprias, dicuntur habere eundem planè modum procedendi à sua potentia: omnes enim & singuli sunt vi- VI.
B tales intrinsecè & supernaturales, & eâdem specie vitalitatis & supernaturalitatis, prout considerantur physicè: ergo iuxta hanc considerationem debent procedere eodem modo à suis potentiis: ergo quemadmodum intellectus, & voluntas non sunt causæ instrumentariæ eiusmodi actuum, qui in via exercentur siue ratione vitalitatis, siue supernaturalitatis; ita nec intellectus beati erit causa tantùm instrumentalis Dei respectu visionis beatificæ exercendæ.

Probatur secundò: illa potentia vitalis, quæ denominat agens à suo effectu, seu actu numquam est instrumentalis: quia actio semper tribuitur causæ principali, nec enim dicimus propr. natiuum calorem, verbi gratiâ, generare filium, vel esse principium formaliter VII.
C filij: sed istud dicimus tantùm de homine, qui est causa principalis, & cuius ipse calor natiuus est instrumentum: at visio beatifica est actio vitalis & immanens, quæ denominat beatum formaliter videntem & intelligentem, non autem denominat ipsum Deum: neque enim quando loquimur de formali beatitudine Sanctorum, dicimus Deum videre diuinam essentiam, nec item loquendo de fidelibus viatoribus credentibus, sperantibus, diligentibus supernaturaliter, dicimus Deum credere, sperare, diligere, sed intellectum creatum, & voluntatem eius: ergo intellectus beati non concurrit instrumentariè ad visionem beatificam.

Vltimò, proprium instrumenti est, vt non sese moueat ad agendum, sed tantùm agat ad
D motum agentis principalis: quemadmodum VIII.
S. Thomas expressè tradit in quæstionibus disputatis *de veritate*, quæstione vigesimâ quartâ, articulo 4. in solutione ad 5. at intellectus beati mouet seipsum ad beatificam visionem, quia habet in seipso principium internum vitæ, quo elicit vitaliter eiusmodi actum, & viuentia dicuntur sese mouere ad suos actus: ergo intellectus beati non concurrit ad beatificam visionem, vt instrumentum Dei.

Neque supernaturalitas, quæ specificatiuè est ab ipso lumine gloriæ, & est ratio aliqua nobilior, quàm sit ipsa vitalitas, quæ specificat intellectum, & eius actiuitati correspondet, potest facere vt intellectus tunc coniunctus lumini gloriæ, sit instrumentum eius: nam & in illa opinione philosophorum, quà

I. ta sententiam Theologorum magis communem.

Probatur quarta nostra propositio: quando duo concurrunt tanquam causæ partiales partialitate effectus; tunc vnumquodque illorum est talis conditionis, vt se solo, & secluso alio secum concurrente, possit aliquam partem effectus producere, vt indicat ipsum nomen causæ partialis *partialitate effectus*: at visio beatifica, vt de facto elicita, est tota & integra producta ab intellectu beati & lumine gloriæ informante illum, neque aliqua entitas assignari potest in beatifica visione, tanquam distincta ab alia realiter distincta in visione beatifica, quæ sit à solo intellectu, & alia quæ sit à solo lumine gloriæ; vt enim suprà animaduertimus, licet iuxta nostrum modum considerandi aliquæ rationes specificatiuæ possint à nobis concipi, tanquam distin-
II. ctæ, non tamen ita vt de facto vna sit ab vna causa, & alia ab altera tantùm, nec intellectus creatus prout est distinctus à lumine gloriæ potest producere aliquid eius, cùm habeat tantùm virtutem incompletam, vt docuimus suprà, & vnumquodque debeat priùs compleri, quàm agere: nec item lumen gloriæ, quia tantùm complet potentiam iam inchoatam: ergo illâ seclusâ nihil potest producere visionis beatificæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum intellectus concurrat ad visionem beatificam, vt causa instrumentalis.

AFFIRMANT Suares tertiâ parte dispu-
III. tatione 31. sectione 6. & nonnulli alij: Negant Bannes hâc quæst. 12. articulo quinto dubio 3. & plures recentiores, cum quibus sit

Hæc nostra propositio. *Intellectus non concurrit ad visionem beatificam, vt instrumentum Dei tanquam causa principalis visionis.* Probatur primò: intellectus beati, vt instructus lumine gloriæ eo modo concurrit ad visionem beatificam, quo modo idem intellectus in via informatus habitu fidei infusæ concurrit ad actum vitalem & supernaturalem fidei: item sicut voluntas informata habitibus spei, & charitatis ad supernaturales actus spei, & charitatis, quia intellectus eodem planè modo eleuatur in patria per lumen gloriæ, quo in via eleuatur per prædictos habitus fidei,
IV. spei, & charitatis: item actus visionis beatificæ est tam supernaturalis quoad suam substantiam & etiam vitalis, quàm prædicti actus supernaturales fidei, spei, & charitatis: at ex apertissima sententia sancti Thomæ 2. 2. intellectus & voluntas informati prædictis habitibus non concurrunt ad prædictos suos actus, tanquam instrumenta Dei: voluntas enim est domina eiusmodi actuum, quos elicit in via, potéstque pro sua libertate eos elicere vel non elicere, per eos mereri, vel non mereri: sícque est causa principalis illorum, & non instrumentalis, vt enim aliquis actus sit liber, vel non liber, non pendet ab instrumento, quod subest voluntati principalis causæ, sed pendet à principali causa vtente, vel non vtente instrumentali causâ: ergo similiter intellectus beati non concurrit ad
A visionem beatificam, tanquam instrumentum Dei. V.

Dices disparem esse rationem visionis beatificæ & actuum supernaturalium fidei, spei, & charitatis elicitorum in via, quòd hi sint liberi & proptereà debeant esse à nostra voluntate, tanquam causâ principali; actum verò beatificæ visionis esse necessarium, ideóque posse esse ab intellectu beati, tanquam instrumento Dei, actus verò supernaturales fidei, spei, & charitatis minimè cùm eliciantur liberè.

Sed hæc responsio refellitur: nam licet actus isti distinguantur in *esse moris* penes eiusmodi modum procedendi: attamen si spectentur physicè, seu secundùm suam entitatem, & causas suas proprias, dicuntur habere eundem planè modum procedendi à sua potentia: omnes enim & singuli sunt vi- VI.
B tales intrinsecè & supernaturales, & eâdem specie vitalitatis & supernaturalitatis, prout considerantur physicè: ergo iuxta hanc considerationem debent procedere eodem modo à suis potentiis: ergo quemadmodum intellectus, & voluntas non sunt causæ instrumentariæ eiusmodi actuum, qui in via exercentur siue ratione vitalitatis, siue supernaturalitatis; ita nec intellectus beati erit causa tantùm instrumentalis Dei respectu visionis beatificæ exercendæ.

Probatur secundò: illa potentia vitalis, quæ denominat agens à suo effectu, seu actu numquam est instrumentalis: quia actio semper tribuitur causæ principali, nec enim dicimus propr. natiuum calorem, verbi gratiâ, generare filium, vel esse principium formaliter VII.
C filij: sed istud dicimus tantùm de homine, qui est causa principalis, & cuius ipse calor natiuus est instrumentum: at visio beatifica est actio vitalis & immanens, quæ denominat beatum formaliter videntem & intelligentem, non autem denominat ipsum Deum: neque enim quando loquimur de formali beatitudine Sanctorum, dicimus Deum videre diuinam essentiam, nec item loquendo de fidelibus viatoribus credentibus, sperantibus, diligentibus supernaturaliter, dicimus Deum credere, sperare, diligere, sed intellectum creatum, & voluntatem eius: ergo intellectus beati non concurrit instrumentariè ad visionem beatificam.

Vltimò, proprium instrumenti est, vt non sese moueat ad agendum, sed tantùm agat ad
D motum agentis principalis: quemadmodum VIII.
S. Thomas expressè tradit in quæstionibus disputatis *de veritate*, quæstione vigesimâ quartâ, articulo 4. in solutione ad 5. at intellectus beati mouet seipsum ad beatificam visionem, quia habet in seipso principium internum vitæ, quo elicit vitaliter eiusmodi actum, & viuentia dicuntur sese mouere ad suos actus: ergo intellectus beati non concurrit ad beatificam visionem, vt instrumentum Dei.

Neque supernaturalitas, quæ specificatiuè est ab ipso lumine gloriæ, & est ratio aliqua nobilior, quàm sit ipsa vitalitas, quæ specificat intellectum, & eius actiuitati correspondet, potest facere vt intellectus tunc coniunctus lumini gloriæ, sit instrumentum eius: nam & in illa opinione philosophorum, quâ

I. cælum producit viuentia cum aliis causis inferioribus: ipse gradus vitæ in eiusmodi viuentibus est aliqua ratio perfectior, quàm sit ratio illa, quæ specificat cælum in ratione agentis, nec tamen impedit, quin cælum ipsum in tali generatione viuentium, sit etiam aliqua principalis causa: ergo pari iure, licet supernaturalitas adiuncta vitalitati, sit ratio quædam perfectior ipsâ vitalitate nudè & simpliciter sumptâ; non propterea tamen talis hæc coniunctio faciet, vt intellectus beati sit instrumentum aliquod ipsius luminis gloriæ in exercenda visione beatifica.

Quæres, an ipse intellectus beati saltem comparatione supernaturalitatis possit dici instrumentum luminis gloriæ in efficienda visione beatifica.

Respondetur non posse, quia intellectus,
II. vt præscindit à lumine gloriæ, & vt eius actio consideratur specificatiuè, non concurrit reduplicatiuè loquendo ad rationem supernaturalitatis: nec econtrà lumen gloriæ ad rationem intellectionis & vitalitatis: sed lumen gloriæ & intellectus debent dici concausæ in ordine ad vnum, & eundem actum supernaturalem.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta sententiæ affirmantis.

PRIMVM est: illud agens quod ex se, & ex prima sua conditione habet tantùm radicalem potentiam ad Deum clarè videndum, & indiget alio quo compleatur, non potest di-
III. ci causa principalis: sed intellectus creatus ex se, & ex prima sua conditione habet duntaxat radicalem potentiam ad Deum clarè videndum, & indiget lumine gloriæ, vt compleatur: ergo non est causa principalis visionis beatificæ.

Respondetur negando maiorem: nam similiter intellectus, & voluntas habent in nobis potentiam tantùm radicalem, & incompletam ad supernaturales actus fidei, spei, & charitatis vitales, indigéntq; habitibus fidei, spei, & charitatis per se infusis ad exercendum illos modo connaturali: neque propterea tamen desinunt iuxta S. Thomam esse principales causæ suorum eiusmodi actuum: vnde patet ad rationem cuiuslibet causæ principalis non requiri, quòd sic agat per pro-
IV. priam sibi innatam & essentialem vim, vt tamen per illam agat, tanquam omnimodè proportionatam suo effectui; sed id solùm requiri in ea principali causa, cuius innata & propria virtus est completa, non autem in illa cuius propria, & innata vis est duntaxat incompleta, quin potiùs ad denominationem & rationem simpliciter obtinendam causæ principalis ei sufficere, si vis eius innata, & propria sit proportionata suo effectui proportione tantùm radicali, & contineat formaliter, vel virtute entitatem sui effectus, quem sibi assimilat: & si vitalis, sic dicat ordinem essentialem ad illam, quatenus est duntaxat producibilis per illam, nec esse de ratione illius, quòd ad sui complementum non indigeat alio, maximè cùm sanctus Thomas in quartum sententiarum distinctione primâ quæstione primâ articulo quarto, quæstiun-

A culâ primâ in solutione ad tertium, & tertiâ parte quæstione 62. articulo primo, & post illum Conimbricenses ad caput secundum libri primi *posteriorum* quæstione secundâ artic. sexto, distinguant in eo causam instrumentalem à principali, quòd aliquo ex duobus prædictis modis contineat suum effectum, illa verò minimè: ideóque cùm intellectus spectatus secundùm vim suam inchoatam contineat virtute radicali intellectionem Dei, vt clarè visi, tanquam effectum suum proprium, quia iste actus continetur intra latitudinem adæquati obiecti eius specificatiui: & hæc intellectio dicat essentialem respectum ad talem intellectum, quatenus est ab illa tantùm producibilis, tendátque ex propria sua ratione ad producendum similitudinem ipsius intellectus, tanquam informati specie impressâ, vel vniti
B diuinæ essentiæ, vt supplentis istam speciem: sicque effectus ille assimiletur intellectui beato, non autem intellectus Dei: intellectus iste creatus rectè dicetur principalis causa visionis beatificæ, & non instrumentum Dei. VI.

Secundum est: illud quod non agit nisi receptâ virtute ab alio, non est causa principalis; sed intellectus beati non elicit visionem beatificam nisi accepto lumine à Deo: ergo non est causa principalis.

Respondetur negando maiorem; nam vis natiua intellectus nostri etiam nudè, & simpliciter considerata in ordine ad intelligenda obiecta naturalia, prout consideratur tantùm per ordinem ad totale suum obiectum specificatiuum abstrahendo ab obiecto suo motiuo, non potest reipsa elicere aliquem
C actum, sed postulat sibi superaddi aliquam virtutem, ratione cuius compleatur, & obiectum reddatur ei proximè proportionatum: neque propterea tamen intellectus noster desinit dici & esse causa principalis istius naturalis intellectionis: ergo pari iure, licet intellectus postulet compleri per lumen gloriæ, vt de facto Deum videat; quia tamen Deus vt clarè visus continetur intra latitudinem adæquati eius obiecti specificatiui, & visio beatifica continetur virtute in illo, habétque (vt de facto, vel saltem aptitudine est producibilis) ordinem essentialem ad illum, & intellectus creatus per illam tendit in suam similitudinem, semper intellectus dicetur esse principalis causa illius. VII.

Tertium est: quod agit per potentiam obe-
D dientialem causa instrumentalis est, & non principalis; quia potentia obedientialis videtur subiici tantùm Deo agenti tanquam causæ principali: atqui intellectus concurrit ad visionem beatificam per potentiam obedientialem: ergo est causa instrumentalis illius, & non principalis. VIII.

Respondetur negando maiorem, siquidem per eandem potentiam obedientialem intellectus & voluntas producunt actus vitales & supernaturales fidei, spei, & charitatis, & tamen iuxta sanctum Thomam suprà sunt causæ principales illorum.

Deinde, possumus distinguere duplicem potentiam obedientialem; actiuam vnam, *omninò puram*, alteram, *non omninò puram*: potentia obedientialis actiua *omninò pura* ea dicitur, quæ fundatur in sola entitate nullam habente vim sibi innatam etiam duntaxat in-

I. choatam, quâ respiciat effectus sibi correspondentes, vt contentos intra latitudinem obiecti sui specificatiui, sed solùm per puram obedientiam & subiectionem, quam habet ad imperium diuinum, cuiusmodi est actiua potentia obedientialis, quæ est in igne ad comburendum dæmones: nam tota vis calefactiua ignis est secundùm suam specificationem ad calefaciendum entia corporea, & materialia; quòd verò possit comburere dæmones, solùm habet per illam summam obedientiam & subiectionem, quam habet ad imperium Dei: actiua autem potentia obedientialis *non pura* ea dicitur, quæ fundatur in entitate habente aliquam vim inchoatam sibi innatam, quâ respiciat effectus suos proprios, vt contentos intra latitudinem adæquati sui obiecti specificatiui, quæ vis quia est tantùm comple-
II. ta supernaturaliter, & ab agente modo supernaturali; ideò quatenus respicit eiusmodi effectus, & eorum obiecta, vocatur *obedientialis*, non tamen *pura*, ob radicale, & inchoatum principium, quod ex sua essentiali conditione habet.

Est autem inter hanc vtramque obedientialem potentiam distinctio; quòd prior sit verè & propriè loquendo instrumentalis respectu superioris agentis, quia eius effectus non continetur virtualiter in illa, tanquam in sua causa, nec continetur intra latitudinem adæquati sui obiecti specificatiui; nec hæc sibi hunc assimilat: posterior autem habet quòd non sit instrumentalis, sed principalis, licet indigeat aliquo, tanquam sui complemento, quia sese mouet ab intrinseco seu per princi-
III. pium sibi internum, & essentiale ad actum suum & effectum, tanquam ad id, quod continetur intra obiectum suum specificatiuum, & tendit ad illum, vt sibi assimilandum, & quando effectus eiusmodi est vitalis, dicit ordinem intrinsecum, & essentialem ad principium illud inchoatum: ita vt non sit producibilis nisi à tali principio, cuiusmodi est actus visionis beatificæ respectu intellectus.

Quartum est: causa principalis creata habet virtutem limitatam ad agendum etiam quoad intensionem: atqui non est intellectus beati eiusmodi; sed ratione suæ obedientialis potentiæ potest ferri in actus beatificos intensiores in infinitum: ergo non est causa principalis visionis beatificæ.

Respondetur, quòd limitatio virtutis in causa creata non prouenit ex eo quòd sit cau-
IV. sa principalis: sed vel ex conditione formæ, per quam agit, vel ex conditione termini, quem illa respicit per actum correspondentem suæ virtuti: quemadmodum videre est in intellectu creato respectu actuum naturalium circa obiecta etiam naturalia, quos per absolutam potentiam Dei semper potest, & semper in infinitum syncategorematicè elicere perfectiores, quorum tamen est causa principalis: item in gratia sanctificante, quæ (si Deus velit) potest semper actus perfectiores & perfectiores in infinitum syncategorematicè producere, quorum tamen non desinit esse causa principalis iuxta sanctum Thomam suprà.

Quintum fundamentum est tale: causa principalis est nobilior suo effectu, sed nobilior nō est intellectus beati visione beatificâ, aut eius termino: ergo non est causa principalis illius.

A Respondetur negando, omnem & quamlibet causam principalem debere esse nobiliorem, vel saltem formaliter æquè nobilem, ac est eius effectus: nam sol & id genus cæteræ causæ sunt in suo ordine principales respectu muscarum, & plurium id genus aliorum iuxta multorum sententiam satis communem, quæ tamen cùm sint animatæ, & sol inanimatus non æquat quoad perfectionem. V.

Articvlvs IV.

Vtrum lumen gloriæ sit instrumentum propriè dictum intellectus videntis Deum.

Placet sententia negans, quam loco propositionis nostræ ponimus. *Lumen gloriæ loquendo propriè non est instrumentum intellectus*
B *videntis Deum.* Probatur: instrumentum propriè non agit nisi ad motum suæ principalis causæ, & prout applicatur ab illa, vt nunc obseruauimus ex sancto Thoma: sed lumen gloriæ non agit ad solum motum intellectus, & ad applicationem per illum factam, sed tendit necessariò, & ex propria sua conditione ad efficiendum beatificam visionem etiam nihil recipiendo ab intellectu beati: ergo lumen gloriæ non est loquendo propriè instrumentum beati intellectus. VI.

Confirmatur: vbi vnum complet actiuitatem alterius non potest dici propriè instrumentum eius causæ cuius actiuitatem complet, quin potiùs si ratio instrumenti haberet ibi locum, causa illa cuius actiuitas completur, esset potiùs dicenda instrumentalis, cùm
C illam eleuet confortando; sed lumen gloriæ ex dictis suprà complet actiuitatem intellectus beati ad Deum clarè videndum, & corroborando illum eleuat: ergo lumen gloriæ non potest dici instrumentalis causa intellectus creati in elicienda visione beatifica. VII.

Tandem: illud non habet rationem causæ instrumentalis, cui in ipso effectu aliqua specialis ratio correspondet, distincta ab ea quæ respondet causæ principali; nam in eo instrumentum distinguitur à principali, verbi gratiâ, in productione substantiæ quâ attingitur immediatè à substantia producentis, & ab actione caloris nihil proprium, & peculiare accidenti diuersum ab eo quod respondet substantiæ principali causæ, respondet: atqui in præsenti casu aliquid peculiare, & diuersum correspondet lumini gloriæ, nimirum su-
D pernaturalitas, tanquam ratio specificatiua, & aliquid intellectui beato nimirum vitalitas, vt ratio etiam specificatiua, quemadmodum intelligitur ex dictis: ergo lumen gloriæ non est instrumentum intellectus beati in elicienda visione beatifica. VIII.

Obiicies contra nostram propositionem: quod est non vitale, & concurrit ad aliquid vitale se habet tantùm ad illud per modum causæ instrumentalis; sed lumen gloriæ est non vitale, & concurrit ad actionem visionis beatificæ, quæ vitalis est, cum intellectu qui est principium vitale: ergo est causa instrumentalis.

Respondetur, quòd aliud est esse primum, & radicale principium actus vitalis, & aliud esse duntaxat complementum principij vitalis ad eliciendum eum vitaliter: ad primum

I. vitalitas requiritur in tali principio, ad secundum non requiritur, vt videre est in habitibus infusis fidei, spei & charitatis; imò & in acquisitis habitibus scientiarum, qui etiam concurrunt ad productionem actuum scientificorum, qui tamen sunt vitales.

ARTICVLVS V.

Vtrum intellectus, & lumen gloriæ constituant vnicam causam principalem visionis beatificæ.

SIT hæc vnica propositio. *Intellectus & lumen gloriæ simul componũt vnum totale agens principale ex parte potentiæ ad eliciendam visionem beatificam.* Probatur primò ex iis, quibus suprà ostendimus nec intellectum esse
II. instrumentum Dei, vel luminis gloriæ, nec lumen gloriæ esse instrumentum intellectus beati; & nihilominùs vtrumque concurrere efficienter ad beatificam visionem: ergo cùm omnis causa totalis sit vel instrumentaria, vel principalis comparatione sui effectus, & intellectus, & lumen gloriæ sint vna causa, non instrumentalis, restat vt sint vna principalis comparatione visionis beatificæ.

Deinde probatur: omnis illa vitalis potentia, quæ se ab intrinseco mouet ad exercendum suum actum, & ita per virtutem sibi innatam influit in illum, vt hic habeat dependentiã essentialem ab ea, est principalis causa illius: at intellectus beati mouet seipsum ab intrinseco ad exercendum actum visionis beatificæ per virtutem sibi innatam, & iste actus habet essentialem dependentiam ab intelle-
III. ctu beati: ergo intellectus beati est principalis causa suæ visionis beatificæ.

Maior patet, quia principalis causa distinguitur potissimùm penes ista duo à causa tantùm instrumentali, vt potest facilè intelligi ex sancto Thoma paulò antè citato, ex iis quæ Philosophi tradunt communiter de multiplici diuisione causarum, & de natura vniuscuiusque illarum.

Minor etiam patet quoad primam partem, quia omnis actus vitalis, quatenus talis, est à suo principio, tanquam seipsum mouente ad illum: quemadmodum sanctus Thomas expressè docet infrà quæstione 18. articulo primo in corpore: patet etiam quoad secundam partem, quia illa obedientialis actiua potentia per quam intellectus beati videt Deum cla-
IV. rè, est ei innata; nam considerata entitatiuè & materialiter nihil est aliud, quàm ipsamet potentia intellectiua, licet formaliter spectata, & per habitudinem ad obiectum motiuum & terminatiuum in indiuiduo vel etiam in specie, sit supernaturalis.

Deniq; patet propositio quoad tertiã partẽ, quia visio beatifica quatenus est talis, & vt est specialis quædam operatio vitę intellectualis, postulat intrinsecè esse, & produci à principio vitæ sibi coniuncto: quod non potest esse, nisi intellectus ille creatus à quo elicitur, vt ampliùs patebit infrà, quando ostendemus oculum corporeum non posse eleuari ad Deum clarè videndum.

A

ARTICVLVS VI. V.

Vtrum absolutâ Dei virtute intellectus creatus videre posit essentiam diuinam intuitiuè sine lumine gloriæ.

DVÆ sunt hac de re Theologorum sententiæ: prima negans, quæ est Capreoli in quartum sententiarum distinctione quadragesimâ nonâ quæstione quartâ articulo tertio, Soti ibidem, Caietani, Bannes, & aliquorum recentiorum articulo tertio huius quæstionis duodecimæ, qui existimant lumen gloriæ esse simpliciter & absolutè necessarium in ratione habitus, si visio beatifica sit permanens; licet si sit tantùm transiens, suffi-
B ciat per modum qualitatis transeuntis, vt in VI.
raptu sancti Pauli, & in quibusdam aliis, qui dum adhuc essent in via, referuntur aliquando vidisse Deum per essentiam. Affirmans tamen nobis melior videtur, quam duplici nostrâ propositione explicamus.

Prima propositio. *Essentia diuina potest clarè videri ab intellectu creato, non tantum sine habituali lumine, sed etiã sine actuali existente subiectiuè in intellectu beati, dummodo Deus suppleat actiuitatem istius luminis gloriæ.* Ita Paludanus in quartum sententiarum distinctione quadragesimâ nonâ quæstione primâ articulo tertio. Maior eadem distinctione quæstione quartâ, & quamplures ex recentioribus ad quintum articulum huius quæstionis duodecimæ sancti Thomæ.

Probatur primùm ex eò quòd non est maior improportio intellectus beati destituti lu-
C mine gloriæ habituali ad Deum clarè viden- VII.
dum, quàm sit nostri intellectus, & voluntatis in via, prout carent habitibus infusis fidei, spei & charitatis ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, quia vtrobique omnia sunt paria, vt intelligitur ex præcedentibus: at nostræ illæ facultates possunt ante iustificationem sine præcedentibus habitibus, & solùm ex speciali auxilio Dei elicere prædictos actus supernaturales, tanquam dispositiuos ad iustificationem, vt docetur agendo de iustificatione, & eius dispositionibus.

Quod item istud possit fieri absque actuali lumine gloriæ, existente subiectiuè in intellectu beati, est expressa sententia sancti Thomæ in quartum sententiarum distinctione
D 49. quæstione 2. articulo 7. dum sic ait: *potest* VIII.
miraculosè fieri, quòd diuinâ virtute aliquis intellectus non habens nisi dispositiones viæ, eleuetur ad videndum Deum per essentiam, quò loci ita sanctus Thomas absolutè loquitur de lumine gloriæ, vt tamen in ordine ad absolutam potentiam Dei nihil ampliùs requirat inhæsiuè in intellectu beati, quàm quod de facto reperitur in viatore iustificato per gratiam: quare sicut iustificatio viatoris excludit quodcumque lumen gloriæ, tam actuale, quàm habituale, vt per se constat; sic etiam mens sancti Thomæ ibi est, Deum posse per absolutam suam potentiam facere, vt intellectus creatus carens omni lumine gloriæ, tam actuali, quàm habituali sibi inhærente, videat Deum per essentiam.

Neque reperietur sanctus Thomas post-

I. modum mutasse hanc sententiam, si benè ex-
pendantur ea, quæ posteà scripsit, tam de
lumine gloriæ, quàm de habitu gratiæ, vt
expresse docet Ioannes *de Neapoli* insignis
defensor doctrinæ sancti Thomæ, in suis
variis quæst. disputatis quæstione primâ pun-
cto primo, & plures ex recentioribus: quan-
do enim vrget necessitatem luminis habitua-
lis vel gratiæ pro eliciendis eiusmodi actibus,
id tantùm intelligit de illis eliciendis con-
naturaliter, vt potest facilè animaduerti ex
antecedentibus & consequentibus.

Probatur etiam ratione: quidquid aliqua
causa in genere causæ purè & simpliciter
efficiẽtis non vitalis potest facere, & ad quod
præcisè consideratum non postulat ex vi suæ
efficientiæ inhærentiam in alio, Deus potest
illud omne aliâ viâ præstare, vel per se, vel
II. per aliquid aliud etiam absque inhærentia
actuali: at lumen gloriæ, siue actuale, siue
habituale tantùm corroborat intellectum in
genere causæ purè, & simpliciter efficientis
non propriè vitalis, vt patet ex dictis articulo
præcedenti, & lumen gloriæ requirit inexiste-
re intellectui ex præcisa tantùm sua ratio-
ne generica, nimirum quatenus est acci-
dens; non autem quatenus præcisè corro-
borat intellectum, quomodo concurrit im-
mediatè ad visionem beatificam; & ex eo præ-
cisè non postulat inhærere intellectui. Nam
vt posteà videbimus ex sententia S. Thomæ
communiùs recepta, diuina essentia habens se
ad instar speciei impressæ concurrit efficien-
ter ad visionem beatificam, nec tamen inhæ-
ret intellectui, sed ei tantùm assistit: simili-
III. ter substantia Angeli concurrit efficienter ad
cognitionem illam, quam format de seipso
nec etiam illa inhæret suo intellectui. Tum
etiam quia ad immediatè concurrendum in
genere causæ efficientis purè extrinsecę(quo-
modo lumen gloriæ concurrit ad visionem
beatificam) ad actum, vel effectum alterius
concausæ, non requiritur vt, quod concurrit,
inhæreat ei, cum quo concurrit, sed tantùm,
vt simul & semel agat cum illo: ergo non est
necesse, vt quod fungitur vice luminis gloriç,
inhæreat intellectui beato: & proinde Deus
absolutâ suâ potentiâ potest facere, vt intelle-
ctus beati videat clarè diuinam essentiam abs-
que lumine gloriæ habituali, vel actuali sibi
inhærente.

Probatur secundò, simúlque explicatur
IV. magis præcedens ratio: quotiescumque im-
proportio alicuius agentis prouenit tantùm
ex defectu sufficientis efficaciæ, & virtutis
circa obiectum contentum intra latitudinem
obiecti sui specificatiui; & hæc virtus eius in-
choata completur tantùm per coefficientiam
seu concursum alterius agentis, tunc ad com-
plendam virtutem illam inchoatam primi a-
gentis, non est absolutè necessarium illud
aliquid in se ipso recipere subiectiuè, quo quã
tum requiritur ex parte potentiæ, actiua eius
virtus compleatur; sed sufficit vt non prorum-
pat in actum nisi alio secum concurrente,
& sic complente suam efficientiam: atqui im-
proportio intellectus creati ad visionem bea-
tificam eliciendam, prouenit tantùm ex de-
fectu sufficientis efficaciæ, quia habet inchoa-
tam virtutem, & lumen gloriæ illam tantùm
complet, non aliquid ei imprimendo, sed si-

A mul cum intellectu causando visionem beati- V.
ficam, iungendo scilicet vim suam virtuti in-
choatæ intellectus, & sic integrando vnum
completum principium ex parte potentiæ, vt
suprà fusè probauimus: ergo vt intellectus
beati perficiatur ad eliciendam visionem bea-
tificam, non est necesse in se ipso subiectiuè
aliquid recipere.

Minor propositio sufficienter probata est
superiùs. Maior potest declarari exemplo
duorum partialiter concurrentium ad produ-
cendum eundem effectum, improportiona-
tum quidem virtuti vniuscuiusque seorsim
sumpti, contentũ tamẽ intra latitudinem spe-
cificatiui eius obiecti; tũc enim satis est quod
simul intimè vniantur inter se eo instanti, quo
agunt, nec est necesse vnum eorum imprime-
re aliquid alteri, quo virtus eius eleuetur ad
B agendum, vt docet experientia: neque ex eo VI.
quòd in vnoquoque illorum præsupponitur
esse vis aliqua naturalis ad portãdum partem
talis oneris, exempli causâ, correspondentem
suæ virtuti partiali, efficacia nostræ rationis, &
exempli minuitur; licet enim quoad hoc sit
quædam disconuenientia, conuenit tamen
cum re quam hîc explicamus, quòd vnum
alteri nihil imprimat, & tamen compleat vir-
tutem eius: deinde in eo quòd quemadmo-
dum in hoc exemplo præsupponitur inchoata
virtus ad ferendum totum onus, ita etiam inest
virtus quædam inchoata in intellectu creato
ad Deum clarè videndum; vnde quemadmo-
dum ibi intelligimus virtutem actiuam vnius
compleri per concursum alterius coagentis
nihil imprimendo priori imperfectam tantùm
& inchoatam habenti potentiam respectu to-
C tius oneris, ita etiam rectè possumus intelli- VII.
gere vim actiuam inchoatam, quæ est in intel-
lectu creato ad Deum clarè videndum, posse
compleri per aliquid ei adiunctum, non ta-
men ei inhærens.

Secunda propositio. *Modus ille specialis,
quo Deus potest supplere actiuitatem luminis glo-
riæ optimus, & intellectu facilis, est, vt Deus
vniatur intellectui per intimam indistantiam in
ratione virtutis agendi absque vlla informatione
& inhærentia.* Et primò quòd modus iste sit
Deo possibilis.

Probatur etiam in illa sententia secundùm
doctrinam S. Thomæ receptissimam, de essen-
tia vnita intellectui beato ad supplendam vi-
cem speciei impressæ; primò enim tantùm ei
D vnitur per intimam indistantiam, quia impli- VIII.
cat diuinam essentiam informare, vel inhæ-
rere alicui. Deinde, quia vnitur ei, vt habens
se ad instar speciei impressæ supplendo pro-
prium eius munus, quod munus speciei im-
pressæ est etiã concurrere efficienter ad actum
cognitionis, tunc Deus debet vniri beato in-
tellectui ita per indistantiam intimam, vt ta-
men vniatur ei in ratione virtutis agendi hoc
speciali modo, quo supplet actiuitatem spe-
ciei impressæ sine aliqua inhærentia, vel in-
formatione.

Deinde, quia non desunt qui negent hanc
doctrinam S. Thomæ, istud potest aliter con-
firmari argumento sumpto à substantia An-
geli, quæ supplet actiuitatem speciei in ea co-
gnitione, quam Angelus format de seipso.

Probatur tandem ratione tacta in primâ
nostra propositione; vbi aliquod agens est in-

I. finitæ virtutis, & hæc eius virtus est ipsamet
eius substantia; tunc agens istud potest in ge-
nere causæ efficientis non vitalis, per intimam
indistantiam suæ substantiæ, seu assistentiam
eius in ratione virtutis agēdi, quidquid omnia
agentia finita possunt facere, & eo etiam mo-
do, quo faciunt, quia talis efficientia nullam
importat imperfectionem, prout etiam con-
sideratur iuxta specialem suum modum, ést-
que tantùm extrinseca: aliàs enim si istud a-
gens non posset id præstare, falsò diceretur
esse virtutis infinitæ in agendo: atqui Deus est
agens infinitæ virtutis in agendo, & hæc eius
virtus agendi est ipsamet eius substantia; lu-
men verò gloriæ, siue habituale, siue actuale
dum complet actiuitatem intellectus creati
in ordine ad visionem beatificam, est quod-
dam agens finitum, & complet prædictam a-
II. ctiuitatem efficientiâ purè extrinsecâ non vi-
tali, vel formali, sed simul concurrendo effi-
cienter cum intellectu, vt patet ex dictis: ergo
Deus vt vnitus intellectui creato per intimam
indistantiam in ratione virtutis agendi, pote-
rit supplere actiuitatem luminis gloriæ.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta sententiæ contrariæ.

PRIMVM est, quòd ad percipiendum ob-
iectum oporteat principium cognitionis
esse completum etiam antecedenter; at intel-
lectus creatus completur tantùm per lumen
gloriæ habituale, aut saltē actuale, & transiens
in ordine ad eliciendum visionem beatificam:
aliàs diceretur posse se ipso solo considerato
secundùm sua naturalia videre clarè & intui-
III. tiuè Deum, quod est incidere in hæresim Ano-
mœorum, & Begardorum superiùs damnatam
à Patribus, & Conciliis.

Confirmatur: essentia diuina non potest ad
instar speciei impressæ vnire se intellectui
creato, nisi ille sit in proxima potentia ad vi-
dendum Deum, quantum requiritur ex parte
potentiæ, vt patet ex dictis suprà de necessita-
te luminis gloriæ: igitur non potest per abso-
lutam Dei potentiam visio beatifica fieri ab in-
tellectu creato sine lumine gloriæ.

Respondetur concessâ maiore negando mi-
norem; tunc enim intellectus fit, completum
principium visionis beatificæ per singularem
assistentiam diuinæ essentiæ explicatam se-
cundâ propositione superioris articuli, quæ
importaret specialem concursum, eúmque
IV. distinctum, non solummodò à generali; sed
etiam ab eo, quem exhiberet supplendo vi-
cem speciei impressæ.

Neque ex eo, quòd in tali casu intellectus
beati maneret idem intrinsecè, ac anteà, qua-
tenus nihil reale reciperet in seipso, benè de-
ducitur eum tunc secundùm sua naturalia
consideratum videre intuitiuè Deum, vt con-
tendebant hæretici superiùs nominati: nam
intellectus, vel alia quæuis potentia tunc cen-
setur aliquid cognoscere, vel facere nudè &
simpliciter secundùm sua naturalia, quando
agit duntaxat secundùm efficaciam sibi debi-
tam, iuxta ordinem naturalem, & prout re-
ducitur naturaliter ab agēte naturali ad pro-
prium suum actum; quo tamen modo in præ-
senti casu intellectus beati, eliciendo visio-

A nem beatificam non ageret, quia ageret prout V.
habet rationem potentiæ obedientialis, quæ
licet materialiter sit naturalis, cùm non sit
aliud, quàm ipsamet entitas potentiæ intel-
lectiuæ, attamen formaliter, seu vt est obe-
dientialis, est supernaturalis, cùm potentia
specificetur à suo actu & modo, quo tendit in
illum, intellectus autem beati tendat in visio-
nem beatificam, vt sibi nullo modo debitam
iuxta ordinem naturæ, & per efficaciam ordi-
nis longè superioris, scilicet supernaturalis.

Ad confirmationem negatur minor, &
priùs saltē ordine rationis intelligimus Deum
esse vnitum intellectui per intimam indistan-
tiam in ratione virtutis agendi, quàm simul
cum illo producere visionem beatificam.

Secundum fundamentum est: principium
vitale debet habere in se ipso formaliter vir-
B tutem, per quam agit, quia aliàs non dicere- VI.
tur agere vitaliter, quod est idem ac se ipsum
mouere per principium sibi internum, simili-
ter aliàs non erit causa principalis, atqui in-
tellectus beati respectu visionis beatificæ est
principium vitale; item est causa principalis,
vt docuimus præcedentibus articulis: igitur
debet informari lumine gloriæ.

Respondetur, in illa virtute, quæ est in in-
tellectu beati ad Deum clarè videndum adæ-
quatè considerata, duo posse distingui; vnum
est primum eius principium, tam quoad vita-
litatē, quàm quoad supernaturalitatem; alte-
rum est complementum istius eiusmodi prin-
cipij, quoad hanc vtramque formalitatem:
primum esse formaliter in intellectu beati,
secundum verò non requirere necessariò ine-
xistere ei, sed sub disiunctione, nimirum ei,
vel inexistere, vel assistere: quia quilibet ex
C istis duobus modis est sufficiens ad complen- VII.
dum istud principium, siue quoad vitalita-
tem, siue quoad supernaturalitatem, cùm id
non habeat præcisè ex eo, quòd inhæreat po-
tentiæ: aliàs enim quodlibet accidens posset
istud præstare. Tum etiam, quia lumen glo-
riæ non est propriè loquendo formalis causa
visionis beatificæ, vt intelligitur ex dictis, sed
est tantùm pars quædam totalis causæ effi-
cientis: & quòd possit complere istud princi-
pium quoad prædicta duo, habet ab intrinse-
ca sua perfectione specifica, quam, solùm assi-
stendo, non desinit retinere: & proinde pos-
set eam communicare, si tantùm assistendo ei
coniungeretur, sicut accidentia in sacramen-
to Eucharistiæ non desinunt agere, licet non
existant in subiecto: nec item intellectus beati
D confortatus per assistentiam tantùm Dei su- VIII.
periùs explicatam, desineret esse loquendo
propriè causa principalis, vel saltem vna pars
adæquatæ causæ principalis visionis beatificę:
nec item Deus vt assistens, quia rationes illæ,
quibus suprà ostendimus intellectum esse cau-
sam principalem ibi, similiter & lumen, sem-
per retinent suam vim, & Deum facere hoc
modo partem alicuius causæ totalis, non di-
cit in eo imperfectionem, cùm non importet
realem compositionem eius cum aliquo; sed
duntaxat artificialem, quæ potest resultare
ex entibus planè perfectis nullam imperfe-
ctionem importantibus ratione talis compo-
sitionis.

Tertium est: implicat aliquid videri cor-
poraliter, vel intellectualiter sine vero & for-

I. A mali aliquo lumine: atqui solum lumen gloriæ actuale, vel habituale est verum, & formale lumen respectu Dei clarè visi, non autem quidquam aliud, cuiusmodi est specialis concursus Dei.

Nec est, quòd quis dicat Deum esse verum lumen; licet enim istud sit verum, quia tamen lumen est causa formalis manifestans ipsum obiectum, & Deus non potest se ipso supplere causam formalem, hoc enim arguit imperfectionem, non poterit etiam facere, vt intellectus creatus videat clarè essentiam diuinam sine aliquo lumine creato sibi inexistente.

Maior est S. Augustini lib. 12. *de Ciuit. Dei* cap. vlt. item lib. 1. *Soliloquiorum* cap. 8. & libro *de spiritu & anima* cap. 123.

Confirmatur ratione: per nullam potentiam fieri potest, vt aliquid appareat obiectiuè & B
II. manifestetur potentiæ sine vero & formali lumine: nam iuxta Apostolum, *omne quod manifestatur lumen est.*

Respondetur, si maior intelligatur de lumine gloriæ tenente se tantùm ex parte principij cognoscitiui consistentis in quadam habilitate potentiæ ad percipiendum obiectum, quomodo fides infusa dicitur esse lumen in nobis, tunc maiorem eius esse veram; & sic cùm suprà docuerimus intellectum creatum esse principium inchoatum eliciendæ visionis, tunc illa non fit sine vero aliquo lumine; si autem lumen sumatur pro aliquo tenente se ex parte obiecti manifestante illud potentiæ, tunc etiam visio beatifica non fit sine lumine, quatenus diuina essentia manifestat seipsam intellectui, & cùm tota hæc efficientia, quam lumē habet ex parte obiecti, sit in genere cau- C
III. sæ purè efficientis, quatenus simul cum obiecto concurrit ad productionem speciei expressæ, vt Philosophi ostendunt in libris *de anima*, & hæc sit planè extrinseca, Deus poterit facere, vt aliquid cognoscatur absque eo, quòd aliquid sit lumen formaliter, dummodo sit virtualiter tale: si denique lumen sumatur prout est medium sub quo potentia percipit obiectum, & modus ille spectetur ex parte potentiæ, satis est, quòd illa vt eleuata, & confortata percipiat obiectum: si autem spectetur ex parte obiecti, sufficit, vt illud percipiat repræsentatum hoc speciali modo: vnde cùm vtrumque istud rectè intelligatur posse suppleri per aliquid, quod tantam efficaciam habeat, quantam habet lumen propriè dictum & species obiecti, non est absolutè simpliciter & vniuersaliter verum, quòd cogni- D
IV. tio, siue corporalis, siue intellectualis, non possit fieri absque vero & formali lumine iuxta hunc modum sumpto, vt aliqui etiam Philosophi docent libris *de anima*: sanctus autem Augustinus relatus in argumento, & alij communiter, vel loquuntur tantùm de potentia ordinaria, vel de lumine tenente se ex parte medij, & obiecti, abstrahendo, quòd sit formaliter tale, vel tantùm virtualiter tale seu iuxta suam efficaciam.

Quartum est: actus liber & efficax Dei non potest esse sine aliquo effectu ad extra, sed voluntas Dei eleuandi intellectum creatum ad Deum clarè videndum, est aliquis actus liber, & distinctus ab eo actu, quo vult concurrere cum potentia ad talem actum: ergo debet ponere aliquid ad extra: hoc autem nihil potest esse aliud, quàm aliquod principium ipsi intellectui intrinsecum per quod ad id eleuetur, & proinde est lumen gloriæ: ergo Deus non potest clarè videri sine lumine gloriæ. V.

Respondetur, hunc actum liberum Dei esse, velle cum intellectu producere actum supernaturalem, supplendo eius actiuitatem per intimam indistantiam suæ essentię in ratione virtutis agendi: & ita specialis ille concursus, quo supplet lumen gloriæ correspondet prædictæ eius volitioni liberæ, tanquam eius terminus.

ARTICVLVS VIII.

Soluitur dubium.

QVÆRES, an visio beatifica (& eadem est difficultas de aliis entibus entitatiuè supernaturalibus) habeat aliquid speciale, VI. quando exercetur ab intellectu informato luminis gloriæ habitu, quod non haberet si tantùm exerceretur iuxta modum explicatum in vltima nostra propositione, & an Deus possit istud aliunde, quàm per ipsum habitum, supplere; sicut iuxta nostram sententiam potest supplere actiuitatem habitus luminis gloriæ.

Respondetur primò, visionem beatificam elicitam ex habitu luminis gloriæ, habere aliquid speciale, quod non haberet, quando fieret ex aliquo actuali tantùm speciali auxilio sibi extrinseco, nimirum ipsam connaturalitatem, seu quòd eliciatur *modo connaturali*, quæ connaturalitas sumpta formaliter consistit in eo, quòd actus procedat à potentia per principium intrinsecum permanenter inexistens potentiæ, & proportionatum ipsi actui, vt enim agens aliquod, tunc censetur agere VII. naturaliter, quando agit per aliquod principium sibi permanenter inexistens, quo seipsum mouet ad suam operationem (hinc natura definitur à Philosopho libro secundo *Physicorum* capite primo, *principium motus & quietis eius in quo est*, & ea dicuntur esse naturalia, quæ habent in se principium, quo moueantur) sic etiam aliqua potentia creata à Deo eleuata ad operandum aliquid excedens naturalem suum essendi modum, & motiuum suum obiectum correspondens huic modo essendi, tunc censetur operari connaturaliter, quando habet in seipsa principium aliquod permanens, quo fit tali actui seu effectui producendo proportionata, & quo informata producit illum.

Ista autem connaturalitas formaliter sumpta non est aliqua tantùm denominatio extrinseca desumpta per ordinem ad potentiam VIII. producentem, cum forma sibi intrinseca proportionata actui: sic enim connaturalitas nihil reale existēns in ipso actu sic producto significaret, sicut nec esse visum in pariete; sed est aliquis modus realis superadditus entitati ipsius actus, consistens in speciali dependentia, quam actus iste habet à tali causa, vt producatur, secundùm quem modum repugnat ei posse sic produci per aliquam aliam causam etiam per ipsum Deum; non enim possumus intelligere visionem beatificam posse produci à Deo, & illam eandem non posse produci à Deo, nisi intelligamus illam produci realem, secundùm aliquid existens in illa, secundùm quod non potest produci à Deo, omnis enim

I. productio tendit in aliquod reale, & secundùm aliquam rationem realem: at visio beatifica potest produci à Deo cum intellectu tantùm eleuato per specialem assistentiam Dei. Quo tamen modo connaturalitas secluditur, & eadem visio, vt connaturaliter producta, non potest produci à Deo cum intellectu non eleuato per habitum, quia talis productio ordinem intrinsecum, & dependentiam essentialem importat à tali causa seu à principio inhærente permanenter: ergo ista connaturalitas in tali actu est specialis quidam realis modus supperadditus entitati ipsius beatificæ visionis.

Secundò respondetur, modum istum connaturalitatis non posse aliunde suppleri, quàm per habitum etiam de absoluta potentia Dei: cuius rei hæc est ratio, quòd quotiescumque
II. aliquid in sui ipsius efficientia inuoluit non solùm genus causæ efficientis, sed etiam formalis, tunc non potest vt sic fieri per aliquid aliud, etiam per ipsum Deum, quia Deus non potest supplere causam formalem: hæc enim ex omnibus Philosophis & Theologis arguit imperfectionem: atqui actus visionis beatificæ, quatenus fit connaturaliter, supponit necessariò & essentialiter in intellectu eliciente illum aliquod formale principium inexistens permanenter, & dans formaliter ipsi intellectui sic eum elicere, seu elicere visionem beatificam modo connaturali: ergo modus iste sic procedendi, nimirum connaturaliter ab intellectu creato, non potest etiam de absoluta potentia Dei suppleri aliunde; sed necessariò debet esse per habitum existentem
III. formaliter & permanēter in intellectu beati.

An autem beatifica visio elicita iuxta modum secundæ nostræ propositionis articulo 6. admitteret in seipsa aliquam variationem, quam nunc elicita per habituale lumen gloriæ non habeat, intelligetur ex dicendis infrà de conditionibus illius.

DISPVTATIO QVARTA.

De lumine gloriæ comparato cum creatura.

Articvlvs Primvs.

IV. ### *Vtrum habitus luminis gloriæ possit emanare ab aliqua possibili creatura.*

Sensvs articuli est, an hoc idem specie lumen gloriæ, quod est habituale in beatis, possit sub hac præcisa ratione habitus operatiui ita fieri naturale alicui creaturæ intellectuali per absolutam Dei potentiam, vt eodem planè modo emanet ab essentia eiusmodi creaturæ, quo intellectus humanus emanat ab essentia animæ.

Sit hæc vnica nostra propositio. *Non potest lumen gloriæ habituale ita se habere:* probatur ex iis omnibus, quæ intrinsecè ordinantur ad operandum: soli potentiæ propriè dictæ competit emanare naturaliter ab ea essentia, cuius est potentia, & per proprium eius impetum
diffluit: atqui lumen habituale gloriæ, quod de facto est in beatis, & quod ordinatur ad operandum, scilicet ad corroborandum intellectum, & ad faciēdum cum illo beatificam visionem, non est aliqua potentia propriè dicta, vt suprà docuimus: ergo habituale lumen gloriæ, quod de facto est in beatis, non potest ita emanare ab aliquo intellectu creato, sicut intellectus emanat naturaliter ab ipsa essentia animæ, cuius est potentia. V.

Maior probatur ex eo quòd potentia propriè dicta eo fine datur essentiæ, vt hæc sit apta se ab intrinseco mouere ad operationes suæ speciei, seu ad exercendum operationes sibi proprias secundùm eum gradum vitæ, quem talis essentia habet: & ideò quemadmodum essentia à primo instanti sui esse, seu existere est propter operationem suam; sic & poten-
tia eius propriè dicta est ei à primo instanti sui esse, seu existere debita & congenita, eiúsque productio est per emanationem seu resultantiam quandam naturalem, licet aliquando retardetur operari per impedimenta organica, vel per aliquid simile, vt patet in nobis adhuc infantibus: vnde hæc videtur esse formalis ratio potentiæ, quemadmodum apparet primò inductione factâ per omnes & quaslibet potentias propriè dictas: deinde ex eo quòd potentia distinguatur ab omnibus aliis speciebus qualitatis per eiusmodi conditiones, vt videre est apud Aristotelem, & eius interpretes in categoria qualitatis. VI.

Eadem propositio probatur: implicat aliquid esse habitum per se infusum propriè dictum ordinatum ad complendum actiuitatem alicuius potentiæ, & simul ab illa propriè lo-
quendo emanare naturaliter; quod enim per se infunditur, est ab extrinseco supra debitum & exigentiam naturæ, cui infunditur: quod verò emanat naturaliter est ab intrinseco, scilicet ex impetu ipsius essentiæ, & secundùm eius exigentiam: atqui lumen gloriæ est habitus per se infusus, & est ad complendum actiuitatē intellectus creati quoad vim suam obedientialem, vt suprà docuimus: ergo habituale lumen gloriæ non potest de absoluta Dei potentia, sic fieri naturale alicui intellectui creato, vt naturaliter emanet ab eius essentia. VII.

Tandem probatur ex eo quòd si naturaliter emanaret, desineret esse habitus, & esset potentia propriè dicta: nam omne illud, quod emanat naturaliter ad inclinandum, debet esse ipsamet entitas potentiæ naturalis: hæc
enim nihil est aliud, quàm naturalis quædam propensio ad actum: atqui repugnat lumen gloriæ non esse habitum propriè dictum, quia ratio habitus ingreditur eius essentiam cùm sit generica eius ratio: item repugnat illud esse potentiam propriè dictam, vt patet ex dictis suprà, & si esset potentia, non posset esse alia, quàm intellectus: & sic in beato essent duo intellectus; imò tres pro tribus illis luminibus, quæ respondent tribus eorum intellectiuis cognitionibus, nimirum *intuitiuæ, vespertinæ* & *naturali*; quod est contra omnes Theologos: ergo implicat habituale lumen gloriæ ita fieri naturale alicui creaturæ, vt naturaliter emanet ab eius essentia, sicut in nobis intellectus emanat naturaliter à nostra anima. VIII.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus possit creare aliquem intellectum, qui ex vi sua naturali possit videre clarè Deum sine vllo sibi superaddito.

DIFFICVLTATIS sensus est, an Deus absolutâ suâ potentiâ possit creare intellectum tam perfectum, vt vis eius natiua ad cognoscendum, indistincta etiam ab ipso intellectu sit ex se in se ipsa, & in sua naturali conditione considerata tam perfecta quàm intellectus beati simul sumptus cum lumine gloriæ est perfectus in ordine ad vidẽdum Deum clarè & intuitiuè; sicque ex nuda vi sua propria & naturali possit videre Deum sicuti est
II. in se ipso.

Molina hâc quæstione sancti Thomæ disputatione secundâ, & ante illum Maior in quartum sententiarum distinctione 49. quæstione quartâ, cum nonnullis recentioribus, propendent in partem affirmantem, quia nulla, inquiunt, apparet contradictio; quare non sit Deo possibile facere creaturam, quæ tantam habeat vim intelligendi sibi natiuam, quanta de facto coalescit ex virtute illa radicali, & natiua inchoata tantùm intellectus, & ex lumine gloriæ sibi superaddito.

Melior tamen est sententia opposita, quam loco nostræ propositionis ponimus. *Implicat dari creatum aliquem intellectum ita virtute sibi natiuâ præditum, quanta de facto est vis ipsa intellectus beati simul sumpti cum lumine gloriæ: & proinde repugnat dari intellectum, cuius vis na-*
III. *tiua sibi soli relicta, non sit ab intrinseco impotens videre Deum clarè, intuitiuè, & per essentiam sicuti est:* ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo quinto in solutione ad tertium, vbi sic scribit: *Lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset naturæ diuinæ, quod est impossibile.* Quod dictum sancti Thomæ satis intelligitur procedere de absoluta potentia Dei, secundùm quam repugnat creaturam esse Deum, & omnes interpretes sancti Thomæ idem hîc communiter sentiunt; & est expressa sententia sancti Augustini libro 12. *de Ciuitate Dei* capite primo, vbi postquam dixit creaturam rationalem seu intellectualem posse beari, ita subiungit, *quod tamen creatura non potest seipsa, quia ex nihilo creata est: sed ex illo à quo creata est,* quibus verbis significat impotentiam, quæ est in creatura rationali ad
IV. beatificandum seipsam fundari in eo quòd sit creatura: & proinde cùm esse creaturam sit aliquid ei intrinsecum & essentiale, ita vt repugnet ei esse quid increatum, sic enim esset independens à Deo, & ens à se, fit, vt iuxta sanctum Augustinum repugnet ab intrinseco aliquem intellectum creatum posse ex seipso, & ex solis natiuis suis viribus videre Deum clarè & sicuti est in seipso.

Atque ex hac obseruatione circa hanc particulam sancti Augustini, *quia ex nihilo creata est,* patet esse contra eius mentem, quod aliqui respondent eum scilicet loqui de his solum creaturis, quæ sunt aut esse possunt communi, & ordinariâ virtute Dei, non autem de iis, quæ produci possunt de absoluta potentia Dei: patet, inquam, id esse contra eius
A mentem, quatenus ratio creaturæ, in qua sanctus Augustinus ibi fundat istam repugnantiam habet locum in quolibet ente creato, secundùm quamcumque absolutissimam potentiam Dei; cùm *esse creatum* sit ei intrinsecum, & essentiale, vt per se patet. V.

ARTICVLVS III.

Eadem veritas probatur primâ ratione.

QVOD spectat ad rationes, quibus nostra propositio ostendatur, varij varias formant, quarum tamen aliquas auctores contrariæ sententiæ nituntur dissoluere, nos vnam tantùm, aut alteram vrgebimus, quarum

Prima sit: implicat vnum, & idem habere
B actu virtutem aliquam à se, seu ex sua naturali conditione, & simul esse in potentia verè, & propriè dicta obedientiali passiua ad recipiendum illam: at nullus potest creari intellectus, qui non sit in potentia obedientiali passiua ad recipiendum à Deo lumen gloriæ tanquam comprincipium eliciendæ visionis beatificæ: ergo implicat dari aliquem creatum intellectum, qui ex naturali sua conditione habeat totam virtutem, & perfectionem luminis gloriæ: & proinde cuius vis innata tanta sit, quanta est de facto vis intellectus beati simul sumpti cum lumine gloriæ. VI.

Maior patet, non tantùm ex eo quòd esse actu tale, & esse tantùm tale in potentia, opponantur sibi inuicem: sed etiam ex eo quòd esse in potentia obedientiali respectu Dei ad recipiendum aliquid neget illud, quod talis
C lis potentia respicit esse naturale, & propriè congenitum ei, cui tribuitur à Deo. Nam obedientialis potentia distinguitur à naturali, quòd hæc sit ad formas proportionatas suo naturali modo essendi, ista verò sit ad eas, quæ transcendunt tantùm naturalem, & proprium sui subiecti ordinem. VII.

Minor autem probatur. Si intellectus creatus dari posset, qui non esset in potentia obedientiali passiua ad recipiendum à Deo lumen gloriæ, talis eius incapacitas deberet necessariò prouenire ex summa natiua perfectione eius, quia non posset prouenire ex aliqua eius imperfectione; cùm omnis creatura intellectualis in gradu perfectionis, quantumuis infimo, sit semper capax amicitiæ Dei, & ex consequenti beatitudinis, vt sanctus Au-
D gustinus loco nunc citato docet: & cùm hæc cognitio intuitiua Dei, & vis ad illam eliciendam dicatur esse ei natiua propter summam perfectionem illius gradus, in quo supponitur creari à Deo; si incapacitas huius passiuæ potentiæ obedientialis reperiatur in illa, debet refundi in summam perfectionẽ illius, quæ aliàs destrueretur per talem potentiam passiuam; sed hæc incapacitas non potest prouenire ex summa perfectione natiua intellectus sic à Deo creati: si enim ex illa proueniret, oporteret, vt quò Angelus est perfectior animâ rationali; item omnis Angelus alio Angelo, eo etiam minorem haberet capacitatem ad recipiendum lumen gloriæ à Deo: at hoc est falsum, vt patebit ex dicendis de inæqualitate beatitudinis: hæc enim capacitas est æqualis in omnibus; & licet intellectus crea- VIII.

I. tus animæ Christi Domini dicatur esse entitatis speciei inferioris ab intellectu Angeli; nemo tamen Catholicorum dicet eum habuisse minorem capacitatem seu potentiam passiuam obedientialem ad recipiendum lumen gloriæ, quàm aliquis Angelorum cuiuscunque ordinis, cùm visio beatificata quantitati luminis gloriæ respondeat, vt infrà dicetur, & anima Christi Domini habeat visionem beatificam perfectiorem, quàm quilibet alius intellectus creatus: ergo non potest prædicta incapacitas prouenire ex summâ perfectione natiua intellectus creati: ergo creetur à Deo intellectus quantumuis perfectus, quia tamen prædicta potentia passiua non potest compati cum natiua virtute videndi Deum, quæ de facto insit subiecto, quod dicitur habere ipsam potentiam obedientialem, nullus intellectus
II. creati poterit, qui ex natiua sua virtute tantam vim habeat, quantam de facto habet intellectus beati simul sumptus cum lumine gloriæ.

ARTICVLVS IV.

Eadem veritas alterâ ratione probatur.

ALTERA ratio est eiusmodi: vbi repugnat substantiam intellectualé creatam dari, quæ intrinsecè & entitatiuè sit supernaturalis, ibi repugnat intellectum creatum dari, qui ex propria & naturali sua conditione præcisè, & solitariè sumpta sit tam perfectus, & completus in ordine ad Deum clarè videndum: atqui repugnat dari substantiam creatam intellectualem, quæ sit intrinsecè & entitatiuè supernaturalis: ergo repugnat dari intellectum
III. aliquem creatum, qui ex propria, & naturali sua conditione præcisè & solitariè sumpta sit tam perfectus & completus in ordine ad Deum clarè videndum, quàm intellectus creatus sumptus simul cum lumine gloriæ est perfectus & completus in ordine ad Deum clarè videndum.

Maior propositio non potest negari ab auctoribus prioris sententiæ: nam ex possibilitate talis substantiæ inferunt possibilitatem intellectus creati, qui ex propria & naturali sua conditione sit se solo tam perfectus, & completus in ordine ad Deum clarè videndum, quàm intellectus creatus in ordine eodem, prout simul sumitur cum lumine gloriæ: ergo si istud eorum antecedens sit falsum, vt secunda præsens nostra ratio contendit, erit etiam & ipsum quod inde conantur inferre.

IV. Minor verò probabitur sequentibus articulis, discurrendo per omnes, & singulos modos, quibus substantia creata potest concipi, & dici *supernaturalis*, quorum singulorum explicationem præmittemus artic. sequenti.

ARTICVLVS V.

Præmittuntur modi, quibus potest concipi aliqua substantia entitatiuè supernaturalis.

ALIQVA substantia potest concipi esse entitatiuè *supernaturalis*, aliquo ex his sex modis.

Primus est, iuxta eum ipsum modum, quo A Deus, vt clarè visus sicuti est in seipso, dicitur esse *supernaturalis*, respectu nostri intellectus, nimirum quatenus ens illud creatum dicitur esse intrinsecè & entitatiuè supernaturale, quod intrinsecè est specialis quædam participatio Dei, prout Deus trãscendit omnes creaturas, & prout est in seipso, & distinguitur ab omnibus rebus creatis, quomodo gratia sanctificans dicitur à sancto Petro secundâ suâ canonicâ capite primo, *quædam participatio naturæ diuinæ:* similiter lumen gloriæ, quatenus ex sua natura est talis conditionis, vt vi suâ ordinet intellectum ad Deum clarè videndum, & ad cognoscendum illum, non vt solummodò innotescit ex creaturis, nec quoad illas tantùm perfectiones, quæ sunt ei communes cum creaturis, sed secundùm proprias, & penes singularem illum modum, quo ei soli competunt: sic enim Deus dicitur esse substantia supernaturalis quoad entitatem. V.

B Secundus modus, quo aliqua substantia potest dici *supernaturalis*, est per comparationem ad causam suam efficientem, quomodo primi nostri parentes: item visio restituta cæco nato possunt dici supernaturales. VI.

Tertius modus est per ordinem ad omnia entia huius vniuersi, quatenus suâ naturali perfectione superat illa omnia.

Quartus modus, quo aliquid dicitur *supernaturale*, est, quo ordinat aliud ens ad finem aliquem superiorem, quàm propria eius natura postulet.

Quintus est, quo *supernaturale* sumitur per ordinem ad significatum huius termini, *natura, naturale*, prout sumitur in physicis, in qua significatione, sicut natura significat id quod
C est *principium motus in se ipso*, seu principium intrinsecum propriæ suæ operationis, distinctum à tali sua operatione, quatenus non est essentialiter propria sua operatio: sic etiam supernaturale significet id, quod est tantę perfectionis, vt sit idem omninò essentialiter cum propria sua operatione, carétque principio distincto: ens enim sic dictum supernaturale, est hoc sensu supra naturam, quod cùm natura dicatur illud, quod habet in se principium sui motus distinctum à propria operatione sua, ens illud quod essentialiter est propria sua operatio, nec habet in seipso principium eius ab illa realiter distinctum, censetur esse supernaturale. VII.

Sextus & vltimus modus, quo aliquid dicitur ens *supernaturale*, est quando aliquid est talis conditionis, vt ex propria sua natura respiciat obiectiuè aliquid supernaturale; iuxta
D quam significationem, id quod sic denominatur *supernaturale*, est hoc sensu intrinsecè in seipso & essentialiter naturale, quatenus id dicitur *naturale*, respectu alicuius rei, quod non excedit eius naturam, licet obiectum illud, quod intrinsecè & essentialiter respicit, sit aliquid respiciens Deum, vt auctorem gratiæ & gloriæ, quomodo lumen gloriæ: item habitus fidei, spei, & charitatis sunt entia supernaturalia intrinsecè & essentialiter, duntaxat tamen obiectiuè, cùm subiectiuè spectata sint hoc sensu aliquid naturale, quo nihil faciunt, quod sit supra propriam eorum naturam & conditionem. VIII.

I.

ARTICVLVS VI.

Non posse dari substantiam creatam supernaturalem in prima significatione praecedenti articulo allata.

PRÆMISSA superiori articulo multiplici acceptione entis supernaturalis, probatur minor propositio nostræ prædictæ rationis, asserens *implicare dari aliquam creatam substantiam intellectualem entitatiuè supernaturalem:* & imprimis sumendo ens supernaturale in prima significatione ex nunc recensitis hoc modo: cuicumque substantiæ repugnat habere in seipsa, tanquam sibi intrinsecas & naturales loquendo propriè speciales illas & proprias perfectiones, quibus Deus transcen-
II. dit omnes, & quaslibet creaturas non tantùm factas, sed etiam de absoluta Dei potentia factibiles, eo speciali modo, quo istæ perfectiones conueniunt Deo, huic eidem substantiæ repugnat, vt sit intrinsecè & entitatiuè supernaturalis iuxta primum modum entis supernaturalis ex nunc assignatis: at repugnat cuilibet substantiæ creatæ factæ, vel etiam factibili de absoluta potentia Dei habere in seipsa, tanquam sibi intrinsecas, & naturales, loquendo propriè, illas speciales perfectiones, quibus Deus transcendit omnes & quaslibet creaturas non tantùm factas, sed etiam de absoluta Dei potentia factibiles, & eo modo speciali, quo conueniunt Deo: ergo repugnat cuilibet substantiæ, tam creatæ de facto, quàm de absoluta Dei potētia factibili, vt sit substantia intrinsecè & entitatiuè supernaturalis.

III. Maior patet, quia aliqua substantia intellectualis creata denominatur entitatiuè supernaturalis, iuxta primam significationem huius termini, *ens supernaturale*, ex sex superiùs assignatis.

Minor autem probatur, quia si quæ substantia creata haberet, vel posset habere eiusmodi perfectiones, tanquam sibi intrinsecas & naturales, iam Deus non ampliùs secundùm illas transcenderet omnes & quaslibet creaturas, etiam possibiles, secundùm quas tamen transcendit illas.

Nec est, quòd quis respondeat Deum duobus modis transcendere omnes & quaslibet etiam possibiles creaturas in suis specialibus perfectionibus. Primò quòd illas habeat per essentiam & à nullo alio, & non per participa-
IV. tionem tantùm. Deinde quòd habeat illas in summo gradu, & cum infinita perfectione in suo genere: quibus duobus modis nulla substantia creata quantumlibet perfecta etiam de absoluta potentia Dei potest illas tanquam sibi naturales habere: at præter hunc duplicem modum dari & alium quendam tertium, quo Deus quoad eiusmodi suas perfectiones transcendit de facto omnes creaturas, hactenus positas in rerum naturâ, & adhuc ponendas iuxta potentiam suam ordinariam, secundùm quem tamen potest absolutâ suâ potentiâ communicare eiusmodi perfectiones alicui substantiæ possibili per illam creandæ: modum autem istum in eo consistere, quòd illæ creaturæ sint tantùm per participationem tales in sua entitate intrinseca & naturali, & modo duntaxat finito, qualis Deus est in seipso per
A essentiam, verbi gratiâ, in præsenti difficul- V.
tate, quòd quemadmodum Deus habet à se ipso per suam essentiam, quòd intellectus eius diuinus feratur naturâ suâ in diuinam essentiam, vt per nullum medium cognitum percipiendam, sed immediatè in seipso: ita etiã aliqua creata substãtia intellectualis habeat tanquam aliquod ens participatum, quod ex suæ naturæ principiis feratur in Deũ clarè cognoscendum vt sic, & absq; vllo intermedio obiecto cognito attingendum, quomodo lumen gloriæ, quod est aliquid creatum, habet ex sua naturali & intrinseca cõditione, vt sit ad Deũ clarè sicuti & in seipso & absque vllo intermedio obiecto cognoscendum in visione beatifica: & quemadmodum lumen istud gloriæ habet id ex sua actiuitate natiua & sibi naturali, item est & dicitur propriè esse ens super-
B naturale quoad suam entitatem; sic etiam sub- VI.
stantia illa, quam Deus potest creare per absolutam suam potentiam cum pari actiuitate & efficacia circa Deum clarè videndum, vt sibi conuenientem per conditionem intrinsecam suæ naturæ, erit, & dicetur supernaturalis quoad suam entitatem.

Sed hæc solutio non satisfacit; non enim perfectiones soli Deo propriæ sunt ei propriæ quatenus condistinguitur à quacumque intellectuali substantia creata possibili propriè penes istos priores duos modos nunc assignatos; sed insuper quædam in eo dantur perfectiones, quæ alio modo ab istis duobus distinctæ, sunt illi propriæ, secundum quem etiam de absoluta potentia non possunt communicari enti creato, quantumlibet perfecto in genere substantiæ creatæ intellectualis, de
C quarum genere est ipsa clara & intuitiua cog- VII.
nitio diuinæ essentiæ absque vllo intermedio obiecto cognito.

Quod vt faciliùs intelligatur, notandum est diuinas perfectiones esse in triplici differétia: quædam enim in suo conceptu præciso includunt propriũ esse Dei; verbi gratiâ, esse omnimodè simplicem, esse actum purissimum, esse expertē omnis potentialitatis: aliæ item diuinæ perfectiones sunt, quæ ex se & præciso conceptu suo, quatenus sumuntur abstractim præscindendo ab eo subiecto diuino, in quo sunt, non includunt proprium esse Dei, vel modum propriũ, quo sunt in Deo, sed abstrahunt ab illo: cuiusmodi sunt bonitas, sapientia, intellectus, voluntas, & id genus reliquæ: aliæ deniq; perfectiones diuinæ sunt inter istas duas me-
D diæ; nam in propria & præcisa sua ratione non VIII.
includunt ipsum esse Dei, sed tamen connotãt aliquem modum soli Deo naturalem & proprium, in quo tamen non exprimunt infinitatem, sed admittunt aliquam latitudinē, cuiusmodi est potētia cognoscendi Deum in seipso, & non per aliquod medium, in quo Deus videatur, qui modus est proprius soli Deo, quia ei soli competit non accipere cognitionē ab alio, tanquam medio cognito à se ipso distincto: & modus iste non exprimit aliquam infinitatem, cùm de facto communicetur beatis. Iam inter has perfectiones hæc est distinctio, quòd quæ sunt primi generis, nullo modo possunt cõmunicari creaturæ, sicut nec ipsum esse Dei: perfectiones autē secundi generis, quia prout abstrahunt, nihil includunt, quod sit Deo propriũ, ideò fit, vt quemadmodũ Deus & substã-

I. tia intellectualis creata conueniūt secundùm A
aliquam rationem genericam in ratione spi-
ritalis substantiæ; ita etiam talis creatura ha-
beat naturaliter intellectum & voluntatem,
sitque apta ad habendum sapientiam, & alia
dona eiusmodi: perfectiones denique tertij
generis eâ parte quâ includunt modum ali-
quem proprium Deo, non possunt esse natu-
rales alicui creaturæ; quâ verò parte admit-
tunt aliquam latitudinem, possunt quidem
communicari alicui creaturæ, sed per diuinam
duntaxat potentiam, non autem possunt ei
esse naturales, quia vt sic, sunt alterius ordi-
nis ab ipsis rebus naturalibus: vnde cùm lu-
men gloriæ, & videre Deum in seipso sicuti
est, sit de hoc genere, est enim proprius mo-
dus, quo Deus videt seipsum; non potest esse
II. naturale alicui substantiæ creatæ, sed tantùm B
ei communicari per gratiam, & eâ solùm con-
sideratione quâ abstrahit ab infinitate.

Ratio autem propter quam nulla possit da-
ri substantia creata intellectualis, quæ ex na-
tiua sua conditione sit apta nata proximè co-
gnoscere Deum sicuti est in seipso immedia-
tè per essentiam nullo intermedio obiecto co-
gnito: hæc est, quòd quantitas virtutis & effi-
cacia correspondens natiuæ potentiæ intelle-
ctiuæ, debeat proportionari illi modo essen-
di, quem talis substantia intellectiua habet:
sic enim aliqua cognitio dicitur esse propriè
naturalis, vt supra animaduertimus: at hic
modus cognoscendi Deum sicuti est imme-
diatè per essentiam, & absque vllo interme-
dio obiecto cognito est improportionatus na-
tiuo essendi modo cuiuscumque substantiæ
intellectualis creatæ, vel etiam de absoluta
III. Dei potencia creandæ. Tum quia illum exce- C
dit in eo nimirum, quòd importet in pura
creatura considerata tātùm penes sua natura-
lia aliquam independentiam à quacumque
alia re creata sibi extrinseca in exercendo actu
omnium perfectissimo, quæ perfectio nulli
puræ creaturæ potest competere ex sua tan-
tùm natiua conditione.

Tum etiam quia modus cognoscendi ali-
quod obiectum supponit, tam ipsum obie-
ctum sic cognoscendum, quàm intellectum
sic cognoscentem illud, esse in eodem gene-
ralissimo ordine immaterialitatis, quia imma-
terialitas est radix, & fundamentum poten-
tiæ cognoscitiuæ, quatenus est cognoscitiua.
Nam Aristoteles libro secundo *de anima* capi-
te 12. ait plantas non sentire, nec cognoscere,
IV. eo quòd nihil immaterialitatis participent, D
tam in recipiendo, quàm in essendo, & ope-
rando: bruta licet nihil habeant immateriali-
tatis in essendo, quia tamen habent aliquid
eius in recipiendo species sensibiles, & ex illis
operando sensationem, esse entia cognoscibi-
lia: atqui Deus clarè visus immediatè per es-
sentiam in seipso sicuti est, & absque inter-
medio obiecto cognito, quomodo constitui-
tur obiectum correspondens prædicto modo
cognoscendi immediatè & sicuti est, & quili-
bet intellectus creatus consideratus solùm pe-
nes suam vim natiuam, & quantumlibet quo-
ad illam perfectissimus iuxta absolutam po-
tentiam Dei non sunt eiusdem ordinis gene-
ralissimi, quin potiùs diuersi, quatenus Deus,
vt est in seipso, est simplicissimus abstrahens ab
omni & quacumque potentialitate; creatura
verò quantumcunque perfecta quoad suam V.
natiuam conditionem semper includit com-
positionem ex actu & potentia: ergo defectu
huius suppositionis prærequisitæ in potentia
cognoscente, modus ille, quo cognoscitur
Deus in seipso sicuti est immediatè per suam
essentiam, & sine aliquo intermedio obiecto
cognito, est improportionatus cuilibet creato
intellectui considerato secundùm suam nati-
uam conditionem, quantumuis perfectissimo,
etiam de absoluta Dei potentia creando.

ARTICVLVS VII.

Idem ostenditur de creata supernaturali substantia in secunda, tertia, & quarta significatione.

QVOD etiam ex secundo modo superna- VI.
turalitatis assignato non possit inferri
substantiam supernaturalem creatā posse dari
per absolutam Dei potentiam, quæ vi suâ &
propriâ virtute possit videre Deum sicuti est,
probatur. Substantia non accipit propriam
suam specificationem à sua causa efficiente;
cùm hæc sit ei extrinseca; neque enim quis re-
ctè dixerit primos parentes, similiter humani-
tatem Christi Domini fuisse entitatiuè super-
naturales: & præterea res illæ creatæ non po-
tuerunt ex propria virtute sui intellectus, tan-
quam completa videre Deum sicuti est: quem-
admodum per se patet, cùm fuerint eiusdem
speciei nobiscum.

Quòd non possit dari substantia propriè su-
pernaturalis quoad entitatem ex tertio modo
supernaturalitatis, probatur; nā quemadmo-
dum rectè possumus intelligere Deum posse VII.
creare Angelum, qui secundùm sua naturalia
sit perfectior quouis alio Angelo iam creato,
nec tamen inde sequitur hunc Angelum fore
supernaturalem entitatiuè, & eius intellectum
habere natiuam vim completam videndi
Deum sicuti est in seipso, quia semper erit im-
proportionatus Deo: sic etiam datâ quâuis
substātiâ intellectuali excedente omnem per-
fectionem entium creatorum, quæ sunt in hoc
vniuerso, adhuc illa non habebit, vt vi suâ
completâ tantùm naturali videre possit Deum
sicuti est.

Deinde, implicat dari aliquam substantiam
intellectualem, quæ non sit hoc modo intra
ordinem vniuersi, quatenus ordo vniuersi
complectitur entia composita ex actu & po-
tentia, sed repugnat illud quod est compo- VIII.
situm ex actu, & potentia esse proportionatum
ex natiua sua virtute Deo intuitiuè videndo:
ergo repugnat etiam dari substantiam hoc
modo supernaturalem, quæ possit ex propria,
& natiua sua virtute videre Deum clarè &
intuitiuè.

Atque ad hanc rationem potest reuocari, &
etiam per hanc intelligi, ratio sancti Augusti-
ni superiùs relati, quâ ex præcisa ratione crea-
turæ colligit nullum posse dari intellectum,
qui ex sua natura sit beatus: eo enim ipso, quo
est creatura habet intrinsecè aliquid poten-
tialitatis, ratione cuius non potest esse intra
eundem generalissimum modum, & ordinem
immaterialitatis cum Deo clarè & intuitiuè
viso.

Quòd item non possit dari creata quædam

I. ſubſtantia ſupernaturalis iuxta quartum modum, probatur : quidquid ordinat aliquod ens ad finem perfectiorem, quàm propria natura talis entis poſtulet, debet ei eſſe aliquid ſuperadditum; ſi enim iſtud ordinans ſit aliquid intrinſecum tali entitati, & contentum intra naturam eius, iam non ordinat ad aliquid excedens vires eius, cùm ſit de eſſentia talis rei, eámque ordinet ad id quod ſuâ naturâ reſpicit : atqui nulla poteſt dari ſubſtantia, quæ propriè loquendo ſit ſuperaddita ſuæ entitati; ſic enim non eſſet vnum per ſe, ſed per accidens : & prætereà proprium accidentis eſt ſuperuenire, ſuperaddi, & id genus ſimilia ad ordinandum aliquid in finem excedentem naturam rei, cui ſuperadditur, non autem conuenit ſubſtantiæ : ergo non poteſt etiam per abſolutam Dei potentiam dari ſub-
II. ſtantia quædam entitatiuè creata ſupernaturalis, ſumendo hunc terminum, *ſupernaturale*, iuxta quartam ſignificationem ex aſſignatis ſuprà.

Atque ex hac ratione ſatis intelligitur, quare poſſit dari accidens aliquod ſupernaturale quoad entitatem, ſubſtantia verò ſupernaturalis non item, nimirum id prouenire ex natura vtriuſque; ex parte quidem *ſubſtantiæ*, quia proprium illius eſt eſſe *ad ſe*, eſſe *in ſe*, ſpecificari ab eo quod habet formaliter in ſeipſa, & non per ordinem ad aliquid ſibi extrinſecum : item non ſuperaddi alteri, non perficere aliud : nec proinde poteſt ei competere, quòd poſſit euehere aliud ſupra id, quod exigit ex intrinſeca & natiua ſua conditione: ecòtrà verò ex parte *accidentis* datur ſpecialis quędam ratio, ob quam ſit entitatiuè ſuperna-
III. turale, ſcilicet quia propriũ illius eſt perficere ſubſtantiam, ſupplere imperfectionem, ei non tantùm accidentaliter, ſed etiam eſſentialiter annexam : item eſſe id, quod ſuperior natura poteſt imprimere inferiori, vt etiam ad ſe, & ad ſuum ordinem eleuet, quod ſubſtantiæ propriè ſumptæ non conuenit : nam multa conueniunt accidentibus, quæ non poſſunt conuenire ſubſtantiæ, verbi gratiâ, conuenit accidentibus corporeis, prout ſunt in quantitate, licet careant ſubſtantiali ſubiecto, eſſe *per ſe ſenſibilia*, vt patet in ſacramento altaris, quod tamen per ſe non conuenit ſubſtantiæ : cùm ipſa ſpoliata omnibus accidentibus non poſſit ſentiri : eſt item proprium accidentis, quia eſt *entis ens*, ſpecificari quoad ſuam entitatem per ordinem ad aliquid ſibi entitatiuè extrinſecum, ad quod habet eſſentialem
IV. habitudinem.

Neque ex eo quòd accidens aliquod eſt entitatiuè ſupernaturale, poſtulat neceſſariò ſubiectum ſubſtantiale, etiam quoad entitatem ſupernaturale, quia tunc accidens poſtulat ſubſtantiale ſubiectum eiuſdem ſecum ordinis, quoad entitatem, quando eſt vera aliqua proprietas talis ſubſtantiæ & quædam naturalis propenſio illius, quod tamen non habet locum, quando ſunt quædam accidentia communia ordinantia ſubſtantiam ad ordinem altiorem : tunc enim ſatis eſt, quòd recipiantur in ſubſtantia ſecundùm paſſiuam obedientialem potentiam, quæ illi ineſt, quæ potentia cùm non ſit propriè naturalis, etiam non inclinat ſuam ſubſtantiam, vt poſtulet accidens ſupernaturale quoad ſuam entitatem.

A Quia etiam modus ſubſtantialis, verbi V.
gratiâ, *vnitiuus*, cuiuſmodi eſt modus vnionis hypoſtaticæ habet hoc ſibi commune cum accidente : quòd rem, quam modificat, ordinet ad aliquid, ad quod in ſuo formali conceptu dicit habitudinem tranſcendentalem, ratio eius magis attenditur penes terminum illum, quem reſpicit, quàm ſecundùm phyſicam ſuam entitatem; ideò fit vt ſi terminus ille ſit ſupernaturalis, quemadmodum eſt in myſterio Incarnationis, dicatur intrinſecè ſupernaturalis, licet materialiter conſideratus ſit aliquid phyſicum & naturale: prætereà inter modum ſubſtantialem & ſubſtantiam eſt hæc diſparitas, quòd modus ſubſtantialis habeat conceptum, quaſi adiacentis & veluti inhærentis, quatenus per nullam potentiam poteſt ſe ſolo ſubſiſtere, ſeparatus
B à ſubſtantia, cuius eſt modus, ſed de eius eſſen- VI.
tia eſt actu modificare & afficere aliquod extremum; ſicque illud vniendo alteri perficere etiam ſupra id quod debetur tali extremo, vt patet in humanitate Chriſti Domini.

ARTICVLVS VIII.

Probatur eadem veritas de ſubſtantia creata ſupernaturali iuxta quintam & ſextam ſignificationem.

QVOD non poſſit dari creata quædam ſubſtantia ſupernaturalis iuxta quintum modum entis ſupernaturalis ſuperiùs aſſignatum, probatur. Nulla poteſt per quamcumque potentiam Dei dari ſubſtantia creata, cuius principium operationis, & ipſa propria
C eius operatio ſint vnum & idem eſſentialiter, VII.
ſed ſunt ſemper diſtincta : ergo non poteſt dari ſubſtantia creata, quæ ſit entitatiuè ſupernaturalis iuxta quintam acceptionem huius termini, *ens ſupernaturale*. Conſequētia patet explicatione huius termini accepti hoc modo traditâ ſuperiùs. Antecedens probatur: omne illud ens ſubſtantiale, quod eſt compoſitum ex actu & potentia, habet vt principium ſuæ operationis ſit ab ea eſſentialiter diſtinctum, aliàs nihil haberet potentialitatis, ſed eſſet totum & totaliter in actu, & eſſentiæ rerum creatarum non ſunt poſitæ in actu ſecundo, ſed in aptitudine ad actum ſibi proprium & connaturalem : atqui implicat dari per quamlibet abſolutam potentiam Dei ſubſtantiam creatam, cuiuſcumque illa ſit perfectionis, quæ non ſit compléta ex actu & potentia : ſic
D enim deſineret eſſe creatura, eſſétque ens tam VIII.
ab extrinſeco, quàm ab intrinſeco neceſſarium, quod tamen ſoli Deo competit : ergo implicat aliquam ſubſtantiam creatam poſſe per abſolutam potentiam Dei dari, quæ ſit entitatiuè ſupernaturalis, ſumpto hoc termino *ens ſupernaturale*, iuxta quintam ſignificationem ſuperiùs poſitam.

Quod denique aliqua ſubſtantia creata ſupernaturalis, iuxta ſextum, & vltimum ſignificatum entis ſupernaturalis ſuperiùs explicatum non poſſit dari, probatur ratione ſuperiùs allatâ inter referendum primum modum, quo ſubſtantia ſupernaturalis poteſt fingi poſſibilis. Nam ibi oſtendimus, inter cognoſcentem & obiectum cognoſcendum aliquam proportionem debere interuenire, & vtrum-

que

I. què debere esse in aliquo eodem ordine generalissimo immaterialitatis, quod tamen in substantia supernaturali iuxta hunc modum vltimum nullomodo reperitur, vt patet ex dictis ibi.

Neque obstat, quòd lumen gloriæ & similiter habitus Theologici per se infusi sint hoc modo entia supernaturalia, id enim est solutum suprà, quando posuimus discrimen inter accidens & substantiam quoad præsentem difficultatem, nimirum quòd accidens eiusmodi respiciat intrinsecè essentialiter, & ex propriis suis principiis Deum vt clarè videndum; substantia verò primò & per se seipsam respiciat, vt pote quæ est ens omninò absolutum.

Dices ex hac singulari proprietate luminis gloriæ sequi illud esse formaliter aliquam participationem diuinæ illius perfectionis & II. modi illius Deo proprij, quo Deus cognoscit seipsum immediatè & sicuti est absque vllo obiecto intermedio cognito, & nihilominus tale lumen esse aliquid verè & propriè creatum: ergo substantia supernaturalis vendicans sibi ex propriis suis & intrinsecis principiis quòd sit formalis participatio talis etiam diuinæ perfectionis, non erit ideò impossibilis, quia est creatura, quam tamen rationem implicationis vrgebamus suprà.

Respondetur duobus modis posse intelligi lumen gloriæ esse formalem participationem Dei: primò in sua formali *entitate* creata: deinde quoad *suum modum operandi*, & attingendi diuinam essentiam sine vllo intermedio obiecto cognito: lumen gloriæ consideratum *priori modo* esse formaliter hanc participatio- III. nem formalem Dei, de quâ hîc loquimur, sic enim loquendo præcisè est singulare quoddam accidens, quâ ratione respicit substantiam vt subiectum à quo sustentetur: & proinde quemadmodum substantia, vt ens creatum, est aliqua participatio creata Dei, etiam lumen gloriæ hoc priori modo consideratum, & sicut repugnat substantiæ creatæ, quâ est creatura illa specialis, formalis participatio diuinæ perfectionis, quâ Deus cognoscit seipsum immediatè ex eo quod est creatura, similiter & lumini gloriæ spectato secundùm suam entitatem: si autem lumen gloriæ consideretur *posteriori modo*, id est, quoad modum suum operandi & attingendi Deum, iam est formalis quædam participatio specialis perfectionis diuinæ essentiæ, quatenus in pro- IV. prio suo modo operandi & attingendi suum obiectum, imitatur naturam diuinam, quæ formalis participatio non potest vllo modo esse propria alicui substantiæ creatæ etiam quantumlibet perfectissimæ, ob rationes allatas, quæ non habent locum in lumine gloriæ, vel in aliquo alio accidenti.

Articvlvs IX.

Soluitur primum fundamentum contrariæ sententiæ.

FVNDAMENTVM hoc tale est: vbi tota aliqua causa coalescit ex duabus partibus, quarum vtraque seorsim sumpta est finita, & totum ex illis compositum est etiam finitum, tunc nihil repugnat Deum creare A vnicam aliquam simplicem causam, quæ supereminens duabus prædictis causis simul sumptis, vel quæ existens vna simplex æquiualeat illis duabus concausis simul sumptis: V. atqui intellectus creatus & lumen gloriæ sunt vna tantùm adæquata, & totalis causa visionis beatificæ tenens se ex parte potentiæ: nam sunt tantùm partes vnius causæ totalis, & non causæ partialis, vt suprà ostendimus; præterea tam totum quod coalescit ex illis est finitum, quàm vnaquæque pars illius compositi seorsim sumpti, vt satis per se patet: ergo non repugnat Deum creare vnicam aliquam simplicem causam, quæ vel superemineat intellectui creato, & lumini gloriæ illum informanti simul sumptis, vel quæ saltem existens vna simplex causa æquiualens istis duobus simul sumptis totum id habeat B ex se, quod intellectus & lumen simul coniuncta possunt, VI. & proinde cùm eiusmodi causa vna non possit esse, nisi aliquis intellectus creatus cum suo lumine natiuo: nihil repugnat Deum producere aliquem intellectum, qui æquipolleat intellectui beati informato lumine gloriæ, & qui proinde ex sua naturali conditione sit principium completum videndi Deum clarè, quantum requiritur ex parte potentiæ.

Maior videtur per se clara & euidens: cùm enim Deus sit infinitæ virtutis datâ qualibet perfectione creatâ semper potest maiorem & maiorem in infinitum producere: ergo vbi duæ erunt finitæ, poterit vnam erigere ad tantam perfectionem, quanta est simul cum alia, & sic vtramque perfectionem VII. vni tantùm dare, dummodo illarum vna sit tantùm in genere causæ purè efficientis.

C Minor verò subsumpta, quòd scilicet hæc vna causa æquiualens intellectui creato & lumini gloriæ, non possit esse aliâ, quàm intellectus aliquis creatus cum natiuo suo lumine, probatur: hæc causa esset necessariò potentia vitalis intellectiua, quia omnis causa elicitiua cognitionis intellectiuæ, qualis est visio beatifica, debet esse vitalis & intellectiua, vt patet ex dictis præcedentibus articulis: ergo cùm hæc tota & adæquata causa æquipollens intellectui creato & simul lumini gloriæ, esset vna simplex, & prætereà intellectus beati videat Deum clarè per suam vim inchoatam sibi etiam natiuam, prout tamen confortatur lumine gloriæ: hæc illa VIII. vna simplex causa correspondens intellectui D & lumini gloriæ simul sumptis, deberet esse ipsemet aliquis intellectus creatus.

Respondetur ad primum hoc fundamentum, patere ex dictis, implicare dari eiusmodi substantiam creatam intellectualem supernaturalem.

Ad rationem in contrarium respondetur, maiorem illius esse simpliciter & absolutè loquendo falsam, si vt proponitur, sumatur generalissimè: nam quemadmodum apud logicos consequentia *à diuisis ad coniuncta* non valet; sic etiam nec apud Theologos, vel alios quoslibet peritos illa consequentia valet, quâ ex nuda & simplici possibilitate extremorum infertur possibilitas vnionis illorum inter se; fit enim plerumque, vt extrema, quæ seorsim spectata sunt possibilia sese tamen inuicem vnire non possint

I. ad faciendum vnum per se, licet possint facere vnum tantùm per accidens, vt quilibet potest animaduertere in duobus indiuiduis distinctarum specierum sibi inuicem essentialiter oppositarum, & tunc difficultas non se tenet ex parte infinitatis, quæ sit in extremis, cùm ambo sint finita: sed ex incompatibilitate illorum ad se inuicem: similiter quia vis & actiuitas luminis gloriæ, vt competens intellectui creato ex propria, & natiua sua conditione est ei incompatibilis, quemadmodum nostræ rationes probant; ideò fit vt repugnet dari intellectum creatum, qui ex sola virtute natiua tantam habeat perfectionem, quanta resultat ex intellectu creato & lumine gloriæ simul coniunctis.

Ad confirmationem maioris respondetur, datâ qualibet perfectione finitâ Deum semper posse producere maiorem & perfectio-
II. rem intra eandem speciem, non tamen facere, vt transeat à sua specie ad aliam, verbi gratiâ, dato quouis perfecto corpore Deus semper potest aliud & aliud perfectius in infinitum producere, nunquam tamen efficiet, vt tale corpus sit essentialiter anima: at si Deus faceret intellectum tam perfectum ex propria sua natura, vt posset sola suâ vi natiuâ videre Deum in seipso immediatè: intellectus ille non esset ampliùs creatus, nec compositus ex actu & potentia, vt superiùs diximus: vnde loquendo generaliter quando (vt in præsenti casu in quo ex duobus, quæ sunt vnum per accidens, fit vnum per se) duo agentia ita sunt in agendo finita, vt tamen tota eorum vis vni tantùm concessa transferat vnum illud ad aliquam speciem entis, quam repugnet dari:
III. tunc limitatio & finitas eorum non efficiet, vt vnum aliquod æquiualens illis possit poni in rerum natura.

ARTICVLVS X.

Soluuntur duo alia fundamenta aduersariorum.

PRIVS est: vbi est intellectualis creatura substantialis quæ intrinsecè & essentialiter sit ordinis supernaturalis & possibilis, ibi etiam non repugnat dari intellectum intrinsecè & naturâ suâ, & propriâ conditione completum ad exercendum propriam operationem correspondentem suo naturali essendi modo, quia cuilibet substantiæ pro suo na-
IV. turali statu operationes propriæ, & item principia agendi intra eundem ordinem completa debent correspondere: atqui non repugnat dari de potentia absoluta Dei aliquam substantiam intellectualem creatam, quæ sit entitatiuè ordinis supernaturalis; operatio autem eius correspondens intellectui illius est ipsamet clara & intuitiua visio Dei, per essentiam: ergo intellectus aliquis creatus potest dari per absolutam potentiam Dei sic intrinsecè & ex natiua sua conditione tam perfectus, & in ordine ad Deum clarè videndum, quàm intellectus beati est perfectus cum lumine gloriæ.

Quòd verò non repugnet dari talem substantiam supernaturalem, probatur: quia vel repugnaret quâ parte est substantia, & hoc non: Deus enim propriè est substantia

A supernaturalis: vel repugnaret quâ parte est V.
creatura, & hoc non, quia datur accidens supernaturale, quod tamen est creatum; verbi gratiâ, lumen gloriæ, habitus fidei, spei, charitatis, seu gratiæ, & cætera id genus: vel denique repugnaret ex parte coniunctionis, quatenus repugnat hæc duo substantia, & supernaturale simul coniungi, & hoc non; omnis enim illa coniunctio quæ constat extremis possibilibus, est possibilis; at substantia quæ est vnum extremum, est aliquid possibile; similiter supernaturale quod est aliud extremum, est aliquid possibile, vt patet exemplis allatis: ergo non repugnat dari substantiam per se, & intrinsecè supernaturalem, & ex consequenti cuius intellectus ex sua naturali conditione sit principium completum eliciendæ visionis beatificæ.

Respondetur, solutionem etiam patere ex
B secunda nostra ratione huic argumento, & VI.
eius confirmationi, quatenus implicatio tenet se ex parte connexionis supernaturalitatis cum ratione substantiæ creatæ, licet non repugnet supernaturalitatem coniungi cum accidente creato, cuius rei disparitatem paulò antè exposuimus.

Posterius est, quando aliquid est alicui enti superiori naturale in summo gradu, etiam non repugnat illud fieri naturale in gradu minus perfecto, & remissiori alicui enti inferiori, verbi gratiâ, calor in summo gradu est naturalis soli igni; at in remisso gradu est naturalis multis entibus: at videre Deum clarè & intuitiuâ cognitione propriè comprehensiuâ est gradus aliquis summus, quo diuina essentia potest cognosci, vt per se pa-
C tet, & videre Deum clarè & intuitiuâ cogni- VII.
tione, non tamen propriè comprehensiuâ, est gradus aliquis minus perfectus, seu remissior: prior autem ille modus cognoscendi comprehensiuè diuinam essentiam est soli Deo naturalis & proprius, vt infrà patebit: ergo videre Deum clarè, & intuitiuâ cognitione, non tamen comprehensiuâ, poterit fieri naturale alicui intellectui inferiori diuino intellectu, & proinde creato per absolutam potentiam Dei.

Ad hoc fundamentum vt respondeatur, notandum est aliquod ens posse dici superius altero duobus modis: primò quatenus est eiusdem ordinis cum altero, quo tamen est perfectius, quomodo inter entia naturalia sunt alia aliis perfectiora: secundò quatenus
D illud ens quod dicitur esse superius est distin- VIII.
cti ordinis, nimirum supernaturalis, quomodo gratia sanctificans, & alia id genus accidentia supernaturalia dicuntur esse alterius ordinis ab entibus naturalibus. Hoc prænotato,

Respondetur, maiorem huius vltimi argumenti esse tantùm veram de superiori sumpto iuxta primum modum, quod scilicet semper est eiusdem ordinis cum illo inferiori, respectu cuius dicitur superius: quemadmodum patet exemplo allato inter argumentandum de calore qui communicatur igni, & aëri remanentibus intra eundem ordinem, & qui communicatus igni in summo gradu, & aëri in remisso est semper eiusdem ordinis & rationis specificæ: at in præsenti difficultate diuina essentia comprehensiuè visa à

I. Deo immediatè & sicuti est in seipsa: item intellectus creatus quantumlibet perfectissimus præcisè quoad naturalia, quæ habet vel potest habere per absolutam potentiam Dei, non sunt eiusdem ordinis, sed planè distincti: hic ordinis merè naturalis, iste supernaturalis: quare fieri non potest, vt quod est ipsi Deo naturale in summo gradu; cuiusmodi est visio Dei in se sicuti est immediatè, & absque vllo obiecto intermedio cognito fiat naturale homini, vel alicui alteri substantiæ creatæ quantumlibet secundùm potentiam Dei perfectissimæ.

Cur autem cùm Deus sit ens in summo gradu, item summè intelligens, summè volens, & quoad hæc alterius ordinis ab Angelis & hominibus, nihilominus tamen ratio
II. entis, intelligentis & volentis, communicetur Angelis & hominibus in inferiori gradu, fiátque illis naturalis, patet ex assignata distinctione perfectionum, quæ sunt in Deo, inter explicandum efficaciam secundæ nostræ rationis, nimirum quòd hæ rationes, quatenus sic communicantur, nihil includunt, quod sit proprium soli Deo, sed vt sic abstrahunt ab infinitate, & quolibet modo proprio soli Deo, vt ibi explicatum est; clara autem visio diuinæ essentiæ immediata & sicuti est, minimè.

ARTICVLVS XI.

Vtrum possit dari aliqua creatura, quæ ratione solius suæ naturalis perfectionis,
III. *postulet lumen gloriæ, tanquam sibi debitum.*

DIFFICVLTAS est, vtrum Deus potentiâ suâ absolutâ creare possit aliquam creaturam intellectualem ita perfectam, vt ratione naturalis suæ perfectionis postulet lumen gloriæ, tanquam sibi debitum iure naturalis suæ conditionis, ad eum modum, quo substantia naturalis creata postulat ex vi suæ conditionis quædam accidentia, licet ea illi aliunde proueniant; vt species infusæ Angelis, quibus cognoscunt res naturales.

Est autem inter hanc difficultatem & præcedentem hæc distinctio, quòd præcedens procedat de intellectu creato, qui ex parte principij elicitiui sit completus totaliter, &
IV. adæquatè; nihil requirat, siue actuale, siue habituale, siue etiam illud sit illa singularis assistentia Dei explicata superiùs, sed qui ex sua naturali conditione sit tam perfectus, vt essentiâ Dei sese tantùm habente ad instar speciei impressæ, statim videat clarè & intuitiuè Deum: hæc autem non præsupponat intellectum totaliter, & adæquatè completum in ratione principij intellectiui, sed tantummodò tam excellentem in eo perfectionem naturalem; vt vi illius iam præhabitæ, postulet lumen gloriæ, quo si careat, censeatur pati quoddam violentum.

Sit hæc vnica nostra propositio. *Implicat aliquam creaturam intellectualem dari, tam perfectam, quæ ratione solius suæ perfectionis naturalis postulet lumen gloriæ, tanquam sibi debitum:* ita sanctus Thomas hâc quæstione duodecimâ,
A articulo quinto, in responsione ad tertium, V.
& omnes qui sequuntur præcedentes nostras propositiones.

Probatur: vt aliqua forma sit alicui subiecto naturaliter, & ex præcisa sua naturali conditione debita, oportet subiectum istud esse eiusdem ordinis cum illa, & habere naturalem positiuam inclinationem ad illam, vt patet ex omnibus formis, tam substantialibus, quàm accidentariis, quæ à philosophis dicuntur deberi propriis suis subiectis: at nulla intellectualis creatura potest à Deo fieri tam perfecta, quæ sit ex sua naturali conditione præcisè spectata ordinis supernaturalis, & intrinsecè respicientis Deum in seipso & sicuti est in se: quemadmodum patet ex præcedentibus; cuius tamen ordinis est
B ipsum lumen gloriæ. VI.

Deinde probatur: debitum opponitur gratiæ, ex Apostolo: at lumen gloriæ est quædam gratia, quia est quædam consummatio gratiæ sanctificantis: ergo debet esse indebitum, si non proximè, saltem aliquo modo remotè ratione sui principij, vt patet in nobis & in Angelis: at si daretur creatura intellectualis postulans illud ex sua conditione naturali, tunc nullâ ratione posset ei esse gratia quædam & aliquid indebitum: cùm *esse indebitum*, in gratia attendatur penes subiectum, vt iam existens & præsuppositum gratiæ: ergo non potest dari intellectualis quædam creatura, tam perfecta ex sua naturali conditione, quæ iure suo sibi postulet lumen gloriæ, tanquam debitum sibi conferri.

C Tandem probatur: eadem est ratio substantiæ intellectualis creatæ, cui ratione naturalis suæ perfectionis lumen gloriæ sit debitum; ac substantiæ intellectualis creatæ, cui ratione naturalis suæ perfectionis insit, conueniat, vel etiam sit debita virtus & efficacia ad iustificandum homines à suis peccatis: item ad faciendum miracula: item ad transsubstantiandum; item ad vniendum hypostaticè aliquam substantiam creatam alicui diuinæ personæ, quia pleraque ex istis ordinantur ad beatificandum hominem, seu ad faciendum, vt tandem videat Deum clarè & intuitiuè: at implicat dari etiam de absoluta Dei potentia aliquam substantiam creatam, cui ratione naturalis suæ perfectionis virtus & efficacia ad iustificandum homines à peccatis; ad faciendum miracula & transsubstantian- VII.
D dum; ad vniendum hypostaticè aliquam substantiam creatam vni ex personis diuinis, sit suo iure debita; hæc enim omnia, & his similia, cùm spectent ad illam potestatem, quam Theologi vocant *potestatem excellentiæ*, non possunt esse debita vlli puræ creaturæ, sed iuxta hunc modum sunt propria soli Deo, vt Patres & interpretes annotant ad illud Scribarum & Pharisæorum de Christo Domino, apud sanctum Lucam, capite quinto, *Quis est hic, qui loquitur blasphemias, quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* ergo quemadmodum vis & efficacia ad præstandum hæc, potest ex singulari beneficio merè gratuito communicari substantiæ alicui creatæ, vt videre est in lege noua, non tamen esse ei debita ex sua perfectione naturali; sic licet ipsum lumen gloriæ possit ex gratia Dei com- VIII.

I. municari substantiæ intellectuali creatæ; non tamen poterit esse ei debitum ex naturali perfectione.

Obiicies: omne accidens ex sua naturali conditione est debitum alicui subiecto; est enim *entis ens*, & inhærentia aptitudinalis est ei intrinseca & essentialis; & non est debitum, nisi subiecto sibi correspondenti & proportionato, si non reipsa & de facto, saltem iuxta exigentiam suæ naturæ: at lumen gloriæ est accidens verè & propriè dictum: est enim habitus, vt suprà docuimus: ergo debet dari aliquod subiectum, cui ex sua naturali conditione sit debitum, saltem iuxta exigentiam suæ naturæ: at nullum aliud tale subiectum potest assignari præter substantiam intellectualem, in tanta perfectione sibi natiua possibilem creari à Deo, vt illud sibi ex tali
II. sua conditione postulet: hoc enim lumen gloriæ non est in Deo, quippe in quo nullum est accidens: ergo non repugnat aliquam substantiam intellectualem creatam esse de potentia Dei absoluta possibilem, quæ ex sua naturali perfectione postulet lumen gloriæ sibi debitum.

Respondetur primò, maiorem absolutè & simpliciter sumptam & intellectam de debito, cui ius aliquod saltem integritatis respondeat in subiecto, ratione cuius patiatur aliquam quasi violentiam, si quod est ei sic debitum, non accipiat, quemadmodum si anima rationalis non infunderetur corpori perfectè organizato, & habenti vltimam dispositionem: si, inquam, maior hæc propositio accipiatur in hoc sensu prout debet accipi, vt faciat ad præsentem difficultatem, est simpliciter falsa: quemadmodum patet in gratia
III. habituali, quæ ita est accidens, vt tamen non postuletur ex debito ab vllo subiecto, licet possit recipi & de facto recipiatur in Angelis & hominibus.

Notandum enim est, accidentia esse in duplici differentia: alia esse tanquam naturales quasdam proprietates, ad quas subiectum habet positiuè aliquam propensionem, cuiusmodi sunt facultates & potentiæ: alia esse quæ perficiant quidem substantiam, cui insunt, non tamen sunt aliquæ naturales proprietates illius; iam ad accidentia prioris generis datur in subiecto, *ius aliquod integritatis*, & in auctore subiecti illorum, & accidentium eiusmodi *aliquod debitum, saltem integritatis*, & congruitatis ad ponendum eiusmodi acci-
IV. dentia in prædictis suis subiectis, pro conseruando ordine & perfectione vniuersi: accidentia verò posterioris generis nullum præsupponunt ius, aut quasi ius in subiecto, cui conferuntur ad habendum illa, sed nudam tantùm aliquam capacitatem logicam, seu non repugnantiam ad recipiendum, si con-

A ferantur illis, quatenus tunc subiectum sese habet duntaxat vt receptaculum; nihil conferendo nisi sustentationem & seipsum tantùm in ratione recipientis; & quando aliquod accidens est huius posterioris generis, tunc nullum præsupponit ius, aut quasi etiam integritatis, vt habeat tale accidens: cùm tunc sese tantùm habeat passiuè, nec vllum quantumlibet minimum violentum patiatur ex denegatione sibi facta talis accidentis: & de hoc genere accidentium sunt lumen gloriæ, habitus gratiæ sanctificantis, & id genus cætera accidentia per se diuinitus infusa: nam suprà ostendimus lumen gloriæ, non esse loquendo propriè aliquam potentiam. V.

Deinde respondetur, hæc duo distingui, illud quod est accidens propriè sumptum postulare ex naturali sua conditione aliquod
B subiectum, & subiectum postulare sibi suo iure debitum tale accidens: primum potest verè affirmari de lumine gloriæ, & aliis id genus accidentibus, vt enim ex præcisa & formali sua ratione sunt ad corroborandum vitales potentias, in ordine ad exercendum actus excedentes quantitatem virtutis correspondentem naturali suo modo essendi eiusmodi potentiarum, sic etiam ex sua generica conditione, quâ sunt accidentia, & ex illa specifica sua ratione, quâ sunt ad connaturaliter agendum, postulant inhærere etiam permanenter suis eiusmodi vitalibus potentiis: econtrà quia ipsæ vitales potentiæ, prout præscindunt à communi efficacia & quantitate virtutis, dicunt tantùm nudam quandam coaptationem essentialem inchoatam duntaxat & incompletam, pro attingendo eo omni, quod continetur intra latitudinem obiecti
C specificatiui, & potentiæ illæ vitales positiuè tantùm postulant compleri conformiter ad modum illum essendi, quem naturaliter habent: ideò fit, vt quamuis accidens eiusmodi supernaturale postulet tale subiectum, in cuius obedientiali potentia recipiatur, subiectum tamen non postulet illud positiuè. VI. VII.

Tandem lumen gloriæ potest duobus modis considerari: primò ex parte sui *materialis*, & rationis genericæ, & sic postulat aliquod subiectum, sic enim est accidens: vel potest considerari ex parte sui *formalis*, nimirum ex eo quod tendit primò per se in Deum, vt immediatè cognoscendum sicuti est in seipso: lumen gloriæ spectatum *priori modo* re-
D quirit aliquod subiectum: *posteriori* verò minimè: quemadmodum intellectus, voluntas, & sapientia in nobis, quia sunt accidentia ex parte sui *generis* & *materialis*, postulant subiectum, ex parte verò sui *formalis* secundùm quod sunt in Deo formaliter, nullum postulant subiectum inhæsionis. VIII.

I.

DISPVTATIO V.

De possibilitate visionis Dei ab oculo corporeo.

QVIA egimus de principio productiuo, tam incompleto, quàm completo beatificæ visionis etiam iuxta potentiam absolutam Dei, & visiua potentia corporea est principium alicuius cognitionis eliciendæ: considerandum nobis est similiter, an oculus corporeus vel glorificatus, vel quantum fieri potest eleuatus, possit videre Deum clarè, & sicuti est in seipso: nam de aliis exterioribus sensibus est idem planè iudicium, ac de visu corpo-
II. reo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum oculus corporeus possit videre diuinam essentiam per potentiam ordinariam.

PARS negans est certissima ex iis omnibus sacræ Scripturæ locis, quibus Deus dicitur *inuisibilis*: item ex Patribus, vt S. August. lib. 1. *de Trinit.* cap. 6. lib. 2. *de Trin.* cap. 9. & sequentibus: vbi docet omnes personas sanctissimæ Trinitatis esse inuisibiles: quam propositionem idem S. August. docet ex professo epist. 111. & 112. pluribus tum sacræ Scripturæ, tum Patrum testimoniis.

Vnde quando Iob ait capite 19. *& in carne mea videbo Deum saluatorem meum*, sensus est
III. iste, ego existens in carne post vniuersalem resurrectionem videbo Deum, oculis tamen mentis: quemadmodum idem S. Augustinus lib. 22. *de Ciuitate Dei*, cap. 29. explicat, & hæc particula Iob (*in nouissimo die*) etiam indicat, quæ passim in sacris literis denotat diem extremi iudicij vniuersalis, & quando idem Iob cap. 42. alloquens Deum ita ait, *auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te*, non intelligit de clara visione Dei per essentiam, sed tantùm de effectu diuinæ prouidentiæ erga homines, quam tunc ait se fuisse expertum: vnde quia anteà videbatur murmurasse aduersus illam, subiungit *idcirco me reprehendo*: ratio autem prioris huius conclusionis est eadem, ac propositionis sequentis
IV. articuli.

Restat tantùm difficultas inter Theologos, an hæc propositio sit de fide; an verò sit tantummodo talis, vt eius opposita censeatur esse tantùm erronea: hanc secundam partem sequitur Vasquesius hâc parte disputat. 3. cùm S. August. lib. 22. de *Ciuitate Dei*, capite 29. videatur dubitasse de illa, dum loquitur de statu beatorum post resurrectionem.

Meliùs tamen respondetur esse de fide propter citata testimonia sacræ Scripturæ & Patrum locis apud S. Augustinum suprà relatis, quæ adeò sunt clara, vt indigeant solâ expositione terminorum.

Nec obstat locus S. August. in contrarium relatus: nam præterquàm quòd citatâ epist. 112. & aliis locis suprà relatis, docet ex professo nostram propositionem, respondere pos-
A sumus illum non loqui de visu corporeo, qui per se feratur in Deum, tanquam obiectum terminans in seipso & immediatè ipsam corpoream visionem; quemadmodum patet, si legatur cum attentione: de qua tamen sola visione corporea hîc mouetur quæstio; nam S. August. ibi distinguit duos modos visionis: vnum qui fit *solo spiritu*, qui modus durat & semper durabit in beatis, etiam post resurrectionem vniuersalem corporum, quando beati claudent oculos, est enim modus iste intellectualis per se, & ex consequenti independens à corpore & eius organo, vt patet ex eo, quòd beati qui nunc existunt sine corpore, attamen clarè & intuitiuè vident Deum. V.

Alter modus videndi Deum, quem sanctus August. ibidem distinguit, is est qui fit medio tantùm organo corporis circa aliquam rem sensibilem proportionatam oculo corporeo, VI.
B in qua tamen velut in aliquo singulari effectu, potentia Dei & singularis eius præsentia relucet, quam intellectus potest ex tali effectu intelligere seu colligere: quemadmodum ex eo quòd experimur in homine motus vitales sensu exteriori dicimur videre vitam hominis, non quòd hæc nostra visio corporis sese primò per se & immediatè terminet ad animam hominis, sed ad rem sensibilem, quæ ex intima connexione, quam habet cum anima tanquam existente in corpore, facit, vt intelligamus animam ibi esse. S. August. citato cap. 29. disputat tantùm, an beati post vniuersalem resurrectionem visuri sint Deum hoc posteriori modo, ita vt ex illa mirabili claritate suorum corporum renouatorum, in qua Deus non minus apparebit, quàm vita horum nobiscum viuentium apparet in vitalibus eorum VII.
C operationibus, intelligant Deum esse ibi præsentissimum; dicantúrque iuxta hunc loquendi modum, tam benè videre Deum, quàm nos dicimur in exemplo allato videre vitam hominis; est enim hoc exemplum S. Augustini eò loci: at videre Deum vel etiam rem spiritalem isto modo, non est videre illam per se immediatè & in seipsa, sed tantùm in suo effectu & per accidens, nimirum quatenus res illa spiritalis coniungitur cum re, quæ est per se sensibilis: cùm igitur modus iste videndi Deum sit omninò alius ab eo, de quo hîc disputant, & S. Augustinus ibi ad summum de isto tantùm posteriori modo dubitauerit, (quia de illo ibi tantùm loquitur, vt patet ex ipsa lectione textus) non potest dici dubitasse de nostra
D conclusione. VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrum oculus corporeus per absolutam potentiam Dei possit essentiam diuinam intueri.

SENTENTIA communis est apud omnes Theologos, quam loco nostræ propositionis ponimus, *id implicare.* Probatur primò à posteriori: nam si corporeus oculus posset eleuari ad Deum videndum per se immediatè, & in se ipso, etiam appetitus posset eleuari ad amandum illum eóque fruendum: at hoc est absurdissimum; cùm enim hic nobis sit communis cum animantibus brutis, bruta etiam poterunt eleuari ad exercendum actus fidei,

I. ſpei, & charitatis; ſicque eſſe capacia ſupernaturalis amicitiæ Dei & beatificæ etiam viſionis: at nemo hominum tantoperè deſipuit, vt diceret hæc animantia eſſe capacia iſtorum donorum: ergo eſt etiam abſurdum dicere oculum corporeum poſſe de abſoluta Dei potentia eleuari, vt videat Deum per eſſentiam, & in ſeipſo.

Probatur etiam à priori: implicat potentiam vitalem poſſe ferri per ſe primò & immediatè actu vitali in id, quod eſt extra totam latitudinem obiecti ſui ſpecificatiui: at potentia corporea viſiua eſt vitalis. Item viſio corporea eſt actus vitalis, ſpecificatiuum eius obiectum eſt corporeum coloratum, extra cuius ambitum eſt ipſemet Deus & eius eſſentia, cùm ſit ens maximè ſpiritale: ergo implicat potentiam viſuam corpoream ferri per
II. ſe primò & immediatè actu viſionis corporeæ in ipſum Deum, & eius eſſentiam, & proinde videre illam oculo corporeo. Minor admittitur ab omnibus, & ſatis patet ex iis, quæ Ariſtoteles lib. 2. *de anima*, & eius interpretes ibi tradunt de potentiis vitalibus, & actibus earum.

Tota difficultas eſt in maiori, quæ ſic probatur: vbi aliqua cauſa reſpectu proprij ſui effectus habet rationem cauſæ veluti formalis, ibi implicat illam vt ſic producere effectum genere diſtinctum à proprio ſuo effectu, quia inter cauſam formalem & eius effectum eſt eſſentialis habitudo tranſcendentalis & dependentia, quam etiam Deus non poteſt ſupplere, cùm dicat imperfectionem & imperfectio non cadat in Deum: atqui quælibet
III. potentia vitalis, quatenus vitaliter producit actum vitalem, habet reſpectu illius ſui actus rationem cauſæ veluti formalis, & effectus ille ſeu actus, qui eſt conſtitutus extra totam latitudinem obiecti ſpecificatiui talis potentiæ, eſt ex ſuo genere diſtinctus ab effectu illo, quem talis potentia poteſt vitaliter producere, quia conſtituit etiam ſpeciem potentiæ: ergo implicat vnam potentiam vitalem producere vitaliter actum circa obiectum aliquod poſitum extra latitudinem obiecti ſui ſpecificatiui.

Maior huius vltimi ſyllogiſmi patet ex ſe.

Minor eius quoad primam partem probatur: cauſam vitalem habere aliquam rationem cauſæ veluti formalis, reſpectu proprij ſui effectus vitaliter producti, nihil eſt aliud quàm formalem eius effectum ſeu actum vt vi-
IV. taliter productum accipere ſuam ſpecificationem à ſpeciali modo, quo pendet eſſentialiter à ſua vitali cauſa: ſic enim imitatur cauſam dictam propriè *formalem*, quia habet eſſentialem & intrinſecum ordinem ad talem effectum, & hic dependentiam eſſentialem ab iſta: atqui actus vitalis accipit ſuam ſpecificationem ab illo ſpeciali modo, quo pendet à ſua vitali potentia: nam actus vitalis deſcribitur à philoſophis libris *de anima, actio pendens à principio vitali, in quantum eſt vitale*, id eſt, in quantum formaliter eſt tale viuens; ſub ratione ſic viuentis mouens ſeipſum: hoc autem eſt eiuſmodi actum ſpecificari à ſua potentia, & dicere habitudinem eſſentialem ad illam, & habere ab ea dependentiam intrinſecam: ergo vitalis cauſa reſpectu ſui actus vitaliter producti eſt veluti cauſa formalis eius.

A Probatur item eadem minor quoad ſecundam partem, quæ aſſerit effectum ſeu actum poſitum extra totam latitudinem obiecti adæquati ſpecificatiui potentiæ vitalis diſtingui ſuo genere ab actu & proprio effectu talis potentiæ vitalis hoc modo; actus & effectus potentiarum diſtinguuntur per ea obiecta, ad quæ tendunt vt philoſophi cómuniter docent agendo de habitibus & actibus, & Theologi 1. 2. atqui obiectum ſpecificatiuum vnius vitalis potentiæ ſumptum adæquatè eſt diſtinctum genere à ſpecificatiuo obiecto alterius vitalis potentiæ, vt per ſe patet, & inductio facta per omnes vitales potentias docet; ergo effectus ſeu actus conſtitutus extra totam latitudinem adæquati obiecti ſpecificatiui potentiæ vitalis diſtinguitur ſuo genere ab actu
B ſeu effectu proprio & vitali talis potentiæ. VI.

Atque ex hac ratione ſic explicata facilè poteſt intelligi, quare res aliæ, verbi gratiâ, ſacramenta nouæ legis reſpectu ſanctificantis gratiæ, ignis inferni reſpectu cruciatus animarum damnatarum, & cætera id genus; imò & ipſæ vitales potentiæ (non tamen in ratione principij vitalis, & vt ad vitales effectus producendos) poſſint eleuari ad cauſandum effectus excedentes totam latitudinem ſui obiecti ſpecificatiui, vitales autem cauſæ non poſſint eleuari ad producendum alios effectus vitaliter, quàm eos qui continentur intra latitudinem adæquati obiecti ſpecificatiui, nimirum quòd dependentia & ordo effectus vitalis ad ſuam cauſam, quatenus eſt vitalis, ſit ei intrinſecus & eſſentialis, & econtrà ordo, & dependentia effectus non vitalis
C ad cauſam purè efficientem extrinſecam, non ſit ei intrinſecus & eſſentialis, nec ex ſua conditione propria poſtulet hanc determinatam cauſam, à qua ſpecificetur: quemadmodum vitalis actus poſtulat. VII.

Dices, licet viſio beatifica non poſſit vitaliter elici ab oculo corporeo, non tamen implicat illam à Deo ſolo, abſque vlla cooperatione intellectus creati, vel ſenſus, produci in oculo corporeo, & hoc ſufficere ad hoc, vt oculus corporeus dicatur videre Deum per eſſentiam & in ſeipſo.

Reſpondetur primò, difficultatem eſſe inter Theologos; vtrum accidens ſpiritale poſſit immediatè recipi in re corporea, tanquam in ſuo ſubiecto inhæſionis, quod ſapientiores ſcholaſtici negant; ſed quidquid ſit de ea re cuius diſcuſſio non eſt præſentis loci, reſpon-
D detur etiam ſi illud eſſet poſſibile, hoc tamen non poſſet habere locum in actu propriè vitali, quatenus eſt, & debet eſſe vitalis, cuiuſmodi eſt viſio beatifica, quia cùm *viuere* definiatur idem eſſe, quod mouere ſe ab intrinſeco per primum vitæ principium, exiſtens in eo, quod ſic dicitur viuere, primus actus vitæ debet præſupponi: at primus actus vitæ intellectualis, de cuius genere eſt viſio beatifica, eſt vis & potentia intellectiua, quæ non competit ipſi oculo corporeo; deinde actualis intellectio eſt talis conditionis, vt poſſit cum attentione conſiderari per reflexionem ab eo principio, à quo producitur; & proinde eius principium debet eſſe tale, vt poſſit ſe reflectere ſupra ſuam actionem; at id non poteſt competere potentiæ organicæ, cuiuſmodi eſt viſiua potentia, & vt philoſophi libris VIII.

de anima communiter docent de potentiis or-
I. ganicis.

Tandem datâ hypothesi quòd Deus, vt continens eminenter omnem efficaciam causarum secundarum posset producere entitatem beatificæ visionis absque cooperatione intellectus creati, tanquam vitalis potentiæ, & ita de facto produceret illam in aliquo oculo corporeo.

Respondetur secundò, oculum informatum tali visione non posse denominari videntem Deum, quia hæc denominatio cognoscentis, sicut & denominatio amantis, est effectus quidam formalis non tantùm istius entitatis, quam cognitio secundùm suum esse absolutum considerata dicit, sed etiam habitudinis, quam importat ad suum vitale principium: vnde eo casu, quo oculus reciperet visionem beatificam, nec illam produceret, non
II. posset denominari videns Deum.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis in hac vita mortali possit oculo saltem mentis videre Deum per essentiam.

SENSVS est, an per speciale aliquod priuilegium purus aliquis viator (nam de Christo D. nulla est difficultas; omnes quippe scholastici 3. parte docent Christum Dominum fuisse simul comprehensorem & viatorem) de facto clarè & intuitiuè viderit essentiam diuinam.

Prima difficultas & præcipua est de Moïse & S. Paulo, quos nonnulli Patres, vt S. Aug.
III. epist. 112. cap. 12. & 13. S. Ambr. lib. 1. *Hexaëmeron*, cap. 20. S. Thom. hâc quæst. art. 11. & cum nonnullis aliis existimant de facto vidisse essentiam diuinam; sed melior videtur esse contraria sententia, quæ est S. Euaristi Papæ in prima sua decretali, S. Irenæi lib. 4. *contra Hæreses*, cap. 37. S. Hilarij in Psal. 113. & plurium aliorum, tam recentiorum quàm veterum.

Probatur primò: sacra Scriptura dicit generaliter neminem vidisse Deum in hac vita, aut posse videre, Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, quibus verbis sanctus Ioannes Moïsem etiam comprehendit, nam præmiserat, *lex per Moïsem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, & ostendens differentiam inter Christum Dominum, & Moïsem,
IV. qui habebatur maximus Prophetarum, & consequenter inter Christum, & alios Prophetas, quòd scilicet ipsi non viderint Deum, Christus verò Dominus viderit, postquam loquutus est de Moïse ait, *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

Probatur secundò ex capite 33. Exodi, & 12. Numer. ex quibus auctores prioris sententiæ suam probant opinionem: non enim ex cap. 33. Exodi potest colligi Moïsem vidisse Deum per essentiam, quia vt etiam explicat S. Aug. lib. 2. *de Trinit.* cap. 16. id tantùm intelligitur de quadam visione, & apparitione corporali, sicut illud Genes. 31. quando dixit Iacob, *vidi Dominum facie ad faciem*: & potest id conuinci ex eo, quod statim subiunxit

A Moïses, *ostende mihi faciem tuam vt sciam te*; V.
iis enim verbis, vt vult sanctus Augustin. suprà Moïses petiuit videre essentiam diuinam, quam adhuc non viderat; cuius tamen petitioni Deus ibi non annuit, quia subiungit, *non poteris videre faciem, non enim videbit me homo & viuet*: & in fine cap. *videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*: vnde S. August. loco mox citato ait, Moïsi desideranti videre essentiam Dei, id non fuisse concessum.

Non item potest colligi ex cap. 12. Numer. vbi Deus ponens discrimen inter Moïsem & alios Prophetas, ait, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis seruus meus Moïses, qui in omni domo mea, fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.*
B Non inquam colligitur ex hoc loco, quia ver- VI.
ba istius capitis 12. Numerorum referenda sunt ad illa, quæ acciderunt illo tempore, quo Moïses in monte accepit legem, & postulauit videre faciem Dei Exod. 33. nam si Moïses vidit diuinam essentiam, maximè tunc in monte: at etiam teste S. Augustino non vidit clarè diuinam essentiam, vt iam docuimus: vnde ibi hoc statuitur discrimen inter Moïsem, & alios Prophetas; quòd Deus aliis loqueretur in somniis, vel imaginariis apparitionibus; Moïsi verò in forma visibili, & si quando apparebat in forma visibili aliis, vt Gedeoni, Angelus erat, qui apparebat, & loquebatur vt amicus Dei; Moïsi verò licet apparitio fieret ministerio Angelorum, attamen Angelus ille semper loquebatur Moïsi vt Deus: secun-
C dum discrimen quod ibi assignatur, est, quòd VII.
Moïses *palam*, & *non per figuras Dominum vidit*, quia scilicet illi reuelabat res sine figuris, aliis verò *in ænigmatibus* & similitudinibus: est enim ænigma, cùm aliud videtur, aut dicitur, & aliud significatur.

Quod spectat ad sanctum Paulum, idem sentimus ac de Moïse, cùm ipse 1. *ad Timoth.* 6. dicat de Deo, *quem nemo hominum vidit, nec videre potest*, & suprà citata testimonia Scripturæ pro priori parte, loquantur vniuersaliter.

Neque fauet contrariæ sententiæ, quod 2. *ad Corinthios* duodecimo sanctus Paulus dicat *se raptum fuisse vsque ad tertium cælum, raptum esse in paradisum, audiuisse arcana verba*; id enim tantùm cogit affirmare in tali raptu magna & ineffabilia mysteria fuisse ei re-
D uelata: quia id videtur esse proprium reue- VIII.
lationum quæ fiunt in raptu, vt vix posteà explicari possint: vnde non dixit S. Paulus se vidisse, sed audiuisse, non res, sed *verba*: ex quo colligitur eum non vidisse essentiam diuinam: neque etiam credibile est, si sanctus Paulus vidisset diuinam essentiam, potuisse ignorare suum statum, an esset in corpore, vel extrà corpus, cùm animæ beatorum nouerint suum statum: neque facienda est vis in particula *Paradisi*, quâ ibi vtitur: nam sumitur ibi metaphoricè, quatenus in tali raptu vidit humanitatem Christi Domini, quæ aliquo modo spectat ad beatitudinem, cùm sit secundarium aliquod obiectum illius.

Vnde multominùs Adam in illo sopore

I. Genes. 2. & S. Benedictus viderunt essentiam diuinam, vt notat sanctus Thomas quodlibeto 1. artic. 1. & 2. 2. quæst. 180. art. 5. Cæterùm si quis velit hoc priuilegium alicui puræ creaturæ tribuere, debet illud maximè concedi Beatiss. Virg. quia ex receptissima regula Patrum, nihil est denegandum ei, quod fuerit concessum alicui Sanctorum: vnde piè credi potest, Beatiss. Virginem vidisse diuinam essentiam, vt docet S. Antonin. 4. parte titulo 15. cap. 17. §. 10. cum multis recentioribus ad 11. art. huius quæst. 12. S. Thomæ.

DISPVTATIO VI.

De specie impressa essentiæ diuinæ in visione beatifica, vel de eo quod in
II. *ipsa se habet ad instar illius.*

NOTAVIMVS suprà ex sancto Augustino, & philosophis, cognitionem pendere à duobus, nimirum ab *obiecto* & *potentia*: hactenus diximus de iis, quæ possunt requiri vel sufficere ex parte intellectus creati ad eliciendum beatificam visionem: nunc agendum est de iis, quæ possunt vel sufficere, vel requiri ad illam ex parte obiecti; ac primò quidem in ista disputatione de specie impressa disseremus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus de facto videatur à beatis per
III. *speciem impressam.*

PRÆSENS difficultas est; an beati habeant de facto aliquam speciem impressam, cuius beneficio videant clarè & intuitiuè Deum in semetipso & sicuti est: quemadmodum videmus nos ipsos inuicem intuitiuè.

Prima sententia, quæ est Gandauensis in sua summa artic. 33. quæstione 2. ad 3. & plurium aliorum quos Ægidius *à præsentatione*, lib. 8. *de beatitudine*, quæst 3. artic. 3. §. 1. fusè refert & sequitur, affirmat, ita vt etiam repugnet essentiam diuinam supplere vicem impressæ speciei, vel sese habere ad instar illius.

Verùm melior nobis videtur opposita sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus. *Deus non videtur de facto à beatis per speciem impressam, sed essentia diuina sese habet ad*
IV. *instar speciei impressæ in producenda visione beatifica:* hæc propositio est S. Thomæ verbis expressis lib. 3. *contra Gentes*, cap. 51. & tertiâ parte, quæst. 9. artic. 3. & præsenti quæst. 12. art. 5. & communiter interpretum eius & recentiorum scholasticorum.

Duæ sunt partes huius propositionis. Prior probatur: Deus etiam, vt agens supernaturale non facit iuxta potentiam suam ordinariam, quod est superfluum: atqui ad eliciendum visionem beatificam, impressa species diuinæ essentiæ est superflua: ergo Deus non facit, vt beati videant de facto essentiam diuinam mediante specie impressâ.

Minor probatur: tunc tantùm impressa species est necessaria ad cognitionem, quando obiectum cognoscendum est absens, impro-

A portionatum potentiæ cognoscitiuæ, nec potest per seipsum præstare in ipsa cognitione, V.
quod agit per aliud, tanquam per suum vicarium: atqui diuina essentia, quæ est obiectum beatificæ visionis est maximè præsens intellectui cuiuscumque beati; item est maximè proportionata ei in ratione obiecti, potéstque præstare totum seipsa, quod potest per sui speciem facere in cognitione: ergo species impressa non est necessaria, sed superflua in beatifica visione.

Maior vltimi syllogismi patet ex omnibus philosophis, quando libris *de anima* disputant de necessitate specierum, vbi communiter assignant istas rationes: nam species intelligibilis semper se tenet ex parte obiecti: ac proinde vocatur *semen obiecti*, quia hoc per illam tanquam per aliquid à se excisum producit, cum intellectu speciem expressam:
B hinc quia substantia Angeli est intuitiuè præ- VI.
sens eius intellectui, & immaterialis, sicut intellectus eius, Theologi communiter nullam admittunt speciem in Angelo necessariam ad hoc, vt ille cognoscat suam substantiam: econtrà verò quia res materiales sunt ei disproportionatæ, distántque ab illo vt cognoscantur, requirunt aliquas species impressas sui in eo.

Minor autem eiusdem syllogismi probatur quoad primam partem, ex eo quòd essentia diuina est præsentissima omnibus rebus, vt docuimus suprà quæst. 7.

Probatur etiam quoad secundam partem: tunc aliquod obiectum est proportionatum in ratione obiecti potentiæ intellectiuæ, quando est intelligibile secundùm completam ef-
C ficaciam, quæ supponitur in potentia: sic enim VII.
potentia dicit habitudinem ad illud, tanquam ad aliquod contentum in latitudine obiecti sui motiui: at essentia diuina est maximè intelligibilis, quia est maximè immaterialis, etiam ab intellectu beati, quatenus habet in seipso lumen gloriæ, quod eleuat illum & complet efficaciam eius ad percipiendum diuinam essentiam, vt patet ex dictis: ergo diuina essentia respectu intellectus beati confortati lumine gloriæ est obiectum proportionatum.

Posterior pars propositionis probatur ex præcedenti, ad cuius probationem præmittendum est, hæc duo, scilicet Deum supplere speciem impressam, & Deum habere se ad instar speciei impressæ, distingui à se inuicem, si loquamur præcisè: primum enim respicit Deum tanquam *primam & vniuersalem causam*, quæ
D se sola potest quidquid causæ secundæ pos- VIII.
sunt in genere causæ efficientis: secundum verò respicit Deum, vt *causam particularem*, nimirum, quatenus eius essentia facit per se, quod faceret per propriam suam speciem si daretur de facto in beatis. Ad primum enim requiritur maior concursus, ad secundum non est opus maiori aliquo concursu etiam extraordinario, sed requiritur, vt ipsa essentia sit intuitiuè præsens & proportionata potentiæ cognoscenti: sícque exerceat per seipsam omnia propria munia speciei, quatenus species est. Quod totum patet in substantia Angeli, quæ respectu cognitionis, quam eius intellectus habet de illa, habet se ad instar speciei impressæ, quia facit per seipsam quidquid species impressa faceret, & eodem modo, non

I. autem aliquo ſpeciali concurſu alterius generis. Hoc præmiſſo,

Poſterior pars propoſitionis probatur: diuinam eſſentiam habere ſe ad inſtar ſpeciei impreſſę in viſione beatifica, nihil eſt aliud, quàm illam obire per ſeipſam omnia munia, quæ ſpecies impreſſa obiret in producenda viſione beatifica cum intellectu beati, vt patet ex notabili præmiſſo: atqui diuina eſſentia obit omnia eiuſmodi munia in producenda viſione beatifica, vt patet diſcurrendo per omnia eiuſmodi munia: primum munus eſt determinare potentiam ad obiectum, quæ quidem determinatio nihil aliud dicit, quàm exhibitionem præſentiæ in ratione obiecti, vt patet in noſtris ſenſibus exterioribus: at diuina eſſentia ſeſe exhibet, tanquam obiectum præſentiſſimum intellectui beato, hoc enim non includit imperfectionem.

II. Secundum munus ſpeciei impreſſæ, eſt conſtituere potentiam in actu primo, vniri illi in ratione intelligibilis, ſeu complere eius actiuitatem, & per ſuam aſſiſtentiam intimam facere, vt intellectus ſit expeditus ad eliciendum viſionem, ſeu cognitionem, quantum requiritur ex parte obiecti, & ſimul cum intellectu efficere cognitionem: at eſſentia diuina facit totum iſtud in beatifica viſione, quia ad primum iſtorũ ſufficit præſentia ſumma diuinæ eſſentiæ ad intellectũ in ratione obiecti; facit item ſecundũ munus, quia diuina eſſentia cõcurrit etiam efficienter ad viſionem beatificam, id enim non magis repugnat, quàm repugnet eſſentiam Angeli concurrere ad cognitionem, quam intellectus Angelicus habet de ſua ipſa ſubſtantia: ergo cùm iſta duo munera ſint præcipua ſpeciei impreſſæ, & ni-
III. hilominus eſſentia diuina per ſeipſam illa exerceat in beatifica viſione, tunc ſeſe habet ad inſtar ſpeciei impreſſæ.

Ex his ſequitur diuinam eſſentiam habere in viſione beatifica duplicem influxum, vnum generalem, quatenus ſcilicet eſt prima & vniuerſalis cauſa, quæ cum omnibus cauſis ſecundis concurrit ad actiones earum: alterum particularem & ſpecialem, nimirum quatenus eſt obiectum talis viſionis, ſicut etiam obiecta concurrunt ad ſui cognitionem cum potentia cognoſcente, vel per ſuam impreſſam ſpeciem, vel per ſeipſam.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta contrariæ ſententiæ.

IV. PRIMVM eſt: vt intellectus cognoſcat aliquod obiectum, debet priùs naturâ fieri *intelligibiliter*, ſeu ſecundùm ſuum eſſe intelligibile, tale obiectum: at intellectus beatus habet in beatitudine pro obiecto Deum, vt eſt in ſe, qui intellectus non poteſt fieri Deus *intelligibiliter*, ſeu diuina eſſentia, ſolùm eo ipſo, quòd eſſentia diuina ſupplet vices impreſſæ ſpeciei, ſed tantùm per ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ: ergo diuina eſſentia non ſupplet in beatitudine vicem ſpeciei impreſſæ, quin potiùs datur aliqua vera ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ.

Maior probatur: quia ſimile non poteſt cognoſci, niſi à ſimili, cui inexiſtit. Nam ideò Ariſtoteles libro primo *de anima*, capite ſecundo, textu vigeſimo quinto & vigeſimo
A ſexto, item libro tertio *de anima*, ait verbis V.
expreſſis eſſe neceſſarium, vt ipſæ res quæ intelliguntur ab anima, exiſtant in illa, vel formæ illarum, & quia res, quæ intelliguntur, non poſſunt ſecundùm ſuam realem entitatem eſſe in anima *formas illarum*, id eſt, ſpecies impreſſas & intelligibiles, debere eſſe in illa, vt ſic anima fiat intelligibiliter ſimilis rei quæ cognoſcitur.

Minor autem probatur: quia hæc teſtimonia Ariſtotelis procedunt de formis rerum cognoſcendarum, quæ inſunt ſubiectiuè in anima, vt patet ex cap. 8. citati libri: at eſſentia diuina non poteſt eſſe ſubiectiuè in beato, id enim ſonat imperfectionem; benè tamen conuenit ſpeciei impreſſæ: ergo vt intellectus beati fiat *Deus intelligibiliter*, oportet dari aliquam ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ.

Reſpondetur, intellectũ priùs fieri *intelligibi-*
B *liter obiectum*, quàm illud de facto cognoſcat, VI.
nihil eſſe aliud, quàm vel habere ſpeciem impreſſam obiecti cognoſcendi, quæ repræſentet illud potentiæ, & hoc tantùm ſenſu ſimile, non poteſt cognoſci niſi à ſimili, quatenus potentia ad formandum cognitionem requirit ex parte obiecti, vel ſpeciem eius ſibi impreſſam, ratione cuius tanquam illâ informatus dicitur ſimilis obiecto, non quidem formali ſimilitudine, aliàs enim iam actualis cognitio exiſteret, cùm hæc conſiſtat in actuali efformatione ſimilitudinis formalis, ſed virtuali & cauſatiua; vel ſi non habeat ſpeciem impreſſam, id debet intelligi hoc ſenſu, quòd tunc aliquid aliud debeat eſſe quod ſuppleat eius vicem, vel ſeſe habeat ad inſtar illius.

Neque his obſtat, quòd Ariſtoteles locis in obiectione citatis dicat neceſſe eſſe *for-*
C *mas eiuſmodi*, (quarum nomine intelligit ſpe- VII.
cies impreſſas) debere eſſe in anima. Nam loquitur tantùm de ea cognitione, quæ fit ordinariè ab intellectu creato, vel aliquo ſenſu animalis; ideóque cùm illa fiat tantùm per ſpecies, quas Ariſtoteles nouerat eſſe accidentia, & illæ ex particulari connexione, quam habent cum potentia cognoſcitiua in ordine ad coefficiendam cognitionem poſtulent inhærere illi, ſicut habitus qui iuuant illam, factum eſt vt dixerit propter improportionem & abſentiam, ſeu diſtantiam obiectorum intelligendorum eſſe neceſſe eiuſmodi ſpecies eſſe in anima; non autem ibi loquitur de omni & quacumque cognitione, & quomodocumque poteſt fieri. Imò eo ipſo,
D quo ibi loquitur ſub iſta diſtinctione, *aut res* VIII.
ipſas aut illarum formas, eſſe in anima: & præterea fundat iſtam neceſſitatem ſpecierum in diſtantia & diſproportione rei, quæ debet cognoſci ab intellectu, ſatis denotat tunc non eſſe opus ſpecie impreſſâ, vbi obiectum eſt intelligibile, proportionatum potentiæ cognoſcitiuæ, & idoneum præſtare per ſeipſum, quod aliàs ſpecies eius, tanquam forma quædam vicaria faceret: ideóque cùm oſtenderimus diuinam eſſentiam eſſe maximè intelligibilem, proportionatam beato intellectui, & poſſe præſtare per ſeipſam officia ſpeciei impreſſæ abſque vlla inhæſione, nec auctoritates Ariſtotelis ſuperiùs allatæ, nec argumentum fundatum in illis obſtant noſtræ propoſitioni.

Secundum eſt: quod ſe habet loco ſpeciei

I. impressæ in producenda cognitione intellectiua, debet non tantùm constituere intellectum in actu primo, sed etiam simul cum illo producere cognitionem: at repugnat essentiæ diuinæ constituere intellectum beati in actu primo: hoc enim spectat ad formalem efficientiam, quæ repugnat Deo: item quia res constituitur in actu primo per informationem rei sibi inexistentis: item diuina essentia non potest simul cum intellectu producere beatificam cognitionem, sicut species impressa.

Tum quia essentia Dei non est immediatum principium agendi ad extra, sed tantùm intellectus, voluntas, potentia Dei. Et quæ sunt immediatè ab essentia Dei non sunt liberè, sed necessariò.

II. Tum etiam quia si diuina essentia suppleret hoc modo vicem speciei, oporteret diuinas relationes etiam concurrere effectiuè ad visionem eiusmodi: quia diuinæ relationes sunt etiam aliquod obiectum beatificæ visionis: at hoc non potest admitti, quia omnis efficientia sanctissimæ Trinitatis ad extra, eo quod est indiuisa, semper est per aliquid commune omnibus personis.

Tertiò, quia si diuina essentia concurreret loco speciei impressæ, deberet concurrere tanquam causa immediata incompleta actus vitalis: item vt principium subordinatum intellectiuæ potentiæ beati, nam intellectus vtitur specie ad cognoscendum obiectum, sicque oporteret Deum subordinari creaturæ.

III. Quartò, quia ex intellectu & specie fit vnum quoddam principium intelligendi, sicut ex materia & forma fit compositum naturale, quatenus ipsa species dat aliquod esse intelligibile intellectui, sicque oporteret Deum ingredi compositionem, & esse causam veluti formalem, quæ omnia repugnant Deo.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem negatur sic constituere potentiam in actu primo, pertinere ad causalitatem formalem causæ informantis: nam sic constituere potentiam est tantùm determinare illam, & complere quantum requiritur ex parte obiecti: vnde sicut anteà diximus Deum per intimam assistentiam suæ essentiæ in ratione virtutis agendi posse complere intellectum beati, vt videat essentiam diuinam absque aliquo lumine gloriæ actuali vel habituali, quo casu diuina essentia non informaret intellectum beati, in actu primo determinando illum ad tale obiectum, & complendo coefficientiam requisitam ex parte obiecti ad producendum cognitionem, non est necesse, vt ei insit inhæsiuè, sed sufficit quòd vniatur ei per intimam assistentiam, vt patet in intellectione, quâ Angelus cognoscit suam propriam substantiam.

IV. Ad alteram partem, quæ nititur probare diuinam essentiam habendo se ad instar speciei non posse simul cum intellectu beati producere cognitionem beatificam, respondetur ad primam eius rationem, effectus Dei ad extra esse in duplici differentia, alios esse *intentionales*, cuiusmodi sunt etiam effectus obiectorum imprimentium species, & simul per illas concurrentium ad actus co- A gnitionis, & alios esse *reales*, prout hic terminus, *reale*, opponitur isti, *intentionale*, apud philosophos, dum agunt de cognitione & speciebus ad illam requisitis; iam quando diuina essentia negatur esse immediatum principium agendi ad extra, id intelligitur tantùm de effectibus realibus, non autem de intentionalibus, de quorum genere est concursus diuinæ essentiæ, dum illa sese habet ad instar speciei impressæ: nam licet creata substantia non possit esse immediatum principium producendi aliquid reale, prout hic terminus, *reale*, opponitur huic, *intentionale*, sed ad id indigeat potentiis: attamen vbi agitur de producendo actu cognoscitiuo, & obiectum est proportionatum ipsi potentiæ, & insuper intimè coniunctum, potest sine alio intermedio agente esse cum suo intellectu B principium illius cognitionis, quam sic habet de ipsa, vt animaduertimus de substantia Angelorum; & in hoc recidit solutio Conimbricensium quæstione secundâ, articulo tertio, ad sextum caput libri secundi *de anima:* vbi dicunt nullam substantiam posse esse proximum principium elicitiuum actus per modum potentiæ & virtutis, posse tamen esse per modum obiecti, quando illa est simul obiectum actuale. V.

Secundò ad id, quod dicitur, ea quæ sunt immediatè ab essentia esse necessariò, beatificam autem visionem ex parte Dei esse liberam, respondetur in diuina essentia sese habente ad instar speciei impressæ posse distingui duo: primum est, esse idoneum principium ad conficiendam visionem beatificam; alterum est applicatio talis principij ad conficiendum de facto: primum esse C necessarium in diuina essentia, neque hoc importare aliquam imperfectionem, vt constat ex dictis, secundum autem esse Deo liberum: & proinde cùm visio beatifica in actu exercito postulet hoc secundum, ideò illam semper manere liberam respectu Dei; deinde licet ista coefficientia, vt est ab essentia diuina se habente ad instar speciei impressæ dicatur à nonnullis esse necessaria, quia vt sic est ab illa, tanquam à causa particulari; quia tamen vt visio beatifica exerceatur, generalis concursus Dei insuper requiritur, sine quo illa non potest exerceri, & hic respectu Dei est liberrimus, semper visio beatifica dicetur purè & simpliciter libera actio Dei ad extra, sicut illi effectus, qui necessariò procedunt à suis causis secundis D non liberis. VI.

Tertiò respondetur ad id, quod ibi obiicitur de diuinis relationibus, primùm ex distinctione superiùs allata duplicis actionis, nempe illas esse actiuas respectu intentionalium, ob eandem rationem, quâ diuina essentia dicitur esse actiua, & vetus illud principium Theologorum, *actiones Trinitatis ad extra sunt indiuisæ*, intelligi tantùm de realibus, & non de purè tantùm intentionalibus. Deinde meliùs respondetur non sequi relationes etiam diuinas sic concurrere; nam ad hoc vt diuinæ relationes, & singula attributa Dei videantur à beatis, vt nunc de facto videntur, non est necesse illa singula habere se ad instar speciei impressæ, sed sufficit quòd essentia diuina habens se ad instar speciei exhibeat seipsam intellectui beato vi- VII. VIII.

I. dendam, vt est in seipsa, ac proinde, cùm vt
sic non videatur intuitiuè absque eo quòd
diuinæ relationes,& eius attributa videantur,
vt dicetur infrà, eo ipso, quo essentia diuina
ita sese vnit intellectui beato; videbuntur ipsæ
relationes diuinæ & singula eius attributa, li-
cet illæ nullum specialem influxum intentio-
nalem habeant condistinctum ab influxu diui-
næ essentiæ.

Quartò ad id quod obiicitur de causa in-
completa immediata & subordinatione eius,
quod se habet ad instar speciei ad intelle-
ctum, respondetur, diuinam essentiam non
esse causam incompletam; sed totalem in suo
genere, sicut species impressa est respectu co-
gnitionis, quia potentia, & obiectum con-
currunt ad actum intelligendi, tanquam duo
principia diuersæ rationis, quæ tamen simul
II. iuncta componunt vnum integrum agens re-
spectu cognitionis, quorum vnumquodque
producit illam *totam*, sed non *totaliter*, vt
solet dici de efficientia causarum simul con-
currentium ad eundem effectum, & de mare,
& fœmina ad generationem prolis. Nam
actualis cognitio tam immediatè pendet ab
obiecto vel eius specie, quàm à potentia: &
sicut quando vnus effectus est talis conditio-
nis, vt ex sua propria natura pendeat in fieri
à duobus, tanquam comprincipiis, ita vt
vnum ex illis non possit eam producere, nisi
& alterum eius comprincipium simul concur-
rat: tunc loquendo propriè vnum illorum
non dicitur esse subordinatum alteri, vel es-
se instrumentum eius, sed duo ista dicuntur
potiùs habere mutuam à se inuicem depen-
dentiam in agendo; sic etiam essentia diuina
III. habens se ad instar speciei impressæ non dice-
tur habere dependentiam ab intellectu beati;
sed essentia diuina vt sic, & intellectus beati
dicentur dependere à se inuicem, vt produ-
cant visionem beatificam: quæ mutua depen-
dentia nullam arguit in Deo imperfectionem,
cùm non sit necessitatis, sed diuinæ libertatis
& liberalitatis: sicut quòd Deus dependeat à
causis secundis, vt suo generali concursu pro-
ducat effectus illarum.

Quintò ad illud quod obiicitur de com-
positione ex specie, & intellectu in esse intel-
ligibili, negatur ex illis duobus fieri neces-
sariò aliquod vnum rationis loquendo pro-
priè, sed hoc tantùm sensu vnum fieri ex il-
lis duobus, quatenus ex illis simul iunctis
vnum totale principium completum, tam ex
IV. parte obiecti, quàm intellectus resultat ad
producendum actum intelligendi; quæ vnio
dicitur esse in *esse intelligibili*, prout opponi-
tur vnioni in *esse reali*, quatenus nimirum
talis coniunctio ordinariè, fit ex speciebus in-
telligibilibus cum intellectu, & in finem in-
tellectionis, ad quem sufficit si obiectum ge-
rens vicem speciei sit proportionatum po-
tentiæ, eique intimè vnitum absque inhæren-
tia vel aliqua alia compositione propriè dicta:
tunc enim potentia censetur esse intelligibi-
liter ipsum obiectum: quando habet assisten-
tiam obiecti vel eius speciem causatiuam for-
malis similitudinis, quæ est ipsum obiectum
formaliter in esse intelligibili.

A Postremum est: visio beatifica vt de facto V.
exercetur in patria, producitur à beatis mo-
do connaturali; hanc enim ob causam omnes
Theologi admittunt lumen gloriæ de facto
esse habituale: at connaturalis modus viden-
di Deum clarè, vt est in seipso, intelligitur
tantùm fieri per speciem impressam, quia
modus agendi connaturaliter est agere per
formam sibi inhærentem, cuiusmodi non est
diuina essentia: item modus agendi consue-
tus ipsius Dei est, vt, quod potest & solet fa-
cere mediante aliquâ formâ, numquam il-
lud faciat immediatè per seipsum solum, vt
videmus omnes potentias intellectuales co-
gnoscitiuas producere suos effectus, prout
sunt instructæ speciebus impressis: ergo &
beatifica visio vt eliciatur modo connaturali,
debet fieri per speciem impressam diuinæ es-
B sentiæ. VI.

Respondetur, negando modum intelligen-
di quatenus est connaturalis, & sit connatu-
raliter postulare, vt fiat per speciem impres-
sam existentem in potentia cognoscente;
quòd enim cognitio fiat per speciem inhæ-
rentem potentiæ, prouenit ex improportio-
ne, vel distantia, siue absentia obiecti co-
gnoscendi & ex conditione speciei, quate-
nus est accidens; quòd verò modus agendi
connaturaliter dicatur esse is, quo agens agit
per formam sibi inexistentem, id tantùm in-
telligitur de principio sese tenente ex parte
potentiæ, cuiusmodi sunt lumen gloriæ, ha-
bitus infusi, & acquisiti: quia tunc talis for-
ma, quæ superadditur, est in bonum poten-
tiæ, scilicet vt illam vel confortet, vel adiuuet
in operando: vnde sicut eius operatio est à
principio sibi inexistente, ita etiam conna- VII.
C turalius est, vt vel confortetur vel adiuue-
tur per aliquid sibi inexistens: non autem id
intelligitur de principio sese tenente tantùm
ex parte obiecti, cuiusmodi est species impres-
sa. Nam quemadmodum vbi effectus aliquis
pendet à duobus, tanquam concausis sese
tenentibus ex diuersa parte, non est necesse
vnum esse in alio, sed sufficit, quòd simul iun-
gant suas operationes in ordine ad produ-
cendum suum effectum, vt experientia do-
cet; sic etiam, quia intellectus & species im-
pressa sunt duæ concausæ ad producendam
visionem beatificam, quæ tenent se ex di-
uersis partibus, non est necesse, vt quod se
habet ad instar speciei impressæ sit inhæsiuè
in intellectu. VIII.

D Ad illam confirmationem, quâ dicitur
Deum non facere per seipsum immediatè,
quod solet facere mediante aliquâ formâ, seu
causâ efficiente & inhærente, respondetur,
id intelligi tantùm de Deo agente, tanquam
primâ & vniuersali causâ, non autem de Deo
agente, tanquam causa particulari; quo ta-
men pacto concurrit in præsenti casu, dum
habet se ad instar speciei impressæ, vt ex-
plicatum est suprà: tunc enim sicut sorti-
tur conditionem causæ particularis, ita
etiam debet eumdem, ac & illa, influxum
conferre.

I. ARTICVLVS III.

Vtrum de abſoluta Dei potentia dari poſſit ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ, per quam illa videatur à beatis.

DVæ ſunt hac de re ſententiæ: prima S. Thomæ hâc quæſtione duodecimâ articulo 2. & diſcipulorum eius, quæ eſt negans; altera affirmans, quam loco noſtræ propoſitionis ponimus.

Dari poteſt per abſolutam Dei potentiam ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ, per quam beati clarè & intuitiuè Deum videant. Ita Aureolus apud Capreolum in 4. ſentent. diſtinctione 49. quæſt. 5. artic. 2. & multi recentiorum, vt Suares tam in metaphyſicis diſput. 5. ſect. 11. quàm lib. 2. *de attributis negatiuis*, cap.
II. 13. & alij plures, quos Ægidius *à præſentatione* fusè refert lib. 8. *de beatitudine*, qu. 2. art. 2.

Probatur: in ſpecie impreſſa, quatenus eſt ſpecies, duo tantùm continentur, ſcilicet *ſimilitudo*, ſeu *repræſentatio*, & *efficientia*: quemadmodum poteſt ſatis intelligi ex iis, quæ philoſophi tradunt communiter de ſpecie impreſſa libris *de anima*, & ex iis, quæ ſuprà diximus: at ex neutro capite repugnat dari talem ſpeciem: de ſecundo, id eſt, *de efficientia*, patet, nam de facto lumen gloriæ datur, quod concurrit efficienter ad beatificam viſionem, vt ſuperiùs probatum eſt: de primo, id eſt, ex parte *ſimilitudinis* ſeu *repræſentationis* diuinæ eſſentiæ probatur: vbicumque de facto & reipſa maior & perfectior ſimilitudo rei alicuius datur, ibi minor ſimilitudo, & minus perfecta in ratione repræſentationis eiuſ-
III. dem rei poteſt dari, ſaltem per abſolutam potentiam Dei: at verbum mentis ſeu expreſſa ſpecies diuinæ eſſentiæ datur de facto in beatis, quæ formaliter repræſentat illis Deum ſicuti eſt: repræſentatio autem ſeu ſimilitudo, quam ſpecies impreſſa importat eſt tantùm effectiua, vt patet ex dictis, quæ ſimilitudo in ratione ſimilitudinis eſt longè minor & minus perfecta, quàm ſit præcedens, vt per ſe patet: ergo & ſimilitudo illa eſſentiæ diuinæ, quam ſpecies impreſſa importat eſt etiam poſſibilis, ſaltem per abſolutam potentiam Dei.

Hoc argumentum valde torquet auctores prioris ſententiæ, adeo vt plerique eorum, vt Caietanus hâc quæſt. 12. artic. 2. dicant omnes illas rationes, quæ poſſunt afferri contra ſpeciem impreſſam, militare etiam contra ſpe-
IV. ciem expreſſam, ſeu verbum mentis; ideóque putant negandum eſſe beatos in viſione beatifica formare verbum mentis: ſic Caietanus ſuprà & eâdem parte quæſt. 27. cum nonnullis aliis. Eorum ratio eſt, quòd ſi in beatitudine verbum mentis daretur, beati non viderent Deum immediatè, nec vnirentur ei immediatè, ſed mediante tantùm verbo diuino, tum etiam quòd verbum mentis in noſtra cognitione detur, vt obiectum in eo cognoſcatur, intellectus verò, vt cognitio ad illud terminetur, & illo mediante ad rem cognitam: vnde tunc tantùm verbum mentis datur, quando res cognita eſt abſens vel diſproportionata potentiæ in ratione obiecti, quare cùm Deus ſit intimè præſens intellectui beatorum, & maximè proportionatus, fit, vt expreſſa ſpe-
A cies, ſeu verbum mentis non detur in beatis. V.

Verùm hæc ſolutio facilè refellitur, primò ex Patribus, vt S. Auguſt. lib. 9. *de Trinitate*, capite 10. S. Anſelmo *in Monologio*, cap. 21. S. Thomas hâc parte quæſt. 27. artic. 1. admittentibus verbum mentis efformari in beatitudine ab ipſis Sanctis. Imò S. Thomas ſuprà dicit, *ex eo ipſo, quòd aliquis intelligit, ſtatim intelligit procedere aliquid intra ipſum intelligentem, quod nihil eſt aliud, quàm verbum mentis*, & probatur breuiter: cognoſcere nihil eſt aliud, quàm potentiam cognoſcentem exprimere in ſeipſa vitaliter imaginem rei, quam cognoſcit: vnde Ariſtoteles libro 3. *de anima*, cap. 4. & 8. ait intellectum in actu eſſe rem ipſam quæ intelligitur, ſcilicet per quandam aſſimilationem & expreſſionem imaginis VI.
B rei intellectæ: at beati videndo clarè & intuitiuè diuinam eſſentiam cognoſcunt illam vitaliter, quæ viſio beatifica eſt quædam cognitio intellectus & actus vitalis: ergo exprimit talis intellectus in ſeipſo imaginem diuinæ eſſentiæ, quæ imago nihil eſt aliud, quàm verbum mentis ſeu ſpecies expreſſa: ergo beati formant in viſione beatifica aliquod verbum mentis, & ex conſequenti formalis, & expreſſa ſimilitudo Dei datur in beatis, & à fortiori ſpecies impreſſa, quæ eſt ſimilitudo minus perfecta, dari poteſt.

Argumenta autem ſuperiùs allata non oſtendunt verbum mentis non reperiri in beatis; hoc enim dato, intellectus non deſinit ferri immediatè in ipſum Deum, quia verbum mentis tunc non eſt obiectum co-
C gnitum, nec intellectus beati, vt ſic fertur VII.
immediatè in illud, cùm poſſit duntaxat cognoſcere illud per actionem reflexam, ſed intellectus beati fertur in verbum mentis immediatè, tanquam in terminum, qui per cognitionem exprimitur: ex quo patet etiam eſſe falſum tunc tantùm dari verbum mentis, quando obiectum eſt abſens aut diſproportionatum: cùm vtrumque hoc arguat tantùm neceſſitatem impreſſæ ſpeciei, & diuina eſſentia eſt intimè præſens intellectui Patris diuini, eíque maximè proportionata, nec tamen Pater diuinus deſinit per ſuam intellectionem producere verbum, vt patebit infrà agendo de myſterio Trinitatis.

Adde quòd ſi verbum mentis daretur tantùm, vt intellectus cognoſcat in illo obie-
ctum, oporteret verbum mentis priùs dari, VIII.
D quàm actualem cognitionem obiecti: & proinde illud produci per aliquid aliud, quàm per ipſam cognitionem: item tale verbum perciperetur à nobis, cùm tamen plerique noſtrûm intelligant rem ipſam, verbum autem mentis ei correſpondens non percipiant: ergo ex iſtis capitibus per talem reſponſionem propoſitis, non repugnat dari ſpeciem expreſſam diuinæ eſſentiæ, nec proinde ex diſcrimine ibi allato poteſt oſtendi repugnare dari poſſe ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ.

Alij itaque ob has, & ſimiles rationes admittunt beatos producere verbum mentis, ſeu ſpeciem expreſſam per actum viſionis beatificæ, & ad noſtram rationem reſpondent, diſparem eſſe conditionem ſpeciei impreſſæ ab expreſſa; primò quòd ſpecies impreſſa,

I. quia ponitur loco obiecti debeat esse immaterialis & prior, non item expressa: & proinde cùm nihil sit immaterialius Deo, repugnare dari speciem impressam diuinæ essentiæ: sic Soto in quartum distinctione quadragesimâ nonâ quæstione secundâ articulo tertio. Sed discrimen istud facilè refellitur: nam Angelus infimus est minus immaterialis, & maiorem potentialitatem habet, quàm supremus habeat, & nihilominùs infimus ille Angelus habet speciem impressam istius Angeli superioris, vt communiter docent Theologi agendo de cognitione Angelorum, & potest interdum fieri, vt species impressa obiecti, debeat esse necessariò immaterialior suo obiecto, ut patet in nostris speciebus sensibilibus: ergo licet Deus sit magis immaterialis quocumque alio ente possibili: nihilominùs hac
II. ex parte, non repugnabit aliquam speciem impressam diuinæ essentiæ dari, quæ tamen sit minus immaterialis, quàm sit essentia diuina.

Alij respondent differentiam esse, quòd species impressa exeat naturaliter ab obiecto: vnde quando obiectum est infinitum, cuiusmodi est diuina essentia, species impressa eius debet etiam esse infinita, quod est impossibile in effectu creato: at species expressa, cùm fiat ab intellectu, tanquam à causa limitata potest habere esse finitum seu limitatum.

Verùm hæc solutio facilè refellitur; non est enim de intrinseca ratione speciei impressæ, quatenus talis, quòd exeat naturaliter ab obiecto: quemadmodum videre est in speciebus Angelorum, quæ iuxta doctrinam san-
III. cti Thomæ infrà non illis imprimuntur ab obiectis, sed à Deo infunduntur.

Nec item obstat infinitas ipsa obiecti, quia ad rationem talis speciei sufficeret, vt esset proportionata ipsi modo cognoscendi obiectum per eam potentiam, cui imprimeretur, ac proinde, vt modus ille est finitus, sufficeret etiam, vt species illa esset finita, licet enim aliquando obiecta non sinantur emittere sui speciem secundùm eum omnem modum, quem habent, quia verbi gratiâ, corpus aliquod opacum interponitur, quod impedit, ne tota species ad nos perueniat secundùm se totam, non tamen desinimus videre ipsum obiectum in se, sed non secundùm illum omnem modum, quem habet, & ideò, quia intellectus beati videt Deum tantùm modo finito,
IV. non autem comprehensiuè, vt patebit infrà, ista species non desineret esse finita & Deus videri in seipso.

Quartò, alij respondent differentiam esse, quòd Deus dicatur videri, & beare hominem formaliter per suam essentiam sese habentem ad instar speciei: ac proinde in tali casu species impressa bearet hominem, essétque principalis causa visionis beatificæ, quod repugnat huius excellentiæ.

Verùm id refellitur; nam primò falsum est Deum videri, & hominem formaliter beari per speciem impressam: illa enim non est propriè obiectum beatitudinis: deinde non repugnat aliquid creatum esse principium seu comprincipium effectiuum beatitudinis etiam præcipuum in suo genere: cùm & ipsa vitalis potentia, & lumen gloriæ sic concurrant ad illam, vt superiùs probatum est: er-

A go ex nulla parte repugnat aliquam speciem impressam diuinæ essentiæ posse dari. V.

Cæterùm, si visio beatifica fieret per eiusmodi speciem impressam, semper illa esset eiusdem speciei, ac nunc est, quando fit per essentiam diuinã sese habentem ad instar speciei impressæ: tum quia mutatio principiorum efficientium in genere efficientiæ extrinsecæ, non inducit mutationem specificam effectus, vt patet in primis parentibus, & aliis hominibus: at species impressa concurrit tantùm ad cognitionem, tanquam principium effectiuum in genere efficientiæ extrinsecæ, vt patet ex dictis: tum etiam, quia loquendo propriè, actus specificantur à suis obiectis, & formalibus terminis: at si beatifica visio fieret per speciem impressam diuinæ essentiæ, idem semper esset obiectũ, eadem species expressa,
B quę nunc sunt, quãdo reipsa & de facto diuina VI.
essentia videtur, sine aliqua specie impressa: quia species illa, quatenus *impressa species* faceret tantùm, quod essentia diuina nunc facit per seipsam, cùm sit tantùm loco obiecti.

ARTICVLVS IV.

Soluitur primum fundamentum aduersariorum.

PRIMVM auctorum contrariæ sententiæ argumentum est eiusmodi: inter obiectum & eius speciem impressam debet esse conuenientia, & pro maiori immaterialitate obiecti, species debet esse immaterialior: quia ex sancto Dionysio libro *de diuinis no-*
C *minibus* capite primo, *superiora non possunt co-* VII.
gnosci per similitudines rerum ordinis inferioris: item species impressa exit necessariò & naturaliter ab obiecto, secundùm eum omnem modum, quem obiectum habet in seipso: atqui species impressa diuinæ essentiæ, quæ fingitur possibilis, est semper inferior ipso Deo, vt per se patet, cùm sit aliquid creatum; est item minus immaterialis Deo, cùm sit composita ex actu & potentia, Deus sit actus purissimus: item nihil potest exire ad extra necessariò à Deo; sic enim est agens maximè liberum, nec aliquid creatum potest repræsentare Deum totum, & totaliter, aliàs enim comprehenderet Deum, & hâc specie semel productâ Deus non posset aliam istâ perfectiorem producere; sicque potentia
D eius esset exhausta. VIII.

Respondetur ad hoc argumentum, quâ parte procedit de conuenientia, illam non debere esse *entitatiuam*, vt sanctus Thomas expresśè docet in quæstionibus disputatis *de veritate* quæstione octauâ, & patet etiam in nostris speciebus; sed sufficere illam esse *repræsentatiuam*, seu in ratione repręsentationis, nimirum, vt obiectum tale repræsentetur ab ipsa specie potentiæ cognoscitiuæ, quale est secundùm eam rationem, quâ est obiectum talis potentiæ: vnde si obiectum sit in seipso, & secundùm se spectato omnimodè infinitum, nec tamen sit obiectum potentiæ quoad omnem illam infinitatem, non propterea species repręsentans illud finito duntaxat modo, desinet dici habere conuenientiam cum illo, quia hæc conuenientia non petitur ex totali & adæquata correspondentia ipsius spe-

I. ciei in repræſentando, ad ipſum obiectum A totum, & totaliter ſecundùm ſe conſideratum, ſed ex ea tantùm correſpondentia, quæ eſt ſpeciei impreſſæ ad obiectum, vt reipſa & de facto eſt obiectum talis potentiæ & eius cognitionis: cùm hæc ſpecies ſit loco ipſius obiecti: quare ſicut eſſentia diuina, quatenus omnimodè infinita, quatenus tota & totaliter cognoſcibilis non eſt obiectum intellectus creati (ſic enim tranſcendit limites obiecti eius) ſed eſt tantùm obiectum eius, prout eſt cognoſcibilis in ſeipſa, modo aliquo duntaxat finito: ſic etiam conuenientia in *eſſe repræſentatiuo*, quæ inter ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, & ipſam diuinam eſſentiam vt eſt obiectum, requiritur, debet tátùm eſſe proportionata ei modo finito, quo Deus per illam videretur à beatis: vnde hæc B
II. conuenientia aliquam fundat relationem ſimilitudinis iſtius ſpeciei ad ſuum obiectum, non quidem fundatam in identitate, ſeu vnitate alicuius naturæ, quæ ſit eiuſdem rationis in vtroque extremo, ſed fundatam ſolùm in vnitate adæquationis in repræſentando; in eo nimirum quòd ſpecies rem repræſentet talem, qualis illa eſt in ratione obiecti reſpectu ſuæ potentiæ, quæ relatio eſt tantùm *diſquiparantiæ*, vt Dialectici loquuntur ſeu diuerſæ denominationis, quia vnum extremum, ſcilicet ſpecies impreſſa, eſt ſimile in ipſo ſuo *repræſentare*, ſeu quoad ipſam ſuam repræſentationem, obiecto, vt obiectum eſt, obiectum verò eſt ſimile ipſi impreſſæ ſpeciei in ipſo repræſentari, eo modo, quo eſt obiectum, & de hac conuenientia
III. ſolummodò repræſentatiua, C ſanctus Dionyſius relatus in argumento poteſt intelligi: ita vt tantùm velit per ſpecies inferiores *in repræſentando*, ſeu repræſentantes duntaxat res ordinis inferioris, ſuperiora non poſſe cognoſci ex defectu conuenientiæ nunc explicatæ, verbi gratiâ, aliquid ſpiritale non poſſe cognoſci per ſpeciem rei corporeæ.

Ad idem argumentum quâ parte agit de immaterialitate ſpeciei impreſſæ, negamus illam debere eſſe tantam, quanta eſt in obiecto, vt patet exemplo allato ſuprà de Angelo, cuius rei hæc eſt ratio: quòd immaterialitas conueniat ſpeciei impreſſæ, quâ parte reſpicit ſuum ſubiectum, ſeu vt eſt in ſubiecto, quemadmodum ſanctus Thomas tradit in quæſtionibus diſputatis *de veritate* quæſtione tertiâ articulo primo in reſponſio-
IV. ne ad ſecundum, D & ibidem articulo ſecundo in reſponſione ad quintum, vt etiam patet in ſpeciebus illis, quibus cognoſcimus, ſiue ſenſu externo, ſiue intellectu rem planè materialem, & alia obiecta, quorum ſpecies pro conditione potentiarum, quæ illis inſtructæ cognoſcunt ea, ſunt magis & minus immateriales, eo quod quidquid recipitur, *ad modum recipientis* recipitur.

Ad idem argumentum, quâ parte aſſerit ſpeciem impreſſam exire neceſſariò & naturaliter ab obiecto, patet ſolutio ex dictis ſuperiori articulo ad tertiam reſponſionem aduerſariorum contra noſtrum fundamentum.

Modus autem, quo Deus poteſt producere ſpeciem impreſſam ſuæ eſſentiæ eſt iſte, nimirum quo applicat ſuam eſſentiam ad talem effectum producendum ex libertate ſuæ voluntatis: ſicque talis ſpecies ſemper eſſet V. effectus quidam liber, qui prout vellet Deus pro conditione meritorum & quantitatis luminis gloriæ intellectus beati, eſſet maior vel minor in repræſentando Deo; & quamquam poſſet dari ſemper maior, aut minor etiam in infinitum, nunquam tamen poſſet dari ſpecies, quæ repræſentaret Deum *adæquatè totaliter* & *comprehenſiuè*: cùm enim repræſentatio, quæ eſt in ſpecie ſequatur conditionem obiecti, quatenus obiectum eſt, ex locis ſancti Thomæ ſuprà citatis, & ex ratione illis ſubiuncta: quemadmodum per abſolutam potentiam Dei fieri non poſſet, vt Deus *adæquatè totaliter* & *comprehenſiuè* cognitus ſit obiectum alicuius cognitionis creatæ, vt patebit inferiùs, ſic etiam nequit fieri, vt aliqua ſpecies creata impreſſa detur, VI. quæ illum adæquatè & totaliter repræſentet.

Adde quod argumentum illud quod Dialectici vulgò vocant *calculatorium*, valeat tantùm in rebus contentis intra eandem ſpeciem: vnde cùm cognitio comprehenſiua Dei, ſit alterius omninò ſpeciei ab intuitiua cognitione eiuſdem Dei, quæ eſt in beatis, fit, vt quantumcunque cognitio illa intuitiua beatorum creſcat, & ex conſequenti ſpecies impreſſa obiecti eius ſi daretur, nunquam magis poſſe peruenire ad repræſentandum Deum comprehenſiuè, & ad coefficiendum hanc eius cognitionem, quàm corpus perfectum, & magis & magis perfectum in infinitum poſſit eò deuenire, vt tandem ſit entitatiuè ſubſtantia quædam ſpiritalis. VII.

Articvlvs V.

Secundum fundamentum negantis ſententiæ ſoluitur.

Secvndvm fundamentum eſt: nullum obiectum quod comparatione cuiuſcumque intellectus eſt proximè intelligibile per ipſammet ſuam eſſentiam, & eſt ita intimè vnitum tali intellectui, vt eum moueat, & cum eo efficiat intellectionem, poteſt ei repræſentari per ſpeciem aliquam impreſſam: atqui diuina eſſentia comparatione intellectus confortati lumine gloriæ eſt proximè intelligibilis per ſe ipſam, eique vnita, vt eum moueat ad intelligendum, & cum illo efficit viſionem beatificam, vt oſtenſum eſt articulis præce-
dentibus: ergo eſſentia diuina non poteſt repræſentari beato intellectui per ſpeciem impreſſam. VIII.

Maior in qua eſt vis argumenti probatur: nulla res eſſe poteſt, quæ ordinetur eſſentialiter ad dandum certum quemdam effectum alicui rei, quem res illa iam habeat per ſuam eſſentiam, verbi gratiâ, ſi ſubſtantia eſſet proximè & completè potens per ſeipſam ad operandum, nulla darentur accidentia, quæ eam efficerent potentem ad operandum: tunc enim tale accidens intrinſecè, & ex propria ſua natura ordinaretur ad reddendum potens principium operandi, & ſimul etiam non ordinaretur: quia ex hypotheſi quòd ſubſtantia eſſet proximè & completè potens, non poſſet ampliùs ordinari ad faciendum illam potentem: at ſpecies impreſſa eſt eſſentialiter ordi-

I. nata ad faciendum obiectum intelligibile, illúdque intimè vniendum potentiæ, vt sic vnitum moueat illam, & cum ea efficiat cognitionem: & altera ex parte quando obiectum est proximè intelligibile per ipsammet essentiam respectu cuiuscumque intellectus, éstque vnitum ei, vt moueat illum & simul efficiat intellectionem, habet hoc vtrumque, quod aliàs species facit: ergo tunc nulla potest dari species impressa talis obiecti. A

Respondetur, illud tantùm probare nullam esse necessitatem admittendi speciem impressam, in visione beatifica: inde tamen non probari repugnare illam dari, quod tantùm hîc disputamus; si enim maior propositio procedat *de impossibili*, & repugnantia quomodo debet procedere, vt deseruiat proposito, est omninò falsa; quid enim repugnat
II. Deum pro sua libertate infundere Angelo B speciem impressam suæ creatæ substantiæ, quâ illam intelligat, & per substractionem sui concursus impedire, ne substantia Angeli, quæ est ei instar speciei impressæ, & alioquin in actu primo expedita ad mouendum suum intellectum, & ad efficiendum cum illo cognitionem sui, moueat suum intellectum, & ne cum illo efficiat intellectionem, sed ipsa species impressa ei; hoc enim cùm sit ad extra est Deo liberum, & posset intendi à Deo ad manifestationem suæ omnipotentiæ: ergo pari modo, licet diuina essentia sit maximè intelligibilis, sit intimè vnita intellectui beato, expedita illum mouere, & cum illo simul efficere visionem beatificam, Deus poterit pro sua voluntate nolle concurrere immediatè per suammet essentiam sese habentem ad C
III. instar speciei impressæ, sed producere veram & propriè dictam speciem impressam suæ essentiæ, quæ cum intellectu creato producat visionem beatificam: & sicut Deus, licet possit se solo producere plures effectus, quia est omnipotens, nihilominùs vtitur creaturis, vel tanquam causis intermediis, vel tanquam instrumentis; sic etiam nihil repugnat Deum pro sua libera voluntate nolle per seipsum immediatè exercere munus obiecti, sed tantùm per aliquam sui speciem impressam creato intellectui.

Ad probationem maioris respondetur, posse duobus modis intelligi speciem impressam ordinari essentialiter ad dandum intelligibilitatem: prior est ad dandum illam obiecto: posterior est ad dandum illam ipsi potentiæ, quatenus facit illud ei proportionatum,
IV. vel indistans: iam species impressa præcisè, D quà est species non datur ad primum, quia vbi obiectum est immaterialius ipsâ potentiâ est etiam secundùm se magis intelligibile: nam maior passiua intelligibilitas rei fundatur in maiori eius immaterialitate, vt Philosophi docent communiter, & contingit sæpè, vt obiectum à potentia cognoscendum sit immaterialius illâ, & ex consequenti magis secundùm se intelligibile, vt patet de Angelo respectu nostri intellectus, vel alterius Angeli superioris illo, cuius tamen species est infusa inferiori: & proinde species nec potest dare intelligibilitatem obiecto, nec admittitur in cognitione in hunc finem: sed tantùm potest illam dare potentiæ, quæ est posterior, quatenus scilicet sese illi vniendo,
eam determinando, mouendo, eique cooperando facit, V.
vt obiectum quod reipsa non cognoscebatur à potentia, nunc cognoscatur de facto: sicque cùm in nostra hypothesi, quâ Deus suspenderet suum concursum, ne diuina essentia exerceret munus illud, quod nostræ species impressæ exercent, intellectus beati præcisè spectatus nondum haberet actualem cognitionem diuinæ essentiæ, rectè intelligimus tunc eiusmodi intellectum recipiendo prædictam speciem impressam, non ordinari ad aliquid, quod iam de facto habet, vt potest explicari exemplo cognitionis naturalis dum postulat speciem impressam in potentia.

ARTICVLVS VI.

Tertium fundamentum eiusdem sententiæ soluitur. VI.

TERTIVM & vltimum fundamentum est: quando aliqua cognitio postulat essentialiter esse immediatè & proximè ab obiecto, tunc nulla potest dari impressa species illius, cuius interuentu cognitio efficiatur: item quando aliquid ex sua ratione essentiali est, vt præstet tantùm operas vicarias obiecti absentis, distantis, improportionati, vel impotentis, tunc vbi illud est præsens, indistans, maximè proportionatum, & seipso solo potens, aliud non potest dari, quod exerceat prædictum munus vicarium: quia essentialis ratio propter quam constituatur, deest: atqui visio beatifica postulat essentialiter
esse immediatè, & proximè ab essentia diuina VII.
proprio suo obiecto: quia omnis cognitio postulat essentialiter fieri ab intellectu, & obiecto, vt suprà notauimus ex sancto Augustino, & tantùm postulat esse ab eius specie, quando obiectum est absens, vel improportionatum, vel impotens cuiusmodi non est diuina essentia respectu beatificæ visionis eliciendæ per intellectum corroboratum lumine gloriæ, vt patet ex dictis: item intrinseca ratio speciei impressæ est, esse formam vicariam obiecti per se impotentis agere, siue propter absentiam, siue propter improportionem, vt patet factâ inductione per omnes species impressas; & ex iis quæ Philosophi libris *de anima* tradunt de necessitate specierum impressarum: diuina verò essentia est maximè potens agere, est indistans ab intellectu beati, eique maximè proportionata
in ratione obiecti, vt patet ex dictis: ergo VIII.
in beatifica visione nulla species impressa diuinæ essentiæ potest dari.

Respondetur priorem partem maioris esse veram, quando cognitio essentialis postulat fieri à solo suo obiecto, cum formali exclusione cuiuscumque alterius supplentis locum eius, vel se habentis ad instar illius, & tunc minor negatur: cùm enim locus sancti Augustini relatus procedat de omni & qualibet cognitione, & iuxta illum cognitio non desinat fieri à potentia & obiecto, quando fit per speciem impressam eius, quia hæc est semen obiecti, cognitio intuitiua Dei, quæ fiet per speciem impressam diuinæ essentiæ, non minus dicetur fieri ab obiecto, quàm reliquæ nostræ cognitiones dum

I. fiunt per species impressas obiectorum.

Nec potest adferri ratio, quæ euincat visionem beatificam in intellectu creato essentialiter postulare esse tantùm ab ipso suo obiecto secundùm suam entitatem considerato: cùm hoc sit commune omnibus cognitionibus quòd possint fieri per species impressas tenentes locum obiectorum; & omnis specialis ratio quæ potest fingi, soluatur ex dictis.

Ad posteriorem partem maioris huius argumenti, & simul ad secundam partem minoris respondetur, aliquod agens posse duobus modis intelligi absens: primò quoad *entitatiuam suam præsentiam, & simul suum concursum:* secundò quoad *suum concursum duntaxat,* quatenus est quidem entitatiuè præsens; sed nihilominùs, vel per aliquam
II. improportionem, vel per impedimentum aliquod interiectum, non agit, vel licet sit proportionatum maximè idoneum agere, nec quicquam possit impedire illud, ne agat, si velit: attamen ex sola sua libertate non vult immediatè per seipsum agere; tunc enim in ratione agentis & respectu actionis sese habet tanquam absens, quia eodem sese modo habet in agendo, ac si verè & entitatiuè esset absens, iam propria & essentialis ratio speciei impressæ considerata præcisè & simpliciter est tantùm posse præstare vicarias operas biecti absentis, aliquo ex prædictis modis, non autem præstare operas obiecti tantùm determinatè absentis, quoad suam entitatem, vel simpliciter impotentis, vel simpliciter & absolutè improportionati, quia simplex ratio speciei
III. impressæ est, quòd sit qualitas efficiens loco obiecti quidquid obiectum potest, & debet præstare in cognitione efficienda: at aliqua species præsente etiam obiecto maximè intelligibili & proportionato, illo tamen nolente ex sua libertate per seipsum concurrere potest habere totum istud.

Nec obstat, quòd necessitas admittendi species impressas fundetur à Philosophis in absentia, improportione, vel impotentia obiecti ad agendum; nam in principiis actiuis alia est ratio *necessitatis*, alia ratio *virtutis & efficaciæ;* prior non est adæquata regula posterioris, ita vt vbi ratio necessitatis abest, ibi etiam virtus & efficacia non reperiatur in tali principio, vt patet inductione factâ per omnes potentias, habitus & virtutes: sed hæc posterior ratio la-
IV. tiùs patet priori, vt patet iisdem exemplis, & res habent ab illa, quòd in suo formali sint huius, vel istius conditionis, non autem à priori, quæ tantùm respicit causam finalem extrinsecam tali rei.

An autem sicut impressa species diuinæ essentiæ est possibilis pro intuitiua cognitione Dei, id est, pro ea cognitione, quâ diuina essentia, tanquam obiectum ita in se attingitur, vt etiam ipsa eius præsentia ex vi huius cognitionis cernatur in se: sic etiam possibilis sit species impressa, quæ repræsentet Deum distinctè, & sicuti est pro abstractiua cognitione Dei, seu per quam Deus cognoscatur in se ipso, & sicuti est, reali tamen eius præsentiâ non cognitâ; quemadmodum possumus cognoscere Petrum, verbi gratiâ, actu

A quidem existentem, à nobis tamen absentem, intelligetur ex dicendis infrà, circa istam difficultatem; vtrum essentia diuina possit videri absque attributis. V.

DISPVTATIO SEXTA.

De inæqualitate visionis beatificæ.

EXPLICATO adæquato principio ex parte intellectus requisito ad visionem beatificam: nunc de inæqualitate, distinctione & limitatione eiusmodi visionis, tanquam de
B conditionibus consequentibus istud principium, agendum est: consideratio enim aliarum eius perfectionum propriè spectat ad primam secundæ, vbi agitur de formali beatitudine. Primum autem ex sic explicandis est ipsa eius inæqualitas. VI.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnes beati æquè clarè videant Deum.

CERTVM est fide Catholicâ, aliquam dari inæqualitatem in visione beatificâ, & oppositum fuit hæresis Iouiniani condemnata in Concilio Mediolanensi per Syricium Papam apud sanctum Ambrosium libro pri-
C mo *epistolarum* epistolâ sextâ, cui sanctus Ambrosius, & alij plures Episcopi ibidem subscripsere epistolâ septimâ: fuit etiam nostra propositio definita in Concilio Florentino, *in decreto vnionis*, & in Tridentino, sessione 6. canone 32. quam sancti Patres docent, vt sanctus Hieronymus duobus libris *contra Iouinianum:* sanctus Augustinus libro *de hæresibus*, hæresi 82. & tractatu 67. *in sanctum Ioannem:* & alij plures ad auctoritates Scripturæ mox citandas. VII.

Probatur etiam expressis testimoniis sacræ Scripturæ, vt ex capite decimo quarto sancti Ioannis, vbi Christus Dominus loquens, non de Ecclesia militante, vt malè Iouinianus interpretabatur, sed de triumphante, vt patet ex eo quòd loquatur ibi de mansionibus, ad
D quas parandas vadit ad patrem, vt illis præparatis rursum veniat & sumat ad se discipulos, vt sint ibi; vbi est ille, sic ait, *in domo patris mei mansiones multæ sunt*, nimirum præparandæ propriis meritis vniuscuiusque; & quòd hæc multitudo mansionum accipienda sit hoc sensu, patet ex eo quòd loquatur de mansionibus, in quibus tam ipse, quàm alij Apostoli, & iusti morientes in gratia reciperentur, vt patet ex ipso textu: at certum est Apostolos, non fuisse æquales Christo Domino in gloria, sicut nec in gratia. VIII.

Probatur item ex illo Apostoli primæ *ad Corinthios* decimo quinto: *sicut stella distat à stella in claritate: ita erit & resurrectio mortuorum:* at vt Astronomi docent, & patet experientiâ, stellæ sunt inæquales quoad claritatem: item diuersitas gloriæ corporum in alte-

I. ra vita proueniet ex diuersitate gloriæ animæ, vt Theologi communiter docent agendo de dotibus corporum gloriosorum.

Tandem probatur etiam hâc ratione: quod datur ex iustitia distributiua, tanquam merces, & vt stipendium laborum, datur inæqualiter pro inæqualitate meritorum: at beatifica visio datur ex distributiua iustitia, tanquam merces bonorum operum, quæ omnes exercuerunt in hac vita, primæ *ad Timotheum* quarto, *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus*, &c. item merita hominum sunt inæqualia: nam passim in sacris Litteris virginitas præfertur matrimonio, & martyrium aliquibus aliis bonis operibus; & propterea Apostolus primæ *ad Corinthios* tertio, ait: *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm proprium laborem*, & secundæ *ad*
II. *Corinthios* nono, *qui parcè seminat; parcè & metet:* igitur visio beatifica, quæ est eiusmodi merces est inæqualis.

Neque fauet Iouiniano parabola de eodem denario diurno dato omnibus laborantibus in vinea, apud sanctum Matthæum capite vigesimo, per quem denarium ipsa *beatitudo* intelligitur eadem omnibus Christianis communicanda per Christum Dominum in altera vita: nec item fauet æqualis mensura mannæ distributi filiis Israël, nec comestio eiusdem agni Paschalis, nec eadem conseruatio vestium filiorum Israël in deserto, nec quòd vnus sit tantùm modus videndi Deum, scilicet *sicuti est*, cùm ille sit simplicissimus; & sanctus Ioannes primâ suâ canonicâ capite tertio, loquendo de omnibus futuris in bea-
III. titudine dicat, *videbimus eum sicuti est*.

Hæc, inquam, non fauent Iouiniano: primum quidem, quia denarius ille diurnus, non significat visionem beatificam, seu formalem beatitudinem; sed obiectiuam tantùm, id est, eandem planè diuinam essentiam esse videndam ab omnibus & singulis beatis, cum quo tamen stat, quòd vnus illam videat perfectiùs alio, sicut habuit in via maiorem charitatem, & maiora merita.

Nec facit contra hanc expositionem murmuratio illa operariorum, & responsio patrisfamilias, quæ videtur paulò durior: nam vt sanctus Chrysostomus rectè annotat in illum locum, in parabolis est tantùm habenda ratio scopi, quem illæ intendunt, nec est necesse expendere minutatim omnia & singula, quæ habentur in illis, eáque accommodare rei significatæ per illas; cùm plera-
IV. que ponantur tantùm ad seruandum decorum, quomodo paterfamilias hîc introducitur loqui ad denotandum inferiorem non debere petere à suo superiori rationem sui facti, nec superiorem teneri eam illi reddere; & sanctus Hieronymus suprà, & alij Patres ad illum locum Euangelij explicant communiter hanc parabolam de beatitudine tantùm obiectiua.

Reliquæ item figuræ superiùs commemo-
A ratæ non magis fauent Iouiniano: nam imprimis nullum potest argumentum validum desumi ex sensu figurali, vel parabolico; nisi ille sit explicatus à Christo Domino, vel ab Apostolis, vel ab vniuersali Ecclesia, cuiusmodi non sunt figuræ superiùs allatæ. Deinde figuræ istæ rectè possunt explicari, ita vt significent Deum in noua lege proposuisse omnibus eandem redemptionem, eadem sacramenta, eadem media ad assecutionem beatitudinis, & eundem agnum scilicet Christum Dominum, fuisse immolatum pro nobis omnibus, cum quibus tamen omnibus rectè stat inæqualitas beatificæ visionis in patria. V.

Non denique fauet Iouiniano modus ille *sicuti est*, quo Deus videtur, nec ipsa summa eius simplicitas: nam vt rectè sanctus Thomas animaduertit quæst. 12. artic. 6. quando
B Deus dicitur videri à beatis *sicuti est*, hæc particula, *sicuti est*, tenet se ex parte obiecti, quatenus determinat modum quo Deus ex parte sui videtur à beatis: eo nimirùm modo, quo ille est in seipso, non autem determinat modum, quo ipse intellectus creatus videbit illum, quasi cognitutus sit illum eo omni modo quo est cognoscibilis seu *totaliter & comprehensiuè*: & præterea Deus ita est ens aliquod simplicissimum, vt tamen sit virtute multiplex, quemadmodum suprà docuimus: at quod est eiusmodi potest non obstante suâ simplicitate penetrari perfectiùs ab vno, quàm ab alio ob virtualem illam multiplicitatem. VI.

Cæterùm hæc inæqualitas non est ita accipienda, quasi omnes & singuli beati ad se in-
C uicem comparati sint inæquales quoad beatificam visionem, vt Paludanus existimauit in quartum sententiarum distinctione quadragesimâ nonâ quæstione quartâ; nam cùm infantes dum baptisantur sint æqualiter dispositi ad gratiam, & sacramentum baptismi æqualem conferat gratiam subiectis æqualiter dispositis; omnes illi infantes, qui post susceptum baptisma decedunt, antequam possint aliquo modo peccare vel mereri, sunt æquales in visione beatifica, sicut & in habituali gratia, cui visio beatifica correspondet. Imò & inter quosdam adultos, quædam æqualitas visionis potest inueniri, sicut & meritorum, vel etiam cum nonnullis Angelis. Neque hoc repugnat testimoniis Scripturæ sacræ citatis pro nostra conclusione: hæc enim loquuntur tantùm in genere & indistinctè, scilicet præmia omnium iustorum non VII.
D esse æqualia, non tamen dicunt nullorum præmia esse inter se æqualia: ad veritatem prioris propositionis, sufficit quòd reperiatur disparitas beatitudinis inter quosdam: sic enim terminus, *non omnis*, non est idem ac *nullus*, quemadmodum Dialectici obseruant; sed idem est, ac *non quilibet*, ad cuius veritatem sufficit, quòd aliqui sint inæquales in ea, licet non omnes & singuli. VIII.

I.

ARTICVLVS II.

Vnde inæqualitas visionis beatificæ prouenit.

NOTANDVM est primò agi tantùm hoc loco de causa efficiente, tam morali, quàm physica inæqualitatis beatificæ visionis, non autem de formali vel materiali: nam harum consideratio magis spectat ad primam secundæ, quàm ad præsentem locum, in quo beatifica visio potissimùm consideratur penes principia sua physica.

Quod spectat ad causam moralem efficientem, omnes facilè conueniunt inæqualitatem meritorum gratiæ & charitatis in via, esse causam moralem radicalem illius inæqualitatis, quæ reperitur in visione beatifica, hoc enim
II. fides ipsa docet, quando tradit neminem esse consequuturum beatitudinem, vel saltem sine meritis Christi Domini applicatis per sacramenta, quomodo infantes baptisati morientes ante vsum rationis consequuntur illam; vel etiam insuper sine propriis suis meritis, quomodo adulti consequuntur illam ex citatis sacræ Scripturæ locis articulo præcedenti, quod etiam S. Thomas docuit 1. parte quæstione 12. articulo 6. quando dixit eum plus participaturum de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate, & Concilium Florentinum sessione vltimâ *in decreto vnionis:* & fauet ratio allata præcedenti articulo, quâ ostenditur præmium debere correspondere labori, & distributionem visionis beatificæ, quæ est præmium bonorum operum, fieri ex iustitia distributiua.

III. Difficultas solùm restat de causa efficiente physica. Qui putant intellectum se habere duntaxat passiuè in visione beatifica, eámque fieri à solo Deo, cuiusmodi sunt Nominales, facilè sese expediunt à præsenti difficultate; censent enim istam inæqualitatem prouenire ex sola voluntate Dei, quæ suppositâ lege de correspondentia præmij ad meritum, ita operatur iuxta mensuram meritorum, & vbi merita sunt inæqualia, ibi etiam causet visionem inæqualem.

Tota disputatio restat inter eos, qui tribuunt aliquam actiuitatem, tum lumini gloriæ, tum etiam intellectui in visione beata, nimirum an ista inæqualitas sit attribuenda soli lumini gloriæ, tanquam causæ physicæ; an verò etiam intellectui: ita vt, qui habet
IV. intellectum perfectiorem alio, cum quo tamen habet æquale lumen gloriæ, videat Deum perfectius.

Duæ sunt hac de re sententiæ, vna affirmans hanc inæqualitatem peti ab vtroque, & est Scoti in quartum sententiarum distinctione 50. quæstione sextâ. Maioris ibidem distinctione quadragesimâ nonâ quæstione decimâ, & aliquorum recentiorum ad sextum articulum quæstionis duodecimæ huius partis.

Opposita tamen sententia videtur esse melior, cum qua concludimus, *inæqualitatem beatificæ visionis in genere causæ efficientis physicæ totam prouenire ex inæqualitate solius luminis gloriæ, & ex consequenti maiorem, vel minorem perfectionem potentiæ intellectiuæ nihil conferre ad eliciendum visionem beatificam magis, vel minus perfectam.* Ita sanctus Thomas
A hîc quæstione duodecimâ articulo sexto in corpore, & responsione ad tertium, item libro tertio *contra Gentes* capite 59. ideóque V. quando idem sanctus Doctor tertiâ parte quæstione decimâ articulo quarto, in responsione ad secundum, ait gradus beatificæ visionis quoad suam perfectionem, magis attendi secundùm ordinem gratiæ, quàm secundùm ordinem naturæ, non sumit ibi hanc particulam *magis*, comparatiuè, quasi eius sensus sit iste, hanc inæqualitatem desumi ab vtroque, magis tamen à lumine gloriæ, sed sumit prædictam particulam *magis* aduersatiuè, vt Grammatici loquuntur, quatenus ita affirmat illam desumi ex inæqualitate luminis gloriæ, vt etiam neget illam aliquo modo desumi ex maiori vel minori perfectione intellectus, qua etiam in significatione prædicta particula *magis*
B sumitur ab Apostolo *ad Hebræos* capite 11. VI. dum loquitur de Moïse.

Propositio autem nostra probatur primùm à priori: quando totalis aliqua virtus actiua coalescit ex duabus partibus, si vna illarum sit æqualis in omnibus agentibus, altera autem inæqualis, tota inæqualitas actionis & effectus prouenit ex inæqualitate partis inæqualis, vbi & quando huiusmodi partes agunt necessariò, vt per se patet: at totalis virtus productiua beatificæ visionis ex parte intellectus creati coalescit ex ipsa actiua obedientiali potentia intellectus, & ex lumine gloriæ corroborante illum, quatenus duo agunt necessariò: nam visio beatifica non exercetur liberè à beatis: hæc autem actiua obedientialis potentia intellectus creati est æqualis in omni-
C bus beatis: lumen verò gloriæ inæquale, vt VII. supponitur: datur enim secundùm proportionem meritorum, quæ in adultis, vt plurimùm sunt inæqualia: ergo inæqualitas beatificæ visionis respectu intellectuum beatorum prouenit in genere causæ efficientis ex inæqualitate luminis gloriæ, quod est in beatis.

Maior per se patet: secunda item pars minoris patet ex dictis suprà.

Prima autē eius pars probatur: æqualitas actiuæ obedientialis potentiæ, quà obedientialis est, debet attēdi penes illos effectus supernaturales, ad quos producendos potest eleuari à Deo: nam quantitas eius debet inde sumi; vnde illa in ratione talis potentiæ accipit suam formalem specificationem: suprà autem obseruauimus actiuam potentiam obedientia-
D lem in ratione talis potentiæ specificari per re- VIII. spectum ad effectus supernaturales, ad quorum productionem potest eleuari à Deo, tanquam supremo domino rerum omnium: atqui omnes creati intellectus, imò & qui possunt creari, siue Angeli, siue humani, sunt tales ex vi suæ obedientialis actiuæ potentiæ, vt possint à Deo eleuari ad æqualem beatificam visionem, quæ est supernaturalis effectus, nec aliquis gradus beatificæ visionis communicabilis creato intellectui potest assignari, qui etiam non sit, si Deus velit, communicabilis cuiuis alteri creato intellectui; nam Deus maiorem de facto communicat visionem beatificam animæ Christi Domini, & beatissimæ virginis Deiparæ, quàm vni Angelorum cuiuscumque ordinis: nec tamen repugnat loquendo absolutè, Deum communicare tantam visionem beatificam puro intellectui creato, si-

I. ue Angelico, siue humano, quantam de facto communicat prædictis animabus Christi Domini, & matris eius, & quantam semper potest communicare vni, tantam absolutâ potentiâ potest alteri communicare, & proinde tantum etiam lumen gloriæ correspondens tantæ visioni: ergo actiua obedientialis potentia in ordine ad beatificam visionem est æqualis in omnibus beatis; & ex consequenti cùm solum lumen gloriæ sit in illis inæquale, inæqualitas visionis beatificæ debet refundi in inæqualitatem luminis gloriæ, quod est in beatis.

Dices, potentiam illam obedientialem, per quam intellectus beati agit, nihil esse aliud, quàm ipsammet intellectiuam potentiam naturalem & actiuitatem eius naturalem, vt ta-
II. men eleuatam & confortatam lumine gloriæ; quia sancti Patres loquendo de actibus fidei, spei, & charitatis, quorum eadem est ratio ac beatificæ visionis, passim dicunt illos exerceri à potentiis nostris naturalibus adiutis gratiâ Dei. Sic sanctus Augustinus libro *de prædestinatione Sanctorum* capite quinto, libro *de peccatorum meritis* capite quinto, libro *de spiritu & littera* capite 35. vbi significat actus istos supernaturales esse à potentia naturali, prout est naturalis, attamen adiutâ gratiâ Dei, dum ait, ***liberum arbitrium naturaliter tributum à creatore animæ esse mediam vim, quâ intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest:*** ac proinde cùm tantùm inclinet ***ad infidelitatem,*** vt est vis & potentia quædam naturalis: sic etiam vt potentia naturalis adiuta tamen gratiâ Dei, potest inclinari ***ad fidem,*** & ex conse-
III. quenti sicut in via actus illi supernaturales exercentur à nostris potentiis, vt naturalibus, adiutis tamen gratiâ Dei, sic etiam & visio beatifica exercetur ab intellectu beati, vt est potentia naturalis, adiuta tamen lumine gloriæ, & sic vbi naturalis potentia vnius beati erit perfectior potentiâ naturali alterius beati, lumen tamen gloriæ æquale, visio beatifica semper erit perfectior.

Respondetur ex dictis suprà, potentiam obedientialem intellectus, & naturalem eius potentiam intelligendi esse idem ***realiter & materialiter***, non tamen ***formaliter***, vt ibi explicatum est: vnde cùm à sensu materiali ad sensum formalem consequentia non valeat secundùm omnes Dialecticos, non benè infertur intellectum beati videre Deum per naturalem suam potentiam: imò si nomen ***actiuitatis*** sumatur non pro radicali & remota,
IV. sed tantùm pro efficacia, & quantitate virtutis eius; intellectus beati non potest dici videre Deum per naturalem suam actiuitatem; nec item potentiæ nostræ elicere actus supernaturales fidei, spei, & charitatis per naturalem suam actiuitatem, ob rationem ibi allatam.

Nec relata auctoritas sancti Augustini facit in contrarium; dum enim ait actus supernaturales exerceri à potentiis naturalibus, vt adiutis gratiâ, idem significat ac prout induunt rationem obedientialis potentiæ, iuxta expositionem superiùs traditam; & quando dicit liberum arbitrium esse ***mediam vim, quâ voluntas potest, vel intendi ad fidem, vel ad infidelitatem inclinari***, vult tantùm voluntatem creatam, prout præscindit ab efficacia,

A & quantitate suæ virtutis, habere radicalem seu remotam, & incompletam potentiam ad V.
istos actus, vt contentos intra latitudinem adæquati sui obiecti specificatiui: ita tamen vt per efficaciam seu quantitatem virtutis correspondentem ei proprio modo essendi, quem habet in corpore, possit exercere actus infidelitatis, & per quantitatem virtutis correspondentem statui gratiæ, possit exercere actus supernaturales: vnde cùm quoad hoc par sit conditio intellectus beati ad eliciendam visionem beatificam, ille semper videt Deum per obedientialem potentiam, & actiuitatem correspondentem tali statui.

Nec item obstat, quòd lumen gloriæ non sit tota virtus actiua exercens visionem beatificam, quia ex dictis suprà vitalis virtus acti-
B ua intellectus etiam concurrit cum illo. Hoc,
inquam, non obstat, licet enim lumen gloriæ VI.
non sit tota ratio, per quam agit; est tamen tota ratio, propter quam intellectus immediatè agit: cùm ille non agat, nisi vt eleuatus à lumine gloriæ, etiam per suam obedientialem potentiam: quare vbi lumen erit inæquale & intellectus æqualis semper visio beatifica erit inæqualis.

ARTICVLVS III.

Eadem veritas probatur alterâ ratione.

SECVNDÒ nostra propositio probatur hâc ratione: si aduersariorũ opinio esset vera, posset fieri, vt beatitudo inæqualis seu visio beatifica cõferretur duobus æqualibus in me-
C rito, quia vnus ex illis duobus, habet ex hy- VII.
pothesi intellectum naturaliter perfectiorem alio sibi tamen æquali in meritis: & hoc non tantùm posset contingere inter adultos, qui propria quædam habent merita, sed etiam inter infantes, qui habent solum meritũ Christi Domini sibi applicatum: nam inter illos aliquis etiam potest dari, qui habeat intellectum perfectiorem intellectu alterius etiam beati: at hoc est absurdum; tunc enim contra doctrinam Concilij Florentini ***in decreto vnionis***, visio beatifica non daretur iuxta proportionem meritorum; nec similiter (contra doctrinam Concilij Tridentini sessione sextâ) gratia sanctificans daretur iuxta dispositiones suscipientium sacramenta: ergo ad vitandum hæc incommoda dicendum est perfectiorem intellectum cum æquali lumine gloriæ non videre Deum modo perfectio-
D ri, vel ampliori, quàm alius intellectus mi- VIII.
nus tamen perfectus, quoad dona naturalia cum æquali lumine gloriæ.

Neque potest huic argumento satisfieri, si quis dicat in tali casu lumen gloriæ non dari æquale vtrisque, quia hoc non confertur iuxta proportionem meritorum, sed iuxta proportionem indigentiæ intellectus ad eliciendum visionem, quam est habiturus; ita vt vnicuique beato detur tantum luminis, quantum sufficit ei ad hoc, vt cum sua naturali facultate eliciat visionem correspondentem suis meritis; quia visio beatifica & non ipsum lumen gloriæ est præmium meritorum. Hoc, inquam, non satisfaciet: nam primò ex sancto Thoma suprà lumen gloriæ datur secundùm proportionem charitatis: at cha-

I. A ritas, seu gratia iustificans datur viatoribus, non iuxta indigentiam subiecti, sed secundùm proportionem meritorum, & iuxta supernaturalem dispositionem subiecti ex citato Tridentino.

Nec obstat, quòd visio beatifica sit præmium meritorum, non autem ipsum lumen gloriæ: id enim ita verum est, vt tamen lumen gloriæ, & eius quantitas sint medium proximum commensuratiuum præmij meritorum obtinendi vsque ad talem & talem gradum.

Deinde, si in tali casu minus lumen gloriæ conferatur, & hæc inæqualitas compensetur ex ista superioritate vnius intellectus supra alium, quoad perfectionem naturalem; tunc aliquid detrahitur meritis eius, & quædam iniuria fit dilectioni, quam habuit in B
II. via, quatenus primò non confertur ei quantum dilexit, contra regulam Christi Domini apud sanctum Lucam capite septimo.

Deinde, quia cùm lumen gloriæ etiam cadat sub meritum quoad suos gradus iuxta proportionem actus meritorij, qui habet perfectiorem intellectum, non accipit illud in tanto gradu, in quantq promeruit illud, quod tamen est contra fidelitatem, & iustitiam distributiuam Dei.

Neque huic eidem argumento satisfacit, quod alij respondent, scilicet Deum tunc daturum vtrisque lumen gloriæ, illos tamen inde non futuros æqualiter beatos, quia cùm lumen gloriæ non concurrat ad beatificam visionem sine concursu Dei, tunc Deus attemperabit suum concursum propor-
III. tioni meritorum vtriusque beati, ita vt cum C perfectiore intellectu habente lumen æquale concurrat minori cum auxilio, vel econtrà maiori concursu cum intellectu minus perfecto, vt sic suppleat eius defectum. Hæc, inquam, responsio non satisfacit, quia concursus Dei debet proportionari actiuitati luminis gloriæ, aliàs cùm istud detur ad necessariò operandum in tali gradu, frustrà daretur in tanto gradu, & quoddam veluti violentum pateretur, cùm eius naturalis actiuitas impediretur agere.

Refellitur etiam quoad posteriorem modum, quia maior concursus Dei cum intellectu creato ad eliciendum beatificam visionem, fundatur in maiori merito talis intellectus, sicut & maior visio beatifica: hæc enim omnia sunt in præmium & mercedem meri-
IV. torum: at in præsenti casu intellectus minus D perfectus, non habet maius meritum: deinde cùm lumen gloriæ sit ad corroborandum intellectum pro elicienda visione correspondente suis meritis, & tam intellectus, quàm lumen gloriæ agant necessariò, frustrà requiritur maior ille concursus Dei pro adiuuando intellectu vnius supra alium; sed generalis concursus Dei eiusdem ordinis sufficit ei.

Alij denique respondent ad hoc argumentum, quod etiam si stante lege Dei de danda visione beatifica puris hominibus & Angelis sit de ratione illius, vt non detur adultis sine propriis meritis, & infantibus sine meritis Christi Domini illis applicatis per sacramentum, non esse tamen de ratione illius, quòd detur tota & totaliter vel ex solis propriis meritis, vel ex prædictis Christi Domini meritis: sed ita de facto dari ob prædicta merita, vt tamen aliquid eius detur etiam ob perfectionem naturæ, non simpliciter consideratæ, sed vt eleuatæ per gratiam. Quæ solutio vt intelligatur, V.

Notant duplicem posse distingui gratiam quoad præsens negotium; vnam, quæ sit *gratum faciens*, qualis est illa, quæ datur vel ex meritis solùm Christi Domini per sacramenta applicatis, vel ex propriis etiam meritis: aliam esse, quæ ideò tantùm *sit gratia*, quia est donum aliquod non debitum naturaliter; sed supernaturaliter concessum hominibus vel Angelis, quodcumque illud sit, quomodo præstantia, subtilitas ingenij, & alia id genus dona naturalia, prout dantur ex speciali ordinatione Dei, vt deseruiãt comparandæ vitæ æternæ, appellantur quædam *gratiæ*; docent itaque excessum visionis, qui est VI. in beato habente perfectiorem intellectum, ita tribui naturæ eleuatæ per gratiam, vt tamen non sit tribuendus gratiæ gratum facienti, quæ sola correspondet meritis gratiæ sumptæ posteriori modo; sicque cùm hæc gratia detur ex meritis Christi Domini (est enim effectus aliquis prædestinationis, cuius causa est Christus Dominus) semper totam visionem beatificam, quæ est in puris creaturis correspondere aliquibus meritis, saltem Christi Domini, & propterea non posse inferri iuxta priorem opinionem, aliquid visionis beatificæ referendum esse in solam naturam consideratam cum nudis suis viribus, quo modo redoleret Pelagianismum.

Hæc tamen solutio refellitur: primò enim sacræ Scripturæ ita simpliciter & absolutè VII. loquuntur de visione beatifica concedenda puris hominibus, vt quando est sermo de adultis illam totam tribuant eorum meritis fundatis in Christo Domino, sicut pœnam damnatorum solis eorum demeritis: nullâ factâ distinctione visionis beatificæ quoad se totam, aut quoad aliquas tantùm eius partes, *quæ seminauerit homo & metet*, inquit sanctus Paulus *ad Galatas* sexto: item secundæ *ad Timotheum* secundo, *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, ita vt referat vnusquisque propria, prout gessit, siue bonum, siue malum*, quæ loquendi formulæ quoad vim significandi important vitam esse concedendam iis tantùm adultis, qui de facto certauerunt & pro conditione certaminis: hinc apud sanctum Matthæum vigesimo quinto, ratio propter quam visio beatifica tribuitur iustis est, quòd VIII. exercuerint bona opera: item primæ *Corinthiorum* secundo.

Deinde, Deus eodem modo se habet ad distributionem visionis beatificæ erga beatos, quo se habet in distributione pœnę erga damnatos: at ex damnatis qui habet optimum intellectum valde perfectum quoad naturalia, quo tamen pro sua subtilitate & perfectione, non est malè vsus, ac alius, qui habet illum magis obtusum & veluti stupidum, non tam seuerè punitur, quàm hic posterior: totáque eius pœna correspondet tantùm malo, quod fecit, non autem isti perfectioni naturali, quâ potuit peius agere: ergo pari iure Deus dum distribuit visionem beatificam, non assignat beatis aliquid eius, quod respondeat naturali perfectioni intellectus.

I. Tandem, si ad proportionem naturalis perfectionis intellectus consideratæ hoc modo, visio beatifica daretur, iam hæc daretur aliquo modo iuxta proportionem naturalium: & sic in sententia eorum, qui volunt humanum intellectum distingui specie ab Angelico, & esse inferiorem hac ex parte, deberet habere Angelus infimus aliquem excessum visionis beatificę supra visionem beatificam animæ Christi Domini, & Virginis beatissimæ: cùm perfectiones intellectus Angelici possint dici datæ illi, vt inseruiant comparandæ vitæ æternæ, nullúmque indiuiduum inferioris speciei, possit ascendere ad perfectionem specificam alicuius indiuidui speciei superioris: at istud asserere est absurdum.

Neque distinctio illa intellectus, quatenus
II. naturalis est, & quatenus est ordinatus diuinitus ad inseruiendum comparandæ vitæ æternæ, quidquam facit ad rem præsentem; hæc enim duo distinguuntur, esse datum ad inseruiendum comparandæ vitæ æternæ ad hunc, & illum vsque gradum, modò recipiens velit cooperari, & istud inseruire de facto comparandæ vitæ æternæ: visio beatifica, vel eius quantitas non datur iuxta primum, sed solummodò iuxta secundum: sunt enim plerique, qui operantur ex donis sibi à Deo concessis negligentiùs vel remissiùs, quàm perfectio eiusmodi donorum ferat: alij verò econtrà operantur longè perfectiùs ex dono habituali minus quidem perfecto, sed ex maiori auxilio gratiæ præuenientis & adiuuantis: ideóque cùm vnusquisque referat prout gessit in corpore, iuxta Apostolum superiùs rela-
III. tum, aliquid beatificæ visionis non debet correspondere perfectioni isti naturali intellectus creati, etiam consideratæ quatenus datur à Deo ad inseruiendum vitæ æternæ comparandæ.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est: quantitas actionis & effectus attenditur penes quantitatem causæ totalis, & integræ; sed causa totalis, & integra beatificæ visionis ex parte potentiæ est aggregatum ex intellectu & lumine gloriæ simul sumptis, vt suprà docuimus: ergo quantitas beatificæ visionis, & ex consequenti eius æqualitas & inæqualitas, quæ sunt proprietates talis quantitatis desumuntur ab hoc aggrega-
IV. to: ergo si hoc aggregatum sit ex aliqua sui parte minus perfectum in vno, magis in alio, tunc totus effectus qui est ipsa visio beatifica erit perfectior in vno quàm in alio, & ex consequenti si intellectus detur alio perfectior, cum æquali tamen lumine, videbit clariùs essentiam diuinam, quàm alius. Maior patet inductione factâ per omnes causas.

Respondetur maiorem tunc tantùm esse veram, quando vtraque pars causæ totalis est inæqualis in vtroque agente: nam si vna illius pars sit æqualis in vtroque & altera inæqualis, tunc tota inæqualitas refundetur in illam partem, quæ est inæqualis, vt patet ex

A prima nostra ratione. Ad id verò quod dicitur in minori, scilicet intellectum vnius beati esse perfectiorem intellectu alterius, patet etiam solutio ex prima nostra ratione, nimirum non esse perfectiorem iuxta potentiam, & actiuitatem obedientialem, per quam duntaxat intellectus beati elicit visionem beatificam. V.

Secundum fundamentum est: eadem est ratio intellectus beati informati lumine gloriæ in efficienda visione beatifica, quæ est intellectus & voluntatis viatoris informati habitibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis, in producendis actibus supernaturalibus, vt suprà obseruauimus: at æqualitas & inæqualitas actuum supernaturalium fidei, spei, & charitatis, ita est à prædictis istis potentiis
B & prædictis habitibus simul, vt tamen qui habet perfectiorem intellectum cum eodem lumine fidei, quod est in intellectu minus perfecto, exerceat actus perfectiores eiusmodi virtutum, quàm qui habet lumen fidei in eodem gradu, cum intellectu minus perfecto, quemadmodum videre est in intellectu alicuius doctoris, minus tamen perfecto quoad naturalia, quàm est intellectus alicuius rustici, habentis tamen eundem gradum fidei: ergo pari modo æqualitas & inæqualitas beatificæ visionis ita erit ab intellectu & lumine gloriæ, vt qui habet intellectum perfectiorem, lumen tamen æquale, videat Deum modo perfectiori, quàm alius qui habet æquale lumen cum intellectu minus perfecto. VI.

Respondetur, in actibus supernaturalibus fidei, duo posse distingui. Primum est appre-
C hensio terminorum, quibus fit explicatio mysteriorum fidei: alterum est formalis ipse assensus propositionis. Primum est aliquid naturale, fit enim per species acquisitas, & multùm iuuatur scientiâ & exercitatione; ideóque qui habet intellectum perfectiorem, vel à natura, vel ab arte, quia perfectiori modo vtitur speciebus acquisitis, etiam perfectiùs apprehendit, proponit & defendit res fidei, quàm alius, qui habet intellectum minus perfectum: secundum, id est assensus, est ab habitu fidei & ab intellectu agente secundùm suam potentiam obedientialem, & adiuto auxilio Dei; ideóque vbi habitus fidei est æqualis, licet intellectus sit minus perfectus quoad perfectiones ordinis naturalis, actus fidei supernaturalis poterit etiam esse æqualis: imò quia inter nostras potentias, vt instructas habitibus supernaturalibus fidei, spei, VII.
D & charitatis in via, & intellectum beati, vt informatum lumine glorię, istud est discriminis, quòd hic ex necessitate concurrat cum lumine gloriæ, quatenus lumen gloriæ impellit necessariò intellectum ad Deum videndum de facto sicuti est: ille verò constitutus in via minimè, sed pro libertate voluntatis, cui supernaturales prædicti habitus subsunt quoad exercitium; fieri potest & sæpè contingit, vt qui sunt ingenij tardioris eliciant intensiores actus fidei, spei, & charitatis, quàm qui sunt doctiores: vnde illud sancti cuiusdam Patris: *indocti rapiunt cælos & nos vbi?* VIII.

I.

ARTICVLVS V.

Vtrum omnes visiones sint eiusdem speciei in omnibus beatis.

PRIMA sententia est Maioris in 4. sententiarum distinctione 49. quæstione 11. quam nonnulli recentiorum sequuntur, nempe omnes beatificas visiones hominum esse de facto eiusdem speciei, & tantùm distingui intra eandem speciem secundùm magis & minus, quia omnes humani intellectus sunt eiusdem infimæ speciei: at visiones beatificas Angelorum distingui specie à beatificis visionibus hominum.

Melior tamen est communis aliorum opinio, cum qua concludimus, *omnes beatificas vi-*
II. *siones, tum Angelorum, tum hominum eiusdem esse omninò speciei infimæ:* ita Durandus in 3. sentent. distinct. 14. quæst. 1. & in 4. sentent. distinct. 49. quæst. 6. Marsilius in 3. sentent. quæstione 20. articulo 2. & omnes ferè sancti Thomæ interpretes ad sextum articulum quæstionis 12. huius partis.

Probatur primùm à priori: vbi eadem est specie identitas potentiæ elicitiuæ actuum vitalium; item vbi est eadem specie identitas, obiecti formalis; item vbi est idem specie medium eleuans seu confortans potentiam, & vbi est eadem specie efficacia virtutis; item vbi est simul specifica identitas modi, quo obiectum attingitur: ibi etiam est identitas specifica actuum vitalium: at inter principium elicitiuum beatificæ visionis Angelorum, & principium elicitiuum beatificæ visio-
III. nis hominum, est identitas specifica, quia illud est intellectiua potentia non quomodocumque considerata, sed tantùm vt induit rationem obedientialis potentiæ ex dictis suprà, quæ vt sic formaliter & præcisè est eadem specie in omnibus creatis intellectibus, vt probatum est articulis præcedentibus: prætereà est idem specie lumen in beatis hominibus & Angelis, eodémque modo agunt intellectus & lumen in vtrisque: & eadem est essentia diuina clarè visa formale obiectum, modus item, quo attingitur, idem, nimirum vt est in seipsa & absque aliquo medio cognito: ergo visiones beatificæ hominum sunt eiusdem planè speciei cum visionibus beatorum Angelorum.

Deinde probatur à posteriori, sumpto ar-
IV. gumento ab absurdis, quæ sequuntur ex contraria sententia contra doctrinam Scripturæ & Patrum, vt quando docent animam Christi Domini esse in cælesti gloria superiorem omnibus aliis creaturis *ad Ephesios* primo capite: deinde quando docent beatissimam virginem Deiparam videre clariùs diuinam essentiam, quàm vllus beatus Angelus, sic canendo *illam esse exaltatam super choros Angelorum,* id est, ad habendum eos gradus gratiæ meritorum & præmiorum, quibus Angeli nunc fruuntur: quæ omnia essent falsa, si sententia illa prior esset vera, vt facilè probat argumentum insinuatum suprà, fundatum in illa propositione, quando duo ita specie distinguuntur, vt vna illorum species sit inferior, altera superior, tunc quantumcumque indiuiduum inferioris speciei crescat

A secundùm intensionem, nunquam perueniet ad essentialem perfectionem indiuidui superioris speciei: sic enim non ampliùs distingueretur ab illo specie, sed essent vnius & eiusdem speciei contra hypothesim. V.

Maior suprà respondet ad hoc argumentum, visiones beatificas animæ Christi Domini, beatissimæ virginis Deiparæ, & Angelorum posse duobus modis comparari inter se; primò quoad perfectionem essentialem & entitatiuam; deinde quoad valorem præmij, & ad satiandum appetitum: iuxta priorem comparationem admittit beatificam visionem intellectus hominis, non posse ita excrescere, vt pertingat ad perfectionem essentialem beatificæ visionis Angelicæ: at concedit posteriori modo posse non tantùm illam adæquare, sed etiam superare: sicque animam Christi Domini, beatissimæ virginis
B Deiparæ, & nonnullorum hominum esse beatiores sanctis Angelis: nam fieri potest, vt valor rei alicuius sit maior propter aliqua ei superaddita, quàm sit prout duntaxat sumitur secundùm suam entitatem & speciem: verbi gratiâ, aurum consideratum secundùm suam entitatem & speciem, præstat argento: at magna copia argenti quoad valorem & pretium præstat aliquâ parte auri: sic etiam licet beatifica visio alicuius Angeli considerata entitatiuè sit melior, & perfectior visione beatificâ animæ Christi Domini, vel alterius hominis: attamen beatifica visio animæ Christi Domini quoad valorem præmij, & in ordine ad satiandum appetitum est longè maior & perfectior quâuis visione beatificâ cuiuscumque alterius creati in- VII.
C tellectus.

Verùm hæc solutio refellitur: primò quia non ideò aliquis in patria est beatior altero, quòd appetitus eius magis satietur beatificâ suâ visione, quàm appetitus beati inferioris secundùm visionem; quilibet enim beatus manet omnimodè satiatus visione suâ quantumcunque minimâ: nam Psalmo sexagesimo tertio, purè & simpliciter dicitur, *satiabor cùm apparuerit gloria tua,* non autem dicitur, *cùm gloria tua apparuerit tanta, vel tanta:* similiter Christus Dominus apud sanctum Matthæum capite quinto, ait de omnibus beatis: *quoniam ipsi saturabuntur:* & si aliquis appetitus restaret explendus in beato etiam minimo, aliquid restaret ei desiderandum: sicque stante tali desiderio non esset
D quietus, nec proinde beatus, vt sanctus Thomas rectè infert primâ secundæ quæstione tertiâ articulo octauo, quod est contradictorium, cùm beata visio, tam sanctissimæ virginis Deiparæ, & plurium hominum, quàm Christi Domini sit perfectior beatâ visione Angelorum, non dicitur propriè eo sensu esse maior, quòd magis satiet appetitum illorum: ergo cùm hæc responsio non distinguat in visione beatifica, nisi rationem entitatis, & rationem valoris, quoad satietatem appetitus, oportet istas visiones ita esse eiusdem speciei secundùm entitatem cum visionibus Angelorum, vt tantùm has excedant secundùm intensionem actus, & secundùm extensionem ad plura obiecta secundaria.

Deinde exemplum desumptum ab auro &

I. argento non est ad rem: nam maior & minor valor illorum in ordine ad vsus humanos, & ciuiles contractus est omninò extrinsecus illis, consideratis secundum suam naturam; pendet enim ab æstimatione, & impositione hominum, vt per se constat; valor autem & efficacia beatissimæ visionis in ordine ad satiandum appetitum cuiuscumque voluntatis, tam est ei intrinsecus, quàm sit illi intrinsecum esse humanum bonum, & vltimum finem: eo enim ipso, quòd intellectus beati proponit per suam visionem voluntati Deum, vt est summè bonus in se, in quo omnes thesauri omnium perfectionum reperiuntur, & ad cuius comparationem cætera nihil sunt, voluntas eius non potest illum non amplecti, & ex consequenti non satiari perfectè: nam licet po-
II. tentia eius obedientialis spectata secundùm se sit capax maioris delectationis & fruitionis, quàm reipsa & de facto potiatur, sicut & eius intellectus intensiori beatificâ visione: non propterea tamen dicitur habere maiorem appetitum ad illam, nec proinde magis satiari, quia quæ dicunt tantùm ordinem ad potentiam obedientialem, quatenus est obedientialis propriè non fundant aliquem appetitum etiam consentaneum rectæ rationi, nec contristant, vel inquietant eum, qui caret illis, vt experientia docet: ergo nec possunt facere, vt vnus loquendo propriè dicatur magis satiari, quàm alius.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

III. PRIMVM est: actus potentiarum vitalium specie distinctarum sunt etiam distinctæ speciei: at intellectus Angelici distinguuntur specie ab intellectibus hominum: ergo & visiones beatificæ.

Respondetur, omissâ physicâ disputatione, vtrum intellectus Angelici distinguantur specie ab intellectibus hominũ, adęquatum principium proximum beatificæ visionis, quod est actiua obedientialis potentia intellectus, & lumẽ gloriæ, simul esse eiusdem infimæ speciei in Angelis & hominibus, vt suprà docuimus: ideóque cùm actus vitales vt specificantur per ordinem ad suas potentias, debeât specificari ab illis, vt formaliter & proximè consideratis, non autem vt materialiter, & remotè tantùm sumptis, vt patet factâ inductione per omnes potentias sensitiuas, quæ sunt eiusdem speciei
IV. in homine & bruto, quia scilicet sunt ab illis, vt sunt animalia seu per facultatem deriuatam ex gradu animalis, fit, vt visio beatifica Angelorum semper sit eiusdẽ speciei cum beata visione hominum, quia fit ab illis per naturam intelligentem, vt obedientialem potentiam, quæ est in vtrisque eadem specie: hinc loquendo in rigore physico beatifica visio S. Michaëlis non est Angelica, licet sit Angeli, nec beatifica visio S. Petri est humana, licet sit hominis, quia nimirum visiones istæ non procedunt ab illis, vt sunt Angelus & homo, nec per vim illorum naturalem correspondentem proprio gradui eorum essentiali & specifico, sed duntaxat per obedientialem intellectualem potentiam, quæ abstrahit ab illis consideratis secundùm suas differentias specificas,

A sed sunt tantùm visiones Angeli & hominis *specificatiuè*, non tamen *reduplicatiuè*, vt Dialectici loquuntur. V.

Secundum est: actus intellectiui variant suam speciem pro intelligibilitate secundùm speciem diuersam, quâ tendunt in obiectum, vt patet in cognitione demonstratiuâ & probabili: atqui obiectum aliquod cognoscitur ab Angelis sub alia intelligibilitate quàm à beatis hominibus: igitur, &c.

Respondetur, patere ex dictis duas istas visiones tendere in Deum sub eadem intelligibilitate, nimirum prout est cognoscibilis in seipso nullo intermedio alio obiecto: nec exemplum ibi allatum valet; nam medium demonstratiuum, & topicum in cognitione sunt motiua formaliter & specie distincta: at nullum
B potest assignari motiuum beatificæ visionis in Angelis, quod non sit idem specie in beatifica visione hominum; quod enim aliqui dicunt essentiam diuinam repræsentari sub inæquali repræsentatione *imitabilitatis* beatis inæqualibus, nullam potest inducere specificam distinctionem: cùm hæc ratio *imitabilitatis* non se teneat ex parte obiecti motiui, à quo actus cognoscitiui suam accipiunt specificationem: sed diuersa hæc imitabilitas tenet se ex parte formalis illius rationis obiecti, quam Philosophi ad distinctionem motiui vocant formalem *rationem quæ*, qua de re diximus primâ quæstione huius partis. VI.

Tertium est: vbi obiecta sunt specie diuersa, etiam & eorum intelligibilitas specie diuersa, ibi intellectio est etiam specie diuersa; sed diuina essentia est obiectum beatificæ vi-
C sionis, item & aliquæ creaturæ, vt patebit infrà: diuina verò essentia & creaturæ sic cognitæ à beatis distinguuntur plusquam specie, similiter & intelligibilitas essentiæ diuinæ ab intelligibilitate creaturarum in visione beatifica; nam diuina essentia videtur immediatè in se ipsa, creaturæ in essentia diuina tanquam in obiecto intermedio: ergo istæ visiones beatificæ distinguuntur plusquam specie. VII.

Hæc ratio confirmatur: adoratio quâ adoramus Deum propter se, & in ipso est distinctæ speciei ab ea adoratione quâ adoramus Sanctos propter sanctitatem illis communicatam à Deo, ex S. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 3. & 3. parte quæst. 25. ergo cùm visio quâ diuina essentia videtur immediatè in se ipsa, & visio quâ creaturæ videntur à beatis in diuina essentia comparatæ ad inuicem habeant se
D eodem modo, erunt etiam distinctæ speciei. VIII.

Respondetur, omnem actum cognitionis, quatenus etiam specificatur ab obiecto, specificari à primario obiecto, maximè vbi illud est ratio cognoscendi secundarium, vno & eodem actu: quemadmodum patet in eo actu, quo essentia & eius proprietas simul cognoscuntur: quare cùm Deus, vt existens in seipso sit ratio sub quâ essentia diuina videatur à beato, & sub hac ista ratione (secundùm quam habet connexionem cum creaturis in ea repræsentatis) sit eidem beato intellectui ratio cognoscendi creaturas, fit, vt semper actus iste visionis beatificæ sit eiusdem speciei cum illo actu, quo Deus tantùm videretur in seipso, nullis etiam visis creaturis.

I. Ad confirmationem petitam ab adoratione respõdetur, Sanctos duobus modis posse adorari: primò propter increatam excellentiam Dei, tanquam obiectum motiuum adorationis: quomodo humanitas Christi Domini adoratur propter subsistentiam Verbi diuini: secundò propter creatam excellentiam, quam habent sibi à Deo communicatam, vt beatissima virgo Deipara, & alij Sancti: prior adoratio est planè eiusdem speciei cum adoratione *latriæ*, habet enim idem motiuum, vt sanctus Thomas docet tertiâ parte quæstione 25. articulo primo: posterior, quia fit ex motiuo formaliter distincto à motiuo præcedentis est distinctæ speciei & à distincta virtute: prior à virtute *religionis*: posterior à speciali virtute, quam Theologi vocant *duliam*, vt sanctus Thomas docet ex professo secundâ secundæ
II. quæstione 103. articulo tertio: at actus, quo creaturæ cognoscuntur à beatis in essentia diuina clarè visa, & quo ipsamet essentia diuina cognoscitur, vt est in se, fit ex vno & eodem motiuo, nimirum diuinæ essentiæ, vt existentis in seipsa, & propterea actus eiusmodi, quo sola essentia diuina cognosceretur sine creaturis, non distingueretur specie ab eo actu, quo creaturæ videntur in Verbo cum diuina essentia; sicque non est par ratio vtriusque adorationis, ac prædictæ vtriusque visionis beatificæ.

Vltimum fundamentum repetunt ex communi Theologorum loquendi formula, qui agendo de inæqualitate beatorum, dicunt vnum esse essentialiter alio beatiorem: at hic loquendi modus denotat specificam in beatitudine distinctionem: igitur non omnes vi-
III. siones beatificæ sunt eiusdem speciei.

Respondetur, Theologos hoc tantùm sensu dicere vnum in patria esse altero beatiorem essentialiter, quòd visio beatifica, quæ est formalis, & essentialis beatitudo, sit maior in vno, quàm in alio, non autem, quòd vna sit distinctæ speciei ab altera.

Ex dictis intelligitur primò, non posse fieri etiam de absoluta potentia Dei, vt beatificæ visiones sint distinctæ speciei in intellectibus creatis, cùm obiectum eius non possit esse aliud, quàm diuina essentia, vt est in seipsa, & possit tantùm vt sic cognosci per intellectum creatum, prout ille habet rationem potentiæ obedientialis, quæ omnia sunt immutabilia quoad speciem: essentia quidem vt habet rationem obiecti intuitiuè cogniti, vt per se
IV. constat; potentia autem obedientialis, cùm implicet dari intellectum creatum, qui minorem, vel maiorem habeat subiectionem ad Deum in ordine ad eliciendum actum cognitionis beatificæ circa essentiam Dei clarè visam, quàm alius.

Secundò intelligitur, visionem beatificam *permanentem* (qualis nunc est de facto in beatis) & visionem *transeuntem*, qualem fuisse in Moïse & sancto Paulo aliqui volunt, non esse distinctas specie, cùm habeant easdem omninò causas intrinsecas: sicque ad propriam eius rationem, quatenus est intuitiua visio talis obiecti sic cogniti, est merè per accidens, quòd interrumpatur, vel desinat esse: quemadmodum si anima rationalis alicuius nostrûm per absolutam potentiam Dei annihilaretur, non propterea desineret esse eius-
A dem speciei cum aliis animabus, quæ durant V.
in æternum: an autem inæqualitas visionis oriatur etiam ex parte obiecti cogniti, intelligetur ex dicendis de obiecto visionis beatificæ.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De visione comprehensiua essentiæ diuinæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit comprehensio.

NOTANDVM est, hanc vo-
B cem, *comprehensio*, translatam VI.
esse à rebus corporeis ad res spiritales, vt etiam S. Thomas notat hâc parte articulo 7. quæstione 12. vbi duplicem distinguit comprehensionem, prout verbum hoc *comprehendere* dictum de rebus corporeis significat duo: primum est *capere* seu *apprehendere*, quomodo translatum ad res spiritales, idem est, ac mente tenere siue intelligere, vt apud sanctum Paulum primæ *ad Corinthios* nono, & *ad Ephesios* tertio, *vt possitis comprehendere*: secundum est, vt comprehendere in rebus corporeis idem est, *ac continere intra se totam quantitatem rei alicuius*, vt quando totus globus ita continetur in manu, vt nihil istius globi sit extra manum: sic etiam verbum istud translatum ad res spiritales significat
C rem cognitam ita esse in mente cognoscentis, VII.
vt nihil sit cognoscibile in ea, quod sit extra mentem cognoscentis seu quod fugiat eius scientiam; non autem sensus est, quòd comprehensiuè cognoscens debeat includere ambitu suæ entitatis rem, quam comprehendit, & etiam existere extra illam; sic enim Deus nec seipsum comprehenderet: sed hanc inclusionem obiecti comprehensi ita esse accipiendam, sanctus Augustinus significat epistolâ 112. quatenus comprehensio hæc debet intelligi esse per adæquationem intellectionis cum re intellecta, & hoc loco verbum *comprehendere*, non sumitur in prima significatione; constat enim ex dictis suprà, Deum sic comprehendi à beatis; sed sumitur in secunda significatione.

D Notandum secundò est, hanc posteriorem VIII.
comprehensionẽ esse duplicem: vnam, quam possumus vocare *extensiuam*, quâ totum illud quod est in re, cognoscitur, seu quâ omnes formales rationes, quæ sunt in ipsa re cognoscuntur, quomodo comprehensio definitur à sancto Augustino epistolâ 112. capite octauo, *cognitio, quâ aliquid ita videtur, vt nihil illius lateat cognoscentem*; ibi enim ponit discrimen inter *videre*, & *comprehendere*, quòd illud videatur, quod est præsens, & vtcumque sentitur, licet totum non videatur: at illud comprehendatur videndo, quod ita videtur vt nihil eius lateat videntem.

Altera comprehensio est *intensiua simul*, & *extensiua*: nam sicut in rebus corporeis illud dicitur comprehendi, non quod tantùm includitur in alio, sed etiam quod ita speciali

qua-

I. quadam ratione clauditur, verbi gratiâ manu, vt comprimatur, quomodo non tam ſignificat aliquam partem nouam includi, quàm eandem rem iam incluſam omninò conſtringi; ſic etiam comprehenſio in ſpiritalibus, non tantùm ſignificat rem vndequaque cognoſci, ſeu totum, quod eſt in obiecto, & omnes formales rationes & habitudines, quæ ſunt in illo cognoſci & intelligi (ſic enim comprehenſio eſſet tantùm *extenſiua*) quia tantùm adæquat quoad ſuam latitudinem omnes formales rationes, & habitudines, quæ continentur in obiecto; ſed ſignificat etiam modum cognitionis, ſcilicet, vt obiectum cognoſcatur totâ illâ claritate, perſpicuitate, & cognoſcibilitate, quâ eſt in ſe cognoſcibile, quomodo verbum hoc *comprehendere* ſumitur à S. Auguſt. libro duodecimo *de Ciuitate Dei*, cap. quarto, & libro *octoginta trium*
II. *quæſtionum*, quæſtione decimâ quartâ, vbi ait, *quidquid ſcientiâ comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur*, id eſt, nullo alio modo eſt ex ſe, & naturâ ſuâ cognoſcibile, quàm illo, quo cognoſcitur ab ipſo comprehendente: aliàs non rectè ibi diceret eiuſmodi obiectum *finiri ſcientiâ comprehendentis*, quia non eſſet ibi adæquatio cognitionis ad obiectum, quatenus eſt cognoſcibile: tunc enim plus eſſet cognoſcibilitatis in obiecto, quàm reipſa & de facto repræſentaretur in ipſo actu cognitionis.

Atque hæc eſt aperta ſententia ſancti Thomæ citato articulo ſeptimo quæſtionis duodecimæ, ſtatim in initio corporis, & tertiâ parte quæſtione decimâ, articulo ſecundo ad tertium, quando ait, quantitatem ſcientiæ non attendi penes numerum ſcibilium dun-
III. taxat, ſed etiam ſecundùm claritatem cognitionis, & proinde animam Chriſti Domini non comprehendere ſcientiam viſionis, quam Deus habet, licet cognoſcat ea omnia, quæ Deus nouit per ſcientiam viſionis, quia nimirum ea ſcientia Dei, quæ eſt viſionis eſt ex ſe, & ex ſua natura longè magis cognoſcibilis, quàm cognoſcatur ab anima Chriſti Domini: idem habet libro tertio *contra Gentes*, capite quinquageſimo quinto, & in quæſtionibus diſputatis *de veritate*, quæſtione octauâ, articulo octauo: ſicque ex hac poſteriori definitione iuncta priori vna totalis & adæquata definitio comprehenſionis completur iuxta doctrinam Sanctorum Auguſt. & Thomæ locis ſuprà citatis, quam hâc primâ noſtrâ pro-
IV. poſitione explicamus.

Prima propoſitio. *Comprehenſio propriè & adæquatè ſumpta, eſt ea perfecta cognitio, quâ obiectum aliquod ita cognoſcitur, vt & de illo cognoſcatur tantùm, quantum poteſt cognoſci per proprium ſuum conceptum quoad claritatem & perſpicuitatem illi commenſuratam, ſeu eâ omni cognoſcibilitate, quâ eiuſmodi obiectum eſt cognoſcibile:* prior pars huius definitionis explicat comprehenſionem *extenſiuam*: poſterior *intenſiuam*.

Hæc definitio probatur: primò ex Patribus, quorum alij dicunt comprehenſionem eſſe cognitionem inueſtigantem intelligibilitatem rei: ſic S. Irenæus lib. 4. *aduerſus hæreſes*, cap. 37. alij dicunt eſſe cognitionem dimetientem rem, quæ cognoſcitur: ſic ſanctus Cyrillus libro vndecimo *Theſauri*, capite

A primo: ſanctus Auguſtinus citato loco libri *octoginta trium quæſtionum*, quæſtione citatâ: V.
alij dicunt eſſe plenam & perfectam rei notitiam: alij dicunt excedere ſcientiam: quæ omnes conditiones non poſſunt conuenire comprehenſioni, niſi explicatæ iuxta noſtram propoſitionem: nam ſi tanta cognitio obiecti, quanta eſt eius paſſiua intelligibilitas quoad extenſionem, tantùm ſufficiat ad illam; iam talis comprehenſio non propriè menſurabit obiectum cognitum, nec adæquabit illud, quia adæquatio propriè importat æqualitatem inter ea, quæ dicuntur adæquari: ſed inter eiuſmodi cognitionem & cognoſcibilitatem obiecti comprehenſi tantùm extenſiuè, non erit propriè adæquata æqualitas actiuæ cognitionis ad paſſiuam cognoſcibilitatem obiecti, niſi vno reſpectu, nimirum *extenſio-*
B *nis*, non autem reſpectu *intenſionis*, quia tunc VI.
non cognoſcitur eâ omni cognitione perfectâ, quâ cognoſci poteſt: nec item plenâ & perfectâ notitiâ contra prædictos Patres: ergo comprehenſio propriè & adæquatè ſumpta includit, vt obiectum cognoſcatur tantum, quantum eſt cognoſcibile in ſe, tam ſecundùm *intenſionem*, correſpondentem ſuæ cognoſcibilitati, quàm ſecundùm *extenſionem*.

Probatur etiam hâc ratione: ea tantùm cognitio intellectus eſt propriè, & eſſentialiter perfecta comprehenſio alicuius obiecti, cui ſumptæ ſecundùm adæquatum, & præciſum ſuum conceptum, ipſa inquiſitio talis obiecti, & excluſio alicuius quod ſit in illo ſimul, & ſemel opponuntur, inſecutio quidem, quia cùm comprehenſio ſit perfectiſſima cognitio, debet intellectum facere quietum, ſeu vt ille occupans ſe in cognitione obiecti conquie-
C ſcat, nec inquirat quidquam vlterius: exclu- VII.
ſio etiam alicuius, quod ſit in obiecto debet ei opponi, quia ſi hæc cognitio compateretur aliquam eiuſmodi excluſionem, deſineret eſſe comprehenſio: ſic enim appellatur quaſi apprehenſio totius obiecti: atqui inſecutio obiecti & excluſio alicuius, quod ſit in obiecto, vt ſimul & ſemel coniunctæ opponuntur tantùm ei cognitioni, quæ habet vtramque conditionem explicatam noſtrâ propoſitione, vt patet inductione factâ per omnes alias cognitiones, quæ talis ſunt conditionis, vt vel ſint tantùm de aliqua parte totalis ſui obiecti, vel ſint tantùm per conceptus aliarum rerum, vel non ſint eâ omni perfectâ claritate & perſpicuitate, quâ totum obiectum ex ſua natura
D poſtulat cognoſci: ergo comprehenſio pro- VIII.
priè dicta, eſt ea intellectus cognitio, quæ habet vtramque conditionem explicatam noſtrâ propoſitione, ſeu quâ de aliquo obiecto cognoſcitur tantùm, quantum poteſt cognoſci, & cum tanta claritate & perſpicuitate, quâ tale obiectum poſtulat cognoſci.

Et hæc ratio poteſt illuſtrari exemplo illo, quod S. Thomas ſuprà deſumit ab aliqua veritate, quæ ex ſua propria conditione ſit demonſtrabilis *à priori*, & quæ etiam ſit cognoſcibilis per aliquod medium probabile, vel ab auctoritate, & cuius cognoſcibilitas, quoad extenſionem eorum, quæ ſunt in obiecto, tam latè pateat, quàm totum eius obiectum, nec tamen propterea appetitus ille, qui eſt in cognoſcente ad cognoſcendum tale obiectum adhuc ſatiatur; quemadmodum experientia

I. docet: nam vbi multa *à posteriori* nouimus de rebus naturalibus, adhuc naturalem habemus appetitum ad vlteriorem inquisitionem earumdem veritatum per naturales rationes *à priori*, quas vbi habemus probè notas, statim noster intellectus conquiescit: ergo vlterior inquisitio obiecti excluditur tantùm à cognitione perfectè comprehensiua per secundam conditionem, à nobis requisitam in definitione perfectæ comprehensionis: & proinde hæc vtraque conditio est essentialis comprehensioni.

Vbi notandum est, hanc particulam prædictæ definitionis, *quantum est cognoscibile*, seu *quantum potest intensiuè cognosci*, importare solummodo comparationem inter actum cognitionis & penetrationem obiecti: ita vt sit adæquatio inter illa, & ipsa penetrabilitas obiecti, prout per actum cognitionis adæ-
II. quatur, sit ei ratio, cur cognitio sit comprehensiua; nam vt in rebus corporeis (à quibus translatum est hoc verbum *comprehendere*) res aliqua ex eo tantùm dicitur comprehendi ab alia, quòd ita includatur, vt etiam constringatur; & est impertinens ad comprehensionem corporalem, quòd res eiusmodi possit includi aliquâ maiori quantitate: sic etiam in comprehensione rei per intellectum sufficit, quòd cognitio adæquetur intelligibilitati obiecti, tam secundùm *intensionem*, quàm secundùm *extensionem*, éstque ei impertinens, quòd possit cognosci à superiori quodam intellectu per actum longè nobiliorem: aliàs enim solus Deus posset comprehendere minimam etiam creaturam, & nullus alius; quod est contra communem sententiam.

III. ## Articvlvs II.

Vtrum visio beatifica alicuius intellectus creati possit esse comprehensiua diuinæ essentiæ.

Prima propositio. *Nullus creatus intellectus potest propriè loquendo comprehendere diuinam essentiam.*

Propositio, vt sic absolutè posita est de fide: nam habetur expressa in sacris literis, vt Ieremiæ trigesimo secundo, vbi Deus dicitur *incomprehensibilis cogitatu*: item ad *Romanos* vndecimo, & habemus definitum in Concilio Lateranensi, & refertur capite *firmiter* extra de summa Trinitate. Idem Patres
IV. docent, S. Gregorius Nazianzenus *oratione* trigesimâ quartâ, sanctus Chrysostomus homilijs contra Anomœos, sanctus Hieronymus ad citatum locum Ieremiæ: sanctus Augustinus epistolâ centesimâ duodecimâ, capite octauo, & alij Patres dum explicant citata sacræ Scripturæ testimonia pro nostra propositione.

Verùm difficultas est, an Deus ita sit incomprehensibilis, vt etiam sit de fide, illum non tantùm à viatoribus, sed etiam à beatis, non posse comprehendi per quamcumque potentiam: negat Vasquesius disput. 52. ad 1. partem. Melior tamen est affirmans sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus.

Secunda propositio. *De fide est Deum etiam de absoluta potentia esse incomprehensibilem omni & cuilibet possibili creato intellectui*: ita omnes
A Scholastici communiter ad citatum 7. artic. V.
S. Thomæ, & ad distinct. 49. lib. 4. sentent. vnde Vasquesius suprà decipitur, dum putat hanc nostram propositionem esse solius Dominici *à Soto*: cùm omnes, qui post Sotum scripserunt idem nobiscum sentiant: imò non desunt, qui grauiter reprehendunt opinionem Vasquesij, & prædictam eius explicationem ad testimonia Scripturæ, & Patrum, tanquam violentam.

Nostra propositio imprimis probatur: ex Conc. Lateran. suprà: vbi Deus definitur eodem modo *incomprehensibilis*, quo definitur *immutabilis*, quia Concil. ibi vtrumque simul definit, sine aliqua restrictione: at ex dictis suprà de immutabilitate Dei, patet iuxta fidem Deum esse immutabilem de quacumque potentia.

Nec obstat, quòd ibidem Deus definiatur
B *ineffabilis*, & tamen beati possint illum effa- VI.
ri, quin potiùs nostra sententia inde confirmatur: quia ita verum est Deum esse incomprehensibilem cuilibet creato intellectui possibili, quomodo est ei ineffabilis: sed beati non possunt ita effari Deum, vt illum exprimant *totum totaliter*, & eâ omni claritate, quâ est intelligibilis, etiam per absolutam potentiam Dei: ergo Deus definitur eodem modo incomprehensibilis creato intellectui secundum absolutam potentiam Dei.

Deinde probatur ex citatis testimoniis Scripturæ & Patrum, quæ dum tribuunt incomprehensibilitatem Deo eam illi tribuunt, vt singularem aliquam eius prærogatiuam supra omnia & quælibet entia creata, vel quæ creari possunt; licet enim aliquando faciant mentionem duntaxat consiliorum eius, aliquando vnius tantùm attributi: attamen ex
C circunstantiis & figuris, quibus vtuntur expli- VII.
cando hanc incomprehensibilitatem, satis apertè denotant diuinam essentiam esse simpliciter, & absolutè incomprehensibilem in ordine ad quemlibet intellectum creatum, quia deducunt illam ab eius magnitudine & omnipotentia, quâ superat omnem creaturam possibilem: & modus argumentandi Patrum, quando probant diuinitatem Filij, & Spiritus sancti contra hæreticos, ex eo, quòd Filius & Spiritus sanctus comprehendunt naturam & essentiam Dei, satis probat comprehensibilitatem essentiæ diuinæ, ita esse propriam soli increato intellectui, vt per nullam potentiam communicari possit creato: sic S. Basil. lib. 5.
D contra *Eunomium*, S. Athan. *disputat. cum Aria*. VIII.

Neque potest dici istos Patres, dum argumentantur, sic loqui duntaxat de comprehensione diuinæ naturæ, quæ fiat virtute naturali ipsius intelligentis, nisi enim formarent hanc suam rationem iuxta quamlibet virtutem, argumentum eorum rueret. Nam isti hæretici responderent, Verbum quidem esse Filium, & Spiritum sanctum comprehendere diuinam essentiam, non tamen virtute naturali, sed supernaturali sibi communicatâ liberè & gratuitò à Deo Patre: ergo vt prædictum argumentum Patrum valeat, debet procedere de omni & quacumque virtute, non tantùm naturali, sed etiam de ea, quæ potest supernaturaliter communicari alicui creaturæ.

Deinde patet, ex Patribus prædicta Scripturæ testimonia esse intelligenda, etiam de

I. intellectibus beatorum, hæc enim explicant de comprehensiua cognitione, tanquam impossibili creato intellectui: sic S.Chrysost.lib. *de incomprehensibili natura Dei*: tum etiam ex eo, quòd prædicta testimonia Scripturæ fundant incomprehensibilitatem Dei, comparatione intellectus creati in distantia & improportione capacitatis intellectus creati ad intelligibilitatem Dei, nimirum quòd hæc sit infinita, illa verò tantùm finita: hinc in Conc. Basileensi sess.22.quidam Aug. *de Roma*, damnatur, quòd assereret Deum posse comprehendi à beatis, saltem de absoluta potentia Dei.

Atque ex dictis patet, quàm falsò asserat Vasquesius loco citato Scripturæ, ac Patrum testimonia, quæ affirmant Deum esse incomprehensibilem, posse explicari vel de solis Dei consiliis, vel de sola Dei potentia ordinaria,
II. vel de solis naturæ viribus. Nec obstat, quòd non omnes Theologi conueniant de formali ratione comprehensionis, seu in quo formaliter consistat. Nam aliud est id, quod spectat ad quæstionem *an est*, esse de fide, & aliud formalem rationem eius rei, quæ est de fide, esse indubitatam apud omnes Theologos: primum non pendet à posteriori, & potest esse sine illo: nam est de fide, processionem filij in diuinis esse generationem propriè dictam: at non est de fide; imò est adhuc maximè controuersum inter Theologos, quænam sit immediata formalis ratio propriè dicta, ob quam talis processio sit generatio propriè dicta, processio autem Spiritus sancti minimè, & sic de pluribus aliis.

III. Quòd autem implicet Deum quoad totum suum esse intelligibile, seu quoad ipsum suum essentiale intelligere actu vniri alicui creato intellectui, ita vt intellectus ille creatus intelligat comprehensiuè diuinam essentiam per actum increatum, ostenditur ex professo tertiâ parte.

Obiicit Vasquesius: intellectus creatus potest eleuari à Deo ad percipiendum quodcumque obiectum contentum intra latitudinem specificatiui sui obiecti: atqui Deus vt comprehensiuè cognitus continetur intra latitudinem adæquati specificatiui obiecti intellectus creati, quia vt sic est aliquod ens verum & intelligibile, vt per se patet: ergo saltem per absolutam Dei potentiam essentia diuina poterit comprehendi ab aliquo intellectu creato.

IV. Respondetur, non quodcumque verum ens intelligibile, & quomodocumque intelligibile contineri intra latitudinem adæquati obiecti specificatiui intellectus creati, sed illud tantùm, vt intelligibile modo finito: & ratio est, quod tale obiectum non patet latiùs, quàm ipsa radicalis commensuratio, & coaptatio potentiæ ad attingendum obiectum: ergo quæ erit proportio ipsius potentiæ erit & ipsius obiecti; at hæc coaptatio intellectus creati quicumque ille sit, est finita, quia ille est creatus: ergo & illa erit finita: ergo cùm passiua intelligibilitas Dei etiam secundùm intensionem considerata sit infinita, nunquam Deus, vt comprehensiuè cognitus includetur intra latitudinem adæquati obiecti specificatiui intellectus creati.

Hinc quando aliqui Patrum dicunt essentiam diuinam posse comprehendi à beatis, sumunt nomen *comprehensionis* in prima significatione, nimirum pro assecutione & fruitione ipsius Dei, secundùm quam beati dicuntur à Theologis comprehensores. V.

ARTICVLVS III.

Quæ sit adæquata ratio incomprehensibilitatis diuinæ essentiæ à beatis.

SIT vnica nostra propositio. *Non ideò Deus est incomprehensibilis à beatis, quia nemo eorum videt, aut potest videre omnes gradus attributorum Dei: nec item ex eo, quod non possit videre omnia possibilia, quæ sunt eminenter in Deo, sed ratio adæquata incomprehensibilitatis essentiæ diuinæ est, quòd illa cognosci non possit eo omni modo, quo est intensiuè cognoscibilis in se, & secundùm se, seu cum tanta claritate, quâ est cognoscibilis ex se, & ex sua natura*: sic S. Thom. locis VI. superiùs citatis, & recentiores satis communiter ad citatum artic. 7. vbi animaduertendum est, no. non asserere aliquem beatorum posse videre omnia, quæ sunt eminenter in Deo: est enim de hoc agendum inferiùs, sed tantùm velle cognitionem illam omnium possibilium, si daretur, non importare comprehensiuam cognitionem essentiæ diuinæ propriè dictam. Tres sunt partes conclusionis.

Prima dicitur esse contra Franciscum *à Victoria*, contra quem probatur: quia gradus loquendo propriè non dantur in diuinis attributis, cùm illa sint aliquid simplicissimum.

Secunda item pars probatur: si Deus esset hoc tantùm titulo incomprehensibilis, VII. tota ratio incomprehensibilitatis eius fundaretur in solo eius attributo omnipotentiæ, quia omnia possibilia illam tantùm, vt sic præcisè, respiciunt: atqui tota ratio incomprehensibilitatis diuinæ essentiæ non fundatur in sola omnipotentia Dei, nec Deus est incóprehensibilis ex vi solius suæ omnipotentiæ: aliàs enim esset comprehensibilis, quoad reliqua sua attributa, quod est falsum: nam esse cognoscibile cognitione infinitâ est esse incomprehensibile: sed vnumquodque attributum Dei etiam prout distinctum ab alio virtualiter, est cognoscibile infinitâ cognitione; vnumquodque enim attributum est infinitum in suo genere, & cognoscibilitas sequitur entitatem: ergo vnumquodque attributum Dei est incomprehensibile à quolibet intellectu creato: ergo & incomprehensibilitas non competit Deo ex solo titulo suæ omnipotentiæ, & per ordinem ad res tantùm possibiles. VIII.

Vltima pars probatur: Deus est præcisè incomprehensibilis per intellectum creatum, ex eo quod præcisè habet aliquam conditionem formaliter oppositam perfectæ comprehensioni, quia oppositorum rationes sunt oppositæ, & bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu: sed vna ex conditionibus comprehensionis propriè dictæ est, vt obiectum cognoscatur etiam secundùm intensionem, cum tanta claritate, cum quanta est natum aptum ex se cognosci, vt patet ex dictis supra: & Deus non potest facere etiam per absolutam suam potentiam, vt intellectus creatus cognoscat

I. eum cum tanta claritate, cum quanta est aptus A cognosci secundùm intensionem ex propria sua conditione, eo quòd modus eius intelligibilitatis passiuæ sequatur immaterialem eius modum essendi: & proinde vt sic est infinitus, sic & finitâ tantùm actiuitate intellectus quoad intensionem, non potest omnimodè cognosci: ergo Deus est præcisè ex eo incomprehensibilis ab intellectu creato, quòd non possit cognosci ab eo cum tanta claritate, cum quanta est in se cognoscibilis ex se, & ex sua natura.

DISPVTATIO VIII.

De essentia diuina in ratione obiecti visionis beatificæ.

II.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum beati videant de facto omnia quæ sunt in Deo.

REPETENDVM est ex dictis, alia esse in Deo *formaliter*, alia tantùm *eminenter*.

Secundò notandum est, attributa Dei sumpta adæquatè diuidi in *essentialia*, cuiusmodi sunt bonitas, sapientia, omnipotentia: & in *notionalia*, vt sunt paternitas, filiatio, & alia, quæ præcisè conueniunt personis diuinis.

III. Tertiò notandum est, ex attributis essentialibus alia sic dicere respectum aliquem rationis ad creaturas, vt tamen tota ratio distinguendi illa, sint ipsæ creaturæ: cuiusmodi sunt ideæ in Deo; alia quæ licet dicant ordinem transcendentalem & respectum aliquem rationis ad creaturas; attamen respectus iste non est illis præcisa ratio, cur distinguantur ab aliis: de quo genere est omnipotentia, quæ dicit ordinem ad omnia possibilia: item singularis illa eminentia essentiæ diuinæ, quæ continet in seipsa omnes creaturas.

Quartò notandum, aliud esse videre tantùm *materialiter* omnia, quæ sunt formaliter in Deo, & aliud ea videre *formaliter*; nam primum importat duntaxat visionem essentiæ diuinæ, cum qua, & in qua omnia attributa Dei identificantur: secundum dicit cognitionem vniuscuiusque attributi existentis formaliter
IV. in Deo sub ea propria formalitate, quâ perficit Deum, & prout etiam tantùm virtualiter distinguitur à quolibet alio attributo existente formaliter in Deo. His ita prænotatis,

Sit prima propositio. *Omnes beati vident de facto omnia attributa, tam notionalia, quàm essentialia, quæ sunt formaliter in Deo:* hæc propositio refertur à multis, tanquam contraria Nominalibus existimantibus attributa Dei esse infinita quoad numerum: est tamen S. Th. citato articulo 1. ad 2. & libro 3. *contra Gentes*, cap. 55. S. Bonauenturæ tertio sententiarum, & communiter omnium interpretum sancti Thomæ.

Probatur primùm ex illo S. Ioann. 3. *videbimus Deum sicuti est*, quod Patres explicant de beata visione, quâ videbimus Deum sicuti est in seipso; sed Deus est in seipso vnus in essentia, trinus in personis: habétque formaliter in seipso omnia attributa *essentialia* quidem ex dictis suprà de perfectione Dei, *notionalia* etiam ex dicendis infrà de mysterio Trinitatis. V.

Probatur item ex illo S. Pauli, quo dicit nos in patria visuros eum *facie ad faciem, & sicut nos cognoscimus inuicem:* & item ex Florentino *in decreto vnionis* definiente animas iustorum recipi in cœlum, & intueri Deum vnum & trinum, *sicuti est*.

Tandem visio beatifica succedit fidei, quam habemus in via, & in patria debemus ea videre, quæ hîc credimus; sed hîc credimus Deum esse trinum & vnum, item esse formaliter sapientem & sic de cæteris; & licet aliqui Catholici non tam benè & distinctè intelli-
B gant ista ac alij; attamen æquè credunt, quia præbent illis assensum, tanquam à Deo reuelatis & propositis per Ecclesiam. VI.

Quæres, an hæc nostra propositio sit de fide.

Respondeo videri, tum propter auctoritatem Concil. Florentini, tum propter communem consensum Patrum & Scholasticorum fundatum in sacris literis, vt 1. ad *Corinth.* 13. *videmus nunc in ænigmate: tunc facie ad faciem:* & 1. S. Ioan. 3. *videbimus Deum sicuti est*, quod ab omnibus ferè Patribus explicatur de visione beatifica. Nam videre aliquem *sicuti est*, quando est ens aliquod omninò simplex & spiritale est videre omnia, quæ formaliter sunt in illo, quod sic explicatur: quilibet beatorum videt Deum sicuti est in se: at Deus
C est in se vnus & trinus, item sapiens, iustus, & sic de reliquis eius attributis: ergo quilibet beatus videns Deum, videt eum secundùm omnia sua attributa, & proinde videt omnia, quæ sunt formaliter in Deo. VII.

Obiicies: omnipotentia, eminentia, scientia, & id genus cætera sunt formaliter in Deo: at ista non possunt videri à beatis, quia omnia & singula possibilia deberent simul videri, cùm aliquam dicant ad illa habitudinem: omnia autem possibilia non videntur de facto à beatis: ergo nec omnia attributa, quæ sunt formaliter in Deo.

Respondetur ista attributa, & his similia posse duobus modis spectari: primò iuxta suam intrinsecam absolutam & necessariam perfectionem, præscindendo ab extrinsecis particularibus eorum terminis, qui ea respi-
D ciunt; verbi gratiâ, omnipotentia, quâ Deus VIII. potest quidquid non implicat: scientia quatenus nouit omne scibile: eminentia quatenus est vna simplex perfectio, tam eminens, vt ratione illius diuina essentia contineat in se omnia, non tamen considerando in particulari, quænam sint illa, quæ sunt vel possibilia, vel scita, vel quæ continentur in Deo eminenter; sicut intellectiua potentia, vel visiua hominis potest cognosci, quatenus est facultas ad cognoscendum quodcumque intelligibile, ad percipiendum quodcumque coloratum, licet non determinetur in particulari, nec in indiuiduo cognoscatur hoc & illud verum, hoc & illud coloratum, ad quæ hæ facultates sese possunt terminare. Secundò ista attributa possunt spectari, quatenus termi-

I. nantur ad extrinseca; iam vt hæc attributa dicantur videri, vt sunt formaliter in Deo, sufficit quòd cognoscantur à beatis priori modo, non autem requiritur quòd posteriori modo cognoscantur, vt patet exemplo potentiæ intellectiuæ, visiuæ, & aliorum eiusmodi entium.

Secunda propositio. *Beati vnicâ cognitione beatificâ sic vident totam diuinam essentiam, & omnia, quæ sunt formaliter in Deo, vt etiam videant illa omnia, non solùm quatenus sunt quid vnum realiter, sed etiam vt sunt vnum formaliter: item quatenus vnum attributum absolutum distinguitur virtualiter ab alio: item vnum relatiuum attributum, vt distinguitur ab alio sibi correlatiuo.* Singulæ partes huius propositionis probantur.

Prima, quia talis cognitio elicitur necessariò ab illis, & diuina essentia, quæ est obiectum, sese obiicit beato intellectui, vt est in
II. se cum suis omnibus attributis, siue notionalibus, siue essentialibus: Deus enim sese totum illi obiicit, vt est in se & sicuti est: ergo cùm potentia agens necessariò debitè disposita feratur in obiectum sibi debitè præsentatum, eo modo, quo repræsentatur, quilibet beatus debet videre ista omnia vnâ tantùm cognitione, maximè cùm eiusmodi cognitio non subiiciatur imperio voluntatis, nec alia ratio possit fingi, cur vel interrumpatur hæc visio, vel repetatur, vel etiam multiplicetur: cùm hæc dicatur *vita æterna*, & proinde *tota simul* & absque termino.

Secunda item pars asserens, *ista omninò videri, vt sunt quid vnum realiter*, probatur: tum quia beati vident Deum sicuti est, & quæ
III. sunt formaliter in illo, sicuti sunt, ex relato testimonio S. Ioannis: at ista omnia in Deo sunt quid vnum realiter: deinde beati vident in patria, quæ hîc crediderunt in via: at fide Catholicâ crediderunt ista omnia esse quid vnum simplicissimum in Deo; sic enim definitur in Concil. Lateran. superiùs citato, capite *firmiter*, capite *damnamus*.

Tertia etiam pars asserens, *ista videri, quatenus sunt vnum quid formaliter*, probatur iisdem rationibus.

Quarta item pars asserens, *beatos videre etiam de facto vnum attributum absolutum distingui virtualiter ab alio*, probatur: quilibet beatus suâ visione beatificâ videt ita Filium procedere à Deo Patre, vt tamen videat eum duntaxat procedere per intellectum, & non per voluntatem, & econtrà Spiritum sanctum,
IV. ita procedere à Patre & Filio per voluntatem, vt videat eum non procedere per intellectum: quia cùm hoc vtrumque sit de fide, sic credidit dum viueret in terris, & de facto videt formaliter in Deo, quæ hîc de illo credidit: atqui beatus non potest videre Filium procedere per intellectum à Patre, & non per voluntatem: econtrà Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio per voluntatem, & non per intellectum, nisi simul videat esse virtualem distinctionem inter intellectum Dei, & eius voluntatem, quatenus scilicet videt illam vnam simplicissimam entitatem, ita esse eminentem & perfectam, vt V.
sumpta vno modo inadæquatè sit intellectus, & ideò vt sic esse principium Filij; quæ tamen eadem simplicissima entitas sumpta alio modo inadæquatè est voluntas, & vt sic principium Spiritus sancti: ergo beatus videt ista duo attributa, intellectum & voluntatem esse quid vnum inter se, vt tamen simul videat illa distingui virtualiter à se inuicem: & cùm eadem sit ratio aliorum attributorum absolutorum, quia vident Deum ita esse sapientem & iustum, vt per sapientiam, & non per iustitiam sit sapiens, & iustus per iustitiam, non verò per sapientiam; fit, vt videndo Deum sicuti est & singula eius attributa, videat etiam illa esse vnum quid simplicissimum realiter & formaliter, vt tamen etiam cognoscat illa distingui à se inuicem virtualiter.

Tandem, quòd beati cognoscant vnum attributum relatiuum distingui realiter ab VI.
alio, patet ex dictis superiùs, istud enim crediderunt in via.

Quæres, cùm quilibet beatus vnicam duntaxat eliciat visionem beatificam semper perseuerantem, quomodo possit videre ista omnia, cùm alia eorum importent nudam apprehensionem, alia iudicium, alia etiam collationem plurium inter se.

Respondetur, beatum sic vnicâ visione præstare hæc omnia, vt eius visio sit simul eminenter apprehensio, collatio plurium, & iudicium; simplex quidem apprehensio, quatenus beatus videt per illam omnia, quæ sunt formaliter in Deo, prout formaliter & realiter sunt vna substantia, vna tantùm formaliter & realiter diuina: perfectio collatiua etiam plurium, & simul iudicatiua, quatenus videt VII.
in essentia Dei, alioquin simplicissima, virtualem multiplicitatem, quâ iudicat vnum attributum vt sic virtualiter distingui ab alio, & vt sic esse principium talis principiati, puta Filij, vt sic verò non esse principium talis principiati, in quo nulla apparet imperfectio, vt patebit fusiùs agendo de mysterio Trinitatis.

Vltima propositio. *Beati de facto vident attributa secundi generis, quæ recensentur in tertio notabili, non est tamen necesse, vt videant quæ sunt primi generis eiusdem tertij notabilis.*

Prima pars patet ex dictis pro prima propositione. Posterior probatur: quia eiusmodi attributa vt sic non possunt cognosci, quin cognoscantur & termini quos respiciunt: nam
multiplicantur tantùm ad multiplicitatem terminorum: at non est necesse omnes beatos VIII.
videre de facto omnes eiusmodi terminos, cùm sint creaturæ actu vel potentiâ existentes, quas beati non vident necessariò: ergo non est necesse, quòd beati videant ista attributa hoc modo præcisè considerata: sic non vident in Deo omnes eius ideas, vt illæ sunt plures & multiplices, licet videant diuinam essentiam esse tantæ perfectionis, vt sit participabilis & imitabilis à creaturis; qua de re plura inferiùs ad quæstionem decimam quintam S. Thomæ.

I.

A

Articvlvs II.

Vtrum per absolutam Dei potentiam essentia diuina adæquatè sumpta, possit videri sine personis vel attributis.

CERTVM est, id non fieri potentiâ Dei ordinariâ: quemadmodum rationes præcedentis articuli probant: tota difficultas est de absoluta Dei potentia, ad cuius explicationem

Præmittendum primò est, dari virtualem distinctionem inter attributa diuina, tam ad se inuicem comparata, quàm vt conferuntur cum essentia diuina, vt sæpè monuimus, & ampliùs ostendemus agendo de mysterio Trinitatis, hancq; distinctionem, prout dicit

II. vnam simplicissimam entitatem, dari de facto, quæ entitas sit re ipsa virtute multiplex absq; vllo ordine ad creaturas, quemadmodum probat argumentum, quo præced. articulo ostendimus beatos videre attributa, quæ sunt formaliter in Deo, prout illa virtualiter distinguuntur à se inuicem, & ab essentia Dei.

Notandum secundò, duplicem posse distingui cognitionem Dei, vnam *adæquatam* correspondentem ei, prout est ens simplicissimum, quod tamen ratione summæ suæ perfectionis secundùm totam suam latitudinem consideratæ sit simul & semel absolutum, & relatiuum: sicque comprehendit omnia attributa, tam relatiua, quàm absoluta, quæ sunt in illo formaliter: aliam posse distingui cognitionem de Deo *inadæquatam*, quæ verbi gra-

III. tiâ sit solius essentiæ diuinæ, & non attributorum absolutorum, vel personalitatum, prout illa habent inter se de facto virtualem distinctionem, quomodo prior cognitio terminat se ad totum Deum, & ad omnia, quæ sunt formaliter in illo: posterior ad solam essentiam vel ad aliquod tantùm eius attributum.

Notandum est postremò, nos in hac difficultate & sequentibus agere de clara, intuitiua, & quidditatiua cognitione obiecti, sicut illud est in se, prout habet rationem obiecti. His ita prænotatis,

Sit hæc propositio. *Implicat Deum clarè, intuitiuè, quidditatiuè, & sicuti est in seipso videri adæquatè iuxta primum modum secundi notabilis, & non simul videri essentiam Dei, attributa tam relatiua, quàm absoluta, quæ sunt in eo formaliter.*

IV. Propositio hæc debet admitti in omni sententia, tam Scoti, quàm S. Thomæ.

Probatur: implicat Deum adæquatè consideratum videri clarè, intuitiuè, quidditatiuè, sicuti est in seipso, & simul non videri adæquatè: sed si Deus posset videri adæquatè, clarè, intuitiuè, quidditatiuè, & sicuti est in seipso, attributis eius, tam relatiuis, quàm absolutis non visis, simul videretur adæquatè, & non videretur adæquatè; non videretur adæquatè, quia prædicta attributa sunt quidditatiuè ipsius Dei adæquatè considerati, vt est ens absolutum & relatiuum simul, & nihilominus sine illis videretur: item videretur adæquatè, vt hypothesis supponit: ergo Deus tunc videretur intuitiuè, quidditatiuè adæquatè, & simul non videretur adæquatè, quod implicat.

V.

Articvlvs III.

Vtrum quidditatiuè possit videri diuina persona sine essentia; vel vna persona sine alia.

NOTANDVM est, personam & personalitatem in diuinis aliquo modo distingui: nam persona est aliquod constitutum ex diuina essentia, & sua proprietate relatiua simul, vt patet, personalitas est sola illa proprietas relatiua, quæ est formale constitutiuum talis entis in ratione personæ, vt paternitas in prima persona Trinitatis: & sic de aliis personis diuinis. Hoc posito,

Sit hæc propositio. *Implicat aliquam personam diuinam videri quidditatiuè, intuitiuâ cog-*

B *nitione sicuti est in seipsa, & diuinam essentiam nullomodo videri.* VI.

Hæc propositio debet admitti ab omnibus, dummodo sumant personam *in concreto*, & non tantùm pro formali constitutiuo illius.

Probatur: aliquod constitutum non potest videri quidditatiuè, intuitiuè, & sicut est in seipso, nisi ipsa eius constituentia videantur, vt sunt formaliter in tali constituto: sicut compositum physicum propriè, & vt est tale, non potest cognosci quidditatiuè, vt est in seipso, nisi forma & materia, quæ illud quidditatiuè componunt, cognoscantur: atqui quælibet persona diuina constituitur intrinsecè, & quidditatiuè essentiâ diuinâ, & suâ proprietate personali, vt omnes Theologi communiter docent: ergo vna persona diui-

C na non potest videri clarè, intuitiuè, & quidditatiuè sicuti est, nisi & diuina essentia simul videatur. VII.

Secunda propositio. *Diuina persona Patris non potest de absoluta Dei potentia videri clarè, intuitiuè, quidditatiuè & sicuti est in seipsa, nisi & persona Filij ei correlata simul videatur: nec item diuina persona Spiritus sancti potest videri quidditatiuè, intuitiuè, & sicuti est, nisi duæ aliæ personæ diuinæ Pater & Filius simul videantur.* Hæc propositio est omnium interpretum S. Thomæ.

Prior pars, quæ procedit de persona Patris probatur: quando ens aliquod est ita formaliter relatiuum, vt ipsa actualis existentia termini, quem respicit, sit terminus specificus suæ relationis; tunc tale ens relatiuum

D non potest, quatenus relatiuum, cognosci intuitiuè & quidditatiuè in seipso sicuti est, nisi & ipse eius terminus eiúsque correlatum cognoscatur, quia in tali hypothesi primum istud ens relatiuum habet totum suum esse per intrinsecum respectum ad solum eiusmodi numero terminum, suúmque correlatiuum, vt constitutum in sua actuali existentia. Quod ampliùs confirmatur ex Aristotele capite *de relatis* docente, relata esse *simul definitione*, quod maximè debet intelligi de hoc genere relatorum: atqui persona Patris diuini est formaliter & intrinsecè ens relatiuum constitutum relatione paternitatis diuinæ, cuius specificus terminus est filiatio diuina, constituens filium correlatum eius, prout de facto & reipsa accipit esse à Patre per generationem, & intra hanc relationis speciem Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, implicat VIII.

I. aliam dari in diuinis præter hanc numero, quam Pater nunc habet ad Filium, & Filius ad Patrem, quia implicat posse dari plures filios indiuinis, vt docebitur agendo de mysterio Trinitatis: ergo persona diuina Patris, non potest intuitiuè, quidditatiuè cognosci in seipsa sicuti est, nisi etiam diuina persona Filij simul cognoscatur.

Posterior pars, quæ procedit de diuina persona Spiritus sancti probatur eodem ferè argumento: hæc enim persona ita est intrinsecè relatiua, vt de facto respiciat Patrem & Filium, tanquam duos spirantes illam actu & intrinsecè per vnam, & eandem vim spirandi, quia est mutuus amor, Patris & Filij nexus: ergo diuina persona Spiritus sancti, non potest videri clarè, intuitiuè, & quiddi-
II. tatiuè, sicut est in seipsa, nisi etiam simul aliæ personæ videantur.

Secundò actus immanentes, & eorum termini, quatenus immanentes, non possunt quidditatiuè cognosci, vt sunt in seipsis, nisi & eorum principia, in quibus manent simul cognoscantur, & nisi eorum inter se coniunctio ratione cuius actus illi, & eorum termini dicuntur propriè immanentes, cognoscatur: sed vtraque processio, nimirum Filij & Spiritus sancti, est immanens, cuius vtriusque terminus est persona Filij & Spiritus sancti, principium prioris est intellectus diuinus, vt est in persona omninò improducta, seu quæ est à se, principium posterioris voluntas diuina, vt est in duabus personis non habentibus esse per voluntatem, sicut docebitur vbi de Trinitate: ergo tertia per-
III. sona diuina non potest cognosci intuitiuè, quidditatiuè, & sicuti est in seipsa, nisi & duæ aliæ personæ simul cognoscantur.

Confirmatur hæc ratio ex circuminsessione diuinarum personarum inter se, quæ etiam vi istius mutuæ habitudinis nunc explicatæ est essentialis personis diuinis: & hoc argumentum videtur insinuatum à Christo Domino, apud sanctum Ioannem decimoquarto capite; dum sancto Philippo postulante, vt eis ostenderet Patrem, respondit Philippo, *qui videt me, videt & Patrem: an non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est;* licet enim sanctus Philippus loqueretur tantùm de visione corporali; attamen Christus Dominus occasione inde sumptâ, vt eum eueheret ad altiorem cognitionem, loquitur de cognitione intellectuali intuitiua diuina-
IV. rum personarum, vt Patres communiter explicant ad illum locum, sicut sumptâ occasione ab aqua naturali, de qua mulier Samaritana loquebatur, apud eundem sanctum Ioannem loquitur de gratia significata per aquam; neque locus hic potest explicari de potentia solùm ordinaria & de facto: nam hæc ratio Christi: *an non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est,* desumitur ab aliquo intrinseco ipsis personis diuinis, vt illæ sese mutuò respiciunt.

Neque obstat nostræ conclusioni hæc ratio Scoti fundata in vnione solius Verbi diuini ad humanitatem Christi Domini; quòd scilicet persona Verbi diuini potuit terminare dependentiam humanitatis Christi Domini aliis personis diuinis eam non terminantibus: & vnio fieri potuit in hypostasi Verbi, etiamsi

A facta non sit in natura: ergo poterit terminare vna persona intellectiuitatem absque eo quòd alia persona eam terminet. V.

Non obstat, inquam, hæc ratio; nam sæpè contingit aliqua quoad rem distingui inter se, quæ nihilominus quoad aliquam cognitionem coniunguntur necessariò inter se, vt in humanis Pater & Filius, quatenus sunt formaliter relata, distinguuntur realiter totâ suâ entitate; vnus eorum potest coniungi realiter alicui, cui alter de facto & realiter non coniungitur: at Pater vt sic non potest cognosci quidditatiuè, sicut est in seipso quoddam relatiuum, nisi & aliquis eius Filius simul cognoscatur: imò hæc duo *communicari* & *cognosci*, ita se habent ad inuicem, vt aliquando si agatur de communicatione, de-
B beant necessariò separari à se inuicem; si verò VI. agatur de coniunctione, debent necessariò coniungi; verbi gratiâ paternitas & filiatio, prout respiciunt eundem numero terminum, non possunt communicari eidem numero, sunt enim rationes sibi inuicem oppositæ, quia tamen sunt correlata, sic debent simul cognosci.

Hinc Filius diuinus potuit suam hypostasim communicare humanitati, licet Deus Pater suam non communicaret. Hinc prima persona Trinitatis rectè intelligitur communicare Filio propriam suam essentiam, cui tamen non communicat suam paternitatem, non realiter, sed virtualiter duntaxat distinctam ab essentia diuina: quorum omnium & aliorum his similium hæc est optima ratio, quòd inter essentiam diuinam & diuinas persona-
C litates est distinctio *virtualiter formalis*, id est, VII. quæ præstat de facto in diuinis, quod distinctio formalis propriè dicta si esset, præstaret de facto: atqui vbi formalis distinctio reperitur de facto inter duo, quæ aliàs sunt idem realiter, quod conuenit vni, tanquam distincto formaliter ab alio, non potest alteri, prout ab eo formaliter distinguitur, conuenire, quia *à sensu identico & reali ad formalem sensum consequentia non valet*, iuxta vulgarem dialecticorum regulam: ergo quia Verbo diuino, quatenus est talis personalitas formaliter conuenit terminare humanitatem Christi Domini, istud non poterit etiam formaliter conuenire diuinæ naturæ, cum qua tamen est idem realiter: cognitio autem vnius obiecti propter aliud cognitum, non fundatur in ipsa vnione, vel identitate reali, sed in necessaria &
D essentiali habitudine, quam vnum habet ad VIII. aliud.

Quæres, an sit eadem ratio personæ Patris & Filij ad personam Spiritus sancti: cùm persona Patris sumpta præcisè dicat essentiam, & relationem paternitatis: item persona Filij sumpta præcisè dicat essentiam diuinam, & relationem filiationis, in quibus sic præcisè sumptis, nulla habitudo istarum personarum ad personam Spiritus sancti includitur. Sed hoc non obstante,

Respondetur affirmatiuè: ratio est, quòd personæ illæ constituantur relationibus etiam respicientibus personam Spiritus sancti, vt ostendetur inferiùs agendo de constitutione personarum diuinarum.

Obiicies, Deum posse suâ omnipotentiâ facere, vt vnum relatiuum videatur intuitiuè

I. ſecundùm realem tendentiam ad terminum,
ipſo tamen termino non viſo intuitiuè, nimi-
rum Deo tunc impediente naturalem con-
curſum obiectiuum termini: ſicque poſſe fa-
cere, vt prima perſona Trinitatis videatur,
etiam intuitiuè ſecundùm formalem tenden-
tiam ad Filium, licet perſona Filij diuini
non videretur intuitiuè, ſed tantùm abſtra-
ctiuè.

Reſpondetur, hæc duo *videri tantùm intui-
tiuè*, & *videri quidditatiuè* diſtingui: vnum
non ſemper importare alterum; ad ſecundum
requiritur, vt omnia prædicata eſſentialia
obiecti attingantur, quoad primum non ſem-
per requiritur; noſtram verò propoſitionem
procedere de cognitione intuitiua & quiddi-
tatiua ſimul.

Deinde reſpondetur, duplicem poſſe diſ-
II. tingui realem tendentiam in terminum: vnam
quæ ita eſt ad ſuum terminum, vt tamen alia
eiuſdem ſpeciei poſſit eſſe ad plures terminos,
ſaltem ſibi ſuccedentes, qualis eſt paternitas
in humanis ad filios, quos idem pater poteſt
ſucceſſiuè habere plures: aliam, quæ ita eſt
ad terminum determinatum in indiuiduo, vt
repugnet plures dari in hac eadem ſpecie: iam
quidquid ſit de relatiuo primi generis (quod
non facit ad præſentem rem) attamen non po-
teſt eſſe verum in relatiuo poſterioris generis,
cuiuſmodi eſt quælibet diuina perſona, vt
probatum eſt ſuperiùs; non quòd Deus non
poſſit impedire naturalem concurſum obie-
ctiuum termini, ſed quòd tunc talis cognitio
iſtius tendentiæ realis, nec eſſet loquendo
propriè intuitiua rei cognitæ ſicuti eſt in ſei-
III. pſa, nec quidditatiua.

Articvlvs IV.

Vtrum poßit diuina eſſentia videri ſine ſuis attributis abſolutis & relatiuis, eâ viſione quæ ſit beatifica, & correſpondens fidei quam nunc habemus in via.

NOTANDVM eſt, viſionem Dei ſeu diui-
næ eſſentiæ poſſe conſiderari duobus
modis; primò quatenus eſt viſio etiam clara,
intuitiua, & quidditatiua alicuius obiecti in-
creati, vt illud eſt in ſeipſo præcisè, conſide-
rando, quòd talis viſio formaliter ſeipſa bea-
tificet intellectum modo correſpondenti for-
matæ fidei per charitatem, quam habuit in
IV. via iuxta hunc noſtrum ſtatum: ſecundò qua-
tenus eſt beatifica modo illo correſpondenti
ad fidem formatam, quam homo habuit,
dum adhuc viueret in terris: nam licet ſit in-
trinſecum huic viſioni poſſe beatificare, imò
& de facto beare hominem modo ſibi pro-
portionato, dum per illam cognoſcit Deum,
tanquam ſummum bonum & vltimum finem;
non eſt tamen de eius eſſentia, vt beatificet
modo tam perfecto, ac nunc beatificat, pro-
portione ad fidem charitate informatam:
quemadmodum enim non eſt de eſſentia vi-
ſionis, vt detur duntaxat in præmium meri-

A torum, quemadmodum patet in anima Chri- V.
ſti Domini; ita etiam non eſt de intrinſeca
eius ratione, vt reſpondeat tantæ fidei quan-
tam de facto Deus communicat in hoc ſtatu
viatoribus: imò Deus potuit hominibus reue-
lare pauciores veritates, quàm de facto re-
uelauerit: vnde tunc abſque iniuria, & etiam
ſeruatâ proportione ad fidem, quam talis bea-
tus habuiſſet in via, poſſet dare illi viſionem
ſuæ eſſentiæ, illam non manifeſtando ei qua-
tenus includit illam veritatem per fidem an-
teà non manifeſtatam ei, vt ampliùs patebit
infrà. Hoc prænotato,

Sit hæc propoſitio. *Implicat diuinam eſſen-
tiam videri ſine ſuis attributis abſolutis, & rela-
tiuis eâ viſione, quæ ſit beatifica, & correſpon-
dens formatæ fidei, quam nunc habemus in via.*

Hæc propoſitio probatur: modus, quo
Deus nunc beatificat de facto creaturas ratio-
B nales ipsâ viſione ſui ipſius, ſequitur mo- VI.
dum, quo in via credimus per fidem forma-
tam ex dictis ſuprà: atqui in hoc ſtatu poſitis
rebus, vt ſunt conſtitutæ à Deo, implicat ali-
quem verâ fide & formatâ loquendo propriè
credere Deum eſſe vnum, non credendo
etiam illum eſſe trinum in perſonis; item
habere voluntatem, bonitatem, ſapientiam
& id genus alia, quia fides eſt vna in omni-
bus, & qui in vno peccat circa illam, fit reus
omnium, tenemúrque profiteri myſterium
vnitatis & Trinitatis in Deo, vt Theologi do-
cent ex profeſſo ſecundâ ſecundæ tractatu *de
fide*: ergo rebus poſitis, vt nunc ſunt à Deo
conſtitutæ, implicat Deum aliquem beatifi-
care viſione ſui ipſius, quâ eſſentia diuina tan-
tùm videatur, & attributa eius, tam abſoluta, VII.
quàm relatiua non videantur.

C Confirmatur, & ſimul explicatur hæc ra-
tio: beatifica viſio ſuccedit fidei, quam ha-
bemus in via, & Deus in ratione obiecti viſi,
debet nos beare modo tam perfecto, quàm
modo perfecto in illum credimus, ita vt ex-
tenſio videndorum in Deo tam latè pateat in
patria, quàm fides diſtincta credendorum in
via, quia merces debet reſpondere labori &
merito: atqui credimus fide Catholicâ Deum
ita eſſe ſummè perfectum ſub præciſa ratione
ſuæ eſſentiæ, in genere eſſentiæ, & in radicali
& primaria perfectione, vt tamen eſſentia
diuina, prout præſcindit à ſuis attributis, non-
dum noſtro concipiendi modo intelligatur
completè perfecta, niſi prout habet formali-
ter in ſe ſua attributa, quia ex Patribus in-
D frâ citandis, pro diſtinctione attributorum VIII.
ab eſſentia, attributa ſunt veluti quædam
adiuncta, quæ ſeſe habent ad eſſentiam eo-
dem ferè modo, quo proprietates ſeſe ha-
bent ad noſtram naturam: ideóque ſicut no-
ſtra natura ita habet ſuas perfectiones intrin-
ſecas, vt tamen adhuc compleatur vlteriùs
per ſuas proprietates, ſic & eſſentia diuina
per ſua attributa: ergo quemadmodum hîc
credimus in via Deum completè perfectum,
ſic in patria debemus videre eſſentiam diui-
nam cum ſuis omnibus attributis tam relati-
uis, quàm abſolutis.

I.

ARTICVLVS V.

Vtrum essentia diuina posit intuitiuè videri, & sicuti est, inadæquatâ visione sine suis attributis absolutis & relatiuis.

PARTEM affirmantem loco nostræ propositionis ponimus : *Potest essentia diuina videri intuitiuè & sicuti est, inadæquatâ visione non visis attributis tam absolutis quàm respectiuis.* Probatur : vbi diuina essentia potest in ratione obiecti mouere intellectum sub eo omni suo modo essendi quem habet, quatenus distinguitur ab omnibus suis attributis, tam absolutis, quàm relatiuis, non mouendo simul eum, quatenus habet etiam modum essendi omnium, & singulorum suorum attri-

II. butorum, potéstque isto priori modo terminare cognitionem eius : ibi diuina essentia potest videri intuitiuè in seipsa, & sicuti est, non visis eius etiam quibuscumque attributis: atqui de absoluta potentia Dei potest mouere intellectum alicuius beati sub eo omni modo suo essendi, quem habet, prout distinguitur virtualiter à suis omnibus attributis tam relatiuis, quàm absolutis non mouendo eum simul, quatenus habet etiam modum essendi omnium & singulorum suorum attributorum, potéstque sic terminare cognitionem beati : ergo per absolutam Dei potentiam diuina essentia potest ab aliquo intellectu beati videri intuitiuè, sicuti est, & in seipsa, non visis etiam quibuscumque attributis eius.

Maior patet, quia vt obiectum aliquod videatur intuitiuè in seipso & sicuti est, sufficit,

III. vt per hanc cognitionem sui attingatur sub eo omni tantùm suo modo essendi, quo repræsentatur intellectiuæ potentiæ, vel per ipsummet obiectum sese habens ad instar speciei impressæ, vel per aliquam sui ipsius speciem : & præterea vt modus ille sub quo, & secundùm quem illud obiectum cognoscitur, ita existat in re, sicut videtur de facto : quemadmodum etiam ex auctoribus contrariæ sententiæ Suares libro 2. *de attributis negatiuis*, cap.25. num.7. ingenuè fatetur, & exemplum humanitatis Christi Domini probat, quæ rectè dicebatur intuitiuè videri à dæmone, licet ipse dæmon non videret modum illum vnionis hypostaticæ non distinctum realiter ab humanitate : vnde intuitiua visio, quâ est intuitiua, non postulat necessariò, vt obiecto eius viso omnis modus, qui est in illo, vel cum

IV. quo tale obiectum existit, videatur; quemadmodum etiam patet in visu corporeo sese terminante ad obiectum corporeum, in cuius superficie considerata adæquatè, possumus distinguere duas veluti partiales facies solâ ratione, vel virtualiter duntaxat distinctas, scilicet vnam *extrorsùm* versus nos, quæ respicit nos intuentes obiectum: alteram *introrsùm* versus totam crassitiem reliqui corporis; licet enim hanc secundam veluti faciem talis obiecti non videamus, sed primam solùm ; non propterea tamen desinimus dici videre intuitiuè tale obiectum, puta parietem, quia scilicet secundum hanc duntaxat primam faciem mouet nostrum visum : ergo à pari, vt diuina essentia dicatur videri intuitiuè in seipsa & sicuti est, non visis etiam attributis eius,

A sufficit, quòd in ratione obiecti moueat intellectum beati sub eo omni suo modo essendi, quem habet, quatenus virtualiter distinguitur ab omnibus suis attributis; & sic illa terminet actualem cognitionem beati, & quod videtur, ita sit in ea, prout videtur. V.

Minor probatur : vbi motio, quâ obiectum mouet potentiam, postulat necessariò aliquem concursum agentis liberè ; ibi obiectum potest mouere potentiam sub eo suo tantùm essendi modo, cui illud agens liberè voluerit accommodare suum concursum, quia sine tali concursu non potest mouere: at motio, quâ diuina essentia, tanquã obiectum mouet intellectũ beati, postulat necessariò aliquem concursum Dei, tanquam liberè agentis, quemadmodum patet ex dictis præcedenti quæst. & Deus

B ratione suæ libertatis potest velle accommodare suum concursum ad hoc, vt suâ essentiâ moueat solummodò intellectum beati sub eo suo essendi modo, quem habet, prout distinguitur virtualiter à suis omnibus attributis, & ex consequenti potest facere, vt sola diuina essentia videatur à beato, non visis eius attributis. VI.

Neque huic argumento satisfacit, quod aliqui respondent, scilicet probationem nostræ maioris non euincere, ad visionem intuitiuam rei necessarium esse videre omnes modos, qui sunt in ipsa re, nisi quando modi illi dicunt aliquid superadditum entitati, sicut modus vnionis in primo exemplo : at attributa Dei non dicunt aliquid superadditum entitati essentiæ diuinæ, sed sunt ipsamet essentia simplicissima : hoc, inquam, non satisfa-

C cit : nam primò hæc responsio sumpta præcisè non ampliùs fundat suam prætensam contradictionem in ratione cognitionis intuitiuæ, vt est intuitiua, sed tantùm in summa simplicitate diuinæ essentiæ cum suis attributis : cùm tamen hîc tantùm vrgeamus non obstare ex parte cognitionis intuitiuæ, quatenus præcisè loquendo est intuitiua. VII.

Deinde, exemplum sumptum à facie rei corporeæ, quæ vna existens, est tamen virtute duplex, ostendit nostram rationem esse veram vbi ens aliquod est tantùm virtute duplex, nec ibi vnum se habet, tanquam aliquis modus superadditus priori entitati. Et confirmari potest ampliùs exemplis plurium qualitatum, quæ si ita sint aliquid simplex entitatiuè, vt tamen virtute sint aliquid multiplex, possunt etiam cognosci intuitiuè quoad vnam virtua-

D lem rationem, sicut sunt in seipsis, licet sub alia sua virtuali ratione non cognoscantur, VIII. quando vna eiusmodi rationum non est correlatiua alteri eâ relatione, quæ specificetur ab actuali existentia correlatiui sui termini, ob rationem allatam superiùs : quemadmodum intelligi potest de cognitione intuitiua Angeli, quâ potest cognoscere aliquam rem creatam secundùm vnam virtualem rationem præscindendo ab alia ratione virtuali eiusdem rei : quorum omnium hæc est optima ratio, quòd, quando vnum aliquod ens, aliàs in seipso simplicissimum, est virtute multiplex, nihil repugnat illud percipi intuitiuè inadæquatâ cognitione secundùm quod induit rationem vnius, intellectu sese habente negatiuè ad illud idem ens, prout habet in sua virtute rationem alterius entis, quia ibi nullum

I. fertur iudicium, quo tale ens affirmetur esse, A
vel realiter distinctum ab alio, vel idem cum illo: sed intellectus ibi videt duntaxat virtualem illam formalitatem habendo se negatiuè ad distinctionem, vel identitatem eius cum alia, quatenus talis cognitio est tantummodo inadæquata: at diuina essentia sumpta adæquatè ita est vnum aliquod ens simplicissimum, vt tamen sit virtute multiplex: nam sub vna inadæquata sua ratione habet conditionem essentiæ, sub alia conditionem sapientiæ, & sic de omnibus & singulis attributis, & ita quatenus consideratur secundùm eiusmodi conceptus inadæquatos etiam obiectiuos, ipse conceptus essentiæ non est de præciso conceptu attributorum, nec econtrà, vt docebitur inferiùs agendo de eiusmodi distinctione: ergo essentia diuina non obstante suâ
II. simplicitate & identitate cum omnibus suis B
attributis poterit videri intuitiuè per cognitionem intuitiuam, & inadæquatam suis attributis intuitiuè non visis.

Confirmatur: distinctio virtualis, quæ est inter essentiam diuinam, & personalitatem Verbi diuini facit, vt vnio humanitatis Christi Domini terminetur ad hypostasim, & non ad essentiam diuinam: ergo hæc eadem distinctio poterit facere, vt eadem essentia diuina sumpta inadæquatè, prout virtualiter condistincta à suis attributis, ad quæ nullam habet actualem relationem veluti categoricam, possit in seipsa, & sicuti est, quoad rationem inadæquatam, terminare aliquam cognitionem intuitiuam beati cuiusdam intellectus, & sic ex præcisa ratione simplicitatis diuinæ,
III. non repugnabit essentiam diuinam videri C
inadæquato conceptu intuitiuè, & quidditatiuè, non visis personalitatibus diuinis, vel attributis absolutis.

Neque huic confirmationi solutio superiùs tradita eidem argumento, prout formabatur pro sententia Scoti potest accommodari: nam agebatur ibi de visione intuitiua & quidditatiua simul vnius diuinæ personæ sine alia, quæ cognitio est intrinsecè & essentialiter obiecti formaliter relatiui, & proinde cuius hæc cognitio importat intrinsecè cognitionem alterius eius correlati: sicq; hæc duo sunt, quoad ipsum *cognosci* intrinsecè sibi inuicem connexa: at diuina essentia nullam habet relationem actualem & veluti categoricam ad sua attributa, nec hæc ad illam: ergo vt personalitas ratione virtualis suæ distinctionis ab essentia diuina
IV. potest vniri humanitati, absque eo quòd essen- D
tia diuina ei vniatur immediatè: sic etiam quia hæc eadem personalitas ita retinet prædictam virtualem distinctionem ab essentia, vt nulla etiam relatio detur inter illas, ratione cuius intrinsecè coniungatur simul in ipso cognosci per conceptum inadæquatum; diuina essentia sic poterit intuitiuè cognosci, absque eo quòd diuina personalitas videatur etiam intuitiuè.

Quòd item in tali hypothesi diuina essentia videtur quidditatiuè, patet ex dictis, nimirum quòd omnia eius prædicata essentialia, quatenus distinguitur virtualiter ab omnibus suis attributis, videantur.

ARTICVLVS VI. V.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

OPPONVNT primò, fœcunditatem esse de ratione intrinseca diuinæ essentiæ: ideóque cùm hæc fœcunditas dicat intrinsecum ordinem ad filium & Spiritum sanctum, tanquam ad proprios suos terminos, essentiam diuinam non posse videri intuitiuè sicuti est in seipsa, nisi etiam attributa relatiua paternitatis, filiationis & spirationis, tam actiuæ quàm passiuæ videantur.

Respondetur, quòd fœcunditas solummodò, vt est in actu secundo, postulat cognitionem suorum terminorum ad intuitiuam cognitionem sui, non autem vt est duntaxat
fœcunditas in actu primo, & radicalis, vt pa- VI.
tet in cognitione etiam comprehensiua hominis, quæ potest esse in supremo Angelo: at sola fœcunditas in actu primo & radicalis est de ratione intrinseca diuinæ essentiæ, quatenus hæc distinguitur virtute à suis attributis: vnde sicut potentia cognosci potest intuitiuè per ordinem, quem transcendentaliter dicit ad sua obiecta vel effectus, licet hæc non cognoscantur intuitiuè vel nondum existant: sic etiam diuina essentia cognosci potest intuitiuè sicuti est in seipsa etiam, vt est fœcunda radicaliter, & in actu primo per transcendentalem ordinem, quem illa dicit ad suos terminos, etiamsi termini eiusmodi non cognoscantur intuitiuè.

Opponunt secundò, esse de intrinseca ra-
tione diuinæ essentiæ, vt sit perfecta infinitè, VII.
qualis cognosci non potest, nisi cognitis attributis eius, ratione quorum est simpliciter infinitè perfecta.

Respondetur ad illud sufficere, quòd essentia diuina videatur quidditatiuè & intuitiuè infinita secundùm illum duntaxat omnem gradum essendi, & secundùm omnem illam perfectionem, quam sibi formaliter vendicat, prout condistinguitur virtualiter à suis omnibus attributis, quia vt ostendimus suprà ad intuitiuam cognitionem, & quidditatiuam rei alicuius satis est, quòd omnia eius prædicata essentialia, quatenus est obiectum istius cognitionis, talia videantur, qualia sunt in obiecto, quatenus obiectum est, & sic terminent cognitionem: at essentia diuina, prout con-
distinguitur virtualiter à suis omnibus attri- VIII.
butis, non postulat habere formaliter in se omnes perfectiones simpliciter simplices, tanquam quædam prædicata sibi, vt sic considerata essentialia, (eorum enim, quæ condistinguuntur, vt sic præcisè, vnum non est de quidditate alterius & de ratione essentiali eius, à quo distinguitur,) sed tantùm postulat infinitatem primariam & radicalem, seu infinitam perfectionem in ratione essentiæ, quæ consistit in eo, quòd sit tanta & talis, vt sit radix vnde omnes aliæ perfectiones veluti pullulent, quæ significantur nomine *attributorum*: ergo eiusmodi infinita perfectio diuinæ essentiæ potest videri intuitiuè, quidditatiuè & sicuti est, ab intellectu beati, non visis eius attributis, quorum est solummodo veluti radix, sicut omnipotentia Dei videri potest, licet effectus possibiles non videantur.

I. Opponunt tertiò, essentiam diuinam non posse videri sicuti est, nisi videatur vt *subsistens*, & proinde cùm subsistat tantùm in tribus personis, eam non posse videri sicuti est, nisi simul tres subsistentiæ relatiuæ videantur.

Respondetur, nullius momenti esse istud argumentum; nam primò qui admittunt quartam subsistentiam essentialem in Deo, facilè respondebunt tunc essentiam videri subsistentem essentiali subsistentiâ, subsistentiis eius relatiuis non visis: qui verò illam negant, respondebunt aliud esse videre rem, vt subsistentem etiam intuitiuè, & quidditatiuè, & aliud hoc vtroque modo videre rem, quæ subsistit; ad secundum non requiri absolutè, quòd forma hypostatica, per quam res formaliter subsistit, videatur, vt patet in humani-
II. tate Christi Domini, quæ subsistit subsistentiâ Verbi diuini, quam dæmones non videbant, licet viderent intuitiuè & quidditatiuè humanitatem eius, & sic pari iure diuinam essentiam videri posse, subsistentiis eius relatiuis non visis.

Nec quidquam obstat, quòd subsistentia in rebus creatis dicat aliquid superadditum illis: cùm hæc cognitio sit, vt suprà docuimus, solius essentiæ, quatenus sumitur inadæquatè & est virtualiter distincta ab omnibus suis attributis, sicque omnia esse paria, non tamen parem esse conditionem existentiæ, quæ est subsistentiæ, quia existentia est de conceptu intrinseco diuinæ essentiæ, prout virtualiter distinguitur à suis omnibus attributis, vt docuimus ad quæstionem 3. & existentia quæ-
III. dam essentialis datur in diuinis, vt docebitur agendo de mysterio Trinitatis.

Opponunt quartò: impossibile est idem in reipsa ens simplicissimum videri, quin omnia quæ sunt in illo, videantur: item quando in intrinseca ratione alicuius includitur identitas eius cum aliis, impossibile est id ipsum videre, non visâ eius identitate cum ipsis: atqui diuina essentia est ens simplicissimum, & identificatur cum attributis, & relationibus: ergo non potest videri sine illis.

Confirmatur, quia tanta est identitas inter essentiam & attributa; vel relationes, quanta est inter Michaëlem, & seipsum: igitur.

Respondetur, quòd licet diuina essentia, & omnia eius attributa sint idem in reipsa ens simplicissimum, prout Deus consideratur
IV. adæquatè, vt animaduertimus, & sic essentia diuina non possit videri adæquatè, sine suis attributis, vel econtrà: attamen datur virtualis quædam distinctio inter essentiam diuinam inadæquatè consideratam, & sua attributa etiam inadæquatè considerata, secundùm quam diuina essentia non est de formali conceptu suorum attributorum, vt docebitur agendo de Trinitate, & per inadæquatam intuitiuam cognitionem diuinæ essentiæ, vt sic præscindentem ab intuitiua cognitione attributorum, non idem ens simplicissimum, cùm sit virtute multiplex, reipsa videtur, & non videtur secundùm idem: & summa identitas essentiæ cum suis attributis; vel econtrà est duntaxat verè, & de facto realis & formalis, quæ compatitur virtualem inter illa distinctionem, ratione cuius dari potest quiddita- A tiua, & intuitiua simul cognitio inadæquata vnius, absque eo quòd aliud ei realiter & formaliter identificatum cognoscatur simili cognitione, vt nostra ratio apertè ostendit. V.

Ad confirmationem respondetur, illam identitatem hoc sensu esse tantam, quanta est inter Michaëlem & seipsum: quòd vt hæc posterior non dicit aliquam veram compositionem, sic diuina essentia cum suis attributis dicit omnimodam simplicitatem, cum exclusione cuiuscumque veræ compositionis, quia tamen summa illa simplicitas, quæ est in Deo prout illa habet tam sua attributa, quàm diuinam essentiam, dicit virtualem multiplicitatem, vt intelligitur ex dictis, ratione cuius intelligimus rectè attributa tam absoluta
B quàm relatiua esse extra præcisum conceptum diuinæ essentiæ, fit, vt quoad hoc sit dispar ratio istius identitatis, quæ est inter diuinam essentiam, & sua attributa ab identitate, quæ est inter Michaëlem & seipsum, quòd hæc defectu virtualis istius multiplicitatis, & distinctionis non possit fundare aliquam intuitiuam cognitionem sui ipsius, tanquam distincti à seipso, diuina autem essentia possit fundare illam prout distinguitur ab omnibus suis attributis. VI.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur aliæ eiusdem sententiæ obiectiones.

C OPPONVNT quintò: intelligibilitas, quam vnaquæque res habet ad mouendum potentiam intellectiuam ad intellectionem sui, fundatur immediatè in tota entitate rei, quia finis intrinsecus & primarius talis potentiæ est repræsentare totam entitatem rei cognoscibilis: ergo cùm ipsa entitas Dei sit indiuisibilis, non potest mouere aliquem intellectum ad intellectionem sui, quin repræsentet illam secundùm totam suam entitatem & intrinsecam perfectionem: cuiusmodi est quodlibet attributum comparatione diuinæ essentiæ. VII.

Respondetur, quòd intelligibilitas fundatur in entitate: quare quemadmodum essentia diuina & omnia eius attributa, sic sunt vnum aliquod ens simplicissimum & indiuisibile, vt tamen essentia non sit de formali conceptu attributorum, nec econtrà, sed
D seruant inter se virtualem distinctionem; ita etiam habebunt intelligibilitatem virtualiter à se inuicem distinctam, ratione cuius essentia diuina poterit etiam intuitiuè & quidditatiuè cognosci, licet attributa eius non videantur. VIII.

Opponunt sextò: quælibet pars speciei obiecti sensibilis habet vim repræsentandi totum obiectum: ergo à pari quidquid repræsentabit aliquid diuinæ essentiæ, repræsentat eam totam.

Respondetur, in primis disparem esse rationem huius obiecti intelligibilis ab obiecto sensibili, quòd hoc agat & emittat necessariò speciem sui, istud verò, id est Deus, sit speculum liberum in beatitudine; & proinde potest ex iis, quæ sunt in ipso adæquatè considerato exhibere videnda, quæ voluerit,

I. & non plura. Deinde etiamsi Deus quoad hanc obiectiuam repræsentationem sui faciendam esset agens quoddam necessarium, attamen quia applicatio suæ essentiæ in ratione obiecti est ei libera, & postulat aliquem concursum liberum distinctum à concursu essentiæ habentis se ad instar speciei intelligibilis, adhuc semper posset applicare solummodo essentiam in ratione obiecti, & non attributa, vel econtrà, quæ diuina attributa haberent se ad instar speciei impressæ, vt ostendimus suprà, & talis concursus Dei dicitur absque aliquo sufficienti fundamento esse necessarius ex suppositione, cùm ex tali suppositione non sit magis necessarius ad repræsentandum Deum totum, vt est in seipso extensiuè considerato, quàm ad repræsentandum illum iuxta quamlibet intensiuam intelligibilitatem sui, & sicut nullum
II. datur lumen gloriæ, quod possit esse proportionatum tali intensiuæ intelligibilitati Dei; sic etiam Deus potest dare alicui beato lumen aliquod gloriæ, quod ex indiuidua sua conditione postulet duntaxat visionem solius diuinæ essentiæ: cùm enim lumen hoc sit tantùm in genere causæ efficientis & eleuantis potentiam obedientialem intellectus: quemadmodum in causis purè efficientibus datur quædam latitudo etiam extensiua: sic Deus poterit facere aliquod lumen inferius, cuius vis & efficacia sese tantùm extendet ad videndum solam essentiam diuinam.

Tandem dici potest non conuenire inter philosophos, an quælibet pars speciei sensibilis repræsentet totum suum obiectum extensiuè: sed quanquam istud esset verum, de
III. quo videri possunt Conimbricenses, & alij ad caput sextum & septimum libri secundi *de anima*, attamen istud potiùs confirmaret nostram sententiam. Nam in ista opinione quælibet pars speciei sensibilis ita repræsentat totum suum obiectum & singulas eius partes, vt tamen quælibet pars obiecti det vnicuique parti speciei suum esse, & si hæc species visibilis, quatenus accipit suum esse ab vna aliqua parte obiecti, non repræsentet aliquam partem eiusdem obiecti, quatenus habet illud idem esse numero ab illa eadem parte: tunc hæc illa eadem pars obiecti, quæ fuit impedita repræsentare, nullomodo apparebit: quemadmodum Conimbricenses loco nunc citato docent expresè: ergo cùm in præsenti difficultate possit fieri per liberum concursum Dei ad extra, & liberam
IV. applicationem actualem essentiæ diuinæ vel attributorum eius, vt diuina essentia applicatur ad repræsentandum duntaxat diuinam essentiam, vel aliquod eius attributum; tunc illa sola, & non illud vel econtrà poterit solummodò videri: sicque ex tali exemplo nostra propositio confirmatur potiùs quàm infirmetur.

Opponunt septimò: intuitiua cognitio est rei præsentis, sed præsentia Dei est attributum immensitatis ex dictis suprà de illo: ergo implicat videri essentiam diuinam non visis vllis attributis.

Respondetur, præsentiam substantialem in Deo distingui, à virtuali eius spiritali extensione ad omnia spatia, sicut in rebus corporeis substantialis earum præsentia à quan-

A titate molis, quam habent: Deus siue essentia diuina non habet primum formaliter V.
ab attributo immensitatis, sed duntaxat secundum, vt patet ex dictis ad quæstionem octauam, articulo primo: & vt hæc cognitio terminetur ad hanc præsentiam essentiæ diuinæ satis est, quòd terminetur ad essentiam diuinam, vt sic & nunc est, intimè indistantem ab ipso cognoscente: quod potest facilè intelligi in essentia diuina, ente quoad existentiam necessario, absque eo quòd intelligatur attributum diuinæ immensitatis.

Opponunt octauò: cognitio rei in seipsa talis est, vt tendat ad omnia quæ sunt formaliter in illa: atqui cognitio intuitiua & quidditatiua essentiæ diuinæ est cognitio eius in seipsa: ergo fertur ad omnia quæ sunt formaliter in illa, sed attributa, tum absoluta,
B tum etiam relatiua sunt formaliter in essentia diuina: ergo eâ visâ intuitiuè & quidditatiuè ipsa videntur necessariò. VI.

Respondetur negando maiorem; nam hæc distinguuntur aliquid esse formaliter in aliquo, & istud aliquid esse de intrinseco & formali eius conceptu, ad cognitionem intuitiuam, & quidditatiuam, seu rei in seipsa secundum requiritur, non primum, nec ex primo infertur secundum, vt patet in quolibet subiecto creato, in quo quædam accidentia sunt formaliter, quæ tamen nullo modo ingrediuntur conceptum eius intrinsecum: nec proinde intuitiua & quidditatiua cognitio talis subiecti materialiter considerati postulat cognitionem istorum accidentium: ergo à pari licet attributa sint forma-
C liter in diuina essentia, quia tamen non ingrediuntur formalem constitutionem diuinæ essentiæ vt essentia est, illa non desinet tanquam præcisa ab eiusmodi attributis posse terminare intuitiuam, & quidditatiuam sui ipsius præcisè sumptæ cognitionem ab aliquo intellectu creato formatam, & videri in se ipsa sicuti est, absque eo quòd attributa, quæ sunt in illa formaliter videantur. VII.

Opponunt vltimò, sanctum Thomam secundâ secundæ, quæstione secundâ, articulo octauo ad tertium, qui expresè ponit hoc discrimen inter cognitionem quam habemus de Deo in via, & eam quam de eodem habebimus in patria, quòd in via bonitas Dei, vel aliquod eius attributum absolutum cognosci possit, sine Trinitate personarum; at in patria non possit: & tertiâ
D parte, quæstione tertiâ, articulo tertio, ait impossibile esse cognoscentibus Deum sicuti est, ita abstrahere aliquid à Deo, vt aliud tamen remaneat. VIII.

Respondetur ad primum illum locum S. Th. ibi etiam iudicio Caietani posse sufficienter explicari de facto, & de potentia ordinaria Dei, vt etiam patet ex ipso eius textu; nos verò hîc tantùm agere de extraordinaria potentia: quod similiter potest responderi ad secundam eius auctoritatem, quatenus tantùm vult esse impossibile beatis, licet per hypothesim supponantur velle abstrahere naturam diuinam à suis relationibus, quia visio beatifica fit necessariò, & iuxta modum quo obiectum repræsentatur beatis, tam secundùm suas relationes, quàm secundùm omnia

I. ſua eſſentialia, non tamen negat Deum qui
eſt vel ſpeculum liberum, vel ſaltem liber ad concurrendum cum ſua eſſentia, & intellectu beati poſſe facere oppoſitum per abſolutam ſuam potentiam: quod nos tantùm hîc aſſerimus.

Articvlvs VIII.

Vtrum hæc viſio inadæquata intuitiua & quidditatiua eſſentiæ diuinæ, non viſis attributis & relationibus, eſſet beatifica.

Sit hæc vnica noſtra propoſitio. *Viſio hæc eſſentiæ diuinæ inadæquatè ſumptæ intuitiua, & quidditatiua eſſet beatifica.* Probatur imprimis ex ſancto Thoma in primum ſententiarum diſtinctione primâ quæſtione ſecundâ
II. articulo ſecundo, vbi expreſsè ait diuinas relationes non eſſe *fruibiles*, vt relationes ſunt: ſed vt ſunt diuina bonitas, id eſt, vt identificantur cum diuina eſſentia: ergo cùm beatifica fruitio ſequatur conditionem cognitionis, quemadmodum præciſa ratio, cur actus viſionis Dei ſit beatificus, non eſt loquendo propriè, quòd terminetur ad attributa eius relatiua, ſed quòd terminetur ad eſſentiam diuinam; pari modo actus viſionis erit beatificus, non quòd præciſè terminetur ad attributa Dei, ſed ad eius eſſentiam.

Idem probatur ſecundò, ex auctoribus contrariæ ſententiæ, vt Suare citato capite 23. numero 2. Molinâ ad quæſtionem 12. huius partis diſputatione 4. concluſione 2. Medinâ in 1. 2. quæſtione 11. articulo 4. & aliis ad-
III. mittentibus, dato per hypotheſim, quòd eſſentia diuina videretur ſine relationibus diuinis; tunc actum talis viſionis fore beatificum.

Tandem idem probatur hâc ratione: ad hoc vt actus ſit beatificus ex parte intellectus ſatis eſt, quòd ſit intuitiua & quidditatiua cognitio ſummi & perfecti boni, vltimi finis in ſeipſo, & ſicuti eſt cogniti, & vt hæc viſio terminetur ad illud vt ſic: atqui diuina eſſentia etiam, vt condiſtincta ab omnibus ſuis attributis eſt ſummum & perfectum bonum, eſt vltimus & ſupremus finis omnium: & actus ille cognitionis, de quo hîc agimus terminatur ad eam, vt ſic: ergo talis viſio diuinæ eſſentiæ eſt actus beatificus. Maior patet ex ſe.

Minor probatur quoad ſingulas partes:
IV. & primùm quòd *talis actus ſit cognitio intuitiua & quidditatiua*, patet ex dictis hactenus: quoad verò partem illam, quæ aſſerit *diuinam eſſentiam, vt condiſtinctam à ſuis omnibus attributis eſſe ſummum, & perfectum bonum ſeu finem vltimum*,

Probatur: hæc tantùm tria poſſumus diſtinguere in Deo adæquatè ſumpto, diuinam eſſentiam præciſè, attributa abſoluta, & diuinas relationes: at Deus non habet à diuinis relationibus, quòd ſit ſummum bonum, quòd ſit finis vltimus: nam ratio ſummi boni & finis vltimi eſt quædam perfectio *ſimpliciter ſimplex*, vt conſtat ex eius definitione: relationes autem diuinæ ſunt duntaxat perfectiones ſimplices, vt intelligitur ex dictis de perfectione Dei, & intelligetur ex iis, quæ infrà tradentur de illis; non item habet à ſuis

A abſolutis attributis, quia ratio ſummi boni V.
& finis vltimi, debet eſſe primaria quædam perfectio cuiuſmodi eſt deitas, quam eſſentia Dei importat præciſè, non autem quædam perfectio tantùm ſecundaria: cuiuſmodi eſt vnumquodque abſolutum attributum Dei: & prætereà Deus inde habet, vt ſit ſummum perfectum bonum & vltimus finis omnium, vnde habet, vt ſit fons & radix omnium bonorum: at hoc ſecundum habet præciſè à ſua eſſentia: ergo habet etiam ab illa, vt virtualiter condiſtincta à ſuis omnibus attributis, quòd ſit ſummum perfectum bonum & vltimus finis omnium.

Probatur etiam quoad vltimam partem: actus hic, de quo agimus, terminatur ad eſſentiam diuinam, ſicuti eſt in ſeipſa, quatenus condiſtinguitur virtualiter à ſuis omnibus at-
B tributis, vt patet ex dictis: atqui diuina eſſen- VI.
tia, vt ſic condiſtincta virtualiter habet in ſe ipſa, quòd ſit ſummum perfectum bonum & vltimus finis, vt nunc probatum eſt: ergo iſte actus cognitionis terminatur ad eſſentiam diuinam, vt eſt ſummum bonum & vltimus finis omnium.

Nec eſt, quòd quis dicat cum Caietano ſecundâ ſecundæ quæſtione duodecimâ articulo octauo, ſolam diuinam eſſentiam ita eſſe formalem rationem beatificandi, vt tamen ad actu beatificandum poſtulet ipſum beantem ſeſe habere, *vt quod*, ſeu eſſe ſubſiſtentem: cùm actiones ſint ſuppoſitorum, diuinam verò eſſentiam ſubſiſtere tantùm relatiuis ſubſiſtentiis. Non eſt, inquam, quòd quis hoc dicat. Nam qui admittunt quartam
C ſubſiſtentiam in diuinis dicent totum hoc re- VII.
periri in eſſentia diuina, vt ſic conſiderata, qui verò illam negant reſpondebunt ſatis eſſe, quòd eſſentia diuina videatur exiſtens, & quòd cognitio terminetur ad illam, vt ſic; quemadmodum patet exemplo ſumpto ab humanitate Chriſti Domini, & ab accidentibus Euchariſtiæ, quæ videntur intuitiuè, licet modus, quo ſubſiſtunt non videatur.

Nec obſtat, quòd actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum, & actio beatificans ſit à beante, vt tantùm ſubſiſtente. Nam aliud eſt beatificari de facto ſeu videre beatificantem, & aliud videre, quòd beatificans ſit ſubſiſtens ſeu quomodo ſubſiſtat: primum enim cùm ſit totum effectiuè ab eſſentia diuina, & non ab eius ſubſiſtentiis, vt probatum eſt, non dependet à ſecundo, niſi, vt à quadam conditione. Hoc enim ſolo ſenſu actiones dicuntur
D eſſe ſuppoſitorum: ideóque ſicut non viſo VIII.
modo, quo humanitas Chriſti Domini, vel accidentia in ſacramento altaris ſubſiſtunt: res illæ non deſinunt dici verè & propriè videri intuitiuè & terminare viſionem: ita diuina eſſentia non deſineret dici propriè videri intuitiuè, licet eius ſubſiſtentiæ relatiuæ non viderentur, & ſicut fides docet multa eſſe decreta libera in Deo, multa poſſibilia contineri in illo, quæ tamen, licet non videantur in particulari, non tamen inquietant beatos, nec aliquem in illis appetitum non ſatiatum relinquunt, quia nimirum ſatiantur viſione diuinæ eſſentiæ, & habent voluntatem conformem diuinæ voluntati, norunt explicitam cognitionem iſtorum omnium non eſſe ſibi debitam; ita, quia in præſenti ſuppoſitione

I. quilibet beatus abundè ſatiaretur viſione ſo-
lius diuinæ eſſentiæ, haberétque voluntatem
conformem diuinæ voluntati, non propterea
appeteret videre intuitiuè modum illum, quo
de facto Deus ſubſiſtit: cùm non dubitaret id
ſibi eſſe indebitum. Atque eodem modo phi-
loſophandum eſt: ſi per impoſſibile vnicum
duntaxat daretur ſuppoſitum in diuinis, illud
enim ſemper eſſet extra conceptum diuinæ eſ-
ſentiæ; ideóque ſicut non implicat eſſentiam
diuinam videri abſque tribus relatiuis ſubſi-
ſtentiis, ita & in tali hypotheſi poſſet etiam
videri ſine ſuo ſuppoſito.

Neque his obſtat, quòd tres ſubſiſtentiæ
diuinæ ſint nunc de obiecto intuitiuæ viſio-
nis, quæ eſt in beatis. Nam non omne quod
attingitur viſione intuitiuâ diuinæ eſſentiæ,
facit formaliter & ſeipſo videntem beatum,
II. vt patet de creaturis, quæ etiam à beatis vi-
dentur in eſſentia diuina: nam plura requi-
runtur ad hoc, vt aliquid dicatur obiectiuè
beatificare, quàm vt ſolùm dicatur videri in-
tuitiuè, ad hoc ſufficit, quòd ſit verum, quòd
ſit intelligibile, quòd videatur tale, quale eſt
in ſeipſo & quòd terminet actum cognitionis;
ad iſtud verò vlteriùs requiritur, vt ſit id, cui
primò per ſe & formaliter conuenit ratio
ſummi boni & finis vltimi, quod conuenit ſo-
li diuinæ eſſentiæ.

Ex his ſequitur primò, vnumquodque attri-
butum Dei, prout virtualiter diſtinguitur à
quouis alio & ab eſſentia etiam diuina, poſſe
quidem videri intuitiuè quidditatiuè inadæ-
quatâ cognitione, ſimiliter omnes relatiuas
perſonalitates, ſimul non viſis aliis attributis,
abſolutis vel diuinâ eſſentiâ, actum tamen
III. iſtius viſionis non fore beatificum, vt facilè
intelligitur ex dictis.

Secundò ſequitur ſolutio dubij, quo quæ-
ri poteſt, an in caſu noſtræ propoſitionis bea-
tifica viſio eſſet eiuſdem ſpeciei, ac nunc eſt.
Nam ſi agatur de viſione terminata ad ſolam
diuinam eſſentiam, reſpondetur fore eiuſ-
dem ſpeciei, cùm habeat idem medium ſeu
motiuum, ſcilicet diuinam eſſentiam, vt cla-
rè & in ſeipſa viſam; licet enim tunc ſeſe ex-
tenderet ad pauciora, non propterea tamen
eſſet alterius ſpeciei, ſicut patet in actibus
noſtris naturalibus, qui ſemper ſunt eiuſ-
dem ſpeciei, dum fiunt ex eodem motiuo,
licet plura per vnum & pauciora per alterum
videamus: ſi autem agatur de viſione vnius
tantùm attributi, vel plurium ſeſe non ter-
IV. minante ad diuinam eſſentiam; iam talis vi-
ſio eſſet alterius ſpeciei ab ea, quæ nunc eſt
in beatis, quia deberet fieri per aliud mo-
tiuum, quàm per diuinam eſſentiam clarè &
in ſeipſa cognitam.

A

DISPVTATIO NONA.

De creaturis quæ videntur à beatis in viſione beatifica.

QVIA tota hæc difficultas variis in locis explicatur à Theologis pro multiplici materia, quam complectitur: ideò relinquentes quæ ſunt propria aliis locis, eam quidem totam; ſed tamen breuiter perſtringemus, cùm enim creaturæ aliæ ſint poſſibiles tantùm; aliæ iam fuerint, aut de facto exiſtant; aliæ ſint futuræ in aliqua temporis dif-
B ferentia: prima earum conſideratio attingi- VI.
tur ex profeſſo à ſancto Thoma, & eius interpretibus, tertiâ parte quæſtione decimâ articulo ſecundo & tertio: & quod ſpectat ad creaturas, tam actu exiſtentes, quàm aliquando futuras de facto, agitur etiam ibidem, & diſputatione *de cultu & inuocatione Sanctorum*: item ſatis ordinariè in primâ ſecundæ, vbi agitur de formali beatitudine. Vt igitur eam expediamus, ſit

V.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum abſoluiè loquendo poſſit dari viſio beatifica, quâ nullæ ex creaturis merè poſſibilibus videantur in Verbo ſecundùm
C *illud eſſe quod habent extra Verbum.* VII.

NOTANDVM eſt, duplicem diſtingui modum cognoſcendi creaturas; vnus eſt videndi illas in Verbo, alter eſt cognoſcendo eas extra Verbum: videre creaturas in Verbo idem eſt, ac videre illas in diuina eſſentia: hæc autem viſio dicitur fieri in Verbo, quia Verbum diuinum eſt imago Patris, & diuina eſſentia repræſentans illas ſeſe habet in cognitione beatifica ad inſtar ſpeciei & ſimilitudinis illarum: deinde hæc cognitio ſic nominatur, quia eſt aliquis actus; vnde cùm Verbum diuinum procedat per intellectus actionem, & opera cognitionis ſupernaturalis tribuantur Verbo diuino per appropriationem, ſicut opera iuſtificationis & gratiæ
D attribuuntur Spiritui ſancto ex eo quòd pro- VIII.
cedat per voluntatem, fit, vt viſio creaturarum in eſſentia diuina appelletur viſio illarum in Verbo.

Videre autem res extra Verbum, eſt cognoſcere illas, vel per ſpecies à Deo infuſas ipſi beato, vel per reuelationem ei factam à Deo, quod alij vocant videre illas *cauſaliter*, quatenus beatifica viſio eſt quædam cauſa moralis, cur Deus reuelet beatis iſtas res, vel illis infundat earum ſpecies: quomodo etiam dicuntur ab aliis Theologis cognoſci in proprio ſuo genere; vel denique quando cognoſcuntur per ſpecies acceptas à rebus: atque eodem recidit frequens illa diſtinctio cognitionis apud ſanctum Auguſtinum libro vndecimo *de ciuitate Dei* capite ſeptimo, & vigeſimo nono libro *de Geneſi* ad litteram capite vigeſimo ſecundo, & alibi: item apud

I. sanctum Bernardum libro quinto de *consideratione* capite quinto, *in matutinam & vespertinam*; *matutina* enim est, quam nos appellamus cognitionem creaturarum in essentia diuina seu in Verbo sic dicta, quia est longè clarior: *vespertina* autem illa est, quam nos diximus esse extra Verbum seu in proprio genere; vt iam ostendimus ad quæstionem primam disputatione tertiâ. Hoc prænotato,

Sit nostra propositio. *Absolutè loquendo non implicat dari aliquam beatificam visionem, quâ nullæ ex creaturis, quæ sunt merè possibiles videantur in Verbo, secundùm illud esse determinatum, quod possunt habere in seipsis.* Ita communiter omnes interpretes sancti Thomæ ad quæstionem vndecimam huius partis, & facilè probatur ex di-
II. ctis: vbi potest videri essentia diuina etiam *actu beatifico*, non visis eius attributis, nimirum omnipotentiâ, & continentiâ eminentiali; ibi visio beatifica potest dari, quâ nullæ ex creaturis, quæ sunt merè possibiles videantur in Verbo, secundùm illud esse determinatum, quod possunt habere in seipsis, quia res eiusmodi habent tale esse per ordinem ad hæc duo attributa: atqui ex dictis præcedenti disputatione diuina essentia potest videri per absolutam Dei potentiam intuitiuè, quidditatiuè, & *actu beatifico*, etiamsi nulla eius attributa videantur.

Dixi in propositione, *secundùm illud esse determinatum, quod possunt habere in seipsis*, quia seclusâ cognitione istorum duorum at-
III. tributorum, illæ creaturæ non possunt cognosci etiam sub communissimo conceptu entis proximè creabilis, seu possibilis, licet cognosci possint sub isto gradu, vt radicaliter possibili, quatenus beatus videndo diuinam essentiam, & includentem radicalem perfectionem, & continentiam in omni genere entis perfecti in præciso suo conceptu, videt etiam eam esse radicaliter & remotè potentem creare quodcumque non implicat.

Modus autem, quo essentia diuina sic videatur est, quòd cognitio creaturarum in Verbo sequatur conditionem diuinæ essentiæ vnitæ ad instar speciei, & concursum Dei requisitum ad cognitionem creaturarum: at Deus potest vnire suam essentiam ad instar speciei impressæ intellectui alicuius beati,
IV. pro videnda solùm sua essentia, vt patet ex dictis, neque aliquod violentum dicetur ibi esse, cùm intellectus beati non postulet ex hypothesi visionem istorum possibilium, vt sibi debitam, vel ratione sui status, vel suorum meritorum.

ARTICVLVS II.

Vtrum communicari possit intellectui creato cognitio omnium possibilium.

SIT hæc nostra propositio. *Implicat communicari creato intellectui cognitionem omnium possibilium.*

A Hæc propositio est satis communis inter V.
Scholasticos, vt videre est tertiâ parte, citatâ quæstione decimâ articulo tertio: imò non defuerunt, qui vellent oppositum non esse satis tutum in fide. De ratione huius propositionis non satis conuenit inter omnes: eam non repeti sufficienter ex incomprehensibilitate diuinæ essentiæ ostendimus suprà: ideóque repetenda aliunde. Nos omissis variis aliorum rationibus, breuiter repetimus ex eo, quòd nullus intellectus creatus, quantumuis perfecto lumine gloriæ illustratus potest excogitari videre hîc & nunc tot & tam multas res possibiles, quin adhuc aliqua ei semper restet videnda: ergo cùm illa, quæ restabit sit aliqua res possibilis, tunc non videbit illas omnes.

B Antecedens probatur: inter omnes res VI.
possibiles, omnes actus cognitionis creaturarum, tam directi, quàm reflexi circa quodcumque obiectum, imò & circa ipsum actum, quo beatus in præsenti casu supponitur videre omnia possibilia, veniunt etiam annumerandi: sed ille beatus tali suo actu non videret actum illum reflexum, quem potest elicere circa hunc suum actum directum, quia talis eius actus esset duntaxat directus, & haberet pro obiecto suo adæquato omnes tantùm res alias possibiles: tum quia actus ille directus priùs deberet ei supponi, tanquam obiectum; at ei non posset supponi, cùm potiùs tantùm sequeretur illum: tum quia etiamsi actus iste supponeretur ita esse directus, vt simul esset virtute, vel eminenter reflexus, non tamen ita se re-
C flecteret supra seipsum, vt tolleret à Deo VII.
potestatem dandi alicui beato vim vt aliâ sequenti visione videret istam visionem, & ita semper in infinitum, quæ visio cùm sit posterior istâ, non attingeret hanc secundam.

Dices esse tantùm posteriorem aliâ præcedenti quoad existentiam, & non quoad præuisionem; hîc autem duntaxat agi de possibilibus, quæ reuera non existunt; ideóque ad cognoscendum eiusmodi visionem nihil referri quòd hæc cognitio sit posterior; sed sufficere, quòd sit prior secundùm præuisionem & secundùm esse possibile, iuxta quod attingeretur ab intellectu beati.

Respondetur illam cognitionem ita esse de facto posteriorem aliâ, vt tamen semper restet Deo facultas creandi intellectum perfectiorem semper in infinitum corroboratum
D perfectiori semper lumine gloriæ, qui ali- VIII.
quem actum visionis beatificæ semper perfectiori & perfectiori modo in infinitum eliciat, quàm qui supponitur in præsenti casu illa videre: & proinde cùm modus ille perfectior semper & semper in infinitum sit aliquid possibile, quod modo perfectiori potest cognosci ab alio intellectu creando, quàm ab eo, qui iam supponitur videre possibilia ista; fit, vt nunquam possit fieri, quòd aliquis beatus videat omnia possibilia.

I. ## ARTICVLVS III.

Vtrum beati videant aliquas creaturas in Verbo, & cur has potiùs quàm illas.

NOTANDVM est primò, vt aliquid dicatur in alio videri iuxta statum præsentis difficultatis, duo requiri obiecta, quorum primum ita sese habeat ad secundarium, vt ratio cognoscendi illud, id est, debet esse tanta connexio in ratione cognitionis inter primarium & secũdarium obiectum, vt primarium obiectum cognitum ducat intellectum in cognitionem secundarij: ita vt actus cognitionis non terminetur ad obiectum secundarium, nisi mediante primario; vnde debet esse vnus & idem numero
II. actus, quo primarium & secundarium obiectum cognoscantur: sicut dum Angelus penetrando essentiam hominis, eodem planè actu videt proprietates eius: hæc enim duo, *cognoscere vnum in alio, & cognoscere vnum ex alio,* distinguuntur: prius importat vnum, & eundem esse actum cognitionis vtriusque obiecti; posterius infert aliquam causalitatem, & proinde duplicem actum cognitionis, ita ut prior cognitio causet posteriorem, sicut cognitio antecedentis causat cognitionem consequentis.

Secundò notandum est, creaturas duobus modis posse intelligi videri in Verbo: prior est secundùm illud esse *eminens*, quod habent in Deo, & secundùm quod sunt ipsamet essentia diuina creatrix: posterior est
III. secundùm illud esse, quod ipsæ creaturæ habent extra Verbum, seu diuinam essentiam, & iuxta quod sunt in seipsis, vel possunt in seipsis existere, quomodo sunt aliquid creatum, vel de facto, vel in potentia. His prænotatis,

Sit hæc prima propositio. *Beati vident aliquas creaturas in Verbo iuxta primum notabile positum.* Propositio est contra Vasqueũum disputatione quinquagesimâ & quinquagesimâ primâ ad primam partem sancti Thomæ, vbi vult creaturas hoc tantùm sensu dici videri à beatis in Verbo, quòd Deus peculiari reuelatione eas beatis reuelet intuitu beatitudinis illorum, vel quòd infundat illis species, quibus eas alio actu, quàm visionis beatificæ cognoscant.

Est tamen nostra propositio communis
IV. sancti Thomæ articulo octauo quęstione duodecimâ primæ partis, & omnium eius interpretum ibi: & primò, quòd modus iste videndi creaturas sit *possibilis*, probatur: ad hoc, vt aliquid videatur in alio, tanquam medio cognito, duo sufficiunt. Primum est, vt illud in quo aliquid videtur, habeat vim deducendi intellectum ad cognoscendum se, & id quod in seipso continet vno & eodem actu: alterum est, vt repræsentet illud intellectui, tanquam ei intrinsecè connexum, & vt dependens ab eo, quemadmodum patet in ea cognitione, quâ Angelus simul & semel eodem actu cognoscit essentiam rei alicuius, & eius proprietates; atqui diuina essentia, vt cognita in ratione causæ huius & istius rei possibilis in particulari, habet vim deducendi intellectum ad cognoscendum eiusmodi res
A prædictas possibiles, determinatas in particulari, eodem actu quo diuina essentia videtur, quia intellectus videndo essentiam diuinam, vt causam in particulari istorum possibilium, debet cognoscere ista possibilia, quatenus vnum extremum habens ad aliud habitudinem, non potest vt sic cognosci intuitiuè & quidditatiuè, nisi & alterum eius extremum cognoscatur: ergo cùm vnumquodque possibile dicat intrinsecam habitudinem ad Deum, vt suam causam, diuina essentia cognita, tanquam causa in particulari istorum possibilium, potest deducere intellectum beati, vt eodem actu, quo diuina essentia cognoscitur, & aliqua possibilia cognoscantur in se. V.

Hinc sequitur essentiam diuinam alio modo sese habere ad cognitionem Dei, quando
B est ad instar speciei impressæ; & alio modo, quando est medium ad cognoscendum creaturas in Verbo: nam ad primam cognitionem habet se, tanquam medium non cognitum, sicut omnes species tam intelligibiles, quàm sensibiles sese habent; ad posteriorem verò se habet, tanquam medium cognitum. VI.

Quòd autem beati videant de facto in Verbo aliqua ex possibilibus, probatur ex sancto Augustino locis superiùs citatis, quibus addi potest alius eius locus valde expressus libro secundo *de Genesi ad litteram* capite octauo, vbi loquens de beatifica visione Angelorum terminata ad essentiam diuinam ait, *eos videre aliquas creaturas secundùm id quod intus vident*; quod idem docet libro quarto *de Genesi ad litteram* capite 24.

C Item probatur ratione: visio beatifica Sanctorum est quædam participatio visionis, quam Deus habet de seipso & creaturis: atqui Deus videt creaturas secundùm illud esse determinatum, quod possunt habere in seipsis in sua diuina essentia, tanquam in medio cognito, vt patebit infrà agendo de scientia Dei: adde quòd hoc cedit in liberalitatem Dei, & perfectionem visionis beatificæ, quæ sublatâ cognitione possibilium non esset maior obiectiuè, quàm sit extra Verbum. VII.

Obiicies: res absoluta, quatenus absoluta non potest esse ratio cognoscendi aliam rem sibi dissimilem, ad quam nullum habet respectum; sed est omninò independens: atqui essentia diuina est res omninò absoluta, nul-
D lum habens respectum ad creaturas, siue existentes, siue possibiles, quibus est omninò dissimilis. VIII.

Respondetur ad maiorem: quando aliquid est ita connexum cum absoluto, vt dicat intrinsecam dependentiam causalitatis ab illo, & absolutum illud est tale ex sua natura, vt ex principiis suis intrinsecis postulet aliquid dependere à se, licet ecõtrà istud absolutum à nullo dependeat: tunc eiusmodi absolutum, vt cognitum, potest esse ratio cognoscendi illud, quod dependet ab eo, quemadmodum videre est in plerisque accidentibus, & proprietatibus respectu suorum subiectorum: ideóque licet diuina essentia sit aliquid absolutum omninò independens, quia tamen, quatenus causa, est talis conditionis, vt omnes creaturæ necessariò dependeant ab ea, fit, vt

I. hæc cognita in ratione causæ talis effectus sit, etiam ratio cognoscendi talem effectum seu creaturam.

Secunda propositio. *Ratio propter quam beati videant potiùs hæc vel illa ex possibilibus, aut cur vnus beatorum videat plura, alter verò pauciora: si agatur de morali est dispar eorum charitas viæ: si de physica tum lumen gloriæ, tum essentia diuina sese manifestans intellectui sub ratione causæ specialium istorum effectuum in particulari.* Duæ sunt partes huius propositionis.

Prior probatur: visio patriæ correspondet meritis & charitati viæ, vel etiam perfectioni status beatorum: ergo cùm ex parte status non sit maior ratio ex suppositione in vno, quàm in alio, vt plura videat ex merè possibilibus,
II. si quæ sit inæqualitas in tali visione illa debet refundi in inæqualitatem meritorum & charitatis viæ, tanquam in causam moralem.

Posterior pars probatur: vbi cognitio causæ in seipsa est ratio cognoscendi aliquem ex propriis eius effectibus; ibi physica ratio, propter quam vnus effectus potiùs cognoscatur, quàm alius, potest tantùm assignari, quòd sit lumen sufficiens ad penetrandum causam, prout induit rationem talis causæ respectu talis effectus, & prætereà quòd causa applicetur intellectui sub hac ratione consideranda: atqui dum aliqua videntur à beatis actu beatifico, diuina essentia visa in seipsa est eius ratio cognoscendi eiusmodi possibilia, vt patet ex dictis: ergo ratio physica, cur vnus beatorum videat hæc possibilia, & alius alia,
III. est ipsum eiusmodi lumen gloriæ simul cum essentia diuina ei vnita ad manifestandum hæc duntaxat & non alia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum beati videant omnia fidei mysteria, quæ habent esse in aliqua temporis differentia: vtrum etiam videant ea quæ pertinent ad suum statum, quæ pendent à libera voluntate creaturæ rationalis, vniuersum hoc, & an videant in Verbo omnia simul, an verò cum successione.

PRIMA propositio. *Omnes & singuli beati vident de facto omnia mysteria fidei, quæ habent esse in aliqua temporis differentia præteriti, vel præsentis:* ita sanctus Thomas hîc quæstione
IV. duodecimâ articulo secundo, & communiter omnes Theologi.

Probatur primùm ex illo Apostoli prioris *ad Corinthios* decimo tertio: *videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Item ex Patribus, sancto Augustino libro vigesimo *de Ciuitate Dei* capite vigesimo primo, sancto Gregorio libro decimo octauo *Moralium* capite vltimo, &

Probatur: ex dictis superiori disputatione visio succedit fidei: atqui beati habuerunt fidem actu, vel habitu explicitè, vel implicitè omnium mysteriorum nostræ fidei.

Hæc tamen conclusio, quatenus procedit de iis mysteriis, quæ sunt facta in tempore, non videtur esse de fide, quia nec sacra Scriptura, nec Patres id definiunt disertè, & in

A particulari: beati tamen vident ea mysteria, V.
quæ consistunt in indiuiduo, cuiusmodi est mysterium Incarnationis, etiam quoad rationes suas particulares, quia etiam crediderunt illa in via.

Addidi in conclusione hanc particulam, *quæ habent esse in aliqua temporis differentia præsentis, vel præteriti*, quia nonnulla mysteria fidei pertinent ad tempus futurum, quæ tamen beati non vident pro hoc instanti: sic dicuntur *ignorare diem extremi iudicij* apud sanctum Matthæum capite vigesimo quarto: item *ad Ephesios* quarto, Angeli dicuntur edoceri ab Apostolis, quoad aliquas circunstantias Incarnationis; & illa particularia, quæ spectant ad vnam aut ad alteram personam, imò quæ pertinent ad totam aliquam gentem, licet fiant ex supernaturali prouidentia
B Dei, non cognoscuntur à beatis, vt patet VI.
ex illa pugna, quæ fuit inter Angelum Iudæorum, & Angelum Persarum apud Danielem.

Secunda propositio. *Vnusquisque beatus ex prædictis illis singularibus ad vnam aut alteram personam, vel gentem spectantibus, videt quæ pertinent ad suum statum:* ita sanctus Thomas secundâ secundæ quæstione octogesimâ tertiâ articulo quarto ad secundum, vbi id colligit ex sancto Gregorio libro duodecimo *Moralium* capite decimo tertio: item tertiâ parte quæstione decimâ articulo secundo, & alij communiter, tam hîc, quàm in quartum sententiarum distinctione 49.

Probatur. Primùm ex Concilio Senonensi *in decretis fidei* capite decimo tertio, dum sic
C ait: *beatis peruium est conforme illud diuinitatis* VII.
speculum, in quo quidquid eorum intersit illucescat. Hæc autem spectant ad statum vniuscuiusque beati: primò quæ ad illum spectabant, quando erat in terris, vel quæ sunt eius custodiæ commissa à Deo etiam in patria, sicut homines demandati sunt custodiæ Angelorum. Deinde quæ diriguntur ad illos, vt sunt orationes: nam beati sunt à Deo positi *mediatores* intercessionis inter illum & nos.

Ratio congruentiæ pro hac conclusione peti potest ex eo, quòd æquum videatur, vt desiderium rationabile vniuscuiusque beati expleatur; cùm beatitudo sit *status omnium bonorum aggregatione perfectus:* & beati possint iustè desiderare, cognoscere nunc enumerata.

Ratio secundi potest peti ex modo, quo Ecclesia militans orat Sanctos. Nam si Sancti
D rescirent tantùm nostras orationes per VIII.
reuelationem sibi factam à Deo, Ecclesia congruentiùs dirigeret suas orationes ad Deum, quàm ad Sanctos, ad quos tamen illas immediatè dirigit.

Est tamen aduertendum non pertinere ad statum beati cognoscere ea, quæ Deus disposuit circa illos, quos commisit eius curæ: sed ea solùm, quæ expediunt ad exequendum modo conuenienti suum ministerium, vt patet ex dictis de Angelis custodibus Iudæorum, & Persarum apud Danielem.

Neque hinc sequitur futurum, vt qui minor est meritis, plura videat, quàm qui maior est in beatitudine: nam maior, vel minor beatitudo debet potiùs attendi penes eius obiectum primarium, & penes modum ten-

I. dendi in illud, quàm penes secundarium, cuiusmodi sunt creaturæ: vt sanctus Augustinus rectè notauit libro quinto *confess.* capite quarto, quando dixit; *beatus qui te nouit, etsi alia nesciat, qui verò te & alia nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum.*

Neque sanctus Augustinus obstat nostræ propositioni, quando libro *de cura pro mortuis agenda,* ait Sanctos vitâ functos nescire, quæ apud nos agantur, ex eo, quòd à matre sua non visebatur, nec consolabatur in suis laboribus: nam sanctus Thomas primâ parte quæstione octogesimâ nonâ articulo octauo, obseruat ex ipso eius textu eum ibi duntaxat loqui dubitando, non autem asserendo: Abraham verò, & alij veteris Testamenti rectè possunt dici pro tempore veteris Testamenti nesciuisse per hanc cognitionem, quæ
II. geruntur in mundo, quia nondum erant beati; quam ob causam dici etiam posset in veteri Ecclesia orationes non ita fuisse ad illos immediatè directas, sicut nunc in Ecclesia Christiana, dum omnes Sancti vident Deum clarè & intuitiuè.

Ex hac propositione sequitur Christum Dominum videre omnia singularia etiam ordinis supernaturalis, cùm sit caput hominum & Angelorum, dicique nescire diem & horam extremi iudicij, non quòd illum ignorauerit, sed quòd occultauerit; eo namque genere locutionis, inquit sanctus Augustinus libro primo *de Trinitate* capite 12. quisque nescire dicitur quod occultat.

Tertia propositio. *Beati non vident quæ pendent à libera voluntate creaturæ rationalis, nisi quatenus speciali quâdam ratione pertinent*
III. *ad eorum statum*, verbi gratiâ, *quando ad illos diriguntur.*

Hæc propositio probatur ex iis, quæ communiter Theologi docent de cognitione Angelorum circa cogitationes hominum: & fauet ratio, quia in republica benè ordinata (qualis est beatorum) cogitationes singulorum non debent cognosci promiscuè à singulis, sed ab iis tantùm, ad quos diriguntur, & ad quorum statum pertinent.

Quarta propositio. *Beati vident in Verbo totum hoc vniuersum, & omnes rerum species, quibus constat saltem causaliter, quatenus per species sibi infusas cognoscunt ista omnia.*

Probatur: intellectus beati habet omnia quæ pertinent ad naturalem suam perfectionem, & ad explendum quemlibet appetitum
IV. elicitum, consentaneum rectæ rationi, quia beatitudo est *status perfectus aggregatione omnium bonorum:* atqui cognitio totius vniuersi & omnium specierum, quæ sunt in illo, pertinet ad naturalem perfectionem intellectus creati, vt patet ex eo, quòd Angeli dicantur accepisse à Deo species infusas rerum omnium, quæ sunt in vniuerso.

Dixi in conclusione, *rerum omnium species,* quia non est necesse cognoscere omnia indiuidua in particulari, sed sufficit in qualibet specie ea cognoscere, quæ sunt satis ad distinctè cognoscendum naturam specificam, & varietatem proprietatum.

Vltima propositio. *Ea omnia quæ beati vident in Verbo, vident simul, non autem vnum post aliud cum vera successione:* ita sanctus Thomas hîc quæstione duodecimâ articulo decimo, &

A infrà quæstione quinquagesimâ octauâ articulo secundo, & omnes eius interpretes. V.

Probatur. Primùm ex sancto Augustino libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo sexto, qui loquens de visione beatifica ait, nostras cogitationes non futuras volubiles, sed *omnem,* inquit, *scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.*

Probatur etiam ex eo, quòd beatifica visio appelletur vita æterna, dicatur mensurari æuo seu æternitate participatâ, quæ nullam admittit in se variationem, quod tunc esset falsum, si beati viderent in Verbo successu temporis alia, quæ anteà in illo non viderant: nam omnis mutatio obiecti cogniti infert intrinsecam mutationem in ipsa actuali, & formali cognitione sibi correspondente: hæc enim nihil est aliud, quàm expressio imaginis rei intelle-
B ctæ: & proinde si res intellecta, quæ in præsenti cognitione est diuina essentia cum aliquibus creaturis, mutetur, debet & intellectio seu ipsa visio beatifica, & Verbum mentis ei correspondens mutari, quod est absurdum. VI.

Nec obstat, quòd hæc mutatio dicatur fieri tantùm in obiecto secundario: nam ita fit in illo, vt semper redundet in ipsam visionem beatificam, quia tam obiectum secundarium, quàm primarium vnâ tantùm actione percipitur.

Neque hinc sequitur sanctum Petrum, verbi gratiâ, cui commissa est cura Ecclesiæ vniuersalis & alios Sanctos, ad quos preces dirigentur paulò ante extremum iudicium scire hunc diem extremi iudicij, vel cognoscere qui
C sunt prædestinati, & qui reprobi; nam Sancti ita vident istas orationes, vt non videant eiusmodi circunstantias, quippe quę ad eorum statū non pertinent, & eo duntaxat sensu dicuntur videre ista intuitiuè, quatenus vident illa secundùm eas circunstantias ad suum statum pertinentes, quas hæc sunt habitura dum existent, secundùm quas eis manifestantur in diuina essentia, non autem quasi iam existant. VII.

AD QVÆSTIONEM XIII.

DISPVTATIO VNICA.

De nominibus Dei.

D VIII.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum possit nomen aliquod imponi Deo.

QVONIAM ex cognitione rerum fit, vt de illis loquamur, eisque nomina imponamus, ideò post explicatam cognoscibilitatem essentiæ diuinæ Scholastici cum sancto Thoma agunt de ineffabilitate Dei, seu de nominibus Dei: est autem hîc tantùm disputatio de nomine vocali: & quantum spectat ad nomen correspondens ei imperfectæ cognitioni, quam habemus de Deo, nomen aliquod dari posse, quod significet Deum viatoribus, nec Deum eo sensu dici *ineffabilem,* patet ex

I. sacris Litteris, in quibus passim multa nomina Dei habentur, vt Exodi decimo quinto, & alibi; item ex sancto Dionysio toto suo libro *de diuinis nominibus*.

Quantum verò spectat ad cognitionem perfectam habendam de Deo, certum etiam est viatores non posse sibi inuicem nominare Deum, ita vt nomen illud significet Deum, sicuti est aliis viatoribus istud nomen audientibus, vt intelligitur ex illa interrogatione Prouerbiorum tertio, *quod est nomen eius*, scilicet Dei, *aut quod nomen Filij eius si nosti:* & fauet ratio; nam ex Aristotele libro primo *de interpretatione* voces, & nomina sunt signa conceptuum: at viatores non possunt concipere Deum sicuti est in se ex dictis ad precedentem quæstionem: atque ad minus ad hunc sensum, Deus dicitur *ineffabilis*, & definitur talis in Concilio Lateranensi, & refertur capite *firmiter* de summa Trinitate, & fide Catholica.

II.

Difficultas tantùm est, an viatores possint Deo imponere aliquod nomen, quod perceptum à beatis significet illis Deum quidditatiuè & sicuti est, vel an beati possint istud præstare respectu aliorum beatorum, vel etiam ipsemet Deus respectu beatorum, vel viatorum. Scotus primo sententiarum distinctione 22. Ochamus, Gabriel ibidem, & Vasquesius hîc totâ disputatione 57. affirmant. Verùm melior est altera sententia, quam his propositionibus exponemus.

Prima sit propositio. *Viatores non possunt Deo imponere nomen, quod ex se significet quidditatiuè Deum beatis.*

III. Probatur. His tantùm possumus imponere nomina significantia quidditatem rerum, quarum possumus formare conceptum quidditatiuum, eúmque aliis audientibus ita exprimere, vt auditores vi istius nominis, & significationis eius veniant in cognitionem, tam ipsius nostri conceptus, quàm ipsius rei expressæ per nostrum conceptum & nomen: atqui nullus viatorum potest formare quidditatiuum conceptum Dei, sicuti est in seipso, vt patet ex dictis ad præcedenté quæstionem, & multò minus facere, vt vi alicuius nominis à se prolati & significationis eius beatus veniat in cognitionem quidditatiuam Dei: ergo nullus viatorum potest Deo nomen imponere, quod significet beatis Deum, sicuti est.

Maior probatur ex Aristotele libro primo *de interpretatione* dicente, nomina esse signa rerum, & conceptuum loquentis, quod etiam

IV. S. Augustinus docet libro 15. *de Trinitate* cap. 11. & sermone 2. *de natiuitate sancti Ioannis.* Confirmatur ex eo, quòd significatio vocis nunquam potest excedere suam impositionem, nec impositio conceptionem intellectus imponentis, quia est illius expressiua.

Dices, posse fieri vt ex prolatione alicuius nominis facta per ignorantem aliquis deueniat in cognitionem rei significatæ: ergo pari modo beatus poterit deuenire in cognitionem quidditatiuam Dei, quam viator exprimit aliquo nomine, cuius tamé ipse vim nescit.

Respondetur primò, quando id contingit talem cognitionem propriè non fieri vi ipsius nominis sic prolati, sed vi alicuius alterius cognitionis, quam ipse audiens habuit anteà, quæque se habet merè per accidens ad istud

A nomen sic prolatum duntaxat *materialiter*, & veluti more psittaci. Deinde etiamsi quædam nomina significent plura, quàm aliquando intendat is, qui illa pronuntiat, id tamen non potest habere locum in prima impositione, quæ tantùm respondet conceptui imponentis. V.

Atque ex dictis pro hac propositione, & ex obseruatione circa propriam naturam vocum & nominum, quæ iuxta Aristotelem sunt immediatè signa conceptuum formalium ipsius loquentis, & rerum, seu conceptuum etiam obiectiuorum, horum primitate *executionis*, istorum verò primitate *intentionis*, vt Conimbricenses fusè explicāt quæstione tertiâ *in primum caput libri de interpretatione*, satis intelligitur fundamentum hoc prioris sententiæ:

B mensura significationis desumi debet, non ex imponente significationem nomini, sed ex ipso illud audiente, esse falsum; nam signum instrumentale seu quod priùs debet cognosci, quàm ducat in cognitionem alterius, accipit suam mensuram ab ipso principali agente, cuius est instrumentum, & potiùs à sua causa efficiente, quàm à materiali: at voces & nomina sunt signa quædam instrumentalia, vt loco nunc citato Dialectici docent, & principale agens comparatione nostrarum vocum est ipse instituens, imponens, & ipse audiens habet se tantùm materialiter, vt scilicet recipiat: ergo falsum est mensuram significationis nominum, & vocum debere sumi potiùs ex audiente illud, quàm ex ipso imponente significationem: adde quòd institutio nominum, & vocum sit pro explicandis ipsis conceptibus, & nomen priùs significat, saltem VI.

C primitate *intentionis*, quàm percipiatur ab audiente: ergo habet potiùs ipsum imponentem pro sua mensura, quàm ipsum audientem illud. VII.

Secunda propositio. *Beatus non potest nominare Deum sicuti est alteri beato, vel viatori.*

Probatur: de ratione nominis est, vt ex vi prolationis eius, & ex efficacia auditionis, ipse audiens efformet sibi cognitionem rei significatæ, & formalis conceptus ipsius proferentis seu loquentis: sed neque beatus, neque viator potest sibi efformare cognitionem de Deo sicuti est, ex eo quòd alter beatus profert aliquod nomen, nec item potest ex vi prolationis alicuius nominis cognoscere conceptum, quem alter beatus habet de Deo cognito sicuti est: ergo, &c.

D Maior patet ex dictis de natura nominis. VIII.
Minor probatur. Formalis conceptus de Deo sicuti est in se, potest tantùm efformari per visionem, quæ fiat per diuinam essentiam sese habentem ad instar speciei impressæ, vel per speciem impressam, vel per aliquid aliud gerens vicem speciei impressæ, per quod tamen actualis existentia ipsius Dei videatur in se: at nullum nomen quodcumque illud assignetur est essentia Dei, vt per se constat, nec item est species impressa: hæc enim est signum formale, quod non cognitum deseruit efformandæ cognitioni, vt philosophi docent: istud verò est signum instrumentale, quod requirit in cognoscente recordationem suæ significationis & rei significatæ: nec denique actualis existentia Dei cognosceretur in se-

I. ipsa per illud nomen, quia vt sic potest tantùm cognosci per visionem Dei in seipso, vt patet ex dictis ad præcedentem quæstionem.

Dices: vnus beatus potest videre conceptum alterius videntis clarè Deum, & vnus beatus potest explicare talem conceptum alteri beato: at conceptus ille est de Deo sicut est in seipso: ergo cùm explicatio talis conceptus non fiat, nisi per nomen, talis beatus nominabit alteri beato Deum sicuti est.

Respondetur, beatum posse tantùm indistinctè, & confusè cognoscere conceptum alterius beati, quo videt Deum per essentiam, quia non potest illum penetrare, nisi simul & essentiam diuinam penetret, quod ostendimus non posse fieri extra essentiam clarè visam: vnde sicut per signa quædam exteriora cognoscimus hanc & illam rem geri interiùs
II. ab hoc & illo homine, licet non videamus rem istam in seipsa: sic etiam beatus intuendo beatum, cognoscit illum cogitare de Deo, intellectum eius occupari in Deo clarè videndo: attamen conceptum eius non videt distinctè.

Nec obstat, quòd beatus videns Deum concipiat illum sicuti est, non enim ideò potest illum distinctè, & quidditatiuè explicare; cùm vt Theologi dicunt, possimus plura concipere, quàm effari.

Vltima propositio. *Deus non potest imponere sibi ipsi nomen aliquod, quod illum totum & totaliter significet beatis.*

Probatur ex dictis suprà de incomprehensibilitate Dei, & ex dictis de natura nominis, quæ est facere, vt audiens veniat in cognitionem conceptus loquentis, & in cognitionem
III. rei significatæ per nomen.

ARTICVLVS II.

Vtrum nomen, qui est, *sit proprium Dei.*

PARS affirmans intellecta de nomine, quo Deus potest nominari ad captum viatorum, est communis sententia Patrum, qui videri possunt apud Lipomanum *in sua catena ad illud tertij capitis Exodi: ego sum, qui sum & qui est misit me ad vos.*

Probatur: illud nomen est maximè proprium Deo, quod significat eius attributa, prout speciali quadam ratione conueniunt ei: atqui hoc nomen, *qui est*, explicat nobis æternitatem Dei, & eius firmitatem in essendo & existendo, prout singulariter competit illi,
IV. quia illud, *qui est*, significat Deum esse, seu existere necessariò, ipsam eius existentiam ita esse illi intrinsecam, vt nullomodo possit destrui: explicat item æternitatem, & immutabilitatem propriam Deo, quia nomen, *qui est*, significat semper esse in præsenti, quod est maximè proprium Deo, cui nihil est futurum, nihil præteritum, vt sanctus Augustinus explicat libro *octoginta trium quæstionum* quæstione decimâ.

Nec obstat, quòd in Hebræo textu legatur ibi futurum, sic *qui ero, & qui ero misit me.* Nam
A vt Lipomanus notat superiùs, Hebræi passim V.
vtuntur futuro pro præsenti.

An autem hoc nomen Dei, *qui est*, sit illud idem, quod Patres vocant *tetragrammaton*, ac *Iehoua*, affirmant Theodoretus *in Exodum:* Clemens Alexandrinus libro quinto *stromatum*: Genebrardus libro primo *de Trinitate*, & plures apud Lipomanum suprà.

De his agere pluribus spectat ad expositores sacrarum Scripturarum, & Biblici Interpretes possunt de istis nominibus videri, ad citatum tertium caput Exodi.

Cæterùm quantum spectat ad reliquas difficultates, quas sanctus Thomas mouet circa nomina Dei, eas omittimus, vel enim sunt Philosophicæ, & quæ communiter explicantur à Philosophis, verbi gratiâ, an quædam nomina dicantur propriè de Deo, & prædi-
B centur substantialiter de illo: cùm enim su- VI.
prà ostenderimus perfectiones simpliciter, simplices esse formaliter in Deo, consequens est nomina significantia istas perfectiones ita dici substantialiter de Deo, vt significent id, quod verè & realiter est in Deo, & proinde eiusmodi nomina quoad suum significatum propriè dici de Deo, licet quoad suum modum significandi, qui sequitur modum nostrum concipiendi, quo scilicet concipimus res eiusmodi per modum alicuius compositionis, quæ in Deo nulla est, non sint in illo, ideóque nomina abstracta, quia magis significant simplicitatem Dei meliùs tribui Deo, quàm concreta: ex qua distinctione Patres conciliantur, qui dicunt sapientiam, & cætera eiusmodi non esse in Deo, nimirum eo modo, quo sunt in creaturis.

C Simpliciter patet ex dictis aliquas propo- VII.
sitiones affirmatiuas posse formari de Deo: cùm scilicet sufficiat virtualis distinctio inter attributum & subiectum: quæ virtualis distinctio locum habet in Deo, ratione cuius rectè dicimus Deum esse æternum, & sic de aliis eius prædicatis.

Pari etiam modo intelligitur ex dictis hoc nomen *Deus*, si habeatur ratio ad quod significandum fuit impositum, significare substantiam seu naturam Dei, vt etiam sanctus Athanasius docet epistolâ de *decretis Nicænæ Synodi*; licet si spectetur secundùm id, à quo eius impositio desumpta est, significet aliquam actionẽ Dei ad extra, vt patet ex varia eius deriuatione apud Philosophos & Grammaticos: & propterea sicut essentia, & substantia Dei
D est omninò incommunicabilis ad extra: sic &
hoc nomen *Deus*, si habeatur tantùm ratio VIII.
rei significatæ per illud, quamquam per errorem gentilium sit rebus quamplurimis communicatum, est incommunicabile: si verò habeatur ratio eius, à quo impositio illius desumpta est, est communicabile per aliquam similitudinem & participationem; quomodo qui sunt superiores, vel constituti in gratia sanctificante appellantur *Dij*, & consortes naturæ diuinæ, primæ sancti Petri primo, & Psalmo octuagesimo primo.

I.

AD QVÆSTIONEM XIV.

DISPVTATIO PRIMA.

De exiſtentia & eſſentia ſcientiæ Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſcientia ſit in Deo.

NOTANDVM eſt primò, nomen *ſcientiæ* ſumi duobus modis: primò pro aperta, euidenti & perfecta cogni-
II. tione, ſeu intelligentia veritatis: ſecundò pro cognitione rei per proprias ſuas cauſas eo modo, quo ſcientia conſtituit in nobis habitum ſcientiæ ſpecialem, & diſtinctum ab aliis habitibus etiam cognoſcitiuis.

Notandum ſecundò, ſcientiam ſumptam hoc poſteriori modo poſſe duobus modis intelligi eſſe per proprias cauſas rei: primò, vt ſenſus ſit, quòd cognoſcens apertè & clarè nouit hunc effectum eſſe à tali cauſa, & tali modo; ideóque rem ita ſe habere: ſecundò, vt ſenſus ſit, quòd actualis illa cognitio rei, ſeu effectus cauſetur in ipſo cognoſcente à cognitione cauſæ talis effectus, ſicut in nobis cognitio antecedentis vel præmiſſarum cauſat cognitionem concluſionis.

Notandum tertiò, cognitionem aliam eſſe *habitualem*, aliam *actualem*.

III. His ita præmiſſis, prima ſit propoſitio. *In Deo datur ſcientia verè & propriè dicta, ſumpto nomine* ſcientiæ *iuxta primum modum primi noſtri notabilis.*

Hæc propoſitio eſt de fide ex ſacris Litteris, quæ paſſim eiuſmodi ſcientiam tribuunt Deo, vt in libro Eſther capite decimo quarto, *Domine, qui habes omnium ſcientiam.* Imò & Ariſtoteles libro duodecimo *metaph.* capite ſeptimo agnoſcit veritatem huius propoſitionis, & perfecta diſpoſitio vniuerſi, quod communiter à philoſophis dicitur eſſe *opus intelligentiæ*, oſtendit naturaliter præſentem noſtram propoſitionem.

Probatur etiam ratione fundatâ in ſuperioribus: omnis perfectio ſimpliciter ſimplex eſt formaliter in Deo: atqui ſcientia iuxta hanc acceptionem eſt aliqua perfectio ſim-
IV. pliciter ſimplex; eſt enim melior ipſa, quàm non ipſa, nullam habet ſibi admixtam imperfectionem, nullam item oppoſitionem, vel incompoſſibilitatem cum æquali, vel maiori perfectione, vt per ſe conſtat: ergo ſcientia hoc modo ſpectata eſt formaliter in Deo.

Deinde, omnis ſubſtantia immaterialis eſt cognoſcitiua, ſeu intellectiua, vt S. Auguſtinus docet libro 12. *de Geneſi ad litteram* capite 10. & vim actiuam cognoſcendi ſemper fundari in aliqua immaterialitate Philoſophi docent ex profeſſo cum Ariſtotele lib. *de anima:* at Deus eſt ſubſtantia maximè immaterialis, vt ſuprà docuimus agendo de eius ſimplicitate: ergo Deus eſt maximè cognoſcitiuus ſeu intellectualis.

Quòd autem cognitio in nobis ſit accidens,
A ſiue illa ſit habitualis, ſiue actualis, non id habet à formali & præciſa ratione cognitionis, V.
illa enim rectè explicatur primâ parte primi noſtri notabilis, in qua nulla fit mentio *inhærentiæ*, ſiue actualis, ſiue aptitudinalis, & cognitio ſibi tantùm vendicat rationem accidentis, quatenus eſt in creaturis.

Secunda propoſitio. *Deus non habet ſcientiam propriè dictam de ſeipſo, ſumpto nomine* ſcientiæ *iuxta primum modum ſecundi noſtri notabilis.* Ita Durandus primo ſententiarum diſtinctione 35. quæſtione 3. Ferrarienſis libro 1. *contra Gentes* capite 25. vbi ſanctus Thomas illam tradit: &

Probatur his rationibus, quibus ſuprà oſtendimus noſtram Theologiam non eſſe propriè ſcientiam, quia ſcientia eſt tantùm per veras
B cauſas, non ſolùm *cognitionis*, ſed etiam *rei* VI.
in eſſendo: atqui in Deo eſſentia diuina, non eſt cauſa ſuorum attributorum, nec vnum attributum eſt cauſa alterius, nam in Deo nihil eſt cauſatum; illa tamen cognitio, quam Deus habet de ſuis attributis, quatenus vnum eſt ratio, cur aliud ponatur, & Deus id cognoſcit, poteſt appellari *ſcientia* ſumpto nomine ſcientiæ in ampliori ſignificatione.

Tertia propoſitio. *Deus habet ſcientiam propriè dictam priori modo ſecundi noſtri notabilis de omnibus creatis veritatibus neceſſariis, non autẽ poſteriori modo eiuſdem ſecundi noſtri notabilis.*

Prior pars probatur: ad habendum ſcientiam hoc priori modo ſatis eſt, quòd res cognita habeat aliquas ſui cauſas, & quòd cognoſcens illas cognoſcat eſſe tales reſpectu rei cognitæ: item quòd clarè & certò cognoſcat, quæ ſit neceſſaria habitudo rei cognitæ ad
C ſuas cauſas, & quòd res illa non poſſit ſe habere aliter, quàm nouit illam, vt patet ex definitione & conditionibus ſcientiæ requiſitis ab Ariſtotele, & eius interpretibus communiter lib. 1. *poſteriorum:* atqui omnes creatæ veritates habent aliquas cauſas, non tantùm efficientes, ſed etiam exemplarem, quam neceſſariò imitantur, & Deus hoc nouit, quia hæc cauſa exemplaris eſt idea exiſtens in illo, quam nouit, cùm ſe totum cognoſcat, vt patebit infrà: item nouit & illas veritates neceſſarias, quæ habent aliquam intrinſecam, & neceſſariam cauſam coniunctionis neceſſariæ, quæ eſt attributi ad ſuum ſubiectum, vt riſibilis ad hominem; verbi gratiâ, nouit hominem ideò eſſe riſibilem, quia eſt rationalis, & ſic de aliis veritatibus: hæc enim cognitio eſt quædam perfectio ſine imperfectione, cùm ha- VII.
D beatur vno ſimplici intuitu, nec opus ſit duobus actibus, quorum vnus cauſetur ab alio: VIII.
ergo Deus habet ſcientiam propriè dictam de omnibus creatis veritatibus neceſſariis iuxta priorem modum ſecundi noſtri notabilis.

Nec obſtat, quòd aliquæ veritates creatæ dicantur *indemonſtrabiles*, & omnis demonſtratio debeat fieri per veram cauſam intrinſecam, qualis eſt formalis. Nam imprimis aliquæ veritates creatæ eo tantùm ſenſu dicuntur indemonſtrabiles, quòd non poſſint demonſtrari per aliquam ſcientiam ordinis propriè naturalis, non autem quaſi non poſſint demonſtrari per ſcientiam altiorem, cuiuſmodi eſt ſcientia Dei.

Deinde, cùm cauſa exemplaris ſit vera & propriè dicta cauſa; nam Ariſtoteles libro ſe-

I. cundo *physicorum* textu vigesimo septimo e-
numerans causas recenset & ipsum exemplar,
quod idem repetit libro quinto *metaph.* capite
primo: attamen quia omnis certa & euidens
cognitio rei per causam necessariam quæcum-
que illa sit, est scientifica, vt patet ex ipsa de-
finitione scientiæ, & omnis veritas creata ha-
bet diuinam ideam pro vna ex suis causis, et-
iam necessariis, fit, vt Deus cognoscendo istas
prædictas veritates habere necessariam con-
formitatem ad suas ideas, & cognoscendo
talem conformitatem dicatur habere scien-
tiam propriè dictam de illis.

Posterior etiam pars propositionis proba-
tur ex eo, quòd in Deo nihil est causatum: item
ex eo quòd vera, & realis multitudo actuum
cognoscitiuorũ arguat imperfectionẽ in cog-
noscente, sicut & discursus propriè dictus: at
II. in Deo nulla est imperfectio, & Deus cogno-
scit omnia simul vnico eóque simplicissimo in-
tuitu, eodémque medio, nempe per suã essen-
tiã. Atque sumpto nomine scientię iuxta secũ-
dum modum nostri secundi notabilis, scientia,
quam habet Deus de creaturis, nec est *à priori,*
seu *propter quid:* nec item *quia* seu *à posteriori,*
cùm nec ex cognitione causæ veniat in cogni-
tionem effectuum, nec econtrà seu prior cog-
nitio non sit causa posterioris, sed aliquam
duntaxat habet similitudinem cum illa, qua-
tenus essentia diuina, vt obiectum cognitum
est ratio cognoscendi creaturas, & quatenus
comprehensiua cognitio diuinæ essentiæ po-
stulat cognitionem omnium eius effectuum
etiam possibilium.

Quæres, an hæc scientia, quæ est in Deo sit
singularis, vel *vniuersalis.*

III. Respondetur, si consideretur iuxta subie-
ctum in quo est, quoad medium in quo fit, &
quoad primarium suum obiectum esse maxi-
mè singularem: si verò consideretur quoad
obiectum suum secundarium esse simul for-
maliter vniuersalem & singularem.

Duæ sunt partes respõsionis: prior probatur
ex eo quòd diuina essentia, cui tanquam sub-
iecto scientia conuenit, & in qua, tanquam
medio omnia & singula eius obiecta cogno-
scuntur, est maximè singularis.

Posterior item pars probatur: quia Deus per
illam attingit vniuersales rationes generũ &
specierum, item & singulares rationes omniũ
singularium: & scientia Dei hoc modo dicitur
à S. Thoma hâc quæst. 14. art. 1. in solutione
ad 3. habere altiorem modum, quàm scientiæ
IV. creatæ habeant, quæ sunt, vel vniuersales, vel
singulares: nam licet Angeli eadem specie si-
bi à Deo infusâ videant aliquod vniuersale, &
aliquod eius indiuiduũ vel plura: sícque hæc
eorum scientia sit simul vniuersalis & particu-
laris, non est tamen modo tam altiori, ac est
ipsa scientia Dei: hâc enim Deus videt omnia
secundaria obiecta tam vniuersalia, quàm sin-
gularia per eandem suam essentiam, tam vt il-
la sese habet ad instar speciei impressæ, quàm
vt habet rationem medij cogniti: at Angeli
non item, quia nullus illorũ videt omnes crea-
turas per vnicam speciem, vt Theologi docẽt
communiter agendo de cognitione illorum.
Tum etiam quia id licet gratuitò daretur, ad-
huc tamen cùm illa species habeat tantùm ra-
tionem medij incogniti, Deus verò cognoscat
omnia & singula quæque per eandem suam
A essentiam, tanquã medium cognitum, semper V.
diuina scientia habet aliquem modum altio-
rem, quàm habeat quæuis scientia creata.

Quomodo autem hæc vna eadem scientia
Dei possit simul esse formaliter vniuersalis, &
singularis, potest intelligi modo proportiona-
to ad id, quod ad primam quęstionem diximus
de nostra Theologia, illam scilicet esse simul
formaliter practicam & speculatiuam.

ARTICVLVS II.

Vtrum intellectio actualis sit aliqua ratio
primò constituens diuinam essentiam.

REPETENDVM est ex dictis suprà, eo-
rum, quæ de Deo verè & propriè prædi-
cantur, alia prædicari, vt constitutiua diuinæ
B essentiæ, alia vt adiuncta, quæ speciali nomine VI.
vocantur *attributa.*

Sẽsus huius difficultatis est, an actualis intel-
lectio sit de primo illo genere eorũ, quæ præ-
dicantur de Deo. Duæ sunt hac de re sentẽtiæ.

Prima negans, quam aliqui recentiorum se-
quuntur & tribuunt Capreolo in primum sen-
tentiarum distinctione 8. quæst. 4. artic. 1.

Melior tamen est affirmans sententia, cum
quâ concludimus. *Intellectio actualis est aliqua*
ratio primò constituens essentiam diuinam.

Probatur: actualis intellectio per essentiam
est de intrinseco conceptu, & formali sub-
stantiæ summè spiritalis, id est, viuentis mo-
do perfectissimo: atqui diuina essentia est
summè spiritalis, summè viuens modo perfe-
ctissimo: ergo actualis intellectio per essen-
C tiam est de formali, & intrinseco conceptu
diuinæ essentiæ. VII.

Maior probatur: de ratione substantiæ im-
materialis & spiritalis est, vt viuat vitâ cor-
respondente suæ immaterialitati & spiritali-
tati, vt patet inductione factâ per homines &
Angelos, & ex eo, quòd intellectualis vita fun-
detur in immaterialitate substantiæ, vt suprà
notauimus, & sanctus Thomas hîc obseruat:
ergo vbi aliqua substantia est summè spirita-
lis, summè immaterialis; summa vita debet
esse de intrinseco eius conceptu: at nulla alia
summa vita potest excogitari, quàm actualis
intellectio per essentiam: ergo actualis intel-
lectio per essentiam est de conceptu formali
& intrinseco substantiæ summè spiritalis, &
summè viuentis.

D Minor verò primi nostri syllogismi satis ex VIII.
se intelligitur: nam de ratione primi entis
& primæ substantiæ omnium, cuiusmodi est
essentia diuina, est sibi, & ex propria sua ra-
tione vendicare gradum essendi omnium
perfectissimum ex iis, qui sunt in substantiis
creatis seclusâ illorum imperfectione, vt
Aristoteles supponit, tanquam per se notum
libro duodecimo *metaph.* textu quinquage-
simo primo, & facilè colligitur ex Apostolo
ad Romanos primo, sic dicente: *inuisibilia Dei*
à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intelle-
cta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus
& diuinitas.

Confirmatur ampliùs ex præcedentibus;
nam illa omnia prædicata, quæ dicuntur for-
maliter de Deo, & creaturis, sunt modo lon-
gè perfectiori in Deo, quàm sint in creatu-
ris: cùm in his sint tantùm per participatio-

I. nem, & in illo sint per essentiam: atqui gradus essendi omnium perfectissimus ex iis, qui sunt in substantiis creatis, est gradus viuentis, & inter gradus viuentis est ipsum viuere actuali intellectione per essentiam, vt sanctus Augustinus docet libro de *vera religione* capite 29. sanctus Thomas primâ parte quæstione 26. articulo 3. etiam ex ipsomet Aristotele: ergo essentia diuina est substantia summè spiritalis, summè viuens vitâ, quæ consistat in actuali cognitione per essentiam: hinc in lege veteri apud viros sanctos hoc erat solemne iuramentum *viuit Dominus*, primi Regum capite decimo nono, Ieremiæ quarto capite, & alibi, & in nouo Testamento passim Deus dicitur *singulariter viuens*.

Deinde probatur nostra propositio auctoritate sancti Thomæ libro primo *contra Gen-*
II. *tes* capite 45. dicente ipsum intelligere eodem modo se habere ad essentiam diuinam quomodo ipsum esse, seu existere sese habet ad illam: atqui ex eodem sancto Thoma quæstione tertiâ huius partis existentia est de formali, & intrinseco conceptu diuinæ essentiæ, vt ibidem ostendimus: ergo & ipsum intelligere erit de formali conceptu diuinæ essentiæ: quam rationem sancti Thomæ, non procedere *de sensu* duntaxat *identico*, sed *de formali* notat Ferrariensis suo commentario ad illud caput 45.

Deinde ex eo patet, quòd hâc quæstione decimâ quartâ articulo quinto, docet omnes effectus, qui præexistunt in Deo, vt in prima causa, necessariò præexistere in ipso intelligere Dei, quia esse primæ causæ est ipsum in-
III. telligere: at hoc ostendit maiorem identitatem inter essentiam diuinam, & actualem intellectionem Dei, quàm sit sola realis identitas: nam & velle Dei est idem re cum ipso esse Dei, ex eodem sancto Thoma infrà quæstione decimâ nonâ, similiter & diuinæ relationes, neque tamen propterea etiam in doctrina sancti Thomæ, vel aliorum Theologorum omnes creati effectus propriè præexistunt in illis, sed præcisè in essentia diuina: ergo vt illæ rationes sancti Thomæ vim habeant aliquam, debent intelligi procedere de maiori identitate inter essentiam Dei, & ipsum eius intelligere, quàm sit identitas realis: ergo cùm alia non detur in diuinis maior, quàm formalis, debet intelligi sanctus Thomas de *sensu formali*, & ex consequenti, quòd ipsum intelligere Dei sit de formali, & intrinseco conce-
IV. ptu essentiæ diuinæ.

Tandem confirmatur ex eo quòd sanctus Thomas infrà quæstione 27. articulo 2. probet, processionem secundæ personæ sanctissimæ Trinitatis esse generationem propriè dictam ex eo, quòd esse, & intelligere sint vnum & idem in Deo: nam vt ex hoc principio istud colligat necessarium est, vt affirmet intellectionem Dei esse idem formaliter, & non tantùm identicè cum essentia diuina, & proinde intellectionem esse formaliter, & intrinsecè de conceptu diuinæ essentiæ: quod sic patet: scopus sancti Thomæ ibi est docere secundam personam sanctissimæ Trinitatis procedere à Patre formaliter in similitudinem naturæ, quia ibi disertè duplicé distinguit generationem: vnam *propriam*, *impropriam* alteram: hanc excludit à Deo, illam in eo admittit, & modo

A longè perfectiori, quàm sit in creaturis: ergo V.
cùm similitudo naturæ inter generantem, & genitum non debeat attendi penes ea, quæ sunt vnum duntaxat identicè, vt notat idem sanctus Thomas citatâ quæstione articulo secundo in solutione ad primum, sed penes illud, quod est eius constitutiuum, fit, vt prædicta propositio non debeat accipi in solo sensu *identico*, sed *in formali*.

Explicatur, quia aliàs ex hoc fundamento in sensu duntaxat identico sumpto & non formali, tam benè processio Spiritus sancti probaretur esse generatio, quàm processio Filij, cùm tam ipsum velle Dei, & ipsum eius esse sint vnum & idem realiter, quàm ipsum esse Dei, & ipsum eius intelligere, prout comparantur tantùm quoad realem identitatem:
B ergo cùm sanctus Thomas ibi velit Filium VI.
procedere à Patre formaliter in similitudinem naturæ, ex eo quòd intelligere Dei est vnum & idem cum esse, videtur loqui in sensu formali, virtuali & ex consequenti existimat actualem intellectionem Dei esse de intrinseco conceptu diuinæ essentiæ.

ARTICVLVS III.

Soluitur primum sententiæ aduersariorum fundamentum ab auctoritate petitum.

FVNDAMENTVM eius sententiæ primum est, quòd sanctus Thomas præfatione huius suæ quæstionis decimæ quartæ significet se agere de scientia Dei, eius intellectione & volitione, tanquam consequentibus
C eius substantiam, vt patet ex ipso eius textu. VII.
Quod ampliùs confirmatur, quia infrà quæstione decimâ nonâ eodem modo loquitur de volitione Dei, ac loquitur præsenti quæstione de scientia & intellectione Dei, & sicut in hac quæstione articulo quarto, dicit *ipsum intelligere Dei, esse idem cum ipso esse Dei:* sic etiam & in illa quæstione decimâ nonâ, dicit *ipsum velle Dei esse ipsum esse Dei:* atqui hæc posterior propositio sancti Thomæ, est tantùm vera *in sensu identico*, & non *in sensu virtuali formali:* quia volitio vt omnes fatentur, non est de conceptu intrinseco diuinæ essentiæ: ergo iuxta mentem sancti Thomæ actualis intellectio Dei non est de intrinseco, & formali conceptu diuinæ essentiæ.

Confirmatur ex eo quòd idem S. Thomas
D hâc parte quæstione vigesimâ sextâ articulo
secundo in corpore, dicit intellectionem dis- VIII.
tingui ratione ab essentia diuina: ergo tantùm abest, vt iuxta eius mentem sit de formali conceptu essentiæ diuinæ.

Deinde Patres sancti idem significant quando apertam distinctionem faciunt inter essentiam diuinam, & eius sapientiam, dicúntque hanc esse circa substantiam Dei.

Vt respondeatur ad auctoritates Patrum & sancti Thomæ allatas pro primo hoc aduersariorum fundamento, notandum est quòd quia intelligimus Deum, & perfectiones eius per ordinem ad creaturas & perfectiones illarum, vt docuimus suprà ex Apostolo capite primo *ad Romanos:* quemadmodum possumus dupliciter considerare aliquam naturam specificam, nimirum primò *inadæquatè*, prout scilicet consideramus tantùm illa, quæ ei

I. competunt ex parte sui generis, etiam quatenus est talis speciei: verbi gratiâ, quæ competunt homini ex parte animalis; & hæc consideratio potest dici generica eius consideratio, quatenus non complectitur considerationem eorum, quæ constituunt formaliter hominem in tali specie: secundò possumus illam naturam specificam considerare inadæquatè quidem, sed tamen præcisè quoad illa tantùm prædicata, quæ essentialiter & formaliter includit, prout præcisè est talis speciei, & non secundùm proprietates, aut quasi proprietates, quæ consequuntur specificam illam naturam; verbi gratiâ, si consideremus hominem præcisè, prout est rationalis, non considerando proprietates, quæ hanc naturam consequuntur: pari etiam modo posse nos considerare diuinam essentiam istis duobus modis.

II. Primò quasi *genericè*, nimirum pro essentia, quatenus importat tantùm rationem essendi, quomodo sanctus Thomas infrà quæstione 39. articulo 2. in solutione ad 3. distinguit essentiam à natura, aítque essentiam dici *ab essendo*, naturam verò vltrà id designare principium actus.

Secundò posse naturam diuinam considerari, quasi *specificè*, nimirum quatenus comprehendit omnes gradus essentiales, qui nostro modo concipiendi constituunt illam in ratione talis naturæ, iuxta quem modum aliqui dicunt ex sancto Thoma hâc parte quæstione 13. articulo 11. in solutione ad primum, deitatem esse magis propriam Deo, quàm ipsum esse, quia nimirum deitas importat naturam diuinam, quasi secundùm differentiam specificam: essentia verò, seu *qui est*, importat
III. naturam diuinam, quasi secundum genus: & quoniam differentia est extra genus, vt Dialectici docent, hinc est, quòd quando natura diuina sumitur pro essentia seu secundùm rationem, quasi genericam: quædam prædicata etiam essentialia attribuuntur ei, tanquam existentia circa ipsam, non quòd sint extra constitutionem eius, per modum alicuius proprietatis, vel attributi, quomodo sese haberent si considerarentur ita esse circa essentiam vltimò constitutam, sed quòd nostro modo concipiendi apprehenduntur esse circa illam in ratione essentiæ, quasi *genericè* consideratam, vt illam constituant adhuc vlteriùs in aliis gradibus essentialibus, ad eum planè modum, quo quis diceret ipsum rationale concipi circa animal, quod tamen non est proprietas, sed differentia specifica hominis.

IV. Ex hoc tamen non est putandum nos velle admittere in Deo aliquam compositionem metaphysicam, sed velle tantùm discernere quænam ex omnibus prædicatis essentialibus constituentibus, quasi specificè diuinam essentiam, illam vt sic spectatam magis vltimò constituant: ideóque hæc comparatio intellectionis actualis per essentiam, ad diuinam essentiam, non est comparatio formæ ad totum potentiale, sed potiùs formæ ad suum totum actuale adæquatum & completum, cuiusmodi est comparatio rationalitatis ad totam humanitatem: & quando prima hæc consideratio dicitur esse diuinæ essentiæ spectatæ, quasi *genericè*, non est sensus, quòd illi gradus, qui includuntur in tali eius consideratione sint vniuersales & communes; hoc enim est fal-
A sum, sed quòd vt ratio generica rei alicuius habet, quòd post illam adhuc alia vlterior ratio & formalitas datur, quæ illam vltimò compleat in sua ratione specifica præcisè sumpta: V. sic etiam essentia diuina quando consideratur vt completa in ratione diuinæ essentiæ virtualiter condistinctæ ab omnibus suis attributis, habeat vltra prædictos veluti gradus & alium vlteriorem, per quem in ratione diuinæ essentiæ consideratæ *specificè* compleatur, quæ ratio vlterior ob prædictam analogiam, quam habet cum vera differentia, dicitur *quasi differentia*.

Neque ex hac duplici consideratione diuinæ essentiæ sequitur iuxta nostram sententiam dari in Deo aliquem ordinem prioritatis, vel dignitatis secundùm rem, seu qui sit à parte rei in diuina essentia, alioquin simplicis-
B sima, sed tantùm sequitur dari verum & reale fundamentum in diuina essentia, prout illa concipitur à nobis pluribus inadæquatis conceptibus, quatenus intellectus noster imperfectus in concipiendo rem adeò perfectam, debet priùs concipere in illa vnam perfectionem, deinde aliam; hanc magis perfectam, illam verò minimè. VI.

Atque ex hac duplici consideratione diuinæ essentiæ tam citati Patres in primo argumento prioris sententiæ, quàm sanctus Thomas facilè nobis conciliantur. Nam quando sanctus Thomas ita ait, *post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de iis, quæ pertinent ad operationem*; eò loci per *diuinam substantiam* intelligit essentiam diuinam, prout quidem est essentia, sed tamen quasi *genericè* tan-
C tùm sumpta; quomodo iuxta nostrum imperfectum concipiendi modum aliquâ ratione supponitur ad actualem intellectionem, quemadmodum suprà explicauimus; ea enim de quibus hactenus disputatum est magna ex parte illam vt sic constituunt, & non prout sumitur, quasi *specificè*: VII. quando verò idem sanctus Thomas citatâ ibi quæstione 26. huius partis articulo secundo, ait, *in Deo non esse aliud, esse & intelligere, secundùm rem, sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem*; id duntaxat intelligit de ratione ratiocinante, quæ nullum habet fundamentum in re, sed tantùm in imperfecto modo concipientis, qui diuinam essentiam incompletè apprehendit per ordinem ad res creatas, de quibus duos format conceptus, vnum *generis*, & alterum *dif-
D ferentiæ* ad eum planè modum, quo idem sanctus Thomas primo sententiarum distinctione decimâ nonâ quæstione secundâ articulo primo ad primum, & ibidem articulo secundo, ait, *ipsum esse diuinum seu ipsum existere Dei esse idem cum eo, cuius est actus*, id est, cum essentia diuina, sed differt tantùm ratione: VIII. certum enim est iuxta sententiam sancti Thomæ, vt docuimus suprà quæstione tertiâ, existentiam Dei esse de formali conceptu diuinæ essentiæ, & proinde hanc distinctionem, de qua sanctus Thomas ibi loquitur esse tantùm rationis ratiocinantis, & absque vllo fundamento in re.

Rationes autem sancti Thomæ ab aduersariis allatæ pro identitate voluntatis diuinæ cum essentia diuina, tantùm procedunt de identitate reali, & non de virtuali formali,

I. nec de essentia quasi specificè sumpta, vt satis
patet ex eo, quòd quæst. 19. huius partis &
lib. 1. *contra Gentes*, cap. 70. & aliis sequentib.
ita probat voluntatem esse in Deo, & illam es-
se idem cum diuina essentia, vt tamen expresè
dicat eam esse appetitum, idémque probet il-
lam esse in Deo ex eo, quòd omnis res habet
suum appetitum: at appetitus omnis conse-
quitur rem, vt iam in suo esse specifico consti-
tutam etiam in Deo, vt S. Thom. ibi signifi-
cat, dum ex hac naturali consecutione probat
voluntatem esse in Deo, & patet etiam ex eo,
quòd appetitus non constituat specialem ali-
quem gradum seu ordinem entium, vt sanctus
Thomas significat hâc parte quæst. 70. artic. 3.
& inductio facta per omnes gradus essendi, &
per omnes res docet; sed appetitus illas tan-
tùm sequitur pro earum ratione & conditio-
ne: ergo cùm voluntas in Deo habeat ratio-
II. nem appetitus consequentis Deum, vt intelli-
gentem, & id quod consequitur non possit esse
de formali conceptu eius, quod supponit, &
consequitur, sanctúsq; Thom. locis citatis pro-
bet ex tali suppositione voluntatem esse in
Deo, fit, vt quando ibidem docet voluntatem
in Deo esse idem cum essentia Dei, id tantùm
intellexerit de identitate reali, non autem de
virtuali formali; quo tamen posteriori modo
intellexit ipsum intelligere Dei comparatum
ad essentiam Dei consideratam specificè, esse
idem, scilicet *virtualiter formaliter*, cum diuina
essentia.

Quòd item reliqui Patres dicentes *sapien-
tiam Dei esse circa eius scientiam*, sint intelli-
gendi de diuina natura, quasi genericè sum-
pta, patet ex eo, quòd S. Damasc. modò enu-
III. meret sapientiam inter illa prædicata, quæ
consequuntur essentiam Dei, vt iam constitu-
tam: quemadmodum lib. 1. *de fide Orthodoxa*,
cap. 4. modò non enumeret, sed significet il-
lam esse prædicatum aliquod essentiale diui-
næ essentiæ consideratæ quasi specificè, vt lib.
1. *de fide Orthodoxa*, cap. 12. & 13.

Addi etiam potest actualem intellectionem
diuinam posse considerari duobus modis: pri-
mò, quatenus est actualis intellectio per es-
sentiam, abstrahendo à tali, & tali determi-
nato modo attingentis sub vnica & eadem
ratione principia & conclusiones: deinde
prout dicit hunc specialem & determinatum
modum, sic attingentis sub vnicâ & eadem ra-
tione principia & conclusiones: sapientia sum-
pta priori modo dicit totam plenitudinem
IV. intellectionis existentis per modum naturæ
completæ; posteriori etiam modo dicit ali-
quid eam priori modo consideratam conse-
quẽs; ex eo enim, quod est substantialis pleni-
tudo intellectionis, sequitur talis & talis de-
terminatus modus cognitionis hoc & isto spe-
ciali modo attingentis obiectum & veritatem
eius: diuina sapientia priori modo pertinet ad
essentiam diuinam, vt specificè consideratam,
seu habet rationem cuiusdam prædicati con-
stitutiui diuinæ essentiæ consideratæ quasi
specificè: spectata autem posteriori modo ha-
bet rationem attributi sapientiæ, vt nimirum
attingit res altissimas per causas altissimas, &
sub vnica ratione principia & conclusiones,
quemadmodum S. Thomas in 1. sent. distin. 35.
qu. 1. art. 1. docet, & sic Patres citati rectè illam
enumerant inter attributa Dei propriè dicta.

A V.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur duo fundamenta contrariæ sen-tentiæ à ratione petita.

PRIMVM est: obiectum cognitionis præ-
supponitur ipsi cognitioni, sicut obiectum
volitum volitioni; nam prius est diuinam es-
sentiam vniri suo intellectui ad instar speciei
impressæ, vt eius intellectus illam intelligat,
quàm ipsam actualem cognitionem diuinæ es-
sentiæ esse: atqui diuina essentia est obiectum
actualis intellectionis, quæ est in Deo: ergo illi
præsupponitur: ergo cùm omne illud prædi-
catum quod præsupponit essentiam Dei, non
sit de formali eius conceptu, ipsa actualis in-
tellectio non erit de præciso & formali conce-
B ptu diuinæ essentiæ. VI.

Respondetur, maiorem eius esse falsam de
actuali intellectione per essentiam, qualis est
in Deo, & de qua hîc agimus; non enim pos-
sumus concipere cognitionem actualem vt
actualem, nisi vt simul coniunctam cum suo
obiecto; & proinde cùm non possumus conci-
pere cognitionem Dei, quatenus est Dei, nisi
vt *actualem*, quia potentialis cognitio, vt con-
distincta ab actuali, non potest habere locum
in Deo, cùm dicat intrinsecã imperfectionem,
fit, vt non sit prius cum aliquo sufficienti fun-
damento in ipsa re ad fundandum virtualem
distinctionem inter essentiam cõstitutam Dei,
& actualem eius intellectionem, & ad priùs
concipiendum essentiam diuinam esse suo in-
tellectui vnitam in ratione obiecti, vel speciei
impressæ, quàm dari de facto cognitionem. Et
C quòd in Deo vita actualis non possit concipi, VII.
vt potentia, sed tantùm *vt actus*, S. Thom. ex-
presè docet libro 2. *contra Gentes*, capite 10. &
ipsum intelligere, & velle essentiale Dei non
habere rationem potentiæ respectu diuinæ in-
tellectionis & volitionis docet etiam hâc parte
infrà quæst. 25. art. 1. ad 3. cuius rei præter su-
prà traditam, hæc est etiam ratio, quòd po-
tentia sit principium eius actus, seu actionis,
respectu cuius est, & dicitur potentia; sed es-
sentialis intellectio & volitio Dei nullum ha-
bent loquendo propriè principium, aliàs de-
berent realiter distingui ab illo, & esse ab eo,
per aliquam emanationem & influxum, quod
de illis vt sic nemo Theologorum dixit.

Deinde in his tantùm cognoscentibus prius
est obiectum vniri intellectui, quàm intelligi,
D in quibus cognoscens habet rationem poten- VIII.
tiæ, quia hæc mouetur ab illo, & ex S. Thoma
hâc parte qu. 56. art. 1. moueri ab obiecto, non
est de ratione cognoscentis, in quantum cog-
noscens, sed in quantum est potentia cog-
noscens: at Deus cognoscens non habet ra-
tionem potentiæ loquendo propriè, vt nunc
ostendimus; tum etiam quia ratio potentiæ
pugnat cum puritate perfectissimi actus, cu-
iusmodi est intellectio Dei; tum etiam quia
intellectio, non est aliquid egrediens ab ipso
operante, vt S. Thomas expresè notat hâc
quæst. articulo 3. in responsione ad primum,
& lib. 2. *contra Gentes*, cap. 10. tum etiam quia
non ideo Deus est formaliter intellectiuus,
quia habet facultatem producendi in seipso
intellectionem; sic enim eius intellectio es-
set quædam operatio propriè dicta, quod

I. sanctus Thomas suprà negat, sed est formaliter intellectiuus ad eum modum, quo conceptus nostræ mentis est intellectiuus, nimirum tanquam formalis repræsentatio rei intelligibilis, cum hoc tamen discrimine, quòd ratio intellectiui, prout competit nostro conceptui, sit accidentaria & dependens, tam per inhærentiam, quàm per efficientiam: ratio verò intellectiui, vt est in Deo, sit tota substantialis, & in se semper necessaria: ergo sicut intellectio non habet rationem potentiæ in Deo: ita etiam nec eius obiectum debet præsupponi ei vnitum, vt illam moueat: sicut necessarium est in omnibus aliis creatis cognoscentibus, in quibus vera ratio potentiæ intellectiuæ, quatenus potentia est, reperitur.

Quòd si sanctus Thomas dicat aliquando
II. potentiam intellectiuam esse in Deo, tunc accipit hoc nomen *potentia* per ordinem, & comparationem ad obiectum, & non per ordinem ad actum: nam hoc nomen *potentia* potest sumi duobus istis modis: priori modo nihil est aliud, quàm vis, seu virtus quædam percipiendi obiectum, quæ tamen vis etiam secundùm rationem sit ipsemet actus intelligendi, quatenus in sua formalitate continet quidquid est perfectionis simpliciter ad rationem intellectualitatis: posteriori autem modo habet rationem principij.

Hinc intelligitur substantialem gradum intellectualitatis, prout abstrahit ab actuali intellectione, non posse concipi in Deo, quia vt sic comparatione actualis intellectionis habet rationem primi actus postulantis comple-
III. ri per actualem intellectionem: sícque habet aliquam rationem potentiæ vel principij: vnde gradus iste, vt sic, licet sit aliqua perfectio simpliciter simplex comparatione entis creati, non tamen absolutè, & simpliciter comparatione entis, quatenus ipsum ens complectitur sub se Deum ens increatum, quia habet oppositionem cum maiori perfectione, & aliquam imperfectionem sibi annexam, vt iam obseruauimus: quod idem est dicendum de intellectualitate concepta per modum principij radicalis.

Fundamentum secundum est: si intellectio actualis est de formali, & intrinseca ratione diuinæ essentiæ; ergo principium Filij in diuinis est ipsa diuina natura, non tantùm identicè, sed etiam formaliter: atqui hoc sensu asserere naturam diuinam esse principium Fi-
IV. lij est erroneum, vt Theologi communiter tradunt, contra Durandum inferiùs agendo de processione Filij: ergo ne incidamus in istum errorem Durandi, dicendum est actualem intellectionem non esse de formali, & intrinseco conceptu diuinæ essentiæ.

Respondetur negando benè ex hac nostra sententia inferri naturam diuinam esse principium Filij, sicut Durandus asserebat; hic enim istud affirmabat de essentia, quasi genericè considerata, & quatenus concipitur vt nondum intelligens, vt patebit infrà agendo de processionibus diuinis: nos verò tantùm volumus actualem intellectionem esse de formali conceptu diuinæ essentiæ, prout hæc quasi specificè sumitur; vnde longè distamus à sententia Durandi.

ARTICVLVS V. V.

Vtrum actualis intellectio per essentiam ita sit constitutiua diuinæ essentiæ, vt sit vltima ratio & veluti differentia eius.

CVM artic. præcedentibus dixerimus, plures veluti gradus essendi posse distingui in Deo, & actualem intellectionem esse vnum ex prædicatis constituentibus diuinam essentiam, quasi specificè consideratam; nunc quæritur an hæc actualis intellectio per essentiam, ita sit aliquid vltimũ in ratione prædicati constitutiui diuinæ essentiæ, vt per nullam aliam rationem vlteriùs constituatur, prout consideratur quasi specificè; & proinde quia vltimus gradus constituens aliquã rem in sua specie, est propria eius differentia; quæritur, an actualis
intellectio per essentiam sit quasi propria differentia essentiæ diuinæ, non quòd admittamus in Deo aliquam differentiam, sed quòd ibi aliquid distinguamus, quod illam veluti quasi vltimò constituat, & post huius positionem nihil intelligitur esse, tanquam prædicatum constitutiuum eius in ratione essentiæ consideratæ quasi specificè, sed esse tantùm circa illam, vt iam constitutam. VI.

Duæ sunt hac de re sententiæ, sicut & de præcedenti difficultate; qui negant actualem intellectionem per essentiam esse aliquod prædicatum constitutiuum diuinæ essentiæ, negant consequenter illam esse, quasi vltimam differentiam diuinæ essentiæ.

Quòd si quæratur ab istis auctoribus, si hæc actualis intellectio per essentiam non consti-
tuit vltimò diuinam essentiam quasi specificè, VII.
quidnam ergo sic constituit: variant inter se, alij volunt esse ipsam infinitatem, quia hæc soli Deo competit, eum distingnit ab omnibus rebus, quibuscumque, & ratione illius omnia attributa, & omnes quælibet perfectiones ei conueniunt: alij volunt esse ipsum existere, tum quòd hoc sit vltima actualitas rei, tum quòd hoc nomen Dei, *qui est*, importet eiusmodi existere, & est nomen proprium Dei, vt docuimus: & proinde est explicatiuum vltimæ quasi differentiæ constituentis diuinam essentiam: alij volunt ipsum *esse à se*, & ipsum esse independens esse hanc veluti differentiam constitutiuam diuinæ essentiæ: tandem alij distinguunt considerationem diuinæ essentiæ, prout præcisè est essentia, & prout est essentia & natura, volunt illam priori modo constitui
vltimò per ipsum esse intellectiuum, seu ipsum intelligere, prout dicit gradum intellectualitatis; posteriori autem modo constitui vltimò per actualem intellectionem per essentiam. VIII.

His tamen non obstantibus, consentaneè ad doctrinam articulorum præcedentium existimamus sententiam affirmantem esse probabiliorem, quam hâc nostrâ propositione explicamus.

Sit hæc propositio. *Actualis intellectio per essentiam ita est prædicatum aliquod constitutiuum diuinæ essentiæ, vt sit vltima quasi differentia illius constitutiua quatenus consideratur quasi specificè:* sic ex antiquioribus Scholast. Durand. in 2. sent. dist. 16. qu. 1. nu. 5. & 6. Aureol. in 1. sent. dist. 39. par. 3. art. 3. & recentioribus Caiet. ad 2. art. qu. 93. 1. partis, Ferrariens. lib. 2. *contra Gen-*

I. *tes*, cap. 10. Suares *Metaph.* disput. 30. sect. 15. & A
lib. 11. *de Trinitate*, cap. 5. num. 15. & plures alij tam ex discipulis S. Thomæ, quàm ex aliis.

Hæc nostra propositio probatur: primùm auctoritate S. Augustini libro *6. de Trinitate*, capite 10. qui agens de Verbo diuino, vt vera imagine Patris diuini ratione essentiæ diuinæ, ita scribit: *Vbi est prima & summa vita, cui non est aliud viuere, & aliud esse; sed idem est esse & viuere. Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud viuere, & aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc viuere, hoc est esse.*

Et quòd locus ille debeat intelligi de identitate virtuali formali, quæ sit inter ipsum esse Dei, & ipsum intelligere Dei, seu actualem intellectionem, quæ sit, quasi vltima differentia constitutiua diuinæ essentiæ, probatur: ex sancto Thoma hâc parte quæstione 93.
II. artic. 2. ratio veræ & propriè dictæ imaginis B
attenditur penes vltimam differentiam, seu penes id, vt scilicet, quod propriè est & dicitur *imago*, sit simile ei, cuius est imago secundùm vltimam differentiam constitutiuam illius, vt etiam Caietanus explicat ad illum locum S. Thomæ, tanquam de mente S. August. ibi à S. Thoma relati: atqui Verbum diuinum est, & propriè dicitur imago Patris diuini, seu vt S. Augustinus ibi loquitur, *est ad identidem* respondens Patri penes ipsum summè intelligere, quod est ipsum summè viuere diuinæ essentiæ: ergo ipsum summè intelligere, quod nihil aliud est, quàm actualis intellectio per essentiam, est iuxta mentem sancti Augustini vltima veluti differentia constitutiua diuinæ essentiæ: & sanctus Thomas citatâ illâ quæstione 93. applicat hanc eamdem rationem fundatam in ipso summè intelligere
III. Dei, seu in actuali intellectione per essentiam, C
vt probet hominem esse loquendo propriè creatum ad imaginem Dei, quia scilicet ratio imaginis attenditur penes vltimam differentiam eius, cuius est imago: homo autem sit & dicatur creatus ad imaginem Dei, quia intelligit, & ibidem articulo sexto constituens discrimen inter similitudinem per modum vestigij, & per modum imaginis, subiungit creaturas rationales videri quodammodo pertingere ad repræsentationem diuinæ speciei, in quantum imitantur Deum, non solùm in hoc, quod viuit, sed etiam in hoc, quod intelligit, vt Caietanus benè animaduertit sanctum Thomam ibi agere de specie Dei repræsentati; & quia loquendo propriè
IV. in Deo, neque est species, neque differentia, D
docet S. Thomam per hoc nomen *species*, intelligere vltimum gradum essendi inuentum in tali natura, qui vt ibidem probat ex sancto August. est intellectualitas.

Probatur secundò ex eo quòd Patres & interpretes sacræ Scripturæ dum explicant rationem imaginis, quæ est in homine ad Deum, illam explicant penes intellectionem, & volunt rationem illam imaginis debere attendi penes vltimum veluti gradum differentialem Dei, pro qua re possunt videri Durandus & alij Scholastici loco citato libri secundi sententiarum, & libro 1. ad tertiam distinctionem: Gregorius *à Valentia* ad primam partem S. Thomæ disput. 7. qu. 3. puncto 1. vbi pro hac re plura refert sancti August. testimonia.

Denique probatur ratione: primò, illud habet in Deo rationem veluti vltimæ differentiæ, in quo tanquam nobilissimo beatitudo eius consistit: nam si daretur aliquis gradus veluti magis specificus, quia esset magis perfectiuus, beatitudo Dei deberet consistere in illo: nam beatitudo significat bonum perfectum naturæ intellectualis: atqui beatitudo Dei consistit, vel in actuali eius intellectione per essentiam, tanquam in aliquo, quod est maximè diuinum, vt Aristoteles docet libro duodecimo *Metaphys.* textu decimo nono, & sanctus Thomas hâc parte quæstione vigesimâ sextâ, articulo secundo, vel si vt alij volunt beatitudo consistat in actu voluntatis, attamen consistet præcipuè in actu visionis: ergo actualis intellectio per essentiam est vltima veluti differentia naturæ diuinæ. V.

Deinde in substantiis spiritalibus quatenus sunt tales, nihil potest assignari, per quod velut per vltimam differentiam constituantur, præter ipsum esse intellectuale, vt patet in Angelis & in anima rationali: ergo cùm Deus sit substantia maximè spiritalis, & gradus ille vltimus in anima rationali & Angelo sit ipsum intellectuale potentiale, ipsa actualis intellectio per essentiam, erit in Deo gradus veluti vltimus differentialis. VI.

Confirmatur ampliùs: sicut natura diuina propter infinitam suam perfectionem existit in se perfectissimo modo possibili; sic postulat ex sua conditione concipi à nobis, vt vltimò constituta perfectiori omnium modo possibili: at modus perfectior omnium constitutiuus naturæ diuinæ est per ipsam infinitam substantialem actualem rationem intelligendi: sic enim intellectio Dei concipitur consummata, & non tantùm inchoata sicut in substantiis spiritalibus creatis: ergo natura diuina constituitur nostro modo considerandi per ipsam actualem intellectionem per essentiam, tanquam in suo esse quasi specifico. VII.

Tandem si quid esset vltimum, per quod essentia diuina constitueretur in suo esse quasi specifico, esset vnum aliquod ex iis quæ solent communiter ab aduersariis afferri: at nullum illorum potest istud sibi vendicare, vt patebit articulis seqq. discurrendo per singula.

ARTICVLVS VI.

Probatur nec ipsam infinitatem, nec ipsum existere vltimò constituere essentiam diuinam. VIII.

IMPRIMIS id ostenditur de ipsa infinitate: nam primò id, quod habet rationem vltimæ differentiæ debet habere rationem valdè specialem, non communem, & quasi transcendentalem: at infinitas in Deo, non est aliquid speciale diuinæ essentiæ & ei soli conueniens; non enim ex omnibus, quæ sunt in Deo sola eius essentia est infinita, sed quodcumque etiam attributum, siue relatiuum siue absolutum est infinitum in suo genere proprio.

Deinde, vltima differentia, aut illud, quod est veluti vltima differentia, & se habet ad instar illius, debet esse specialis aliqua ratio essendi, & veluti gradus entis, non au-

I. tem aliquis duntaxat modus entis, vt patet
inductione factâ per omnes differentias: at
infinitas conueniens diuinæ essentiæ, vt præ-
cisè est essentia, & condistinguitur ab omni-
bus suis attributis tam relatiuis, quàm abso-
lutis, licet sit ei specialis, quatenus vt sic præ-
cisè sumpta est tantùm in genere essentiæ, at-
tamen est aliquis duntaxat modus illius, &
non aliqua specialis ratio, & veluti differen-
tia constituens diuinam essentiam in suo esse
quasi specifico.

Neque fauet prædictæ sententiæ, quòd
hæc infinitas distinguat Deum ab omnibus
aliis rebus; nam quando aliqua duo distin-
guuntur se totis, etiamsi in iis nihil sit, secun-
dùm quod vnum non distinguatur ab alio,
attamen non vnumquodque eorum, quæ sunt
in illis vendicat sibi rationem differentiæ pro-
priè dictæ, & vltimò constitutiuæ illius, sed
II. id tantùm, quod illud constituit vltimò in
tali sua specie secundùm aliquam specialem
rationem, seu gradum entis: at Deus seu di-
uina essentia distinguitur se tota ab omni-
bus creatis entibus: cùm illa sit talis per sei-
psam, quælibet verò entia creata sunt tantùm
talia per participationem.

Quòd etiam ipsum existere non sit vltimò
constitutiuum diuinæ essentiæ, patet primò,
quia tenet se ex parte essentiæ, quasi gene-
ricè consideratæ: cùm enim essentia diuina
sumpta præcisè sit ens in actu seu actuale, &
non tantùm in potentia, quemadmodum
essentiæ rerum creatarum, prout conside-
rantur in ratione præcisa essentiæ, illa debet
in tali suo præciso conceptu includere forma-
le constitutiuum entis formaliter actualis seu
III. actu existentis: at hoc formale constitutiuum
est ipsum existere, seu ipsamet existentia: vn-
de falsum est illam esse vltimam actualitatem
rei, quin potiùs esse primam, cùm nihil actuale
possit intelligi esse præsuppositum in re ante
ipsam eius existere: sic enim esset, & non esset,
quod implicat; esset ex suppositione eius, qui
vult ipsum existere esse vltimam actualitatem;
item non esset, quia nihil potest esse sine suo
formali constitutiuo, cuiusmodi est ipsum exi-
stere, seu realis existentia respectu entis actua-
lis: deinde ipsum existere est etiam veluti ali-
quid transcendens, cùm omnia & singula at-
tributa tam relatiua, quàm absoluta sint in
Deo entia actualia virtualiter formaliter dis-
tincta ab essentia diuina.

Neque his obstat, quòd nomen hoc, *qui
est*, sit nomen proprium Dei, nam quando,
IV. *qui est*, dicitur esse nomen proprium Dei,
prout Deus potest nominari ad captum via-
torum, istud non intelligitur de nomine
quod significet diuinam essentiam, vt condis-
tinctam ab omnibus suis attributis, & sumi-
tur præcisè quoad conceptum diuinæ essen-
tiæ consideratæ quasi specificè, sed istud in-
telligitur de nomine Dei significante etiam
attributa Dei essentialia, vt satis expressè Pa-
tres docent; sanctus Gregorius Nazianze-
nus oratione secunda *in Pascha*, non longè à
principio, sanctus Damascenus libro primo
de fide, capite 12: sanctus Bernardus lib. 5. *de
consideratione ad Eugenium*, & nos etiam signi-
ficauimus agendo de illo, quatenus diximus
illud importare æternitatem Dei, & id genus
alias perfectiones, ratione cuius continentiæ
A diuina essentia appellatur à Patribus, *immen- V.
sum, & infinitum pelagus*: at in præsenti diffi-
cultate loquimur tantùm de diuina essentia,
vt præscindit ab omnibus suis attributis.

Neque etiam his obstat, quòd Patres inter-
dum dicant Deum esse ipsum, *quod est*, seu
ipsum existere; tunc enim tantùm volunt exi-
stentiam seu actualitatem essendi, esse de for-
mali conceptu diuinæ essentiæ, quod nos etiam
suprà docuimus, & loquuntur de eo, prout
Deus ratione illius existentiæ distinguitur ab
omnibus rebus creatis.

Hinc quando S. Thomas, in quæstionibus
disputatis *de potentia*, quæstione 2. artic. 1. in
corpore ait, Deum denominari *ab esse, quia
est quasi à propria sua forma*: hæc particula,
propria, sumitur, prout Deus quoad suam es-
sentiam, quasi genericè spectatam considera-
tus distinguitur ab omnibus rebus creatis pe-
B nes existentiam; existentia enim creaturarum, VI.
ita est illis propria, vt tamen non sit de formali
conceptu essentiæ illarum & detur illis ab ex-
trinseco & ex libera voluntate Dei creantis
ipsas res.

ARTICVLVS VII.

Ostenditur ipsum esse à se, *seu* esse independens, *non esse vltimum constitutiuum essentiæ diuinæ quasi specificè consideratæ.*

IPSVM etiam *esse à se*, seu *independens*,
non esse vltimum constitutiuum essentiæ
diuinæ quasi specificè consideratæ, probatur.

Primò, quia hoc *esse à se* vel sumeretur pro-
C ut solummodò negat omnem, & quamlibet VII.
dependentiam ab alio, vel prout etiam negat
esse ab alio, siue realiter per aliquam emana-
tionem ad intra, quomodo filiatio & spiratio
passiuè sunt ab alio in diuinis, siue etiam dun-
taxat virtualiter, quomodo attributa absoluta
dicuntur quasi resultare ex diuina essentia:
sed natura diuina nullo istorum omnium in-
telligitur esse vltimò completa secundùm ra-
tionem suam specificam. Non quidem priori
modo, seu prout negat veram & propriè di-
ctam dependentiam: tum quia vltima quasi
differentia alicuius substantiæ non potest for-
maliter consistere in eo quod est veluti aliquid
transcendens, & conuenit omnibus & singulis
quæ sunt in illa, est enim proprium differentiæ
distinguere vnũ ab alio; at ipsum *esse à se*, sum-
ptum hoc priori modo conuenit omnibus quę VIII.
D sunt in Deo per modum alicuius transcenden-
tis, sic enim filiatio, spiratio passiua, item vnum-
quodque attributum Dei est à se, quia in Deo
nihil est dependens.

Deinde, quia in qualibet substantia perfecta
gradus eius quasi specificus, & differentialis
debet esse aliquis specialis gradus essendi, &
non simplex duntaxat modus habendæ, seu
consequendæ, & obtinendæ entitatis; nec
enim aliqua duo distinguuntur specificè, aut
quasi specificè, nec etiam constituuntur in tali
specie entis ex sola diuersitate habendi suam
entitatem, vt videre est in Adam & Abele, sed
ipsum esse à se consideratum hoc priori modo
est tantùm aliquis modus secundùm quem en-
titas, seu natura habetur, sicut & ipsum esse in-
finitum, esse increatum.

I. Tertiò, quia quotiescumque in aliquo ente datur simul aliquis modus specialis, & insuper aliquis vlterior specialis gradus essendi, tunc talis gradus essendi vendicat sibi potiùs rationem differentiæ, quàm talis modus: quia vlterior ille gradus essendi videtur esse quid nobilius, & vltima quasi differentia substantiæ completæ debet esse illud simplex, quod in illa est nobilius, cùm sit ens vltimum: at in Deo independentia habet rationem veluti alicuius modi, actualis autem intellectio per essentiam habet rationem alicuius specialis gradus essendi, & viuendi, vt omnes philosophi & Theologi agnoscunt.

Quartò, quod conuenit essentiæ diuinæ, vt consideratæ quasi genericè, non potest esse vltima differentia illius; at *esse à se*, & *independens* conuenit essentiæ diuinæ consideratæ quasi genericè, quia essentia diuina quatenus
II. concipitur *diuina* & existens, licet nondum concipiatur explicitè, vt actualis intellectio per essentiam, nihilominus tamen concipitur, vt ens à se & independens.

Denique ipsum *esse à se* consideratum posteriori modo non potest esse vltima quasi differentia naturæ diuinæ, ob multas rationes ex nunc assignatis contra priorem modum, quæ retinent suam vim, & efficaciam contra hunc posteriorem, vt imprimis quòd ipsum *esse à se* sic sumptum sit tantùm aliquis modus habendæ entitatis, & nullum specialem gradum essendi importet; nam Deus Pater est à se, iuxta hunc modum posteriorem, nec tamen ipsa eius innascibilitas ratione cuius sic est à se, importat directè aliquem specialem gradum essendi, vt patebit infrà agendo de innascibilitate.

III. Secundò, ipsum tale *esse ab alio*, ita importat diuinam naturam, vt tamen non sit gradus essendi omnium perfectissimus inter eos qui reperiuntur in Deo, in quo tamen vt sic propria veluti differentia debet consistere, nullum enim importat gradum vitæ, & multo minus importat vitam essentialiter actualem omnium graduum in ratione essendi perfectissimam.

Tertiò, quia *tale esse à se*, videtur potiùs tenere se ex parte essentiæ diuinæ quasi genericè consideratæ, nihil enim aliud præstat quàm singularem modum essendi, seu etiam existendi, qui ita competit essentiæ diuinæ quatenus præscindit ab omnibus suis attributis, vt etiam illis non conueniat, & cùm
IV. modus sequatur id cuius est modus, quemadmodum existentia est de præciso & formali conceptu diuinæ essentiæ, vt genericè consideratæ, sicut suprà obseruauimus, ita etiam & ipsum *esse à se*, iuxta hunc posteriorem modum tenebit se ex parte diuinæ essentiæ, quasi genericè consideratæ, sícque non poterit esse vltima quasi differentia illius; ergo restat vt ipsamet actualis intellectio per essentiam sit quasi vltima differentia diuinæ essentiæ.

A

ARTICVLVS VIII. V.

Ostenditur nec ipsum esse intellectiuum, *prout importat gradum intellectiui radicalis, vel potentialis tantùm; nec ipsam* diuinam voluntatem, *vel etiam* diuinam volitionem *constituere vltimò diuinam essentiam specificè consideratam.*

PATET etiam *ipsum esse intellectiuum*, prout importat gradum intellectiui radicalis, vel potentialis tantùm, non posse esse id, quod vltimò constituit, quasi specificè diuinam essentiam: nam suprà docuimus etiam ex S.Thoma ipsum intelligere diuinum essentiale non habere rationem alicuius potentiæ, vel etiam actus primi; cùm hoc vtrumque dicat imper-
B fectionem, vt ibi ostendimus. VI.

Deinde intelligitur ex dictis *diuinam voluntatem*, vel etiam *diuinam volitionem* non constituere vltimò diuinam essentiam quasi specificè consideratam: nam primò tale constitutiuum, debet esse aliquis veluti gradus essendi constitutiuus rei alicuius in sua specie: atqui nullus appetitus, de quorum numero est voluntas etiam diuina, est eiusmodi, quia appetitus omnis supponit potiùs rem formaliter in sua specie constitutam eámque subsequitur, quàm constituat illam formaliter.

Deinde diuina essentia cùm in suo genere sit perfectissima & nobilissima, debet constitui in sua quasi specie, per aliquid formaliter intellectiuum per essentiam, & non per intellectiuum duntaxat per participationem: cùm istud sit hoc nobilius, sicut ens per essentiam est nobilius quolibet ente per participatio-
C nem tantùm: at voluntas quælibet diuina est VII.
tantùm intellectualis per participationem, ex Aristotele libro 1. *ethicorum* capite vltimo, & ex S.Thoma 1.2.quæst.56.artic.6. & quæst.57. quatenus scilicet est nata dirigi per cognitionem, cùm alioquin sit ex se cæca: vnde quando Patres loquendo de voluntate vel actuali eius volitione, dicunt illam esse ipsummet Dei esse, seu eius substantiam; tunc vel loquuntur in sensu tantùm identico, & non in sensu virtuali formali, vel tunc accipiunt hoc nomen *essentia Dei*, prout significat totum, quod est in Deo adæquatè sumpto, seu tam illud omne, quod in illo est ens relatiuum, quàm absolutum, tam illud, quod est aliquod attributum propriè dictum, quàm quod est præ-
D dicatum, & non attributum, prout hæc fuerunt superiùs à nobis distincta. VIII.

ARTICVLVS IX.

Soluuntur fundamenta aduersariorum aduersus doctrinam præcedentium articulorum.

PRÆTER ea quæ reiecta sunt præcedentibus articulis, aduersarij habent & alia quædam, quibus conantur rationem Dei vltimò essentialiter constitutiuam potiùs conuenire aliquibus aliis, quàm actuali intellectioni per essentiam.

Primum est: quod potest demonstrari à priori, non potest esse vltima quasi differentia diuinæ essentiæ, quia essentia Dei est in-

I. demonstrabilis, sed actualis intellectio per essentiam potest demonstrari de Deo à priori per summam eius substantialem immaterialitatem: ergo.

Respondetur, concessâ maiore, ad minorem negando summam actualem intellectionem per essentiam probari per immaterialitatem eius, tanquam à priori, sed eo tantùm modo, quo rationalitas probaretur per humanitatem esse in homine, seu quo quis hominem probaret habere rationalitatem ex eo, quòd habet humanitatem; quæ probatio est, quasi ipsius formæ partis per formam totius: nam ipsa immaterialitas est quasi tota forma totius substantiæ absolutissimè, & maximè simpliciter spiritalis adæquatè sumptæ: ipsa autem intellectualitas est veluti forma eius, quòd tanquam partis tenet locum in illa, & quasi dif-
II. ferentia.

Secundum fundamentum illud est: quod est quasi vltima differentia rei alicuius, debet esse radix omnium aliorum, quæ ei conueniunt, est enim essentia rei radix omnium suarum proprietatum, atqui actualis intellectio per essentiam, non est veluti gradus omnium quasi proprietatum, seu attributorum, quæ sunt in Deo; nam omnipotentia non inde conuenit Deo præcisè, quia actualis intellectio per essentiam ei inest & conuenit, sed quia habet infinitatem in esse entitatiuo.

Respondetur primò, proprietates rei alicuius constitutæ in sua specie esse duplices, alias esse, quæ consequuntur rationem eius genericam, alias quæ sequuntur rationem eius specificam, vt videre est in nobis & brutis:
III. nam multæ dantur, quæ nobis sunt communes cum brutis animantibus, quia sequuntur rationem animalis, & vltima differentia constitutiua rei in sua specie non debet esse prima radix earum proprietatum, quæ sequuntur naturam genericam, licet de facto & reipsa non sint in tali specie, seu potiùs in aliquo eius indiuiduo, nisi interuentu & actuali positione ipsius vltimæ differentiæ constitutiuæ eiusmodi indiuidui in tali specie: & sic possumus respondere omnipotentiam in Deo esse proprietatem consequentem eius rationem, quasi genericam, quatenus fundatur in ipsa summa eius actuali identitate: deinde explicando inferiùs modum, quo Deus res omnes alias à se intelligit, dicemus quomodo ipsum actuale intelligere Dei sese habeat ad
IV. ipsam eius omnipotentiam.

Tertium est: ideò iuxta auctores huius sententiæ hæc intellectio est, quasi vltima differentia essentiæ diuinæ, quia est perfectissima vita in actu secundo, & veluti gradus perfectissimus perfectissimæ vitæ, & quasi vltimò constitutiuus diuinæ essentiæ: atqui in Deo volitio summè actualis est gradus perfectissimus vitæ perfectissimæ, & nostro modo considerandi vlterior, quàm sit ipsa actualis intellectio per essentiam; quòd enim ipsum velle sit quoddam viuere, sicut & ipsum intelligere sanctus Thomas expresè docet libro primo *contra Gentes*, capite primo sic dicens, *intelligere, & velle nonnisi viuentis est*; & ratio etiam id confirmat: nam ex sancto Thoma infrà quæstione decimâ octauâ, articulo tertio, illud propriè viuit quod operatur à se ipso, & non quasi motum ab alio: at Deus

A non tantùm mouetur à se ipso ad intellectionem, sed etiam ad actualem volitionem, seu amorem, quoniam à nullo alio mouetur priùs quàm ab ipsa sua bonitate per se ipsam cognita: ergo diuina essentia non constituitur per actualem intellectionem per essentiam in in suo esse quasi specifico. V.

Respondetur, negando actualem volitionem esse aliquem gradum essendi specialem, cùm intrinsecè, & formaliter sit appetitus quidam, & appetitio sit propria inclinatio alicuius gradus essendi, propria autem differentia rei alicuius constitutiua, debet formaliter & intrinsecè dicere aliquem veluti gradum specialem essendi.

Deinde in sententia sancti Thomæ, cùm intellectio sit perfectior volitione, sicut intellectus voluntate: sic etiam illa actualis
B vita, quam volitio summè perfecta in suo genere importat, non est vita omnium perfectissima. VI.

Tertiò, dici potest hæc duo distingui aliquid esse aliquem actum viuentis, & illud idem sumptum formaliter & præcisè esse aliquam vitam loquendo propriè, seu constituere aliquod genus vitæ distinctum ab aliis, quia ad primum sufficit, habere aliquem intrinsecum ordinē & essentialem habitudinem ad aliquod formale principium vitæ propriè dictæ, licet illud in seipso formaliter & præcisè non sit aliquod viuere: imò nec proximum eius principium elicitiuum sit aliquod formale principium dans formaliter ipsi suo subiecto aliquod viuere; quemadmodum videre est in ipso actu ridendi propriissimè sum-
C pto. Nam ipsum ridere propriissimè sumptum est aliquis actus viuentis, nec potest vt sic esse, nisi viuentis, quia vt risibilitas est proprietas soli homini conueniens; sic etiam ridere actu & de facto vero risu & propriissimè dicto est solius hominis actu viuentis, & hoc ridere dicitur esse actus viuentis, non quòd ipsa risibilitas sumpta formaliter sit aliquod formale principium vitæ alicuius propriè dictæ constituens distinctū & speciale quoddam genus vitæ, aliud à genere vitæ intellectualis & rationalis, sed dicitur eo sensu esse actus vitalis, & esse actus viuentis, quòd quemadmodum risibilitas tanquam proprietas habet ordinem essentialem ad animam rationalem, & ad illam vitam, quam hæc anima tribuit formaliter homini; sic etiam proprius eius actus, VII.
D qui est ridere, non potest esse & exerceri, nisi ab eo, qui præsuppositiuè habet veram vitam veri & propriè dicti hominis, ad quod tamen genus vitæ seu viuendi ipsa risibilitas & ipsum ridere facilè possunt reuocari: at ad secundum requiritur non tantùm diuersa perfectio viuentis, sed etiam quæ talis sit, vt non possit aliquâ ratione reuocari ad aliud genus vitæ; quemadmodum Conimbricenses expressè docent quæstione secunda, articulo secundo ad caput tertium libri secundi *de anima*: hinc enim vt ibi obseruant, vis appetendi appetitu sensitiuo, quia semper concomitatur sensum, non constituit distinctum genus vel modum viuendi à sensu, seu ab anima sensitiua. VIII.

Iam vt hoc applicetur argumento aduersariorum, dicimus ipsum velle & ipsammet actualem volitionem esse actum viuentis,

I. A esse actum vitalem, & ipsummet volentem ad id moueri à seipso; negamus tamen inde sequi ipsum eiusmodi velle, seu actualem volitionem quantumlibet perfectam in suo genere esse specialem aliquam vitam, seu ratione huius suæ perfectionis in tali genere constituere aliquem modum viuendi, seu genus vitæ distinctum à modo & genere viuendi vitâ intellectuali, quia voluntas, velle, actualis volitio semper comitantur intellectum & intellectionem actualem pro ratione intellectus & vitæ intellectualis: quare cùm vltima quasi differentia diuinæ essentiæ, debeat esse aliquis veluti gradus vitæ propriissimè dictæ & perfectissimæ, non autem aliquid, quod ad illum reuocetur vel concomitetur, fit, vt licet actualis volitio Dei sit ali-
II. quis actus viuentis loquendo propriè, non propterea tamen possit esse veluti differentia vltima constituens essentiam diuinam in suo esse quasi specifico.

Quartum fundamentum est: quod est aliquo modo prius ratione, aut saltem simul in essentia diuina, ac est actualis intellectio per essentiam, debet esse potiùs, aut saltem æquè de conceptu intrinseco diuinæ essentiæ considerata secundùm suam rationem specificam, ac est ipsa actualis intellectio per essentiam: sed volitio Dei est aliquo modo prius ratione, aut saltem simul & æquè primò etiam ratione, ac est ipsa actualis intellectio in essentia diuina considerata iuxta suam rationem specificam; nam hæc actualis intellectio Dei quæ est quasi vltima differentia est comprehensiua & intuitiua, & habet pro aliquo suo obiecto adæ-
III. quato diuinam volitionem; & cùm omne obiectum præsupponatur suæ cognitioni comprehensiuæ & intuitiuæ, vel saltem sit simul & æquè primò ac ipsa, volitio diuina erit in essentia diuina vel prius saltem æquè primò ac actualis intellectio, & proinde tam benè erit de præciso eius conceptu specifico, quàm hæc intellectio.

Respondetur, negando volitionem actualem esse iuxta ordinem rationis cum fundamento in re æquè primò in diuina essentia specificè considerata, ac est actualis intellectio per essentiam; nam prioritas & posterioritas inter actus istos diuinos debent sumi ex virtuali præsuppositione vnius, & naturali subordinatione alterius, sicut & inter attributa Dei, hæc autem virtualis præsuppositio & naturalis subordinatio dignoscitur ex eo ordine quem ob-
IV. iecta actuum eiusmodi seruant inter se: at volitio præsupponit cognitionem, quia nihil potest esse volitum quin cognitum.

Confirmatur: quia aliàs hæc diuina volitio tam benè & pari iure esset primum volibile, ac diuina essentia, de cuius formali conceptu est ipsum intelligere, est primum intelligibile: at diuina volitio non est primum volibile, sed essentia Dei, quæ est obiectum diuinæ volitionis, ex S. Thoma suprà qu. 19. art. 1. in solutione ad 3. vnde ibidem in corpore ait etiam in Deo voluntatem consequi intellectum.

Ad id autem quod in eodem fundamento additur in confirmationem de cognitione comprehensiua, respondetur: si hæc intellectio Dei consideretur in ratione *gradûs*, vt hic à nobis spectatur, quādo constituitur differentia, tunc iuxta nostrum modum concipiendi cum fundamento in re illam præsupponi diuinæ volitioni, sicut differentia proprietati eius cuius est differentia, vt nunc est ostensum: si autem diuina volitio comparetur in ratione specialis cuiusdam obiecti cum hac intellectione actuali comprehensiua, tunc diuina volitio non tam præsupponitur diuinæ intellectioni, quàm est simul cum illa, quia diuina intellectio non potest concipi omnimodè actualis, carens qualibet potentialitate, qualis tamen est, nisi & eius obiectum concipiatur simul ei coniunctum & cognitum, & quemadmodum prioritas illa originis, quæ est inter personam Patris, & alias duas personas non impedit quin processio Filij sit ex intuitiua cognitione personarum Filij & Spiritus sancti, vt explicabitur inferiùs; sic etiam prioritas illa rationis cum fundamento in re quæ est intellectionis diuinæ ad diuinam
B volitionem non obstabit, quin hæc diuina intellectio sit etiam comprehensiua & intuitiua diuinæ volitionis. VI.

Quintum fundamentum: ea quæ secundùm suam radicem considerata sunt de essentia rei creatæ & in suo formali conceptu nullam dicunt imperfectionem prout considerantur in actu secundo, illa considerata iuxta actum secundum sunt formali conceptu diuinæ essentiæ consideratæ specificè: at intellectiuum & volitiuum considerata secundùm suam radicem sunt de formali conceptu naturæ Angelicæ & humanæ: ergo tam benè actualis volitio est de formali & præcisò conceptu diuinæ essentiæ, ac est ipsa intellectio actualis.

Respondetur negando maiorem purè & simpliciter, nam subsistentia considerata secundùm suam radicem est de essentia substantiæ creatæ, vt patet ex eius definitione & na- VII.
C turali inclinatione eius ad subsistendum, & tamen actualis subsistentia non est de præciso formali conceptu essentiæ diuinæ, vt patebit inferiùs.

DISPVTATIO II.

De diuisione scientiæ Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

De scientia simplicis intelligentiæ & visionis.

NOTANDVM est scientiam posse duobus modis considerari, primùm in se, & secundùm se tantùm; deinde secundùm habitu-
D dinem ad sua obiecta, quæ varias & varias habent conditiones, secundùm quas attinguntur à scientia. VIII.
Hoc ita præsupposito, sit nostra

Prima propositio. *Scientia priori modo sumpta est vna tantùm, eáque simplicissima in Deo:* ita communiter omnes Theologi, tam artic. 9. huius quæst. quàm 1. sentent. distinct. 58. &

Probatur: omnis & quælibet scientia Dei est actualis quædam cognitio, quia nulla est potentialis in illo, vt patet ex articulis præcedentibus; atque in Deo vna est tantùm actualis simplicissima cognitio, prout illa consideratur in se, & secundùm se, quia multiplicitas actualium cognitionum sic consideratarum prouenit ex imperfectione cognoscentis, qui non potest varia simul obiecta percipere vnâ simplicissimâ cognitione actuali

I. Deus autem est cognoscens perfectissimum, carens omni imperfectione: ergo scientia Dei considerata secundùm se est tantùm vna simplicissima in Deo.

Secunda propositio. *Scientia Dei spectata posteriori modo diuiditur in scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ:* ita S. Thomas hîc artic. 8. & omnes eius interpretes.

Probatur propositio : tot sunt membra scientiæ diuinæ spectatæ iuxta hanc considerationem, quot sunt eius habitudines ad omnia sua obiecta; atqui duæ dantur habitudines scientiæ diuinæ ad res omnes scitas à Deo: aut enim res illæ habent vel sunt habituræ, vel aliquando habuerunt suam existentiam, & vt sic cognoscuntur à Deo, & tunc talis scientia Dei propriè loquendo est *visionis*; vel obiecta à Deo cognita non habent, nec habe-
II. bunt, nec habuerunt existentiam, & sic cognoscuntur, vt sunt possibilia, sicque tunc talis scientia est *simplicis intelligentiæ* : ergo scientia Dei considerata secundùm habitudinem ad sua obiecta rectè diuiditur *in scientiam simplicis intelligentiæ*, & *scientiam visionis.*

Explicatur hoc vtrumque membrum: scientia intuitiua rei, vt existentis, seu quæ terminatur ad rem, vt præsentem & aliquâ ratione coexistentem cognitioni, appellatur scientia *visionis*, sumpto nomine à visu corporeo, qui terminatur tantùm ad id, quod reipsa existit, & est præsens, ita vt attingat ipsam existentiam rei cognitæ: ea verò scientia dicitur esse *simplicis intelligentiæ*, quâ nuda & simplex rerum possibilitas absque actuali earum existentia cognoscitur, seu ea scientia est *simplicis intelligentiæ*, quâ res cognoscuntur tan-
III. tùm, prout possunt esse, vel fieri.

Hinc quia cognitio Dei mensuratur æternitate propriè dictâ, quæ absolutè & simpliciter sumpta, vna & eadem manens correspondet omnibus differentiis temporis, fit, vt quæ in aliqua temporis differentia fuerunt, sunt, vel erunt, extra suas causas ab illo cognoscantur intuitiuè & per scientiam visionis, licet nondum existant in nostro tempore, nec correspondeant æternitati, prout illa à nobis diuiditur in plures conceptus inadæquatos, quibus secundùm varias veluti sui partes respondet variis differentiis nostri temporis: cùm enim hæc cognitio Dei sit tota simul & semel inuariabilis, debet simul & semel sese totam terminare ad totum suum obiectum,
IV. quatenus est obiectum talis cognitionis: ideòque cùm res siue nunc existentes, siue futuræ sint aliquod eius obiectum, prout habent vel habebunt esse extra suas causas, Deus debet illas cognoscere vt sic intuitiuè & per scientiam visionis.

Hinc etiam fit, vt quia negationes & priuationes habent existentiam suo modo, vt docuimus, & cognitio eorum, quæ habent, vel habebunt suam existentiam, est scientiæ visionis: fit inquam, vt negatio existentiæ in re, quæ potest existere, dicatur esse etiam aliquod obiectum scientiæ visionis, quatenus Deus nouit carentiam actualis existentiæ huius & illius rei possibilis.

Neque hinc sequitur vnum & idem esse simul obiectum scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, huius quidem, quia non cog-
A noscitur vt existens, istius verò, quia per eam V.
cognoscitur negatio existentiæ eius, quam volumus esse aliquod obiectum scientiæ visionis. Hoc inquam, non sequitur. Nam possibile potest considerari duobus modis, primò prout dicit nudam duntaxat connexionem aliquorum prædicatorum inter se possibilem abstrahendo ab existentia, vel negatione existentiæ, & possibile hoc modo spectatum est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, quia nuda & simplex possibilitas rei absque positiua apprehensione, quòd de facto existat, vel non existat, ibi purè & simpliciter attingitur: deinde possibile considerari potest, vt de facto & reipsa hîc & nunc carens actuali suâ existentiâ: & tunc talis carentia existentiæ rei possibilis vt sic positiuè apprehensa, est ali-
B quod obiectum scientiæ visionis, quia illa habet existentiam suo modo, & in hac hypothesi VI.
ipsum possibile, non est loquendo propriè obiectum huius cognitionis, sed ipsa tantùm actualis carentia existentiæ, quæ loquendo propriè, non est aliquod possibile, sed aliquid actu, existens tamen suo modo, vt intelligitur ex dictis suprà de spatiis negatiuis.

ARTICVLVS II.

Vtrum adæquata sit diuisio scientiæ Dei in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.

SIT hæc nostra propositio. *Adæquata est diuisio scientiæ in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.* Probatur: ea diuisio cen-
C setur esse *adæquata*, cuius membra simul sum- VII.
pta adæquant totum diuisum, & quando etiam datur per membra sibi inuicem contradictoria, quia tunc nihil datur medium: atqui obiecta scientiæ visionis, & scientiæ simplicis intelligentiæ simul sumpta vt cognita adæquant totam scientiam Dei, prout illa consideratur per habitudinem ad sua obiecta, & vnum membrum est alteri contradictorium : ergo hæc diuisio est adæquata.

Maior patet ex dialecticis; minor probatur: quodlibet obiectum, vt à Deo cognitum, vel existit, & est extra suas causas in aliqua duratione præterita, præsenti, vel determinatè futura, & vt sic cognoscitur à Deo, vel in nulla ex enumeratis durationibus existit, & vt sic cognoscitur: nullum enim ibi potest dari medium, quia inter existere & non existere, inter
D cognoscere vt existens, & cognoscere vt non VIII.
existens, nullum est medium, cùm vnum importet negationem alterius; si obiectum cognoscatur priori modo constituit *scientiam visionis*, si secundo constituit *scientiam simplicis intelligentiæ*, vt patet ex præcedenti propositione.

Confirmatur : si quod tertium membrum scientiæ Dei spectatæ hoc modo posset dari, esset vel scientia rei possibilis sub aliqua conditione futuræ, verbi gratiâ istius veritatis, *si in Tyro & Sydone hæc facta fuissent, iam egissent pœnitentiam*, quam scientiam aliqui satis communiter vocant *mediam*, vel esset scientia, quam aliqui vocant *approbationis*, seu *beneplaciti*, quâ Deus ita nouit aliquid, vt approbet illud efficaciter, quomodo dicitur passim in sacris literis *nosse pios viros; ignorare improbos,*

I. vt apud S. Matthæum 25. capite: sed neutrum duorum istorum facit, vt nostra diuisio non sit adæquata, prout scientia Dei consideratur hoc loco.

Non primum, quia futura illa possibilia sub conditione, vel sunt talia, vt de facto sint futura aliquando, quia conditio, à qua dependent, ponetur, vel non sunt futura, quia conditio eorum non ponetur, quæ tamen si poneretur, essent futura: si sint prioris modi iam sunt obiectum aliquod scientiæ visionis, quia hæc est eorum, quæ habent esse, vel habebunt, extra suas causas in aliqua duratione: si sint posterioris modi, quia loquendo propriè & absolutè, non sunt futura, & ista eorum futuritio secundùm quam cognoscuntur, est tantùm possibilis, & vt talis tantùm cognoscitur, non autem vt de facto reducenda aliquando ad actum; fit, vt iam sint

II. obiectum solummodo *scientiæ simplicis intelligentiæ*; sicque loquendo propriè hæc cognitio non constituit tertium aliquod membrum scientiæ Dei, vt hîc à nobis spectatur, per habitudinem ad res scitas; & ista habitudo rei cognitæ, vt futuræ, si hæc conditio poneretur, facit ad summum, vt *scientia simplicis intelligentiæ* diuidatur in scientiam *simplicis intelligentiæ purè possibilium*, & *scientiam simplicis intelligentiæ non purè possibilium*; cùm hæc conditio futuri, quæ tamen de facto nunquam ponetur, non extrahat hæc obiecta extra conditionem *possibilium*, quæ tamen cognitio possibilium conditionatorum maioris tantùm cuiusdam distinctionis gratiâ dicatur *media*, quatenus secundùm aliquam rationem participat conditionem *scientiæ simplicis intelligentiæ*, nimirum prout est aliquorum possibilium, & quatenus participat ali-

III. quo modo rationem *scientiæ visionis*, quatenus scilicet est eorum possibilium, prout haberent existentiam de facto, si hæc aut illa conditio poneretur.

Similiter scientiam illam, quam vocant *approbationis*, non facere quoddam tertium membrum, probatur primùm ex S. Thoma in quæstionibus disputatis *de veritate* quæstione tertiâ, articulo tertio in responsione ad tertium.

Deinde probatur hâc ratione: præsens diuisio scientiæ sumitur penes diuersam eius habitudinem ad obiectum, quatenus est alia & distincta ratio intelligibilitatis in obiecto, vt sic cognito: atqui scientia Dei, vt cognoscens

IV. per *approbationem* aliquod obiectum, non habet specialem habitudinem ad suum obiectum, distinctam ab habitudine, quæ est propria ipsius scientiæ visionis ad suum obiectum: nec item obiectum eius habet aliam rationem intelligibilitatis ab ea, quam habet, vt est obiectum scientiæ visionis: ergo neque scientia illa Dei, quam vocant *approbationis*, facit aliquod tertium membrum scientiæ Dei, vt sic explicatæ. Maior propositio patet ex se.

Minor probatur: scientia *approbationis* vt *approbationis* respicit primò & per se obiectum, vt de facto producendum ex ordinatione diuinæ voluntatis, vt aliqui explicant, vel vt iam productum; sed vt sic est obiectum aliquod scientiæ visionis, quia vt sic est cognitio rei, quæ habet aut habebit esse extra suas causas in aliqua temporis differentia. V.

Nec refert, quòd hæc scientia superaddat actuali existentiæ rei sic cognitæ ordinationem diuinæ voluntatis, quia sic tantùm adæquatè diuidimus scientiam Dei, prout illa habet varias habitudines ad sua obiecta, secundùm specialem aliquam rationem intelligibilitatis tenentem se ex parte obiectorum: at talis denominatio in obiecto, quod scilicet sit *approbatum*, non est aliquid, quod se tenet ex parte eius; sed tantùm ex parte diuinæ voluntatis: ergo talis scientia *diuinæ approbationis*, non ponit obiectum per illam cognitum extra speciem & rationem scientiæ visionis.

Dices, ad rationem scientiæ visionis requiri, vt obiectum & cognitio coexistant: atqui scientia approbationis & obiectum cognitum per illam non coexistunt, quia hæc scientia, cùm sit causa obiecti à se cogniti, antecedit illud: ergo non potest esse eadem cum scientia visionis. VI.

Respondetur, quidquid sit de illa ratione, scientia approbationis an sit causa sui obiecti, quæ inferiùs examinabitur, antecessionem huius scientiæ ad suum obiectum esse tantùm antecessionem, seu prioritatem, *à quo*, non autem, *in quo*, id est tantùm importare esse vnum ab alio, non autem vnum existere aliquo instanti ante aliud, quia rectè intelligimus obiectum huius scientiæ simul & semel existere cum hac scientia, cùm cognoscatur, vt existens, & obiectum, vt cognitum, & actus cognitionis eius debeant esse simul; quare cùm hæc prioritas originis non tollat coexistentiam, vt videre est in personis diuinis, fit, vt supposito etiam, quòd scientia approbationis sit causa rerum, adhuc tamen eius obiectum semper esset obiectum scientiæ visionis, & non alterius ab illa distinctæ specie. VII.

ARTICVLVS III.

De diuisione scientiæ Dei in necessariam, & liberam & in abstractiuam & intuitiuam.

PRIMA propositio. *Scientia diuina rectè etiam diuiditur adæquatè iuxta aliam habitudinem ad sua obiecta, in necessariam & liberam seu in naturalem & contingentem; neque hac diuisio est eadem cum ea, quam exposuimus in præcedentibus.*

Antequam autem probetur, vtrumque membrum huius diuisionis est explicandum: VIII. ea igitur est scientia in Deo *necessaria*, seu *naturalis*, quæ terminatur ad obiectum, vt habet veritatem absolutè & simpliciter necessariam, qualis est ea, quâ Deus seipsum cognoscit & possibilitatem rerum, dicitur *necessaria*, quia obiecta per illam cognita habent in seipsis connexionem illam necessariam prædicatorum cum suis subiectis, quæ sic cognoscitur, ita vt possit esse aliter; dicitur etiam *naturalis*, quia fertur in obiecta secundùm illa, quæ eis conueniunt ex sua propria & naturali cognitione simpliciter & nudè spectata: ea verò scientia dicitur *libera*, seu *contingens* in Deo, quæ terminatur ad obiecta, prout habent veritatem non omninò necessariam, sed contingentem, quatenus nimirum ita cognoscit ea sic ita se habere, vt tamen hæc obie-

I. cta potuerint esse aliter : vnde etiam est *contingens* & *libera*, quia fieri potuit, vt diuina scientia sese non terminaret ad ista obiecta vt sic, quatenus Deus potuit facere, vt hæc obiecta non ita sese haberent à parte rei; sed aliter nimirum non creando illa, vel aliter creando. Hoc præmisso,

Prior pars propositionis probatur : omne & quodcumque obiectum à Deo cognitum vel est *necessarium* & vt tale cognoscitur, vel est *contingens*, & vt tale cognoscitur, quia omne & quodlibet ens est vel necessarium vel contingens : ergo & omnis scientia Dei considerata secundùm hanc habitudinem ad sua obiecta vel est *necessaria*, vel est *contingens*, quia vt sic spectata talis est, quale est eius obiectum.

Confirmatur: si quod detur medium inter
II. hoc vtrumque obiectum, & ex consequenti quædam scientia, quæ mediet inter hoc vtrumque extremum nunc assignatum, est scientia futurorum conditionatorum : at omnia & singula futura conditionata, vel sunt *necessaria*, quatenus connexio rei futuræ cum sua conditione est talis, vt implicet rem existere sine consequenti futuro, verbi gratiâ, *si Petrus currat mouebitur*, & sic pertinet ad scientiam *naturalem, & necessariam* Dei; vel sunt *libera & contingentia*, quatenus connexio rei futuræ cum sua conditione, non est talis, vt implicet rem existere sine consequenti futuro, sed posset esse sine illo, verbi gratiâ, *si primus parens obediisset Deo, homines forent immortales*; non enim simpliciter & absolutè loquendo implicat primum parentem potuisse esse obe-
III. dientem Deo, & homines simul esse mortales: cùm hæc immortalitas hominum ad obedientiam primi parentis sit tantùm ex ipso beneplacito Dei; & sic futura conditionata pertinent ad liberam & contingentem scientiam Dei, quatenus eiusmodi conditiones non habent absolutè loquendo necessariam connexionem cum suis rebus.

Posterior item pars probatur : quia vnum membrum huius diuisionis non respondet alteri membro præcedentis diuisionis : nam *scientia visionis* in Deo non est tantùm contingentium & liberorum, sed etiam & quamplurium necessariorum, vt tota illa scientia, quam Deus habet de seipso & suis attributis est *visionis & necessaria* : cùm Deus & quidquid formaliter est in illo, sit ens intrinsecè necessarium & existens, & vt sic cognoscatur
IV. ab. illo : item scientia *simplicis intelligentiæ*, non est duntaxat obiectorum absolutè necessariorum, sed quamplurium etiam liberorum & contingentium; cùm Deus cognoscat per illam res, quatenus sunt possibiles : res autem contingentes & liberæ habeant suam possibilitatem; & præterea esse possibile est alia, & distincta formalitas in obiecto ab esse contingenter & liberè : item habere existentiam actualem in aliqua vera duratione, est alia formalitas in obiecto: item & esse ens necessarium, est etiam alia: ergo cùm præsens distinctio diuinæ scientiæ detur per sua obiecta, vt illa præcisè habent esse contingens, seu liberum & necessarium seu naturale; hæc diuisio distinguetur omnimodè ab alia.

Secunda propositio. *Diuisio scientiæ diui-*
A *næ in abstractiuam & intuitiuam est eadem cum prima diuisione, & quemadmodum illa prima est adæquata, sic & hæc vltima.* V.

Probatur : ea cognitio dicitur *abstractiua*, quâ res cognoscitur abstrahendo ab eius existentia, & sic est eadem cum scientia *simplicis intelligentiæ* : ea verò dicitur *intuitiua*, quâ res ita cognoscitur, vt cognitio versetur circa existentiam rei, & terminetur ad illam; & sic est eadem cum scientia *visionis* : quòd autem sit etiam *adæquata*, patet eadem ratione per proportionem accommodatâ, quâ ostensum est primam illam diuisionem esse adæquatam.

Cæterùm, quia omnes illæ diuisiones petuntur tantùm ex diuersa habitudine ad obiecta, nec vna illarum dicit formaliter in Deo aliquid virtualiter distinctum ab alia,
B sed tota scientia Dei est vna simplicissima, vt VI. initio huius disputationis monuimus; & ratio *attributi* dicit in Deo aliquam perfectionem existentem formaliter in illo, & virtualiter distinctam ab aliis, fit, vt eiusmodi scientiæ non constituant plura attributa in Deo.

DISPVTATIO III.

De primario obiecto scientiæ diuinæ.

Hic agimus de obiectis diuinæ scientiæ & de medio, quo illa cognoscit; obiectum autem diuinæ scientiæ, amplissimâ sui
C diuisione ita potest diuidi, vt VII. quemadmodum ens in tota sua latitudine sumptum diuiditur in *increatum* & *creatum*; sic etiam & obiectum diuinæ scientiæ, aliud sit ipse Deus secundùm illud, quod habet in seipso formaliter, & ipsæ creaturæ sint aliud, prout suo ambitu complectuntur tam eas quæ sunt in aliqua vera, & reali duratione, quàm quæ nunquam fuerunt, nec erunt, sed sunt tantùm merè possibiles, siue absolutè, siue ex aliqua conditione : hîc autem agimus tantùm de primo illo obiecto, pro cuius explicatione sit

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus seipsum intelligat, & quale
D *sit medium istius cognitionis.* VIII.

SIt vnica propositio. *Deus se per suam essentiam intelligit* : ita sanctus Thomas, & omnes eius interpretes, hâc quæstione 14. articulo 2.

Prior pars asserens Deum intelligere seipsum, probatur ex sacris Scripturis, primæ ad *Corinthios* 2. *Spiritus Dei scrutatur omnia etiam profunda Dei*; & ibidem, *quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei.*

Probatur etiam ratione: Deus habet in seipso omnem perfectionem simpliciter simplicem ex dictis suprà : sed actualis cognitio diuinæ essentiæ & omnium eorum, quæ sunt formaliter in Deo, est quædam *perfectio simpliciter simplex*, vt patet tum ex definitione perfectionis superiùs tradita : tum ex eo quòd summa nostra beatitudo consistit in tali cognitione.

I. Secundò infinita & illimitata actualis intellectio attingit omne & quodlibet intelligibile; aliàs non esset infinita in genere intellectionis: sed actualis intellectio Dei per essentiam est illimitata & infinita, quia quidquid est formaliter in Deo est infinitum in suo genere, & essentia Dei, seu Deus ipsemet siue consideratus inadæquatè, quatenus est quoddam ens absolutum, vel relatiuum, siue adæquatè, prout est vtrumque simul, est quoddam intelligibile; imò & maximè intelligibile, cùm sit maximè ens, & primum omnium: ergo actualis intellectio diuina per essentiam attingit essentiam diuinam, & totum ipsum Deum; sicque Deus cognoscit seipsum.

Posterior pars probatur: vbicumque intelligens cognoscit obiectum per aliquod medium distinctum ab ipso intelligente, ibi in
II. tali intelligente quædam potentialitas reperitur, quatenus debet actuari & perfici per aliquam formam à seipso distinctam, quia ratione potentialitatis, debet recipere vel aliquam speciem impressam, quæ vniat ei obiectum, vel debet recipere ipsummet obiectum ad instar speciei impressæ; atqui nulla potentialitas reperitur in Deo, vt patet ex dictis de eius simplicitate & actuali intellectione per essentiam: ergo medium, per quod Deus intelligit seipsum, non debet esse ab illo distinctum: ergo medium illud debet esse ipsamet eius diuina essentia, quæ vt determinans Deum ad talem cognitionem habet se ad instar speciei impressæ, quo tamen non obstante, quia simul etiam terminat illam, non desinit tali intellectione cognosci.

III. Quæres, an Deus possit per creaturas cognoscere seipsum.

Respondetur, Deum quidem cognoscere nos cognoscere eum per creaturas: at ipsemet Deus non potest seipsum cognoscere per creaturas.

Prior pars responsionis patet, quia Deus perfectè comprehendit omnes creaturas, omnes illarum effectus, & quidquid est in illis, & eo omni modo, quo hæc sunt in illis: at vnus ex effectibus & actibus hominum, est ea cognitio, quam ex creaturis habent de Deo, seu quâ ex cognitione rerum creatarum deueniunt in cognitionem Dei, vt patet ex Apostolo ad *Rom.1.* ex dictis hâc parte ad qu.2.

Posterior item pars responsionis patet: primò auctoritate S. Thomæ hâc quæstione artic. 5. in corpore, & in solutione ad primum,
IV. quando ait Deum intelligere creaturas, *non in ipsis, sed in seipso*, nimirum quatenus ipsamet diuina essentia est ei medium, quo cognoscat creaturas.

Patet etiam ratione: primò implicat Deum cognoscere seipsum cognitione tantùm inadæquatâ; est enim cognitio eius, quâ seipsum cognoscit, *necessaria*, & proinde correspondens toti suæ intelligibilitati passiuæ, & secundum totam vim & efficaciam suæ intelligibilitatis actiuæ; sed illa cognitio, quâ Deus cognoscitur per creaturas, est tantùm inadæquata, quia proportionatur medio, quod medium sunt ipsæ creaturæ, quarum nulla, imò nec omnes simul sumptæ adæquant ipsum Deum: ergo Deus non potest seipsum cognoscere per creaturas.

Deinde, omnis cognitio Dei per creaturas est *à posteriori*, quia est cognitio causæ per effectum, sed Deus non potest habere de seipso cognitionem *à posteriori*, vt docuimus artic. 1. huius quæstionis. V.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus se, & omnia quæ sunt in ipso formaliter comprehendat.

SIT vnica propositio. *Deus se & omnia quæ formaliter habet in seipso, cognoscit comprehensiuâ cognitione*: ita S. Thomas hâc quæst. artic. 3. & omnes eius interpretes, &

Probatur: ex citato loco Apostoli articulo præcedenti, in quo est sermo de scientia, quam Deus habet de seipso, vt patet ex ipso textu, & interpretes ibi docent, cùm ex illo Spiritus
sanctus probetur esse propriè & essentialiter VI.
Deus, & particula, *scrutatur*, significet perfectam cognitionem, vt Theodoretus notat ad illum locum; perfecta autem cognitio est comprehensiua.

Deinde probatur ex dictis suprà: illud comprehenditur, quod cognoscitur tam perfectè, quàm est cognoscibile in se, & ita penetratur, vt omnia quæ sunt in eo videantur cum tanta claritate, cum quanta sunt cognoscibilia ex se & sua natura; sed Deus ita seipsum & omnia, quæ habet formaliter in seipso cognoscit; nam sicut essentia diuina habet infinitam cognoscibilitatem passiuam, ita & intellectio Dei est infinita; hæc enim sunt sibi inuicem proportionata, quia Deus est infinitus in quocumque genere: ergo & in genere intellectio-
nis; ac proinde cùm cognoscere Deum intel- VII.
lectione simpliciter infinitâ in genere intellectionis sit illum comprehendere, scilicet cognoscendo eum cum tanta claritate & cognoscibilitate, cum quanta est cognoscibilis in se & ex se, Deus comprehendit seipsum.

Neque his obstat, quòd S. Augustinus libro *octoginta trium quæstionum*, quæst. 15. dicat id, quod comprehendit se, *esse finitum sibi*, Deus autem sit intrinsecè infinitus. Nec item quòd suprà dixerimus Deum esse *incomprehensibilem*.

Nam apud S. Augustin. ibi *esse finitum sibi*, non est idem, ac esse simpliciter limitatum & finitum in genere entis; sed idem est, ac sibi ipsi coæquari, & proportionari in ratione obiecti, tàm secundùm intensionem claritatis, quàm secundùm extensionem & multiplicita-
tem rationum, quæ sunt in obiecto; ibi enim VIII.
vult solummodò debere esse proportionem in ratione cognitionis & cognoscibilitatis inter comprehendentem & obiectum comprehensum: Deus autem est incomprehensibilis respectu solius creati intellectus, & talis dicitur in sacris literis, & Patribus per ordinem ad quemlibet intellectum creatum, vel qui potest creari: nam sicut infinitas diuinæ essentiæ facit, vt hæc sit incomprehensibilis ab intellectu creato quantumlibet perfecto, eo quòd actiua eius intelligibilitas semper est simpliciter, & absolutè loquendo finita, & improportionata, ad sic penetrandum tale obiectum; ita etiam infinitas actiuæ intelligibilitatis Dei; quæ in suo genere est simpliciter & absolutè infinita, facit, vt diuina essentia sit comprehensibilis

I. à tali sua actuali cognitione per essentiam.
Vbi notandum est, quòd quando hæc actua-
lis intellectio Dei per essentiam dicitur *ade-
quare passiuam intelligibilitatem diuinæ essentiæ,*
sensus non est, quòd Deus seipsum claudat
quibusdam terminis; is enim caret termino
& fine, sed tantùm per quamdam analogiam,
nimirum quòd quemadmodum res finita ad-
æquatur per intellectum & intellectionem fi-
nitam, & ratione huius adæquationis dicitur
finiri & comprehendi intellectione: sic etiã infi-
nitas intelligibilitatis passiuæ, quæ est in essen-
tia diuina adæquatur per infinitatem actualis
diuinæ cognitionis per essentiam, & sic potest
dici *finiri* non quidem *positiuè,* sed tantùm *ne-
gatiuè*; ita vt sicut Deus dicitur esse à seipso,
non quòd seipsum produxerit, sed quia à nul-
lo alio principio est; sic hæc passiua cognosci-
II. bilitas diuinæ essentiæ dicitur *finiri* per actua-
lem intellectionem per essentiam, quæ est in
Deo, non quidem *positiuè* quasi Deus attingat
vltimum terminum suæ cognoscibilitatis, quia
nullum tale vltimum datur in Deo, sed debet
intelligi *negatiuè,* hoc sensu, quòd Deus ita
perfectè cognoscat seipsum, vt nihil eius la-
teat illum, per quam negationem S. August.
epist. 112. cap. 8. definit comprehensionem, vt
obseruauimus quæst. 12.
Neque ad hoc vt vnum infinitum sit alteri
infinito æquale requiritur, quòd vnum illo-
rum pertranseat omnes vnitates alterius à pri-
ma vsque ad vltimam; cùm nulla eiusmodi pri-
ma & vltima vnitas detur in eo, sed sufficit,
quòd nullus sit excessus inter illa, quin po-
tiùs reperiatur adæquatio, quatenus nihil cog-
III. noscibilitatis est in essentia diuina, quod effu-
giat cognitionem Dei; an autem & quomodò
Deus cõprehendẽdo seipsum, & videat omnes
& singulas res possibiles, dicetur infrà agendo
de cognitione, quam Deus habet de creaturis.

Articvlvs III.

Soluuntur tria dubia.

QVÆRES I. an sit quædam perfectio in
Deo, quòd sibi sit comprehensibilis.
Respondetur, quòd quamuis simpliciter lo-
quendo esse comprehensum à diuina cogni-
tione, non sit perfectio *simpliciter simplex,* vt
S. Thomas docet in quæst. disput. quæst. 2. *de
veritate* artic. 2. quia omnis & quælibet crea-
tura quantumlibet imperfectissima compre-
henditur à Deo, quæ tamen passiua eius com-
IV. prehensibilitas, cùm sequatur eius entitatem,
quæ est imperfectissima, non dicit aliquam
perfectionem simpliciter simplicem; nihilo-
minus ita esse comprehensibilem, vt sit ne-
cesse ipsum comprehendentem habere actua-
litatem & puritatem in intelligendo simplici-
ter infinitam, dicit aliquam perfectionem sim-
pliciter simplicem in ipsa re sic comprehensa,
quatenus tunc eius cognoscibilitas correspon-
det actuali eius comprehensiuæ cognitioni:
vnde sicut hæc importat simpliciter & abso-
lutè maximam perfectionem; sic & hæc passi-
ua comprehensibilitas; ideòque cùm diui-
næ essentiæ comprehensibilitas sit eiusmodi;
illa est aliqua perfectio simpliciter simplex in
Deo.
Quæres 2. an in tali cognitione, quam Deus
habet de seipso, tam vt est ens relatiuum, quàm
A absolutum, ipsæ relationes diuinæ habeant se V.
ad instar speciei impressæ secundũ suum for-
male relatiuum; an verò sola diuina essentia.
Respondetur, id competere soli diuinæ es-
sentiæ, quia priùs ordine rationis imperfecto
nostro concipiendi modo intelligimus diui-
nam essentiam esse actualem intellectionem
per essentiam, quàm intelligamus diuinas re-
lationes secundùm suum esse formale existere
in Deo, cùm essentialia sint priora notionali-
bus: ergo cùm illa actualis cognitio, quam
Deus habet de seipso, sit aliquid essentiale, vt
patet ex eo, quòd conuenit omnibus diuinis
personis, & secundùm ordinem rationis non-
dum apprehendamus relationes diuinas, vt
existentes secundùm suum esse formale, illáq;
cognitio Dei per suam essentiam sit tanquam
medium, fit, vt tunc sola diuina essentia qua-
B tenus est radix diuinarum relationum sit ad VI.
instar speciei impressæ tam pro sui cognitione,
in ratione entis relatiui, quàm in ratione en-
tis absoluti.
Quæres 3. an hæc scientia seu cognitio, quam
Deus habet de seipso sit directa, an reflexa, vel
vtraque simul.
Respondetur, nec esse formaliter, imò nec
virtualiter simul & semel vtramque, sed esse
vnicâ eâque simplicissimâ etiam virtualiter in-
diuisibili ratione simul & semel eminenter di-
rectam & reflexam: ita Suares in *Metaphys.*
disput. 25. sect. 1. num. 33. & in 1. partem lib. 2.
de attributis, cap. 18. num. 9. & aliqui alij re-
centiorum.
Duæ sunt partes responsionis. Prior proba-
tur: ad hoc vt vna & eadem numero actualis
C intellectio sit simul & semel formaliter, vel VII.
virtualiter directa, & reflexa, quædam virtua-
lis distinctio cum fundamento in re, requiritur
inter hanc vtramq; cognitionem, ita vt actua-
lis cognitio priùs cum fundamento in re ter-
minet se ad obiectum, per cuius cognitionem
constituitur directa, quàm sese terminet ad
ipsam actualem cognitionem, vt obiectum re-
flexæ cognitionis, quia actus directus præsup-
ponitur reflexo, & obiectum actus directi præ-
supponitur obiecto actus reflexi: at nulla vir-
tualis distinctio cum fundamento in re datur
inter essentiam diuinam & summam actualem
intellectionem Dei per essentiam, quia hæc est
vnum ex eius essentialibus prædicatis, imò
quasi vltima differentia in suo esse quasi speci-
fico illam constituens, vt ostendimus; diffe-
D rentia autem vltima nunquam distinguitur VIII.
etiam virtuali distinctione ab eo cuius est vlti-
ma differentia, cùm vt sic sit de formali & in-
trinseco conceptu eius: ergo summa actualis
intellectio, quã Deus intelligit seipsum, non
est vel formaliter vel virtualiter simul & se-
mel directa & reflexa diuinæ essentiæ.
Maior confirmatur si cognitio directa & re-
flexa diuinæ essentiæ essent duæ cognitiones
virtualiter distinctæ, sequeretur dari proces-
sum in infinitum iuxta modum nostrum con-
cipiendi cum fundamento in re; nam illa cog-
nitio reflexa, quæ tunc supponetur distincta
virtualiter à directa, est etiam cognoscibilis
per aliam cognitionem reflexam, & ita in in-
finitum: neque enim maior est ratio, cur pri-
ma illa cognitio directa sit cognoscibilis per
aliam reflexam ab illa virtualiter distinctam,
quàm hæc reflexa per aliam ab hac virtualiter

distin-

I. distinctam, & sic deinceps in infinitum: quæ enim ratio pugnat contra vnam, pugnat contra omnes alias: at admittere talé progressum in infinitum est aliquid absurdum, aliquam enim arguit limitationem in eiusmodi cognitione tam infinities multiplicabili, vt patet in nobis: ergo non datur distinctio virtualis, & cum fundamento in re, quæ sit inter cognitionem directam essentiæ diuinæ à Deo cognitæ, & actualem eius intellectionem: nec proinde hæc actualis intellectio Dei per essentiam est simul, & semel formaliter, vel virtualiter directa & reflexa.

Posterior item pars habet fundamentum in sancto Thoma hâc parte, dum ait ipsum intelligere Dei, & eius essentiam primum obiectum talis intelligere, esse vnum quid simplicissimum; cuiusmodi non est ipsum intelli- II.
gere Angeli, quod habet de sua essentia, & propterea cùm detur inter hoc vtrumque quædam distinctio rationis esse eiusmodi cognitionem simul & semel propriè directam & reflexam.

Deinde esse tale eminenter, est habere quidquid est perfectionis in eo, quod est tale formaliter absque imperfectionibus, quæ ei insunt: sed actualis intellectio, quâ Deus intelligit seipsum, habet, quòd sese terminet ad ipsam eius essentiam, quod est proprium actus directi: & item cùm sit maximè infinita in genere intellectionis, quòd simul & semel sese terminet ad hanc ipsam suam intellectionem cognoscendo se scire & penetrando ipsam suam actualem cognitionem absque aliqua
III. virtuali distinctione suæ eiusmodi actualis cognitionis, quæ est quædam imperfectio in genere talis cognitionis.

Hinc si quis explicet hanc perfectissimam cognitionem Dei per duos conceptus distinctos, quorum vnus respondeat actui directo, & alter reflexo; tunc id facit per ordinem ad modum illum, quo format talem cognitionem de intellectu creato, & actuali cognitione, quam habet de seipso: & sic fundamentum ita concipiendi non est in Deo, sed in eo modo duntaxat, quo Deum, & quæ sunt eius intelligimus per analogiam ad ea, quæ cognoscimus in creaturis, & de creaturis.

DISPVTATIO QVARTA.

IV. *De rebus creatis prout sunt obiectum secundarium scientiæ diuinæ.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus distinctâ cognitione cognoscat alia à se.

SENSVS articuli est; an Deus non tantùm se, & suam essentiam cognoscat, sed etiam res quascunque creatas, non tantùm confusè, sed distinctè.

Pars affirmans, quam sanctus Thomas hâc quæstione articulo sexto, & communiter omnes Theologi tradunt, est de fide. Genesis secundo capite: *Vidit Deus cun-*
A *cta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Iob 28. V.
ipse, nimirum Deus, *fines mundi intuetur & omnia, quæ sub cælo sunt respicit.* Gentiles etiam admittunt hanc propositionem, vt Aristoteles libro 3. *metaphysicorum* capite 4. vbi contra Empedoclem docet Deum cognoscere discordiam rerum, & libro 12. *metaph.* capite secundo, vbi facit Deum causam omnium rerum.

Probatur etiam ratione: agens per intellectum & voluntatem cognoscit ea omnia, quorum est causa, cùm voluntas non feratur in incognitum, & propria actio intellectus sit ipsa cognitio; sed Deus est agens per intellectum & voluntatem etiam in particulari respectu rerum omnium & singularum à seipso distinctarum, vt patebit infrà, & patet ex iis,
B quæ Philosophi communiter docent de concursu Dei cum causis secundis ad producendum quoslibet suos effectus: ergo Deus cognoscit distinctè omnes res alias à se. VI.

Neque his obstat, quòd Aristoles duodecimo *metaph.* textu 51. dicat intellectum diuinum fore vilissimum si cognosceret minutissima, quæ sunt in hoc mundo; & quòd sanctus Hieronymus in primum caput prophetæ Habacuc dicat esse absurdum deducere maiestatem Dei, vt sciat quot per singula momenta nascantur pulices.

Nam Aristoteles loquitur tantùm de ea cognitione, quæ fit per species acceptas à rebus, quia hæc cognitio cùm importet dependentiam intelligentis ab aliqua re creata, maximam dicit in Deo imperfectionem. Sanctus autem Hieronymus cùm ibi agat tantùm de
C prouidentia, quam Deus habet de rebus singulis, vult Deum non habere tantam, & tam specialem prouidentiam circa res abiectas & viles, quàm habeat circa res humanas: quo sensu sanctus Paulus primæ *ad Corinthios* 9. dixit, *nunquid de bobus cura est Deo?* vbi Apostolus non negat esse curam Deo de bobus, sed minorem, quàm de hominibus, vt patet ex eo quòd ibi explicat illud legis Mosaïcæ, *non alligabis os boui trituranti*, de concionatoribus, & iis qui deseruiunt altari: & quòd sanctus Hieronymus ibi agnoscat Deum cognoscere omnia distinctè, solúmque negare parem esse Deo prouidentiam rationabilium & irrationabilium, patet tam ex eius verbis ibi antecedentibus, & consequentibus, quàm ex iis, quæ ipse habet ad illud Christi Domini apud sanctum Matthæum capite decimo, VII.
D *vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus cognoscat res alias à se, essentiâ ipsius se habente per modum speciei impressæ.

NOTANDVM primò est, res distinctas à Deo posse considerari duobus modis. Primò secundùm *esse eminens*, quod habent in Deo, & sunt ipsemet Deus, seu ipsamet diuina essentia creatrix, iuxta illud sancti Ioannis capite primo, *quod factum est in ipso, vita erat:* secundò, possunt considerari iuxta illud *esse creatum*, quod habent, vel possunt habere extra Deum; & de hoc tantùm posteriori *esse* præsens mouetur quæstio.

I. Et quòd res hoc modo spectatæ cognoscantur à Deo est certum: nam Deus cognoscit omne quod habet intelligibilitatem, & prout illam habet, quia actualis eius cognitio est quouis modo infinita: at res aliæ à Deo habent aliquam cognoscibilitatem secundùm illud esse, quod habent extra Deum: habent enim aliquam entitatem, vel actuatam, vel saltem possibilem distinctam ab entitate Dei, & cognoscibilitas sequitur entitatem: ergo & Deus cognoscit res omnes alias à se secundùm illud esse, quod habent, vel habere possunt in seipsis & extra Deum.

Et hæc ratio non tantummodo conuincit Deum habere formalem cognitionem creaturarum, hoc tantùm sensu terminatam ad illas, quòd cognoscat suam essentiam, in qua creaturæ continentur: sicque hanc eius cognitionem terminari solummodò virtualiter
II. ad creaturas, vt sunt, vel esse possunt in seipsis extra Deum: nam istud esse, quod habent extra Deum, est distinctum ab illo existere, quod habent, vt sunt in Deo: ergo & illa earum intelligibilitas.

Deinde, quantùm ad creaturas, quę habent, vel possunt habere aliquod existere in seipsis, ipsa actualis intellectio Dei tam latè patet & est tam distincta, quàm eius volitio circa illas, quia nihil volitum, quin præcognitum: atqui volitio Dei sese terminat ad istud existere, quod creaturæ habent extra Deum, quia voluntas Dei est causa omnium & singularum rerum: ergo & actualis diuina intellectio sese etiam terminat ad ipsum existere, quod creaturæ habent in seipsis, & extra Deum. Tertiò, Deus cognoscit creaturas esse variabiles:
III. at illę sunt tantùm variabiles quoad illud esse, quod habent in seipsis.

Nec his obstat, quòd cognoscens debeat fieri res cognita, saltem in esse intelligibili, Deus autem nullomodò possit fieri creatura etiam in esse intelligibili; sic enim desineret esse Deus: nec item quòd sola essentia diuina sit obiectum terminatiuum diuinæ cognitionis, sicut & est eius specificatiuum: hoc inquam, non obstat.

Non primum, quia debet intelligi, vel de esse intelligibili per speciem impressam, vel expressam: & quantum ad hoc primum, debet illud intelligi de eo quod cognoscitur, tanquam primarium obiectum in se, & non in alio, quâ ratione creaturæ non cognoscuntur à Deo secundùm illud esse, quod habent
IV. in seipsis, & extra Deum, ob eandem rationem.

Secundum item non obstat; nam specificatio cognitionis attenditur penes obiectum primarium, & formalem eius rationem in ratione obiecti, & non penes secundariũ quod cognoscitur in alio. Et pro veritate huius primi nostri notabilis, plures possunt rationes videri apud sanctum Thomam libro primo *contra Gentes* capite 50. in quæstionibus disputatis, quæstione *de veritate* articulo 4.

Secundò notandum est, hîc tantùm agi de prima ratione motiua: ita vt solummodò quæratur quænam sit prima ratio mouens Deum ad distinctè cognoscendum res eiusmodi; an scilicet sit diuina essentia, vt habens se ad instar speciei impressæ, repræsentans ei
A hoc modo res creatas; an verò sit eadem diuina essentia, vt habet rationem speciei expressæ, ita vt Deus dicatur cognoscere in seipso res illas, quatenus diuina essentia à Deo intellecta est similitudo expressa seu Verbum repræsentans omnia, quæ Deus intelligit, inter quæ sunt res creatæ; an denique talis prima ratio mouens sit diuina essentia, quatenus est causa rerum eiusmodi creatarum: nam res creatas cognosci à Deo in seipsis terminatiuè, patet ex nunc dictis in primo notabili. Primum hoc articulo expendemus; alia duo articulis sequentibus. V.

Vltimò repetendum est ex dictis de visione beatorum, quid sit videre seu cognoscere vnum in alio, tanquam in obiecto cognito.

His ita præmissis nostra sit propositio. *Deus cognoscit res alias à se in seipso, non tamen ex eo,*
B *quòd essentia diuina sese habeat ad instar speciei impressæ.* VI.

Duæ sunt partes propositionis. Prior probatur. Primùm auctoritate sancti Dionysij libro *de diuinis nominibus* capite 7. sancti Thomæ hâc quæstione articulo 5. & 6. & capite 54. libri 5. *contra Gentes*.

Probatur etiam ratione: videre res in alio distincto à se cognoscente, importat aliquam imperfectionem in tali cognoscente, puta aliquam indigentiam, vel dependentiam à tali medio: sed Deus ita cognoscit omnes alias res à se, vt ex eo nullam habeat imperfectionem: ergo Deus cognoscit omnes res alias à se in seipso.

Posterior pars propositionis probatur; quia si Deus videret creaturas in seipso, tanquam
C in specie impressa, vel illas cognosceret eodem actu, quo seipsum cognoscit, vel alio; VII. non alio, quia vnica tantùm est actualis intellectio in Deo, & non multæ; non item eodem actu, quia tunc vel sic se & res alias à seipso distinctas cognosceret illo vno actu, vt duo illa obiecta huius suæ cognitionis nullum inter se seruarent ordinem ratione cognitionis, sed essent tantùm per accidens concomitanter cognita; vel seruarent inter se aliquem ordinem: si primum, ergo tunc cognitio Dei esset tam æquè primò de creaturis, quàm sit de ipso Deo, & creaturæ ingrederentur primarium obiectum scientiæ diuinæ, quod Theologi communiter negant: si secundum, ergo tunc Deus non cognoscit creaturas in seipso, vt in specie impressa, quia cog-
D noscere vnum in alio, tanquam in specie impressa est cognoscere illud, tanquam in medio incognito: at tunc Deus cognosceret ipsas creaturas in seipso, vt cognito: ergo non cognosceret creaturas vt in specie impressa. VIII.

Deinde, quando duo obiecta aliquem seruant inter se ordinem ratione cognitionis; tunc vnum vt cognitum est ratio cognoscendi alterum, vt patet ex dictis suprà de visione creaturarum in Verbo: at essentia diuina, vt habens se ad instar speciei impressæ, non prius vt sic cognoscitur à Deo, quia de ratione illius vt sic, est, quòd sit medium duntaxat incognitum: ergo Deus non ideò videt in seipso res creatas, quia eius essentia se habet ad instar speciei impressæ repræsentantis creaturas.

I.

Articvlvs III.

Vtrum Deus cognoscat res alias à se in se ipso tanquam in specie expressa, aut tanquam in causa illarum rerum cognita.

NOminales, vt Ochamus in primum sententiarum distinctione 35. quæstione 3. Gabriel ibidem artic. 3. & Vasquesius disputatione 60. in primam partem capite 2. & 3. existimant Deum non videre creaturas in seipso, tanquam in illarum causa, sed tanquam in speculo seu verbo & specie expressa.

Melior tamen est opposita sententia, pro qua sit nostra propositio. *Deus cognoscit in seipso, seu in sua essentia, tanquam in creaturarum*
II. *causa cognita omnes creaturas, non autem prout sua essentia habet rationem speciei expressæ.* Sic sanctus Thomas quoad priorem partem hâc quæst. artic. 6. & verbis expressis infrà quæstione 55. art. 1. in responsione ad tertium: item libro primo *contra Gentes* capite 54. Alensis primâ parte quæstione 23. membro primo & secundo articulo primo, & recentiores communiter.

Probatur primùm auctoritate sancti Dionysij libro *de diuinis nominibus* capite 7. vbi probat Deum scire omnia, eo quòd est causa omnium: *per causam*, inquit, *rerum omnium habet in se Deus omnium rerum anticipatam scientiam*, & paulò pòst, dum ita ait, *seipsam ergo sciens diuina sapientia nouit omnia:* quibus verbis non tantùm vult, sicut Vasquesius suprà illum explicat, Deum non accipere suam cognitionem à rebus creatis, vel per species crea-
III. tas, sed prætereà vult rationem cognoscendi illas in Deo esse, quòd sit illarum causa, vt patet ex istis eius verbis ad se inuicem comparatis: & prima hæc particula, *per causam*, coniuncta isti sequenti *scientiam habet*, apertè significat rationem causæ, quæ est in Deo respectu creaturarum, esse rationem obiectiuam seu motiuam, per quam Deus cognoscat creaturas: & sanctus Thomas ibi in suo commentario lectione tertiâ, & libro primo *contra Gentes* capite 49. & alij interpretes sancti Dionysij ita hunc eius locum intellexerunt.

Probatur etiam ratione insinuatâ à sancto Dionysio ibidem, quam sanctus Thomas articulo sexto hîc, & Durandus in primum sententiarum distinctione 35. quæstione 2. numero 18. habent, & quæ sic explicatur: ad perfectam comprehensionem alicuius causæ,
IV. quatenus est causa, requiritur vt in illa sic cognita & omnes eius effectus noscantur: at Deus perfectè comprehendit suam essentiam, tanquam primam & necessariam causam omnium rerum creatarum: ergo Deus in sua essentia cognita, tanquam causa omnium creaturarum cognoscit omnes creaturas. Minor patet ex dictis.

Maior probatur: ad comprehensionem causæ, quatenus est causa, requiritur perfecta cognitio omnium, quæ ei insunt, quatenus est causa, sed causæ quatenus est causa, inest, quòd vt sic cognita habeat vim notificandi effectus contentos in sua virtute, seu quòd in illa, vt sic cognita, effectus eius cognoscantur: ergo ad perfectam cognitionem causæ, vt causa est, requiritur, vt in illa comprehen-
A siuè cognita omnes effectus eius cognoscantur. V.

Maior vltima patet ex dictis suprà de vera comprehensione: minor eius probatur, primò ex omnibus principiis, quæ talis sunt conditionis, vt probè intellecta & penetrata sint medium in quo omnes illorum conclusiones cognoscantur, vt videre est in sapientia, & in iis omnibus, qui possident scientias in statu perfecto.

Deinde ampliùs probatur ex eo quòd, sicut effectus quoad suum esse continetur in virtute suæ causæ, potéstque per causam reduci ad actum essendi & existendi; sic & quoad suam intelligibilitatem, debet virtute contineri in intelligibilitate suæ causæ, & posse cognosci per intelligibilitatem suæ causæ;
B nam ad esse sequitur intelligi, seu sicut res se VI.
habet ad esse, ita se habet ad intelligi: atqui omnes effectus continentur virtute in propriis suis causis: ergo & per illas cognitas in ratione causæ possunt intelligi, vbi causæ cognoscentur comprehensiuè, imò debent de facto in illis cognosci: ergo cùm Deus primâ illâ cognitione, quam habet de seipso cognoscat comprehensiuè suam essentiam in ratione primæ causæ, cognoscit etiam omnes creaturas in illa cognita secundùm rationem causæ.

Eadem pars nostræ propositionis probatur hâc secundâ ratione: quidquid cognoscitur consequenter ex alio, cognoscitur per illud tanquam per medium cognitum, vt patet de proprietatibus, quæ ex cognitione suæ essentiæ consequenter cognoscuntur, & etiam patet explicatione huius termini *cognosci per aliud, tanquam per medium cognitum*: at-
C qui creaturæ cognoscuntur à Deo consequen- VII.
ter ex eo, quòd intelligit seipsum seu suam essentiam, vt Vasquesius citatâ disputatione capite tertio expressè fatetur, dum ait diuinam essentiam ita primò constituere Deum intelligentem sui, vt tamen posteà illum constituat intelligentem creaturarum, & hoc posterius pendere à priori; ita vt per locum intrinsecum rectè sequatur, si essentia diuina non faceret Deum intelligentem sui, etiam eum non faceret intelligentem creaturarum: ergo creaturæ cognoscuntur à Deo per suam essentiam, tanquam per medium à seipso cognitum; ergo cùm tunc diuina essentia cognoscatur vt prima causa, creaturæ cognoscuntur à Deo in sua essentia tanquam causâ illarum cognitâ.

Altera etiam pars nostræ propositionis, quæ
D *negat in Deo primam rationem cognoscendi crea-* VIII.
turas esse eius essentiam, vt habet rationem speciei expressæ, probatur: posterius non est ratio vel causa prioris, sed potiùs econtrà: at prius est in aliquo signo rationis Deum cognoscere creaturas in seipso, quàm diuinam essentiam habere rationem speciei expressæ respectu creaturarum: ergo essentia diuina, vt habet rationem expressæ speciei, non potest esse Deo prima ratio cognoscendi creaturas. Maior patet ex se.

Minor probatur: actualis intellectio Dei per essentiam præcisè considerata, vt est essentialis intellectio, est secundùm se totam prior notionali intellectione Dei, & proprio ipso eius termino, quia ex communi doctrina Theologorum tractatu de Trinitate essentia-

I. lia in diuinis sunt priora notionalibus: at cognitio illa, quam Deus habet in seipso de creaturis, seu rebus à seipso distinctis, est aliquid diuinæ actualis intellectionis per essentiam, vt est intellectio essentialis, est enim de secundario eius obiecto, & Deus Pater communicat illam Filio illum generando, iuxta illud Christi Domini apud sanctum Ioannem capite septimo, ***mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me:*** vnde alibi ait se ***didicisse à Patre***, quatenus scilicet accipiendo vi suæ generationis essentiam à Deo Patre, simul etiam accepit ab illo actualem cognitionem & scientiam omnium: species autem expressa in diuinis, seu Verbum mentis, & cognitio eorum, quæ repræsentantur per tale Verbum, vt sic sunt aliquid tantùm pertinens ad intellectionem notionalem Dei, quia hæc
II. sola est productiua Verbi diuini: ergo hæc cognitio Dei de creaturis in Verbo seu in specie expressa, est posterior eâ essentiali cognitione actuali, quam Deus habet de omnibus creaturis; & proinde non potest esse ipsi Deo prima ratio cognoscendi illas in seipso.

Deinde quod conuenit soli diuino Patri, vt condistincto personaliter ab aliis personis diuinis, non potest esse Deo essentialiter considerato prima ratio cognoscendi creaturas in seipso, quia hæc diuina cognitio de creaturis cognitis in Deo, debet esse communis omnibus personis diuinis: sed actualis illa cognitio Dei in seipso de creaturis in specie expressa, seu in Verbo mentis vt exponente illas, est propria soli Patri, quatenus generat Filium, non tantùm ex cognitione solius suæ
III. essentiæ, sed etiam ex cognitione omnium creaturarum, vt patebit agendo de generatione Filij diuini: ergo talis cognitio omnium creaturarum in specie expressa, non potest esse ipsi Deo prima ratio cognoscendi in seipso omnes creaturas.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est: illud non est Deo prima ratio motiua cognoscendi creaturas, quo præciso Deus adhuc concipitur cognoscere illas: atqui omnipotentiâ & causatione rerum præcisis à Deo, Deus adhuc conciperetur cognoscere omnes creaturas, quia con-
IV. ciperetur perfectissimè intelligens, & ex consequenti, omnes creaturas, quæ sunt quædam intelligibilia.

Respondetur ad minorem, concessâ maiore, potentiam & causationem Dei respectu creaturarum posse considerari duobus modis: primò *radicaliter*, quatenus hæc omnipotẽtia & causatio nihil est aliud, quàm ipsum esse per essentiam, purum, & immateriale continens in seipso eminenter, vel virtualiter omne & quodcumque esse per participationem: deinde potest considerari *formaliter*, prout est speciale quoddam attributum Dei, quod est proxima ratio operandi ad extra, tanquam virtus executiua, vt sanctus Thomas docet infrà quæstione 25. iam omnipotentiâ Dei, & eius virtute causandi præcisis hoc vtroque modo, scilicet, *formali & radicali*, fal-
A sum est adhuc intelligi Deum cognoscere creaturas; hâc enim factâ hypothesi, non tan- V.
tùm creaturæ non essent actu, sed nec essent in potentia seu possibiles, nec ex consequenti intelligibiles, cùm illarum intelligibilitas fundetur in earum entitate saltem possibili. Non essent, inquam, possibiles; nam quemadmodum aliqua entitas dicitur possibilis, quia ei non repugnat existere, & res potest tantùm habere à Deo existentiam, quatenus illa est quædam participatio Dei: ita res ipsa non potest habere veram possibilitatem, nisi aliquo modo dependenter à potentia Dei considerata saltem *radicaliter*: & sic cùm res non ampliùs intelligatur esse possibilis seclusâ hâc potentiâ Dei iuxta hunc vtrumque modum, nec etiam propriè loquendo poterit concipi esse intelligibilis: vnde consequenter non impe-
B diret, quin Deus, vt sic, conciperetur perfe- VI.
ctissimè cognoscens etiam quodcumque intelligibile, quia tunc tales creaturæ non essent ampliùs intelligibiles, sicut nec possibiles, vtpote quæ nullomodo, siue virtute, siue radicaliter aut eminenter continerentur in Deo.

Si autem omnipotentia Dei, & vis eius causatiua præscindantur, prout formaliter considerantur, & intelligantur duntaxat esse in Deo radicaliter, iam rectè intelligimus Deum comprehendendo suam essentiam esse radicaliter potentem, & participabilem à creaturis simul etiam cognoscere ipsas creaturas in tali causa radicali cognita, & actualem intellectionem per essentiam sic habere se ad omnipotentiam radicaliter tantùm consideratam, vt hæc nostro modo considerandi præintelliga-
C tur, & quasi præsupponatur actuali intelle- VII.
ctioni per essentiam: cùm hæc omnipotentia, vt radicaliter spectata nihil sit aliud, quàm ipsum esse per essentiam purum & immateriale, quod præsupponitur ad purissimam intellectionem actualem, cùm hæc fundetur in ipso esse immateriali: sicque actualis intellectio per essentiam est quædam vlterior actualitas in Deo, quàm sit ipsum eius esse per essentiam, purum, & immateriale; quàm est radicalis omnipotentia & virtus causatiua Dei. Si autem omnipotentia Dei & eius virtus causandi consideretur formaliter, & vt habet rationem attributi diuinæ essentiæ propriè dicti, iam consequitur actualem cognitionem Dei per essentiam, quia in omnibus entibus illud censetur esse prius, quod perficit illa in se-
D ipsis, & in ordine ad seipsum, quàm illud, quod VIII.
tantùm perficit illa in ordine ad aliud: sed actualis intellectio per essentiam perficit quodammodo Deum in ordine ad se, quatenus est prædicatum quoddam vltimò constitutiuum diuinæ essentiæ, & quasi propria eius differentia, vt ostendimus; attributum verò omnipotentiæ perficit quodammodo Deum tantùm in ordine ad extra, & ad creaturas, quatenus habet per illam, vt possit facere omne quodcumque possibile: ergo ipsa actualis intellectio Dei per essentiam intelligitur secundùm aliquod signum rationis in Deo ante ipsam eius omnipotentiam, & virtutem causandi consideratam formaliter.

Secundum fundamentum est: quòd nihil potest esse medium cognitum ad aliud cognoscendum, nisi realiter referatur ad illud, quod notificat; aliàs enim non videtur esse necessa-

I. ria habitudo vnius ad alterum, per quam cognoscatur: atqui essentia diuina seu Deus est ens omninò absolutum à rebus creatis, seu nullam habens relationem ad res creatas: ergo diuina omnipotentia non potest esse medium cognitum, quo ipsæ res creatæ cognoscantur à Deo in seipso.

Respondetur, maiorem esse absolutè falsam. Nam in sententia Vasquesij diuina essentia, vt habet rationem speciei expressæ est medium cognitum, quod notificat Deo creaturas, nec tamen diuina essentia, vt sic habet realem relationem ad creaturas: item Deus intuendo suas ideas potest in illis cognoscere creaturas, vt ibi repræsentatas, nec tamen idea in Deo dicit realem habitudinem ad res creatas: vel si quis velit admittere ista dicere
II. realem habitudinem ad res creatas hoc modo cognitas, neque hoc arguere in Deo aliquam imperfectionem; illud idem dicetur similiter de omnipotentia Dei comparata ad creaturas, quia videtur esse vbique par ratio, nec est maior absurditas in vno, quàm in altero; sed ad hoc, vt aliquid per sui ipsius cognitionem velut rationem motiuam, & obiectiuam sit medium notificans aliud, sufficit, quòd ex se sit cum illo comparabile, tanquam causa cum effectu, vel alio modo; neque ad fundandum istam comparationem opus est concipere aliquam realem relationem in medio sic cognito ad id, quod cognoscitur; sed satis est, si quædam necessaria habitudo concipiatur; verbi gratiâ, effectus ad causam, vel aliquid aliud simile.

Deinde potest dici essentiam diuinam ita esse absolutam à rebus creatis, vt nihilominus,
III. quatenus est causa sit enumeranda inter relata secundùm *dici*, vt Suares docet in *metaph.* disput. 47. sectione 3. num. 6. & plures alij, quatenus ita est aliquid essentialiter absolutum, vt tamen non possit intelligi, nisi ad modum alicuius relatiui, prout concipitur & explicatur à nobis per habitudinem ad ipsas creaturas, quarum est causa.

Vltimum fundamentum istud est: nihil potest tanquam medium cognitum ducere intellectum in cognitionem quidditatiuam alterius, nisi cõtineat in se formaliter totam rationem illius, vel participet cum illo eamdem rationẽ: atqui Deus non continet in se formaliter rationem creaturarum, nec participat formaliter aliquam eamdem rationem cum illis, quia hoc vtrumque cùm sit aliquid creatum
IV. dicit imperfectionem: ergo Deus seu diuina essentia non potest esse medium cognitum deducens Deum in cognitionem creaturarum.

Respondetur negando maiorem; vt enim vnum obiectum cognitum deducat intelligentem in cognitionem alterius etiam diuersi, satis est, quòd contineat illud in se eminenter & quòd hæc duo talem inter se habeant connexionem, vt vnum possit resultare ex alio vel produci ab illo, vt videre est in essentia rei creatæ, quæ est medium cognitum deducens intelligentem in cognitionem suarum proprietatum: at omnes creaturæ continentur eminenter in Deo, & possunt produci ad extra per ipsam omnipotentiam Dei.

A

DISPVTATIO V. V.

De malis, prout subsunt diuinæ scientiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus cognoscat mala, & quâ scientiâ.

NOTANDVM est triplex distingui malum: primum est *naturæ*, cuiusmodi est monstrũ: secundũ est *pœnæ*, cuiusmodi est afflictio: tertium est *culpæ*, id est, peccatum. Hoc prænotato,

Sit hæc propositio. *Deus omnia ista mala cognoscit*
B *scientiâ visionis, non tamen per illam prout est scientia approbationis videt malum culpæ:* VI.
ita sanctus Thomas, & omnes eius interpretes articulo decimo huius quæstionis.

Tres sunt partes propositionis, quæ sigillatim probantur. Prima quidem asserens omnia ista mala cognosci à Deo, probatur: de malo *naturæ* Sapientiæ octauo dicitur de Deo, *monstra scit antequam fiant:* & ratio fauet, Deus omnia nouit, ad quæ eius prouidentia, & concursus sese extendit; sed prouidentia Dei etiam se extendit ad monstra; hæc enim dicuntur à Philosophis esse præter intentionem causæ particularis, non tamen præter intentionem causæ vniuersalis, cuiusmodi est Deus, & nihil accipit esse sine concursu Dei: adde quòd & monstra suam habent entitatem: ergo & intelligibilitatem: ergo cùm
C Deus cognoscat omne & quodcumque intel- VII.
ligibile, cognoscit etiam ipsa monstra.

Eadem pars probatur de malo *culpæ* seu de *peccato*, Psalmo 18. *delicta mea à te non sunt abscondita,* & alibi passim.

Probatur etiam ratione non tantùm allatâ superiùs, quæ fundatur in prouidẽtia Dei, sed etiam petitâ ex infinita cognitione Dei. Nam Deus nouit omnia & singula, quæ possunt accidere voluntati creatæ, & ad quæ voluntas creata potest sese flectere: atqui *mala culpæ,* seu *peccata* possunt accidere voluntati creatæ, quia voluntas puræ creaturæ est ex se peccabilis, seu potest pro sua libertate consentire in peccatum: ergo Deus cognoscit mala culpæ seu peccata.

Secunda item pars propositionis, asserens, *Deum videre ista omnia scientiâ visionis*, pro-
D batur: scientia visionis est eorum, quæ habent VIII.
esse in aliqua temporis differentia, seu eorum, quæ vel fuerunt, vel sunt, vel erunt: atqui hoc triplex malum est in rerum natura, vt experientia docet: ergo nouit scientiâ visionis hoc triplex malum, scilicet *naturæ, pœnæ,* & *culpæ.*

Tandem vltima pars propositionis asserens, *Deum non cognoscere scientiâ approbationis malum culpæ*, probatur his omnibus Scripturæ locis, quibus Deus dicitur nescire peccata, & ipsos peccatores, vt capite primo Prophetæ Habacuc, capite 25. S. Matthæi; qua de re S. Augustinus libro *octoginta trium quæstionum* quæstione 60. potest videri. Et fauet ratio; nam Deus ea tantùm nouit *scientiâ approbationis*, quæ placent ei; nam hæc scientia alio nomine vocatur *scientia beneplaciti:* sed ma-

I. lum culpæ non placet Deo, vt patet ex eo, quòd Deus puniat illud, & passim dicat in sacris Litteris peccata hominum sibi displicere, & se habere peccatores odio: ergo Deus non nouit scientiâ *approbationis* malum culpæ seu peccatum.

Articvlvs II.

Quomodo Deus cognoscit peccata.

SIT hæc vnica nostra propositio. *Deus cognoscit peccata quoad priuationes, quas important in seipsis, non per increatam suam bonitatem, sed tantùm per bonitatem creatam, cui peccata opponuntur, idque tanquam per medium à se cognitum.*

Hæc propositio est contra quosdam apud
II. Durandum relatos libro primo sententiarum distinctione 36. quæstione primâ, est tamen S. Thomæ hâc quæstione 14. art. 10. & in quæstionibus disputatis quæstione 2. *de veritate* articulo 15. in responsione ad 4. est item Durandi loco citato, & communiter omnium interpretum tam S. Thomæ, quàm aliorum.

Probatur: primùm ex illo Aristotelis libro primo *de anima* textu 85. *sufficiens est altera pars contrarietatis seipsam diiudicare & oppositam, recto enim & ipsum & obliquum cognoscimus:* ex quo testimonio Aristotelis & ratione ibi insinuata formatur hæc ratio nostræ propositionis: priuationes cognoscuntur tantùm per formas, quibus priuant subiecta, & quibus formis immediatè opponuntur: atqui peccata quoad illas priuationes, quas includunt, non priuant immediatè creaturam ra-
III. tionalem bonitate increatâ; hæc enim, vt sic, & secundùm se est incommunicabilis alteri à Deo: & vt ait sanctus Thomas quæstione sequenti 17. articulo 4. in responsione ad 3. *contraria & opposita priuatiuè nata sunt fieri circa idem*, id est, huius sunt naturæ, vt possint eidem subiecto accidere; quemadmodum patet ex definitione oppositorum, & ex Aristotele capite *de oppositis:* ergo peccata, prout includunt aliquas priuationes, cognoscuntur à Deo per formas, quibus ista peccata priuant creaturam intellectualem: sic quia peccatum mortale priuat hominem gratiâ sanctificante, & amicitiâ Dei, cognoscitur à Deo per gratiam sanctificantem, & sic de cæteris. Hinc, quia malitia & falsitas non possunt esse in Deo, sed tantùm in creaturis intellectuali-
IV. bus, cognoscuntur à Deo per bonitatem & veritatem creatas; & ideò quando sanctus Thomas in quæstionibus disputatis quæstione secunda *de veritate* articulo decimo quinto ad quartum, ait *malum opponi Deo*, istud est intelligendum de oppositione *secundùm vocem* duntaxat, vt ipse seipsum explicat libro secundo sententiarum distinctione primâ quæstione primâ articulo primò ad primum.

Neque his obstat, quòd peccatum mortale mediante priuatione sanctificantis gratiæ priuet hominem Deo, quia sic priuando hominem Deo, illum tantùm priuat Deo, tanquam fine & obiecto, non autem vt formâ oppositâ; id verò quo aliquid hoc tantùm modo priuatur, non est medium, quo ipsa eius priuatio cognoscatur, vt patet exemplo coloris; qui licet sit finis & obiectum visus, & cæcitas

A priuet hominē colore, tanquam fine & obiecto suæ visionis; hæc tamen cæcitas non cognoscitur per colorem, nec nuda cognitio coloris sufficit ad cognoscendum cæcitatem, sed cognitio visus requiritur, quia essentia cæcitatis consistit in priuatione visus. V.

Neque item obstat, quòd peccatum sit offensiuum Dei, non enim est eius offensiuum quoad bona eius intrinseca, sed tantùm quoad extrinseca, vt in honore illi debito, qui honos cùm sit in honorante est aliquid ipsi Deo extrinsecum: & peccatum est legi æternæ contrarium duntaxat mediante bono creato, cui immediatè opponitur, id est, mediante debitâ commensuratione & conformitate ad legem æternam, quæ conformitas est aliquid creatum.

Neque item his obstat, quòd sanctus Dio-
B nysius libro *de diuinis nominibus* capite septimo, dicat *Deum habere in seipso scientiam omnium rerum, & cognoscere mala, sicut lumen si esset cognoscitiuum, tenebras cognosceret.* Nam sanctus Dionysius ibi per hanc particulam *mala*, non intelligit peccata secundùm priuationes, quas in seipsis includunt, sed intelligit omnia entia creata positiua, quæ comparatione factâ ad bonitatem diuinam dicuntur aliquando *non entia*, & *mala*. Imò & homines appellantur *mali* à Christo Domino apud S. Lucam capite septimo, *si ergo vos*, inquit, *cùm sitis mali*, &c. vt explicant sanctus Chrysostomus homiliâ vigesimâ quartâ in sanctum Matthæum: sanctus Hieronymus ad caput septimum sancti Matthæi; iuxta quam expositionem sensus S. Dionysij tantùm erit Deum cognoscere creaturas per seipsum, nec mu- VI.
C tuare cognitionem, quam de his habet ab ipsis creaturis: sed eam habere à sua propria essentia, quia inquit, *si lux esset per seipsam cognoscitiua, cognosceret tenebras, & non aliunde emendicaret cognitionem illarum:* ita & Deus à seipso, & non aliunde accipit cognitionem, quam habet de creaturis. VII.

Neque exemplum lucis ad cognoscendum tenebras est simile increatæ bonitati diuinæ ad cognoscendum priuationes, quæ importantur in peccatis, quia tenebræ opponuntur priuatiuè cum luce, tanquam cum forma sibi immediatè opposita, & sic tenebræ cognoscuntur per lucem: at peccata non sunt priuationes bonitatis increatæ, quæ est in Deo, tanquam formæ sibi immediatè oppositæ, vt patet ex dictis.

D Addidi in conclusione hanc particulam, *prout includunt in seipsis aliquas priuationes:* nam supposito, vt multi recentiores defendunt primâ secundæ tractatu *de peccatis*, peccatum *commissionis* esse aliquid formaliter positiuum, nullum videtur absurdum dicere tunc Deum videre per suam essentiam istud reale & positiuum peccati, sicut per illam videt res alias positiuas. Nam ratio à priori, propter quam priuationes non cognoscantur per seipsas, sed per formas sibi oppositas, non est loquendo præcisè respectus ille, quem dicunt ad formas sibi oppositas: aliàs vbi ens aliquod positiuum habet aliquā habitudinem etiam non mutuam ad alterum, cognosceretur solùm per alterum, & non per seipsum, seu in seipso per essentiam, tanquam medium à Deo cognitum: sed ratio huius rei hæc est, VIII.

I. quòd priuationes sumptæ formaliter nullam importent rationem entis propriè dicti, sed tantùm per ordinem ad formas, quas negant; & proinde cùm cognoscibilitas sequatur entitatem, sicut priuationes sunt tantùm entia per ordinem ad formas, quibus priuant, sic etiam possunt tantùm intelligi per formas sibi oppositas: ergo à contrario cùm in hac hypothesi peccatum actuale *commissionis*, sit formaliter aliquid positiuum & reale, proindéque aliquam habeat intelligibilitatem sibi propriam, debebit per illam intelligi, & non per intelligibilitatem formæ sibi contrariæ.

ARTICVLVS III.

Respondetur tribus dubiis.

II. QVÆRES primò, cùm omnes & singulæ rationes boni in particulari, quibus particularia mala opponuntur, sint & contineantur in Deo, vt patet ex dictis quæstione quartâ; an Deus etiam possit cognoscere mala particularia per eiusmodi rationes bonitatis existentes in seipso, oppositas malis particularibus istis.

Respondetur negatiuè: nam ratio allata pro præcedenti propositione euincit istud; procedit enim de formis, quibus ipsæ priuationes opponuntur immediatè, & quibus priuant suum subiectum, vt etiam videre est apud S. Thomam hîc articulo 10. in corpore, & priuationes illæ, quæ sunt in iis particularibus malis, de quibus hîc agimus, non priuant Deum particularibus rationibus boni in

III. seipso existentibus. Nam cùm sint *Deus*, iuxta illud S. Ioannis capite primo *quod factum est in ipso vita erat*, & Deus sit omnimodè incorruptibilis, non possunt hæc mala priuare Deum eiusmodi bonitatibus, nec ex consequenti hæc mala opponuntur illis immediatè: vnde si per impossibile Deus non cognosceret honestatem & bonitatem creatam, cui hæc mala quæ sunt formaliter priuationes, opponuntur immediatè, non cognosceret etiam ista mala, vt S. Thomas expresè docet libro primo *contra Gentes* capite septuagesimo primo, circa finem; vt enim priuatio habet totum suum esse positum in negatione formæ sibi immediatè oppositæ, quam remouet à subiecto debito, si hæc forma, per quam formaliter constituitur in suo esse, non cognoscatur, nec etiam talis priuatio seu malum cognoscetur; cùm nihil possit cognosci, nisi & forma-

IV. le eius constitutiuum cognoscatur.

Dices: ideò Deus cognoscit hæc mala per creatas bonitates, quia istæ habent oppositionem ad has, vt patet ex dictis: sed hæc mala habent etiam oppositionem ad speciales illas rationes boni, quæ sunt in Deo, quia hæc sunt aliquo modo eiusdem rationis cum istis, ad eum scilicet modum, quo res creatæ actu existentes sunt eædem cum seipsis, vt eminenter contentis in Deo.

Respondetur, quòd hæc mala cùm nihil remoueant, vel remouere possint à Deo, non ei propriè opponuntur priuatiuè; creatas autem bonitates non esse formaliter eiusdem rationis cum increatis sibi correspondentibus in Deo: sed dici solummodò tales secundùm

A quandam analogiam effectus ad suam causam exemplarem & efficientem, vt ostensum est à nobis ex professo suprà ad quæstionem quartam. V.

Quæres secundò, an similiter Deus possit cognoscere hæc mala per illas ideas quas habet de bonitatibus creatis, quibus hæc mala opponuntur.

Respondetur negatiuè; nam hæc mala non opponuntur immediatè diuinis ideis, nec possunt illas remouere à Deo, & loquendo propriè hęc mala non discordāt immediatè à prædictis ideis, sed mediante tantùm bono creato, cui immediatè malum istud opponitur: quare sicut vt malum discordans cognoscatur, oportet priùs cognoscere bonum concordans; sic vt Deus cognoscat hæc ma-

B la, debet cognoscere bonitates creatas, à quibus hæc mala discordant, vt etiam intelligitur ex dictis S. Thomæ initio artic. 10. nunc citati, & ex lib. 1. *contra Gentes* capite 71. VI.

Dices: defectus rei alicuius cognoscitur optimè per id quod respondet suæ ideæ, vt patet in artifice, qui vel per suam artem, vel per ideam à se anteà conceptam probè nouit suum opus esse mancum seu habere defectum aliquem: at mala & priuationes illæ de quibus hîc loquimur, sunt quidam defectus in bonitatibus creatis, quarum creatarum bonitatum Deus habet in seipso ideas.

Respondetur, quòd artifex non cognoscit defectum sui operis per ideam quam formauit de illo; sed priùs debet scire præcepta suæ artis, & illis mediantibus cognoscit defectum sui operis.

C Quæres tertiò; an Deus possit cognoscere etiam hæc mala quæ formaliter important priuationes, per ipsammet suam essentiam, vt habentem se ad instar speciei impressæ, & vt est medium aliquod non cognitum. VII.

Respondetur negatiuè, quia modus iste cognoscendi aliqua conuenit solis rebus positiuis; quod enim habet se ad instar speciei impressæ, subit vicem speciei impressæ, vel obiecti in formanda cognitione, & vnitum potentiæ cognoscitiuæ concurrit effectiuè aut quasi effectiuè ad cognitionem: at nulla est species possibilis impressa priuationis, nullus etiam concursus effectiuus aut quasi effectiuus etiam intentionalis est possibilis ex parte illius, cùm talis priuatio dicat negationem & carentiam formæ in subiecto apto & debito; quilibet autem concursus etiam intentionalis sit alicuius formæ seu entitatis.

D Deinde, Deus potest ea tantùm cognoscere per suam essentiam, vt habentem se ad instar speciei impressæ, quæ sunt immediatè cognoscibilia in seipsis. Nam species impressa cùm sit semen obiecti, vel loco obiecti, illud obiicit intellectui, & sic faciendo illud intentionaliter præsens, facit, vt percipiatur, vt in seipso est; non in aliquo alio, tanquam cognito: sed hæc mala de quibus hîc loquimur seu priuationes non possunt cognosci immediatè in seipsis, quia immediata cognoscibilitas fundatur in vera & positiua entitate obiecti immediatè cogniti; nam omnis cognoscibilitas fundatur in entitate: at hæc mala cùm sint formaliter priuationes nullam habent positiuam entitatem, sed tantùm negatiuam. VIII.

I. Tandem implicat aliquid cognosci, vt est in se & in particulari, nisi principium eius specificatiuum cognoscatur: atqui nec essentia diuina habens se ad instar speciei impressæ, nec ipsæ ideæ diuinæ, nec particulares rationes increatæ bonitatis, quibus respondent creatæ, sunt principium specificatiuum eiusmodi malorum, seu priuationum; sed formæ ipsæ seu creatæ bonitates, quas remouent à subiecto & quibus opponuntur: ergo priuationes eiusmodi, seu mala non possunt à Deo cognosci, vel per suam essentiam habentem se ad instar speciei impressæ, vel per bonitates creatas sibi immediatè oppositas priuatiuè.

Cæterùm notandum, quòd licet Deus non possit aliter cognoscere eiusmodi priuationes seu per aliud medium: inde tamen non sequi eum quoad eiusmodi cognitionem de-
II. pendere à rebus creatis; namillæ bonitates creatæ non sunt formale obiectum eius cognitionis, quam Deus habet de priuationibus eis oppositis, sola enim essentia diuina sibi vendicat hoc munus; sed sunt tantùm obiecta materialia, ad quæ scientia Dei seipsam terminat: habitudo autem cognitionis ad suum materiale obiectum tanquam terminum nullam loquendo propriè importat dependentiam in ipso cognoscente, vel in eius actu cognitionis; cùm talis cognitio nihil accipiat à suo termino habente se ad illam tantùm materialiter, tanquam ad id quod per talem cognitionem percipitur, & ad quod talis cognitio sese terminat.

Deinde, si hæc subordinatio, quam priua-
III. tiones habent ad formas sibi immediatè oppositas, quòd scilicet possint tantùm cognosci per illas, est quædam dependentia, hæc non est loquendo propriè respectu Dei illas cognoscentis, sed tantùm comparatione eiusmodi priuationum ad suas formas, quatenus priuationes habent totum suum esse per ordinem ad formas sibi oppositas, specificantúrque ab illis, nec vllam habent in seipsis intelligibilitatem, sicut nec entitatem; quare cùm nulla sit dependentia in Deo, quòd vnumquodque intelligat tale, quale est formaliter in se, quin potiùs aliqua perfectio, & eiusmodi priuationes non sint per se cognoscibiles, vt etiam sanctus Thomas hîc articulo decimo in solutione ad quartum, & libro primo *contra Gentes* capite septuagesimo primo animaduertit; sed tantùm per formas, quibus immediatè
IV. opponuntur; nulla erit in Deo, vel imperfectio, vel etiam dependentia, ex eo quòd non possit aliter cognoscere eiusmodi priuationes, quàm per formas sibi immediatè oppositas, tanquam per medium aliquod cognitum.

A

DISPVTATIO SEXTA. V.

De scientiæ Dei circa futura contingentia absoluta certitudine.

Articvlvs I.

Vtrum Deus cognoscat futura contingentia absoluta.

Notandvm primò nomine *contingentis* nihil aliud intelligi, quàm id quod ita fit à causa sua proxima, vt possit ab ea non fieri, ex quo nascitur, vt contingens sit duplex:
B vnum ab *extrinseco*, quando scilicet impedimétum ex quo fit vt effectus, qui dicitur contingens, non ponatur à parte rei, est extrinsecum causæ proximæ ipsius contingentis; qualis contingentia reperitur in effectibus rerum naturalium seu agentium ex necessitate, licet enim illæ habeant determinatum modum agendi, attamen possunt aliunde impediri, vel ab aliis quibusdam accidentibus, ne suos producant effectus. Alterum contingens est ab *intrinseco*, quando nimirum ex libertate causę proximæ contingit, quòd effectus fieri possit, vel non fieri; sic deambulatio hominis est contingens, quia est in eius potestate ambulare, vel non ambulare. VI.

De contingentibus prioris generis nulla est difficultas, quin certissimè videantur à
C Deo; cùm enim ille videat totam dispositionem vniuersi & seriem omnium causarum, videt ex consequenti in illa, vtrum aliquod impedimentum sit futurum de facto vel non; & proinde an tale, vel tale contingens sit futurum vel non; imò & periti Astronomi vident aliqua eiusmodi contingentia certò euentura. VII.

Notandum secundò, futura contingentia posterioris generis adhuc esse in duplici differentia: alia sunt, quæ possunt dici *absoluta & determinata*, id est, quæ licet re vera & de facto sint contingentia, habebunt tamen suam existentiam in aliqua temporis differentia: alia sunt, quæ dicuntur contingentia *conditionata*, id est, quæ licet de facto non sint futura; si tamen quædam conditio posita fuisset
D re vera euenissent, vt conuersio Tyriorum, si Christus Dominus fecisset apud illos miracula, quæ fecit Matthæi capite 11. & de primo genere istorum contingentium est hîc tantùm difficultas; nam posteà agemus speciatim de alio posteriori genere contingentium. VIII.

Ergo circa singularia contingentia primi generis prima opinio, seu potiùs error fuit quorumdam Philosophorum veterum, quos Cicero sequitur, vt S. Augustinus notat lib. 5. *de Ciuitate Dei* capite nono, scilicet Deum non habere certam, & infallibilem scientiam singularium contingentium futurorum liberorum.

Melior tamen est opposita sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus. *Deus habet certissimam scientiam de istis futuris contingentibus liberis.* Propositio est de fide ex apertissimis sacræ Scripturæ testimoniis, vt Isaiæ

I. 41. *annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus, quia dij estis:* quò loci, vt Deus ostendat Gentilibus sua idola non esse deos, exprobrat illis, quòd non possint prænuntiare certò & infallibiliter futura contingentia libera; eum verò propriè & verè esse Deum, quia certò & infallibiliter nouit ista, antequam fiant, & etiam prænuntiat futura, quemadmodum S. Hieronymus obseruat ad illum locum: item sequenti cap. 42. Deus ait omnia, quæ per Moïsem & alios Prophetas prænuntiauerat esse completa: nunc se prænuntiare vocationem gentium ad fidem Christi Domini, & id genus alia, quæ de facto euenerunt in noua lege: sic Isaiæ 48. sic Sapientiæ 8. Ecclesiastici 23. Psalmo 138. & alibi passim dicitur *præscire quæ futura sunt:* quæ omnia sacræ Scripturæ testimonia loquuntur de certa & infallibili cognitione:

II. hanc enim scientiam seu cognitionem, de qua ibi est sermo, ait sacra Scriptura esse propriã Deo: at cognitio tantùm coniecturalis & quæ est cum aliqua formidine, potest etiam competere intellectui creato, vt patet experientiâ: & Patres dum expendunt hæc testimonia ea intelligunt de certissima & omninò infallibili scientia: vnde Tertullianus libro 2. *contra Marcionem* cap. 5. ait præscientiam Dei *tot habere testes, quot fecit Prophetas*, quia antequam illa euenirent Deus ea reuelauit futura: sicque ex eo, quòd prophetiæ veteris Testamenti, & aliæ plures sint completæ, certitudo & infallibilitas diuinæ præscientiæ circa futura contingentia libera probatur à posteriori.

III. Potest & conclusio probari aliquâ ratione Philosophicâ: Deus ab æterno nouit certò, & & infallibiliter quæcumque possunt aliquando infallibiliter, & certò cognosci à seipso, vel ab Angelo, vel ab homine: atqui futura libera contingentia possunt aliquando cognosci certò à Deo, nimirum quando fiunt seu sunt de facto; Deus enim ex dictis suprà nouit omnia, quæ iam de facto sunt: ergo & Deus ab æterno nouit illa certò & infallibiliter.

Maior probatur. Primùm ex eo quòd Deus vnicâ & simplicissimâ cognitione, eâque inuariabili intelligat omnia & singula: ergo ne aliqua mutatio detur in illa, debet semper nouisse, & nosse quod aliquando nouit, in quo eius cognitio distinguitur à creata cognitione.

IV. Probatur item ex eo quòd intellectio Dei sit summæ actualitatis excludens omnem potentialitatem: ergo cùm illa cognoscat eo tempore quo hæc contingẽtia libera existunt, ne ante istud tempus dicatur habuisse potentialitatem ad habendum cognitionem istorum liberorum futurorum contingentium, debet illa ab æterno cognouisse certò & infallibiliter.

Tandem, Deus ab æterno cognoscit infallibiliter illud omne, quod habet in seipso determinatam veritatem; nulla enim veritas potest fugere infinitam actualem cognitionem per essentiam, quia talis intellectio debet ex necessitate suæ naturæ percipere quidquid habet aliquam intelligibilitatem: atqui futura contingentia libera habent determinatam veritatem: ergo Deus cognoscit certò & infallibiliter omnia futura contingentia libera. V.

Maior est certa & euidens. Minor communiter admittitur à Christianis Philosophis, quam si quis eorum neget, potest hoc argumento Theologico euinci: illud omne, quod ab æterno cognoscitur certò, infallibiliter, & determinatè futurum, debet esse determinatè cognoscibile pro eo instãti, quo tale cognoscitur, quia aliàs non cognosceretur, & cùm cognoscibilitas fundetur in veritate, sicut habet determinatam cognoscibilitatem, ita debet habere determinatam veritatem: atqui Deus nouit ab æterno contingentia libera esse determinatè futura, vt patet ex locis sacræ Scripturæ citatis pro nostra propositione: ergo eiusmodi futura contingentia libera habent certam & determinatam veritatem. VI.

Eadem minor probatur contra Gentilem Philosophum. Tunc aliqua propositio habet veritatem determinatam, quando veritas inest illi eo instanti, quod importatur per verbum ipsius propositionis: & econtrà tunc aliqua propositio habet falsitatem determinatam, quando falsitas ei inest eo instanti, quod importatur per verbum propositionis, vt Dialectici communiter docent libro *de interpretatione*, quando agunt de veritate & falsitate propositionum, quæ formantur de tempore præterito, vel futuro: non enim ad veritatem alicuius propositionis requiritur, quòd veritas, vel falsitas significata per propositionem sit eo ipso instanti, quo talis propositio profertur: aliàs nullæ propositiones de futuro essent veræ, vel falsæ: atqui illa propositio, quâ aliquid contingens liberum explicatur futurum, vel non futurum; exempli gratiâ, hæc, *Petrus cras curret*, *Petrus cras non curret*: talis est conditionis, quod crastinâ die, quod est tempus designatum in propositione, cursus verè & determinatè seu de facto conueniet Petro, vel verè determinatè & de facto non conueniet ei, quia nullum inter hæc duo datur medium: ergo vna illarum propositionum habet determinatam veritatem, & altera habet determinatam falsitatem. VII.

Confirmatur: mensura veritatis propositionum de præterito & futuro desumenda est à veritate propositionum de præsenti, vt iidem Dialectici docent; verbi gratiâ, ideò verum est dicere *Antichristus erit*, quia aliquando verum est dicere *Antichristus est:* atqui propositio de futuro contingenti libero est talis, vt futurum sit aliquando verum, vel falsum dicere: *nunc Petrus currit*, vel *nunc Petrus non currit*, & tunc erit determinatè vera, vel determinatè falsa: ergo & nunc dum profertur est determinatè vera, vel determinatè falsa: & Dialectici docent communiter ad librum primum *de interpretatione* fusiùs determinatam veritatem, vel determinatam falsitatem inesse eiusmodi propositionibus de futuro contingenti. VIII.

I.

ARTICVLVS II.

Solvitur primum fundamentum aduersariorum.

PRIMVM eorum fundamentum est, quòd,
vt aliquid cognoscatur certò & infalli-
biliter, oporteat vt sit determinatum in se-
ipso, vel in suis causis: at quando Deus dici-
tur scire hæc futura contingentia, illa nec
sunt in seipsis determinata, quia nondum in
seipsis existunt, cùm dicantur tantùm futura,
nec item sunt determinata in suis causis, quia
hæ sunt adhuc indifferentes ad illud, vel ad
eius oppositum: ergo hæc singularia futura
contingentia non possunt certò, & infallibi-
liter cognosci à Deo.

II. Confirmatur iis omnibus argumentis, qui-
bus Aristoteles libro primo *de interpretatione*
capite octauo conatur ostendere singulares
propositiones de futuro contingenti libero,
non esse determinatè veras vel falsas.

Respondetur negando maiorem; vt enim
futurum, quatenus futurum cognoscatur cer-
tò, satis est, si sit determinandum eo tempore,
quo cognoscitur, & pronuntiatur esse futu-
rum, & talis determinatio penetretur ab in-
telligente illud; nam propositio de futuro
contingenti libero, non significat præsentem
determinationem causæ liberæ, sed tantùm
futuram: ita tamen, vt hæc futuritio sit de-
terminatè cognoscibilis ab infinito intelli-
gente, qualis est ipse Deus.

Ad confirmationem huius primi argumen-
III. ti petitam ex argumentis Aristotelis, solutio
peti debet ex iis, quæ Christiani Philosophi
respondent ad illa argumenta Aristotelis.
Nam vt non repetimus hîc argumenta Aristo-
telis; ita nec solutiones, quas Christiani Phi-
losophi adhibent illis, sed videndas remitti-
mus loco superiùs citato.

ARTICVLVS III.

Solvitur secundum fundamentum aduersariorum.

SECVNDVM fundamentum est: si Deus
certò sciat Petrum, verbi gratiâ, esse de-
ambulaturum intra quindecim dies, vel po-
testas ad non deambulandum intra prædictos
quindecim dies manet in Petro, vel non: si
IV. manet: ergo etiam potestas ad faciendum fal-
sam prædictam præscientiam Dei manet in
eodem Petro, quia potestas non currendi ta-
li tempore manet in prædicto Petro: at præ-
scientia quæ potest falli, vel propositio quæ
potest reddi falsa, non est certa: ergo tunc
Deus non dicetur scire certò, & infallibiliter
singularia futura contingentia libera.

Quòd si respondeatur, tunc post præscien-
tiam Dei potestatem ad non currendum illo
tempore superiùs designato, non ampliùs re-
manere in Petro, iam libertas & indifferentia
ad deambulandum, & non deambulandum
tollitur à Petro antequam deambulatio fiat;
& proinde si deambulatio, quæ fuit præuisa,
fiat, fiet ex necessitate suarum causarum iam
antè prædeterminatarum.

Respondetur remanere in Petro potesta-
A tem ad ambulandum intra quindecim dies V.
prout voluerit, quia eiusmodi præscientia Dei
se habet merè extrinsecè ad eiusmodi deam-
bulationem causandam & impediendam: imò
licet hæc præscientia sit ordine *durationis*
prior istâ deambulatione futurâ, vel non fu-
turâ: ipsa tamen de ambulatio futura, vel
non futura ordine quodam *causalitatis* veluti
obiectiuæ antecedit ipsam præscientiam Dei:
est enim aliquod obiectum scientiæ visionis
purè & simpliciter speculatiuæ, quæ scientia
supponit aliquo modo suum obiectum, &
ideò Deus per talem scientiam nouit Petrum
intra istos quindecim dies esse deambulatu-
rum, quia futurum est, vt Petrus quamuis li-
berè, de facto tamen determinet se ad deam-
bulandum, quam liberam creatæ voluntatis
determinationem ad hanc, vel illam deam-
B bulationem infinita actualis intellectio Dei VI.
per essentiam penetrat. Vnde cùm hæc præ-
scientia sit hoc modo posterior ipsâ deambu-
latione futurâ, homo non potest per non de-
ambulationem contradictoriè oppositam ipsi
futuræ deambulationi facere, vt hæc præ-
scientia deambulationis sit falsa.

Neque propterea tollitur ab ipso Petro
libertas ad non currendum, vel deambu-
landum tempore assignato in propositio-
ne relata de futuro contingenti libero; nec
item contingentia tollitur ab ipso effectu:
non quidem contingentia, quia vt res di-
catur contingens, vel euenire contingen-
ter, sufficit quòd possit euenire, & quòd pos-
sit non euenire, seu quòd eius causa possit
impediri, quod rectè potest stare cum eo,
quòd effectus eueniet de facto, quatenus
C contingentia dicit tantùm potentiam, quâ VII.
effectus est per media & causas, quæ pos-
sunt impediri, ne agant, licet de facto non
sit futurum impedimentum, & propterea
effectus semper contingens sequitur in se-
ipso: neque item libertas arbitrij tollitur;
nam hæc præscientia est aliquid consequens
liberam electionem creatæ voluntatis se-
cundùm ordinem *causalitatis*, vt paulò an-
tè animaduertimus: at quod sic consequi-
tur actum liberum, non potest absolutè
& simpliciter impedire liberam eius execu-
tionem.

Præterea respondetur duplicem distingui
à Theologis & Philosophis necessitatem; v-
nam *hypotheticam* tantùm; alteram *absolutam:*
prior est, quæ tantùm prouenit ex aliqua sup-
D positione extrinseca ipsi potentiæ, quæque VIII.
non immutat intrinsecum eius modum ope-
randi, quam propterea alij vocant *consequen-
tem*, quia scilicet tantùm sequitur ad suppo-
sitionem, qualis est hæc, *eo ipso, quo Petrus cur-
rit necessariò mouetur:* posterior necessitas,
quæ & *antecedens* appellatur, est quæ proue-
nit à principio intrinseco, & sese tenet ex
parte causæ producentis effectum: vnde di-
citur *antecedens*, cuiusmodi est illa, quâ *homo
dicitur esse necessariò corruptibilis*, quia est com-
positus ex qualitatibus sibi inuicem contra-
riis: iam hæc est distinctio inter hanc vtram-
que necessitatem, quòd sola posterior tollat
libertatem & contingentiam, non item prior,
vt etiam Aristoteles ingenuè agnoscit, capite
octauo libri primi *de interpretatione:* at infal-
libilis & certa præscientia Dei, scilicet quòd

I. futurum contingens liberum eueniet, inducit necessitatem duntaxat *hypotheticam*: cùm ideò tantùm dicatur necessariò futurum, quia Deus præsciuit illud futurum, & hæc præuisio Dei sit aliquod extrinsecum ipsi futuro contingenti libero & ordine *causalitatis* consequens futuritionem eius, vt superiùs explicatum est; vnde nihil potest obesse libertati agentium, vel contingentiæ effectuum; & ad summum dici potest in *sensu diuiso*, & anteuertendo necessitatem ex suppositione futuri fuisse in potestate Petri facere, vt Deus non præuideret futuram eius deambulationem, vel cursum, quatenus Deus sic tantùm præscit, quæ reuera sunt futura, & est in libertate Petri deambulare, vel non deambulare, non tamen in *sensu composito*, & ex suppositione,
II. quâ hæc deambulatio Petri supponitur præuisa à Deo.

ARTICVLVS IV.

Soluitur fundamentum tertium contrariæ sententiæ.

FVNDAMENTVM tertium est eiusmodi: illud est absolutè necessarium quod ex absolutè necessario sequitur per necessariam consequentiam: atqui totum præscire Dei est absolutè necessarium, & quodcumque à Deo præscitum deducitur ex ipsa præscientia Dei per consequentiam necessariam: ergo omne & quodcumque à Deo præscitum est absolutè necessarium: ergo cùm illud singulare quod dicitur futurum contingens sit vnum ex præscitis à Deo, est absolutè necessarium, & ex
III. consequenti non est ampliùs contingens; sícque contingentia omnium rerum penitùs destruitur.

Maior huius tertij fundamenti probatur: consequens communicat in necessitate, vel contingentia cum suo antecedenti, alioquin posito antecedenti necessario consequens posset non poni, & sic non esset necessariò consequens contra hypothesim: ergo vbi consequens sequitur ex absolutè necessario per consequentiam necessariam, antecedens istud debet esse absolutè necessarium.

Minor verò eiusdem tertij fundamenti quoad primam partem probatur: quodcumque æternum, & ab æterno præteritum est absolutè necessarium; nam ad præteritum non datur potentia; atqui totum præscire Dei, quo nouit quæ fient post viginti annos
IV. est æternum, quia quidquid est in Deo est æternum, & est etiam ab æterno præteritum, quia exprimitur per verbum præteriti temporis, sic verbi gratiâ dicendo, hoc est ab æterno scitum à Deo; vel hoc modo, Deus hoc præsciuit ab æterno: ergo totum præscire Dei est absolutè necessarium.

Posterior item pars eiusdem minoris asserens quodcumque à Deo præscitum deduci futurum per necessariam consequentiam, ex ipsa præscientia Dei probatur, quia aliàs præscientia Dei posset falli, nec mereretur nomen scientiæ. Item ex eo quòd omnis scientia propriè dicta sit de obiecto necessario: sed Deus habet scientiam propriè dictam de eiusmodi futuris contingentibus liberis: ergo illa sunt necessariò; ergo eo ipso, quo

A Deus habet veram & certam scientiam de illis, rectè deducuntur futura per consequentiam necessariam; sícque non sunt ampliùs contingentia. V.

Respondetur concessâ maiori negando minorem quoad vtramque partem: quoad priorem quidem, & confirmationem eius: si vt debet, procedat de ipso præscire Dei, quoad suam terminationem: vt enim suprà diximus, scientia visionis in Deo, prout versatur circa obiecta secundaria, quæ sunt creaturæ, est omninò libera, & proinde ipsum præscire Dei secundùm suam terminationem, & intelligibilitatem illam tenentem se ex parte obiecti, non est aliquid absolutè necessarium, sed absolutè liberum, & solummodò necessarium ex suppositione.

B Neque repugnat hoc modo aliquid esse æternum & ab æterno, neque tamen esse absolutè necessarium, quia id ad quod ipsa terminatio fit, potuit non fieri: & hæc terminatio est tantùm necessaria, & ab æterno ex suppositione, quatenus obiectum ad quod illa fit, est futurum in aliqua differentia temporis: & nihil futurum aut existens, vel præteritum potest fugere infinitam, & æternam scientiam Dei: nec illa terminatio diuinæ scientiæ est magis necessaria, quàm sit ipse euentus futurus, quia est veluti causa talis terminationis: ergo sicut futurus iste euentus est absolutè loquendo contingens: ita & diuina scientia visionis, vt terminatur ad illum, erit absolutè & simpliciter loquendo libera: & quemadmodum euentus futurus, qui est contingens, ex suppositione tamen suæ existentiæ VI.
C est tantummodò necessarius secundùm quid, etiam ex ipso Aristotele citato capite octauo; sic etiam æterna illa diuina scientia visionis ex eadem suppositione, erit tantùm necessaria, cùm ordine causalitatis sequatur existentiam rei præuisæ. VII.

Similiter negamus & alteram partem eiusdem propositionis, quia hæc necessitas consequentiæ est tantùm ex suppositione, éstque necessitas *illationis*, & non ipsius rei, quatenus supposito, quòd hoc sit futurum, Deus præuidet illud, & econtrà supposità Dei præuisione, quæ est eorum, quæ sunt, vel aliquando futura sunt, hæc & illa, quæ ab eo præuidentur, sunt futura, quæ omnia non maiorem inducunt necessitatem, quàm dum video aliquem iacentem, quod est exemplum Boëtij libro quinto *de consolatione* prosâ sextâ, necessitas ei inferatur à meo visu, vt iaceat,
D quin potiùs necessitas mihi infertur à iacente, vt quandiu versus illum retineo oculos apertos, videam illum iacentem. VIII.

Neque propterea hæc diuina cognitio desinit esse propriè scientia, cùm sit certissima, nec falsum possit ei subesse: nec item ipse euentus desinit dici & esse propriè contingens, cùm accipiat hanc denominationem à modo, quo producitur à suis causis, & non à diuina essentia sibi omninò extrinseca; imò seipso posteriore secundùm aliquam rationem, vt explicatum est suprà.

Nec denique huic æternæ Dei cognitioni de futuris contingentibus obstat, quòd veritas & intelligibilitas fundetur in entitate, futura autem illa contingentia actualem entitatem non habeant ab æterno: nam cogno-

I. scibilitas & veritas ita fundantur in entitate, A
vt tamē illa non debeat necessariò esse actua-
ta, cùm ad veritatem propositionum actualis
connexio attributi cum subiecto; non sit ne-
cessaria, vt patet in propositionibus de præ-
terito: sed satis est, quòd sit talis connexio,
quæ sit fundamentum sufficiens, vt possit ter-
minare cognitionem intellectus: ita vt vi il-
lius quantum est ex parte obiecti, intellectus
concipiat rem, prout significatur in proposi-
tione: vnde sicut in propositionibus de præte-
rito, veritas attenditur penes ipsum esse rea-
le, quod habuerunt in præterito tempore; ita
& in propositionibus de futuro ipsa earum
veritas attenditur penes ipsum esse, quod
res futuræ habituræ sint in tempore.

II.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De prima & adæquata ratione cur Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia libera.

ARTICVLVS I.

Quædam monita præmittuntur, & sensus difficultatis exponitur.

NOTANDVM, aliud esse quæ-
rere in quo tanquam formali
medio Deus cognoscat con-
tingentia futura absoluta, &
III. quærere vndenam ipsa in-
fallibilis certitudo scientiæ,
quam Deus habet de illis, primò proueniat,
seu quæ sit prima omnium causa, seu ratio
huius infallibilitatis & summæ certitudinis
in tali scientia Dei, de iis absolutis contin-
gentibus futuris: nam cùm ostenderimus su-
prà Deum cognoscere res omnes alias à se, seu
omnes res creatas per suam essentiam, vt cog-
nitam in ratione causæ illarum, & eiusmodi
contingentia (saltem ea, quæ formaliter con-
siderata sunt entia positiua) sint veri aliqui ef-
fectus Dei, vt habentis rationem causæ, nec
Deus accipiat ab aliquo sibi extrinseco suam
cognitionem, rectè intelligimus Deum cog-
noscere hæc absoluta contingentia futura
positiua per suam diuinam essentiam, vt cog-
nitam in ratione causæ actualis, & in actu
exercito comparatione eiusmodi effectuum
IV. contingentium futurorum absolutorum: sed
cùm Deus ita sit illorum causa, vt tamen non
sit proxima & immediata, quin potiùs volun-
tas creata, quæ de se est indifferens ad pro-
ducendum illa; & nihilominùs hæc cogni-
tio, quam Deus ab æterno habet de illis sit
omnimodè certa & infallibilis, vt ostendimus
articulis præcedentibus; quæritur à quo hæc
infallibilitas primò deriuetur in cognitio-
nem, quam Deus habet de eiusmodi obiectis.

Addidi hanc particulam *primò*, & superiùs
istam *prima omnium causa*, seu *ratio huius in-
fallibilitatis, & summa certitudinis*, quia hæc
cognitio Dei potest habere illam ex pluribus
& variis titulis, seu rationibus, sicut patebit
infrà; sed hîc quærimus primam & radicem
omnium.

Notandum secundò, futurum contingens V.
sumptum formaliter dicere duas habitudi-
nes: vnam ad suam proximam causam; alte-
ram ad habendum esse actuale in aliqua diffe-
rentia temporis; prior habitudo consistit in
eo, quòd causa illius proxima habeat indif-
ferentiam ad ponendum illud, quatenus po-
test impediri, vel à seipsa propter suam liber-
tatem ad agendum, vel non agendum, aut ab
alia, ne illud ponat, licet de facto non sit im-
pedienda: quæ indifferentia causæ loquendo
generaliter potest appellari *impedibilitas*:
posterior habitudo consistit in tendentia sui
ipsius esse possibilis ad habendum in aliqua
differentia temporis ipsum esse actuale:
iam tale futurum ex parte prioris respicien-
tis causam & modum eius agendi est con-
tingens; at ex parte suæ futuritionis est a-
B liquo sensu determinatum: nam vt sic di- VI.
cit determinationem ad aliquando existen-
dum, & excludit vniuersalem negationem
existendi pro omni & qualibet differentia
temporis; aliàs non ampliùs esset aliquod
futurum, nec esset maior ratio, cur appella-
retur futurum, quàm non futurum; cùm ta-
men supponatur esse aliquod futurum.

Notandum tertiò, per certitudinem & in-
fallibilitatem cognitionis nihil aliud intelli-
gi, quàm formalitatem cognitionis, quâ ni-
mirum cognoscitur esse impossibile assensum
circa tale obiectum, vt tali medio cognitum,
esse falsum: hæc autem certitudo prouenit ex
tribus, scilicet ex ipso medio, seu motiuo, quo
intellectus mouetur ad assentiendum: dein-
C de ex necessaria connexione huius medij, seu
motiui cum obiecto, seu cum re, quæ cogno- VII.
scitur; tertiò ex perfecta cognitione huius
necessariæ connexionis medij, seu motiui cum
obiecto: alioquin si cognitio & penetratio
huius connexionis desit, quantumuis illa sit
reipsa & de facto, nunquam tamen talis cog-
nitio erit scientifica, vt Dialectici docent
communiter agendo de scientia, & actu eius
propriè dicto. In illa cognitione, quam Deus
habet de futuris contingentibus, diximus di-
uinam eius essentiam vt cognitam in ratione
causæ, esse motiuum, seu medium formale,
quo Deus cognoscit omnes res alias à se: in
præsenti difficultate obiectum, seu res quæ
cognoscitur, est ipsa futuritio liberi euentus
contingentis, seu liberum contingens futu-
rum in aliqua determinata differentia tempo-
ris: quare vt possimus diiudicare vnde illa
infallibilis certitudo diuinæ cognitionis cir-
D ca hæc obiecta primùm proueniat; viden- VIII.
dum est quidnam sit illud, quod facit necessa-
riam connexionem inter diuinam essentiam,
vt in ratione causæ cognitam cum ipso euen-
tu libero contingenter futuro, & vnde Deus
habeat, vt illam penetret: & cùm iam osten-
derimus essentiam diuinam modo illo expli-
cato habere rationem medij formalis; restat
inquirere quidnam sit, quod primò omnium
facit connexionem necessariā inter diuinam
essentiam modo illo consideratam & ipsum
liberum contingens futurum, & quomodo
Deus cognoscat illud; iis enim obtentis ha-
bebimus & primam radicem infallibilis illius
cognitionis, quam Deus habet de eiusmodi
futuris, sicut nos habemus de nostris actibus
scientificis: nam seruatâ proportione omnia

I. sunt paria, licet enim connexio illa horum futurorum cum essentia diuina, vt cognita in ratione causæ, non sit simpliciter & absolutè necessaria, sicut est inter medium scientiæ creatæ propriè sumptæ, & obiectum, est tamen ex hypothesi & suppositione futuritionis necessaria, hoc sensu, quòd nunquam aliter de facto eueniet, licet possit aliter euenire.

Notandum quartò, in præsenti difficultate debere distingui rationem, quæ in ipso futuro contingenti libero terminat hanc cognitionem Dei, seu quæ attingitur per hanc diuinam cognitionem, ab illa ratione quæ ex parte ipsius obiecti facit, vt infallibiliter attingatur ratio *qua* eiusmodi obiecti: hæc ratio est futuritio liberi euentus contingentis: iam in præsenti casu debet assignari aliqua alia
II. ratio, quæ ex parte obiecti, quasi Deo proposita & obiecta, & quæ cognita vt infallibiliter connexa cùm sua diuina essentia cognita in ratione causæ, sit ex parte ipsius obiecti prima radix istius eius infallibilitatis in cognoscendo tali futuro contingenti.

Notandum vltimò, rationem huius infallibilitatis posse assignari duobus modis: primò, vt assignetur tantùm *inadæquatè*: secundò, vt *tota* & *adæquata* assignetur: nunc inquirimus totalem & adæquatam.

ARTICVLVS II.

Vtrum decretum Dei prædefiniens libera futura contingentia absoluta, vel ideæ quas
III. *habet de illis, sunt prima & adæquata ratio cur ea certò, & infallibiliter cognoscat.*

PRIMA sit nostra propositio. *Decretum diuinæ voluntatis prædefiniens libera futura contingentia, non est prima adæquata ratio infallibilis illius certitudinis, quâ Deus certò & infallibiliter cognoscit futura illa libera contingentia*: ita Ochamus, Gabriel libro primo sententiarum distinctione trigesimâ octauâ, & plures ex recentioribus hâc quæstione sancti Thomæ.

Probatur primò: inter futura libera contingentia dantur & ipsa peccata, quæ tamen non possunt dici esse prædefinita à Deo, cùm Deus non decernat peccata, sed tantùm per-
IV. mittat: hinc enim sanctus Damascenus libro secundo *de fide*, capite trigesimo ait, *Deum multa præsciuisse, quæ suâ voluntate non prædefiniuit*, quod ad minus debet intelligi de peccatis: ergo cùm eadem sit ratio infallibilitatis diuinæ cognitionis circa vnum futurum contingens liberum, ac circa omnia, sicut prædefinitiuum decretum non est ratio, cur Deus habeat infallibilem cognitionem de peccatis futuris, sic illud idem decretum prædefinitiuum non erit prima ratio eius infallibilitatis cognitionis, quam Deus habet de illis.

Nec est, quòd quis dicat Deum permittere peccata, & eo ipso, quo statuit permittere illa, eum certò scire peccatum illud futurum. Nam permissio Dei, non infert necessariò peccatum, cùm non tollat ab ipsa

A voluntate potentiam resistendi tentationibus sibi iniectis: nec etiam subtrahat voluntati media sufficientia, quibus possit euitare peccatum. V.

Deinde quando Deus prædefinit bonum aliquod opus exercendum ab homine, illud non prædefinit sine aliquo respectu ad voluntatem, vt debentem exercere illud liberè, vt docebimus primâ secundæ, vbi de gratia efficaci agemus: ergo sicut tale decretum Dei non est tota & adæquata ratio futuritionis istius operis liberè exercendi in tali & tali differentia temporis; sic etiam non erit adæquata ratio, per quam Deus primò cognoscat illud vt infallibiliter futurum.

Secunda propositio. *Prima ratio, ob quam Deus nouit certò & infallibiliter libera futura contingentia, non est, quòd videt illa in suis*
ideis, vt sibi obiectiuè præsentia: est contra san- VI.
B ctum Bonauentur. libro primo sententiarum distinctione trigesimâ nonâ, articulo secundo quæstione tertiâ: est tamen Scoti eadem distinctione, Ochami, & Gabrielis præcedenti distinctione, & plurium recentiorum ad decimum tertium articulum præsentis quæstionis S. Thomæ.

Probatur: vel ideæ sunt ipsi Deo prima ratio illius infallibilis cognitionis, quam habet de futuris cōtingentibus liberis, prout decretum Dei de illis creandis concipitur nondum aduenisse istis ideis, vel tantùm post tale decretum: at ideæ diuinæ spectatæ priori modo, non sunt ipsi Deo talis prima ratio cognoscendi infallibiliter hæc futura, quia ideæ diuinæ vt sic, repræsentant tantùm res vt possibiles, non autem vt determinatè futuras: ergo Deus in suis ideis, vt sic cognitis, non potest
C certò & infallibiliter cognoscere futura con- VII.
tingentia libera: non item posteriori modo, quia iam Deus diceretur potiùs primò cognoscere ista futura contingentia in decreto suæ voluntatis, quàm in suis ideis, cùm illa non cognosceret in ideis nudè spectatis, nunc verò post decretum illa perciperet; at ex dictis non sic primò cognoscit illa futura contingentia in decreto suæ voluntatis: ergo neque in suis ideis, quatenus includunt decretum illud.

Deinde dantur futura quædam contingentia libera, quorum ideam nullam Deus habet, cuiusmodi est peccatum puræ omissionis: cùm Deus non sit causa illius, nec illud habeat
aliquid reale seu positiuum, quod tamen VIII.
D contingens futurum liberum Deus certò & infallibiliter nouit: ergo prima ratio motiua obiectiua, per quam Deus infallibiliter cognoscit futura contingentia libera, non est, quòd videat illa in suis causis.

Obiicies: repræsentatio futurorum contingentium liberorum in essentia diuina est simpliciter necessaria antecedenter, tam ad ipsum decretum Dei de illis ponendis, quàm ad ipsas creatas causas eiusmodi contingentis, quia hæc repræsentatio oritur ex summa infinitate Dei, quâ in seipso continet omnia eminenter: ergo cùm tam decretum Dei de illis faciendis, vtpote liberum, quàm causæ creatæ eiusmodi contingentium sint aliquid nostro modo concipiendi cum fundamento in re posterius ipsâ necessariâ repræsentatione contingentium, prima ratio, cur Deus nouit

I. infallibiliter eiusmodi contingentia futura, erit, quòd necessariò repræsententur in sua essentia.

Respondetur negando antecedens: nam diuina essentia non est propriè loquendo repræsentatiua futurorum liberorum, vt sic formaliter in illo signo rationis, quo eam concipimus ante omne decretum de rebus futuris, tunc enim nondum intelligitur, vt proxima illorum causa: & hæc illorum continentia eminentialis fundatur tantùm radicaliter & remotè in infinitate diuinæ essentiæ, & proximè in ipso eius attributo omnipotentiæ, in ratione proximæ causæ, in quo statu constituitur per suum decretum de istis bonis positiuis ad extra faciendis nullâ mutatione circa seipsam factâ intrinsecè; sed in sola eius terminatione, vt commodiùs expli-
II. cabitur ad illam quæstionem 29. agendo de ipso decreto Dei, & explicando quidnam illud sit.

ARTICVLVS III.

Vtrum coexistentia futurorum liberorum contingentium æternitati Dei sit prima & adæquata ratio cur ab illo certò & infallibiliter videantur.

SIT hæc nostra propositio. *Prima & adæquata ratio, ob quam Deus certò & infallibiliter cognoscit libera futura contingentia, non est, quòd hæc coexistant æternitati Dei, vel sint realiter in illa*: est contra quamplures disci-
III. pulos sancti Thomæ, vt Caietanum, Bannes & quosdam alios ad citatum articulum decimum tertium huius quæstionis sancti Thomæ: est tamen Alensis primâ parte quæstione decimâ quintâ: Scoti in primum sentent. distinctione trigesimâ nonâ, quæstione primâ: imò & quorumdam discipulorum S. Thomæ, vt Ægidij *in suis obseruationibus* ad citatum articulum decimum tertium: Heruæi lib. primo sententiarum distinctione trigesimâ nonâ quæstione vnicâ: & est valde communis inter recentiores.

Probatur: futura libera contingentia non coexistunt realiter diuinæ æternitati ab æterno, neque realiter existunt in diuina æternitate: ergo realis futurorum contingentium liberorum coexistentia cum æternitate diuina, vel realis eorum existentia in æternitate
IV. Dei, non potest esse prima ratio obiectiua, per quam Deus certò & infallibiliter cognoscat futura libera contingentia. Consequentia est per se euidens; nam quod nullomodo est, nequit esse fundamentum, & prima ratio alicuius alterius: ergo si talis coexistentia non detur, illa non potest esse fundamentum seu prima ratio cognoscendi certò & infallibiliter eiusmodi futura libera contingentia.

Vt autem antecedens probetur, simùlque intelligatur quo sensu citati auctores velint futura libera contingentia coexistere diuinæ æternitati, & in illa existere:

Notandum est, in eorum sententia hoc verbum *esse* seu *existere* non significare durationem seu mensuram nostri temporis, quo hanc ipsam propositionem pronuntiamus,
A quasi sensus sit iste, libera futura contingen- V.
tia ita coexistunt æternitati, seu sunt realiter in æternitate, vt etiam hoc ipso tempore, quo de illis loquimur existant, & eorum coexistentia consignificetur in hoc nostro tempore, quo loquimur: nam citati auctores fatentur sententiam suam hoc sensu intellectam esse falsam, quia tunc eiusmodi contingentia non essent ampliùs futura etiã respectu nostri temporis, cùm iam de facto existerent, quod tamen est contra rationem futuri: sed in ista sua sententia verbum hoc *est*, *existit*, & alias similes particulas durationem importantes; verbi gratiâ, *nunc*, *iam*, & id genus alias, significare tantùm durationem æternitatis, vt sit sensus res illas, quæ hoc ipso instanti temporis quo loquimur sunt adhuc futuræ, esse realiter præsentes superiori instanti æternitatis ambienti omnia tempora & in-
B stantia temporis. Hoc prænotato, nostrum VI.
prædictum antecedens probatur.

Vt aliquid reipsa & positiuè coexistat alteri, debet priùs saltem ratione existere in seipso: atqui futura contingentia libera non habent, quòd sint, seu existant in seipsis: ergo futura libera contingentia non possunt coexistere æternitati Dei, vel in illa existere.

Maior propositio probatur: realis coexistentia duarum rerum inter se nihil est aliud, quàm simultanea existentia vtriusque rei, quatenus id quod dicitur alteri coexistere, habet propriam suam existentiam & durationem simul cum existentia alterius, vt ipsum nomen coexistentiæ sonat: vnde coexistentia formaliter sumpta nihil est aliud, quàm quæ-
C dam relatio duarum vel plurium rerum in- VII.
ter se, fundata in simultanea earum existentia seu duratione: ergo vt aliquid propriè & formaliter coexistat alteri, debet priùs saltem ratione esse in seipso, & habere propriam suam existentiam.

Confirmatur: omne fundamentum relationis saltem creatæ est aliquo modo prius suâ relatione: atqui coexistentia est quædam relatio, cuius fundamentum est ipsa propria existentia vtriusque rei, prout illa est simul: ergo omnis res coexistens alteri, debet aliquo modo priùs esse in seipsa, & propriam suam existentiam habere, quàm coexistat alteri.

Minor autem, quâ prædictum nostrum antecedens probatur, patet ex ipsa confessione aduersariorum; nam futura libera contin-
D gentia sic considerata sunt adhuc futura, & VIII.
proinde vt sic non existunt.

RTICVLVS IV.

Refellitur responsio, quâ soluere conantur aduersarij nostram rationem.

RESPONDENT ad argumentum super art. libera hæc contingentia dici tantùm futura consideratione nostri temporis, nec vt sic esse in seipsis; attamen respectu æternitatis, quæ ambit totum tempus & omnes eius differentias, illa iam habere proprium suum esse etiam in seipsis pro illo tempore, in quo existent, cui quidem futuro tempori ipsa æternitas de facto coexistit: vnde ipsæ res

I. creatæ, non bis producuntur; semel in æter-
nitate, & semel in tempore, sed vna & ea-
dem est productio, quæ respectu nostri præ-
sentis temporis dicitur futura: at respectu
æternitatis est præsens, quia æternitas præ-
sens coexistit toti nostro tempori: cùm sit
tota simul & nullam admittat successionem.
Verùm vt ostendatur quàm leuis sit hæc ad-
uersæ sententiæ auctorum responsio:

Obseruandum est, posse duobus modis in-
telligi aliquid coexistere æternitati Dei: pri-
mò, quatenus ei quidem *toti* coexistit, non
tamen *totaliter*: secundò quatenus ei *toti* &
totaliter sumptæ coexistit: priori modo ali-
quid coexistit æternitati Dei, quando habet
propriam suam existentiam, siue illa sit per-
manens, siue successiua, siue nullomodo
anteà præextiterit, quia sic coexistere æter-
II. nitati nihil est aliud, quàm actu & de facto
existere: dum ipsa Dei æternitas (quæ est
permanens, semper tota simul absque ali-
qua sui diuisione & successione partium)
simul existit: posteriori modo aliquid coexi-
stit æternitati, quando non tantùm habet
propriam existentiam de facto, dum ipsa Dei
æternitas est tota simul: sed etiam habet eam
realiter, dum omnes & singulæ virtuales
partes æternitatis etiam diuisiuè sumptæ exi-
stunt, seu quod tandiu habet reipsa propriam
suam existentiam, quandiu ipsa æternitas
Dei potest affirmari esse, seu existere: ita vt
ipsa Dei æternitas non possit concipi aliquan-
do extitisse, seu durasse etiam quoad aliquam
sui partem, prout illa est virtualiter diuisibi-
lis, quin simul & reipsa illud quod dicitur
coexistere æternitati, ei secundùm hanc &
III. quamlibet aliam virtualem partem coextite-
rit, seu quin simul etiam habuerit propriam
suam existentiam: inter quos duos modos,
hæc est differentia, quòd ad priorem non sit
necesse illud quod dicitur *coexistere æternita-
ti*, esse, seu existere ab æterno, seu tandiu
durasse, quandiu æternitas durauit etiam
secundùm suam virtualem extensionem: sed
satis est aliquando habere actu propriam
suam existentiam: dum æternitas Dei de fa-
cto existit, vt patet in instanti nostri tempo-
ris, quod coexistit toti æuo vnius Angeli,
nec tamen tandiu durat, quandiu æuum An-
geli consideratum secundùm virtualem suam
extensionem durat: at ad posteriorem mo-
dum coexistendi æternitati diuinæ id omni-
nò & absolutè requiritur, vt patet in eodem
IV. exemplo instantis nostri temporis compara-
ti ad æuum Angeli, cui non dicitur coexi-
stere totaliter, cùm æuum Angeli secun-
dùm suam virtualem extensionem extite-
rit & durauerit ante ipsum instans nostri
temporis, & adhuc existet & durabit post
illud.

Hoc ergo prænotato, prædicta responsio
facilè refellitur. Nam quando auctores con-
trariæ sententiæ dicunt ipsa libera contin-
gentia esse quidem futura respectu nostri
temporis; attamen respectu æternitatis, iam
habere in seipsis propriam suam existen-
tiam, sícque coexistere æternitati, aut vo-
lunt futura illa contingentia coexistere æ-
ternitati consideratæ tantùm priori modo,
aut posteriori; si tantùm priori, non habent
intentum, quia vt iam obseruauimus, ta-

A lis coexistentia non infert necessariò illud, V.
quod sic coexistit æternitati, esse, seu existere
realiter ab æterno, quia esse ab æterno patet
latiùs, & longè plura complectitur, quàm
ipsum coexistere toti diuinæ æternitati: hoc
enim dicit tantùm habere actualem existen-
tiam, quando ipsa Dei æternitas est tota si-
mul; istud verò superaddit tandiu habere
existentiam, quamdiu æternitas durat se-
cundùm se totam & secundùm virtualem
suam extensionem, & numquam cœpisse du-
rasse.

Si velint futura libera contingentia coexi-
stere realiter æternitati Dei consideratæ po-
steriori modo, refelluntur. Nam quod ita co-
exisitit æternitati, est absolutè & simpliciter
B æternum quoad durationem: si enim Angelus
esset creatus ab æterno; sic coexisteret diui-
næ æternitati, quo tamen modo nunc non VI.
coexistit: at futura contingentia non sunt
absolutè & simpliciter æterna, vt ipsa fides
docet: neque coexistunt omnibus & singu-
lis partibus virtualis extensionis, in quas æ-
ternitas est virtualiter diuisibilis: tum quia
non coextiterunt ei parti, quæ respondebat
tempori iam elapso à mille annis; sic enim
non essent ampliùs futura etiam respectu no-
stri temporis; nam quæ coexistunt vni tertio,
& sibi inuicem coexistunt, quia sic sunt ea-
dem: at in tali hypothesi futura illa contin-
gentia coexisterent isti virtuali parti æterni-
tatis correspondenti tempori elapso à mille
annis: & item tempus istud mille annorum
elapsum coextitit ipsi prædictæ virtuali parti
diuinæ æternitatis: ergo futura illa contin-
C gentia & tempus illud iam elapsum à mille
annis coexisterent, quod est absurdum: er-
go neque futura contingentia coexistunt ab VII.
æterno ipsi æternitati Dei.

ARTICVLVS V.

Soluitur primum fundamentum aduer-sariorum.

PRIMVM contrariæ sententiæ auctorum
fundamentum est eiusmodi: extensio &
diuisibilitas partium alicuius quantitatis per-
manentis æquè repugnat indiuisibilitati rei
continentis, quàm extensio partium duratio-
nis successiuæ repugnat durationi inextensæ
& indiuisibili; sed res aliqua indiuisibilis &
permanens verè coexistit, & continet rem VIII.
D aliam extensam & diuisibilem secundùm præ-
sentiam localem; verbi gratiâ anima rationa-
lis, quæ est indiuisibilis, continet totum cor-
pus hominis, & coexistit omnibus & singulis
eius partibus suam extensionem & diuisibili-
tatem retinentibus: item in Sacramento Al-
taris corpus Christi Domini respectu specie-
rum sacramentalium: ergo pari iure non re-
pugnabit durationem aliquam indiuisibilem
coexistere alteri durationi retinenti suas par-
tes extensas & diuisibiles; sed æternitas Dei
est aliqua duratio indiuisibilis continens in se
totum tempus & quaslibet eius differentias,
quæ secundùm se sunt quoad successionem
extensæ & diuisibiles: ergo æternitas Dei
potest simul & semel coexistere toti tempo-
ri & omnibus eius differentiis retinentibus
propriam suam successionem & diuisionem:

I. ergo eadem æternitas Dei potest facere, vt res existentes in tempore retinente suam extensionem & diuisibilitatem sibi coexistant.

Respondetur, quòd aliud est æternitatem coexistere *totam* alicui rei successiuè retinenti formaliter successionem in suis partibus: sícque rem successiuam etiam coexistere toti æternitati, & aliud æternitatem Dei coexistere *totaliter* eidem æternitati; primum non infert secundum, quod tamen requiritur ad hoc, vt res omnes creatæ dicantur coexistere æternitati, & esse in æternitate Dei iuxta sensum contrariæ sententiæ.

Deinde ad hoc idem fundamentum potest responderi negando paritatem illam, quæ asseritur maiori eius propositioni: nam extensio & diuisibilitas partium quantitatis II. permanentis ita simul & semel remanent cum indiuisibilitate alterius rei continentis, vt tamen quantitas illa, cui hæc extensio & diuisibilitas conueniunt, intelligatur realiter existere, eiúsque actualis existentia præsupponi simultati seu coexistentiæ indiuisibilitatis vnius cum diuisibilitate alterius, vt patet in exemplis ibi allatis: at in præsenti difficultate actualis existentia rerum creatarum in ipsa æternitate, & ab æterno non potest intelligi: & fundamentalis ratio, cur res creatæ non sint realiter in æternitate Dei, non petitur à repugnantia coexistentiæ rei successiuæ cum alia re indiuisibili; sed ab eo, quòd res creatæ cœperint existere in tempore, & prout æternitas nostro modo concipiendi concipitur virtualiter diuisa in plures veluti partes, vt explicatum est superiùs: illæ res non co- III. existerent secundùm hanc partialem virtualitatem; sed quoad aliquot alias duntaxat partes eius, secundùm quas æternitas Dei correspondet iis partibus temporis, quibus res eiusmodi creatæ accipiunt & retinent actualem suam existentiam.

ARTICVLVS VI.

Soluitur fundamentum secundum aduersariorum.

SECVNDVM fundamentum istud est: de ratione superioris, & infinitæ durationis est continere omnes, & quaslibet sibi inferiores, alioquin non esset infinita in tali genere: æternitas autem est omnium duratio- IV. num superior & infinita, nullúsque alius modus potest excogitari, quo duratio superior contineat inferiorem, nisi ratione coexistentiæ ipsius inferioris durationis & rei, vt existentis in propria mensura ad superiorem durationem.

Respondetur, quòd immensitas Dei est tam superior & infinita in ratione virtualis extensionis per ordinem ad occupandum omnia loca realia, & ad includendum intra seipsam omnia & singula locabilia, quàm æternitas Dei sit superior, & infinita quantitas veluti extensiua per ordinem ad durandum, hoc enim vtrumque attributum importat aliquam rationem infinitæ quantitatis, & superioris ad omnes & singulas quantitates eiusdem generis, vt patet ex iis, quæ de illis tradidimus suprà: sed diuina immensi-

A tas non includit de facto, & realiter omnia loca realia possibilia, nec omnia locabilia simul & semel & ab æterno, sed ad eius superioritatem & infinitatem comparatione aliarum quantitatum sibi similium, seu locorum realium & locabilium sufficit, quòd ex se & suâ naturâ sit talis, vt quando loca realia, & etiam locabilia fient, & erunt, sint intra illius terminos, eíque coexistant de nouo: vbi & quando fient, & cum illa eadem successione secundùm quam fiunt in tempore, tali mutatione tenente se tantùm ex parte locorum & locabilium, & non ex parte diuinæ immensitatis, non autem requiritur quòd immensitas Dei comprehendat formaliter, & actu etiam loca illa rea- B lia & locabilia, quæ nondum sunt; sed ex hypothesi creabuntur à Deo: ergo nec ad superioritatem & infinitatem diuinæ æterni- VI. tatis requiritur, quòd formaliter & actu contineat in se omnes futuras durationes & singulas creaturas, quæ in illis fient & accipient actualem suam existentiam: sed quemadmodum ad immensitatem Dei comparatam ad loca & locabilia realia sufficit, quòd contineat actu omnes differentias loci actu existentes & omnia locabilia actu existentia, licet nondum sic contineat futura, seu loca & locabilia realia de nouo facienda; sic etiam sufficit ad diuinam æternitatem, quòd realiter, & de facto contineat in seipsa omnes durationes temporales dum actu existunt per suam coexistentiam ad illas; non autem requiritur, vt sic contineat eas durationes, quæ adhuc sunt futuræ. V.

C Deinde potest responderi, quòd æternitas Dei potest considerari duobus modis: primò *adæquatè*, & secundùm totam suam virtua- VII. lem diuisibilitatem, quam ostendimus in illa reperiri, agendo de ea superiùs: deinde potest considerari secundùm *se totam* quidem, non tamen secundùm *se totaliter* consideratam, seu habitâ ratione totius virtualis suæ extensionis, quatenus nimirum apprehenditur vna tota simul & indiuisibilis duratio, non considerando virtualem illam eius extensionem, ratione cuius vna & eadem perseuerans, vel potiùs stans correspondet variis differentiis nostri temporis, & aliarum durationum sibi inferiorum: si æternitas consideretur priori modo, continet in ratione durationis omnes alias durationes & omnes creaturas, quæ habent in illis existen- VIII. D tiam, hoc sensu, quòd nulla illarum extitit vnquam, aut existet, vel potuit, aut poterit existere, quin etiam tunc ipsa Dei æternitas fuerit; cui tamen sic adæquatè sumptæ pro ratione virtualis suæ diuisibilitatis creatæ durationes, & res in illis existentes diuersimodè, & cum aliqua variatione succedunt: ita vt iuxta illam quasi partem eius seu virtualem diuisibilitatem, quæ correspondet initio creati mundi, ipse primus parens dicatur ei coextitisse, non autem Noë, Moses & alij: iuxta illam verò aliam eius quasi partem seu diuisibilitatem, cui tempus Mosis Aaronis respondebat, dicatur primus parens iam fuisse & coextitisse æternitati, non autem aliis temporibus sequentibus quæ erant futura; sed fore duntaxat, vt suo tempore coexisterent æternitati

I. Dei: sicque omnia alia, quæ sibi inuicem succedunt pro sua tantùm duratione, seu conformiter ad propriam suam tantùm durationem, in qua de facto existent, dicantur ei coexistere, vel futurum, vt ei aliquando coexistant.

Atque hoc potest illustrari exemplo animæ rationalis, quæ cùm sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis habet, quòd partes corporis humani, non tantùm eæ, quæ sunt dum illa infunditur ei à Deo; sed etiam eæ, quibus eius corpus posteà crescit, coexistunt ei, non quidem simul & semel à primo instanti suæ vnionis ad proprium corpus, sed cum ea successione, quâ partes eiusmodi accrescunt corpori, sicut & eæ, quæ per decretionem vel aliâ ratione deperduntur, rectè dicuntur coextitisse ei, non tamen ei adhuc coexistere: at si æternitas Dei consideretur
II. posteriori modo, seu *inadæquatè*, sic illa non continet in se omnes alias durationes sibi inferiores, nec quælibet inferior duratio correspondet cuilibet eius quasi parti diuisibili, nec ei vt sic apprehensæ coexistit; similiter nec res, quæ accipiunt suam existentiam in tali duratione inferiori: secundùm quem tamen posteriorem modum sententia contraria nostræ propositioni vult omnes creaturas existentes in aliqua temporis differentia coexistere æternitati Dei, & esse in ipsa æternitate Dei.

Hinc etiam intelligitur hanc consequentiam: res creatæ existunt in æternitate; ergo & existunt in tempore, non esse loquendo propriè *à superiori ad inferius*, nec etiam ab *amplo ad strictum*.

ARTICVLVS VII.

III. *Soluitur fundamentum tertium contrariæ sententiæ.*

TERTIVM est: æternitas dicitur ambire totum tempus, omnes eius differentias; imò præterita & futura dicuntur à Patribus non transire, sed stare apud Deum, ratione suæ æternitatis, sic à S. August. lib. 4. *de Trinit.* cap. 17. lib. 5. *de Trin.* cap. 16. item à S. Gregor. lib. 20. *Moralium*, cap. 23. dicente nihil esse futurum Deo: item à S. Anselmo opusculo *de concordia liberi arbitrij*, & prædicto cap. 1. asserente solum præsens tempus conuenire Deo: ergo.

Respondetur, quòd intelligimus æternitatem spectatam primo modo nobis superiùs as-
IV. signato ambire totum tempus, & singulas eius differentias præteriti, præsentis & futuri, ratione virtualis suæ extensionis & diuisibilitatis, quæ tamen respectu propriarum creatarum suarum durationum succedunt sibi inuicem: quando verò S. August. ait, *futura & præterita stare apud Deum*, loquitur de ea cognitione, quam Deus habet de illis, & ex consequenti de *esse obiectiuo*, quod res creatæ habent in mente Dei, vt apertè indicat capite illo 17. libri 4. *de Trinitate*; agit enim de modis, quibus aliqui homines prænuntiant futura, inter quos hunc recenset, quòd nimirum Deus per Angelos aliqua eis reuelet: *per verbum*, inquit, *sapientiámque suam indicat, vbi & futura & præterita stant*: quò loci hâcce eius particulâ, *vbi*, refert hunc terminum, *sapientiámque suam*, & ex consequenti iuxta

A mentem S. August. hæc coexistentia futurorum & præteritorum intelligitur esse penes V.
ipsam sapientiam Dei, quæ est eius cognitio: & lib. 5. *de Trinitate*, cap. 16. vult hoc tantùm sensu, *nec præterita transire, & futura esse facta apud Deum*, quòd licet hæc importent aliquam mutationem in rebus creatis, nullam tamen in Deo dicant, sed nouam duntaxat habitudinem seu relationem rationis: item quòd quando Deus diligit aliquem in tempore, non muteturin seipso, quasi eum diligat nouâ aliquâ dilectione, quæ anteà non erat in illo; sed quòd vna & eadem est semper volitio Dei, quæ tamen comparatione ad creaturas sese ad illas variè terminat, totâ hâc mutatione tenente se ex parte illarum: verba S. Aug. sunt hæc: *quòd amicus Dei iustus esse incipit, ipse mutetur, Deus autem vt temporaliter aliquando*
B *diligat, minimè, quasi noua dilectione qua antea in illo non erat, apud quem nec præterita* VI.
transierunt, & futura iam facta sunt: item Gregorius eodem sensu loquitur, quo S. Augustinus, vt hæc eius verba indicant: *scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos prætęrita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis fuit, & erit, in eius prospectu præsto est*: quò loci istæ particulæ, *ante cuius oculos*, & *in eius prospectu* sat apertè denotant, S. Gregorium affirmare hæc de eiusmodi rebus præteritis, præsentibus, & futuris, prout illæ comparantur ad cognitionem Dei.

Denique S. Anselm. loquitur de ipsa æternitate Dei sumpta adæquatè, vt hæc eius verba indicant, quibus reddit rationem prædicti sui verbi allati pro contraria sententia; habet enim æternitas suum simul, in quo sunt om- VII.
C nia, quæ simul sunt loco & tempore, & quæ sunt diuersis in locis & temporibus.

ARTICVLVS VIII.

Soluitur quartum fundamentum.

QVARTVM illorum fundamentum repetitur ab auctoritate Patrum, qui satis frequenter dicunt omnia futura esse Deo præsentia, quod non videtur explicari sufficienter de præsentia tantùm obiectiua, secundùm quam res omnes sunt præsentes Deo illas cognoscenti ab æterno: cùm sancti Patres sic loquantur, vt explicent præscientiam sumptam in rigore loquendi non habere locum in Deo,
D quatenus ille eâ cognitione quam habet de rebus, non eas præuenit, sed ipsa eius cognitio, VIII.
& res sic cognitæ sunt simul: alioquin bis illa cognosceret, nimirum semel ante realem earum existentiam, & iterum quando existerent in tempore, vt intelligitur ex S. August. lib. 2. *ad Simplicianum* quæst. 2.

Respondetur ex dictis suprà, quòd quando sancti Patres dicunt omnia futura esse Deo præsentia, non id intelligunt de reali eorum præsentia, sed de obiectiua tantùm; non quacumque, sed quæ est tam perfecta & omnibus suis numeris absoluta in ratione cognitionis certæ & infallibilis, ac si hæc futura iam extarent de facto: sic S. August. in *Psalm.* 49. ait diuinam vocem & propheticam videre futura, tanquam præsentia: sic ad Rom. 4. Deus dicitur vocare *ea quæ non sunt, tanquam ea quæ*

I. *sunt*: vbi istæ particulæ *quæ non sunt*, ita significant futura, vt tamen denotent illa etiam respectu Dei (quia est ibi sermo de Deo) non esse realiter præsentia, sed duntaxat respectu certitudinis & infallibilitatis, quæ est in scientia Dei, sese habere, ac si iam de facto existerent, quod altera illa sequens particula *tanquam ea quæ sunt*, satis apertè denotat: vnde Patres illi opponunt præscientiam illam Dei in ratione infallibilitatis & notitiæ perfectæ ei cognitioni, quam homines etiam prophetæ habent de rebus futuris à se prænuntiatis, nimirum quòd prophetæ videant obscurè tantùm res, quas prædicunt, nec semper cognoscunt determinatè & distinctè quæ continentur in eorum prophetia: quemadmodum sanctus Thomas docet secundâ secundæ, quæstione centesimâ septuagesimâ tertiâ,
II. articulo vltimo: & quòd hæc sit mens Patrum, patet ex eo quòd dicant futura esse præsto ipsi Deo, esse in eius conspectu, quódque vtantur similibus loquendi formulis, quæ non tam explicant coexistentiam rerum eiusmodi cum æternitate Dei, quàm ipsam infallibilitatem & certitudinem diuinæ scientiæ cum talibus obiectis secundariis.

Hinc licet diuiserimus scientiam diuinam consideratam ex parte obiectorum suorum in scientiam *simplicis intelligentiæ* & *visionis*: attamen hanc non propriè subdiuidimus in scientiam præteritorum, præsentium, & futurorum, quia Deus ita vno simplicissimo intuitu, eóque inuariabili fertur in res illas omnes & singulas, vt semper feratur in eas secundùm actualem existentiam, quæ tamen existentia rerum comparata ad vnum tempus, seu ad
III. vnam temporis differentiam, dicitur *futura*; prout verò refertur ad aliam, dicitur *præsens*, vel *præterita*: & quia hæc comparatio est potiùs aliqua diuersitas in tempore, ad quod res cognita refertur, quàm aliquid in re cognita; ideò hæc cognitio non facit distinctum aliquod membrum ab ea scientia *visionis*, quæ est in Deo: ille enim videt ab æterno omnia secundùm illam variationem, quam habent in suis temporibus; verbi gratiâ, ab æterno cognoscit Christum Dominum respectu nostri temporis iam esse natum, respectu temporis quo Herodes regnabat, nasci tali anno, tali die, tali horâ; respectu temporis Mosis nasciturum, quod etiam nunc idem omninò cognoscit, vt S. August. lib. 11. *de Ciuitate Dei*, capite 21. docet.

IV. Hinc eius scientia est omninò immutabilis non solùm ex parte suæ entitatis, sed etiam ex parte rei cognitæ, prout illa est obiectum, & ex parte relationis illius rationis, quam hæc scientia Dei dicit ad res illas, vt cognitas, cùm & hoc obiectum & hic respectus sese eodem semper modo habeant comparatione scientiæ Dei, in quo differt à nostra cognitione, quæ quia non fertur vnico intuitu in ipsam rem secundùm omnem illam variationem, quam habuit, vel habet, vel est habitura; sed quia diuersis tantùm conceptibus fertur in eiusmodi res & variationes eius, fit, vt mutetur.

Et hac de causa sanctus Augustinus libro secundo *ad Simplicianum*, quæstione secundâ, negat esse propriè in Deo præscientiam; imò & scientiam de futuris attendendo ad
A notationem seu significationem, quam hæc V.
nomina habent apud homines: nam præscientia ibi S. Augustino nihil est aliud, quàm cognitio eorum, quæ postea sentiuntur præsentia, & anteà sentiebantur futura: scientia verò est cùm sensa & intellecta, id est, obiecta percepta sensibus, deinde intellecta memoriâ retinemus; seu vt S. Augustinus ibi seipsum explicat, *cùm meminimus aliquid sensisse nos*, id est percepisse sensu, *vel intellexisse, vt id cùm volumus, recolamus*, quæ nomina vt sic accepta important duos actus in cognoscente, & aliquam varietatem in obiecto, prout illud terminat cognitionem, vt etiam sanctus Augustinus ibi expresè docet, & declarant verba eius relata ab auctoribus contrariæ sententiæ: quare cùm cognitio, quæ est in Deo de rebus futuris, sit vnus, idémque
B simplicissimus intuitus percipiens illorum VI.
veritatem modo etiam inuariabili, præscientia, imo & scientia futurorum, vt his vocabulis significata non habet locum in Deo; sed his imperfectionibus detractis præscientiam & scientiam habere locum in Deo sanctus Augustinus ibi admittit sic scribens: *cùm ergo hæc cuncta detraxero*, nimirum imperfectiones, quas præscientia & scientia secundùm prædictam suam notionem & vsum hominum important, *& reliquero solam viuacitatem certæ, atque inconcussæ virtutis, vnâ atque æternâ contemplatione cuncta collustrantis, insinuatur mihi vtcumque scientia Dei*: hactenus sanctus Augustinus, & sic cùm *præscire* sumptum, prout idem sonat, ac perfectè modo illo nunc per sanctum Augustinum
C explicato cognoscere aliquid antequam illud VII.
eueniat, seu habeat existentiam in aliqua temporis differentia, nullam eiusmodi dicat imperfectionem, fit, vt rectè possimus dicere Deum habere præscientiam futurorum contingentium, quatenus ille ab æterno longè antequam sint in suo tempore, cognouit illa certò & infallibiliter vno eodémque simplicissimo intuitu secundùm quamlibet sui variationem.

ARTICVLVS IX.

Soluitur vltimum eiusdem sententiæ fundamentum.

VLTIMVM ipsorum fundamentum est:
D quòd hæc cognitio quam Deus habet VIII.
de omnibus futuris contingentibus sit intuitiua & per scientiam visionis; hæc autem scientia sit rerum habentium suam existentiam, quæque terminetur ad res ipsas, vt actu existentes, qualis non videtur posse esse ab æterno hæc cognitio Dei, nisi res eiusmodi existant in æternitate Dei, eíque coexistant.

Respondetur, quòd hæc cognitio rectè potest intelligi sese terminare ad rem, vt præsentem & ipsam eius existentiam attingere, licet quoad durationem sit prior ipsâ vt realiter actuatâ, quatenus scilicet ipsamet rei præsentia & actualis eius existentia talem sese exhibet cognoscendam, qualis omninò erit in sua propria duratione.

Quòd si vrgeas, istam præsentiam esse duntaxat obiectiuam non realem, qualem nomen visionis importat.

I. Respondetur, quòd cùm hæc ipsa Dei cognitio sit vna & eadem numero tam obiectiuè, quàm entitatiuè absque aliqua sui mutatione, vt explicatum est suprà, & quando ipsa res cognita est in propria sua duratione, & antequam existat, & postquam est; sicut scientia illa Dei est visionis & intuitiua dum res est actu, sic & quando res nondum est actu in propria sua duratione, est etiam intuitiua & visionis, datúrque aliqua coexistentia huius rei cognitæ ad hanc ipsam scientiam Dei, quatenus hæc Dei scientia mensuratur æternitate, cui vt inadæquatè spectatur, licet non totaliter res sit cognita dum habet suum esse proprium, & est actu, verè & propriè coexistit, præsertim cùm hæc diuina cognitio simul & semel habeatur per eandem indiuisibilem repræsentationem omnium differentiarum temporis.

II.

Articvlvs X.

Soluitur dubium ad illustrationem nostræ propositionis articulo tertio positæ.

Qværes, an factâ hypothesi, quòd omnia futura libera contingentia coexisterent ab æterno diuinæ æternitati, an talis eorum coexistentia esset prima ratio, vnde Deus illa cognoscit certò & infallibiliter.

Respondetur, non fore primam rationem; probatur: in hac hypothesi aliquid datur in huiusmodi futuris contingentibus quod nostro modo concipiendi priùs conuenit illis,
III. quàm hæc coexistant æternitati diuinæ, per quod eiusmodi futura sunt cognoscibilia: ergo cùm Deus cognoscat illud omne quod est cognoscibile etiam pro illo statu & conditione, quibus est cognoscibile: hæc coexistentia futurorum contingentium ad æternitatem Dei, & hæc eorum existentia in æternitate Dei, non erit ipsi Deo prima ratio cognoscendi illa certò & infallibiliter. Consequentia per se patet.

Antecedens probatur: actualis existentia rei in propria sua duratione priùs nostro modo concipiendi conuenit ei, quàm ipsa coexistentia, & positio eiusdem rei in aliena duratione, seu vnumquodque absolutum priùs secundùm aliquem modum existit in seipso, quàm alteri coexistat, & hæc actualis existentia rei in sua duratione propria est specialis aliqua ratio, per quam talis res existens
IV. est in se cognoscibilis certò & infallibiliter; sic enim obiicitur vt determinatè existens, & passiua cognoscibilitas fundatur in entitate, quæ hîc reperitur actuata, sed futura contingentia, vt sunt in æternitate Dei, eíque coexistunt, sicut vt sic & formaliter in aliena tantùm duratione, & vt sic habent solùm coexistentiam ad æternitatem Dei: ergo futura contingentia, vt considerata, quatenus sunt in æternitate Dei, eíque coexistunt, habent aliquid sibi proprium, ratione cuius sunt cognoscibilia priùs nostro modo concipiendi, quàm sint in æternitate, & priùs, quàm ei coexistant: ergo cùm Deus vnumquodque intelligat quamprimum illud habet in se passiuam cognoscibilitatem iuxta gradum illum

A certitudinis & infallibilitatis, quem habet ipsa existentia futurorum contingentium in æternitate Dei, eorúmque coexistentia, ad illa non erit Deo prima ratio cognoscendi illa certò & infallibiliter. V.

Articvlvs XI.

Vtrum veritas determinata futurorum contingentium liberorum absolutorum considerata antecedenter ad decretum Dei, sit prima, & adæquata ratio, ob quam Deus illa certò & infallibiliter cognoscit.

Sit hæc vnica propositio. *Veritas determinata futurorum contingentium non est prima adæquata ratio, ob quam Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia, si consideretur antecedenter ad quodcumque decretum Dei.* Propositio est sancti Thomæ hâc quæstione articulo decimo, quando ait, *futurum vt futurum non posse subiici certæ alicui scientiæ*: est etiam communis apud discipulos S. Thomæ hîc. VI.

B

Vt propositio intelligatur, notandum futura contingentia posse spectari duobus modis: primò considerando futurum præcisè secundùm id, quod præcedit existentiam rei futuræ, non supponendo vel includendo aliquid, ratione cuius determinabitur ad existendum in tali, & tali differentia temporis, verbi gratiâ, si in illo signo rationis, quod nostro modo concipiendi antecedit quodcumque decretum Dei de rebus ad extra, consi-
C deremus aliquod contingens, quod de facto eueniet aliquando: deinde futurum contingens potest considerari supposito aliquo decreto Dei; verbi gratiâ de concurrendis cum causis liberis: item supponendo, quòd eiusmodi futura sint habitura existentiam. Sensus nostræ propositionis est, determinatam veritatem futurorum contingentium in primo casu non esse primam radicem, seu rationem ipsi Deo, cur certò & infallibiliter cognoscat futura contingentia. VII.

Probatur: futurum liberum contingens consideratum illo primo modo nullam habet determinatam veritatem pro eo signo rationis & modo, quo tunc apprehenditur: ergo veritas eius determinata non potest esse ipsi Deo prima ratio cognoscendi illam certò & infallibiliter. Consequentia patet, quia non entis
D nullæ sunt affectiones seu proprietates: at passiua cognoscibilitas est quædam affectio, seu proprietas consequens rationem entis, similiter & veritas; est enim verum aliquod transcendens, quod respicit ipsum ens: ergo si hæc futura considerata hoc modo, & in tali signo rationis nullam habent determinatam veritatem, nullam etiam ex parte sui fundabunt cognoscibilitatem, nec proinde hæc contingentia, vt sic præcisè spectata poterunt esse ipsi Deo prima ratio cognoscendi illa certò & infallibiliter. VIII.

Antecedens probatur: quod secundùm præcisionem mentis abstrahit *à fore determinatè, & non fore determinatè*, illud nullam habet veritatem determinatam; veritas quippe determinata euentus, seu effectus futuri fun-

I. datur in ipsa futuritione talis effectus deter- A
minatè euentura: nam futurum contingens
ideò est determinatè verum, quia est positiuè
futurum, quòd causa eius proxima sese deter-
minet ad producendum illud in tempore fu-
turo: atqui futurum hoc liberum contingens
pro illo signo rationis antecedente quodlibet
decretum Dei de sese communicando ad ex-
tra, seu de aliquibus creandis, non est posi-
tiuè futurum: nam omnis positiua futuritio
rei cuiuscumque eiusmodi ad minus præsup-
ponit aliquod decretum Dei de sese commu-
nicando ad extra; si enim Deus nunquam sta-
tuisset communicare se ad extra; nihil esset
positiuè futurum; sed omnia & singula tunc
manerent in puro & simplici statu nudæ suæ
possibilitatis: ergo tale futurum contin-
gens sic consideratum, & pro tali statu nul-
lam habet determinatam veritatem, nec ex
II. consequenti aliquo determinata eius veritas B
potest esse ipsi Deo prima ratio cognoscendi
certò, & infallibiliter hæc contingentia fu-
tura.

Neque contra hanc nostram propositionem
obiici potest, in illo signo rationis aliquas pro-
positiones posse formari contradictorias de
eiusmodi futuris liberis contingentibus, &
vnam propositionum contradictoriarum es-
se determinatè veram, & alteram esse deter-
minatè falsam: ergo cùm nulla determinata
veritas fugiat cognitionem Dei etiam pro eo
instanti & modo, quo illa inest & conuenit suo
subiecto, Deus in tali signo rationis & instanti
cognoscet certò, & infallibiliter eiusmodi
futura liberè contingentia, scilicet futurum,
vt hæc pars contradictionis eueniat, & pro-
III. inde sit vera; hæc autem non eueniat & sit C
falsa.

Hoc, inquam, non potest obiici: nam pro
illo signo, & instanti rationis antecedente
quodcumque liberum decretum Dei de fa-
ciendo aliquid ad extra, nullæ tales sunt pro-
positiones loquendo *formaliter*; formale enim
propositionis est esse notam & signum con-
ceptuum, qui sunt in intellectu eius, qui for-
mat tales propositiones: at Deus pro illo
signo rationis nullum habet conceptum de
futuritione, vel non futuritione eiusmodi
contingentium, cuius conceptus hæ vel si-
miles propositiones sint notæ, cùm pro illo
signo rationis supponatur nihil adhuc deter-
minasse de iis, quæ posteà facturus est ad ex-
tra: vnde tunc Deus nullum potest de illis
habere certum & infallibile iudicium, quòd
IV. sint scilicet determinatè futura; nec proinde D
illa vt sic cognoscere certò & infallibiliter;
sed ad summum sunt tantummodò *materiali-
ter* propositiones, ad eum planè modum, quo
plures voces sibi succedentes efformatæ à
psittaco possunt dici propositiones: ergo nec
vna illarum est determinatè vera, nec altera
determinatè falsa.

Confirmatur, quia si pro illo instanti & signo
rationis vna pars esset determinatè vera, de-
beret euenire saltem necessitate illationis, li-
cet Deus nihil posteà statueret, & sic accipe-
ret futuritionem & existentiam, Deo non tan-
tùm nihil statuente de illa, sed etiam volente
contrarium, quod implicat.

Dices: etiamsi pro tali signo rationis nullæ
dentur propositiones sumptæ *formaliter* de
futuris contingentibus: attamen res de qui- V.
bus illæ formantur habent secundùm se, &
in seipsis vnum ex his duobus, scilicet *futuri-
tionem*, vel *non futuritionem*: nam erunt, vel non
erunt, quia nihil datur medium: ergo cùm
veritas propositionum de futuro dimetienda
sit ex veritate propositionum de præsenti, vt
suprà animaduertimus ex communi doctrina
Dialecticorum, & futurum sit, vt actualis exi-
stentia in nullo præsenti tempore conueniat
ei termino, qui esset subiectum; si vera for-
malis aliqua propositio formaretur de futuro
contingenti, tale futurum erit pro illo signo
rationis de quo loquimur, alicuius determi-
natæ veritatis, saltem in seipso: si hæc actua-
lis existentia ei conueniat in aliquo tempore
præsenti, licet nullus supponatur intellectus
sese occupare circa illam, sicut licet nemo,
etiam Deus, per hypothesim impossibilem co-
gitet de aliqua propositione sempiternæ ve- VI.
ritatis; illa nihilominus semper habet suam
veritatem: ergo & tale futurum habet etiam
cognoscibilitatem passiuam: & proinde cùm
vt sic antecedat nostro concipiendi modo
quodcumque decretum Dei de communican-
do se ad extra; prima ratio cognoscendi cer-
tò & infallibiliter futura contingentia erit
ipsi Deo determinata illorum veritas antece-
denter ad quodcumque decretum Dei.

Respondetur, hunc terminum *non futurum*
sumi duobus modis: primò purè simpliciter
negatiuè pro eo scilicet quod non habet na-
turam essendi futuri propriè dicti iuxta secun-
dum nostrum notabile, seu quod non habet
omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt aliquid
sit propriè futurum: deinde hic idem termi-
nus *non futurum* sumitur *contrariè*, seu *positiuè* VII.
pro eo, quod habet aliquid repugnans modo
& naturæ essendi ipsius futuri, quale est id
quod cùm de se, & ex suis propriis & intrin-
secis terminis est possibile, Deus tamen de-
creuit illud non fore, ratione cuius diuini de-
creti ipsum esse futurum repugnat ei. Iam illi
materiales termini seu subiecta, de quibus
formantur prædictæ propositiones, habent
pro illo signo rationis, non futuritionem, su-
mendo *non futurum* negatiuè, ad quam tamen
non futuritionem sic acceptam aliqua falsitas
determinata non sequitur, vi alicuius etiam
illationis, seu non potest inferri ex tali non fu-
turitione vniuersalis exclusio ad existendum;
quando autem dicitur nihil esse medium *inter
futurum & non futurum*, tunc hic terminus *fu-
turum* sumitur *positiuè*, quale futurum reperi- VIII.
tur tantùm in rebus post decretum Dei de
communicando se ad extra, sicut & non fu-
turum ei oppositum.

Deinde probatur hæc nostra propositio:
hîc agimus de eo, quod est ipsi Deo prima
ratio cognoscendi futura contingentia per
scientiam *visionis*, & non per scientiam *sim-
plicis intelligentiæ*, vel per aliquam aliam; sed
scientia *visionis*, quæ est in Deo respectu re-
rum ad extra, præsupponit decretum illud
Dei de communicando se ad extra, vt patet
ex dictis de illa: ergo & id, quod est ipsi Deo
prima ratio ad certò & infallibiliter cogno-
scendum hæc futura contingentia per hanc
scientiam visionis, debet similiter præsuppo-
nere hoc decretum Dei, & ex consequenti
nulla determinata veritas vel falsitas, vt se

I. habet antecedenter ad hoc decretum Dei, est ipsi Deo prima ratio cognoscendi certò & infallibiliter futura libera contingentia.

Articvlvs XII.

Vtrum veritas determinata futurorum contingentium liberorum absolutorum factâ suppositione quòd futura sint, sit Deo prima & adæquata ratio cur certò & infallibiliter illa cognoscat.

Sit hæc vnica propositio nostra. *Veritas determinata futurorum contingentium absolutorum liberorum etiam ex suppositione quòd futura sint, non est Deo prima & adæquata ratio, cur ea certò & infallibiliter cognoscat.* Probatur:
II. supposito quòd res sit habitura suam existentiam in aliqua temporis differentia priùs in aliquo signo rationis conuenit huic rei futuræ existentia, vt habenda in aliqua determinata differentia temporis, quàm ipsi eidem rei futuræ veritas determinata conueniat, quia hæc existentia est fundamentum & ratio istius determinatæ veritatis, quæ conuenit rei futuræ; quia res sic est vel erit determinata, quoad suam existentiam, sicut exprimitur: sed hæc existentia, vt sic habenda à futuro contingenti, est certò & infallibiliter cognoscibilis, quia est certa & determinata entitas, & Deus cognoscit vnumquodque cognoscibile pro eo statu & conditione, quibus est cognoscibile: ergo Deus priùs in aliquo signo rationis nouit certò & infallibiliter futurum contingens,
III. quàm nostro modo concipiendi cognouerit illud habere veritatem determinatam, & sic determinata veritas ipsius futuri non est Deo prima ratio cognoscendi certò & infallibiliter futura libera absoluta contingentia.

Confirmatur: Deus ideò cognoscit per scientiam *visionis* aliquam propositionem de futuro esse veram, quia cognoscit rem de qua hæc propositio formatur, habituram esse seu existere in tali determinata differentia temporis futuri: nam obiectum huius scientiæ, cùm illa sit merè speculatiua, supponitur eius cognitioni, & in hac scientia obiectum eius est aliquo sensu causa seu ratio cognitionis eius, vt intelligitur ex dictis de illa: ergo cùm id quòd est causa, vel ratio sit priuś eo, cuius est causa, vel ratio, prius est futurum contingens habere etiam in esse intelligibili,
IV. & obiectiuo suam existentiam, quàm habere determinatam veritatem: ergo prima ratio, cur Deus cognoscit scientiâ visionis certò & infallibiliter futura contingentia, non est ipsa eorum veritas determinata, præsupposito etiam quòd illa sint habitura aliquando suam propriam existentiam.

Tandem ex prænotatis articulo 1. in cognitione infallibili alicuius obiecti aliud est, quod in illo formaliter attingitur, seu ratio quæ attingitur per actum cognitionis, est aliquo modo distincta ab ea ratione, quæ facit, vt talis ratio attingatur primò infallibiliter: sed determinata veritas contingentis liberi absolutè futuri est ratio, quæ attingitur à Deo, dum cognoscit illud certò & infallibiliter per scientiam *visionis*, quia cognitio respicit veritatem, & verum est obiectum cognitionis:

A ergo alia ratio debet assignari in illis liberis contingentibus absolutè futuris; vnde hæc illorum veritas certò & infallibiliter attingatur, vt determinatè futura in tali, & tali differentia. V.

Articvlvs XIII.

Proponitur & explicatur nostra sententia.

Reiectis hactenus variis Theologorum sententiis, restat vt nostram aperiamus; quod hâc vnicâ propositione præstamus. *Prima & adæquata ratio cur Deus supposito aliquo suo decreto circa res ad extra, & suppositâ futuritione contingentium liberorum cognoscit illa certò & infallibiliter, coalescit ex pluribus par-*
B *tialibus simul iunctis, quarum aliæ sese tenent ex parte proximarum causarum eiusmodi contingentium: aliæ ex parte ipsorummet contingentium; aliæ tertiò ex parte modi, quo diuina essentia in ratione causæ facit ea cognoscere, seu ea obiicit cognoscenda: aliæ denique ex parte modi, quo infinita actualis intellectio Dei sese ad illa sub prædictis suppositionibus constituta terminat ab æterno.* VI.

Ex parte *proximarum causarum* est, quòd illæ, eâ temporis differentiâ, quæ importatur per verbum, quo hæc contingentia explicantur futura, sic se ad productionem illorum determinent, vt reipsa & de facto exequantur illam.

Ex parte *ipsorum contingentium* est, quòd
C hæc per suas eiusmodi causas proximas sic affectas transeant à statu contingentiæ ad statum existentiæ: & sic ad statum alicuius necessitatis, quatenus vnumquodque necessariò est, quando est. VII.

Ex parte *modi*, quo diuina essentia vt in ratione causæ particularium eiusmodi effectuum penetrata obiicit illa vt futura pro eo tempore, quo adhuc sunt futura, vt præsentia pro eo tempore, quo existant, & præterita pro eo tempore, quo desierint.

Denique ex parte *modi*, quo infinita actualis intellectio Dei sese ab æterno terminat ad illa sub prædictis suppositionibus, nimirum cognitione supercomprehensiuâ creatæ voluntatis, vt causæ proximæ eiusmodi contingentium, quatenus non tantùm perfectè cognoscit illam priusquam operetur sese in hanc & istam partem inclinare, sed etiam quòd
D in his & istis circumstantiis factâ prædictâ duplici suppositione sese de facto, liberè tamen ad hanc, & non ad istam partem determinabit. VIII.

Hæc nostra propositio sic explicata probatur: positis istis omnibus enumeratis, Deus habet certissimam & infallibilem cognitionem de absolutis liberis futuris contingentibus, dempto autem aliquo ex illis, hæc non habetur simpliciter & absolutè certa & infallibilis: ergo hæc prima adæquata ratio certitudinis, & infallibilitatis illius cognitionis, quam Deus habet de futuris contingentibus, est totum istud conflatum ex enumeratis in præsenti nostra propositione. Consequentia patet: nam illud censetur esse adæquata ratio alicuius, quo adæquatè posito in genere causalitatis requisitæ ad aliquem effectum,

I. ille statim ponitur, & quo vel totaliter, vel partialiter non posito effectus ille non ponitur, est enim mutua quædam habitudo propriæ causæ ad suum proprium effectum & econtrà: ergo si aggregatum hoc explicatum nostrâ propositione est talis conditionis, vt illo posito Deus habeat infallibilem & omnimodè certam cognitionem de absolutis futuris liberis contingentibus, & dempto aliquo ex iis, quæ ingrediuntur aggregatum istud, non habeat completè talem infallibilitatem & certitudinem suæ cognitionis de futuris contingentibus liberis; aggregatum istud erit prima & adæquata ratio certitudinis infallibilis, quæ reperitur in cognitione Dei, de istis futuris contingentibus.

Antecedens probatur: ad completam infallibilitatem & certitudinem cognitionis tria requiruntur: primò obiectum sese obiiciens
II. intellectui seu intellectioni, vt infallibiliter tale; secundò vis intellectiua proportionata tali obiecto in intelligente illud: tertiò quòd ipse intelligens penetret connexionem illam attributi cum suo subiecto, fore infallibiliter pro ea temporis differentia, quæ importatur in enuntiatione formata de tali obiecto: nam ex his tribus fit, vt scientia propriè dicta, quæ reperitur in hominibus de obiectis scientificis sit absolutè certa & infallibilis; quemadmodum intelligitur ex iis, quæ Aristoteles & omnes dialectici tradunt communiter libro 1. *posteriorum* de conditionibus ad actum propriè scientificum & ad eius certitudinem requisitis; verbi gratiâ, quando dicunt eam esse cognitionem rei, per veram & immediatam causam, & quòd ad illam requiritur, vt cognoscens sciat hanc esse causam rei, & quòd res illa non possit aliter se habere: atqui hæc
III. tria prout requiruntur ad infallibilem cognitionem Dei de futuris absolutis liberis contingentibus continentur integrè & perfectè in toto illo aggregato ex enumeratis hâc præsenti nostrâ propositione, & dempto aliquo ex illis, non est omnimodè certa talis cognitio: ergo positis omnibus enumeratis Deus habet certissimam & infallibilem cognitionem de absolutis futuris liberis contingentibus, & ex consequenti prima adæquata ratio, cur Deus cognoscit certò & infallibiliter libera futura absoluta contingentia est totum istud aggregatum.

ARTICVLVS XIV.

IV. *Ostenditur futurum liberum contingens in sensu nostræ propositionis articuli superioris habere certitudinem obiecti, vt est obiectum diuinæ cognitionis.*

VT propositio præcedentis articuli, simúlque minor vltima principalis argumenti probentur, ostendendum est primò, quòd quando causæ proximæ futurorum liberorum contingentium sese determinant ad illa producenda, vt reipsa producant, & sic de facto transeant ad actum propriæ existentiæ habent certitudinem obiecti, vt obiectum est diuinæ cognitionis.

Secundò, quòd essentia diuina, vt causa particularium eiusmodi effectuum penetrata obiicit illa cognitioni.

A Tertiò, quòd Deus habet actualem intellectionem proportionatam istis obiectis cognoscendis, & quòd hæc intellectio Dei etiam ab æterno penetrat de facto certò & infallibiliter actualem illam connexionem quam hæc contingentia habent cum futuritione: nam his tribus probatis patebit euidenter de veritate nostræ propositionis: primum duntaxat ostendemus præsenti articulo, alia duo sequentibus. V.

Probatur ergo liberum contingens futurum habere certitudinem obiecti, vt est obiectum diuinæ cognitionis hoc pacto: vbi causæ proximæ alicuius effectus etiam liberi, ita se determinant ad illum producendum, vt reipsa producant, & sic per illas transeat de facto ad actum propriæ existentiæ, tunc talis effectus vt sic habet sufficientem certitudi-
B nem in actu cognitionis requisitam ex parte obiecti, vt simpliciter est obiectum comparatione intellectus habentis lumen perfectissimum, & actualem cognitionem perfectissimam, quia in tali hypothesi effectus iste habet aliquam necessitatem essendi, cùm ita sit, vt non possit fieri, quin pro eo instanti, quo accipit existentiam, existat de facto: atqui supposito decreto Dei de sese communicando ad extra, item suppositâ futuritione horum contingentium liberorum, voluntas creata etiam agens liberè, quæ est causa proxima eiusmodi contingentium, ita sese determinat ad producendum illa, vt de facto producat, & hæc etiam de facto transeant ad actum propriæ suæ existentiæ, & ex parte cognoscentis, qui est Deus, datur perfectissimum lumen & perfectissima actualis cognitio, quam nullum obiectum cognoscibile potest fugere: ergo hæc VI.
C libera contingentia absoluta futura habent comparatione cognitionis diuinæ sufficientem certitudinem, quanta requiritur ex parte obiecti, vt obiectum est. VII.

Confirmatur: ad rationem infallibilis certitudinis in obiecto vt obiectum est, sufficit, quòd illam habeat eo instanti, quod importatur in ipsa enuntiatione de illo, seu in actu, qui de hac eius cognitione formatur, & si sit de futuro, habeat illam determinatè tempore futuro, vt patet in futuris contingentibus ab extrinseco: verbi gratiâ in eclipsi futura post annum, quæ est peritissimo Astrologo obiectum certum & infallibile alicuius actus scientifici: atqui hæc libera contingentia futura habebunt determinatè suam existentiam eo
D instanti, quod denotatur per enuntiationem formatam de illis; sunt enim determinatæ veritatis, quæ fundatur in eorum existentia, vt determinatè habenda tali instanti: quemadmodum patet ex dictis suprà; ergo hæc libera absoluta futura contingentia habent sufficientem certitudinem, quantum requiritur ex parte obiecti, vt præcisè est obiectum alicuius certæ & infallibilis cognitionis. VIII.

ARTICVLVS XV.

Soluuntur obiectiones aduersariorum contra doctrinam præcedentis articuli.

OBIICITVR primò, hæc futura vt considerantur ex parte proximarum suarum causarum habent indifferentiam ad exi-

I. stendum & non existendum; imprimis, quia voluntas vt agens liberè est earum causa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest non agere; secundò quia causa proxima futuri contingentis est adhuc indeterminata, nec actu producit suum effectum, eo instanti, quo Deus cognoscit illum certò, quia producit eum in tempore, & Deus cognoscit illum ab æterno: ergo hæc causa proxima non potest esse aliqua etiam partialis prima ratio, cur Deus cognoscit certò & infallibiliter etiam ab æterno liberum contingens futurum in aliqua temporis differentia.

Respondetur ad id quod primo loco dicitur in obiectione, libera illa futura contingentia licet secundùm se & nudè spectata habeant indifferentiam ad existendum, & non existendum, attamen prout considerantur
II. sub illa speciali habitudine, quâ voluntas creata causa illorum est in actu exercito determinata & producit illa, habent aliquam necessitatem existendi, vt Ferrariensis explicat lib. 1. *contra Gentes*, cap. 67. ad 1. argumentum contra primam propositionem: nam proxima determinatio causæ liberæ ad actum liberum à se elicitum propriè sumpta nihil est aliud, quàm ipsummet exercitium actus hoc modo liberi.

Deinde hæc libera contingentia possunt adhuc duobus modis considerari, vel secundùm modum, quo procedunt à sua causa proxima, vel secundùm quod eo ipso, quo producuntur, deperdunt indifferentiam ad non existendum: si spectentur priori modo, remanent formaliter contingentia, sicut quilibet
III. actus liber quando exercetur de facto, est & remanet adhuc liber, quia procedit à causa determinante seipsam ad illum, & liberè eum eliciente quatenus ita elicit, vt etiam potuerit tunc illum non elicere; ergo à pari, quia liber ille futurus effectus contingens producit modo contingenti à sua causa proxima, quatenus potuit seipsam impedire, ne produceret illum, vel ne illum producat, etiamsi de facto non impediat seipsam, non desinet esse & dici contingens, & sicut illa actualis determinatio, quæ per actum liberè exercitum aduenit potentiæ liberæ seu voluntati, non tollit ab ea indifferentiam essentialem libertati, vt Theologi docent 1.2. & Philosophi in ethicis: ita & in hoc casu actualis illa determinatio quæ aduenit causæ liberæ per productionem effectus contingentis liberi futuri, non tollet à tali
IV. causa indifferentiam propriè requisitam, vt tam ipsa, quàm tales eius effectus sint & appellentur contingentes.

Deinde quia inter effectus eiusmodi futuros contingentes liberos aliqui dantur imperati, seu per aliam potentiã ab ipsa voluntate eliciti ex imperio voluntatis, quia adhuc possunt non elici, vt ratio allata primo loco in hac obiectione probat, respondetur voluntatem ita pro eo statu & instanti retinere hanc indifferentiam & libertatem, quia potest non producere istum effectum, vt tamen Deus penetret quod reipsa & de facto non impediet seipsam à tali effectu producendo: sicut nouit gratiam efficacem ita mouere voluntatem ad assensum, vt licet voluntas possit dissentire ab illa, sciat tamen de facto illam non posituram dissensum, & totum istud cognoscit absque

A vllo interuentu scientiæ illius mediæ, quam V.
alij vocant *futurorum conditionatorum*, sicut fusè docebimus primâ secundæ, vbi de gratia efficaci, & adhuc patebit inferiùs; & sic patet solutio ad primam confirmationem huius obiectionis.

Ad id quod secundo loco dicitur in obiectione, concesso antecedente, negatur consequentia. Nam causæ proximæ illius eclipsis, quæ futura est post ducentos annos, nondum sunt determinatæ; & nihilominus Astrologus peritissimus potest illam certò & infallibiliter præuidere, quia nimirum penetrat connexionem omnium eiusmodi causarum cum tali suo effectu: ergo pari iure cùm Deus longè perfectiori modo penetret voluntates hominum: est enim *scrutator cordium*, & vt mox ostendetur ita perfectè comprehendat illas, vt non
B tantùm certò sciat, quid illæ possint facere in VI.
his & his occasionibus seu circumstantiis, sed etiam absolutè quid illis positis facient; & omnis eius cognitio sit ab æterno æterna vna & eadem semper manens inuariabilis, vt explicatum est suprà, fit, vt licet illæ causæ proximæ horum liberorum futurorum contingentium nondum sint determinatæ de facto, non desinat tam earum determinationem, quàm effectum contingentem illarum certò & infallibiliter cognoscere.

Obiicitur secundò: S. Thomas hîc articulo decimo tertio in corpore ait effectum contingentem vt contingentem non subdi per certitudinem alicui scientiæ: ergo ex mente sancti Thomæ liberum contingens futurum non potest habere à causa sua proxima, vt sit
C obiectum infallibilis & certæ cognitionis, VII.
qualis tamen est cognitio illa, quam Deus habet de liberis absolutis futuris contingentibus.

Respondetur, effectum contingentem posse duobus modis considerari in ordine ad causam: primò vt nulla præsupponitur determinatio esse ad talem effectum, non tantùm de facto in re, sed etiam vt talis causa obiicitur cognitioni, & tantummodo consideratur secundùm purum statum suæ indifferentiæ ad producendum cõtingenter effectum: secundò eumdem effectũ contingentem posse considerari in ordine ad proximam suam causam liberam, vt habentem aliquã in seipsa, vt obiectum est, determinationem ad producendum, effectum contingentem illum consideratum priori modo, non posse subdi certæ alicui cognitioni,
D quia vt animaduertimus etiam ex Aristotele, VIII.
cognitio certa & infallibilis debet habere certum & determinatum obiectum, vt obiectum est, seu vt obiicitur cognoscendum: at effectus contingens consideratus illo priori modo & præcisè secundùm statum contingentiæ, non est quid certum & determinatum, cùm eius status, vt sic, sit tantùm status in causa ad vtramlibet partem, qui est status puræ *indeterminationis*, vt Caietanus ad articulum decimum tertium huius quæstionis notat, vbi in rebus creatis, & etiam in effectibus contingentibus distinguit statum à natura: effectus autem contingens consideratus posteriori modo habet aliquod esse determinatum, vt est in aliquo statu alicuius determinationis, vt per se patet, & sic potest subdi certæ alicui cognitioni, secundùm quam

I. poſteriorem conſiderationem præſens diffi- A
cultas loquitur de effectu contingenti: at ſanctus Thomas relatus in obiectione loquitur de effectu contingenti conſiderato iuxta priorem modum, vt patet ex iſtis eius particulis in corpore eiuſdem articuli, *ad vtrumlibet contingens, nondum determinatum ad vnum: cauſa contingens ſe habet ad oppoſitum*, conditiones enim iſtæ & aliæ ſimiles reperiuntur tantùm in effectu contingenti iuxta primam conſiderationem.

Et hæc explicatio confirmatur ex eo, quòd idem ſanctus Thomas libro primo *contra Gentes*, cap. ſexageſimo ſeptimo in 3. ratione, vbi agit de hac difficultate præſenti, dicat Deum æquè certò cognoſcere futura contingentia in eorum cauſis completis & non impeditis, ac cognoſcit effectus noſtros in ſuis cauſis: vbi iſtæ particulæ, *completis* & *non impeditis*
II. ſignificant mentem ſancti Thomæ eſſe, effe- B
ctum contingentem hoc poſteriori modo ſpectatum ſubiici certæ ſcientiæ.

Nec eſt, quòd quis dicat iſtud ſancti Thomæ intelligi tantùm de effectu cauſarum naturalium, ſeu de contingenti ab extrinſeco, vt videtur Ferrarienſi ad illum locum; nos verò hîc agere de effectu contingenti ab intrinſeco: nam ſanctus Thomas ibi agit de cognitione ſingularium contingentium, non tantùm ab extrinſeco, ſed etiam ab intrinſeco: imò magis de his, quàm de iſtis, quia vt Ferrarienſis animaduertit ad initium iſtius capitis, agit ibi de iis ſingularibus contingentibus, quæ non paruam habent dubitationem propter eorum immutabilitatem; quod maximè habet locum in contingentibus ab intrin-
III. ſeco, cùm nulla videatur eſſe dubitatio de fu- C
turis contingentibus ab extrinſeco, vt obſeruauimus.

Adde quòd ipſemet Ferrarienſis ibidem reſpondens ad argumentum Durandi admittit effectum contingentem, vt conſideratur in cauſa impedibili, nullo tamen modo impedita, neque ante productionem, neque in ipſa productione habere vt ſic aliquam neceſſitatem: ergo & aliquam certitudinem ſufficientem ex parte obiecti, vt certò & infallibiliter cognoſcatur; & Ferrarienſis quando dictum illud S. Thomæ ait intelligi de effectu tantùm cauſarum naturalium, loquitur cum hæſitatione, & dubitanter, vtendo expreſsè hâc particulâ *fortaſſis*.

Obiicitur vltimò: futurum liberum contingens quatenus conſtituitur in eſſe obiecti per
IV. ſuam illam proximam cauſam ita determina- D
tam, vt de facto & reipſa producat illud, non habet ampliùs rationem contingentis, ſed alicuius determinati ad vnum, vt ſanctus Thomas loco citato obſeruat: at hîc agimus de infallibili cognitione contingentis vt contingens eſt: ergo determinatio illa proximæ cauſæ effectus liberè contingentis, quæ de facto illud exequitur ſeu producit, non benè annumeratur tanquam partialis aliqua ratio primæ rationis adæquatæ cur Deus certò & infallibiliter cognoſcit hæc futura libera contingentia, licet ſecundùm ſe & nudè ſpectata habeant indifferentiam ad exiſtendum & non exiſtendum ab æterno.

Reſpondetur, ex obſeruatis ſuprà ex Caietano, quod etiam facilè intelligitur ex ſancto Thoma locis citatis, ſcilicet aliud eſſe in ipſo V.
effectu contingenti ipſam propriam *naturam contingentis*, & aliud ipſum *ſtatum contingentis*, ſicut etiam patet in nobis, qui licet eandem ſemper habeamus & retineamus naturam, non tamen ſemper eundem ſtatum: fatemur ipſum effectum contingentem tranſire per hanc determinationem proximæ ſuæ cauſæ à ſtatu contingentiæ ad vtramlibet ſeu *indeterminationis*, ad aliquem ſtatum *determinationis*; negamus tamen tunc deperdere naturam contingentis propriè & formaliter dicti; ita enim procedit à ſua cauſa, vt hæc potuerit impediri & ille etiam potuerit non eſſe; quod ſufficit ad naturam contingentis propriè dicti, licet cauſa illa non ſit de facto impedita vel non impedienda, & ille ex conſequenti ponendus: & quando Theologi diſputant de cognitione Dei re- VI.
ſpectu futurorum contingentium, non diſputant de illis ſecundùm purum ſtatum contingentiæ, ſed ſecundū quod illi retinentes naturam effectuū propriè contingentium, induunt tamen ſpecialem aliquem ſtatum, in quo poſiti certò & infallibiliter cognoſcantur à Deo.

ARTICVLVS XVI.

Oſtenditur eſſentiam diuinam vt cauſam particularium eiuſmodi effectuum, obiicere illa cognitioni.

ANTEQVAM id probemus, præmittimus nos non eo ſenſu velle diuinam eſſentiam repræſentare ſingularia libera contingentia, quaſi illa ſeſe habeat ad inſtar ſpeciei impreſſæ reſpectu Dei cognoſcentis illa: ſic VII.
enim Deus cognoſceret illa per medium non cognitum, cuius contrarium patet ex iis, quæ docuimus de ea cognitione creaturarū, quam beati habent in Verbo, quæ eſt participatio quædam eius cognitionis, quam Deus habet de illis: ſed ſenſus noſter eſt, quòd immediata illa cognitio comprehenſiua, quam Deus habet de ſua eſſentia, tanquam cauſâ omnium & ſingularum creaturarum etiam in particulari, ſit eo ipſo manifeſtatiua ſingularium quorumcumque effectuum, & hoc modo diuinam eſſentiam mediatè tantùm illa repræſentare. Hoc prænotato,

Probatur hæc veritas ex dictis, tam ad quæſt. 12. quàm hîc de modo, quo Deus cognoſcit omnes res alias à ſe, & de modo, quo beati vidēt aliquas creaturas in Verbo: quod- VIII.
libet obiectum immediatè vnicâ tantùm cognitione neceſſariâ inuariabili & perfectiſſimè cōprehenſiuâ cognoſcibile non ſeipſum duntaxat obiicit & manifeſtat, ſed ſimul mediante ſui ipſius cognitione manifeſtat & facit cognoſcere vnumquodque habens ad ſe intrinſecam habitudinem pro omni ea conditione, quam hoc ſecundarium obiectum habet: at diuina eſſentia, vt actualis cauſa omnium, quæ ſunt ad extra eſt immediatè obiectum vnicâ tantùm cognitione neceſſariâ inuariabili & perfectiſſimè comprehenſiuâ cognoſcibile ipſi Deo per ſcientiam *viſionis*: item omnia & ſingula quæque futura libera contingentia habent intrinſecam habitudinem ad eſſentiam diuinam ſpectatam in ratione actualis cauſæ omnium ad extra & eſſe futurum, eſſo

I. præsens, esse præteritum sunt conditiones aliquæ conuenientes ipsis contingentibus pro diuersis differentiis temporum: ergo diuina essentia immediatè cognita in ratione actualis causæ omnium, quæ sunt ad extra, simul etiam obiicit ipsi Deo cognoscenda omnia, & singula futura libera contingentia, secundùm quamlibet sui conditionem, scilicet futuri, præsentis, & præteriti, seu diuina essentia in ratione talis causæ penetrata, & cognita à Deo per suam scientiam visionis facit, vt simul & semel, & eâdem omninò cognitione cognoscat omnia & singula hæc futura libera contingentia, secundùm conditionem futuri, præsentis, & præteriti.

Maior huius vltimi syllogismi patet ex dictis quæstione duodecimâ, & præsenti de cognitione vnius in alio, tanquam medio cognito, quæ cognitio quando est necessaria, & perfectissimè comprehensiua, debet ex tali duplici conditione ducere necessariò in cognitionem omnium, quæ habent necessariam habitudinem ad suum obiectum primarium; aliàs desineret esse necessaria & comprehensiua.

II.

Minor eiusdem syllogismi quoad primam sui partem patet ex eo, quòd suprà ostendimus Deum videre omnia in seipso etiam scientiâ visionis, seu ipsam essentiam diuinam esse immediatum eius obiectum, & Deum in illa cognita, vt habet rationem causæ cognoscere omnia: patet etiam quoad secundam partem, quæ est de conditionibus huius diuinæ cognitionis, & quidem de *comprehensiua* ex eo,

III. quòd omnis cognitio perfectissima debet esse comprehensiua omnis, & cuiuslibet sui obiecti.

Quòd item sit *vnica*, & *inuariabilis*, patet ex dictis suprà, sicut & quòd sit necessaria: licet enim scientia visionis dicatur libera, quatenus potuit sese non terminare ad hæc & ista obiecta, quæ sunt res creatæ, quia potuit Deus nihil velle creare; attamen posito decreto Dei de communicando se ad extra, & suppositâ futuritione rerum eiusmodi, illa debuit sese necessariò terminare ad hæc obiecta, ne aliquid cognoscibile fugeret istam scientiam Dei.

Similiter eadem minor patet quoad eam partem, quæ asserit *hæc futura libera contingentia, dicere intrinsecam habitudinem*

IV. *ad essentiam diuinam*, in ratione causæ consideratam; omnis enim effectus habet necessariam habitudinem ad eam causam, à qua pendet necessariò: at hæc futura contingentia sunt aliqui effectus ad extra, quorum omnium & singulorum diuina essentia est etiam causa per suam omnipotentiam.

Nec obstat, quòd aliqua futura libera contingentia non sint entia realia seu positiua, sed priuationes tantùm, vt aliqui censent de actuali peccato commissionis, & est euidens de pluribus priuationibus, quæ vel concomitantur, vel consequuntur peccatum actuale, & proinde sunt sicut & illud aliquid contingens: nam præterquam quòd ista semper habent aliquem actum posi-

A tiuum pro suo materiali, à quo non separantur, & proinde illo comprehensiuè cognito eiusmodi priuationes coniunctæ cognoscuntur, adhuc tamen non sunt absque permissione Dei, & aliqua eius circa illa prouidentia, quæ licet non imponat necessitatem voluntati, sed illam relinquat liberam ad non causandum suo modo eiusmodi priuationes; attamen vbi Deus altissimâ suâ cognitione penetrat vim & efficaciam tam auxilij sufficientis à se ipso præstiti, quàm tentationis iniectæ, & voluntatem, & quidquid est in illa, videt in quam partem sit de facto non tantùm inclinatura, sed etiam consensura, vt ampliùs mox patebit. V.

Quòd denique *esse futurum, esse præ-*

B *sens, esse præteritum*, sint aliquæ conditiones horum contingentium, de quibus agimus, est magis euidens per se, quàm sit opus probare. VI.

Quòd verò hæ conditiones contingentium debeant simul & semel, & ab æterno repræsentari, seu obiici modo superiùs explicato ipsi scientiæ visionis, patet ex necessitate & immutabilitate, tum huius scientiæ, tum etiam ex ipsa comprehensione diuinæ essentiæ in ratione actualis causæ omnium ad extra.

Sicut etiam ex eo quòd libera hæc contingentia, vt hîc agimus de illis, supponuntur futura, causæ illorum proximæ sese determinent ad productionem illorum, ita vt reipsa & de facto exequantur illam; patet: nam præsens difficultas est solùm de absolutis futuris liberis contingentibus: at ta-

C le futurum ex secundo nostro notabili dicit determinationem ad aliquando existere, iuxta existentiam verbi & temporalis eius differentiæ, quæ exprimuntur in propositione: ergo cùm vt sic non possit accipere suum existere, nisi per causam suam liberam sese ad illud liberè producendum determinantem & reipsa producentem illud eâ temporis differentiâ, quâ enuntiatur esse futurum, hæc libera futura contingentia habent, quòd certò & infallibiliter cognoscantur à Deo per suam scientiam visionis, & etiam prouenit ab ipsis eorum causis, seu à voluntate creata sese determinante ad productionem illorum, & de facto illa producente in tali temporis differentia, tanquam ex parte totalis obiecti diuinæ illius cognitionis, quam scientiam *visionis* appella- VII.

D mus. VIII.

ARTICVLVS XVII.

Ostenditur intellectionem Dei esse proportionatam istis obiectis, & ab æterno penetrare certò, & infallibiliter actualem connexionem contingentium cum sua propria futuritione.

VTRVMQVE probatur ex dictis suprà de perfectione actiuæ intelligibilitatis Dei hoc modo: nullum potest dari, imò nec concipi obiectum habere de facto aliquam passiuam intelligibilitatem pro aliqua diffe-

I. rentia etiam remotissima temporis futuri aut
præteriti, quam summa actualis intellectio
Dei per essentiam non attingat: imò & penetret infallibiliter ab æterno, quia aliàs non esset infinita in genere intellectionis, nec necessaria & inuariabilis, sed aliquid posset illam latere saltem pro illo tempore, quo obiectum istud est duntaxat futurum post durationem valde longam: & quia dum tale futurum existeret in propria differentia sui temporis deberet cognosci à Deo; tunc cognitio illa Dei reciperet aliquam mutabilitatem & varietatem, saltem quoad suam terminationem, secundùm quam tamen diximus suprà illam esse inuariabilem, quatenus scilicet ipsa rerum variatio repræsentatur ei inuariabiliter: dum vna & eadem res vnâ & eadem repræsentatione vir-
II. tualiter tamen multiplici repræsentatur ei
pro vno tempore futura, pro hoc alio præsens, & pro isto præterita: sicque fundans diuersa enuntiabilia pro differentiis diuersis illorum temporum, vt etiam explicatum est suprà: sed hæc absoluta futura libera contingentia habebunt in aliqua temporis differentia actualem passiuam intelligibilitatem sibi correspondentem, quia habebunt de facto entitatem actuatam: ergo summa actualis intellectio Dei per essentiam est ab æterno proportionata intelligendis absolutis futuris contingentibus liberis, & reipsa ab æterno cognoscit illa certò & infallibiliter.

Explicatur: tunc aliquid cognoscitur certò & infallibiliter esse vel fore tale pro hac & ista differentia temporis, quando medium
III. repræsentans seu manifestans cognoscenti,
repræsentat & manifestat infallibiliter tale, quale est, vel erit pro tali differentia, & ipse cognoscens pertingit hanc repræsentationem seu manifestationem vt sic, & cum talibus circumstantiis in particulari, quæ de facto vel iam sunt in obiecto vel erunt, quando ponetur liberè extra suas causas: atqui vt nunc ostendimus, essentia diuina in ratione actualis causæ horum contingentium penetrata à Deo etiam ab æterno ista ei obiicit cognoscenda etiam inuariabiliter ex parte sui iuxta quamlibet illam conditionem quam habebunt aliquando in aliqua temporis differentia, & hoc facit certò & infallibiliter, quia aliàs diuina essentia, vt sic cognita, non haberet loquendo propriè ratio-
IV. nem legitimi medij cogniti, sed tantùm fal-
lacis, cuiusmodi nihil est in Deo: ergo Deus ab æterno cognoscit certò & infallibiliter hæc absoluta futura libera contingentia, hoc & isto tempore habitura suam existentiam secundùm hanc & istam conditionem.

Articvlvs XVIII.

Eadem veritas alterâ ratione probatur.

Secvnda ratio pro præcedentis articuli veritatis probatione, hæc est: ad cognitionem comprehensiuam infinitè excedentem voluntatem creatam pertinet, vt illa non solùm attingat liberos eius actus,

A prout sunt illi possibiles; sed etiam, vt a- V.
ctu futuros, dummodo reipsa sint futuri: atqui Deus cognoscendo suam essentiam, vt causam absolutorum futurorum contingentium liberorum etiam comprehendit humanam voluntatem, vt proximam illorum causam: ergo seipsum cognoscendo non debet tantùm cognoscere certò & infallibiliter voluntatem creatam, omnésque eius actus liberos merè tantùm possibiles; sed etiam illos omnes & singulos actus liberos, qui reipsa erunt aliquando: ergo cùm hæc futura contingentia libera, sint de numero istorum eiusmodi actuum; Deus debet penetrando suam essentiam in ratione causæ ad extra & creatam voluntatem vt proximam causam liberorum futurorum contingentium, debet inquam, etiam cer-
B tò & infallibiliter illa vt de facto in hac VI.
& ista temporis differentia futura cognoscere.

Maior hæc vltima patet, quia ad veram duntaxat simplicem comprehensionem alicuius causæ sufficit ita penetrare illam, vt omnes eius effectus possibiles, quatenus possibiles, seu vt possunt ab illa causari, cognoscantur, & cum tanta claritate, cum quanta sunt ex se cognoscibiles, vt intelligitur ex dictis ad quæstionem 12. de vera & propriè dicta comprehensione: ergo ad supercomprehensionem, id est ad cognitionem creatæ voluntatis excedentem veram eius comprehensionem simpliciter dictam requiritur, vt illa attingat etiam omnes & singulos actus eius liberos reipsa futuros pro ea temporis differentia, in qua erunt & pro
C variis conditionibus, quas etiam habebunt VII.
in variis differentiis temporis: ergo cùm Deus supercomprehendat voluntatem creatam, debet etiam hæc libera futura contingentia certò & infallibiliter ab æterno cognoscere, prout ipsa erunt in suo tempore.

Confirmatur: hæc supercomprehensio debet excedere comprehensionem veram; attamen simpliciter talem, non tantùm ex parte cognoscentis & modi eius, sed etiam ex parte obiecti: ita vt quæ Angelus comprehendendo nostram voluntatem cognoscit tantùm vt possibilia; Deus cognoscat certò & infallibiliter vt futura, vel non futura.

Explicatur: ad rationem veræ comprehen-
D sionis sufficit ex parte obiecti & modi te- VIII.
nentis se ex parte eius, quòd attingatur secundùm modum illum, quo ex se & naturali sua conditione postulat perfectissimè cognosci: & omnis alia perfectio, quæ potest interdum reperiri ex parte cognoscentis & modi eius cognoscendi, non variat loquendo propriè rationem comprehensionis, cùm ad illam, vt sic, hoc vtrumque habeat se per accidens, vt potest animaduerti in actu sapientiæ, quem secundùm propriam suam rationem & essentialem perfectionem, Angelus & homo elicient circa idem obiectum eodem planè modo ex parte sui & cum illa perfectione, quâ cognosci postulat: atqui comprehensiua illa cognitio, quam Deus habet de voluntate creata in ratione obiecti perfectissimè penetrata est alterius longè perfe-

I. ctionis etiam considerata secundùm suum obiectum, & penes modum sese tenentem ex parte illius, quàm sit illa comprehensio eiusdem voluntatis creatæ, quam supremus aliquis Angelus potest habere; longè enim melius penetrat vnumquodque secundùm id, quod in seipsa continet virtute; cuiusmodi sunt liberi etiam actus de facto eliciendi: ergo cùm Angelus naturali suo lumine possit comprehensiuâ cognitione comprehendere omnes actus liberos humanæ voluntatis, vt possibiles naturaliter; Deus ipsâ cognitione perfectissimâ, quam habet de tali voluntate, non tantùm illos cognoscet, vt possibiles, sed etiam certò & infallibiliter, vt futuros in sua differentia temporis suppositâ eorum futuritione.

II.

ARTICVLVS XIX.

Tertia ratio proponitur pro eadem veritate.

RATIO tertia est talis: quicumque habet ab æterno omnipotentissimam voluntatem ad faciendum, vt creata voluntas exerceat in tempore actum aliquem liberè & tamen indeclinabiliter & insuperabiliter, is debet simul certò & infallibiliter nosse, quòd hæc creata voluntas sic affecta, eliciet de facto talem actum, & non solummodo quòd potest illum elicere, vel quod est magna coniectura & admodum probabilis, quòd de facto illum eliciet: hic enim vterque modus
III. posterior cognoscēdi non correspondet prædictæ eius volitioni omnipotentissimæ, quâ vult talem actum liberè quidem, sed tamen indeclinabiliter & insuperabiliter tali tempore exerceri: imò arguit in tali volente imperfectionem oppositam prouidentiæ, quòd scilicet decreto suæ voluntatis velit efficaciter & absolutè aliquem actum elici, quem tamen non scit certò, sed tantùm coniecturaliter & probabiliter esse ponendum de facto.

Deinde in agente prudentissimo, & omniscio scientia & volitio efficax sibi correspondent, cùm sit agens non tantùm per voluntatem, sed etiam per intellectum: atqui Deus habet ab æterno omnipotentissimam suam voluntatem ad faciendum, vt aliqua creata voluntas, puta hominis prædestinati, exerceat tali temporis differentiâ actum suæ
IV. conuersionis ad Deum, quo consentit de facto efficaci gratiæ vocanti liberè quidem, sed tamen insuperabiliter & indeclinabiliter, vt sanctus Augustinus passim docet disputando contra Pelagianos, & nos etiam fusè docebimus primâ secundæ agendo de gratia efficaci: ergo Deus in tali hypothesi non tantùm cognoscit, quòd homo sic vocatus potest respondere tali gratiæ, sed etiam quòd de facto respondebit: ergo Deus ab æterno non tantùm cognoscit liberos actus, quos voluntas creata potest elicere, sed etiam determinatè, & in particulari cognoscit certò & infallibiliter, quos de facto voluntas creata eliciet in tempore: ergo quemadmodum in hoc casu Deus penetrando vim & efficaciam suæ gratiæ vocantis, quam efficaciter vult dare

A in tempore & ex perfectissima cognitione voluntatis creatæ, vt sibi Deo summè subiectæ cognoscit certò & infallibiliter istam voluntatem post mille annos elicituram de facto, liberè tamen hos & istos actus in particulari; sic etiam idem Deus penetrando vim & energiam cuiuscumque dispositionis & excitationis ad exercendum quemlibet actum liberum: item & voluntatem creatam sibi in omnibus subiectam ab æterno cognoscet certò, & infallibiliter omnes, & quoscumque actus liberos, quos voluntas creata exercebit etiam in qualibet temporis differentia. V.

Neque potest responderi primò futuritionem istorum actuum liberorum, quibus homo respondet gratiæ vocanti, præuideri certò & infallibiliter per scientiam illam me-
B diam, quam nonnulli vocant *futurorum conditionatorum*: deinde non esse parem rationem eiusmodi consensus in gratiam vocantem, ac omnium aliorum futurorum contingentium actuum liberorum, cùm Deus semper sit causa eiusmodi consensus, & velit illum efficaciter: at inter libera futura contingentia multa dantur, quorum ipse non est auctor, & quæ ei omninò displicent; cuiusmodi sunt singuli actus peccaminosi, quos voluntas creata de facto liberè exercet in aliqua temporis differentia: hoc, inquam, non potest responderi. VI.

Non primum, quia citato nunc loco de gratia fusè docebimus, tam ex sancto Augustino & aliis Patribus, quàm ratione fundatâ in Scripturis sacris, Deum in opere prędestina-
C tionis, & in dispensatione aliorum beneficiorum gratię nullomodo fuisse vsum hâc scientiâ mediâ, illam ad id fuisse inutilem; imò & arguere imperfectionem in eo, qui operatur ex illa. Deinde sanctus Augustinus locis ibi citatis semper refundit futuritionem eiusmodi actuum in omnipotentiam diuinæ voluntatis vtentis his, & istis mediis potentissimis, & habentibus à se, seu ab intrinseco summam suam efficaciam. VII.

Secundum etiam non potest dici: nam vt iam animaduertimus, licet Deus alio modo velit istum efficacem consensum in gratiam vocantem, & alio modo actus peccaminosos; istum voluntate *beneplaciti*, hos *permissiuâ* tantùm voluntate: est tamen semper eadem ratio quoad radicem certitudinis, & infallibilitatis, in cognoscendo illos: nam cùm diuina voluntas non agat sine cogni-
D tione præuiâ, vel comite, sicut ex summa illa penetratione gratiæ, quam offert ei, quem vocat, & summæ subiectionis, quam creata voluntas habet ad eum, cognoscit certò & infallibiliter hunc actum esse reipsa exercendum in tali tempore; sic etiam quia Deus perfectè penetrat quænam sint vires tentationis iniectæ ad peccandum, quâ homo prouocatur ad peccatum, & summa illa subiectio voluntatis creatæ ad Deum est secundùm quodcumque genus, tam cognitionis, quàm efficientiæ & causalitatis; hæc illorum penetratio erit ipsi Deo radix, cur non minus certò & infallibiliter cognoscat ab æterno omnes & singulos actus peccaminosos, quos ipsa voluntas de facto committet, quàm alios actus studiosos. VIII.

I. Atque totum istud ampliùs confirmatur ex dicendis loco citato de efficacia gratiæ; quæ enim argumenta ibi ostendunt certitudinem diuinæ cognitionis circa illam fundari in summa comprehensione auxilij efficacis & humanæ voluntatis (eâdem seruatâ proportione) possunt idem ostendere circa cognitionem futurorum liberorum contingentium.

DISPVTATIO VIII.

De scientia Dei circa futura contingentia libera conditionata.

II. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus cognoscat futura libera contingentia conditionata.

PRÆMITTENDVM est, hæc futura conditionata esse duplicis generis: primum genus est eorum quæ aliquo modo respiciunt ordinem, siue gratiæ, siue naturæ, quem Deus de facto selegit, quatenus sunt talia, vt si conditiones quibus hæc contingentia afficiuntur fuissent positæ, practica etiam eorum veritas fuisset subsequuta: alia sunt quæ non respiciunt hunc ordinem, sed alium quem Deus poterat per absolutam potentiam instituere.

III. Notandum secundò, cognitionem horum futurorum posse duobus modis considerari, nimirum *speculatiuè* & *practicè*, & præsentem quęstionem posse moueri iuxta vtrumque modum, quòd hæc scientia, vt *practicè* consideratur, non sit in Deo, fusè ostendemus agẽdo de gratia efficaci: solùm restat hîc explicãdum, an spectata speculatiuè prout hęc futura dicunt aliquam connexionem inter dictum & conditionem, supposito aliquo conditionali decreto Dei, dicãt aliquam veritatem, & ex consequenti aliquam cognoscibilitatem passiuam, quæ attingatur à Deo: nam quod spectat ad illa conditionata quorum fit mentio in sacris Litteris, quia de facto respiciunt hunc ordinem gratiæ electum à Deo, pertinent propriè ad illam scientiam Dei, quam appellamus *visionis*, vt ostendemus loco citato.

IV. Quod itaque ad cognitionem speculatiuam conditionatorum contingentium spectat, duæ sunt sententiæ; vna negans. Melior tamen est affirmans, quam hâc propositione explicamus.

Sit hæc propositio. *Deus certò & infallibiliter cognoscit omnia futura libera contingentia conditionata.* Ita Abulensis quæstione decimâ tertiâ ad caput vigesimum tertium libri primi Regum. Item Dominicus Soto libro tertio *summularum* capite octauo sectione tertiâ: eamdem sententiam à fortiori amplectuntur omnes illi recentiores, qui existimant Deum in communicandis, & distribuendis beneficiis gratiæ fuisse de facto vsum hâc cognitione.

A

V. Probatur in sensu à nobis proposito. Primùm auctoritate sancti Augustini libro *de prædestinatione Sanctorum* capite nono, vbi cùm Semipelagiani contenderent eum suis responsionibus ad sex quæstiones paganorum, admittere Deum fuisse vsum hâc scientiâ in distributione donorũ gratiæ, id expressè negat, & ait se loco illo dixisse tantùm quod sufficiebat ad solutionem quæstionis ibi propositæ à paganis, nimirum Deum & Christum Dominum sciuisse aliqua ex his conditionatis; & quinam fuissent credituri in eum ex iis apud quos prædicasset, si voluisset apparere anteà hominibus, quàm de facto apparuit per mysterium Incarnationis.

B

VI. Referuntur etiam ab aliis aliquot alia eiusdem sancti Augustini, & aliorum Patrum testimonia; sed quæ ex antecedentibus & consequentibus possunt facilè intelligi procedere de eo ordine in quo nunc sumus, & sic pertinere tantùm ad scientiam visionis.

Potest etiam probari ex his omnibus, quæ passim Theologi disputant circa mysterium Incarnationis, vt futurum primo parente non peccante: item ex iis, quæ ibidem tradunt de ipsa vnione hypostatica facta cum humana natura constituta, & remanente in solis suis naturalibus perfectionibus, & id genus quampluribus aliis, de quibus ibi disputant, & vnam ex duabus contradictoriis probant tanquam veram.

C

VII. Probatur etiam ratione: propositio conditionata differt tantùm ab absoluta, quòd habeat conditionem: ergo quemadmodum absoluta habet veritatem determinatam purè & simpliciter, & hæc eius veritas determinata est ipsi Deo optimè cognita; sic etiam conditionata propositio habebit aliquam veritatem; sed duntaxat determinatam sub conditione ei apposita, & ex consequenti certò, & infallibiliter cognoscetur à Deo futura, si hæc eius conditio ponatur de facto.

D

VIII. Deinde supposito decreto Dei de communicando se ad extra, possunt dari duæ propositiones contradictoriæ de eiusmodi futuris conditionatis, & extrema illarum sunt etiam possibilia quoad connexionem inter se; & supposito ipso decreto Dei verum est dicere, quòd vna illarum erit, si hæc conditio ponatur, altera minimè: ergo cùm nullum verum cuiuscumque sit generis, siue absolutum, siue conditionatum possit latere Deum; aliàs enim non esset summè intelligens, nec esset eius intellectio infinita, Deus debet cognoscere hæc futura conditionata.

Tandem aliquæ ex his rationibus, quibus suprà ostendimus Deum cognoscere libera contingentia absoluta futura, possunt accommodari præsenti propositioni, vt quilibet potest facilè animaduertere.

I.

Articvlvs II.

Soluuntur duo fundamenta contrariæ sententiæ.

PRimvm est, quòd ex regulis Dialecticorum veritas propositionis conditionatæ consistit in bonitate & valore consequentiæ, seu illationis, sed consequentia quæ in eiusmodi propositionibus infertur ex antecedenti non est bona: tum quia eius oppositum potest stare cum antecedenti seu euenire, licet illud quod significatur per antecedens ponatur: tum etiam quia si talis consequentia esset bona iam esset necessaria, & non ampliùs contingens, qualem nihilominùs opposita sententia supponit illam remanere.

II. Respondetur, propositiones de futuro contingenti conditionato habere aliquam determinatam veritatem, quia significant determinatum aliquod tempus, quo si conditio illis apposita compleretur, fieret de facto, quod per illas enunciatur.

Ad rationem in contrarium respondetur concessâ maiore, negando minorem, ad cuius probationem respondetur distingui duplicem illationem seu consequentiam apud Dialecticos: vnam *formalem, materialem* alteram; prior est, quæ vi formæ concludit cuicumque materiæ applicetur: posterior, quæ solummodò nititur particulari connexione consequentis cum suo antecedente desumpta ex speciali aliqua conditione, & habitudine consequentis ad antecedens, inter quas eiusmo-
III. di consequentias hæc est distinctio, quòd prior dicat vnum esse aliquo modo causam alterius, scilicet antecedens ipsius consequentis; vnde vocatur propriè illatiua consequentia; posterior verò dicat tantùm concomitantiam vnius cum altero, seu futurum, vt quod significatur per consequens ponatur ad existentiam antecedentis, si conditio ibi posita adimpleatur, non quidem præcisè & formaliter vi ipsius antecedentis, vt præcisè sumpti, sed per aliquã liberam determinationem alicuius; vnde in propositionibus hypotheticis, quæ formantur de illis particula conditionalis loquendo propriè sumitur potiùs concomitanter, aut per modum alicuius signi, quàm illatiuè, aut formalis & veræ consecutionis; verbi gratiâ aliquis dicat alteri; si venisses mecum, hoc vel istud habuisses, iam in propositionibus de liberis contingentibus fu-
IV. turis sub conditione, consequentia seu illatio non est formalis, sed materialis tantùm; non enim affirmant necessariam consecutionem vnius ab alio, quæ fundetur in ipsa forma & modo inferendi vnum ex alio, de qua tamen formali illatione hæc ratio primi huius fundamenti procedit: at illatio seu consequentia, quæ reperitur in his propositionibus de liberis contingentibus futuris sub conditione significat tantùm talem esse concomitantiam, vel etiam connexionem cuiuscumque illa sit generis inter rem tali propositione enunciatam, & ipsam eius conditionem, quòd si conditio reduceretur ad actum, ipsa etiam res enunciata esset futura, contingenter tamen, & per liberam determinationem causæ suæ liberæ: sicque affirmat tantùm hunc effe-
A ctum fuisse de facto coniungendum cum isto antecedente, si eius conditio ei fuisset apposita, & de hypotheticis propositionibus huius secundi generis prædicta regula Dialecticorum non intelligitur. V.

Ex quo fit, vt earum veritati non obstet, quòd absolutè & simpliciter loquendo oppositum consequentis possit stare cum antecedenti, vt patet in propositione hypothetica nunc allata in exemplum: nam hæ propositiones enuntiant tantùm, quod de facto continget conditione reductâ ad actum, non autem quod absolutè & simpliciter sit impossibile rem aliter euenire: nam hæc duo sese benè compatiuntur, hoc & illud fiet de facto, & non est absolutè impossibile eius oppositum fieri, vt videre est in iis contingentibus liberis, quæ sunt absoluta futura, ex quo patet
B solutio ad primam confirmationem rationis ibi allatæ pro minori. VI.

Ad secundam confirmationem, respondetur ad summum illam esse duntaxat veram de formali illatione.

Deinde respondetur etiam in formali illatione hæc duo distingui, nec vnum eorum inferre necessariò aliud, formalem consequentiam seu illationem esse bonam & talem consequentiam seu illationem esse necessariam: nam in materia probabili & etiã in contingenti, tam de futuro, quàm de præsenti multæ dantur formales eiusmodi illationes & consequentiæ, quæ tamen loquendo absolutè non sunt necessariæ, sed tantùm probabilés; verbi gratiâ, hæ consequentiæ & illationes, si diligenter studueris euades doctus, & si ma-
C ter est diligit filium, sunt hypotheticæ, nec tamen adimpletâ conditione sunt absolutè & simpliciter loquendo necessariæ; fit enim interdum, vt aliquis egregiam nauet operam litteris, attamen defectu alicuius alterius non euadat doctus: item vt mater non diligat proprium filium; quin potiùs odio habeat: ergo cùm in præsentibus propositionibus consequentia, & illatio sit tantùm materialis, vt ostendimus, illarum consequentiæ multò minus debent esse necessariæ, sed sufficit, quòd proportionatè ad suam conditionem sint tantùm probabiles & contingentes, quæ tamen, vt penetrantur à diuina intellectione comprehendente modo perfectissimo suam diuinam essentiam in ratione causæ, attingantur certò & infallibiliter secundùm id, quod conditione reductâ ad actum essent reipsa & de facto, vel non essent. VII.

D Alterum fundamentum est, quòd non sit potior ratio cur aliqua propositio hypothetica de conditione pertinente ad rem, sit determinatè vera, quàm aliqua alia propositio de conditione penitus disparata, & omninò impertinente seu nihil conducente ad antecedens ipsius propositionis, cuiusmodi est hæc propositio, si Ioannes ludit hodie, Petrus cantabit post annum; nam sicut res significata per hanc sequelam in hac propositione est omninò indifferens ad ipsum eius antecedens, sic etiam in priori propositione sub conditione pertinente seu faciente ad rem: atqui hypothetica propositio de conditione disparata est determinatè falsa, quia bonitas seu veritas hypotheticæ propositionis significat illationem partis posterioris ex priori, quæ tamen VIII.

I. hîc nulla est: cùm omnis talis illatio fundetur in connexione vnius cum alio, quæ connexio nulla hîc reperitur: ergo hæc futura contingentia sub conditione non sunt alicuius determinatæ veritatis: ergo cùm illud omne quod à Deo cognoscitur debeat habere aliquam veritatem determinatam, Deus non cognoscit hæc futura contingentia conditionata sub conditione etiam pertinente ad rem.

Respondetur negando maiorem, cuius negationis hæc est ratio, quòd in propositionibus de futuro contingenti sub conditione spectante ad rem detur quædam connexio cum ipsa conditione apposita propositioni, quatenus causa ponet hunc effectum, si hæc conditio ponatur; sicque ibi reperitur aliqua dependentia saltem in ratione signi, vt in illo
II. quarti libri Regum capite decimo tertio, *si percussisses quinquies*, &c. vnde ex eo potest inferri aliud saltem materiali consequentiâ: at in propositionibus hypotheticis sub conditione disparata vna res per illas enuntiata non importat talem connexionem, quâ suppositâ tali conditione, res alia significetur aliquo modo dimanare seu poni; ideóque tales propositiones hoc modo consideratæ sunt omninò falsæ, cùm consequentia illarum significetur habere aliquam dependentiam, & connexionem cum antecedenti, quam tamen de facto nullam habet, & hoc tantùm probat secunda illa ratio: vnde loquendo propriè propositiones istæ non sunt appellandæ *conditionales*, sed potiùs *temporales*, quatenus significant solam coexistentiam duarum rerum in ordine ad eandem durationem, vel positio-
III. nem rerum duarum in distinctis temporibus, quâ tamen ratione spectatæ, cùm vt sic habeant aliquam veritatem determinatam, & ex duabus vna illarum sit vera, possunt etiam vt sic cognosci à Deo.

ARTICVLVS III.

De modo quo Deus certò & infallibiliter cognoscit hæc futura contingentia.

QVOD spectat ad modum quo Deus certò & infallibiliter cognoscit hæc futura conditionata, ille est proportionaliter idem cum eo, quo præcedentibus articulis diximus Deum cognoscere certò & infallibiliter absoluta futura libera contingentia: vnde quæ ibi
IV. diximus possunt hîc applicari, & iisdem fundamentis & rationibus seruatâ proportione stabiliri: nam essentia diuina comprehensiuè cognita in ratione causæ obiicit cognitioni diuinæ, seu facit vt diuina intellectio sese terminet ad omnia possibilia secundùm quemlibet modum possibilitatis eorum, & quomodo positis his & istis conditionibus causæ proximæ tali & tali tempore, his & istis circumstantiis sese determinent ad producendum hos & istos effectus contingentes sub conditione; imò quomodo reipsa illos producerent, similiter quomodo effectus illi adimpletâ conditione transirent ad aliquem statum determinationis & necessitatis cuiusdam accipiendo existentiam sibi correspondentem:

A hæc autem futura conditionata sunt loquendo præcisè aliqua possibilia: tum quòd proprij eorum termini nullam importent inter se repugnantiam, cùm nihil repugnet id quod exprimitur per sequelam in istis conditionatis propositionibus poni cum eo, quod significat antecedens, vbi & quando conditio illi apposita de facto ponetur: tum etiam quia appellantur futura sub conditione; at futurum quodlibet est alicuius rei possibilis ad minus eo modo, quo enuntiatur futurum, dicit enim aliquam habitudinem ad obtinendum ipsum esse existentiæ, excluditque vniuersalem negationem existendi pro omni tempore, vt annotauimus: ergo futura ista conditionata habent sufficientem necessitatem quantum requiritur ex parte obiecti, vt aliqua certa & infallibilis cognitio habeatur de illis. V.

B Deus etiam habet vim sufficientem ad penetrandum illa secundùm eum statum considerata, & ad percipiendum quæ & qualis sit connexio, & dependentia consequentis & consequentiæ, cum ipso antecedenti eiusmodi propositionum, & etiam rationes superiùs allatæ possunt id ostendere, si applicentur his futuris conditionatis: ergo Deus simili modo seruatâ tamen proportione cognoscit certò & infallibiliter futura contingentia libera absoluta. VI.

Et quamquam admittamus in Deo cognitionem istorum futurorum conditionatorum, non propterea tamen censemus tertiam aliquam scientiam distinctam propriè à scientia simplicis intelligentiæ esse admittendam in Deo, quæ distinctionis gratiâ appelletur *media*; nam diuisio scientiæ diuinæ est tantùm
C per distinctam habitudinem ad sua obiecta, vt suprà docuimus: at habitudo diuinæ cognitionis ad hæc futura conditionata, vt sic præcisè est tantùm ad aliquid vt possibile, quia nunquam de facto existent, nec vnquam existerent, nisi Deus alium ordinem ab eo qui nunc est, seligeret. VII.

Nec obstat quòd hæc contingentia enuntiêtur futura sub conditione, quia etiam vt sic nunquam egrediuntur rationem possibilium, cùm nunquam sint habitura existentiam; sed eam duntaxat possunt habere: ergo hæc obiecta propriè pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ, & vt talia per illam cognoscuntur à Deo.

D
DISPVTATIO NONA. VIII.

De scientia Dei circa non entia.

NOTANDVM est, nomine *non entium* quatuor posse intelligi: primò ea, quæ sunt tantùm in potentia, vt sunt omnes creaturæ possibiles, quatenus sunt tantùm possibiles: secundò quę dicunt aliquam repugnantiam & impossibilitatem: tertiò negationes & priuationes: quartò & vltimò entia rationis.

I. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus cognoscat possibilia & repugnantia, & quomodo.

PRIMA propositio. *Deus cognoscit non entia primi generis*, id est, *omnes & quaslibet creaturas possibiles distinctâ cognitione*; ita omnes Theologi communiter: & probatur ex dictis: nam quicumque cognoscit comprehensiuè diuinam essentiam, cognoscit omnes res possibiles, quia comprehensiua cognitio includit cognitionem eorum omnium, quæ sunt in obiecto cognito, & eorum quæ habent essentialem & necessarium ordinem ad obiectum sic cognitum: atqui Deus cognoscit comprehensiuè suam essentiam, vt suprà
II. ostendimus, & omnes creaturæ possibiles continentur in essentia diuina, ex dictis ad quæstionem quartam huius partis, & secundùm illud esse, quod possunt habere in seipsis, dicunt necessarium ordinem ad Deum, vt primam causam illarum, sine qua nullomodo possunt poni in rerum natura: ergo Deus cognoscit distinctè omnes creaturas possibiles.

Potest tantùm esse difficultas de duobus: primum est quonam modo cognoscat illas: alterum est cùm hæc possibilia sint infinita, vtrum Deus videat illa, vt actu infinita; & vtrum videat hoc & illud, vt determinatè vltimum. Prius istorum duorum est superiùs explicatum, quando ostendimus omnipotentiam Dei esse id in quo tanquam cognito Deus primò cognoscit creaturas. Posterius
III. omninò coincidit cum illa difficultate, quam omnes Philosophi communiter ex professo disputant ad tertium librum *Physicorum*, agentes de infinito, nimirum an Deus cognoscat infinitum *categorematicum*; an solùmmodò *syncategorematicum*; imò explicando istam difficultatem, & hanc nostram terminis expressis simul etiam exponunt, vt videre est apud Conimbricenses ad caput octauum libri tertij *physic.* quæstione quartâ, & alios recentiores, vt Ruuium ad eundem locum tractatu secundo quæstione secundâ: Murciam ibidem disputatione secundâ quæstione vltimâ, & alios ad eundem locum Aristotelis: vnde prout vnusquisque sentiet de ista difficultate philosophica idem sibi formabit iudicium de præsenti difficultate.

IV. Secunda propositio. *Deus cognoscit non entia secundi generis.*

Probatur: Deus cognoscit quidquid potest fingi ab intellectu creato, quia nouit illum comprehensiuè: at creatus aliquis intellectus potest fingere eiusmodi non entia, vt experientia docet.

Tertia propositio. *Deus non cognoscit ista non entia secundi generis in seipsis, quasi illa terminent eius cognitionem: sed cognoscit illa per dissensum, scilicet cognoscendo terminos constitutiuos entium impossibilium, non posse habere realem inter se coniunctionem.* Ita Capreolus in primum sententiarum distinctione 38. quæstione 4. & recentiores communiter ad articulum nonum quæstionis 14. huius partis.

Prior pars probatur. Cognitio rei in se fundatur in cognoscibilitate ipsius eiusdem rei,
A & hæc in ipsa eius entitate: atqui eiusmodi non entia seu impossibilia nullam habent entitatem etiã possibilem; aliàs enim non essent ampliùs impossibilia: ergo neque possunt fundare aliquam sui cognoscibilitatem: ergo neque potest alia cognitio dari etiam in Deo, quæ terminetur ad illa in seipsis. V.

Confirmatur ex illo vulgari, quod non est, non potest sciri, nimirum in se ipso & eâ cognoscibilitate, quam in seipso habeat, non autem cognoscibilitate, quæ fundetur in alio, vt patet de negationibus & priuationibus.

Posterior item pars eiusdem propositionis proba..r: illud censetur cognosci *per dissensum* seu negando, & non affirmando, quod illo vno simplici intuitu quo extrema eius apprehẽduntur, vnum extremorum intelligitur
B dissentire alteri, seu negatur posse coniungi cum alio secundùm realem entitatem & coniunctionem: atqui eo ipso, quo Deus simplici intuitu apprehendit extrema entis impossibilis, intelligit vnum dissentire alteri, seu iudicat vnum non posse coniungi alteri secundùm realem suam entitatem: ergo Deus cognoscit ista non entia seu impossibilia per dissensum. VI.

Confirmatur: omnis perfecta cognitio apprehensiua, qualis est cognitio Dei, est etiam simul iudicatiua: ergo aut per affirmationem, quâ vnum iudicetur conuenire alteri, aut per negationem, quâ negetur ei conuenire: at impossibilia non possunt cognosci priori modo; talis enim cognitio esset mera quædam deceptio: ergo Deus cognoscit tantùm impossibilia per dissensum, seu quatenus penetrando ipsa extrema impossibilium videt & iudicat
C vnum dissentire alteri. VII.

Hinc inter Deum cognoscentem impossibilia, & nos etiam illa cognoscentes hæc est differentia, quòd nos intelligamus ea per modum possibilium, & ita de illis philosophemur, ac si essent vera entia: Deus autem non aliter quàm sint, ac proinde per modum non entium, penetrando perfectissimè eorum extrema, quorum vnum in seipso importat negationem, vel incompossibilitatem cum alio; & proinde vnum non posse esse aliud, vel cum alio quopiam componere quoddam tertium; vnde talis cognitio non æquè primò sese terminat ad impossibilia, vt impossibilia, ac terminat se ad eorum extrema, licet istud totum fiat vnico simplicissimo intuitu: sed talis cognitio respicit magis proximè affirmatiuam propositionem, scilicet hoc esse talis & talis
D naturæ, & veluti ex consequenti non posse huic & isti coniungi; sicque ex istis duobus extremis posse tantùm resultare ens aliquod impossibile. VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus cognoscat priuationes, negationes, entia rationis, & quomodo.

PRIMA propositio. *Deus cognoscit non entia tertij generis, seu priuationes & negationes per formas sibi oppositas: ideòque si priuationes istæ & negationes sint entium vt duntaxat possibilium, cognoscuntur à Deo per scientiam* simplicis intelligentiæ: *si autem sint entium actu existentium, per scientiam* visionis. Tota

I. propositio patet ex dictis suprà; nam eadem est scientia obiectorum sibi inuicem oppositorum: deinde ex sancto Thoma hâc quæstione decimâ quartâ articulo decimo, Deus comprehendens naturas rerum & existentias illarum simul necessariò cognoscit quidquid potest illis accidere corrumpens illas, vel excludens: atqui Deus per scientiam *visionis* comprehendit res creatas, quæ habent esse in aliqua temporis differentia, & negatio & priuatio possunt illis aduenire, vt per se constat: ergo Deus eâdem scientiâ visionis, quâ videt formas existentes videt negationes & priuationes illis oppositas, & hoc idem argumentum potest fieri pro ipsis negationibus & priuationibus, prout opponuntur formis rerum duntaxat possibilium.

Est autem hoc discrimen inter modum, quo
II. Deus intelligit priuationes & negationes, & modum nostrum illas intelligendi, quòd nos concipiamus illas ad modum entium positiuorum; verbi gratiâ tenebras, tanquam interuallum quoddam obscurum: item apprehendimus cæcitatem, velut aliquam formam inexistentem oculo impedientem perpetuò actum visionis, quo tamen modo priuationes & negationes non se habent à parte rei; Deus autem illas non apprehendat vel intelligat aliter, quàm sint à parte rei, nimirum quatenus sunt meræ quædam negationes terminorum sibi oppositorum.

Secunda propositio. *Deus cognoscit non entia quarti generis*, id est, *ipsa entia rationis.* Ita omnes communiter.

Probatur: Deus cognoscit id omne, quod
III. est cognoscibile & eo modo, quo eius cognitio nullam importat imperfectionem: atqui ens rationis est quoddam cognoscibile: nam Dialectici agunt de eo, vt est tale: & eius cognitio potest haberi à Deo per illam cognitionem comprehensiuam, quam habet de omnibus actionibus intellectus humani, quarum vna est ipsa formatio & cognitio entis rationis: & hic modus nullam dicit imperfectionem, quia nihil dicit fictum ab intellectu diuino: sed tantùm id, quod est fictum ab humano intellectu obiici diuino & ab illo, vt comprehendente humanum intelligi: ergo Deus cognoscit entia rationis.

An autem Deus possit formare aliquod ens rationis pendet à vera definitione entis rationis: nam si tota eius essentia constituatur in
IV. solo esse *obiectiuè* in intellectu absque eo, quod fingatur ab illo & concipiatur ad modum veri alicuius entis; Deus rectè dicetur efformare illa, vt patet ex ratione nostræ conclusionis: si autem essentia entis rationis præter ipsum obiici intellectui postulet fingi ab illo, & concipi ad modum veri entis; Deus nulla efformat entia rationis, quia iste modus concipiendi aliquid, dicit imperfectionem in eo, qui sic intelligit: in quo autem istorum vera ratio entis rationis consistat, Philosophi disputant ex professo in Dialectica & metaphysica.

A

DISPVTATIO X. V.

De scientia Dei prout est causa rerum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum scientia Dei sit causa rerum, & quænam scientia.

SACRÆ Scripturæ passim tradunt scientiam Dei, esse causam rerum omnium creatarum Psalmo 103. *omnia in sapientia fecisti.* Psalmo 135. *qui fecit cælos in intellectu*, id est, per sapientiam, vt glossa ibi explicat: item Sapientiæ septimo, *omnium artifex docuit me sa-*
B *pientia*, & alibi passim: idem Aristoteles docet VI.
libro 12. *metaph.* cap. 2. & 8. & omnes Theologi communiter: & fauet ratio, modus agendi perfectissimus debet competere primæ causæ omnium perfectissimæ: atqui Deus est prima causa perfectissima omnium & modus agendi per scientiam est perfectissimus omnium, quia sic dirigit seipsum, & simul dirigit agens per modum naturæ, éstque nobiliùs seipsum & aliud dirigere in agendo, quàm dirigi ab alio: ergo Deus agit ad extra per scientiam, & sic eius scientia est causa omnium rerum creatarum.

Hoc autem ita est intelligendum, vt tamen liberum decretum diuinæ voluntatis de productione talis & talis rei debeat ei accedere, vt patebit infrà agendo de voluntate Dei:
C modus verò, quo scientia est causa rerum, VII.
est per modum dirigentis, id est, quatenus dirigit, vt habet sanctus Thomas infrà quæstione 19. articulo 1. nam scientia in Deo respectu productionis creaturarũ sese habet sicut cognitio eius, quod potest arte fieri in artifice: quemadmodũ patet ex citat. testimoniis sacræ scripturę: atqui cognitio in artifice dirigit artificem, & potentiam eius executricem in faciendo suo opere, vt experientia docet: ergo hæc scientia Dei dirigit ipsam eius voluntatem & potentiam in productione rerum: & causalitatem diuinæ essentiæ sic explicat sanctus Thomas quæst. 14. artic. 8.

Ratio etiam eius rei potest peti ex illo discrimine, quod est inter agentia naturalia & libera, nimirum quòd quia agentia naturalia
D sunt determinata & habent vnum modum a- VIII.
gendi & producendi, non indigent aliquo dirigente extrinseco, sed per ipsas naturales formas & inclinationes diriguntur ad producendum eodem semper modo suos effectus: agẽtia verò libera cùm non sint determinata ad vnum, possunt producere diuersos effectus specie; & ideò indigent aliquo dirigente & determinante quoad specificationem; tum etiam quia agentia libera agunt per voluntatem; at voluntas cùm ex se sit cæca, nec feratur in incognitum, requirit scientiam quâ dirigatur.

Neque contra hanc explicationem potest obiici sanctum Thomam sequenti quæstione 15. tribuere directionem voluntatis diuinæ in operando ipsis diuinis ideis: nam alio modo idea dirigit operantem, scilicet vt exemplar, quod res quæ producitur, imitatur, & ad

I. cuius ſimilitudinem producitur: ſcientia verò
dirigit, vt principium cognitionis tam ipſius
exemplaris, quàm rei exemplatæ ab illo.
Quæres, an ſcientia Dei ita cauſet res om-
nes ad extra per directionem, vt etiam cauſet
illas per veram efficientiam.
Reſpondetur cum Durando in primum
ſentent. diſtinct. 28. quæſtione 4. ſcientiam
diuinam eſſe duntaxat cauſam rerum dirigen-
do potentiam executricem ad exequendum
opus, præmonſtrando modum efformandi
illud, nec eam loquendo propriè eſſe effectri-
cem rerum ad extra in genere cauſæ efficien-
tis propriè dictæ.
Probatur: vt aliquid habeat rationem cau-
ſæ efficientis propriè dictæ, debet proprius
eius actus tranſire in alterum vt alterum eſt,
quia ex Ariſtotele lib. 5. *metaph.* potétia áctiua
II. eſt principium tranſmutandi alterum ſecun-
dùm quod eſt alterum, & illa debet eſſe im-
mediata ratio producendi ſuum effectum: at-
qui diuinum ſcire, quod eſt veluti proprius
actus diuinæ ſcientiæ non eſt ipſi Deo imme-
diata ratio producendi ad extra, ſed ipſamet
diuina potentia: nam eodem modo ſeruatâ
proportione hæc tria *ſcientia, voluntas, & po-
tentia*; ſeſe habent ſecundùm ordinem ratio-
nis in Deo producente aliquid ad extra, quo
hæc eadem tria ſeſe habent in nobis, dum ali-
quod opus externum facimus: atqui ſcientia
in nobis, vt videre eſt in artifice dirigit tan-
tùm, nec immediatè attingit ipſum opus effi-
ciendo illud, cùm illa ſit actio purè immanens;
ſed ſola potentia executiua attingit immedia-
tè ſuâ productione effectum: ergo ſcientia di-
uina cauſat ſolummodò res dirigendo poten-
III. tiam, non autem efficiendo illas in genere cau-
ſæ efficientis propriè dictæ.
Dices: ſacræ Scripturæ nunc relatæ ſignifi-
cant diuinam ſcientiam cauſare per modum
artis, ſed ars definitur ab Ariſtotele in Ethicis
habitus vera cum ratione effectiuus.
Reſpondetur, artem dici ab Ariſtotele habi-
tum effectiuum, non quòd immediatè attin-
gat ipſum opus, ſed quòd ſit effectiuus illius
per potentiam executricem, quam ipſa ars di-
rigit. Nam Ariſtoteles ibi conſiderat artem,
vt relinquit poſt ſe aliquod opus externum,
cuiuſmodi eſt ars ædificandi, cuius Ariſtoteles
ibi meminit.
Dici etiam poteſt artem conſiderari duo-
bus modis: primò præciſè nudè & ſecundùm
ſe, vt eſt ars & habitus quidam intellectus di-
rectiuus operis faciendi: ſecundò prout eſt
IV. completum & perfectum principium operis;
quo poſteriori modo præter ſcientiam diri-
gentem includit etiam potentiam executri-
cem, Ariſtoteles ibi definit artem conſidera-
tam hoc poſteriori modo, quod ſatis intelli-
gitur ex eo, quòd diſtinguit ibi effectionem ab
actione, & ait expreſsè artem eſſe habitum
cum vera ratione effectiuum.

ARTICVLVS II.

Quænam ſcientia eſt cauſa rerum.

CVM ſuperiùs duas diſtinxerimus in Deo
ſcientias; vnam *viſionis*, alteram *ſimplicis
intelligentiæ*, quæritur quænam illarum pro-
priè ſit cauſa rerum.

A Quidam recentiores ſancti Thomæ diſci- V.
puli ad octauum articulum huius quæſtionis
decimæ quartæ, cenſent iſtud competere
ſcientiæ *viſionis.*
Melior tamen eſt aliorum ſententia, cum
quâ concludimus *competere ſcientiæ* ſimplicis
intelligentiæ, & non viſionis *eſſe cauſam re-
rum.* Ita Heruæus in primum ſentent. diſtin-
ctione 39. quæſtione primâ, Capreolus eodem
libro diſtinctione 28. quæſtione ſecundâ arti-
culo primo, & plures alij etiam ex recentio-
ribus diſcipulis ſancti Thomæ ad citatum ar-
ticulum octauum.
Probatur: ſcientia diuina eſt eâ ratione
cauſa rerum, quâ ſcientia artificis eſt cauſa ſui
operis ex dictis ſuprà: at ſcientia artificis non
eſt propriè cauſa ſui operis, prout illa eſt *viſio-
B nis*, ſeu quatenus cognoſcit illud, vt actu exi- VI.
ſtens; hæc enim cognitio fit per ſpecies acce-
ptas ab ipſa re cognita, quæ tamen cùm ipſum
opus nondum exiſtat, non poſſunt ab illa de-
ſumi; ſed ſcientia artificis eâ tantùm ratione
eſt cauſa ſui operis, quâ cognoſcit illud &
oſtendit ſub ratione entis ab ipſo artifice fa-
ctibilis, eúmque dirigit: ergo ſcientia Dei
non eſt cauſa rerum, prout eſt *viſionis*, ſed
prout eſt ſcientia *ſimplicis intelligentiæ.*
Deinde in agente per intellectum ea ſolùm
ſcientia eſt cauſa rerum, quâ ſufficienter cog-
noſcitur natura eius rei, quæ poteſt fieri, &
modus, quo talis res debet fieri: hoc enim po-
ſito, ſi decretum voluntatis applicans ſuffi-
ciens principium producendi talem rem acce-
dat, talis res ponetur, quia omnis alia ſcientia
eſt ad id ſuperuacanea: at Deus agit ad extra
per intellectum, & ſola ſcientia *ſimplicis in-
C telligentiæ*, præciſa à ratione ſcientiæ *viſionis* VII.
eſt talis, vt per eam natura rei cuiuſque facti-
bilis cognoſcatur; modus item quo res poſtu-
lat fieri, quia totum iſtud, vt ſic præciſè ſpecta-
tum eſt aliquod duntaxat poſſibile, cui ſi ac-
cedat decretum voluntatis applicans poten-
tiam ad producendum fiet: ergo hæc ſola
ſcientia *ſimplicis intelligentiæ* eſt cauſa rerum.
Et ex hac poſteriori ratione patet, quòd
vt Deus ratione ſuæ ſcientiæ, ſit cauſa rerum,
non eſt neceſſe hanc eius ſcientiam eſſe *pra-
cticè practicam*, ſeu dictare hîc & nunc hoc &
illud opus eſſe faciendum; ſed ſufficit, quòd
ſit *practica*, id eſt, proponat voluntati mo-
dum practicum fabricandi opus, & ſic dirigat
potentiam exequentem, vt fuſiùs docetur
primâ ſecundæ, agendo de propria indifferen-
tia libertatis.
D Obiicitur primò: ea ſcientia eſt viſionis quæ VIII.
terminatur ad exiſtentiam rei ſcitæ; ſed ſcien-
tia Dei cauſans res ipſas terminatur ad earum
exiſtentiam ponendo illas extra ſuas cauſas:
ergo eſt cauſa rerum.
Reſpondetur, duobus modis poſſe intel-
ligi ſcientiam terminari ad exiſtentiam rei
ſcitæ: primò, quatenus exiſtentia rei ſcitæ
habet rationem obiecti cogniti reſpectu talis
ſcientiæ: ſecundò, quatenus præciſè habet ra-
tionem effectus per illam producti; ſcientia
viſionis terminatur quidem ad exiſtentiam rei
ſcitæ priori modo, non tamen poſteriori mo-
do, quo ſolo ſcientia Dei eſt cauſa rerum: hoc
enim conuenit ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ*,
quæ prout habet decretum diuinæ voluntatis
de his & iſtis producendis ſibi annexum, vo-

I. catur etiam ſcientia *approbationis* practica per A
reſpectum ad voluntatem Dei, vt ſuprà notauimus, & ſanctus Thomas habet expreſsè citato articulo octauo, ratione cuius tamen reſpectus non vendicat ſibi appellationem ſcientiæ *viſionis*, ſed ſemper manet intra limites ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ*, prout illa diſtinguitur, contra ſcientiam *viſionis*, vt patet ex dictis ſuprà de diuiſione ſcientiæ diuinæ.

Obiicitur ſecundò: ea ſcientia quæ eſt omninò indifferens ad exiſtendum & non exiſtendum non eſt cauſa rerum: atqui ſcientia *ſimplicis intelligentiæ* eſt omninò indifferens ad exiſtentiam & non exiſtentiam rerum: ergo ſcientia *ſimplicis intelligentiæ* non eſt cauſa rerum, ſed ſcientia tantùm *viſionis*.

Reſpondetur, illud tantùm probare ſolam
II. diuinam ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* ſum- B
ptam nudè & præciſè à decreto diuinæ voluntatis, non eſſe cauſam in actu, quatenus actu non dirigit potentiã in faciendo opere, ſed ad id poſtulat actum voluntatis, quod nos ſuprà admiſimus: at hoc non facit vt talis cognitio ſit propriè *viſionis*, cùm non requiratur vt repræſentet ſuum obiectum: ſed tale decretum requiratur tantùm vt applicet cauſam ad agendum: vnde cùm hæc cognitio, quatenus præciſè eſt cognitio, remaneat intra eandem rationem, in qua erat ante iſtam actualem applicationem, ſicut ante decretum iſtud erat propriè ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ*; ita etiam dum voluntas vtitur illâ tanquam dirigente ad faciendum opus, erit ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*.

Ex his facilè conciliantur inter ſe nonnullæ
III. loquendi formulę Patrum circa ſcientiam Dei C
de rebus creatis, quæ alioquin videntur ſibi contrariæ: alij enim vt ſanctus Auguſtinus libro 15. *de ciuitate Dei* cap. 13. libro 9. *de Trinitate* cap. 10. Sanctus Gregorius lib. 12. *moralium* cap. 24. & ſæpè Scholaſtici dicunt, Deum non ideò cognoſcere res creatas, quia futuræ ſunt, ſed econtrà ideò res eſſe futuras, quia Deus illas nouit: alij econtrà aſſerunt idcirco Deum cognoſcere res creatas, quia futuræ ſunt: ita vt ipſa futuritio rerum ſit cauſa prænotionis illarum, quæ eſt in Deo: quomodo loquuntur ſanctus Iuſtinus Martyr in quæſt. *ad Gentes* quæſt. 18. ſanctus Hieronymus *commentario ad caput vigeſimum ſextum Ieremiæ*, & nonnulli alij. Poſſunt, inquam, iſti Patres facilè conciliari. Priores enim loquuntur de ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*, prout ſortitur
IV. appellationem *ſcientiæ approbationis practicæ*: D
poſteriores verò de ſcientia *viſionis*, quæ ſupponit futuritionem rerum, quæ licet ſit ſpeculatiua, quando tamen eſt de obiecto complacente ipſi Deo, vocatur interdum *approbationis ſpeculatiua*. Et Geneſeos primo capite dicitur: *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, particula, *vidit*, ſonat ſcientiam *viſionis*, vt indicat illa ſequens particula, *quæ fecerat*, & vltima illa particula, *erant valdè bona*, denotat approbationem ſpeculatiuam tamen, cùm ſit de opere iam peracto, quod ipſe artifex contemplatur.

Quæri tamen poteſt circa iſtas formulas loquendi Patrum, quem ſenſum faciat hæc particula *quia*; an *illatiuum* duntaxat; an verò *cauſalem*.

Reſpondetur facere *cauſalem*, quia ad ſen-
ſum *illatiuum* ſufficit connexio inter rem cog- IV.
nitam & ipſam cognitionem ſine vlla cauſalitate, qualis eſt inter peccatum & ſcientiam, quam Deus habet de illo, vt cõmittitur: at verò Patres ſæpè volunt in vtraque loquendi formula particulam, *quia*, denotare cauſam eius rei, quam aſſerunt; ac proinde ſcientiam illam *ſimplicis intelligentiæ*, prout habet annexum ſibi decretum Dei de productione rerum in particulari, eſſe cauſam earum rerum, quæ cognoſcuntur per eiuſmodi ſcientiam; res verò cognitas per ſcientiam *viſionis* cauſare illam aliquo modo, ſcilicet quoad terminationem, & reſpectum illum extrinſecum ſeu denominationem, quâ ſcientia diuina reſpicit res, vt in aliqua temporis differentia exiſtentes; vt ampliùs intelligitur ex dictis ſuprà, de modo, quo Deus cognoſcit
creaturas. VI.

Ex quibus patet ſcientiam *viſionis* eſſe purè *ſpeculatiuam*: imò & ipſam ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, prout non ſortitur rationem ſcientiæ *approbationis practicæ*, ſub qua conſideratione propriè eſt practica, cùm vt ſic eſt de obiecto operabili, & modo operabili, ſeu in ordine ad praxim dando regulas faciendæ rei, & dirigendo ipſum artificem in ſua operatione.

Quo autem modo immutabilitas diuinæ ſcientiæ conciliatur cum noſtra libertate, patet ex dictis ſuprà de cognitione, quam habet Deus de futuris liberis contingentibus: conciliatio autem noſtræ libertatis cum diuina voluntate, & eius prouidentia explicabi-
tur infrà. VII.

AD QVÆSTIONEM XV.

DISPVTATIO VNICA.

De ideis.

QVIA agens per intellectum, & ſcientiam habet apud ſe formam, & exemplar ſui operis, fit, vt ſanctus Thomas, & reliqui Scholaſtici poſt diſputationem de ſcientia Dei agant de ideis diuinis.

ARTICVLVS PRIMVS. VIII.

Vtrum ideæ ſint in Deo.

EST autem *idea*, ſi nomen ſpectes, idem ac *forma, exemplar, ſpecies*, vnde *ideæ* vocantur à S. Auguſtino libro 83. *quæſt.* quæſt. 46. *formæ originales*: ſi rem ſpectes, *idea* nihil eſt aliud, quàm *forma intelligibilis, quam effectus imitatur ex intentione agentis ſibi finem determinantis*, ſeu vt alij dicunt, *forma intelligibilis intra ipſum artificem exiſtens, ad quam reſpiciens ipſe artifex operatur*; ita enim eam definit S. Auguſt. lib. 12. *de ciuitate Dei* cap. 25. ſanctus Thomas in quæſtionibus diſputatis *de veritate*, quæſt. 3. artic. 1. Dicitur 1. *forma intelligibilis*, vt ſic intelligatur extrinſeca effectui, & prætereà, vt diſtinguatur ab

I. externis exemplaribus, quæ artifices sæpè sibi proponunt, verbi gratiâ, pictores imagines exteriores, vt posteà possint efformare suum opus ad imitationem illorum.

Secundò dicitur *quam effectus imitatur*, ad excludendum ab ipsa ratione ideæ formas illas quas aliæ non imitantur. Dicitur tertiò *ex intentione agentis* ad reiiciendas illas formas, quæ fortuitò aliquam habent similitudinem ad quosdam effectus: dicitur denique *sibi finem determinantis*, vt sic à ratione ideæ excludantur formæ agentium naturalium, quæ licet producant effectus sibi similes; quia tamẽ non determinant sibi finem, cùm non agant per intellectum & voluntatem, fit, vt eorum formæ non possint dici ideæ. Vnde ad rationem ideæ tria requiruntur, primò vt sit forma intelligibilis; secundò, vt repræsentet opus; ter-
II. tiò, vt dirigat agentem per intellectum ad efformandum opus; nam iuxta etymologiam nominis, idea deriuatur à verbo Græco εἴδω quod est *video*, quia qui est aliquid facturus ideam suam respicit, vt secundùm illam operetur. An autem idea sit quædam specialis causa à quatuor vulgatis distincta, vel ad quam illarum sit reuocanda, tractant ex professo Philosophi. His ita præsuppositis,

Sit hæc propositio. *In Deo dantur ideæ*: propositio est tam certa apud omnes Scholasticos, vt non desint qui putent illam esse de fide cùm Ioan. 1. cap. habeatur, *quod factum est, in ipso vita erat*, id est, quod factum est ad extra, seu creatum, viuit in ipso Deo, non quidem secundùm suum esse reale ad extra, cùm secundùm illud non semper exiterit, & fuerit
III. tantùm in tempore creatum, & inter ea quæ sunt creata, multa sint expertia vitæ, sed eo sensu, quod factum est dicitur esse *vita* seu viuere in Deo secundùm illud esse intellectuale, quod importatur nomine ideæ & sic, vnumquodque creatum viuit in Deo secundùm suam ideam in ipso Deo existentem, vt explicat sanctus Augustinus tract. 1. *in Ioannem*, & lib. 83. *quæst.* quæst. 46. quia tamen locus ille Euangelij ab aliis Patribus cum alia distinctione legitur, hoc scilicet modo, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est*, vt à S. Irenæo lib. 3. aduersus hæreses cap. 11. & nonnullis aliis, secundùm quã lectionem habet alium sensum, scilicet Deum ita esse causam rerum, vt nihil sit creatum, quod non sit ab illo factum; qui sensus nihil
IV. facit ad nostram propositionem; fit vt ex isto loco, & similibus aliis nostra conclusio non possit esse de fide, sed potiùs ex communi consensu Patrum, tanquam in rem de fide, ratione cuius S. Aug. relatus à S. Thoma *in quæst. disputatis de veritate*, quæst. 3. artic. 1. ait eum esse infidelem, qui negat ideas esse in Deo, quod etiam agnouit Plato *in Tymæo*; & alij gentiles Philosophi, & conuincit ratio allata initio art. quæ sic explicatur.

Omne agens in tantum agit per formam, in quantum similitudo formæ præexistit in ipso, quòd si agens sit naturale, præexistit in ipso secundùm esse naturale; si verò sit agens per intellectum, præexistit in eius mente secundùm esse intelligibile: atqui Deus in creatione mundi rerum est agens per intellectum ex dictis quæstione præcedenti: ergo creando mundum, & res quæ in ipso sunt, agit per

A formam intelligibilem ipsius mundi, & rerum eius præexistentem in seipso: hæc autem forma intelligibilis nihil est aliud quàm idea ipsius vniuersi, & rerum in eo creatarum: ergo ideæ dantur in Deo. V.

Explicatur ampliùs. Deus in ipsa molitione rerum ad extra sese habet vt artifex ex citatis Scripturæ locis; atqui artifex quilibet dum operatur artefactum habet in suo intellectu ideam sui operis, ad quam respicit dum ipsum suum opus facit: ergo ideæ dantur in Deo fabricante mundum, & res creatas quæ sunt in mundo.

Dices: quidquid est formaliter in Deo, conuenit ei necessariò, nec potest non esse, quia Deus est ens purè, simpliciter, & absolutè necessarium, secundùm illud omne quod formaliter habet in seipso: atqui ideæ competunt
B tãtùm liberè, quia ex S. Thoma citatâ quæst. 3. *de veritate* art. 1. si Deus esset agens ex necessitate naturæ, ideæ non essent in eo: igitur ideę non sunt formaliter in Deo. VI.

Respondeo concessâ maiore ad eius minorem ex dicendis articulo tertio, ideam posse sumi duobus modis: primò pro sola forma intelligibili rerum factibilium existente in intellectu artificis, nondum tamen adhuc ordinata & applicata ad opus per voluntatem artificis: secundò, prout talis forma habet insuper hanc applicationem voluntatis: idea priori modo considerata est necessariò in Deo, posteriori liberè: at spectata priori modo est essentialiter idea, quia actualis applicatio ideæ ad faciendum opus non est de essentiali ratione ideæ, sed tantùm aliquod eius comple-
C mentum, vt patebit infrà. VII.

Deinde ad auctoritatem S. Thomæ respondeo, consequentiam eius non esse hanc ibi insinuatã in obiectione, sed istam: si Deus ageret ex necessitate naturæ, non essent in eo ideæ: atqui in Deo sunt ideę: ergo Deus non agit ex necessitate naturæ sed liberè, sicque ex proprio & naturali illo agendi modo Dei ad extra rectè potest inferri necessitas idearum: & quemadmodum modus ille agendi non desineret esse in Deo illum non reducente ad praxim seu ad actum, verbi gratiâ, nihil creando, sic etiam ideæ non desinerent esse formaliter in illo, licet de facto non vteretur illis nihil faciendo ad extra.

ARTICVLVS II.

D *Quid illud sit in Deo quod habet rationem ideæ.* VIII.

PRIMA propositio. *Ideæ diuinæ non sunt ipsæ creaturæ existentes obiectiuè in mente Dei, sed sunt aliquid formaliter nostro loquendi modo subiectiuè in Deo.* Propositio est contra Scotum, Okamum, lib. 1. sentent., distinct. 36. & nonnullos alios.

Probatur primò ex sanctis Patribus, vt S. Dionysio lib. *de diuinis nominibus* cap. 5. vbi illas vocat *substantificas*. S. Augustino lib. 11. *de ciuitate Dei* cap. 10. vbi dicit ideas esse *incommutabiliter permanentes.* & libro 83. *quæst.* quæst. 46. ideas Dei esse tales, vt ex earum inspectione homines euadant beati, at beatitudo obiectiua consistit in ipsomet Deo; & ibidem ait Deum fabricando mundum non

I. reſpexiſſe ad aliquid extra ſe: & ex S. Ambroſ. lib. 1. *Hexaëmeron* cap. 1. & 2. vbi reprobat Platonis ſententiam de ideis, quòd eas probat tanquam aliquid à Deo diſtinctum ad quod Deus reſpiciens creauit res ipſas.

Probatur etiam ratione: Deus non poteſt agere ad extra ſine ideis, quia eſt agens per intellectum & voluntatem, ſed Deus poteſt agere ad extra ſine creaturis: ergo diuinæ ideæ quibus vtitur Deus in creando mundo, & producendo aliquid ad extra, non ſunt ipſæ res obiectiuè exiſtentes in mente Dei, & cùm inter Deum & creaturam nullum detur medium, ipſæ ideæ ſunt Deus ipſe.

Obiicies: eadem eſt eſſentialis ratio (ſeruatâ proportione) ideæ in Deo, ac eſt in artifice creato: at idea in artifice creato eſt ipſa
II. res facienda exiſtens obiectiuè in illo, hæc enim ſi benè concipiatur ab artifice eſt ei exemplar optimum, à quo ipſe dirigatur in illo exteriùs faciendo.

Reſpondeo primò, in artifice creato ipſum artefactum, vt eſt obiectiuè in intellectu artificis, non eſſe loquendo propriè ideam; hæc enim in nobis non eſt ipſamet res facienda, ſed aliqua eius ſimilitudo præconcepta, diſtincta realiter ab ipſa re facienda, ad quam ſimilitudinem res fit exteriùs; ergo à pari idea in Deo non erit formaliter ipſa res facienda, prout obiicitur cognitioni Dei.

Deinde, etiamſi iſtud loquendo propriè verum eſſet de idea, quæ eſt in artifice creato, attamen non poſſet eſſe verum de idea quę eſt in Deo, ſed propter modum ſciendi & cognoſcendi, qui in Deo eſt diuerſus ab eo, quo
III. homines ſciunt & cognoſcunt, ipſa idea debet in Deo eſſe aliquid aliud, quàm ipſamet res facienda, vt obiectiuè exiſtit in cognitione Dei; nam hoc eſt proprium Deo quòd non accipiat ſcientiam, & cognitionem de rebus creatis ab ipſiſmet rebus creatis, nec illis indigeat ad faciendum aliquid ad extra: nos verò ſcientiam illam quam de illis habemus, accipiamus à rebus, & illis etiam vt cauſis noſtrę ſcientiæ indigeamus: quare cùm res facienda vt exiſtens obiectiuè in Deo non ſit ipſemet Deus, nec eius eſſentia, nec aliquid eius, fit, vt quoad hoc factâ præcedenti ſuppoſitione debeat eſſe alia ratio ideæ in Deo, & alia ideæ in artifice creato, hæc in Deo debeat eſſe aliquid exiſtens formaliter in Deo, quódque ſit idem cum illo, ad cuius inſpectionem & ſimilitudinem faciat ipſum opus ad extra.

IV. Secunda propoſitio. *Eſſentia diuina quatenus ſeſe habet ad inſtar ſpeciei impreſſæ non habet rationem ideæ, nec item quatenus continet in ſe ipſa eminenter omnes creaturas.* Duæ ſunt partes propoſitionis.

Prima probatur: idea eſt formaliter ſimilis rei efficiendæ, dirigit operationem agentis, debétque cognoſci ab agente quem per ſui cognitionem dirigit: atqui eſſentia diuina habens ſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ non eſt formaliter ſimillima rei efficiendæ, quia vt ſic eſt tantùm effectiua ſimilitudo, nec eſt directiua operationis ad extra; eſt enim duntaxat ſemen obiecti, nec debet cognoſci, quia vt ſic eſt ſolummodò medium non cognitum: ergo eſſentia diuina quatenus ſeſe habet ad inſtar ſpeciei impreſſæ non habet rationem ideæ in Deo.

A Poſterior item pars probatur eodem penè modo, quia ad rationem ideæ requiritur formalis ſimilitudo ſecundùm eſſe intelligibile ad opus producendum, vt intelligitur ex ſancto Thoma infrà quæſtione quadrageſimâ quartâ articulo tertio, & ex dictis ſuprà: at diuina eſſentia, vt continens in ſeipſa eminenter omnes creaturas non eſt eiuſmodi, ſed eminentialis duntaxat repræſentatio rerum factibilium: igitur eſſentia diuina vt ſic non eſt diuina idea. V.

Tertia propoſitio. *Neque ſola eſſentia diuina, vt obiicitur diuinæ cognitioni quatenus eſt imitabilis à creaturis eſt diuina idea: neque ſola diuina cognitio quatenus repræſentat creaturas eſt idea, ſed diuina eſſentia, vt iſto modo conſiderata eſt in Deo idea obiectiua: cognitio autem diuina quatenus terminatur ad eſſentiam di-*
B *uinam, vt imitabilem à creaturis in qua tanquam in obiecto primario, & formali Deus videt medium quo ſingulæ res ſunt producendæ, habet rationem formalis ideæ.* Hæc propoſitio conciliat duas inter ſe ſententias, quarum prior eſt S. Thomæ tam articulo tertio huius quæſtionis, quàm libro primo *contra Gentes* capite quinquageſimo quarto, & citatâ quæſtione tertiâ *de veritate* articulo ſecundo, docentis eſſentiam diuinam obtinere rationem ideæ prout hæc eſſentia eſt imitabilis à creaturis: poſterior ſententia tribuitur ſancto Bonauenturæ in primo ſentent. diſtinctione trigeſimâ quintâ articulo primo, & eſt plurium recentiorum hîc, ſcilicet eſſentiam diuinam prout eſt formalis conceptus, & cognitio quam habet de creaturis, ad cuius imita- VI.
C tionem res creatæ producuntur, eſſe ideam in Deo; noſtra autem propoſitio tribuit vtrique rationem ideæ, ſed diuersâ ratione. Quod vt intelligatur, VII.

Notandum eſt, nomen hoc *idea*, poſſe ſumi duobus modis: primò pro exemplari ſeu pro ipſa re obiectiuè cognita, ad cuius imitationem agens per intellectum, & voluntatem efficit aliquid, ſeu eſt illud quod artifex per effectionem ſui operis obiicit ſibi imitandum, iuxta quam acceptionem poteſt definiri idea, *res cognita ad cuius imitationem agens per rationem producit aliquid.*

Deinde idea ſumi poteſt pro cognitione artificis quâ exemplar percipitur, ad cuius imitationem effectus producitur, potéſtque definiri *conceptio, iuxta quam agens per rationem intendit producere effectum.*

D Senſus noſtræ propoſitionis eſt, vnumquodque ex his duobus ſeorſim eſſe aliquo ſenſu ideam, neutrum tamen vt ſic habere rationem ideæ verè & propriè dictæ, ſed ideam completè ſumptam coaleſcere ex his duobus: & primò quòd eſſentia diuina modo ibi explicato ſit *idea*, S. Thom. ſatis expreſsè docet hâc quæſt. art. 2. in fine corporis, dum ſic ſcribit: *Deus in quantum cognoſcit ſuam eſſentiam, vt ſic imitabilem à tali creatura, cognoſcit eam vt propriam rationem & ideam talis creaturæ*: item art. 1. in corpore, quando ait ideam comparari ad cognoſcentem tanquam ad principium cognitionis, & ad effectum tanquam cauſam eius exemplarem; quod applicatum diuinæ ideæ non poteſt intelligi niſi de eſſentia diuina, vt eſt idea obiectiua: idem habet lib. 1. *contra Gentes* cap. 54. VIII.

Pro-

I. Probatur etiam ratione: illud habet rationem ideæ alicuius, quod cognitum per intellectionem est sufficiens ratio cognoscendi modum producendi omnes creaturas in particulari ad ipsam eius imitationem; sic enim habet rationem formæ cuiusdam intelligibilis; item imitabilitatem passiuam; habet etiam quòd sic cognitum dirigat operantem in faciendo opere: at totum istud reperitur in essentia diuina, vt obiicitur intellectioni diuinæ quatenus est imitabilis à creaturis, vt per se patet: igitur diuina essentia vt sic spectata habet rationem ideæ in Deo, & cùm totum istud sese teneat ex parte illius, vt est obiectum cognitum, essentia diuina vt sic considerata, erit in Deo idea obiectiua.

Quòd etiam cognitio diuina quatenus repræsentat creaturas, vt hoc & isto modo faciendas habeat rationem ideæ, patet: illud aliquo
II. modo vendicat sibi rationem ideæ in Deo, quod est formalis similitudo operis ad extra producendi, & dirigit Deum in faciendo tali opere; sed diuina cognitio quatenus est de essentia diuina, vt imitabili à creaturis producendis ad extra, est quædam formalis illarum similitudo; omnis enim nostra cognitio est per quandam assimilationem intentionalem, quæ proinde diuinæ essentiæ cognitio, vt per aliquã comparationem ad nostram cognitionem concepta, erit per quandã assimilationem; est etiam hæc cognitio ipsi Deo agenti ad extra directiua operis faciendi, quatenus repræsentat modum quo quælibet res in particulari est facienda: igitur hæc diuina cognitio erit aliquo sensu idea, & cùm hæc cognitio sit formalis, erit tantùm formalis idea.

III. Quòd etiam neutra istarum idearum seorsim sumpta sit diuina idea completè sumpta, probatur: ad rationem ideæ totaliter & completè consideratæ requiritur, quòd sit forma intelligibilis repræsentãs formali similitudine opus suum faciendum, & quòd in exequendo tali opere dirigat per sui inspectionem ipsum operantem, vt patet ex dictis: sed essentia diuina, vt est tantùm idea obiectiua non habet totum istud, nec item quatenus est tantùm formalis idea: non vt est idea obiectiua, quia vt sic præcisè non est formalis similitudo, cùm hoc competat tantùm actuali eius cognitioni, vt patet ex definitione cognitionis; nec item vt sic formaliter dirigit, sed actualis illa cognitio quam habet de sua essentia diuina, sic enim Deus est agens per intellectum; nec item
IV. eadem diuina essentia vt est cognitio & formalis idea habet totum istud, quia idea debet dirigere *vt quod*, & non *vt quo* operantem in faciendo suo opere, & debet esse id quod ipse operans cognoscit in operando, & respicit, & non tantùm id quo respicit, sicque debet esse aliquo modo quasi principium cognitionis rerum, vt S. Thomas expresè docet hîc artic. 3. in corpore: sed diuina cognitio vt est formalis idea non est id, quod Deus vt operans per intellectum cognoscit *vt quod*, quia vt sic non est veluti principium alicuius cognitionis, cùm non sit tale principium respectu suiipsius, nec vlla alia cognitio ibi possit assignari, cuius illa sit quasi principium: sed quod Deus tunc cognoscit *vt quod*, est essentia sua diuina vt habens rationem ideæ obiectiuæ; item diuina cognitio est id quo Deus sei-

A ipsum dirigit in faciendo suo opere: ergo essentia diuina vt habet rationem cognitionis non habet totam & adæquatam rationem ideæ diuinæ. V.

Quòd denique completa ratio ideæ diuinæ competat his duobus prout sumuntur coniunctim, patet ex dictis, quia vt sic habent totum illud quod diximus essentialiter requiri ad illam.

ARTICVLVS III.

Soluitur dubium ex præcedenti doctrina.

QVÆRES, si hæc duo conferantur inter se, cuinam illorum ratio diuinæ ideæ potius conueniat. Respondetur essentiæ diuinæ vt est idea obiectiua; tum quia illud principaliùs est idea, quod inspicitur ab operante, & quod habet in seipso passiuam imitabilitatem VI.
B ad quam intendit operans: at id conuenit essentiæ diuinæ, vt habet rationem ideæ obiectiuæ; talis enim inspectio est cognitio diuinæ essentiæ sub speciali participabilitate, secundùm quam est imitabilis à creaturis; tum etiam quia Patres suprà dum loquuntur de ideis diuinis attendunt potiùs ad essentiam diuinam, vt habet rationem ideæ obiectiuæ, quàm vt habet rationem ideæ formalis; tum denique quia illud quod in recto exprimitur, est principalius eo quod tantùm exprimitur in obliquo; at idea diuina exprimitur in recto per essentiam diuinam, vt habet rationem ideæ obiectiuæ, in obliquo tantùm per eandem essentiam vt habet rationem ideæ formalis; nam primo modo denotat formam quæ inspicitur, & dirigit operantem: secundo modo formam quã operans inspicit & dirigit
C se in operando. VII.

Nec his obstat quòd essentia diuina, vt est tantùm idea obiectiua, non sit aliqua similitudo formalis operis efficiendi; nam id tantùm ostendit completam rationem ideæ non competere diuinæ essentiæ, vt est idea tantùm obiectiua: hinc cùm essentia diuina cognoscatur directissimè à Deo vt imitabilis & participabilis à creaturis, Deus etiam cognoscit directè suas ideas, & non per reflexum aliquem actum aut quasi reflexum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sint plures ideæ in Deo.

D SIT hæc vnica propositio. *Non sunt plures rerum ideæ inter se actu distinctæ in essentia diuina, sed dicuntur duntaxat plures per ordinem ad diuersa obiecta, quæ per essentiam diuinam in ratione completa ideæ repræsentantur.* VIII.

Probatur: idea diuina sumpta adæquatè est ipsamet diuina essentia cognita vt participabilis, & formalis eius cognitio vt sic ex dictis, sed totum istud est vnum valde simplex in Deo, vna essentia sic cognita & vna conceptio seu formalis cognitio: ergo non sunt in Deo subiectiuè plures ideæ.

Quòd item per ordinem ad diuersa obiecta sint plures, probatur: quia & in vnica simplicissima essentia sic obiecta, & in formali conceptu illius sunt plures nostro modo concipiendi repræsentationes, quæ terminantur ad diuersa obiecta; nam vt rectè ait sanctus Augustinus libro octoginta trium

I. quæstionum quæstione quadragesimâ sextâ: A *aliâ ratione homo est conditus, & aliâ ratione equus*, vbi nomine *rationis* intelligit ideam: ergo plures sunt ideæ in Deo.

Nec obstat, quòd ex multitudine obiectorum scientiæ, & artes non dicantur plures; est enim quoad hoc dispar ratio, nam artes & scientiæ non multiplicantur, ex multiplicitate obiectorum materialium, sed ex diuerso tantùm formali modo sciendi, vt omnes dialectici docent: vnde cùm in Deo vnica sit tantùm ratio formalis, quâ tendit in omnia obiecta, fit, vt vna tantùm in illo sit scientia, quia verò formalis ratio ideæ consistit in repræsentatione, hæc multiplicatur pro diuersa ratione repræsentandi, quam diuina essentia habet dum alio modo repræsentat equum, alio modo hominem, & sic de aliis, quæ plu-
II. ralitas idearum dici potest esse non tantùm respectu nostri intellectus, quatenus ille in vno conceptu formali Dei & in eius essentia, vt idea obiectiua, reperit diuersas rationes repræsentandi, & apprehendit ipsa ideata prout respondent veluti diuersis ideis, sed etiam respectu diuini intellectus, quia ille sic penetrat totam suam essentiam, vt videat illam sub ratione vnius totalis esse multiplicem repræsentationem plurium rerum inter se distinctarum.

Articvlvs V.

Quarum rerum ideæ sunt in Deo.

III. Prima propositio. *Deus non habet ideam sui, nec Deus Pater, Filij, & Spiritus sancti.* Probatur: idea est causa ideati, & est tantùm eorum quæ fiunt aut possunt etiam liberè fieri: atqui Filius & Spiritus sanctus non sunt effectus Patris, nec liberè procedunt ab illo, sed necessariò, quia sunt ad intra, & quod producitur ad intra in diuinis est necessarium.

Secunda propositio. *Deus non habet ideas vniuersalium.* Probatur: idea est rerum quas Deus producit aut saltem potest producere: at Deus non potest producere vniuersalia, nam productio & generatio est rerum singularium.

Tertia propositio. *Deus non habet ideas priuationum & negationum.* Probatur: idea est tantùm eorum quæ Deus facit, & ex consequenti entium positiuorum: atqui negationes & priuationes non sunt entia positiua.

IV. Quarta propositio. *Deus aliquo modo habet ideas rerum possibilium, non tamen habet distinctam ideam materiæ primæ, & eorum accidentium quæ comproducuntur cum suo subiecto, distinctam realiter ab idea subiecti.*

Probatur propositio quoad singulas partes. Quoad primam est S. Thomæ in quæstionibus disputatis *de veritate* quæst. 3. artic. 3. in responsione ad 11. vbi notat ideam posse sumi duobus modis: primò pro forma artis, non solùm intellecta, sed etiam ordinata per voluntatem ad opus, quo modo idea dicitur sumi *completè*, quatenus scilicet includit determinationem voluntatis, cuius beneficio habet suam causalitatem in effectum, & de facto est exemplar faciendorum: secundò potest sumi pro sola forma cognita rerum quidem factibilium, non tamen faciendarum, & hoc secundo modo dicit ideam sumi *incompletè*, quatenus scilicet caret determinatione voluntatis: iuxta quam duplicem considerationem sibi ipsi, & nobis S. Thom. conciliatur, dum hâc quæst. artic. 7. negat esse ideas rerum possibilium, scilicet *primo modo, & non secundo*; quod totum facilè intelligitur ex dictis. V.

Secunda item pars quæ est *de materia prima & accidentibus comproductis*, probatur: idea est talis forma intelligibilis, vt ipse artifex respiciens ad illam operetur ad extra rem ei si-
B milem; atqui substantiæ ita producuntur à Deo ad extra, vt de facto materia nunquam producatur sine forma, nec econtrà; item nunquam sine subiecto accidens: ergo eadem idea materiæ primæ est ac materiæ singularis, & existentis, item eadem est idea accidentium comproductorum, ac sui subiecti. VI.

Addidi in conclusione particulam (*quæ comproducuntur*) propter accidentia illa quæ adueniunt substantiæ iam completæ, quia enim non producuntur eadem productione quâ substantiæ eorum, habent etiam ideam distinctam ab idea subiecti, cui adueniunt.

Quòd si sumamus ideam secundo modo, Deus potest dici habere distinctam ideam materiæ primæ, & accidentium, quia scilicet sicut
C materia prima habet suam entitatem distinctam à forma, ita ipsa accidentia à suo subiecto, possùntque separatim produci, & conseruari à Deo. VII.

AD QVÆSTIONES XVI. XVII. XVIII.

QVOD spectat ad tres S. Th. quæst. quæ sunt *de veritate, de falsitate*, & *de vita*, spectant propriè ad Philosophiam: Nam *de vero* Metaphysicus agit ex professo tractando de proprietatibus entis, & *de falso* tanquam eius opposito, & *de vita* lib. *de anima*.

Et quòd veritas & vita sint formaliter in
D Deo patet; tum ex illo Christi Domini Ioann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: tum etiam quia ad qu. 14. ostendimus Deum viuere vitâ intellectiuâ omnium perfectissimâ: tum etiam quia quæcumque dicunt perfectionem simpliciter simplicem sunt formaliter in Deo ex dictis suprà: at veritas & vita dicunt perfectionem simpliciter simplicem; sunt enim meliores enti quatenus ens est, quàm illarum oppositum: igitur veritas, & vita sunt formaliter in Deo. VIII.

I.

AD QVÆSTIONEM XIX.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia & diuisione voluntatis Dei.

QVONIAM appetitus sequitur cognitionem, S. Thomas post explicatam scientiam Dei, & Scholastici omnes agunt de voluntate eius, de qua potest disputari duobus modis: primò vt est *essentialis*, quâ ratione consideratur,
II. quando spectatur prout solum respicit obiectum volitum absque aliqua relatione productionis, dicitúrque *essentialis*, quia sequitur diuinam essentiam, vt communem omnibus personis diuinis: secundò disputari potest de eadem diuina voluntate, vt *est notionalis*, quo modo consideratur, quando agitur de ea, non tantùm vt respicit obiectum volitum, sed vt habet etiam relationem realem productionis; dicitúrque *notionalis*, quia vt sic ita est propria Patri & Filio in diuinis, vt per illam deueniamus in aliquam notitiam istarum duarum diuinarum personarum, quatenus sunt distinctæ à persona Spiritus sancti, quo modo non est communis omnibus personis diuinis.

III. Hâc præsenti quæstione agimus tantùm de diuina voluntate sub priori modo, nam de illa sub posteriori agetur tractatu *de Trinitate*.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum voluntas sit in Deo.

PRIMA sit propositio. *Voluntas datur in Deo*: est de fide ex sacris Scripturis, quæ illam affirmant, vt Sapient.11. *ad Roman*.12. *vt probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens*, & alibi passim.

Probatur etiam ratione: est de intrinseca ratione viuentis intellectualis, vt habeat appetitum, quo vitaliter appetat bonum cognitum, seu apprehensum per intellectum, quærendo illud, quando non habet, & quiescendo in ipso, quando habet; res enim quælibet habet appetitum proportionatum suæ natu-
IV. ræ, vt omnes philosophi communiter docent: atqui Deus est viuens vitâ intellectuali, vt probatum est præcedenti quæstione, & appetitus, quo viuens intellectuale appetit vitaliter bonum ab intellectu cognitum est ipsa voluntas; vocatur enim *appetitus rationalis*: igitur Deus habet voluntatem.

Maior probatur ex Aristotele libro tertio *de anima*, cap. 10. tum etiam inductione factâ per res omnes: ergo ad formam intellectiuam seu ad ipsam vim intelligendi, quâ bonum cognoscitur, sequitur appetitus intellectiuus: at appetitus iste apud Philosophos & Theologos nihil est aliud, quàm voluntas.

Probatur secundò: omnis perfectio nullam includens imperfectionem debet esse formaliter in Deo, vt suprà ostendimus; at voluntas

A est quædam perfectio, nec in illa reperiri imperfectio aliqua potest; vnde quando Aristot. V. & Auerroes negant in Deo esse voluntatem, nomine *voluntatis*, intelligunt appetitum rei absentis, vt rectè S. Thom. obseruat hîc art.1. in solutione ad 2. quo modo voluntas imperfectionem dicit.

Secunda propositio. *Voluntas non est in Deo per modum potentiæ, seu actus primi, sed tantùm per modum actus vltimi & puri*, id est, *voluntas in Deo sumpta essentialiter est ipsamet actualis volitio, nullo autem modo potentia secundùm rem*: ita S.Thom. infrà quæst.41.art.4. & lib.1. *contra Gentes*, cap. 10.

Probatur: de ratione potentiæ est, vt sit principium productiuum proprij sui actus secundi, illúmque in seipsa recipiat, & sic distinguatur realiter ab illo, quia principium distin-
B guitur realiter à principiato; atqui voluntas VI. essentialis in Deo non est principium productiuum volitionis diuinæ, nec recipit subiectiuè in seipsa volitionem diuinam; voluntas item essentialis in Deo, nec est productiua cuius in Deo, nec realem relationem habet ad aliquem terminum à se productum intra ipsum Deum: igitur voluntas essentialis in Deo non est per modum potentiæ, vnde ipsa volitio in Deo non debet loquendo propriè appellari *elicita*, nam actus elicitus est per efficientiam eius à quo elicitur.

Posterior item pars probatur: quia Deus est actus purissimus, & quidquid est in Deo est purissimum, & absolutum ab omni potentialitate: ergo cùm ex prima propositione voluntas de facto sit in Deo, illa debet esse pu-
C rissima ab omni potentialitate; talis autem esse VII. non potest, nisi sit tantùm ipsa actualis volitio per modum actus secundi & purissimi, quia solus actus purissimus & vltimus excludit potentialitatem: ergo voluntas in Deo est ipsamet actualis volitio per modum actus vltimi purissimi.

Hinc quando dicimus Deum posse diligere, sensus non est Deum habere physicam potentiam, seu aliquid in seipso, quod sit realis potentia, quâ amet; hoc enim est falsum, ob nunc dicta: sed sensus est, quòd totum illud quod est perfectionis tam in voluntate creata, quàm in eius volitione, reperitur in illa actuali volitione Dei, modo longè altiori cum omnimoda identitate.

Addidi inter explicandum hanc propositionem istam particulam *secundùm rem*, quia iuxta modum nostrum concipiendi, quo conci-
D pimus Deum ad modum creaturarum, cùm in VIII. illis actualis volitio supponat posse velle, fit, vt hoc ipso, quo intelligimus Deum habere actualem volitionem, intelligamus etiam eum posse velle.

Cæterùm voluntatem esse in Deo idem realiter cum ipsamet essentia Dei, patet ex dictis suprà de simplicitate Dei, & aliis eius perfectionibus: quòd item illa non sit propriè aliquod prædicatum constitutiuum diuinæ essentiæ, sed ei iam constitutæ quasi adiacere, suprà ostendimus ad quæst. 14. quo tandem modo voluntas Dei distinguatur tam ab ipsa eius essentia, quàm ab aliis eius attributis, dicetur infrà agendo de mysterio Trinitatis, vbi inuestigabimus distinctionem relationum diuinarum ab essentia diuina.

I.

ARTICVLVS II.

De diuisione voluntatis diuinæ in voluntatem signi *&* beneplaciti.

SICVT quæst. decimâ quartâ considerauimus scientiam diuinam in se seu secundùm se duntaxat, deinde secundùm habitudinem ad sua obiecta, sic & hoc loco diuinam voluntatem, & quibus argumentis ibi ostendimus vnicam, eámque simplicissimam esse in Deo scientiam secundùm se sumptam, iisdem applicatis præsenti difficultati conuincimus vnicam tantùm esse in Deo voluntatem; vnde diuisio diuinæ voluntatis attenditur tantũ prout illa consideratur per habitudinem ad sua obiecta, quæ varias & varias habent conditiones: Hoc prænotato,

II. Multiplex est apud sanctos Patres & Scholasticos diuisio diuinæ voluntatis: prima in voluntatem *beneplaciti* & voluntatem *signi*; ita illã diuidunt Magister sent. lib. 1. dist. 49. S. Th. hâc qu. art. 11. & 12. & omnes eorũ interpretes.

Voluntas *signi* nihil est aliud, quàm tale signũ externum circa rem aliquam à Deo editum, quale solemus edere ad declarandũ nos velle, aut nolle aliquid sic præceptũ: appellatur voluntas *signi*; vt enim qui aliquid præcipit indicat se id velle, quod præcipit; ita & præceptum Dei est aliquod signum eius voluntatis; hoc autem signum appellatur voluntas Dei per metaphoram ad eum modum, quo etiam hominis testamentum, quod est signum vltimæ voluntatis, solet dici *voluntas testatoris*: vnde pro quinque signis diuinæ voluntatis, hæc voluntas dicitur esse quintuplex, scilicet *præceptum, prohibitio, consilium, operatio & permissio*, quæ

III. omnia continentur hoc versu,

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet. de quibus omnibus & singulis exempla possunt videri apud Magistrũ sent. & S. Th. suprà.

Voluntas autem *beneplaciti* nihil est aliud, quàm ipsa actualis volitio Dei, prout terminatur & applicatur volendo alicui certo obiecto, quod placet Deo, sic voluntas dandi gloriam prædestinatis est voluntas *beneplaciti*.

Est autem inter hanc vtramque voluntatem Dei distinctio: primò quòd voluntas *beneplaciti* sit formaliter in Deo, cùm vt sic dicat perfectionem sine aliqua imperfectione; voluntas verò *signi* non sit formaliter in Deo, sicut nec ipsum signum externum: deinde quòd prima voluntas dicatur propriè voluntas, altera

IV. tantùm metaphoricè.

Quæres, an signa illa quæ metaphoricè dici solent *diuinæ voluntates*, semper significent aliquam voluntatem *beneplaciti*.

Respondetur affirmatiuè; quia aliàs hæc signa obtinerent falsò nomen diuinæ voluntatis; sic enim essent falsa signa, vt patet discurrenti per singula.

De præcepto constat, quia dum agimus pœnitentiam de peccato quo violauimus præceptum Dei, dolemus de eo vt contrario beneplacito Dei.

Nec obstat quòd Deus Geneseos 22. capite præceperit Abrahæ immolare sibi filium suum Isaac, quem de facto impediuit, ne immolaret reipsa; nam præceptum istud non emanat à voluntate *beneplaciti* de occisione Isaac realiter perficienda; sed tantùm pendebat ex vo-

A luntate beneplaciti, quâ Deus volebat maximam illam beneuolentiam Abrahæ & præparationem animi eius ad immolandũ proprium suum filium; respectu cuius diuinæ voluntatis prædictum præceptum propriè fuit signum. V.

Idem patet *de prohibitione*, cùm illa sit de eo quod est malum, quódque Deus vult nos euitare, & quod etiam odit: idem patet de *consilio*, cùm hoc sit de bono; item de *operatione*, cùm etiam illa sit à Deo.

Si quæ sit difficultas, est *de permissione peccati*, sed hæc non eo sensu numeratur inter signa diuinæ voluntatis, quòd denotet Deum velle peccata, aut saltem se gerere per modum volentis ipsa peccata, quia hoc est blasphemũ: sed ipsa permissio peccati hoc sensu est signum diuinæ voluntatis, quòd significet Deum velle constituere hominem in manibus consilij sui,

B & vt vtatur libertate arbitrij sui creati: item quòd aliquando significet Deum velle punire aliqua peccata præcedentia periculo consequentium peccatorum, quibus homo priuatus à Deo specialibus auxilijs, licet sufficientibus non careat, exponitur. VI.

Addi tamen potest ista signa hoc sensu posse dici interdũ non significare diuinam voluntatem, quatenus licet aliquando significent, non tamen eam quam nos primo aspectu concipimus, vt patet in præcepto superiùs facto Abrahæ de immolando filio, & in alijs multis.

ARTICVLVS III.

De altera diuisione voluntatis Dei in antecedentem *&* consequentem.

SECVNDA diuisio diuinæ voluntatis est *in antecedentem & consequentem*, S. Thom. hâc VII.

C qu. art. 6. & alij Scholastici eam desumpserunt ex S. Chrysost. homiliâ 1. in epist. *ad Ephesios*, S. Damasc. lib. 2. *de orthodoxa fide*, cap. 29. & lib. *contra Manichæos*, vbi alijs verbis, idem tamen significantibus, eam tradunt; quando scilicet dicunt voluntatem Dei aliam esse *primariam*, & aliam *secundariam*, vbi S. Damasc. illam explicans, vnumquodque membrum appellat duobus nominibus, vnum nomine *primariæ & antecedentis*, alterum nomine *secundariæ & consequentis*.

Antecedens voluntas illa est quæ versatur circa bonum absolutè & secundùm se spectatum, vnde dicitur *antecedens*, quia vt sic antecedit omnem liberam causalitatem causæ secundæ, & alio nomine vocatur *primaria*, quia vt san-

D ctus Damascen. suprà explicat, ita est ex solo Deo, & ortum habet ex sola eius bonitate, vt nullam occasionem sumat ex nostris bonis, vel malis operibus. VIII.

Voluntas consequens ea dicitur quæ versatur circa bonum consideratis omnibus eius circumstantiis, sícque appellatur, quia vt sic est aliquid posterius bono secundùm se, & absolutè considerato, & volito, tenditque in ipsas res, vt sunt in seipsis absolutè simpliciter, & secundùm omnes suas circumstantias: alio autem nomine vocatur à Patribus relatis *secundaria*, quia vt S. Damasc. explicat suprà, sumit occasionem ex præuisis operibus hominum; sic voluntas quâ Deus vult compensare hæc & illa bona opera pij viri, dicitur *secundaria*, sicut voluntas saluandi omnes homines reducitur ad *antecedentem* seu *primariam* volunta-

I. tem Dei, de qua rectè intelligitur illud sancti Pauli 1. ad Timotheum 2. *qui omnes homines vult saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*; Deus enim considerando homines, prout sunt ab illo creati, vult illis omnibus gloriam æternam, licet illis vt consideratis in particulari secundùm circumstantias eam tantùm velit cõferre aliquibus, quod pertinet, loquẽdo propriè, *ad consequentẽ eius voluntatem.*

Quæres, an hæc vtraque voluntas sit formaliter in Deo; *de consequente* nulla est inter Theologos difficultas; nam passim in sacris literis exprimitur per aliquod positiuum, quod sit formaliter in Deo, vt Isaiæ decimo quarto. *Iurauit Dominus exercituum dicens; si non vt putaui*, id est cogitaui, *ita erit: & quomodo mente tractaui ita eueniet:* & ibidem *Dominus decreuit, & quis poterit infirmare*,
II. decretum autem importat firmam resolutionem voluntatis: & ibidem cap. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

Deinde patet in illis actibus iustitiæ, quos Deus exercet circa bonos conferendo illis vitam æternam in præmium meritorum, & vindictæ circa malos, puniendo illos pœnâ gehennæ æternæ, & aliis similibus actibus, qui frequenter tam à sacra Scriptura, quàm à sanctis Patribus tribuuntur Deo, in quorum formali ratione, cùm nulla imperfectio vel etiam indecentia includatur; & sacræ literæ ex receptissima regula S. Augustini debeant accipi in proprio & literali sensu, vbi nihil occurrit, propter quod debeamus recurrere ad sensus metaphoricos, fit, vt ex istis & aliis similibus locis exprimentibus voluntatem consequentem Dei, rectè colligamus illam esse
III. formaliter in Deo, cùm sit actus aliquis positiuus; at hæc voluntas consequens est *beneplaciti*, vt potest intelligi ex dictis.

Difficultas solùm restat de voluntate *antecedenti*, Bannes hîc art. 6. & aliqui recentiores existimant illam non esse formaliter in Deo, sed esse tantùm aliquam voluntatem *signi*.

Melior tamen est sententia affirmans, *voluntatem antecedentem esse formaliter in Deo:* & est S. Thomæ lectione 1. in caput secundum prioris epistolæ *ad Timoth.* & in quæstionibus disputatis *de veritate* quæstione 23. artic. 2. vbi diuidit voluntatem *beneplaciti*, quæ est formaliter in Deo, in voluntatem *antecedentem*, & *consequentem.*

Probatur primò ex pluribus locis sacræ Scripturæ, qui sunt de hac voluntate antece-
IV. dente in Deo, nec tamen possunt commodè intelligi nisi de actu positiuo, & formaliter existente in Deo, cuiusmodi est illud Dei, apud Ezechielem cap. 24. *volui te mundare, & non es mundata*, & illud Christi Domini apud S. Matthæum cap. 23. *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti:* hæc enim verba *quoties volui*, & similitudo illa gallinæ, in qua exprimitur vehemens eius affectus erga suos pullos, satis arguunt talem voluntatem Dei fuisse actum aliquem positiuum, & formaliter existentem in Deo, vt etiam significant sancti Chrysostomus & Damascenus suprà, & tamen hæc voluntas est tantùm *antecedens* ex omnibus Theologis.

Probatur etiam ratione: actus quo Deus alicui decernit bonũ aliquod, est aliquid forma-
A liter, & positiuum in Deo, sicut & ipsum eius decretum: atqui voluntas *antecedens* in Deo est aliquod tale decretum; nam per illam decreuit multis etiam reprobis auxilia sufficientia, vt vitam æternam sibi comparent. V.

Confirmatur: Deus vult illud formaliter, quod expressè facit, hoc enim posterius importat formalem volitionem: sed Deus dat expressè omnibus & singulis hominibus media sufficientia ad consequendũ salutem æternam; & hæc collatio sufficientium mediorum sumpta præcisè importat actum antecedentis diuinæ voluntatis: ergo voluntas *antecedens* est in Deo aliquid formaliter existens, & hoc totum ampliùs confirmatur ex dicendis infrà circa adimpletionem voluntatis *beneplaciti*, quæ est in Deo.

B

ARTICVLVS IV. VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ, & respondetur dubio.

PRIMVM est: omnis voluntas existens formaliter in Deo tendit in rem vt affectam suis circũstantiis: nam voluntas Dei tendit ad rem secundùm quod illa est in rerum natura, nulla autem res existit sine suis circumstantiis: sed voluntas *antecedens* Dei non tendit in rem hoc modo, vt intelligitur ex dictis circa illius explicationem: ergo non est formaliter in Deo.

Respondetur, ex S. Th. in quæst. disput. *de veritate* quæst. 23. art. 2. in solut. ad 2. hæc duo in qualibet re distingui, illam fieri, vel non fieri sine his aut aliquibus circumstantiis & conditionibus; & istud, omnes illas circumstantias quæ de facto reperiuntur in tali re volita, esse rationem mouentem voluntatem ad
C volendũ illam, vt patet in vino, quod est exem- VII.
plum S. Thom. ibi, in quo simul & semel reperiuntur virtus inebriandi, & ipsa eius dulcedo; nec tamen ratione virtutis suæ inebriandi mouet appetitum bibentis, sed ratione dulcedinis; sic etiam quamuis res ipsæ non producantur vel existant de facto, nisi vt sunt affectæ his & istis cõditionibus, & circumstantiis, non tamen hæ omnes & istæ conditiones seu circumstantiæ, quæ sunt in illa re, tanquam obiecto per Deũ volito, sunt ratio mouens Deum ad volendum illam, sed quia in eiusmodi obiecto multa, eáq; diuersa reperiũtur, putà in homine, quòd sit creatus ad Dei similitudinem, quòd sit infectus maculâ peccati mortalis, & sic de pluribus aliis; Deus ratione primi moue-
D tur ad volendum ei vitam æternam, & hoc vo- VIII.
luntate tantùm antecedenti; qui tamen ratione posterioris vult illi sic morienti pœnam æternam, sicut iudex vult homini conseruationem vitæ, quatenus illum apprehendit vt ciuem, vt autem cognoscit illum esse latronem, homicidam, & id genus cætera, vult illi eidem consequenti quadam voluntate suspendium & mortem.

Secundum fundamentum est: voluntas *antecedens* est quoddam veluti desiderium ex S. Th. quæst. seq. atqui desiderium non est formaliter in Deo; ergo nec volũtas antecedens.

Respondetur: quidquid sit de desiderio prout est de bono alteri concupito, an sit formaliter in Deo, nec ne, de quo dicetur quæstione sequenti, negatur hanc voluntatem antecedentem Dei esse aliquod desiderium

I. loquendo propriè, sed est amor, quo de facto vult æternam vitam & vltimum finem hominibus, iisque prouidet de mediis ad illam sufficientibus & necessariis: quòd si aliqui Patrum appellent aliquando hanc voluntatem antecedentem *desiderium*, sic explicandi sunt, quoad actum illum positiuum amoris, qui reperitur in desiderio, non autem de illa formali ratione distinguente illud ab amore, quæ ratio est tendere in bonum futurum, vt est futurum absens.

Tertium fundamentum est: nulla datur in Deo voluntas otiosa vel etiam imperfecta, at voluntas *antecedens* videtur esse otiosa, cùm nihil videatur operari quatenus illâ non obstante Deus non desinit velle efficaciter oppositum per voluntatem *consequentem*, vt voluntas illa quâ Deus vult Iudam vt hominem
II. à se creatum saluari, est *antecedens*, & frustranea, cùm illâ non obstante, velit efficaciter damnari Iudam: videtur etiam imperfecta, quia sic videtur tantùm importare quandam velleitatem; at velleitas importat ex parte volentis imperfectionem, vt philosophi docent in ethicis: ergo non est formaliter in Deo.

Respondetur ad primam partem huius tertij fundamenti, quæ contendit hanc voluntatem esse in Deo otiosam, negando: nam in primis ex tali voluntate omnia media & auxilia sufficientia ad consequendam vitam æternam proueniunt & conceduntur hominibus: deinde Deus per hanc voluntatem ostendit se non esse causam cur aliqui homines peccent, & posteà damnentur; tertiò per illam nobis
III. manifestat suam naturam, quòd scilicet de se sit bonus, & nonnisi nostram salutem postulet.

Ad alteram partem eiusdem tertij fundamenti, quæ procedit de imperfectione, negatur talem voluntatem Dei esse duntaxat velleitatem; est enim actus absolutus & explicatur per *volo*, est de præsenti & fertur in obiectum absolutè bonum, vt patet ex dictis, & patebit ex dicendis artic. sequenti.

Ex his sequitur hanc diuisionem non esse eandem cum præcedenti, cùm vnum membrum præcedentis sit voluntas Dei, tantùm impropriè, & metaphoricè, vtrumque verò membrum huius sit formaliter in Deo, & aliqua voluntas propriè dicta; sed hanc secundam diuisionem esse potiùs subdiuisionem il-
IV. lius diuinæ voluntatis, quam vocant *beneplaciti*, vt intelligitur ex citato loco S.Th. quæst. 23. *de veritate*.

Quæres, an hæc diuisio secunda sit ita sufficiens vt membrum aliquod tertium, quod vocetur voluntas *concomitans* non possit ei addi.

Respondetur posse, & probatur: tot possunt distingui in Deo voluntates, quot variis & distinctis modis volitio Dei sese terminat ad creaturas, quia ex dictis initio huius articuli, diuisiones voluntatis diuinæ attenduntur penes variam habitudinem, & terminationem ad obiecta: atqui præter duas terminationes superiùs explicatas inter se distinctas diuinæ volitionis ad obiecta, quæ explicantur duobus prædictis membris, datur & alia tertia scilicet *concomitans*, quâ nimirum Deus vult efficaciter concurrere nobiscum ad
A producendum liberum consensum nostræ vo- V.
luntatis: & hæc est distincta ab *antecedenti*, quia *antecedens* præuenit nostram voluntatem, omnem eius determinationem, & ortum habet ex sola Dei bonitate; hæc verò quam vocamus *concomitantem*, non præuenit nostram voluntatem, sed eius operationem concomitatur, & ad illam vt sic terminatur.

Distinguitur etiam à voluntate *consequenti*, quia *consequens* præsupponit secundùm præscientiam meritum vel demeritum nostri operis, & ad illud vt iam factum in præuisione compensandum sese terminat: at voluntas concomitans non illud præsupponit, sed ei vt faciendo decernit cooperationem Dei; quæ applicatio liberi decreti diuini est omninò alia ab aliis duabus præcedentibus: igitur
B præter voluntatem *antecedentem* & *consequen-* VI.
tem datur etiam in Deo voluntas *concomitans*.

Patres superiùs allati pro hac bimembri diuisione non fecerunt expressam mentionem huius voluntatis *concomitantis* tanquam tertij membri, quia illa videtur aliquo modo includi in antecedenti, quatenus habet hoc sibi commune cum antecedenti, quòd nullam habeat causam moralem sui in nobis, sed fundetur in bonitate Dei: deinde quòd sequatur ad *antecedentem*, nam ex vi antecedentis diuinæ voluntatis, si nullum obicem ei apponamus, sequitur ipsa voluntas Dei *concomitans* & *cooperans* nostræ actioni: vnde patet maiorem esse distinctionem inter diuinam voluntatem *consequentem* & *antecedentem*, quàm sit inter
C *concomitantem* & *antecedentem* comparatas ad VII.
se inuicem.

ARTICVLVS V.

De diuisione voluntatis Dei in absolutam *&* conditionatam.

TERTIA diuisio diuinæ voluntatis est in *absolutam* & *conditionatam*; ea censetur esse *absoluta*, quæ est circa rem spectatis omnibus circumstantiis, éstque efficax, & semper impletur; ea verò dicitur esse *conditionata*, quæ talis est, vt habeat aliquam conditionem, vnde non est semper efficax, cùm illa conditio non semper ponatur; sic possumus dicere Deum voluisse saluare Iudam, éique pecca-
D tum proditionis remittere, modò illum de- VIII.
bitè pœniteret sui peccati.

Quæres, an hæc diuisio sit eadem cum secunda, ita vt *absoluta voluntas*, sit eadem cum *consequente*, & *conditionata* cum *antecedente*.

Respondetur esse aliam; licet enim omnis *voluntas consequens* sit *absoluta* & simpliciter efficax, non tamen omnis *antecedens* est *conditionata*, vel inefficax, vt patet de ea voluntate, quâ Deus decreuit dare nobis gratiam vocantem, & alia dona quibus libera nostra cooperatio præuenitur, quæ voluntas est *antecedens*, cùm feratur in rem secundùm se tantùm, & non vt consideratam in particulari cum suis circumstantiis iam positis.

Cæterùm licet voluntas Dei alia nobis pateat ex sacris literis, sicque censeatur nobis *reuelata*, vt patet ex locis sacræ Scripturæ; &

I. item alia voluntas Dei sit nobis *occulta*, vt patet ex illo Apostoli, *quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit:* non propterea tamen voluntas Dei sic benè diuiditur *in reuelatam* & *occultam*; vt suprà enim monuimus, diuina voluntas diuiditur per habitudinem ad obiecta quatenus hæc alio & alio modo terminant illam: at *esse arcanum* & *esse reuelatum* in ipsis rebus creatis non terminat alio & alio modo tenente se ex parte rerum volitionem Dei, quatenus sunt volitæ; sed *esse reuelatum* vel *esse arcanum* est merè per accidens ad ipsam rem vt volitam, cùm non habeat à reuelatione, vel non reuelatione, quòd sit hoc vel illo modo volita: igitur hæc diuisio diuinæ voluntatis in *reuelatam* & *arcanam* est impertinens.

II. Hinc à fortiori hæc eadem diuisio est reiicienda, ad illum sensum, quo Caluinus admittit & explicat illam lib. 1. *suarum institutionum*, cap. 17. paragrapho 2. lib. 3. cap. 20. §. 43. eodem lib. cap. 24. §. vltimo, scilicet illam esse *reuelatam*, quâ Deus vult præcepta sua seruari, & prohibet peccata; illam verò *esse secretam & occultam*, quâ interim occultè vult peccata, vt inde habeat occasionem exercendi iustitiam vindicatiuam: hæc enim explicatio admittit in Deo aliquam voluntatum contrarietatem, & Deum ita prohibere peccatum per vnam voluntatem, scilicet *reuelatam*, vt tamen absolutè velit illud per *secretam*, sícque absolutè loquendo Deum esse auctorem peccati; quod est blasphemum, vt Theologi docent ex professo primâ secundæ agendo de peccatis.

ARTICVLVS VI.

III. *Vtrum omnis voluntas* beneplaciti, *quæ est in Deo, impleatur.*

SENSVS articuli est, an possit dari aliquis actus diuinæ voluntatis circa ipsum fieri alicuius obiecti, & tamen illud non fieri, sícque dari possit aliquis actus inefficax, ratione cuius illa diuina voluntas, quæ est *beneplaciti*, possit adhuc diuidi in *efficacem* & *inefficacem*.

Scotus, Ariminensis, & nonnulli alij in primum sententiarũ tuentur partem negantem.

Melior tamen est communis aliorum sententia, cum qua concludimus, *dari in Deo aliquam voluntatem quæ propriè sit beneplaciti, nec impleatur:* quam sententiam S. Thomas ex-

IV. pressè tradit hâc quæst. artic. 6. in responsione ad primum, quando agnoscit voluntatem antecedentem, quam suprà docuimus esse aliquam speciem diuinæ voluntatis *beneplaciti*, & esse formaliter in Deo, non semper adimpleri: S. item Bonauentura citatâ distinct. 46. & plures alij etiam ex recentioribus.

Vbi notandum est, hanc nostram propositionem intelligi de sola illa diuina voluntate *beneplaciti*, quæ condistinguitur ab *absoluta*; hanc enim fatemur semper impleri.

Nostra itaque propositio probatur: primùm ex sacris literis quæ sic exprimunt antecedentem voluntatem Dei *beneplaciti* circa salutem omnium etiam reproborum, vt significent illam positiuè & formaliter esse in Deo, Ieremiæ 51. *Curauimus Babylonem & non est sanata, de-*

A *relinquamus eam:* item apud S. Matthæum 23. capite ait Christus Dominus de Ierusalem, *quoties volui congregare filios tuos, & noluisti:* item 1. *ad Timoth.* 2. *qui omnes homines vult saluos fieri:* & quòd veritas eiusmodi propositionum quatenus sonat positiuam volitionem, non possit restringi ad eos solos, qui saluantur de facto, patet primò ex illa particula *volui* in secundo testimonio relato, quæ sonat ibi talem effectum positiuum circa salutem Iudæorum, qualis est affectus parentum erga filios, vt obseruauimus: deinde ex vltimo testimonio, quatenus Apostolus ibi ita præmittit: *hoc enim bonum est & acceptum coram Deo salvatore nostro, qui omnes homines vult saluos fieri:* item ex eo quòd subiungit, *qui dedit semetipsum pro omnibus:* atqui Christus Dominus homo habuit voluntatem positiuam V.

B redimendi omnes homines, item Apostolus ibi præcipit, vt preces & orationes fiant pro omnibus hominibus: ergo cùm Apostolus loquatur eodem modo de voluntate quam Deus habet circa salutem omnium hominum, ac de istis; quemadmodum voluntas diuina *beneplaciti* circa hæc enumerata dicit actum positiuum tam in Christo Domino, quàm in nobis, sic & illa voluntas *beneplaciti*, quæ est in Deo circa salutem omnium hominum, erit positiua. VI.

Probatur item ex Patribus, vt S. August. respons. ad articulos sibi falsò impositos, in responsione ad 2. vbi ait: *sincerissimè credendum esse & profitendum Deum velle, vt omnes homines salui fiant*; item & S. Prospero *de vocatione Gentium*, cap. 19. & 25. item in resp. *ad capita Gallorum*, cap. 8. item ex sanctis Chrysostomo & Damasceno locis suprà citatis pro VII.

C 2. distinctione.

Tandem probatur ratione: primùm iis omnibus quibus articulo præcedenti ostendimus voluntatem antecedentem esse formaliter in Deo: deinde vera & positiua voluntas mediorum supponit aliquam voluntatem finis, ad quem talia media ordinantur: atqui Deus habet veram & positiuam voluntatem mediorum necessariorum, & sufficientium ad comparandum salutem respectu reproborum, & hæc voluntas propriè est *beneplaciti*, nec tamen semper impletur, cùm omnes reprobi, licet habeant prædicta media, damnentur: igitur non omnis diuina voluntas *beneplaciti* impletur. Maior patet, quia volitio finis est ratio volendi media, vt philosophi communiter

D docent: ergo si volitio mediorum est positiua, ipsa etiam volitio finis debet esse positiua, quando qui vult habere media, vno eodémque actu simplicissimo suæ volitionis continet quidquid est perfectionis in vtraque volitione tam finis quàm mediorum diuisiuè sumpta, cuiusmodi est ipsa volitio Dei. VIII.

Minor verò quoad priorem partem, quæ asserit, *Deum positiuâ voluntate ordinare media sufficientia ad salutem*, etiam *reproborum*, patet ex citatis testimoniis Scripturæ & Patrũ: item ex eo quòd quodlibet decretum Dei est positiuum: atqui voluntas illa Dei, quâ dat reprobis media sufficientia necessaria ad salutem, est quoddam decretum Dei, quia ex ea intentione, quâ eos creauit ad gloriam æternam voluit illis hæc media, & proinde cùm hæc sint quædam bona Deo grata, sunt eius voluntatis

I. *beneplaciti*, quæ tamen est inefficax, cùm ex
hypothesi sint reprobi, nec de facto sal-
uentur.

Articvlvs VII.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

Primvm est, quòd passim in sacris literis
dicatur de Deo, *omnia quæcumque voluit*
fecit, & Deus dicat apud Isaiam prophetam,
omnis voluntas mea fiet, ex quibus S. August. in
Enchiridio *ad Laurentium*, absolutè affirmat
non posse dici Deum voluisse aliquid fieri,
quod tamen factum non sit, ideóque semper
ita interpretatur istud Apostoli de Deo, *qui*
homines omnes vult saluos fieri, vt tamen nun-
II. quam fateatur aliquid fieri circa salutem re-
proborum diuinâ voluntate *beneplaciti*.

Respondetur ad auctoritates Scripturæ
sacræ, illas non intelligi de quacumque volun-
tate diuinâ *beneplaciti*, sed de ea tantùm, quæ
est *consequens*, & simpliciter *absoluta*, id est
quæ est circa rem spectatis omnibus eius cir-
cumstantiis; hæc enim semper est efficax: at
præter hanc datur & alia quæ sit voluntas *be-*
neplaciti, vt patet ex dictis: & hæc solutio est
etiam pro auctoritatibus Patrum, quæ affe-
runtur pro prima ista opinione, & testimo-
nium S. August. soluitur testimonio eiusdem
relato pro nostra propositione.

Secundum fundamentum est, quòd vo-
luntas inefficax dicat imperfectionem repu-
gnantem, vel omnipotentiæ, vel bonitati eius,
III. qui illam habet; est enim voluntas inefficax,
vel quia per se non sufficit, vel quia impeditur
ab extrinseco, vel quia mutatur, vel tandem
si nihil horum obstet, & nihilominus effectus
non sequatur, censetur nolle; exempli gratiâ
quando quis potest saluare proximum, quem
tamen non saluat, conuincitur noluisse saluare
illum, quod est oppositum bonitati: atqui
nulla datur in Deo imperfectio opposita eius
bonitati, vel omnipotentiæ: ergo etiam nulla
datur in Deo voluntas inefficax.

Respondetur, voluntatem inefficacem ex
parte obiecti intenti tunc non arguere imper-
fectionem in volente, quando talis inefficà-
cia non prouenit ex impotentia, vel alia simili
imperfectione, quæ sit in illo, sed ex summa
eius sapientia & libertate, quomodo contin-
git in Deo, qui ita vult ista media voluntate
IV. *beneplaciti*, vt tamen velit liberam hominum
cooperationem & applicationem mediorum
à se institutorum, suásque perfectiones ita
manifestari per suam prouidentiam: vnde
cùm ista media habeant connexionem cum
fine supernaturali, fit, vt eo ipso quo Deus
positiuâ voluntate *beneplaciti* voluit hæc me-
dia omnibus & singulis hominibus, illis etiam
positiuè voluerit finem supernaturalem: est
autem hæc volitio Dei actus ita absolutus, &
non conditionatus ex parte diuinæ voluntatis
ordinantis & conferentis media necessaria, &
sufficientia ad salutem, vt tamen quantum ad
futuritionem effectus ad quem ordinantur,
& per comparationem ad eos quibus hæc me-
dia offeruntur, sit conditionata; Deus enim
vult illis salutem, modò tamen respondeant,
& cooperentur eiusmodi mediis à se in illo-
A rum bonum ordinatis; nam velle facere vt ali- V.
quod opus sit alteri possibile, quod tamen ille
non potest sine aliquo meo auxilio & absque
mea cooperatione explere, idem est ac de-
cernere sub conditione saltem alienæ coope-
rationis, meam operam in illud idem opus;
sed Deus vi illius voluntatis antecedentis,
quâ decernit multis, qui etiam damnantur,
media sufficientia ad salutem, fecit vt æterna
salus esset eis possibilis, modò illi vellent re-
spondere & cooperari eiusmodi mediis, sine
quibus æterna salus esset eis impossibilis, &
quòd per eos tantùm staret, si non saluaren-
tur: ergo hæc volitio Dei licet sit actus abso-
lutus prout comparatur ad Deum, & ad me-
dia sufficientia, quæ verè offeruntur cuilibet
reprobo; attamen prout comparantur ad ho-
minem cui conferuntur, & ad futuritionem
B effectus ad quem ordinantur, est conditio- VI.
nata.

Confirmatur: si talis volitio Dei respectu
prædictæ futuritionis esset actus purè & sim-
pliciter absolutus ab omni & qualibet condi-
tione, tunc effectus ei correspondens eueni-
ret infallibiliter ad exhibitionem eiusmodi
auxiliorum sufficientium; quod tamen constat
esse falsum in omnibus reprobis, vt norunt
omnes Theologi: ergo hæc volitio Dei vt
comparata ad futuritionem eius effectus pro-
pter quem datur, & ad eum hominem cui of-
fertur, est quidam actus diuinæ voluntatis tan-
tùm conditionatus.

Ad id verò quod auctores prioris sententiæ
posteriori loco obiiciunt, scilicet Deum vide-
ri nolle saluare, quem de facto non saluat; re-
C spondetur esse absolutè falsum, quia nolle VII.
saluare simpliciter & absolutè sumptum, ne-
gat omnem & quamlibet volitionem salutis
circa eum, de quo est sermo; Deus autem ha-
bet aliquam volitionem salutis, circa repro-
bos, cùm det illis media necessaria & suffi-
cientia: si tamen prædictum istud nolle suma-
tur vt solum negat consequentem, & simpli-
citer loquendo absolutam voluntatem Dei,
tunc id est quidem verum; inde tamen malè
infertur Deum non habere voluntatem pro-
priè dictam saluandi homines, cùm voluntas
consequens non excludat à Deo veram volun-
tatem antecedentem saluandi eum quem om-
nibus suis demeritis consideratis damnat ad
pœnam æternam.

Hinc fit, vt multa hodie fiant contra ante-
cedentem voluntatem Dei, exempli gratiâ
D peccata, contra consequentem nihil; item VIII.
euenit, vt interdum qui facit contra volunta-
tem antecedentem Dei, dicatur aliquo modo
obsequi diuinæ voluntati, non quidem in vo-
lito formali, sed ex eo quòd id quod fit con-
tra voluntatem diuinam, ita ei & diuinæ eius
prouidentiæ subiicitur, vt tamen aliqua vo-
luntas Dei semper fiat circa illud; quod enim
Deus vult bonâ voluntate, homo interdum
vult malâ, exempli gratiâ Deus vult marty-
rium Sanctorum, vt det illis gloriam; tyran-
nus verò vt illos perdat: quâ de re S. August.
in Enchiridio *ad Laurentium*, cap. 100. & se-
quentibus.

I.

DISPVTATIO II.

De obiecto diuinæ voluntatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quodnam sit formale obiectum diuinæ voluntatis.

NOTANDVM est primò, diuinam voluntatem considerari duobus modis: primò secundùm intrinsecam suam perfectionem; deinde penes respectum terminationis, ratione cuius fit, vt illa sese terminet circa istud obiectum, & non circa aliud.

II. Deinde notandum est, duplex formale obiectum illius posse distingui; vnum *primarium* specificatiuum illius; alterum *secundarium*, sicut distinximus suprà agendo de scientia Dei. His prænotatis, sit

Prima propositio. *Primarium formale obiectum diuinæ voluntatis consideratæ secundùm intrinsecam suam perfectionem, est sola increata bonitas Dei*: ita S. Thomas hâc quæst. artic. 2. in solutione ad 3. & libro 1. *contra Gentes*, cap. 80. & 81.

Probatur: illud est primarium formale obiectum diuinæ voluntatis, quod est illi primaria ratio volendi quodcumque volibile, quia esse voluntati rationem volendi, & esse formale eius obiectum, sunt idem, sicut etiam seruatâ proportione in actibus scientiarum & potentiarum: atqui sola bonitas increata est

III. diuinæ voluntati primaria ratio volendi quodcumque volibile, vt patet ex sacris literis, quæ affirmant Deum condidisse omnia propter semetipsum, vt Prouerb. 16.

Deinde, illud censetur esse primarium formale obiectum, quo intellecto & omnibus aliis præcisis ipsum tale obiectum voluntatis intelligitur adhuc remanere: atqui positâ bonitate increatâ & præcisâ aliâ quacumque bonitate creatâ, voluntas diuina intelligitur esse tanquam respiciens aliquod volibile, scilicet increatam suam bonitatem, quia appetitus rei cuiuslibet fertur in proprium bonũ; voluntas autem diuina est proprius appetitus Dei, & bonitas increata est proprium bonum Dei: igitur ipsa bonitas increata Dei est primarium formale obiectum diuinæ voluntatis conside-

IV. ratæ secundùm perfectionem suam intrinsecam.

Secunda propositio. *Bonitas creata est secundarium formale obiectum diuinæ voluntatis considerata secundùm suam terminationem.*

Probatur: illud censetur esse secundarium formale obiectum diuinæ voluntatis, quoad terminationem, quod est ratio proxima ad volitionem huius vel alterius rei, seu quæ est ratio cur volitio potiùs sese terminet ad hoc volitum, quàm ad aliud: atqui bonitas creata est proxima ratio, licet non vltima, & primaria ipsi diuinæ voluntati, vt eius volitio sese terminet ad hoc obiectum; exempli gratiâ sanctificans gratia quæ est in viro pio & iusto, est ipsi Deo ratio, ob quam Deus illum speciali amore prosequatur.

A Deinde probatur: voluntas diuina amat vnumquodque prout est bonum: atqui vnum ens creatum habet alio modo bonitatem, & aliud ens creatum alio, vt ex se patet, & nihilominus Deus vno eodémque simplicissimo actu volitionis vult illa omnia: igitur cùm in tali volitione spectata adæquatè possimus tantùm considerare duo illa, scilicet intrinsecam eius perfectionem & terminationem eius ad obiecta, nec possumus istam varietatem dilectionis refundere in intrinsecam perfectionem diuinæ voluntatis, cùm hæc sit omninò immutabilis & necessaria, restat vt eam reiiciamus in eius terminationem ad obiecta creata. V.

Neque ex hac variatione diuinæ voluntatis & formali eius ratione quoad terminationem sequitur aliqua variatio in perfectione intrinseca illius, nec sequitur diuinam volitionem

B accipere aliquam perfectionem à rebus creatis; nam vt inferiùs dicemus agendo de actu libero Dei, hæc est distinctio inter volitionem nostram & Dei volitionem, quòd in volitione creata intrinseca eius perfectio non distinguatur à terminatione eius ad rem volitam, quia indiuidualis eius perfectio consistit in transcendentali habitudine ipsius actus ad certum hoc & determinatum obiectum, à quo habet vt sit hic actus in indiuiduo, & non alius, & ex consequenti dum variatio fit in vno, illa etiam fit in alio, & sicut nostra volitio habet suam entitatem per ordinem ad tale obiectum, ita & suam perfectionem accipit ab ordine ad illud; at in diuina voluntate perfectio intrinseca volitionis est distincta ab illo respectu terminationis, quo fertur & ter- VI.

C minatur ad creaturas, & hæc intrinseca perfectio diuinæ volitionis potuit esse sine illo respectu terminationis ad obiecta creata, quatenus Deus absolutè loquendo potuit nihil velle creare, & nihilominus semper haberet suam actualem volitionem, cùm illa sit aliquid necessariò existens in Deo, & idem realiter cum diuina essentia: vnde variato isto respectu terminationis ad obiecta creata volita, nulla resultat variatio in ipsa volitione Dei considerata secundùm intrinsecam suam perfectionem. VII.

ARTICVLVS II.

Consectarium ex doctrina præcedenti.

EX his sequitur contra Caietan. hâc quæstione S. Thomæ artic. 2. Deum velle alia à se, seu seipsum actu communicare ad extra, nullam loquendo propriè dicere perfectionem in Deo; tum quia Deus ita est ens necessarium, vt non possit carere suis perfectionibus; at volitio Dei potuit carere terminatione ad obiecta creata; tum quia omnis potentia passiua receptiua repugnat Deo, sic enim ille esset obnoxius mutationi: at hæc terminatio diuinæ volitionis ad res creatas aduenit Deo per illud eius decretum, quo creat de facto; tum etiã quia esse causam in actu non dicit formaliter aliquam perfectionem intrinsecam in ipso agente; nam homo est tam perfectus quoad essentialia antequam de facto generet, quàm quando generat, vel postquam generauit: tum etiam quia licet ipsum esse causam VIII.

D

I. in actu diceret in nobis aliquam perfectionem, non tamen in Deo; diceret enim perfectionem in nobis ex eo quòd in rebus creatis esse causam in actu, & de facto velle aliis bonum aliquod dicat in ipso volente productionem nouæ alicuius entitatis; dicit enim productionem noui actus & nouæ volitionis distinctæ ab omnibus aliis tam præcedentibus, quàm subsequentibus: at in Deo ipsam esse causam in actu secundo nihil reale & positiuum superaddit ei seu voluntati eius, quod insit illi formaliter & intrinsecè, vt patebit infrà explicando quid sit in Deo ipsum eius decretum.

Hinc quando S. Thomas hîc art. 2. probat Deum velle alia à se, ex eo quòd ipsum velle alia à se dicat perfectionem in creatura, &
II. omnis perfectio creaturæ est in Deo; ibi terminus iste, *perfectio*, non sumitur in sua propria philosophica & rigorosa significatione, sed in impropria, ad illum sensum, quo illud quod est congruum & conueniens alicui, dicitur esse eius perfectio, ita vt sensus S. Thomæ ibi sit iste, congruum esse vt quod est in actu primo, reducatur ad actum secundum, & quòd causa habeat aliquem effectum, & proinde cùm Deus ratione suæ omnipotentiæ sit prima causa, esset maximè congruum illum, vt causam omnium nobiliorem poni in actu secundo, in ordine ad obiecta realiter distincta à seipso, & sic manifestare suam bonitatem.

Et quòd hæc sit mens sancti Thomæ, intelligitur ex eius loquendi modo ibi; nam ait
III. in corpore articuli *communicare se, pertinere ad voluntatem diuinam*, non autem dixit esse de perfectione voluntatis diuinæ; nam quæ manifestant bonitatem Dei & eius voluntatem, licet eam nullomodo perficiant, non desinunt dici pertinere ad illam, quatenus dicunt aliquam decentiam & congruitatem, quæ decentia est morali consideratione aliquid consequens perfectionem Dei.

Articvlvs III.

Quodnam sit materiale obiectum voluntatis Dei, & quomodo amet seipsum.

Prima sit propositio. *Adæquatum mate-*
IV. *riale obiectum diuinæ voluntatis est ipse Deus & omnes creaturæ, ita vt Deus sit primarium, & ipsæ creaturæ sint duntaxat secundarium*: sic communiter omnes scholastici.

Probatur: totum illud est obiectum adæquatum alicuius actus, quod potest informari ratione eius formali, vel quod de facto informatur illâ, vt patet etiam in omnibus potentiis & scientiis, & illud est obiectum primarium, quod præcipuè & nobiliori modo habet istam formalem rationem: atqui bonum est formale obiectum diuinæ voluntatis, sicut & cuiuscumque alterius voluntatis, & bonum reperitur tantùm in Deo & creaturis, & bonitas increata est primarium formale obiectum diuinæ voluntatis, creata verò bonitas tantùm secundarium, vt articulo præcedenti ostendimus; igitur Deus & creaturæ sunt adæquatum materiale obiectum

A diuinæ voluntatis, Deus primarium, & creaturæ secundarium. V.

Secunda propositio. *Deus seipsum & suam increatam bonitatem amat necessariò; prout necessarium opponitur libero tam necessitate* exercitij *quàm necessitate* specificationis, id est, *ita necessariò se & suam bonitatem amat, vt non possit cessare ab actuali eius amore & delectatione, nec possit seipsam odisse*: ita omnes scholastici communiter.

Probatur: bonum infinitum & summum clarè intuitiuè & sicuti est visum seu cognitum necessitat secundùm vtramque necessitatem tam *specificationis*, quàm *exercitij* ad sui amorem, voluntatem eius, qui videt illud clarè intuitiuè & sicuti est, quemadmodum omnes scholastici communiter docent
B primâ secundæ quæstione 5. atqui diuina essentia & bonitas increata Dei est summum & infinitum bonum, vt per se constat, & Deus semper videt illud clarè intuitiuè & sicuti est, quia est necessariò beatus, & necessariò comprehendit seipsum: ergo Deus vult seu amat tam necessitate *exercitij actus*, quàm *specificationis* necessariò increatam suam bonitatem. VI.

Dices cum Henrico Gandauensi quæstione tertiâ suæ summæ articulo quadragesimo septimo, necessitatem in actibus voluntatis dicere aliquam imperfectionem, quia tollit dominium propriarum actionum, in quo quidem dominio perfectio agentis relucet: ergo cùm omnis imperfectio remouenda sit à Deo, videtur potiùs dicendum Deum velle liberè suam bonitatem.

Respondetur, duplicem distingui necessita-
C tem, vnam *coactionis*, quæ est ab extrinseco, VII.
exempli gratiâ, quando lapis sursum proiicitur: alteram *immutabilitatis & determinationis*, quæ est intrinseca ipsi agenti, qualis illa est, quâ voluntas semper fertur in bonum: prior necessitas dicit imperfectionem, vt patet ex se, posterior verò minimè, quin potiùs excludit imperfectionem, quia excludit potestatem carendi suâ perfectione, & huius generis est illa necessitas, quâ Deus amat seipsum; est enim ei intrinseca, & actus ille quo seipsum amat est ei voluntarius, quia non aliunde cogitur ad habendum illum, licet eum non habeat liberè.

Neque est aliqua imperfectio, quòd Deus non habeat dominium in illum suum actum, tunc enim tantùm habere dominium in pro-
D priam suam actionem dicit in ipso operante VIII.
perfectionem, quando obiectum circa quod versatur est tale, vt non includat omnem perfectionem, & eius carentia saltem ad aliquod spatium includat aliquam saltem apparentem rationem bonitatis, quod nullomodo potest reperiri in ipsa actuali volitione Dei circa suam bonitatem.

Dices secundò: eadem est ratio amandi media & finem, quia hæc duo dicuntur correlatiuè, sed ex dicendis artic. sequenti, Deus amat liberè ipsas creaturas tanquam quædam media ad seipsum: ergo pari iure amat liberè seipsum & increatam suam bonitatem.

Respondetur, ipsum Deum & increatam eius bonitatem posse considerari duobus modis; primò in se absolutè, & præciso ordine causæ finalis ad media; secundò posse considerari cum ordine finalis causæ, seu ea ra-

I. tione, quâ est finis rerum omnium creatarum, A
non tantùm aptitudine, sed etiam de facto;
iam quando dicimus Deum diligere necessa-
riò seipsum, & suam increatam bonitatem,
id à nobis intelligitur de Deo, & increata
eius bonitate priori modo spectatis, quomo-
do Deus non habet rationem alicuius corre-
lati: at bonitas Dei spectata posteriori modo
est ei ratio obiectiua liberæ electionis, vt
obiectio probat; vnde si Deus de facto nullas
res creatas voluisset, sicut potuit nolendo se
communicare ad extra, tunc dilexisset suam
propriam bonitatem priori tantùm modo spe-
ctatam, non autem posteriori.

ARTICVLVS IV.

Vtrum & quomodo Deus amet res crea-tas existentes in aliqua temporis
II. ### *differentia.* B

NOSTRA sit propositio. *Deus absolutè
loquendo amat liberè res creatas, quæ ha-
bent existentiam in aliqua temporis differentia,
nimirum volendo eis actualem existentiam.*
Propositio est de fide ex sacris literis, Sa-
pientiæ 11. capite dicitur Deo, *diligis omnia quæ
sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*, & ad
Ephesios 1. capite, Apostolus loquens de Deo
ait, *qui operatur omnia secundùm consilium vo-
luntatis suæ*: idem patet ex aliis sacræ Scri-
pturæ testimoniis, quæ affirmant Deum esse
Dominum vniuersorum, & cuncta esse posita
in eius dominatione, ex quibus & aliis simili-
bus locis hæc ratio desumitur pro prima parte
propositionis nostræ: Deum dare quoddam
III. bonum alicui est illud amare, quia amor Dei C
distinguitur à nostro, quòd noster supponat
bonum, amor autem Dei faciat illud, & ponat:
atqui actualis existentia est quoddam bo-
num; imo fundamentum aliorum, & Deus dat
illam omnibus rebus creatis existentibus in
aliqua temporis differentia: ergo Deus amat
res omnes creatas, quæ existunt in aliqua tem-
poris differentia.
Hæc autem allata distinctio amoris Dei à
nostro probatur: omnis primus amor tendens
ex se & naturâ suâ & propriâ conditione in
bonum communicatum, ponit illud; sed
amor diuinus est primus amor, & bonum
creaturæ est bonum aliquod communicatum
ex se, & ex naturâ suâ & propriâ conditione;
est enim ens per participationem: ergo amor
diuinus tendens in bonum creaturæ ponit seu D
IV. causat illud. Maior hæc vltima explicatur:
omne bonum communicatum procedit ab
aliquo amore: ergo si talis amor feratur &
tendat in illud, debet causare illud.
Posterior item pars nostræ propositionis
asserens *Deum amare liberè creaturas*, quæ ha-
bent esse in aliqua temporis differentia, pro-
batur: quoad libertatem *exercitij*, ex eo quòd
amat in tantum creaturas, in quantum dat illis
existentiam, vel aliam actualitatem, quam il-
lis dat ex plena libertate: deinde ex eo quòd
Deus amat tantum ea absolutâ necessitate
quoad *exercitium*, quæ illi sunt necessaria,
cùm etiam experiamur nos amare tantùm ne-
cessariò, quæ sunt nobis necessaria; atqui crea-
turæ nullomodo sunt necessariæ ipsi Deo iux-
ta illud Psal. decimi quinti: *Dixi Domino, Deus
meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* V.
Nec obstat quòd eiusmodi res creatæ sint
aliquod medium ipsius Dei seipsum amantis,
nam ita sunt medium illius amoris, quo Deus
seipsum amat, vt tamen non sint medium ne-
cessarium & sine quo Deus non possit seipsum
diligere, est enim Deus sibi diligendo suffi-
ciens, nec vllam habet dependentiam à crea-
turis; vnde cùm tunc duntaxat medium dili-
gatur necessariò ex vi & efficacia, quâ finis
ipse diligitur, quando ipsum medium est ne-
cessarium respectu talis finis, fit, vt licet Deus
amet res creatas existentes in aliqua tempo-
ris differentia tanquam medium aliquod sui
ipsiusmet dilecti, non tamen eas diligat ex ab-
soluta necessitate *quoad exercitium*, sed omni-
nò liberè.
Eadem pars *de libertate quoad specificationem*
patet, quia Deus non solùm potuit non amare
creaturas *quoad exercitium*, scilicet non dando VI.
eis existentiam, sed absolutè loquendo, pro
summa illa libertate, quâ pollet, quæque nul-
lam in seipsa præcisè spectata importat imper-
fectionem, potuit habere hunc actum ei op-
positum, *nolo dare actualem existentiam vllis
rebus possibilibus.*
Et ex hac ratione sic explicata facilè soluitur
argumentum, quod potest contra illam fieri,
petitum à charitate, quâ ita amamus Deum,
vt etiam amemus necessariò proximum, à quo
tamen non dependemus: soluitur inquam,
quia dependemus à Deo tanquam primo
auctore rerum omnium: vnde quemadmo-
dum in amicitia non est satis amare amicum,
sed etiam debemus amare ea quæ spectant ad
amicum; sic ad hoc vt dicamur amare Deum ex
sincera charitate, non tantùm debemus eum VII.
amare, sed & proximum, qui est res Dei, & ab
eo dependens.
Obiicies: inter res quæ habent existentiam in
aliqua temporis differentia, sunt tam ipsi pec-
catores, quàm vitiosi eorum habitus & actus:
at Deus non amat ista, quin potiùs odit, iuxta
illud Psalmi 5. *Odisti omnes qui operantur ini-
quitatem*: & Sapient. 14. *odio sunt Deo impius &
impietas eius.*
Respondeo, tam ipsum peccatorem quàm
ipsum eius peccatum & habitum vitiosum, vt
considerantur secundùm illud reale & entita-
tiuum quod in seipsis includunt, amari à Deo,
vt S. Thomas expressè docet sequenti qu. 20.
art. 2. in solut. ad 4. & 1. 2. qu. 79. art. 2. at verò
vt hæc entia fiunt ex defectu liberi agentis,
& cum formali libera deordinatione, quo mo- VIII.
do important defectum, non amari à Deo;
non enim repugnat vnum & idem amari sub
vnâ ratione & haberi odio sub altera.
Quæres, cùm dicamus Deum velle & amare
res creatas, tanquam medium aliquod pro-
pter semetipsum, & propter suam bonitatem,
quomodo tunc non amet illas *amore concupi-
scentiæ.*
Respondeo, Deum tunc eas tantùm amare
amore amicitiæ, quia is tantùm dicitur amare
alium amore *concupiscentiæ*, qui illum amat ob
proprium suum bonum & commodum quod
percipit inde; is verò dicitur amare alium *amo-
re amicitiæ*, qui eum amat propter bonũ ipsius
amati: vnde cùm Deus nullam vtilitatem per-
cipiat ex creaturis, iuxta testimoniũ Psalmistæ
superiùs relatum Psal. decimo quinto, sed eos

I. tantùm dirigat in eum finem, ad quem ex sua natura, & conditione debent referri, fit, vt tantùm amet eas *amore amicitiæ.*

Neque exeo, quòd finis ille vltimus ad quem Deus ordinat omnes creaturas, est ipsemet Deus, fit, vt amor iste sit amor *concupiscentiæ*, cùm ipsa dilectio non fiat præcisè ex motiuo commodi, & proprij boni inde sperati, sed ex illo tantùm quòd sit finis vltimus, quæ ratio finis vltimi est omninò alia à proprio commodo, & motiuo habente fundamentum in illo; nam ex eo quòd hæc duo (*esse vltimum finem*, & *esse amicum* seu *benefactorem*) reperiuntur simul & semel coniuncta in eodem agente, non potest rectè inferri quòd quicquid agens illud facit per amorem, faciat illud duntaxat per *amorem concupiscentiæ*, quia est per accidens ad actum
II. amoris *amicitiæ*, quo Deus amat creaturas, quòd illas ordinet ad seipsum; non enim id habet ex amore, quo illas prosequitur, sed ex eo quod est vltimus finis rerum omnium.

Et hanc nostram responsionem aliqui hoc exemplo illustrant; si per impossibile essent duo dij, quorum vnus esset summè amicus, & benefactor creaturarum, alter verò esset earum finis vltimus, deus ille qui esset summè amicus & benefactor creaturarum perduceret alias ad deum alterum, qui esset finis earum vltimus, & hic eius amor esset amor *amicitiæ*: ergo cùm Deus ex infinita sua perfectione sit simul & semel benefactor creaturarum, & finis earum vltimus, non dicetur amare illas amore *concupiscentiæ*, ex eo quòd ordinet illas ad seipsum tanquam in vltimum finem, quia non eas ordinat ad se ex vi amo-
III. ris quem habet ad illas, sed ex vi summæ illius suæ perfectionis, quâ est vltimus finis rerum omnium.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus amet res possibiles.

NOTANDVM est, quòd res possibiles non considerantur hîc iuxta illud esse eminens quod habent in Deo, & ratione cuius sunt idem cum illo, nam vt seipsum amat necessariò, ita & illas hoc modo consideratas vult, & amat necessariò: sed tantùm considerantur iuxta illud esse quod possunt habere in seipsis in ordine ad solam omnipotentiam Dei, si Deus illas crearet, quod tamen esse nunquam de facto habebunt, quia Deus statuit
IV. nunquam creare illas.

Quæritur ergo an Deus illas vt sic spectatas velit & amet. Scotus tertio sententiarum distinctione trigesimâ secundâ quæstione vnicâ, cum nonnullis recentioribus affirmat Deum velle & amare res eiusmodi possibiles simplici tantùm quodam amore *complacentiæ*, quatenus gaudet, quòd res possibiles habeant illam suam essentialem bonitatem: est autem inter auctores huius sententiæ hæc distinctio, quòd alij vt Scotus, & aliqui recentiorum velint istum amorem *complacentiæ* respectu possibilium, quoad *exercitium* esse liberum, & duntaxat necessarium quoad specificationem; alij autem, vt Vasquesius ad 1. partem S. Thomæ disput. 79. cap. 2. velint esse etiam necessarium *quoad exercitium.*

Opposita tamen sententia videtur esse me-

A lior, cum qua concludimus, *Deum loquendo propriè nullo etiam simplici affectu complacentiæ siue libero, siue necessario amare creaturas merè possibiles per ordinem ad solam suam omnipotentiam*: V.
ita S. Thom. quæst. 19. artic. 3. in responsione ad 5. & art. 6. in solutione ad 2. vbi constituit hoc discrimen inter scientiam Dei, & eius voluntatem, quòd scientia etiam possibilium omnium sit necessaria, quia intellectus non est formaliter liber, sed fertur ex necessitate in omne intelligibile, comprehendendo ipsam suammet essentiam, & proinde cùm res merè possibiles habeant aliquam intelligibilitatem, Deum cognoscere illas necessariò; voluntatem verò diuinam, quia est formaliter libera, non ferri necessariò in id quod est distinctum ab essentia diuina.

Hæc autem nostra conclusio probatur primò:
B in tantum aliquid amatur à Deo, in quantum est bonum, vel in quantum Deus illud facit VI.
bonum, quia bonitas est formale obiectum diuinæ volitionis, ex dictis suprà: atqui res eiusmodi merè possibiles nullam loquendo propriè habent bonitatem: tum quia nullam habent actualem existentiam, nec ordinem vllum ad habendum aliquando illam; actualis autem existentia est vel talis bonitas, vel fundamentum bonitatis ex S. Th. hâc parte qu. 6. art. 3. vnde qu. 5. art. 3. ad 4. quia entia Mathematica formaliter sumpta prout subsunt abstractioni intellectus nullum dicunt ordinem ad existentiam, negat post Aristot. libro 3. Metaph. textu 4. illa habere aliquam bonitatem, atque non esse conueniens reperiri in aliquo rationem entis, in quo tamen bonum vel ratio boni non sit, cùm hæc sit istâ posterior.

C Tum etiam quia bonitas supra integrita- VII.
tem & perfectionem rerum, importat aliquam conuenientiam, ratione cuius res fiant appetibiles: atqui nulla talis conuenientia potest intelligi in rebus merè possibilibus, imò bonitas tantùm abest à rebus merè possibilibus, seu numquam futuris, vt ipsum semper caruisse, & carere in perpetuum existentiâ actuali sit potiùs eis aliquod malum aptū terminare actum odij vel nolitionis, quàm affectus & amoris, vt patet ex eo quòd res quas habemus odio, optamus non esse, & ex eo etiam quòd S. Th. & alij scholastici dicunt vnanimi consensu solum Deum esse bonum per essentiam, quia solus ille existit essentiali necessitate, reliqua verò entia tantùm ex beneficio Dei: ergo sic loquendo significant res creatas nudè & simpliciter
D consideratas secundùm suam essentiam, abs- VIII.
que aliquo ordine ad existentiam actualem, (cuiusmodi sunt res istæ possibiles, de quibus agimus) nullam de facto habere bonitatem & conuenientiam, ratione cuius possint amari.

Secundò probatur eadem conclusio: in tantum diuina voluntas fertur in aliquid distinctum ab ipso Deo, in quantum habet rationem medij ad amādum Deum ex dictis: atqui creaturæ possibiles vt sic non possunt amari à Deo tanquam tale medium, quia quæ sic amantur, debent in aliquo seruire diuinæ bonitati tanquam fini: res autem merè possibiles vt sic nullo modo inseruiunt ei, sed solùm quatenus demandantur executioni, vel quatenus habent actualem existentiam: ergo cùm illæ nunquam sint futuræ, non etiam amantur de facto à Deo.

Dices

I. Dices, res merè possibiles inseruire Deo A quatenus Deus non potest esse omnipotens, quin ipsæ creaturæ sint possibiles, & Deum posse sibi complacere vt sic in illis, & gaudere de illis.

Sed id refellitur primò, quia non ideò Deus est omnipotens præcisè quoniam ipsæ creaturæ sunt possibiles, Deus enim habet de se vim infinitam producendi quicquid non implicat; vnde creaturæ sunt potiùs possibiles per ordinem ad omnipotentiam Dei, quàm econtrà.

Deinde, vt Suares animaduertit in *Metaphysica* disputatione 30. sectione 16. numero 42. iste actus complacentiæ est potiùs de ipsa omnipotentia Dei, quàm de ipsis creaturis possibilibus, quatenus Deus amando suam omnipotentiam, gaudet illam esse talis con-

II. ditionis, vt possit dare esse seu existere istis B eiusmodi rebus possibilibus, & sic bonum quod terminat eiusmodi actum complacentiæ, nullo modo est in ipsis rebus possibilibus, sed propriè in solo Deo; ideóque nostræ propositioni adhibuimus expresè hanc particulam, *loquendo propriè*, quatenus nostra propositio tantùm intendit affectum Dei non ferri in ipsas res merè possibiles consideratas tantùm in suo esse possibili.

Tandem quòd Deus nullum actum, siue liberum, siue necessarium talis complacentiæ, habeat circa res possibiles, hoc modo spectatas probatur: de necessario quoad *specificationem* patebit ex dicendis articulo sequenti: de libero quoad *exercitium* idem probatur: voluntas tantùm necessitatur quoad *exercitium*

III. ad amandum obiectum illud quod est sum- C mum bonum; atqui illæ creaturæ tantùm possibiles non sunt summum bonum, quia non sunt ipsemet Deus, cui soli competit esse summum bonum: ergo Deus non potest necessariò amare creaturas merè possibiles, vt sic spectatas, & ex consequenti nullum potest circa illas habere affectum etiam *simplicis complacentiæ*.

Neque est quòd Vasquesius respondeat, amorem illum *complacentiæ* voluntatis diuinæ circa res merè possibiles ideò esse necessarium, quia in illis, vt sic nulla apparet malitia; nam beati dum amant ipsum Deum amore *beatifico*, simul etiam amant creaturas, quas vident in Verbo; & nihilominùs quia eiusmodi creaturæ non habent rationem summi boni, nec

IV. vt tale apparent eis, licet nullam in illis inue- D niāt rationem mali, eas tantùm amant liberè, vt Theologi communiter docent primâ secundæ agendo de amore beatifico, & Theologi supponunt tanquam certum tertiâ parte quæstione decimâ nonâ, dum probant Christum Dominum, vt hominem adhuc in via existentem meruisse per amorem beatificum, vt terminatum ad proximos: ergo etiamsi res merè possibiles vt sic nullam ex suppositione habeant rationem mali, non propterea desinent amari à Deo liberè tantùm, cùm non sint summum bonum, & cùm non possint amari liberè, non possunt etiam amari necessariò, propter ea quæ attulimus in confirmationem nostræ propositionis; sicque fit vt Deus nullo modo velit seu amet res istas merè possibiles hoc modo præcisè spectatas.

ARTICVLVS VI. V.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est: Deus potest velle bonum omne quod potest intelligere esse congruum, quia facultas amandi bonum est coniuncta cum facultate intelligendi illud; atqui Deus potest intelligere quoddam bonum esse congruum in ipsis rebus merè possibilibus: tum quia bonum est proprietas entis, & res possibiles sunt quædam entia; tum etiam quia quælibet entia quatenus concipiuntur constituta in solo essentiali esse habent aliquam rationem bonitatis secundùm suam essentiam, præcisam à bonitate, quæ potest ei competere per existentiam; tum etiam quia res ipsas non implicare contradictionem seu esse possibiles VI. est quoddam bonum extrinsecum ipsi Deo, quia potest illas efficere ad suum honorem: tum denique quia si Deus solos creasset Angelos, & statuisset nullas creare substantias corporeas, quarum tamen cognitionem dedisset alicui Angelo, Angelus ille posset habere aliquem affectum beneuolentiæ complacendo sibi in apta dispositione, & mutuo ordine partium physicarum, quæ concurrerent ad constitutionem illarum: ergo cùm in hoc nulla reperiatur imperfectio, voluntas etiam Dei poterit idem præstare circa res merè possibiles.

Respondetur negatâ maiori ad eius primam rationem, bonum eo modo esse proprietatem entis, quo modo aliquid est ens; vnde cùm res merè possibiles sint entia tantùm in VII. potentia, quatenus Deus potest illas creare, illis dare actualem existentiam, ita etiam tantùm habent bonitatem in potentia, & quòd possint à Deo amari, si ab eo reducantur ad actum.

Ad primam confirmationem, quâ res creata nudè considerata secundùm suam essentiam dicitur habere rationem bonitatis, respondeo habere tantùm per non repugnantiam, & mutuam habitudinem extremorum ad se inuicem, quâ vnum coniungi potest alteri, & non per actualem; vnde cùm bonitas consistat tantùm in aliqua actualitate, & sic tantùm moueat affectum, fit, vt essentiæ rerum, vt duntaxat possibiles reduci ad actum existentiæ, ad quem tamen nunquam reducentur, non propriè dicantur esse aliquod VIII. bonum, & vt sic negentur terminare volitionem Dei.

Ad secundam confirmationem, quâ dicitur res ipsas non implicare esse, seu esse possibiles, esse aliquod bonum extrinsecum Deo, negatur præcisè loquendo, nisi intelligatur de bono in potentia, & rem hoc modo posse intelligi absque eo quòd de facto aliquod bonum ei insit, animaduertimus suprà ex sancto Thoma.

Ad vltimam confirmationem respondeo, in tali casu istam complacentiam Angeli, loquendo propriè, esse potiùs de ipso suo actu, quo intelligit talem rem possibilem, quàm sit de ipsa re possibili, vel ad summum esse in ordine ad ipsam existentiam talis rei, quatenus aliquo modo exoptat tali rei possibili propriam suam existentiam, sicut dum ægrota-

I. mus, possumus interdum nobis complacere in sanitate, quam optamus habere, quæ complacentia cùm dicat imperfectionem, non potest habere locum in Deo.

Alterum fundamentum, quo probare nituntur Deum necessariò amare res possibiles, est eiusmodi: Deus non potest se habere negatiuè circa rem aliquam, sed eius voluntas debet necessariò exercere aliquem actum volitionis, vel nolitionis circa illam; nam ipsum eiusmodi se habere negatiuè, seu talis suspensio voluntatis arguit in voluntate imperfectionem, quatenus fundatur in aliqua ignorantia eius, quod magis expedit, vel alia simili, vt patet in nobis, tum etiam ex eo quòd si Deus amaret tantùm liberè res possibiles, deberet aliqua variatio posse esse, vel in ipso actu diuini amoris, vel in ipso obiecto amato, vt
II. sic actus ille esset liber quoad suam terminationem; at res omnes possibiles quatenus tales habent sese eodem semper modo, & actus ille diuini amoris est etiam maximè inuariabilis, & necessarius, cùm sit ipsamet essentia diuina: igitur amor ille Dei erga res merè possibiles per solam omnipotentiam Dei est necessarius.

Respondetur, res illas possibiles considerari duobus modis: primò pro eo instanti rationis, quo intelliguntur tantùm possibiles & veræ, prout ratio veri antecedit rationem boni, quomodo concipiuntur habere tantùm conformitatem cum intelligente, nec dum tamen intelliguntur proponi per intellectum voluntati in ordine ad fore determinatè, vel non fore: secundò possunt considerari, non tantùm vt sic intelliguntur esse possibiles & ve-
III. ræ, sed etiam vt propositæ per intellectum diuinæ voluntati in ordine ad fore, vel non fore ad aliquem finem in aliquo sequenti signo rationis; cùm enim voluntas ex se, & secundùm se præcisè spectata sit vera semper volitio, præsupponit aliquo modo actum intellectus seu cognitionem: iam si res omnes istæ possibiles, de quibus hîc est quæstio, spectentur priori modo, pro tali signo rationis, diuina voluntas habet se circa illas negatiuè, quia prout sunt in tali signo rationis, præscindunt à proportione cum voluntate, cùm vt sic nullum dicant ordinem ad fore, vel non fore determinatè, sed habeant duntaxat quandam vnionem aptitudinalem prædicatorum, ratione cuius possunt concipi ab intellectu: si verò spectentur posteriori modo, non potest di-
IV. uina voluntas sese habere ad illas negatiuè; & hic modus habendi se negatiuè ad res possibiles spectatas priori modo fundatur non in imperfectione aliqua, siue ea sit ignorantia eius quod magis expedit, siue in aliqua alia, sed in eo tantùm quòd pro eo instanti res istæ non intelliguntur esse obiectum proportionatum diuinæ voluntati; vnde pro eo instanti, quia voluntas nunquam fertur in obiectum nisi sibi debitè propositum, fit, vt nullum habeat actum circa illas; sicque licet inter esse & non esse creaturarum nullum detur medium, attamen inter velle rem esse, & velle rem non esse, datur aliquod medium, scilicet non tractare seu non agere de ipso esse seu fore rerum possibilium, seu nullam habere volitionem de illis ponendis, vel non ponendis in rerum natura, quia hæc duo sunt tantùm

A contraria, & non contradictoria. V.

Ex his omnibus sequitur, Deum actu quodam positiuo velle negationes rerum possibilium, quas cùm posset producere, de facto tamen non producit, nec vnquam producet: tum ex eo quòd voluntas diuina non potest sese habere negatiuè circa ipsum fore, vel non fore rerum possibilium, vbi illud ei proponitur ab intellectu, ob rationes allatas superiori articulo; tum etiam quia in eiusmodi negationibus aliqua ratio conuenientiæ & appetibilitatis potest reperiri, non quidem quatenus præcisè sunt negationes, sed quatenus sunt negationes huius vel istius boni, ex cuius absentia hoc & illud attributum diuinum relucet.

ARTICVLVS VII.

B *Vtrum voluntas Dei sit malorum.* VI.

REPETENDVM est ex dictis suprà ad quæstionem 14. triplex distingui *malum:* primũ *naturæ,* secundum *pœnæ,* tertium *culpæ.*

Deinde notandum est posse duobus modis intelligi malum appeti, vel *per se,* sub ratione mali, vel *per accidens,* quatenus consequitur ad aliquod bonum, verbi causâ, quando lupus quærens cibum appetit mortem ouis, quâ vescatur. His prænotatis, sit

Prima propositio. *Deus neque per se, neque per accidens vult malum culpæ.* Propositio est de fide ex dictis citatâ quæstione 14. cuius amplior explicatio pertinet ad quæstionem 79. 1. 2. vbi ex professo Theologi eam tradunt.

Secunda propositio. *Deus actu positiuo vult permittere peccatum.* Duæ sunt partes propositionis.
C Prior quòd *Deus velit permittere peccatum,* quæ probatur ex eo quòd spectat ad VII.
prouidentiam prouisoris vniuersalis permittere aliquem defectum in aliquibus particularibus ad bonum totius, cùm hoc præponderet istis bonis aliquorum particularium; atqui Deus est vniuersalis prouisor, qui optimè nouit ex eiusmodi malis elicere aliqua bona, vt iam obseruauimus citatâ quæstione 14. & ex sancto Augustino.

Posterior pars asserens, *hanc permissionem esse actum aliquem in Deo positiuum,* probatur. Omnis actus diuinæ prouidentiæ etiam generalis est aliquid positiuum, sicut & ipsa generalis prouidentia Dei est aliquid positiuum; atqui permissio ipsa peccati est aliquis actus prouidentiæ generalis, quæ est in Deo, vt in-
D telligitur ex prædicta ratione: ergo permissio VIII.
hæc dicit aliquem actum positiuum in Deo.

Deinde voluntas Dei non potest habere se negatiuè circa fore & non fore rei alicuius sibi propositæ ab intellectu, ex dictis suprà: ergo dum illa permissio peccati proponitur diuinæ voluntati, aut hæc vult illam, aut non vult: non secundum, quia cùm voluntas Dei sit efficax, & peccatum nunquam committatur nisi præsuppositâ permissione, nunquam vllum peccatum committeretur, quod est falsum: si primum, ergo talis permissio est aliquis actus positiuus in Deo.

Tandem probatur: hic actus permissionis tanquam positiuus nullam in Deo arguit imperfectionem, vt patet considerando illum secundùm omnia quæ continet: ergo est formaliter in Deo.

I. Neque hinc ſequitur Deum velle pecca-
tum, quia vt iam obſeruauimus, ipſa permiſſio
peccati non infert futurum neceſſariò pecca-
tum, cùm poſitâ permiſſione peccati Deus
non ſubtrahat auxilia gratiæ ſufficientis, &
ipſa peccata poſſint euitari.

Vltima propoſitio. *Deus vult per accidens malum pœnæ & naturæ.* Probatur ex dictis ad
citatam quæſt. 14. & fauet ratio. Deus vult v-
numquodque prout eſt bonum: atqui iſta duo
mala ſunt bona per accidens, cùm ex illis ma-
ius bonum ſequatur, quàm ſit illud quo ma-
lum iſtud priuat; nam ex iſtis duobus malis
ſequitur bonum totius vniuerſi, quod eſt ma-
ius bono alicuius priuati, quo ipſe priuatus
per eiuſmodi mala caret.

II.

DISPVTATIO III.

De libero Dei arbitrio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum liberum arbitrium ſit in Deo.

SIT hæc vnica propoſitio. *Liberum arbitrium eſt in Deo.*
Propoſitio eſt de fide *ad Epheſ.* 1. cap. *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, id eſt, ſecundùm ele-
ctionem mediorum; cùm enim Deus habeat
plura media quibus creaturam rationalem
III. perducat ad ſuum finem, eligit hoc potiùs,
quàm illud ex libertate ſuæ voluntatis, iuxta
illud Apoſtoli, prioris *ad Corint.* 12. *Hæc autem operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult*, id eſt, pro libero voluntatis arbi-
trio, non pro neceſſitatis obſequio, vt explicat
S. Ambroſius lib. 2. *de fide* cap. 3.

Probatur item concluſio ex Patribus, vt
S. Auguſtino *in Enchiridio* cap. 95. item lib.
13. *de Trinitate* cap. 18. & ex aliis Patribus dum
explicant citata Scripturæ teſtimonia tam
præſenti articulo, quàm ſuprà.

Probatur etiam ratione: agens illud cenſe-
tur eſſe liberum, quod poſitis ad agendum re-
quiſitis ex parte potentiæ conſtitutæ in actu
primo adhuc poteſt pro ſua voluntate agere,
vel non agere, quódque habet indifferen-
tiam oppoſitam ei determinationi, quæ eſt
propria cauſæ neceſſariæ, prout cauſa eſt ne-
IV. ceſſaria, vt Theologi communiter docent pri-
mâ ſecundæ, & Philoſophi in Ethicis agendo
de libero arbitrio; atqui Deus habet hoc v-
trumque reſpectu eorum quæ fiunt ad extra:
primum quidem, quia poſitâ cognitione eo-
rum quæ ſunt poſſibilia, poteſt ea producere
vel non producere, habet enim efficaciſſimam
voluntatem cui nihil poteſt reſiſtere, & à qua
res ad extra dependent vt fiant, vel non fiant;
habet item ſecundum, quia nihil eſt in Deo,
quod eum neceſſitet ad agendum ad ex-
tra hoc vel illud, & Deus in aliquo ſigno ra-
tionis intelligitur à nobis indeterminatus
priuſquam agat, quatenus poteſt terminare
ſuam volitionem, vel non terminare ad hoc
vel illud obiectum; effectus enim ſeu res om-
nes ad extra ſic fiunt à Deo volente, vt quòd
A fiant, vel non fiant, pendeat ex actiua eius in- V.
differentia, quâ ſeſe determinat ad hoc & ſic
agendum, vt patet ex citatis teſtimoniis Scri-
pturæ & Patrum: igitur Deus habet liberum
arbitrium reſpectu obiectorum ad extra.

Neque his obſtat quòd Deus non habeat
indifferentiam ad eliciendum plures actus ſi-
bi ſimiles, vel contrarios: nam indifferentia
libertatis poteſt attendi penes duo. Primò pe-
nes entitatem ipſius actus, quem ſignificamus
nomine volitionis, quatenus ſcilicet entitas
volitionis poteſt eſſe & non eſſe, poteſt fieri &
non fieri. Secundò poteſt attendi hæc indif-
ferentia penes terminationem, quâ reſpicit
ipſum volitum, & ſeſe terminat ad illud. In-
differentia conſiderata priori modo non eſt
eſſentialis libertati abſolutè conſideratæ, pro-
ut libertas abſtrahit à creata & increata, ſed
B tantùm poſteriori modo: nam agens aliquod VI.
ideò eſt liberum, quia ita agit vt pro ſuo arbi-
trio terminet ſuam actionem ad hoc & illud,
cùm ſit poteſtas agendi & non agendi, quæ di-
cit indifferentiam in ordine ad obiectum,
quod dicitur poſſe agi & non agi, poſſe fieri
& non fieri: cùm ergo diuina volitio habeat
hanc poſteriorem indifferentiam, vt ampliùs
patebit ex ſequentibus, fit vt ſemper voluntas
Dei cenſeatur loquendo propriè eſſe libe-
ra: noſtra verò libertas præter hanc poſterio-
rem indifferentiam vendicat etiam ſibi prio-
rem, ſed ex imperfectione noſtræ voluntatis,
quæ ita eſt imbecillis, vt non niſi per plures
diuerſos actus poſſit ferri in omnia ſua obie-
cta, tam ob ſuam potentialitatem, quàm et-
iam ob mutationem ſui medij.

C VII.

ARTICVLVS II.

Vtrum actus liber Dei ſit denominatio extrinſeca.

GRAVIS eſt hæc de eſſentia liberi actus
diuini difficultas, quę etiam cum maxima
ratione exiſtimatur à pluribus indiſſolubilis
in hac vita, quoad perfectã eius cognitionem,
& ideò varij variè de illa ſentiunt. Nos ita co-
nabimur breuiter explicare eius veritatem, vt
tamen quid improbabilitatis habeãt aliorum
ſententiæ hoc & ſequ. artic. oſtendamus.

Noſtra ſit propoſitio. *Actus liber in Deo præciſè & formaliter conſideratus non eſt tantùm aliqua denominatio extrinſeca deſumpta à productione ipſorum effectuum ad extra, quaſi Deum liberè velle creaturas nihil ſit aliud, quàm illas ita*
D *facere, vt tamen potuerit ipſas non facere, &* VIII.
ipſum eius nolle nihil ſit aliud quàm non facere.
Hæc propoſitio eſt contra aliquos apud Gre-
gorium Ariminenſem lib. 1. ſent. diſtinct. 45.
quæſtione primâ: contra quos probatur pri-
mò ex ſacris Litteris quæ paſſim diſtinguunt
ipſum efficere Dei ad extra ab ipſo eius velle
aliquid producere ad extra, tanquam effe-
ctum à cauſa, vt Pſalmo 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*, & aliis pluribus locis citatis
præcedentibus articulis.

Probatur etiam ratione: omnis vitalis de-
nominatio debet fundari in aliqua interna
forma, quia talis denominatio fit à principio
vitæ, quod ſemper eſt internum, & à quo eſt
ipſe actus, quemadmodum in ipſa intellectio-
ne videre eſt; atqui eſſe volentem eſt quæ-

I. dam vitalis denominatio: nam sola viuentia
dicuntur propriè velle, & Deus propriè, &
non duntaxat metaphoricè est volens, vt patet
ex dictis: igitur aliquid internum ipsi Deo de-
bet assignari à quo denominetur volens; at
res productæ ad extra non sunt aliquid Deo
internum, vt per se patet: ergo actus liber
Dei, seu decretum Dei sumptum formaliter
& præcisè, non potest esse mera quædam de-
nominatio extrinseca, fundata in eo, quòd
creatura producatur ad extra.

Deinde, si ipse actus liber comparatione ali-
cuius obiecti creati, vel creari possibilis, nihil
sit aliud in Deo, quàm Deum de facto creare,
& facere istud, ita vt potuerit illud non fa-
cere, tunc actus ille Dei iuxta hanc opinio-
nem erit tantùm liber propriè & formaliter,
II. vbi, & quando Deus de facto producet res
eiusmodi, & nullus alius erit voluntatis actus,
circa ipsas creaturas in Deo formaliter & pro-
priè liber; sicque quemadmodum Deus est
creator ex tempore, & in tempore, non au-
tem propriè loquendo & formaliter ab æter-
no est creans, ita etiam erit tantùm liber ex
tempore & in tempore, nec vllus alius actus
liber poterit esse in Deo præter ipsum facere,
& creare res: atqui totum istud est falsum,
nam Deus fuit liber ab æterno circa ipsam
creationem mundi, & ab æterno habuit vo-
luntatem creandi mundum in tempore: item
actus iste posterior est alius & distinctus ab
ipsa actuali creatione mundi, cùm ille sit so-
lius voluntatis, vt distinctæ ab executiua po-
tentia, hic verò sit aliquis actus potentiæ eius
executiuæ: igitur ipse actus liber Dei circa
III. res creatas consideratus præcisè, & formali-
ter non est Deum illas ita facere, vt tamen po-
tuerit illas non facere, nec est aliqua extrinse-
ca denominatio desumpta ab ipsa productio-
ne rerum ad extra.

Confirmatur: in nobis velle aliquid facere,
& re ipsa illud facere, sunt duo distincta, quo-
rum vnumquodque est formaliter liberum, &
dicit actum formaliter liberum, sed non
est formaliter liberum per ipsum facere re-
rum eiusmodi, sed per aliquid aliud sese te-
nens ex parte nostræ voluntatis, scilicet per
actualem determinationem voluntatis, ad fa-
cere vnum potiùs quàm aliud: ergo simili ra-
tione ipse actus non est in Deo formaliter &
præcisè liber per aliquam denominationem
extrinsecam sese tenentem ex parte actualis
productionis, & effectionis rerum ad extra,
IV. sed per aliquid sese formaliter tenens ex par-
te diuinæ voluntatis.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus liber Dei sit libera perfectio ipsi superaddita.

SIT hæc propositio. *Actus liber Dei seu de-
cretum liberum in Deo non est formaliter lo-
quendo aliqua libera perfectio superaddita ipsi
voluntati Dei*: propositio est contra Caieta-
num articulo 2. huius quæstionis, contra quem
probatur. Nulla perfectio intrinseca Deo
potest esse & abesse in Deo, sed debet semper
illi inesse etiam ab æterno & in æternum, vt
habetur expressè in symbolo Conc. Rhemen-
sis celebrati tempore Eugenij Tertij, contra

A propositiones Gilberti Porretani; atqui illa V.
perfectio quam actus liber Dei dicit forma-
liter iuxta Caietanum, est ita libera, vt potue-
rit abesse à Deo: igitur actus liber Dei non
est formaliter aliqua perfectio libera ipsi Deo
superaddita.

Confirmatur: vt enim Deus est ens perfe-
ctissimè necessarium tam ab extrinseco, quàm
ab intrinseco; sic etiam ea omnia quæ sunt in
Deo formaliter debent esse aliquid necessa-
rium tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco.

Deinde talis libera perfectio vel intelligi-
tur distingui realiter ab ipso Deo, vel tantùm
ratione: si primum, ergo iam Deus non erit
maximè simplex, & comparabitur ad istam
perfectionem in ratione potentiæ tam rece-
ptiuæ quàm productiuæ tanquam ad actum
B vitæ accidentalis, sicut contingit in nobis,
quod omninò est absurdum: si secundum, sal- VI.
tem habebit rationem alicuius accidentis,
quod iuxta Porphyrium *potest adesse, & abesse
à subiecto sine eius corruptione*; at nullum est ac-
cidens in Deo, vel quidquam, quod habeat
rationem accidentis, vt ostendimus agendo
de eius simplicitate.

Atque ex hac secunda ratione intelligitur
esse falsum, quod aliqui dicunt, scilicet eo
ipso quo hæc perfectio adiungitur Deo illam
de facto identificari cum diuina essentia, sicut
passiua generatio & spiratio passiua statim
atque per productionem adiunguntur diuinæ
essentiæ, identificantur cum illa: patet, in-
quam, hoc non posse dici, quia iuxta hanc re-
sponsionem essentia diuina esset in potentia
receptiua comparatione huius liberæ perfe-
C ctionis, & aliquid quod potuit non esse (& sic VII.
non est ens necessarium ab extrinseco) transi-
ret in ens etiam ab extrinseco necessarium,
cuiusmodi est quicquid est in essentia diuina.

Neque exemplum allatum iuuat istam re-
sponsionem, quia istæ processiones diuinæ
ita sunt entia necessaria, & identificata cum
diuina essentia, vt nullum possit assignari, vel
etiam fingi instans rationis in æternitate, in
quo illæ potuerint nõ esse, & in quo re vera, &
de facto non fuerint idẽtificatæ diuinæ essen-
tiæ; non enim priùs fuerãt & posteà vnitæ sunt
diuinæ essentiæ: at datur in æternitate aliquod
signum rationis in quo libera eiusmodi perfe-
ctio, quam Caietanus fingit, potuit non esse in
Deo, & licet non repugnet vnam & eandem
rem virtute duplicem esse sub vna ratione
(puta relatiuâ) producibilem, & sub alia non
D producibilem, vt videre est in mysterio Trini- VIII.
tatis; attamen repugnat vnam, & eandem rem
in sui productione esse simpliciter necessariam
sub vna ratione, & sub alia liberam, quia re-
pugnat perfectioni omnimodè necessariæ po-
tuisse non existere, cuiusmodi est omnis libera
perfectio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actus liber Dei sit respectus rationis.

SIT hæc propositio. *Actus liber Dei seu de-
cretum liberum Dei, non constituitur forma-
liter per solum aliquem respectum rationis super-
additum actui necessario ipsius Dei, quasi actus
liber Dei nihil sit aliud quàm ipsamet diuina
essentia significata per modum actus vitalis cum*

I. *habitudine, & respectu rationis ad res creatas, quarum consideratione Deus est tantùm liber, ita vt respectus ille rationis sit quid intrinsecum & essentiale ipsi diuino actui libero.* Hæc propositio est contra Vasquesium primâ parte disputatione 80. capite 2. & nonnullos recentiores, contra quos

Probatur primùm hâc ratione. Nihil constituitur in præcisa formali sua ratione per aliquid posterius seipso, etiam iuxta nostrum modum intelligendi, quia primum quod est in aliqua re, est ipsum eius formale constitutiuum: sed ex sancto Thoma hâc parte quæst. 14. articulo 15. in solutione ad primum, omnes illi respectus rationis, quos intelligimus in actibus liberis diuinæ voluntatis consequuntur ad illos: ergo actus liber Dei seu liberum Dei decretum non constituitur formaliter per solum aliquem respectum rationis.

II. Probatur secundò: nullum attributum Dei verè & propriè dictum est ex aliquâ sui parte formaliter ens aliquod fictitium, & quidam respectus rationis sumptus formaliter, quia quicquid est formaliter in Deo, est Deus, & quicquid est Deus, est verè formaliter propriè loquendo aliquid reale non fictum ab intellectu, vel indigens conceptu intellectus formantis sibi aliquod ens rationis, vt verè & propriè sit tale ens; atqui Deum esse in re & de facto volentem producere res ad extra est aliquid reale in Deo, cùm sit aliquid vitale: ergo non potest esse aliquis respectus rationis, vel saltem illum etiam ex parte includere in suo esse formali.

Probatur tandem: Deus ab æterno est liber, III. respectus rationis non est ab æterno, quia postulat aliquem intellectum creatum, qui formet illum, Deus enim vt suprà notauimus, non format illum, cùm non fingat entia rationis: ergo eiusmodi respectus non potest esse formale constitutiuum diuinæ volitionis quatenus illa est formaliter libera.

Dices, hæc omnia argumenta, & alia eis similia tantùm procedere de ente rationis sumpto *formaliter*, non autem de eo vt sumpto *fundamentaliter*, seu de eius fundamento, de quo tamen solo hæc opinio, quam præsenti propositione reiicimus, intelligitur.

Sed id facilè impugnatur; nam quærimus quid sit illud fundamentum, & cùm illud debeat esse aliquid reale, quia aliàs hæ omnes rationes quibus stabiliuimus præsentem pro-
IV. positionem militabunt eodem modo contra fundamentum istud, vel est res aliqua, existens intra ipsum Deum, vel extra Deum denominans eum duntaxat extrinsecè; at non est aliquid existens intra Deum: nam tale fundamentum istius prædicti respectus rationis, vel est ipsum velle necessarium Dei, vt sic, & sub hac consideratione, vel est aliquid additum ei: non primum, quia cùm vt sic existat, & apprehendatur tantùm vt necessarium, non potest vt sic esse ratio alicuius intrinsecè & formaliter liberi, & alicuius habitudinis ad obiecta creata vt libera: non item secundum, quia hoc est incidere in sententiam Caietani superiùs impugnatam à nobis.

Item fundamentum istud non est aliquid extra Deum; nam vel esset ipsa creatura liberè posita, & hoc non: quia est posterior ipsâ liberâ volitione, cùm hæc sit causa istius, vel

A esset respectus rationis, & sic præterquàm quòd fuit superiùs reiectum, deberet admitti V.
progressus in infinitum; nam aliud fundamentum istius respectus rationis, quod appellatur *fundamentale*, deberet admitti, & ita in infinitum, cùm omnis respectus rationis debeat habere aliquod fundamentum, sicut & omnis relatio: igitur quouis modo respectus iste consideretur, siue *formaliter*, siue *fundamentaliter*, non potest intrinsecè includi in ipso libero actu Dei seu in decreto diuino.

ARTICVLVS V.

Quid sit actus liber Dei.

OSTENDIMVS quid habeant improbabilitatis plurimæ Theologorum senten-
B tiæ, quibus actum Dei liberum explicant; VI.
nunc restat, vt nostram mentem circa hanc quæstionem aperiamus, quod hâc propositione facimus. *Actus liber in Deo nihil est aliud quàm ipsa simplicissima volitio, quâ Deus vult necessariò seipsum, prout illa est indifferens ad efficiendas, & non efficiendas creaturas, siue vt terminetur aut non terminetur ad illas:* ita colligitur ex sancto Thoma hâc quæstione 19. art. 2. in responsione ad quartum, & articulo 3. in responsione ad sextum; nam sicut priori loco dixit *velle diuinum esse vnum & maximè simplex, sicut & ipsum intelligere diuinum*; ita etiam posteriori loco dixit *velle diuinum in eo distingui à diuino intelligere, quòd diuinum intelligere habeat necessariam habitudinem ad scita, velle autem diuinum non habeat necessariam ha-*
C *bitudinem ad volita*. Ergo cùm velle diuinum VII.
non habere necessariam habitudinem ad res ad extra, nihil sit aliud, quàm ipsum esse indifferens ad illas efficiendas, & non efficiendas, seu vt terminetur aut non terminetur ad illas, fit, vt ex mente sancti Thomæ actus liber Dei seu diuinum decretũ nihil sit aliud, quàm ipsa simplicissima volitio, quâ Deus vult necessariò seipsum, prout tamen illa est indifferens ad efficiendas, & non efficiendas creaturas; qui conceptus obiectiuus cùm sit aliquid reale in Deo, independens à nostro modo concipiendi, & à quolibet ente rationis ficto per intellectum, facit, vt ipsa libera volitio Dei, seu liberum decretum Dei sit aliquid verè & realiter in Deo.

Hanc nostram propositionem quampluri-
D mi recentiores sequuntur ad citatum articu- VIII.
lum 2. & 3. quæst. 19. S. Thomæ, quæ sic probatur: illud quod per modum actus vltimi & perfectissimi est infinitum in genere volitionis, debet esse ipsa simplicissima actualis volitio, quâ vnicâ omnia & singula obiecta volitionis attingantur secundùm propriam suã capacitatẽ, seu prout ex sua natura postulant attingi per volitionem: atqui ipsa volitio Dei est per modum actus vltimi & perfectissimi, vt ostendimus. Et prætereà est infinita in genere volitionis; tum quia vnumquodque attributum Dei est in suo genere proprio infinitum, vt patet ex dictis de perfectione & infinitate Dei; tum etiam quia finitas, & limitatio volitionum in creaturis prouenit ex intrinseca imperfectione creaturæ, quæ pro varietate obiectorum varias etiam elicit volitiones, & ex ipsa eius naturali, & intrinseca po-

I. tentialitate, quæ non poteſt tota ſimul actuari, quæ duo non habent locum in Deo, vt patet ex dictis hâc quæſtione articulo primo, & de ſimplicitate Dei: igitur ipſa actualis volitio Dei ita debet eſſe vnica & ſimpliciſſima, vt omnia volibilia attingantur per eam, ſecundùm propriam ſuam capacitatem, ſeu prout ex natura ſua poſtulant attingi per voluntatem: atqui hæc eſt propria capacitas obiectorum volibilium, vt quædam eorum poſtulent eſſe volita liberè, cuiuſmodi ſunt omnes creaturæ, cùm non habeant intrinſecam neceſſitatem exiſtendi, alia verò poſtulent eſſe volita neceſſariò, cuiuſmodi eſt diuina bonitas & ipſemet Deus, qui ſolus eſt ens abſolutè neceſſarium: igitur vna & eadem eſt ſimpliciſſima volitio, quâ Deus vult neceſſariò ſe ipſum,
II. & quâ vult liberè creaturas ad extra, quæ tamen vt ad Deum terminatur, eſt *neceſſaria*, & vt amat creaturas, eſt *libera*: igitur quemadmodum iſta vnica volitio Dei prout ſeſe terminat ad Deum, vt neceſſariò amandum, eſt actus neceſſarius Dei; ſic illa eadem vnica volitio, vt indifferens ad ſeſe terminandum ad creaturas faciendas & non faciendas, erit loquendo propriè actus liber Dei ſeu decretum liberum diuinum.

Articvlvs VI.

Soluuntur obiectiones contra noſtram doctrinam.

Obiicies primò: implicat aliquam formam eſſe neceſſariam ſecundùm totam
III. ſuam entitatem, & neceſſariò ineſſe alicui, abſque eo quòd neceſſariò conferat ei ſuum adæquatum formalem effectum, vt patet inductione factâ per omnes formas: atqui actus diuinæ volitionis apprehenditur tanquam aliqua forma ſecundùm totam ſuam entitatem neceſſaria, quia eſt ipſemet Deus, & neceſſariò ineſt ipſi Deo, quia quidquid eſt reale in Deo, ei ineſt neceſſariò, vt antè oſtendimus contra Caietanum, & adæquatus eius effectus formalis eſt ipſum velle omnia volibilia, vt patet ex dictis: ergo talis actus debet tribuere Deo velle neceſſariò omnia volibilia: ergo & velle neceſſariò omnia obiecta creata.

Reſpondetur conceſsâ maiore ad minorem, hæc duo diſtingui maximè inter ſe (velle diuinum neceſſariò dare ipſi Deo totum & adæquatum ſuum formalem veluti effectum, & velle diuinum dare Deo vt velit neceſſariò
IV. omnia & ſingula volibilia:) nam primum tantummodò ſignificat velle diuinum dare Deo ex neceſſitate ſuæ naturæ, vt velit vnumquodque obiectum iuxta propriam capacitatem ipſius obiecti volibilis, ſic enim proportio ſeruatur inter diuinum velle, & actualem volitionem Dei, vt apprehenſam veluti adæquatum formalem effectum talis velle; vnde cõſequenter dat illi tantùm velle neceſſariò obiectum neceſſarium, cuiuſmodi eſt bonitas increata, & velle tantùm liberè omnia & ſingula volibilia creata; ſicque primum ex iſtis duobus non infert ſecundum.

Obiicies ſecundò: ſi talis actus liber Dei nihil ſit aliud quàm actus ille, quo Deus vult ſe ipſum neceſſariò, prout tamen eſt indifferens ad efficiendas & non efficiendas creaturas,

A non erit potior ratio, cur Deus dicatur vnum velle, quàm aliud, hoc velle facere & non iſtud; quia quatenus liber, eſt indifferens: at quod eſt indifferens ad volendum & nolendum, neque vult, neque non vult: ergo cùm actualis libera volitio Dei debeat aliquid velle, & libera eius nolitio aliquid nolle, non videtur liber actus Dei conſiſtere formaliter in volitione ipſa, quâ Deus vult formaliter ſe ipſum neceſſariò, prout tamen illa eſt indifferens ad efficiendas & non efficiendas creaturas. V.

Reſpondetur duplicem diſtingui indifferentiam, vnam cauſæ, quæ opponitur neceſſitati eius, quatenus nihil eſt aſſignabile in ipſa cauſa antecedens actualem productionem actus, termini vel effectus eius, quod illam neceſſitet ad hîc & nunc agendum: alteram eſſe in-
B differentiam ipſius actus vel effectus ſeu termini, quatenus nimirũ cauſa non quidem ratione ſui præcisè ſpectata, ſed ratione actus vel effectus ſui termini, quo iam de facto informatur, non poteſt exercere alium actum, vel velle contrarium obiectum obiecto iſtius volitionis; inter quas duas indifferentias hæc eſt diſtinctio, quòd ſola prior conſtituat actum liberum, vt Theologi docent ex profeſſo primâ ſecundæ, & Philoſophi etiã vbi explicãt naturam & definitionem liberi arbitrij: vnde quando dicimus actualem illam volitionem Dei eſſe actum liberum Dei, id intelligimus de increata volitione Dei, quatenus tendit cum hac priori indifferentia ad volendum obiectum creatum; ſi enim præſcindamus illam à tali tendentia, intelligemus quidem Deum VI.
C eſſe formaliter liberum ratione talis indifferentię, ſicut & nos ſumus, dum nullum actum formaliter liberum de facto exercemus, quem tamen poſſumus exercere; Deum verò ſic conſideratum non habere de facto volitionem vt actu explicito & formali liberam. VII.

Obiicies tertiò: omnis cauſa indifferens debet determinari ab aliquo: iam dum determinatur, tranſit ab aliquo eſſe quod habebat, ad aliud quod non habebat: ergo ſi Deus quatenus liber in volendo ſit indifferens, debet determinari ab aliquo: at nihil poteſt aſſignari quod ita determinet Deum: præterea ex conſequenti debet mutari, at Deum eſſe omninò immutabilem fides Catholica docet, vt ſuprà tradidimus.

Reſpondetur, volitionem Dei determinari à ſeipſa, & ſua volitione ad hîc & nunc hoc & illud volendum, & libera volitio Dei non di-
D citur indifferens hoc ſenſu, quòd in vero aliquo inſtanti fuerit verè indifferens ad agendum, & non agendum; hoc enim præterquàm quòd dicit imperfectionem repugnantem Deo, vt intelligitur ex dictis in præcedentibus articulis, non requiritur abſolutè ad volitionem propriè liberam; nam communis ſententia Theologorum ac Philoſophorum docet voluntatem noſtram eo inſtanti, quo exercet actionem ſuam liberam, eſſe adhuc ſimpliciter liberam, quatenus ſcilicet quamuis non poſſit ſimul & ſemel exercere actus oppoſitos, vel terminare vnicam ſuam volitionem ad obiecta ſibi contraria, poteſt tamẽ *diuiſiuè* quatenus illo inſtanti temporis, quo noſtra voluntas elicit aſſenſum circa vnum obiectum, poteſt illo eodem inſtanti VIII.

I. producere dissensum circa illud idem obiectum, quia ergo in illo signo rationis quo intelligimus diuinam volitionem se se terminare ad hoc & illud obiectum volibile ad extra, illo eodem signo rationis poterat se se non terminare ad illud, semper censetur in seipsa habere indifferentiam, quæ tamen nullam mutationem ponat in Deo.

Obiicies quartò: actualis volitio Dei non potest esse libera per id quod est posterius illâ; sed res vt facienda vel non facienda est posterior ipsâ volitione Dei vt liberâ, quia vt sic est causa rerum faciendarum, sicut nolitio est causa non faciendarum, & omnis causa est suo effectu prior: igitur actualis volitio Dei non censetur esse actus liber Dei, prout illa est indifferens ad creaturas faciendas & non faciendas.

II. Quod si quis respondeat actualem volitionem Dei non esse propriè liberam per creaturas faciendas & non faciendas, licet per connotationem ad illas aliquando explicetur à nobis, sed esse formaliter per ipsammet tendentiam in obiectum creatum, quâ se terminat ad volendum illud; sícque esse liberam per aliquid, sibi formaliter inexistens, & hanc tendentiam significari in hac nostra propositione per istam particulam, *prout illa est indifferens ad faciendas & non faciendas creaturas,* seu *vt terminetur aut non terminetur ad eas.*

Contra istam responsionem obiiciunt: vel hæc tendentia volitionis diuinæ est aliqua entitas intrinseca isti volitioni, vel non est, sed est aliquid distinctum ab illa: si primum, ergo illa debet esse aliquid necessarium, vt suprà ostendimus contra Caietanum; sícque

III. non erit aliquid liberum: si secundum, ergo Deus non est volens liberè per aliquid vitale, & sibi intrinsecum, quod est contra rationem volentis, qui debet esse volens per aliquid sibi internum & vitale.

Respondetur, diuinam volitionem non esse formaliter liberam per rem faciendam & non faciendam, quia hæc est illi extrinseca, & denominatio volentis est intrinseca, & vitalis, sed quatenus sese terminat liberè ad hoc & illud obiectum, vt explicatum est ibi inter obiiciendum.

Ad id quod dicitur in minori, nimirum res facienda, vel non facienda est posterior libero actu Dei: respondeo, rem faciendam vel non faciendam, seu futuritionem vel non futuritionem rei posse comparari ad actum liberum Dei duobus modis. Primò, in ratione

IV. obiecti propositi ab intellectu, ad quod volendum vel nolendum ipsa diuina volitio tendit tanquam in terminum: secundò, posse considerari in ratione effectus determinati ad esse futurum: decretum autem liberum Dei esse tantùm causam rei faciendæ, vel non faciendæ, seu futuritionis, vel non futuritionis rei secundùm posteriorem considerationem, sub quâ ratione talis futuritio est posterior ipso decreto Dei.

Ad id quod contra solutionem inter obiiciendum allatam dicitur de ipsa tendentia diuinæ volitionis, scilicet quid illa sit: respondeo duo posse distingui in illa: primum est ipsa tendentia secundùm quod dicit in actu entitatem intrinsecam, & sic nihil est aliud

A quàm ipsemet actus quo Deus vult, & amat etiam seipsum: alterum est ipsa terminatio talis tendentiæ ad hoc vel illud obiectum, quæ terminatio nihil est aliud quàm applicatio, & coniunctio talis tendentiæ cum hoc & illo obiecto, pro ea conditione quâ obiectum illud ex sua natura postulat terminare volitionem; vnde cùm obiecta creata postulent attingi liberè per volitionem Dei, talis tendentia diuinæ volitionis quoad suam eiusmodi terminationẽ, ad hoc & illud obiectum creatum erit libera, ipsâ tamen eius tendentiâ entitatiuè spectatâ remanente omninò necessariâ, & nullo modo sub dominio, & potestate diuinæ voluntatis. V.

Et hoc totum potest illustrari exemplo sumpto à nostra voluntate, quæ licet quoad suam

B intrinsecam entitatem non subsit nostro dominio, sed sit intrinsecè, necessaria quatenus non est liberum voluntati, vt sit vel non sit, eo tamen ipso quo liberè se terminat ad actum, quem producit, nec indigeat vllo alio actu determinante ad producendum illum, sed illa est sibi ipsi sufficiens, censetur formaliter libera; ita etiam licet actus diuinæ volitionis consideratus secundùm suam entitatem non subsit libertati Dei, vt sit vel non sit; quia tamen liberum est Deo, vt actus ille terminet se ad hoc vel illud obiectum, vel ad nullum creatum, erit perfectè liber; imò vis ipsa efficiendi cum actiua indifferentia, in qua tota ratio libertatis sumpta præcisè consistit, reperietur modo longè perfectiori in Deo, quàm in nobis vel in Angelis. VI.

Nam primò ita reperietur in creaturis, vt

C illæ habeant duntaxat dominium in exercitiũ suorum actuum, non tamen in terminationem illorum; hic enim actus in particulari habet necessariò quòd respiciat hoc obiectum in particulari, & non aliud. VII.

Deinde voluntas creata habet quòd receptione sui actus quem producit, mutetur, & acquirat relationem realem: at actiua indifferentia quæ constituit libertatem diuinam, ita est in Deo, vt ratione illius voluntas Dei se liberè terminet ad quodcumque obiectum sibi extrinsecum, absque aliqua mutatione sibi aduenieñte per productionem actus: & quemadmodum creata voluntas nullâ factâ sui mutatione, quæ præcedat productionem sui actus liberi, censetur per suam actiuam indifferentiam exercere suam causalitatem in illum, & sic formaliter esse libera, apta dare denominationes oppositas, scilicet *volentis*, & *nolentis*;

D sic diuina voluntas, quæ est etiam formaliter libera, poterit facere vt hoc & illud obiectum creatum existat vi suæ volitionis increatæ, absque eo quòd realis aliqua mutatio inde sibi inferatur: & vt rectè apprehendimus creatam voluntatem liberè operari, quatenus ratione actiuæ suæ indifferẽtiæ sese terminat ad exercendum hunc & illum actum extrinsecum propriæ suæ entitati, nec illam intrinsecè mutantem; ita etiam rectè possumus intelligere diuinam voluntatem liberè operari, quatenus ratione actiuæ suæ indifferentiæ terminat ipsum suum actum volitionis, alioquin entitatiuè necessarium, & diuinæ essentiæ identificatum ad has & illas creaturas, prout vult. VIII.

I.

DISPVTATIO IV.

De aliis diuinæ voluntatis affectionibus.

Articvlvs Primvs.

Vtrum voluntas Dei sit causa rerum.

NOTANDVM est, diuinam voluntatem, vt virtualiter distinctam à natura diuina posse cõsiderari duobus modis: primò, vt *natura est*, seu vt est determinata ad vnum, quo modo spectata in Patre & Filio producit Spiritum sanctum. Deinde potest considerari, vt *voluntas*
II. *est*, seu vt est libera, & indifferens ad vtrumlibet: sensus præsentis articuli est, an id per quod Deus causat res ad extra sit, vel ipsa natura diuina, vt virtualiter condistincta à voluntate diuina, vel ipsa eius voluntas, vt *natura* seu vt determinata ad vnum, an verò, vt est *voluntas* seu vt est libera. Hoc prænotato,

Sit hæc vnica propositio. *Diuina voluntas non vt natura, sed vt libera est causa rerum omnium ad extra:* ita sanctus Thomas, & omnes Scholastici hâc quæstione articulo quarto, & est de fide ex illo Apostoli *ad Ephesios* primo, *qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, id est secundùm deliberatam suam voluntatem, deliberata autem voluntas est libera, sicut & consilium est de rebus liberis, non autem de iis quæ fiunt ex necessitate naturæ, vt omnes Philosophi docent
III. in Ethicis, & sanctus Thomas primâ secundæ, & Psalmo 134. *omnia quæcumque voluit fecit*, & Sapientiæ 11. *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?*

Probatur ratione, & primò quòd *voluntas Dei quatenus est natura, non sit causa rerum ad extra:* illud per quod agens infinitæ virtutis producit certas tantùm & finitas creaturas *in numero, pondere, & mensura*, non agit ex necessitate naturæ, præsertim vbi nihil potest ei obsistere, & tale agens non postulat necessariò materiam: (quia interdum fieri potest, vt actio agentis necessarij impediatur producere effectum correspondentem suæ efficaciæ propter aliquem defectum potentiæ passiuæ, vt sanctus Thomas expressè notat in quæstionibus disputatis *de potentia*, quæstio-
IV. ne tertiâ articulo decimo tertio) atqui Deus est agens infinitæ virtutis, cùm sit omnipotens & infinitus in quolibet genere perfectionis, & tamen producit de facto res omnes ad extra certas & finitas *in numero, pondere, & mensura*, vt Sapiens expressè docet libro suo capite vndecimo: ergo id per quod Deus agit ad extra, & est causa rerum, non est diuina eius voluntas vt est natura.

Explicatur & simul confirmatur: hoc est discrimen inter agens *naturale*, & agens *ex proposito* seu deliberata voluntate, quòd agens *naturale* non impeditum agat toto suo conatu, & producat effectum quàm potest perfectissimum; agens autem *ex proposito* seu ex deliberata voluntate producat suum effectum eo gradu perfectionis quo vult, quia ei producendo applicat tantum de sua virtute quan-

A tum vult, & illam veluti coërcet ne prorumpat in actum ei proportionatum: ergo cùm Deus sit agens infinitæ virtutis non indigens materiâ & subiecto ad agendũ, & tamen producat res omnes ad extra in certo *numero, pondere, & mensura*, id per quod agẽs est ad extra, non est diuina eius voluntas, vt natura est. V.

Deinde, quòd *diuina voluntas quatenus est voluntas seu vt libera, sit causa rerum ad extra*, præterquã quòd ratio nunc allata id ostendit, probatur & hâc aliâ ratione: omne agens per intellectum est etiam agens per voluntatem, vt voluntas est, quia voluntas sequitur intellectum, vt ostendimus art. 1. præsentis quæst. sed Deus est agens per intellectum ex dictis ad quæst. 14. ergo Deus est etiam agens per voluntatem, vt voluntas est, & ex consequenti quatenus est libera est causa rerum.

B Confirmatur, & simul vltima ratio, quâ S. Thomas hîc articulo 4. probat hanc partem præsentis propositionis, explicatur: effectus procedens per formam habentem in illo modum intelligibilem ab agẽte, procedit per voluntatem talis agentis, vt hæc est voluntas, seu quatenus illa est libera, vt patet in artifice, qui quia agit per ideam domus quam habet in intellectu, producit illam exteriùs voluntate vt liberâ; cuius rei hanc rationem S. Thomas assignat citato articulo 15. quæst. 3. *de potentia*; nam id quod est in intellectu, non producitur seu efficitur nisi mediante voluntate tanquam executrice intellectus; cùm enim omne agens agat ex quadam inclinatione, quæ moueat & veluti impellat agentem ad ponendum extra se, quod habet intra se, & ipsa voluntas vt voluntas est, seu vt libera subeat vicem huius VI.
C inclinationis in natura intellectuali, illa mouebit naturam intellectualem seu agens intellectuale, ad ponendum extra se id quod per modum intelligibilem continet in suo intellectu: atqui res omnes creatæ procedunt seu à Deo producuntur ad extra per formam habentem in eo modum intelligibilem, vt intelligitur ex dictis suprà de ideis diuinis: ergo res omnes creatæ procedunt ad extra à Deo per eius voluntatem, vt hæc est libera. VII.

Neque est quòd quis obiiciat Deum, cùm sit primum agens, esse agens *per essentiam*, vt S. Thomas admittit tam hâc quæst. art. 4. ad 2. quàm in quæstionibus disputatis citatâ quæst.

Nam imprimis S. Thomas admittit Deum esse aliquod agens per suam essentiam *in sensu identico*, non autem *in sensu virtuali formali*,
D quo modo hîc consideramus diuinam essentiam, & eius voluntatem; iuxta quem modum posteriorem, quia seruant inter se virtualem distinctionem, proximum agendi principium ad extra conuenit diuinæ voluntati, remotum verò & radicale diuinæ essentiæ. VIII.

Deinde potest responderi, hunc *terminum esse agens per essentiam*, posse habere duplicem sensum; prior est proximam rationem communicandi seu agendi ad extra conuenire immediatè & proximè naturæ & essentiæ eius, quod sic denominatur agens *per essentiam*, prout hæc eius essentia est, & distincta virtualiter ab omnibus perfectionibus ad illam sese habentibus ad instar cuiusdam formę adiacentis; posterior est, vt idem sit *esse agens per essentiam*, ac non esse agens per aliquid sibi extraneum, & aliunde acceptum, & hoc sensu

I. Deus rectè potest dici agens ad extra per essentiam, quia licet voluntas, vel omnipotentia eius non sit de præciso formali conceptu diuinæ essentiæ prout hæc condistinguitur virtualiter ab attributis, nihilominùs tamen voluntas, vel omnipotētia, per quā Deus agit ad extra, non est extrinseca suæ diuinæ essentiæ, sicut nec bonitas quâ Deus dicitur esse *bonus per essentiam*, iuxta ea quæ diximus ad 6. quæst. huius partis, quin potiùs essentia diuina est talis conditionis, vt per necessitatem essentialem postulet habere in se ipsa voluntatem, quæ sit proximum principium agendi ad extra, quod principium non adueniat ei ab extrinseco, sed quòd habeat à se, & à nullo alio, & hoc sensu Deus rectè potest dici, & intelligi esse agens per essentiam, quomodo ad quæst.
II. 6. huius partis diximus Filium & Spiritum sanctum, qui accipiunt diuinam essentiam à Patre, non desinere esse boni per essentiā: sed

Quæres, cùm præcedenti quæstione docuerimus scientiam Dei esse causam rerum, & præsenti quæst. dicamus voluntatem Dei esse causam rerum ad extra, an hæc diuina voluntas sit immediatius principium rerum creatarum, quàm sit diuina eius scientia.

Respondetur, istam comparationem posse fieri duobus modis: primò, ita vt comparatio fiat quoad ipsam propriam causalitatem sciētiæ & voluntatis, & quæratur quænam illarum sit immediatior effectui, dum simul causant illum: secundò, ita vt cōparatio fiat quoad executionem, & quæratur quænam illarum sit causa immediatior, cur aliquid fiat & ponatur, cur hoc & illud potiùs, quàm aliud fiat: si comparatio instituatur priori modo,
III. respondetur hoc vtrumque prædicatum Dei æquè immediatè concurrere; nam intellectus concurrit per suam scientiam dirigendo opus, & ostendendo quâ ratione vnumquodque sit faciendum, voluntas autem applicando virtutem actiuam ad effectum producendum: si verò comparatio fiat posteriori modo; respondetur voluntatem esse immediatius principium, quia intellectus agit tantùm dirigendo, & positâ quacumque Dei directione nihil fieret, nisi adueniret electio voluntatis, quę vult efficaciter hoc & non aliud, quæque mouet efficaciter ad agendum facultatem exequentem, vt etiam patet in nobis.

Cæterùm, an præter electionem diuinæ voluntatis ad aliquid faciendum ad extra sibi propositum per intellectum, requiratur aliquis alius actus intellectus, qui per modum *imperij* conclusionem, & propositum volun-
IV. tatis deferat ad facultatem exequentem, non est huius quæst. discutere, sed pertinet ad quæst. 17. 1. 2. vbi explicatur ex professo comparatione cuiuscumque voluntatis.

ARTICVLVS II.

Vtrum possit assignari aliqua causa diuinæ volitionis.

NOTANDVM primò in volitione Dei tria posse distingui; primum est eius *entitas*; secundum eius *effectus* ad extra, qui fit in tempore; tertium est ipsa *diuina volitionis terminatio* ad hunc effectum.

Notandum secundò terminationem illam
A diuinæ volitionis ad effectum posse duobus modis considerari: primò secundùm *actiuam attingentiam*, iuxta quam ipsa volitio tendit in obiecta volita: deinde secundùm *terminationem passiuam*, iuxta quam obiecta volita terminant volitionem. V.

Notandum tertiò, duobus modis posse intelligi dari causam aliquam diuinę voluntatis: primò accipiendo nomen *causæ* pro vera & reali aliqua causa: secundò accipiendo nomē *causæ* impropriè, quatenus id quod est alteri ratio existendi, vel essendi appellatur impropriè *eius causa*. His ita prænotatis, sit

Prima propositio. *Actus liber diuinæ volitionis secundùm suam entitatem consideratus nullam habet causam sui, siue* efficientem, *siue* meritoriam, *siue* finalem *propriè dictam*: ita sanctus
B Thomas hâc quæst. art. 5. & alij omnes communiter de *causa efficiente*, probatur: quia VI.
actus ille consideratus secundùm suam entitatem est ipsamet essentia & substantia Dei, vt suprà obseruauimus: at essentia diuina nullam habet causam sui efficientem, est enim prima causa independens à quocumque alio.

De *causa meritoria* idem patet, quia aliquid habere causam sui meritoriam, est esse aliquid ad extra, quod moueat & impellat, vt existat ad postulationem alterius: sed Deus existit necessariò independenter à petitione, vel merito cuiuscumque.

De *causa finali*, probatur: quia finis est id cuius gratiâ aliquid fit, vt docet Aristoteles lib. 2. *Physic.* atqui actus diuinæ volitionis non fit, quia non habet causam sui efficientem; ergo actus diuinæ volitionis non habet causam finalem propriè dictam.
C Secunda propositio. *Actus liber diuinæ voluntatis secundùm suam entitatem habet nostro modo intelligendi essentiam suam, vt amorem sui, tanquam rationem volendi, ad modum causæ finalis*, id est, *Deus amando suam bonitatem tanquam finem censetur moueri ad amandas creaturas, tanquam media.* Ita S. Thomas citato art. 5. & libro 4. *contra Gentes* capite 87. Probatur ex sacris Litteris, in quibus Deus dicitur *condidisse omnia propter semetipsum.* VII.

Probatur deinde ratione: quando duo ita se habent ad inuicem, vt vnum sit obiectum primarium & alterum secundarium, tunc si vno & eodem actu percipiantur, primarium debet esse ratio attingendi secundarium, vt notauimus suprà de actu cognitionis, quo vnico Deus se & creaturas cognoscit; atqui increata bonitas Dei est primarium obiectum diui-
D næ volitionis, bonitas creaturarum est secundarium, vt suprà docuimus, & Deus vno eodémque actu simplicissimo fertur in hoc vtrumque obiectum, vt docuimus: ergo volitio increatæ voluntatis quæ est in Deo, debet esse illi ratio volendi bonitatem creaturarum. VIII.

Tertia propositio. *Effectus liberæ volitionis Dei habet veram aliquam causam finalem*: probatur, quia res omnes creatæ referuntur propriè ad Deum tanquam ad vltimum suum finem, ex citato superiùs loco Prouerbior. & inter res creatas aliæ referuntur ad alias tanquam ad proximum suum finem, sic gratia ad gloriam, medicina ad sanitatem: ergo effectus diuinæ volitionis habent veram causam finalem.

I. A Quarta propositio. *Terminatio diuinæ volitionis ad effectum secundùm attingentiam actiuam non habet causam aliquam, vel etiam rationem creatam, sed tantùm increatam, si sermo sit de prima ratione volendi*, id est, *Deus non mouetur tanquam à causa, vel finali ratione ab aliqua bonitate creata, sed à sua tantùm bonitate, vt velit aliquid.* Ita S. Thomas quæst. 19. art. 1. ad 3. vbi ait diuinam voluntatem non moueri ab alio, sed à sua bonitate.

Probatur primò ex citat. loco *ad Ephesios* primo, quo Deus dicitur operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ, & ex aliis Scripturæ locis superiùs citatis, quibus Deus dicitur velle res omnes creatas propter semetipsum. Deinde ratione: quicquid attingitur per volitionem sub ratione medij, illud non habet rationem causæ finalis, vel etiam rationis:
II. B quia medium vt medium semper amatur propter aliud, scilicet propter finem, & nunquam vt sic propter intrinsecam suam bonitatem: atqui res omnes creatæ ad quas diuina voluntas terminatur, attinguntur per diuinam volitionem, tanquam media, & sola diuina bonitas tanquam finis vltimus, vt patet ex dictis.

Nec obstat quòd multæ res creatæ sint amabiles propter bonitatem suam intrinsecam; nec item quòd res creatæ aliquem seruent inter se ordinem, aliæ sint propter alias, gratia & merita propter gloriam.

Hæc inquam non obstant: non primum, quia res aliquæ creatæ ita sunt amabiles propter intrinsecam suam bonitatem, vt tamen hæc ipsa illarum bonitas ex se referatur aliò, tanquam ad vltimum aliquem superiorem finem;
III. C est enim tantùm illarum bonitas quędam participatio diuinæ bonitatis: vnde cùm Deus amet vnumquodque vt est amabile, talis bonitas creata non dicitur esse ipsi Deo prima ratio volendi & amandi eam.

Secundum item non obstat: potest enim duplex ordo distingui in ipsis rebus, vnus *causalitatis*, secundùm quem res quæ aliam causat, illam antecedit, vt gratia & merita gloriam; alter volitionis, secundùm quem vnum ita est priùs volitum alio, vt etiam sit ratio volendi illud: iam ordo causalitatis obiectorum inter se, non infert ordinem in ratione volendi, quin potiùs econtrà, nam quod est vltimum in exequutione est primum in intentione; vel ad summum bonitas aliqua creata potest dici esse ratio proxima, cur aliqua alia bonitas sit à Deo volita; verbi gratiâ, bonitas gloriæ po-
IV. D test dici esse ratio cur Deus velit bonitatem gratiæ poni in aliquo homine, sed istud propriè non est esse primam rationem volendi, cùm talis bonitas semper referatur aliò.

Cæterum notandum est, sensum huius propositionis (*Deus vult res omnes creatas, vt media ad seipsum*) non esse hunc, quòd ipsæ creaturæ sint ipsi Deo media ad seipsum acquirendum, aut aliquid quod sit intra ipsum: sed sensum illius hunc esse, quòd quemadmodum finis tribuit appetibilitatem omnibus mediis, & illa omnia appetuntur propter finem, ita etiam Deus amat omnes creaturas propter se, ita vt nullam possit amare nisi quodammodo motus à sua ipsa bonitate.

ARTICVLVS III. V.

Vtrum voluntas Dei sit mutabilis.

PARS negans est de fide Prouerb. 19. *multa cogitationes in corde viri; voluntas autem Dei in æternum stat.* S Iacob. 1. cap. *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.*

Probatur item ratione: voluntas Dei est idem cum Deo: ergo sicut Deus est immutabilis, ita erit & eius voluntas. Deinde omnis mutatio voluntatis nascitur ex mutatione iudicij, aut ex eo quòd aliquid incipit esse conueniens, quod antè erat disconueniens; at de Deo neutrum dici potest, quia Deus optimè iudicat de rebus, & à primo instanti suæ æternitatis vidit omnia quæ rebus singulis erant
conuenientia pro quauis temporis differen- VI.
tia: hinc quando in sacris Scripturis Deus dicitur *duci pœnitentia*, debet id intelligi *metaphoricè*, quòd nempe tunc Deus dicat, vel faciat, quæ homines pœnitentes solent facere; vnde tota hæc mutatio est tantùm in ipso effectu.

Neque his repugnat, quòd aliquando res aliter euenerit, quàm Deus prædixerit per Prophetas, vt apud Isaiam 38. cap. dicitur Regi Ezechię, *dispone domi tuæ quia morieris.* Ionæ 1. cap. *adhuc 40. dies & Niniue subuertetur*; nam hæc & similia intelliguntur secundùm comminationem, ita vt hæc sint euentura sub aliqua conditione, verbi gratiâ Niniuitis, nisi resipuerint, vel secundùm ordinem naturæ, vt mors Ezechiæ Regis, quæ secundùm dispositionem morbi erat futura, nisi Deus illum sa-
nasset miraculo. VII.

Dices: mutatio voluntatis non facit physicam mutationem in ipsa voluntate, vt patet in nobis: ergo malè colligimus, diuinam voluntatem non posse mutari ex eo quòd Deus sit immutabilis.

Respondetur disparem esse rationem nostræ voluntatis à voluntate Dei, quòd nostra non possit omnem rationem boni, vel mali quæ est in rebus primo suo actu attingere; vnde fit vt illâ de nouo perceptâ mutet suum decretum, & sit tantùm in illa mutatio quædam moralis: diuina verò voluntas est recta per essentiam, & vnico suo actu omnem rationem boni, vel mali attingit; vnde cùm sit quædam moralis leuitas & inconstantia mutare voluntatem, vt patet in nobis, & talis leuitas non
possit stare in voluntate cum rectitudine per VIII.
essentiam, quin potiùs illam tollit, & destruit, fit vt non possimus admittere in Deo moralem hanc consilij mutationem, nisi ex consequenti velimus admittere realem & physicam mutationem in eius voluntate, tollendo scilicet ab illa, quòd sit recta per essentiam, quod est ei intrinsecum & essentiale.

Dices secundò: posset Deus non infringendo antiquum decretum nunc habere aliquod nouum de re aliqua producenda de nouo, nec hoc maiorem in illo argueret imperfectionem, quàm in nobis, qui priori voluntate non reuocatâ iterum volumus aliquid.

Respondetur negando antecedens, & est etiam hac in re dispar ratio diuinæ voluntatis ac nostræ; diuina enim voluntas non potest se habere *negatiuè* ad obiecta sibi per in-

I. tellectum proposita, vt suprà diximus; vnde in primo illo instanti rationis, quo concipimus illam voluisse aliquid ad extra, voluit has & istas creaturas esse pro hoc & illo tempore, reliquas verò noluit esse, & proinde cùm non possit sine mutatione sui etiam reali velle nunc quod anteà noluit, vt mox ostendimus, fit vt etiam nunc non possit nouum aliquod decretum condere, quod anteà non fuerit: nostra autem voluntas, quia non statim à principio fertur in omnia sua obiecta, sed successiuè, modò in vnum, posteà in aliud, & ita deinceps, & prætereà potest circa quamplurima illorum nunc se habere *negatiuè*, circa quæ posteà sese habebit *positiuè*, quia considerat rationem bonitatis & conuenientiæ, quam anteà non perceperat, fit vt sine suspicione leuitatis, vel inconstantiæ possit de
II. nouo velle aliquid, non reuocatâ priori voluntate.

Cæterum aliqui disputant hoc loco, an postquam voluntas Dei ab æterno statuit aliquid producere, maneat in Deo potentia ad illud non producendum, vel econtrà, an maneat potentia contradictionis in Deo ad creanda illa, quæ decreuit non creare, sed vt rectè animaduertit Bannezius artic. decimo quæstionis decimæ nonæ, tota hæc disputatio est de nomine; nam omnes fatentur diuinam voluntatem secundùm se spectatam posse velle oppositum eius quod voluit, non tamen factâ hypothesi, quòd ipsa sese iam ad vnum determinauerit, quia sic esset mutabilis, vt docuimus.

ARTICVLVS IV.

III. *Vtrum libertas diuinæ voluntatis sit prima radix seu causa primaria contingentiæ rerum.*

DVÆ perfectiones possunt distingui in diuina voluntate: prima est summa eius *efficacia*, quâ potest facere quicquid vult, iuxta quam dicit Apostolus, *voluntati eius quis resistet*: altera est eius *libertas*, quam esse perfectissimam suprà ostendimus: iam quæritur, cùm suprà docuerimus voluntatem Dei esse causam rerum omnium ad extra, & res aliæ sint necessariæ, aliæ contingentes ad complementum vniuersi; an diuina voluntas ratione vtriusque huius perfectionis sit causa primaria seu prima radix contingentiæ, quæ est in hoc toto vniuerso; an verò ratione vnius tantùm scilicet solius suæ *efficaciæ*, vel solius
IV. suæ *libertatis*.

Vbi notandum est nos non hîc quærere cur hic & iste effectus sit essentialiter necessarius, & cur hic & iste actus sit essentialiter liber, vel contingens; certum est enim, quòd vbi causæ illorum sunt iam productæ, causa & radix istius contingentiæ & libertatis eiusmodi effectuum refundenda est in ipsas earum causas, quæ talis sunt conditionis, vt illarum aliæ producant necessariò suos effectus ob connexionem necessariam quam habent ad illos; aliæ verò, quia sunt liberæ, vel contingentes, nec habent necessariam connexionem cum suis effectibus, producunt illos tantùm contingenter, vel liberè; sed quod quæritur est, vndenam primò oriatur hæc rerum contingentia, seu ex qua vi fiat, vt in toto vniuerso

A aliquæ causæ dentur necessariæ, & aliæ contingentes, & liberæ; vnde fiat, vt quædam res habeant modum suæ productionis necessarium, & aliæ liberum, & contingentem; an ex sola libertate Dei præcisè sumpta, an verò ex summa efficacia, quam diuina voluntas habet. His prænotatis, sit V.

Prima propositio. *Voluntas Dei non est prima radix contingentiæ prout est libera*: est contra Scotum libro 1. sentent. distinct. 2. quæst. 2. & distinct. 8. quæst. 2. est tamen plurium etiam recentiorum, vt Caiet. Bannezij ad art. 8. huius quæst. 19. & probatur primò ex eo quòd multi veterum Philosophorum putauerunt Deum agere ex necessitate, qui tamen agnouerunt contingentiam in rebus.

Deinde quia si per impossibile Deus ageret
B ex necessitate, causæ verò secundæ agerent eodem modo quo nunc agũt, & nostra voluntas VI.
esset eadem quę nunc, tunc contingenter agerent, & nostra voluntas liberè, cùm tunc esset omninò idem concursus: quòd enim daretur necessariò, faceret quidem vt Deus non posset tunc concursum non dare, & proinde vt effectus quantum est ex parte Dei, non posset non sequi; non tamen faceret, vt voluntas nostra adhiberet necessariò suum conatum, quem ipse effectus postulat, cùm ex hypothesi concursus Dei tunc idem esset ac nunc, hoc solùm excepto, quòd daretur necessariò.

Tertiò probatur: ad rationem effectus contingentis vel liberi, satis est, vt causa proxima sit libera, vel contingens, quemadmodum videre est in actibus nostris liberis, quos non exercemus sine concursu primarum
C causarum vniuersalium, verbi gratiâ solis & VII.
aliarum eiusmodi: atqui in tali hypothesi causa proxima esset libera; ergo si per hypothesim impossibilem Deus ageret necessariò, semper aliqui actus & effectus darentur contingentes, & liberi.

Addidi in secunda ratione, *si per impossibile nostra voluntas esset eadem, quæ nunc*, quia si Deus careret libertate, eam nos non possemus habere, cùm enim illa sit quædam perfectio simpliciter simplex, si non sit formaliter in Deo, multò minus erit in creaturis; vnde in tali hypothesi oportebit nostram voluntatem esse alterius conditionis, quàm nunc sit, & cùm quælibet perfectio creaturæ sit aliqua participatio diuinæ alicuius perfectionis, sicut datâ hypothesi, quòd voluntas Dei necessitaretur in agendo ad extra,
D sic etiam voluntas creata debebit per aliquid VIII.
necessitari ad agendum, nec ampliùs esset libera, sed alium haberet modum essendi, quàm nunc habeat.

Secunda propositio. *Prima radix contingentiæ est ipsa voluntas Dei vt summè efficax*; ita S.Thomas art. 8. quæst. 19. & probatur 1. ex 12. cap. lib. Sapient. vbi Sapientia Dei dicitur *attingere à fine vsque ad finem fortiter, disponere omnia suauiter*; nam illa particula *fortiter*, ibi denotat summam efficaciam diuinæ voluntatis esse rationem, cur Deus attingat *à fine vsque ad finem*, scilicet, quia ita disponit omnia, vt alia sint necessariò, alia contingenter, prout postulat suauis dispositio vniuersi.

Probatur etiam ratione sumptâ à nostra vo-

I. A luntate, licet enim aliquid maximè velimus,
quia tamē voluntas nostra nō est efficacissima,
nec causatiua eorum omniū quæ potest velle,
ideò nō potest facere, vt omnia sint eo modo,
& iis circumstantiis, quibus vult: ergo à pari si
ponatur Deus tantùm habere voluntatem, vt
hæc & illa hoc & illo modo existāt, & summa
efficacia excludatur ab eius voluntate, res
non fient hoc & illo modo contingēter liberè,
vel necessariò: ergo prima radix contingen-
tiæ est ipsa summa efficacia diuinæ voluntatis,
non quidem præcisè sumpta à voluntate, sed
ei coniuncta, ita vt ab efficacia proueniat,
quòd possint res esse contingenter, vel neces-
sariò; determinatio verò, scilicet quòd de fa-
cto ita sint, & fiant, ab ipsa determinatione
voluntatis proueniat, vt ab applicante: vnde
II. B quòd alia sint necessariò, & alia contingenter,
prouenit ab efficacia Dei cum respectu ad
ipsam diuinam voluntatem ad hoc & illud
determinantem.

Articvlvs Vltimvs.

Vtrum voluntas Dei imponat necessitatem nobis.

POTEST tantùm esse difficultas de nostris
actionibus liberis, an aliqua necessitas eis
imponatur ab efficaci decreto Dei.

Notandum est, vt iam præmonuimus, du-
plex posse distingui decretum Dei circa no-
stras actiones liberas; primum est quo Deus ab
æterno statuit concurrere cum libero arbitrio
ad omnes & singulas eius actiones; alterum
III. C quo statuit ei dare gratiam præuenientem, &
adiuuantem, ad opera supernaturalia exer-
cenda. Hoc præmisso, sit

Hæc nostra propositio. *Neutrum ex istis
duobus decretis diuinis imponit necessitatem hu-
manis, & liberis nostris actionibus.* Probatur
quoad singulas partes: quoad *primum decre-
tum*, illud quod est tantùm de sese accommo-
dando voluntati ipsius liberè agentis, & li-
beræ eius actioni, nec ei, nec eius actioni li-
beræ potest aliquam inferre necessitatem,
quia vt sic sequitur tantùm conditionem a-
gentis & actionis eius; atqui prius illud de-
cretum, quo Deus ab æterno statuit concur-
rere cum libero arbitrio hominis ad omnes &
singulas eius actiones, est tantùm de dan-
do illo suo concursu nostræ voluntati, & de
sese illi & liberæ eius actioni accommodan-
IV. D do; nam decretum illud est tantùm de dando
tali concursu diuino, prout de facto datur in
tempore; at datur in tempore accommodan-
do se nobis, & nostris actionibus; concursus
enim causæ liberæ determinat concursum
Dei, vt habet verior opinio Theologorum:
igitur tale decretum Dei nullam infert ne-
cessitatem nobis, nec liberis nostris actioni-
bus.

Probatur eadem propositio quoad secun-
dam partem: in tantum decretum Dei de con-
ferenda nobis gratia præueniente potest in-
ferre necessitatem voluntati creatæ, in quan-
tum hæc gratia præueniens vbi & quando da-
tur, necessitat actu, & de facto creatam vo-
luntatem, quia sic solummodò tale decretum
reducitur ad exequutionem; atqui gratia præ-
ueniens dum de facto datur, non necessitat
voluntatem ad consensum sibi præbendum, V.
sed tantùm allicit, vt patet ex pluribus sacræ
Scripturæ locis, in quibus patet multos resti-
tisse præuenienti gratiæ sibi à Deo concessæ,
& qui præbent ei assensum, per eam tamen
quantumuis efficacem non prædeterminan-
tur physicè ad consensum, vt docet ex pro-
fesso communior Theologorum sententia
tract. *de gratia*: igitur nec istud secundum
decretum Dei aliquam infert necessitatem
creatæ voluntati, vel eius actionibus.

Neque ex eo quòd ad positionem huius &
istius gratiæ præuenientis in hoc & illo homi-
ne consensus in illam sequatur infallibiliter,
potest colligi talem gratiam ei aliquam infer-
re necessitatem; hoc enim tantùm prouenit
ex speciali quadam congruitate, quam talis
gratia *vocans* habet ad mores, ingenium, &
præsentem statum eius, qui per eam vocatur, VI.
ratione cuius congruitatis ita suauiter vocat,
vt illum infallibiliter quidem, sed tamen
semper liberè alliciat ad consentiendum, &
infallibilitatem consequutionis effectus ad
positionem suæ causæ non importare necessi-
tatem ipsi causæ in modo agendi, & produ-
cendi suum effectum, norunt omnes Philoso-
phi: nam infallibilitas tantùm dicit certam
consequutionem effectus ad positionem suæ
causæ, remanente tamen actiuâ indifferentiâ
causæ liberæ ad illum producendum, vel non
producendum, prout illi placuerit: at neces-
sitas importat aliquid præuium in ipsa causa
illam ita prædeterminante ad agendum, vt
receptâ tali determinatione non sit ei ampliùs
liberum non agere; quo tamen modo sese non
habet gratia præueniens ad consensum nostræ VII.
voluntatis, vt docent ex professo Theologi
tractatu *de gratia*.

Ex quibus omnibus intelligitur facilè con-
ciliatio nostræ libertatis cum diuina volunta-
te, quatenus diuina voluntas ita nobis adul-
tis vult sua dona supernaturalia, vt ad fru-
ctuosam illorum consequutionem nostrum
semper exoptet liberum consensum, & con-
cursus nostræ voluntatis liberæ ipsum Dei
concursum determinet, vt post Philosophos
docent Theologi cit. tract. *de gratia*.

AD QVÆSTIONEM XX.

DISPVTATIO VNICA. VIII.

De amore Dei.

Articvlvs Primvs.

Vtrum amor sit in Deo, & an sit æqualis erga omnia.

AMOREM *esse propriè & for-
maliter in Deo*, non tantùm
docet ipsa fides ex illo sancti
Ioannis, *sic Deus dilexit mun-
dum, vt filium suum vnigenitum
daret*; sed & ipsa ratio petita
ex iis, quæ docuimus præcedentibus quæstio-
nibus: amor enim est actus, quo voluntas
vult bonum aliquod, nam amare est velle bo-

I. num, atqui Deus vult & amat creaturas vt præcedenti quæst. docuimus : ergo amor est *formaliter* in Deo.

Amor autem ille Dei quatenus est erga irrationales creaturas non est propriè loquendo *amicitiæ*, quia illæ non sunt capaces amicitiæ, cùm sint incapaces *cognitionis* & *redamationis*; amicitia autem ex Aristotele octauo *Ethicorum*, capite 8. & ex aliis fit *mutua aliquorum beneuolentia, quæ non lateat ipsos amicos, sed sit illis inuicem cognita* : sed iste amor Dei est *concupiscentiæ*; est enim eo modo in Deo, quo ordinat irrationales creaturas in bonum & commodum creaturæ rationalis: vnde licet Deus in ordine ad seipsum habeat duntaxat amorem *amicitiæ*, attamen in ordine ad creaturas irrationales habet etiam amorem *concupiscentiæ*.

Cæterùm, ita Deus amat omnes creaturas,
II. vt si amor eius consideretur ex parte *actus*, sit æqualis, quia est vnicus nullam in seipso admittens intensionem, vel remissionem: si autem spectetur ex parte *effectus* quem ponit in creaturis, sit inæqualis, vt per se patet, ex eo quòd Deus det aliquibus maiorem perfectionem quàm aliis; sic quia Christus Dominus excedit quoad dona supernaturalia totam Ecclesiam, Deus plus amat illum, quàm totam suam Ecclesiam.

Nec obstat quòd S. Bernardus serm. 11. *in Canticum Canticorum*, & sermone *de S. Magdalena*, dicat Christum Dominum magis dilexisse Ecclesiam, quàm proprium suum corpus, quod tamen erat vnitum hypostaticè Verbo diuino, nimirum quatenus illud obtulit, vt redimeret Ecclesiam : sic enim sanctus Bernardus loquitur quoad externum ef-
III. fectum, seu quatenus nobis apparet exteriùs; nam Christus Dominus moriendo ita se gessit, ac si pluris faceret homines, quàm se ipsum, quia homines solent exponere res minoris pretij, vt conseruent res maioris momenti: at à parte rei Christus Dominus magis dilexit seipsum, quàm Ecclesiam; nam & suam mortem retulit ad maiorem gloriam sui nominis, vt Apostolus docet cap. 2. ad *Philipp.* & eodem sensu Deus dicitur plus amare *pœnitentem* quàm *innocentem*, quatenus scilicet donum, quod fit ei, qui potiùs meretur pœnam, quàm bonũ aliquod, videtur esse maius, quomodo apud S. Lucam 15. capite dicitur esse *in cœlo maius gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super pluribus iustis*; cùm
IV. tamen loquendo simpliciter Deus plus amet innocentem, & eum, qui plus habet perfectionis & gratiæ.

ARTICVLVS II.

An actus voluntatis, qui passiones dicuntur, sint in Deo.

CVM S. Thomas primâ secundæ quæst. 23. & alibi enumeret vndecim actus voluntatis, scilicet *amorem, desiderium, delectationem, odium, fugam, tristitiam, spem, desperationem, audaciam, timorem* & *iram*, qui vulgò vocantur à philosophis *passiones*:

Quæritur, an eiusmodi actus omnes sint in Deo, non quidem vt habent rationem *passionis*, id est, vt important aliquam immuta-

A tionem, siue corpoream, siue spiritalem; sic enim illos non esse in Deo, est certum, quia aliàs Deus esset obnoxius mutationi; sed, vt habent rationem *actus*. V.

De *amore* iam dictum est, de *spe, desperatione, audacia* & *tristitia*, respondetur, illos propriè non habere locum in Deo : *spem* quidem, quia hæc dicit tendentiam ad aliquod bonum arduum consequendum virtute alicuius superioris & potentioris, qui possit illud conferre; nam quod quis habet in sua potestate, non dicitur *sperare* : at Deus nullum habet se superiorem, nec vllum est bonum quo ipse careat. Idem patet de *desperatione* : is enim dicitur *desperare*, qui ob nimiam difficultatem desistit à prosecutione alicuius boni, ac proinde apprehendit illud vt sibi impossibile : at nihil est impossibile Deo, nec potest aliquid apprehendere vt sic. VI.

B Idem patet etiam de *tristitia* : illa enim nihil est aliud, quàm displicentia mali præsentis, quod nobis accidit contra propriam voluntatem : at nullum est malum in Deo, nec potest ei aduenire.

Est etiam par ratio de *timore*, & licet timor & tristitia possint esse de malo proximi, siue præsenti, siue futuro; adhuc tamen vt sic non possunt propriè esse in Deo, quia ita sunt de malo proximi, vt tamen sint de illo, quatenus ita apprehenditur, ac si esset proprium malum.

De *audacia* idem patet : illa enim includit in suo subiecto defectum potestatis, ratione cuius aggreditur pericula, quæ videntur impedire consecutionem rei; qui defectus non potest habere locum in Deo, sicut nec *desiderium*, quod fertur circa bonum absens
C & nondum obtentum. VII.

De *gaudio*, seu *delectatione*, sanctus Thomas docet hâc quæstione quòd sit in Deo: & ratio fauet, quia delectatio est effectus voluntatis, quo illa conquiescit in re volitâ & amatâ & iam possessâ; vnde vocatur *quies* & *fruitio* : atqui Deus conquiescit in sua bonitate, à seipso volitâ & amatâ. Nec *delectatio* est tantùm in Deo respectu boni proprij, quod est in illo, sed etiam respectu eius, quod de facto est in creaturis, vt S. Thomas notat lib. 1. *contra Gentes*, capite nonagesimo : & hoc maximè conuenit perfectioni charitatis, vt patet 1. *ad Cor.* 13.

Quod verò spectat ad *odium* : imprimis respondetur, si nomine *odij* nihil aliud intel-
D ligatur, quàm aliqua displicentia obiecti, vel efficax voluntas inferendi malum alicui, tunc odium esse in Deo : nam hoc vtrumque dicit perfectionem sine imperfectione : primum quidem, vt patet in malo culpæ, & eo ipso, quo voluntas amat aliquod obiectum actu formali & propriè dicto, illo eodem odit, saltem virtualiter, eius oppositum & destructiuum illius; at Deus amat gratiam sanctificantem, & malum culpæ contrariatur gratiæ, illámque destruit : igitur hoc sensu odium est in Deo; sic *Sapientiæ* decimo quarto, dicitur *odio sunt Deo impius & impietas eius* : quod etiam sanctus Thomas hâc quæstione articulo secundo in responsione ad quartum docet, ita vt id quod Deus habet odio in impiis & peccatoribus, sit ipsa illorum impietas. VIII.

I. Secundum etiam patet; Deus enim verè & propriè vult damnatis pœnam æternam, quæ pœna æterna est maximum quoddam malum.

Secundò respondetur, si *odium* sumatur pro displicentia de aliqua creatura subsistente, cui voluntas appetat, seu velit malum, sine intuitu maioris alicuius boni; tunc tale odium non esse formaliter & propriè in Deo, sed tantùm similitudinariè & metaphoricè. Hæc est expressa sentent. S. Thomæ lib. 1. *contra Gentes*, cap. 96. vt ibi etiam obseruat Ferrariensis & interpretes S. Thomæ ad præsentem quæstionem. Quod vt intelligatur,

Notandum est, amare aliquem, nihil esse aliud, quàm velle ei aliquod bonum; & odisse aliquem, nihil esse aliud, quàm ei tanquam subiecto & proinde subsistenti, velle aliquod malum; iuxta quem sensum, amor & odium dicuntur esse rei subsistentis. Hoc præmisso,

II. Probatur responsio: imprimis ex illo Sap. 11. *nihil odisti eorum quæ fecisti*: deinde probatur ratione. Malum numquam appetitur à Deo, nisi ratione cuiusdam boni coniuncti, quod magis appetitur, quàm bonum illud, quod remouetur per tale malum, vt S. Thom. docet quæst. præced. art. 9. sed Deum odisse aliquem, est Deum velle ei aliquod malum, quia odisse aliquem, est ei velle aliquod malum ex animaduersione nunc facta: igitur odium sic sumptum non est formaliter in Deo.

Minor confirmatur ex eodem S. Thoma in quæst. disputatis *de malo*, quæst. 11. artic. 4. in corpore, vbi hoc discrimen ponit inter *odium* & *inuidiam*, quòd *odium* quærat malum proximi, sub ratione *mali*; *inuidia* autem contrarietur bono proximi, sub ratione *boni*, quod
III. dictum S. Thomæ Ferrar. loco proximè citato explicat, non de ratione mouente voluntatem actu *prosecutionis*, hæc enim est bonitas; sed de ratione terminante duntaxat eiusmodi actum, sicut coloratum est ratio mouens potentiam ad videndum parietem, cuius tamen ratio terminans est album, quatenus hæc visio terminatur ad parietem album. Plures aliæ rationes pro hac eadem responsione possunt videri apud S. Th. citato cap. 96. lib. 1. *contra Gentes*.

Tandem quod spectat ad *iram*: respondetur illam præcisè sumptam, quatenus est appetitus vindictæ, esse in Deo: nam eiusmodi appetitus secundùm se consideratus habet honestatem in aliquo superiori habente potestatem puniendi, quemadmodum videre est in Regibus, Iudicibus, & aliis constitutis in po-
IV. testate: sed Deus habet omnimodam potestatem in nos, & sæpè illum grauiter offendimus: igitur actus iræ formaliter sumptæ erit in Deo cùm nullam habeat imperfectionem sibi admixtam.

Et hoc modo rectè intelligitur quod Lactantius docuit toto suo opere *de ira Dei*, nimirum, iram loquendo propriè esse in Deo; si enim sumatur aliter, nimirum quatenus iste appetitus vindictæ supponit irascentem contristari de malo, tunc ira est tantùm *metaphoricè* in Deo, vt sancti Patres docent, Ambr. in Psal. 37. Hier. in Psal. 29. Aug. epist. 157. S. Th. 1. 2. quæst. 47. art. 1. ira enim sic spectata dicit aliquam commotionem in irascente, quæ commotio non potest habere locum in Deo.

A V.

AD QVÆSTIONEM XXI.

DISPVTATIO VNICA.

De iustitia & misericordia Dei.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum iustitia & misericordia sint in Deo, an iustitia Dei sit veritas, & vtrum in omnibus operibus Dei sit misericordia cum iustitia.

IVSTITIAM *esse in Deo* passim sacræ Scripturæ clamant: difficultas solùm potest esse, cùm iustitia diuidatur in *commutatiuam* & *distributiuam*; an illa vtraque reperiatur in Deo, vt comparatur ad homines: sed quod spectat ad iustitiam *commutatiuam*,
B scholastici communiter partem affirmantem VI.
sequuntur tertiâ parte, vbi agunt de rigorosa satisfactione Chr. Dom. & quod spectat ad *distributiuam*, pertinet ad 1. 2. vbi disputatur de merito: bonorum operum, quare ne materias, & explicationes illarũ confundamus, expositio huius difficultatis est repetenda ex istis locis.

Quod verò spectat ad *misericordiam*; notandum est ex S. Th. hâc quæst. art. 3. misericordiam in nobis duo includere; vnum est, *compassio alienæ miseriæ*; alterum est, *affectus*, seu *voluntas subleuandi miseriam alterius*: nam ex eo quòd tristamur de alterius miseria, mouemur ad subleuandum illum.

Hoc prænotato respondetur, misericordiam *posteriori modo* spectatam esse in Deo. Probatur: omnis perfectio carens imperfectione est formaliter in Deo: sed misericordia vt sic, est
C perfectio sine imperfectione, immò si comparetur cum iustitia, videtur esse maior perfe- VII.
ctio, tam ex vi formalis sui conceptus, quàm ex ipso effectu: ex vi quidem formalis sui conceptus, quia misericordia Dei est immediatè ex diuina voluntate nihil præsupponens ex parte hominis, sed potiùs efficiens bonum in illo: at iustitia præsupponit aliquid ex parte hominis, scilicet peccata vel meritum: item misericordia Dei præsupponitur ad iustitiam: cùm enim Deus nulli sit debitor, non potest alicui benè viuenti reddere vitam æternam pro mercede, nisi quatenus præsupponimus Deũ ex liberali promissione sese cõstituisse debitorem: at hoc spectat ad misericordiam Dei, quâ vult nos subleuare à nostris malis. Idem patet ex parte effectus: nam Deus magis osten-
D ditin effectu misericordiam, quàm iustitiam; VIII.
non enim punit pro peccati condignitate, sed citra illam, & præmiat vltra condignum meriti: igitur cùm tota ratio misericordiæ formaliter sumptæ consistat in voluntate subleuandi miseriam alterius, nec hoc dicat imperfectionẽ, misericordia erit verè & formaliter in Deo.

Atque ex his constat, iustitiam & misericordiam reperiri in quouis opere Dei; quòd enim res habeant esse, est ex misericordia Dei, Deus enim nulli tenetur dare esse: item, quòd omnia habeant esse secundùm conditionem suæ naturæ, & iuxta æqualitatem proportionis, est ex aliqua iustitia, quatenus habent ista omnia conformiter ad diuinam sapientiam, quæ *ipsi Deo est regula & lex*: hinc Ps. 84. *vniuersæ viæ Domini* dicuntur *misericordia & veritas*, vbi nomen *veritatis*, ponitur pro iustitia.

I.

AD QVÆSTIONEM XXII.

DISPVTATIO VNICA.

De prouidentia Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Deus habeat prouidentiam, & an conſecutio finis ſit de ratione illius.

NOMINE diuinæ *prouidentiæ* nihil aliud intelligitur à Philoſophis & Theologis, quàm *actus, quo Deus ordinat res in*
II. *ſuum finem, per media apta & ſufficientia ad illum aſſequendum.* An autem hæc dicat tantùm actum *intellectus*, an ſolius *voluntatis*, vel vtriuſque, eadem eſt difficultas ac de prædeſtinatione, quam explicabimus ſequenti quæſt. *Deum habere prouidentiam rerum omnium*, ipſa fides Catholica docet, Sapientiæ octauo, & decimo quarto; item apud ſanctum Matthæum ſexto capite & paſſim alibi: quod etiam ſancti Patres fusè docent, integris tractatibus compoſitis de illa, ſanctus Chryſoſtomus *ſex ſermonibus*, ſanctus Auguſtinus libro quinto *de Ciuitate Dei*, & alij quamplures.

Idem ratio oſtendit: nam Deum prouidere rebus, nihil eſt aliud quàm eum illas dirigere in ſuum finem, per apta & ſufficientia media: at Deus hoc facit, quia producit illas propter
III. finem, & ex intentione finis, cùm ſit agens per intellectum & voluntatem, eíſque ſubminiſtrat media, quemadmodum patet ex dictis de ſcientia & voluntate Dei.

An autem prouidentia includat aliquam ſcientiam, *viſioniſne*, an *ſimplicis intelligentiæ*, eadem eſt difficultas, ac, quænam ſcientia Dei ſit cauſa rerum, cùm prouidentia reſpiciat aliquid producendum ad extra; ideóque hæc difficultas eſt eodem modo ſoluenda, quo ſuperiùs diſſoluimus aliam.

Quod ſpectat ad alteram difficultatem in titulo propoſitam: notandum eſt imprimis duplicem poſſe *diſtingui* finem rerum omnium, quæ diriguntur à Deo: vnum *communem & generalem*, qui non eſt alius, quàm manifeſtatio alicuius diuinæ perfectionis, qui
IV. poteſt aliter appellari *finis prouiſoris*: alterum *particularem*, qui poteſt aliter vocari, *finis rei prouiſæ*, cuiuſmodi eſt vita æterna reſpectu hominis: hæc præſens difficultas intelligitur de hoc fine.

Deinde notandum eſt, quòd, quemadmodum ſuprà diſtinximus in Deo duplicem voluntatem; vnam *antecedentem*, alteram *conſequentem*: ſic etiam duplicem poſſe diſtingui prouidentiam: *generalem* vnam, quâ Deus ordinat omnia in ſuos proprios fines, per media conuenientia & ſufficientia ad aſſecutionem finis; aliam *ſpecialem*, quæ reſpicit finem in particulari, per certa media, non tantùm ſufficientia, ſed etiam efficacia.

His ita prænotatis: tota varietas ſententiarum circa præſentem difficultatem facilè componitur hâc noſtrâ concluſione. *Diuina illa generalis prouidentia non includit infalli-*
A *bilem aſſecutionem finis rei prouiſæ; ſpecialis verò includit illam.* Ita ſanctus Thomas libro tertio *contra Gentes*, capite nonageſimo quarto. Poſterior pars patebit ſequenti quæſtione. Prior probatur argumento ſumpto à reprobis, qui licet ſint creati & ordinati à Deo ad vitam æternam, & in hunc finem acceperint media ſufficientia, hunc tamen finem de facto non conſequuntur: ratio verò huius rei ex parte diuinæ prouidentiæ eſt, quòd voluntas illa, quâ hæc media applicantur, non *ſit conſequens*, ſed duntaxat *antecedens*: & ex parte hominis, quòd ille pro ſua libertate negligat iſta media. V.

Neque propterea tamen Deus fruſtratur ſuo fine *prouiſoris*, nec item eius prouidentia fallitur: quia tunc tantùm aliquis cenſetur
B falli, quando res euenit aliter, quàm ipſe VI.
præuiderit; at Deus ita prouidit rebus ſingulis, vt tamen voluerit quædam euenire liberè & contingenter, etiamſi adhiberet media ſufficientia & conuenientia, præuideretque impedimentum aliquod futurum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus immediatè prouideat rebus omnibus, & an eius prouidentia rebus imponat neceſſitatem.

DEVM prouidere immediatè omnibus rebus citata præcedenti articulo teſtimonia ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum docent, quod etiam ratio petita ex dictis oſtendit; nam Deus habet immediatè prouiden-
C tiam eorum omnium, quæ immediatè cauſat: VII.
atqui Deus cauſat immediatè res omnes & ſingulas, vt patet ex dictis de exiſtentia Dei in omnibus rebus, & ex dictis quæſtione decimâ quartâ, & decimâ nonâ de ſcientia & voluntate Dei, vt cauſis rerum omnium.

Neque his obſtat multitudo rerum, quia Deus diſponit omnia eiuſmodi vnicâ intellectione, & volitione, vt citatis quæſtionibus oſtendimus; quæ vnica intellectio & volitio non impedit eius beatitudinem.

Nec item obſtat, quòd multi homines peruerſi habeant optima ingenia, diuitias & id genus cætera bona; probi verò plerumque careant iſtis: nam id non prouenit ex defectu prouidentiæ, ſed ex abuſu hominum, qui malè vtuntur bonis eiuſmodi.

D Nec item obſtat, quòd Deus videat huiuſmodi abuſum; nam ſatis eſt, quòd Deus ita inſtituat homines in bonum finem, vt illis det accommodata media, deinde ipſum euentum relinquat libero hominum arbitrio. VIII.

Quòd autem boni ſæpiùs affligantur, mali abundent diuitiis; hoc non euertit diuinam prouidentiam: vtrinq; enim iuſtæ cauſæ dantur, nam Deus vtitur afflictionibus piorum ad exercitium virtutum, vt eas fortiter ferendo aſſequantur vitam æternam, quemadmodum Apoſtolus docet *ad Rom.* 5. cap. impiis verò dãtur diuitiæ vt poſſint benè vti illis erga alios; tum etiã quia aliquando improbi exercent quædã bona temporalia; quare, cùm Deus nullum bonum relinquat ſine præmio, dat illis in vita præſenti bona iſta temporalia: & quando Deus permittit peccatum eius, etiam prouidentia ſeſe ad illud extendit, quatenus

I. vtitur illo ad aliquod bonum inde elicien- A
dum, vt docuimus suprà ex S. August.
Tandem quòd prouidentia Dei nullam im-
ponat necessitatem rebus, patet ex dictis præ-
cedenti artic. & adhuc patebit ex dicendis
quæst. seq. de prædestinatione.

AD QVÆSTIONEM XXIII.

DISPVTATIO PRIMA.

De essentia & existentia prædesti-nationis.

QVIA prædestinatio est pars
II. quædam prouidentiæ, quâ Deus
ordinat creaturas rationales ad
æternam beatitudinem; ideò ex-
plicatâ prouidentiâ, rectè eius
explicatio sequitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine prædestinationis.

PRÆDESTINATIO componitur ex du-
plici voce, nimirum *præ* & *destinatio*, qua-
rum prior non significat antecessionem digni-
tatis personarum ad personas, quasi præde-
stinati dicantur præ aliis insigniter electi; ne-
que item significat antecessionem electionis
ad merita, quasi prædestinati dicantur qui
ante merita etiam præuisa sunt destinati ad
III. gloriam, vt placuit Catharino libro 1. *de præ-* C
destinatione, capite 1. & 2. non item significat
antecessionem eorum qui saluantur compara-
tione damnatorum, vt voluit Camerarius
dialogo *de prædestinatione*, capite primo; sed
significat antecessionem durationis, seu æter-
nitatis ad tempus, ita vt prædestinatio nihil
sit aliud, quàm *æterna destinatio quæ omne tem-
pus antecedit, vt prædestinati dicantur electi à
Deo & ad gloriam destinati ab omni æternitate
ante mundi constitutionem*: ita Alensis primâ
parte quæstionis vigesimæ octauæ membro
primo, & communiter omnes recentiores.
Quæ explicatio probatur ex eo quòd hæc
particula, *præ*, in hac voce *prædestinatio*,
debet eodem modo accipi, ac in hac voce
præscientia, quando ambæ istæ voces vsur-
pantur de negotio ordinationis hominum ad
IV. vitam æternam, & isti duo termini, *prædesti-* D
nati, præsciti, in hac materia sibi inuicem op-
ponuntur; nam communiter electi ad vitam
æternam vocantur *prædestinati*, reprobi verò
& damnati *præsciti*, vt sanctus Thomas ob-
seruat libro primo sententiarum, distinctione
quadragesimâ, quæstione quartâ, articulo
primo: sed particula *præ* in hac voce, *præscien-
tia*, quando est sermo de prædicta ordinatio-
ne, significat tantùm antecessionem duratio-
nis, vt *ad Romanos* octauo, *quos præsciuit, &
prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui*:
quò loci particula, *præ*, denotat tantùm ante-
cessionem secundùm durationem ipsius scien-
tiæ diuinæ ad res scitas consideratas secun-
dùm suam existentiam: similiter 1. ad *Cor.* 2.
apud S. Matth. 25. cap. & hæc expositio am-

pliùs confirmatur ex Patribus ita exponen- V.
tibus prædictam particulam suis commentariis
ad primum caput epistolæ *ad Ephesios*, vt san-
cto Chrysostomo, sancto Ambrosio, & sancto
Hieronymo.
Neque hinc sequitur, vt Catharinus suprà
obiicit, pari iure eandem particulam, *præ*,
posse præfigi aliis actionibus Dei, verbi gra-
tiâ creationi, vocationi, iustificationi, quibus
tamen Apostolus suprà non præfigit illam, si-
cut destinationi & scientiæ Dei: est enim dis-
par ratio, quòd hæ posteriores actiones Dei
sint tantùm transeuntes & temporales, licet
volitio exequendi illas in tempore sit imma-
nens & æterna: at destinatio hominis ad vi-
tam æternam sit planè immanens & æterna:
vnde potest rectè particula *præ* ei præfigi, istis
verò minimè.
Neque etiam fauet Catharino, quòd Apo-
B stolus citato cap. 8. *ad Roman.* exprimat ipsam VI.
vocationem Dei per verbum præteriti tem-
poris, sicut & ipsam prædestinationem, sic di-
cendo, *quos prædestinauit hos & vocauit*; sen-
sus enim Apostoli non est, quòd sicut iste ter-
minus, *prædestinauit*, intelligitur de præde-
stinatione, quæ est ab æterno in mente & de-
creto Dei, sic etiam terminus iste *vocauit*,
debeat intelligi de vocatione, prout est in
decreto Dei, & non prout est in tempore;
nam si hæc esset mens Apostoli, debuisset ita
dicere, *quos prædestinauit hos & prænocauit*, vt
sic etiam explicaret dignitatem, & antecessio-
nem vocationis; quo tamen modo non est lo-
quutus: sed Apostoli hæc particula *vocauit*, ibi
debet intelligi de vocatione in tempore, &
verba Apostoli sunt apertissima: hic enim est
eorum sensus, *quos Deus ab æterno prædestinauit,* VII.
hos in tempore vocauit; quem sensum sequentia
verba indicant, *quos vocauit, hos & iustificauit*,
quod intelligitur factum in tempore: Aposto-
lus autem ibi vtitur verbo præteriti temporis,
ad significandum certitudinem vocationis, vt
rectè obseruat S. August. lib. *de correptione &
gratia*, cap. 9. & post illum interpretes ad istum
locum Apostoli.
Posterior verò particula *destinatio*, item
verbum *destino*, tria præcipuè significat, quæ
ad præsentem quæstionem possunt facere:
nam primum, *destino*, est idem ac, *mitto*, sic
dicimus hunc vel istum hominem fuisse desti-
natum ad talem locum cap. 1. lib. 1. Machab.
destinauerunt aliqui de populo, idest, miserunt:
secundò idem est ac *deputo*, *assigno*, vt 1. ad
Corinth. 4. *tanquam morti destinatos*, id est, de-
putatos: tertiò idem est ac *statuo* 2. ad *Cor.* 9. VIII.
provt destinauit in corde suo, id est, statuit ac
decreuit.
Sanctus Thomas art. 1. qu. 23. deducit hoc
nomen *prædestinatio* à prima significatione,
dum ait prædestinationem esse trãsmissionem
creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ: &
quanquam prædestinatio, de qua hîc est ser-
mo, possit rectè sumi, tam in prima, quàm in
secunda & tertia significatione, quia Deus il-
lis, quos prædestinauit, decreuit etiam con-
ferre sua dona, eos etiam transmisit in re-
gnum cœleste, & ordinauit quòd assequeren-
tur illud: melius tamen videtur hoc nomen
esse deducendum ab vltima significatione, &
saltem ex vsu & consuetudine Scripturæ &
Patrum esse restrictum, vt in præsenti materia

I. significet decretum Dei: sic colligitur ex Apo-
stolo ad *Roman.* 8. cap. vbi prædestinatio vo-
catur *propositum Dei*, & prædestinati dicuntur
vocati secundùm propositum Dei: vnde S. Hier.
ad cap. 1. ad *Ephesios* notat *prædestinare*, idem
esse ac *prædefinire*; transmissio autem significat
tantùm actionem temporalem, seu executio-
nem ipsius æterni decreti diuini de saluandis
electis: prædicta tamen explicatio S. Thomæ
potest reuocari ad nostram sententiam, qua-
tenus transmissio illa non significatur, vt exer-
cita de facto, sed solùm, vt concepta in men-
te Dei, quemadmodum S. Thom. explicat.

Cæterùm hoc nomen *prædestinatio* sumptum
pro firmo statuto Dei habet duplicem signifi-
cationem, vt notat Driedo libro *de concordia
liberi arbitrij*, cap. 1. Vnam *impropriam*, & valde
amplam, iuxta quam significat decretum eo-
II. rum omnium quæ finaliter euenient creaturæ
rationali, secundùm quam acceptionem di-
citur tam de reprobis, quàm de saluandis; sic
apud S. August. lib. 15. *de Ciuitate Dei*, cap. 1.
quando ait ex duabus illis ciuitatibus à se de-
claratis vnam prædestinari ad gloriam, alte-
ram ad ignem æternum, sic apud Prosper. in
responsionibus ad capita Gallorum, respons. 14.
& 15. sic in Concilio *Valentino* sub Leone IV.
cap. 3. rectè tamen nos admonet S. Fulgentius
lib. 1. *ad Monimum* non posse dici Deum præ-
destinasse aliquos ad malum culpæ; & ratio
est, quia Deus non potest velle istud malum
vt docuimus suprà.

Alteram habet acceptionem magis strictam
& propriam, quâ significat decretum efficax,
quo Deus ordinat Angelos & homines in vi-
tam æternam: & vsus iam obtinuit, vt in hac
III. tantùm significatione vsurpetur; vnde voca-
tur passim in sacris literis *propositum Dei, placi-
tum, liber vitæ, discretio, segregatio*, & prædesti-
nati dicuntur, *præordinati, vocati, oues Christi
Domini, vasa misericordiæ & in honorem*; iuxta
quam significationem posteriorem prædesti-
natio diuiditur à nonnullis in *completam* & *in-
completam*.

Completam prædestinationem vocant *seriem
& præparationem beneficiorum*, seu *mediorum,
quibus electi consequuntur vitam æternam*, in-
cludendo etiam ipsum vltimum terminum vi-
tæ: *incompletam* verò vocant *aliquam duntaxat
& non totam*, seu integram seriem & præpara-
tionem beneficiorum, quibus ad salutem ten-
ditur, ita vt non includatur ipse vltimus vitæ
terminus in gratia: sic aliquando viatores, imò
IV. etiam reprobi, quando sunt iusti, pro eo tem-
pore, possunt dici prædestinati prædestinatio-
ne *incompletâ*: & hanc diuisionem habere fun-
damentum in Scripturis sacris & Patribus,
præsertim in S. Augustino patebit inferiùs.

Cum hac diuisione coincidit hæc prædesti-
nationis in prædestinationem *ad gratiam*, &
prædestinationem *ad gloriam*: Prior corre-
spondet *incompletæ*: & de hac vtraque præde-
stinatione agemus hîc, & vsurpabimus hoc
nomen *prædestinatio*, in priori tantùm signifi-
catione ex duabus paulò antè assignatis.

A

ARTICVLVS II. V.

Vtrum prædestinatio sit actus intellectus, an voluntatis, vel vtriusque.

IMPRIMIS certum est, *prædestinationem
esse aliquem actum immanentem*, cùm sit
aliquid vitale per modum actus secundi.

Deinde certum est actũ illum esse æternum,
tum quia vbi Apost. *ad Eph.* cap. 1. dixit, *elegit
nos ante mundi constitutionem*, subdit, *qui præde-
stinauit nos*; tum etiam quia hæc particula *præ*
id denotat, vt docuimus articulo præcedenti;
tum quia quidquid est in Deo immanens, est
etiam simul æternum, aliàs Deus esset aliquo
modo mutabilis: & hoc sensu sanctus Thom.
articulo secundo huius quæstionis vigesimæ
B tertiæ, ait prædestinationem nihil ponere in VI.
prædestinato, nimirum *formaliter*, non autem
effectiuè.

Tertiò certum est, prædestinationem esse
actum liberum, vt patet ex illo *ad Eph.* cap. 1.
*prædestinati secundùm propositum eius, qui ope-
ratur omnia secundùm consilium voluntatis suæ:*
tum ex eo quòd illa est actus prouidentiæ: at
omnis actus prouidentiæ Dei est liber.

Difficultas solùm restat, an actus ille sit in-
tellectus, an voluntatis, vel vtriusque simul.
Et quidem discipuli S. Thomæ putant præde-
stinationem directè esse actum intellectus, &
connotare actum voluntatis: dicunt enim esse
rationem ordinis eorum, quæ sunt ad finem,
seu consistere in illo actu intellectus, qui or-
dinat media proportionata ad vitam æternam,
eáque intimat voluntati, vt exequatur illa;
C indirectè autem, & in obliquo per modum VII.
connotati importare actum voluntatis, quo
eligat certas personas in vitam æternam, &
certa media ab intellectu disposita in hunc fi-
nem: admittunt enim duplicem actum intel-
lectus in hoc negotio; vnum, quo intellectus
designat media, & iudicat de illis; alterum
posteriorem ipsâ electione voluntatis, quíque
fit per modum imperij, vel intimationis, nec
tam loquendo propriè est iudicium & cogni-
tio, quàm impulsus quidam practicus, seu im-
perium, vel dictamen intellectus, quod fit vo-
luntati hâc vel simili voce explicatum, *fac hoc:*
& in isto actu intellectus constituunt directè
formalem rationem prædestinationis, quan-
quam inter auctores istius sententiæ non vi-
deantur deesse, qui illam directè & formali-
D ter constituant in solo priori actu intellectus. VIII.

Secunda sentent. est Scoti lib. 1. sent. dist. 40.
quæst. 1. & plurium tam antiquorum, quàm re-
centiorum, cum quibus concludimus, *præde-
stinationem ita includere duos actus, nimirum in-
tellectus, & voluntatis, vt tamen principalius
formaliter & directè sit actus voluntatis, minus
tamen principaliter & connotatiuè tantùm, sit
actus intellectus practici, non tamen per modum
imperij, vt prima sententia explicat.*

Probatur propositio quoad singulas partes:
& primò prædestinationem *includere actum in-
tellectus*, patet: tum quia in Scripturis expli-
catur terminis significantibus actum *intelle-
ctus*, vt *ad Rom.* 8. & 11. *quos præsciuit & præ-
destinauit:* item, *non repulit Deus plebem quam
præsciuit*, id est, *prædestinauit*, vt S. August.
exponit libro *de dono perseuerantiæ*, capite 18.

I. tum etiam ex eodem S. August. libro citato cap. 14. *prædestinatio*, inquit, *est præscientia & præparatio beneficiorum Dei.*

Similiter includere actum *voluntatis* patet, tum ex eo quòd sacræ literæ explicent etiam prædestinationem nominibus significantibus actum *voluntatis*, vt patet ex dictis præcedenti articulo cir. 1 nomen prædestinationis; tum etiam quòd prouidentia, cuius est aliqua pars prædestinatio, est actus voluntatis, vt sanctus Damascenus expresè tradit lib. 2. *de fide orthodoxa*, capite 29. dum ait prouidentiam esse *voluntatem Dei, per quam res omnes aptè congruentérque gubernantur:* hinc sacræ Scripturæ & Patres explicant prædestinationem modò verbis spectantibus *ad intellectum*, modò terminis pertinentibus *ad voluntatem.*

Secunda item pars propositionis probatur:

II. & primò quantum ad id quod negat *prædestinationem principaliùs directè & formaliter esse actum intellectus*; nam vel actus ille est scientiæ *simplicis intelligentiæ*, vt purè & simpliciter est *simplicis intelligentiæ*, aut *scientiæ visionis:* neutrum dici potest, quia hæc vtraque scientia, sic præcisè considerata, est purè speculatiua, actus autem prouidentiæ & prædestinationis aliquid formaliter & directè practicum; & prior illa scientia est necessaria, prædestinatio autem libera: & posterior est quidem libera, sed tamen non pertinens ad prædestinationem, cùm illam supponat & sit merè speculatiua.

Addidi hanc particulam, *vt purè & simpliciter est simplicis intelligentiæ*; nam si hæc scientia consideretur, vt habet sibi adiunctum decretum diuinæ voluntatis, & constituitur in ratione scientiæ *approbationis:* iam, sicut hæc

III. approbatio cùm sit practica, est formaliter quædam electio; electio autem sumpta formaliter non est principaliùs & directè aliquis actus intellectus; sic & nec ipsa prouidentia vel prædestinatio erit principaliùs formaliter & directè aliquis actus intellectus.

Nec dici potest dari aliquem actum, quo nimirum intellectus iudicat de conuenientia mediorum ad finem rei prouisæ & prædestinatæ: nam Deus totum hoc cognoscit primo illo actu scientiæ *simplicis intelligentiæ*, cùm totum istud, vt sic, sit aliquid merè possibile, & posterior hic actus nihil addit priori, cùm Deus per hunc cognoscat comprehensiuè suam omnipotentiam, & omnes res vt merè possibiles, quarum limites hæc posterior cog-

IV. nitio non egreditur: quòd autem non possit etiam esse *actus intellectus* per modum *imperij* seu dictaminis, patebit paulò pòst.

Probatur etiam eadem pars, quatenus asserit prædestinationem *principaliùs directè & formaliter esse actum voluntatis* · primò ex notatione nominis, *prædestinatio*, superiùs assignata, secundùm quam significat *statutum, decretum & definitionem*, quæ omnia sunt formaliter ipsius voluntatis.

Deinde ex modo loquendi Patrum, præsertim sancti Augustini, qui passim disputando contra Pelagianos, & Semipelagianos vocat prædestinationem, decretum illud Dei separandi aliquos homines à massa perditionis, ab aliis in ea relictis, conferendo iis, quos vocauit, vocationem *altam & secundùm propositum:* at decretum & propositum sunt formaliter

A voluntatis; sic libro *de correptione & gratia* cap. 9. item ex eo quòd prædestinationem vocat, *electionem*; at electio formaliter est voluntatis; sic libro *de prædestinatione Sanctorum* cap. 18. *elegit*, inquit, *nos prædestinans*; item ex eo quòd prædestinationem appellat, *præparationem beneficiorum:* at hæc est voluntatis; est enim æternum decretum de danda gratia in tempore, sic libro de *prædestinatione Sanctorum*, cap. 2. & epist. 105. sic libro *de dono perseuerantiæ*, cap. 17. dum ait Deum disponere & præparare in præscientia, esse prædestinationem, ibi nomine *dispositionis* intelligit decretum voluntatis & electionem ad gratiam, quæ fit supposità præscientià: item ex aliis Patribus, vt sancto Fulgentio libro *ad Monimum* cap. 7. S. Prospero *ad capita Gallorum*, cap. 8. Nemesio libro *de opificio hominis*, capite 23. & pluribus aliis. VI.

B Tertiò probatur ratione: prædestinatio propriè & formaliter est actus eius à quo prouenit tota efficacia diuinæ ordinationis, sic enim præcisè & formaliter constituitur in ratione prædestinationis: item prædestinatio est actus eius cui proprium est sollicitare & habere curam rerum vtilium & necessariarum iis, quibus ipsa prouidentia tam generalis, quàm specialis prouidet: atqui hoc vtrumque est solius voluntatis loquendo formaliter; primum quidem, quia præciso decreto voluntatis, remanente tamen actu intellectus designantis etiam practicè media tam necessaria, quàm vtilia procurandæ vitæ æternæ huic & isti homini, nondum est prædestinatio; nec item directio per intellectum est efficax: econtrà verò per ipsum decretum diuinæ voluntatis fit formaliter efficax: secundum item est voluntatis for-

C maliter, quia cura & sollicitudo mediorum iis, quibus prouidemus, est propriè voluntatis; VII. nemo enim loquendo propriè dicitur prouidere alteri per hoc solum, quòd designet per intellectum, media ei profutura, sed tantùm quando efficaciter ea decernit, quæ re ipsa sunt adhibenda: at hoc decretum est voluntatis.

Atque ex hac ratione sic explicata soluitur fundamentum illud, quod auctores sententiæ repetunt, ex eo quòd studium, vigilantia & sollicitudo concludatur in prædestinatione, quæ tamen duo, *studium* scilicet & *sollicitudo*, pertinent ad prudentiam ex S. Thoma 2. 2. quæst. 47. artic. 9. Soluitur, inquam, quatenus duplex distinguitur sollicitudo, vna in *con-* VIII.

D *sulendo de mediis*, & hæc vel non distinguitur à prudentia, vel pertinet ad prudentiam; altera est *in exequendo*, & hæc pertinet ad voluntatem, ea enim est quæ mouet ad executionem & consequenter pertinet ad prouidentiam: non enim eum tantùm dicimus *prouidum*, seu *prouidentem*, qui ordinatè & debitè consulit, sed etiam, qui habet admixtam executionem facilem & expeditam, quod munus est proprium voluntatis: iuxta quem sensum potest accipi illud S. Augustini relatum suprà libro *de dono perseuerantiæ*, cap. 17. *Deum opera sua disponere, non est aliud nisi prædestinare*, quatenus hæc particula *disponere* ibi sumitur, prout significat exequi medium ab intellectu propositum voluntati, & quando libro *octoginta trium quæstionum* quæst. 31. dicit prouidentiam esse *partem prudentiæ.*

I. Tertia pars propositionis est, *prædestinationem importare minus principaliter & connotatiuè actum intellectus*, quod patet ex dictis pro prima parte propositionis; tum etiam ex eo quòd omnis volitio efficax supponit & connotat cognitionem intellectus sibi proportionatam, per quam dirigatur in assequendo fine; at prædestinatio est quædam volitio Dei efficax.

Vltima denique pars propositionis, negans *actum illum intellectus practici esse per modum imperij & intimationis quæ fit voluntati*, probatur: tota ratio prædestinationis est completa sine tali intimatione facta voluntati per intellectum: ergo prædestinatio non potest formaliter consistere in tali actu diuini intellectus. Consequentia est euidens; antecedens probatur: ad rationem veræ & comple-
II. tæ prædestinationis sufficit efficax ordinatio creaturæ rationalis ad beatitudinem per media efficacia; atqui totum istud reperitur in actu diuinæ prædestinationis sine prædicto imperio diuini intellectus & eius intimatione facta voluntati; tum quia hæc intimatio ponitur posterior ipsâ intellectione tam personæ, quàm mediorum, etiam iuxta primam sententiam; prædestinatio autem completur totâ tali electione; tum etiam quia iste actus *imperij* seu *talis intimationis*, licet aliquando habeat locum in nobis, non est tamen necessarius ad determinationem voluntatis, sed solùm aliquando vtilis propter imperfectionem nostræ voluntatis, quæ in rebus arduis experitur torporem & difficultatem in illis aggrediendis, ideóque imperium istud & intimatio potest ei interdum esse vtilis: ergo cùm diuina volun-
III. tas nullam patiatur difficultatem in faciendis rebus quantumlibet arduis, nullâ ratione opus ei est tali intimatione: ergo actus prædestinationis rectè potest intelligi completus, hoc ipso solùm, quod est ordinatio efficax personæ ad vitam æternam per media efficacia sibi per intellectionem proposita.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta contraria doctrinæ præcedentis articuli.

PRIMVM est: quòd in sacris literis, & in Patribus passim terminis significantibus *actum intellectus*, vt per nomen *præscientiæ*, prædestinatio explicatur.

IV. Respondetur, sacram Scripturam & Patres interdum explicare prædestinationem per actum *cognitionis practicæ*, quia illum connotat, vt docuimus: deinde nomine *præscientiæ* significari in istis locis scientiam *approbationis*, quatenus est *approbationis*, quomodo formaliter, & vt condistinguitur ab aliis scientiis Dei, importat diuinam voluntatem vt, docuimus quæst. 14.

Secundum est: efficax ordinatio est formaliter actus intellectus practici: sed prædestinatio est ordinatio efficax ex citatis testimoniis Scripturæ & Patrum: ergo est formaliter actus intellectus.

Confirmatur, quia ex sancto Thoma 2. 2. quæstione 48. articulo 1. prouidentia est pars prudentiæ; & prædestinatio est species prouidentiæ: ergo cùm prudentia sit formaliter in-
A tellectus, prædestinatio est etiam formaliter ipsius intellectus. V.

Respondetur, præter id quod iam annotauimus inter probandum secundam partem nostræ sententiæ, duo posse distingui in ordinatione efficaci; primum est ipsa *ratio mediorum efficacium*: alterum est *statutum & decretum de illis assumendis*: primum esse quidem rationis seu intellectus manifestantis voluntati iudicio etiam practico conuenientiam illorum ad assecutionem finis: secundum, esse formaliter decretum & præcisè solius voluntatis, & sic sumptum constituere formalem rationem prædestinationis, connotando tamen istum actum intellectus: nam ordinare sic sumptum, nihil est aliud, quàm velle vnum esse propter aliud, vel vt sit aliud; at hoc sumptum formaliter est voluntatis, connotando aliquem
B actum intellectus. VI.

Ad confirmationem respondetur, prudentiæ partes esse in triplici differentia, vt tam S. Thomas quàm eius interpretes docent citato loco in ista confirmatione argumenti: alias esse *subiectiuas*, alias *potentiales*, alias tantùm *integrantes*: ibi ex S. Thoma prouidentiam esse partem duntaxat *integrantem* prudentiæ, & non partem *subiectiuam*: at inter omnes istas partes solæ illæ sunt eiusdem rationis & ab eodem principio, quæ propriè loquendo sunt *subiectiuæ*: hæ enim sunt quædam species, vel quædam inferiora eius, cuius dicuntur esse partes: prouidentia autem dicitur tantùm à sancto Thoma ibi quædam integralis pars prudentiæ, quatenus perfectus vsus prudentiæ non potest haberi, nisi etiam habeat sibi adiunctum actum prouiden-
C tiæ, & plures alios, quos ibi recenset; at esse VII.
partem integrantem hoc modo, non magis infert esse eiusdem speciei, vel facultatis loquendo physicè, quàm benè colligatur omnes partes integrantes corporis heterogenei esse eiusdem omninò rationis & speciei.

ARTICVLVS IV.

Quomodo prædestinatio definiatur.

COMPLETA prædestinatio sic rectè definitur, *firmum Dei propositum ordinandi aliquas creaturas rationales*, seu *intellectuales efficaciter ad vitam æternam*: hanc autem definitionem esse legitimam probatur: quia continet omnia, quæ sunt essentialia prædestina- VIII.
D tioni, scilicet *actum* in quo illa formaliter consistit, & etiam alium quem dicit in obliquo: item *obiectum* quod respicit, *terminum* ad quem tendit, & *modum* secundùm quem tendit in illum: quod explicatur expositione singularum eius partium.

Prima est; *firmum propositum*, quæ ostendit illam formaliter *directè*, seu *in recto casu* esse actum voluntatis, non quemcumque, sed talem, qui sit stabile aliquod eius decretum.

Secunda, *ordinandi*, explicat actum intellectus, quem diximus interuenire in ipsa prædestinatione, & præsupponi ad illud decretum diuinæ voluntatis, quatenus importat dispositionem mediorum, per quæ prædestinatus assequitur infallibiliter vitam æternam.

Tertia, *aliquas creaturas intellectuales*, ex-

I. plicat proprium & adęquatum obiectum prædestinationis, solos nimirum homines & Angelos posse dici obiectum eius: nam nomine *obiecti* hoc loco nihil aliud intelligitur, quàm res illa quæ ordinatur ad assequendum vitam æternam: at posse sic ordinari à Deo ad talem finem cõpetit solis hominibus & Angelis: soli enim illi ex omnibus creaturis sunt capaces vitæ æternæ, vt suprà docuimus ad quæstionem 12. & licet diuinæ personæ sint intelligentes, fruitionis capaces, cùm hæc sit efficax ordinatio alicuius intelligentis in finem vltimum supernaturalem, diuinæ autem personæ sint ipse finis vltimus, ad nullum alium sunt ordinabiles.

Quarta hæc particula *efficaciter*, distinguit prædestinationem à cõmuni prouidentia, quia hæc, ex dictis ad quæstionem 22. non dicit in-
II. fallibilem assecutionem finis, quam prædestinatio dicit, vt S. Augustinus docet libro *de dono perseuerantiæ*, capite decimo quarto, dum loquens de propriis illius mediis, ita ait, *quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur:* & Christus Dominus satis expressit in Euangelio, dum loquens de prædestinatis, seu suis ouibus, ita ait, *& nemo rapiat illas de manu mea*; & ampliùs ostendemus infrà agendo de certitudine prædestinationis.

Vltima hæc particula, *ad vitam æternam*, explicat terminum, quem prædestinatio respicit: nam nomine talis termini nihil aliud potest intelligi, quàm effectus ille supernaturalis, ad quem res prædestinata ordinatur à Deo prædestinante: at effectus ille in hoc mysterio est vita æterna: & per hanc particulam
III. prædestinatio distinguitur etiam à prouidentia, hæc enim non tam præcisè & in particulari respicit vitam æternam, sicut prædestinatio, vt intelligitur ex dictis ad quæstionem vigesimam secundam: si tamen hoc nomen *prædestinatio* sumatur in ampliori significatione pro qualibet diuina ordinatione respiciente aliquid supernaturale, tunc illa quæcumque res supernaturalis ad quam alia destinatur, vocatur terminus talis prædestinationis, & res sic ordinata, dicitur etiam obiectum, quod prædestinatur ad rem illam aliam tanquam ad suum terminum; de qua significatione videri possunt scholastici 3. parte, vbi agunt de prædestinatione Christi Domini.

Atque ad hanc nostram definitionem reuocantur etiam aliæ, vt hæc Scoti lib. 1. sentent. distinctione 40. prædestinatio est *electio creaturæ intellectualis ad gratiam & gloriam*, &
IV. libro tertio sententiarum distinctione septimâ quæstione tertiâ, prædestinatio est *præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.*

Incompleta autem prædestinatio, prout excludit tantùm ipsam glorificationem, seu vitam æternam, sic rectè definitur: *firmum Dei propositum de dandis beneficiis, seu mediis supernaturalibus, quibus efficaciter tenditur ad vitam æternam:* cuius partes singulæ intelliguntur ex dictis circa definitionem completæ prædestinationis.

Et ad hanc definitionem incompletæ prædestinationis sic sumptæ, facilè reuocatur hæc eius definitio S. Augustini libro *de dono perseuerantiæ*, cap. 14. prædestinatio est *præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*; nam imprimis, quòd hæc particula, *præscientia*, ibi apud S. Augustinum significet scientiam *approbationis*, & ex consequenti directè & formaliter actum voluntatis diuinæ, seu firmum aliquod eius decretum, ostendimus ex eodem S. August. suprà. V.

Deinde quòd hæc definitio concepta sub iis duntaxat terminis sit tantùm incompletæ prędestinationis sic sumptæ, patet primò ex eo quòd nulla illius particula explicitè & formaliter exprimit vitam æternam, quæ est proprius terminus completæ prædestinationis; sed solummodò media vt efficacia & certissima ad obtinendum illam, quod tantùm significant hæc verba S. August. *beneficiorum quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur:* nam prædestinatio est propriè eorum qui nondum sunt
B beati, & particula *quibus liberantur*, habet significationem practicam, seu significat in actu exercito ipsam liberationem actualem effectiuè consideratam, quæ vt sic solis beneficiis gratiæ à Deo impertitis prædestinatis adhuc in via existentibus conuenit: & quando prædestinati accipiunt à Deo vitam æternam præsupponuntur extra viam, nec ampliùs propriè formaliter & practicè liberantur, sed, loquendo magis præcisè, iam sunt de facto liberati, donantur à Deo vitâ æternâ: vnde conformiter ad modum illum quo incompleta prędestinatio sic definitur, proprius terminus eius ad quem, est ipsa efficax liberatio prædestinati, quæ tamen liberatio, per completam prædestinationem, ordinatur vlteriùs ad vitam æternam, vt ad vltimum finem. VI.

C Secundò, idem patet ex eo quòd S. Aug. ibi definit prædestinationem illam, de qua erat ei disputatio cum Pelagianis & Semipelagianis; nam tam iste eius liber, quàm alij omnes contenti posteriori parte septimi tomi operum eius, sunt ex professo contra ipsos hæreticos: at hæc disputatio, prout pertinet ad doctrinam, & fidem Catholicam, seu vt est aliquod dogma fidei Catholicæ, erat tantùm de prædestinatione ad primam gratiam efficaciter vocantem, & cæteras id genus gratias supernaturales necessarias ad comparandum vitam æternam, prout illæ non includunt illam, licet ad eam dicant habitudinem, vt intelligitur ex citato opere S. August. item ex epistolis Sanctorum Hilarij & Prosperi *ad S. August.* & ex iis quæ agendo de gratia, primâ secundæ dicemus de hæresi Pelagianorum & Semipelagianorum. VII.

D Tertiò idem patet ex eo quòd S. Aug. pluribus in locis distinguit prædestinationem *ad gratiam*, à prædestinatione *ad gloriam æternam*, vt ostendetur infrà, & locis nunc citatis agit potissimùm de prima, de secunda verò non nisi obiter quasi ex professo agens aliud. VIII.

Posset tamen hæc definitio S. Augustini accommodari completæ prædestinationi, addendo ei hanc vel aliam similem particulam, *quos efficaciter ordinauit ad vitam æternam*; tali enim, vel simili additione exprimitur proprius terminus & finis vltimus, ad quem Deus ipse tali suo decreto ordinat prædestinationem.

Et quoniam prædestinatio diuina, vt incompleta potest concipi non tantùm prout formaliter & explicitè non includit gloriã æternam,

I. sed etiam prout consideratur tantùm quoad vnum aliquem effectum singularem supernaturalis gratiæ, verbi gratiâ, præuenientis gratiæ seu vocantis efficaciter, non includendo alias subsequentes gratias, quibus vocati certissimè liberantur; ideò fit, vt sic generaliter considerata possit definiri, *propositum Dei de dando vno vel pluribus beneficiis quibus efficaciter tenditur ad salutem æternam*: quâ autem ratione gratia, tam præueniens quàm habitualis collata homini per susceptionem baptismi, à qua tamen postea defecit, fuerit ei concessa, an ex aliqua tantùm communi prouidentia, an ex illa speciali quam appellamus *prædestinationem*, intelligetur ex dicendis infrà de reprobatione & reprobis.

Quæres, quomodo S. August. suprà definiat
II. prædestinationem, *præparationem beneficiorum*, cùm hæc particula, *præparatio*, sonet effectum duntaxat temporalem, & prædestinatio sit æterna; nam artifex qui solo interiori actu decernit ædificium, non dicitur præparare necessaria ad construendum illud: igitur cùm Deus ab æterno actu tantùm interiori statuerit aliquos ordinare efficaciter ad vitam æternam, talis eius ordinatio non potest rectè dici præparatio beneficiorum istorum.

Respondetur hoc nomen, *præparatio*, esse ambiguum: significat enim aliquando solam dispositionem externam materiæ, circa quam artifex occupatur actione transeunte, vt patet in exemplo Architecti: significat etiam aliquando solam interiorem dispositionem operis in mente & decreto operantis contentam, seu promptam & expeditam eius voluntatem
III. ad agendum, cuius tamen operis executio actualis nondum fit, sed est adhuc facienda: quo modo aliquis dicitur in animo præparatus ad disputandum, quando habet promptam voluntatem disputandi, licet nondum de facto disputet, nec sese accingat ad disputandum: iam prædestinatio non dicitur à S. Aug. *præparatio beneficiorum* priori modo, sed tantùm posteriori, quatenus est efficax volitio & ordinatio mediorum specialium & efficacium ab æterno præconceptorum in mente Dei, dandorum tamen, seu exequendorum in tempore.

ARTICVLVS V.

Vtrum aliqui sint de facto prædestinati.

IV. PARS affirmans est de fide: *de hominibus* constat ex Apostolo *ad Roman.8. quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui*, ad *Ephesios* 1. cap. apud S. Matth. 24. & 25. capitibus, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*: item ex Conciliis, vt Valentino superiùs relato: item ex Patribus, qui sæpè diuidunt omnes homines in duas classes, quarum vna est *prædestinatorum*, & altera *reproborum*, sic S. Athanas. in suo Symbolo fidei.

Propositio etiam intellecta *de Angelis* est de fide: nam aliquam puram creaturam intellectualem esse electam à Deo ad gratiam & ad gloriam, item illam videre Deum clarè & intuitiuè, idem sonat ac Deum habuisse firmum propositum ordinandi efficaciter talem creaturam ad vitam æternam, & sic illam fuis-

A se prædestinatam: nemo enim nisi prædestinatus assequitur de facto vitam æternam, cùm nulli creaturæ quamtumuis perfectissimæ illa possit esse debita ex naturali eius conditione, vt ostendimus ad quæst. 12. S. Thomæ; atqui ex tota multitudine Angelorum dantur aliqui, qui de facto vident clarè & intuitiuè diuinam essentiam, item aliqui illorum sunt electi; Christus enim Dominus apud S. Matth. cap. 18. ait de Angelis custodibus, *Angeli eorum vident faciem Patris*, id est clarè & intuitiuè diuinam essentiam, & Apostol. 1. *ad Cor.* 5. Angelos vocat *electos*. V.

Nec deest cõgruentia: fuit enim conuenientissimũ Deum mãnifestare diuitias suæ *bonitatis, misericordiæ, iustitiæ* etiã & *gloriæ* prout ille est finis vltimus supernaturalis creaturarum
B intellectualium: at totum istud manifestatur in ipso mysterio prædestinationis hominũ & Angelorũ: in prædestinatione quidem *hominum*, diuitiæ *bonitatis & misericordiæ* eius relucent, quia cùm essemus inimici eius, & per peccatum primi nostri parentis constituti in massa perditionis, selegit prædestinatos ex tali massa, & ex vasis contumeliæ, cuiusmodi erant, fecit vasa misericordiæ: *iustitia* etiam relucet, quia dat illis gloriam proportionatè ad bona opera supernaturalia, quæ ex speciali eius gratia tam adiuuante, quàm præcedente & subsequente exercuerunt in via. VI.

Idem etiam patet in prædestinatione *Angelorum*: nam licet numquam peccauerint, nec proinde quemadmodum homines sint prædestinati, post suum aliquod peccatum præuisum, nihilominus tamen, cùm gratia super-
C naturalis & visio beatifica sint aliquid omninò indebitum eorum naturæ consideratæ secundùm perfectiones naturales, ideò semper est singulare quoddam beneficium, & magnum quoddam argumentum diuinæ erga illos beneuolentiæ, & bonitatis, quòd cùm essent ex sua naturali conditione peccabiles, & tam remoti à Deo, illis nihilominus decreuerit beneficia gratiæ, quibus tenderent certissimè & infallibiliter ad vitam æternam, & facti sunt prope Deum: & cùm adhuc existentes in via informati gratiâ sanctificante exercuerint actus supernaturales meritorios, vt infrà docebitur agendo de illis, etiam iustitia Dei in eo reluxit, quòd ad proportionem meritorum eiusmodi, & suæ habitualis gratiæ, acceperint gradus gloriæ à Deo. VII.

D Neque his obstat, quòd Deus prædestinando aliquem hominem, dicatur misereri illius, illum liberare & saluare: Angeli autem, qui nunc sunt beati, nunquam fuerint miseri, vel infecti aliquâ culpâ etiam veniali, sed existentes in via fuerint semper in gratia, & in aliqua beatitudine, vt etiam S. Augustin. notat libro *de correptione & gratia* capitibus decimo & vndecimo, & à statu gratiæ nondum *consummatæ*, transierint immediatè ad statum gratiæ *consummatæ*, seu *gloriæ*, vt docebitur infrà agendo de Angelis. VIII.

Hoc, inquam, non obstat: primum, quia aliud est loqui de prædestinatione, quoad formalem & præcisam suam rationem; & aliud loqui de illa secundùm aliquas conditiones extrinsecas, suæ formali rationi, eique duntaxat conuenientes per accidens & ratione status particularis alicuius eius obiecti: essentia

I. prædestinationis tota intrinsecè continetur firmo Dei proposito ordinandi efficaciter creaturas intellectuales ad æternam gloriam, ibi nulla fit mentio subleuationis à miseria, & si primi parentes non peccassent, & status innocentiæ perseuerasset, fuissent & illi prædestinati, cùm tandem forent donandi vitâ æternâ, vt communiter Theologi docent agendo de statu innocentiæ: sed quia hæc est distinctio inter Angelos & homines, quòd qui ex Angelis semel peccauerunt, numquam sunt reparandi, homines verò ita ciciderunt, vt tamen essent reparandi per Christum Dom. & omnes puri homines, (Beatiss. Virg. Deiparam semper excipimus) peccauerunt in primo parente, sicq; in magnam miseriam sese coniecerunt, & Deus, post præuisionem huius eorum miseriæ, habuit firmum illud decretum de

II. prædestinandis aliquibus illorum, fit vt sanctus Augustin. passim & alij Patres, quia loquuntur de sola prædestinatione hominum, dicant illam esse subleuationem à miseria, & Deum tunc misereri alicuius, quando eum prædestinat, quia scilicet eruit illum ex massa perditionis, in qua iacebat mortuus, vt ei vitam & gloriam æternam conferat.

Deinde potest responderi duplicem posse distingui liberationem à miseria, & saluationem à malo: vnam à *miseria & malo iam incursis*, saltem in præuisione: alteram, *ab incurrendis:* prædestinationem hominum rectè dici, iuxta priorem modum, liberationem à miseria & saluationem à malo, quæ significatio saluationis & liberationis est magis propria: Angelorum verò prædestinationem esse solummodo liberationem à miseria & salua-

III. tionem à malo iuxta posteriorem modum, quæ significatio saluationis & liberationis est minus propria.

DISPVTATIO II.

De causa prædestinationis ad gratiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Status quæstionis proponitur.

DVPLICEM suprà distinximus prædestinationem. Vnam *completam*, *incompletam* alteram:

IV. hanc diximus esse *firmum propositum Dei, de dando vno, vel pluribus beneficiis, seu mediis, quibus ad salutem æternam tenditur vltimâ vita periodo non comprehensâ*; quæritur, cùm inter hæc beneficia ipsa gratia vocás, seu excitans primũ locum obtineat, saltem ordine *executionis*, an detur ex parte huius, vel istius prædestinati in particulari aliqua causa, quæ Deum moueat ad terminandum suum actum talis prædestinationis ad primam gratiam efficacem vocationis, verbi gratiâ, ad S. Petrum potiùs, quàm ad Iudam: vnde præsens quæstio procedit tantùm de causa impetratoria, seu meritoria, cuius occasione Deus ab æterno decreuerit dare S. Petro, verbi gratiâ, primam vocationem efficacem.

Addidi in explicatione status quæst. 1. hanc particulam, *ex parte ipsius prædestinati*; secundò

A istam, *causa aliqua particulariter sumpta*; tertiò hanc, *causa meritoria seu impetratoria*; quartò & vltimò addidi, præsentem quæstionem moueri tantùm *de prima gratia*. V.

Ratio primæ conditionis seu restrictionis est, quòd certum sit dari causam generalem diuinæ prædestinationis cuiuscumque, nimirum ipsam diuinorum attributorum manifestationem, quæ in ipsa prædestinatione & reprobatione relucet.

Secundæ item conditionis seu restrictionis est ratio, quòd hîc tantùm quæramus huius & istius gratiæ vocantis efficaciter causam, cur huic & isti in particulari sit data, an inquam isti priuato homini insit aliquid, quod excitauerit Deum ad illam ei concedendam: nam quod spectat ad Christum Dominum, (qui est aliquid extrinsecum ipsis aliis hominibus) non mouetur hîc quæstio. VI.

B Tertiam particulam apposuimus, quia certũ est prędestinationem hanc ad primam gratiam efficaciter vocantem habere causas suas physicas, Deum principalem & efficientem, iuxta illud Psal. *gratiam & gloriam dabit Dominus:* item & finalem, cùm *propter semetipsum operatus sit omnia:* habet item materialem, scilicet ipsum prædestinatum, in quo omnes prędestinationis effectus fiunt, & à quo, tam *in esse*, quàm *in fieri*, dependent: habet denique formalem, ipsam scilicet naturam effectuum prædestinationis: sicut enim essentia rei solet appellari forma ipsius rei, ita essentia, seu natura eiusmodi effectuum prædestinationis rectè dicetur causa formalis prædestinationis.

Tandem adhibuimus vltimam particulam:

C cùm enim iuxta Philosophum, causæ sint sibi inuicem causæ gratia sanctificans, quæ est in homine, est causa augmenti eius, & gloriæ, quæ confertur homini iusto in altera vita, vt docent Theologi 1.2. qu. 114. & sic restat sola difficultas de causa prædestinationis ad primam gratiam, pro qua sit. VII.

ARTICVLVS II.

Vtrum constellatio, temperamentum, aut actiones ab anima factæ antequam infundatur in corpus, sint causæ prædestinationis ad primam gratiam.

PRIMA propositio. *Prædestinatio ad 1. gratiã non fit ex constellatione cæli, tanquam ex cau-* VIII.

D *sa remota, neque ex diuersitate temperamenti in homine, tanquam ex causa proxima*: est contra Manich. vt refert S. Aug. lib. 1. *ad Simpl.* q. 2. & contra Priscillianistas, vt refert S. Greg. hom. 1. *super Euang.* est tamen nostra propositio de fide: probatur Ierem. 7. cap. *à signis cæli nolite metuere quæ gentes timent*, & *ad Roman.* 9. vbi Rebecca dicitur, vno, & eodem concubitu peperisse Iacob, & Esaü, quorum tamen prior dicitur prædestinatus, & posterior reprobatus: probatur etiam ex Patribus mox cit.

Probatur denique iis omnibus rationibus, quibus Philosophi ostendunt ex professo, nullam dari fatalem necessitatem, sed, positâ quacumque dispositione temperamenti, hominem semper manere liberum: item & ex eo, quòd aliquando contingit, vt qui sunt deterioris temperamenti, sint probioris vitæ

I. multis aliis melioris temperamenti, vt etiam A
docet experientia.

Secunda propositio. *Causa prædestinationis ad primam gratiam non est petenda ex meritis, quæ animæ exercuerunt, priusquam essent infusæ suis corporibus:* propositio est contra Origenem lib.1. *Periarchon* capite 7.& 8.& libro tertio capite decimo; Origenes enim existimauit omnes animas fuisse creatas simul cum Angelis, ante mundum corporeum: est tamen nostra propositio de fide, ex Conc.I.Bracharensi capite 6. & Lateranensi sub Innoc. III. sess. 8. quæ docent animas rationales non priùs fuisse à Deo creatas, quàm suis corporibus vnitas, sed tunc creari, quando infunduntur: item ex Patribus, vt S. Hieronym. epistolâ *ad Pammachium*, S. Epiphan. epist. *ad Ioannem Hierosolymitanum*.

II. B

ARTICVLVS III.

Vtrum bona opera arbitrij secundum naturæ vires considerati, sint causa prædestinationis ad primam gratiam.

SIT hæc vnica propositio. *Causa prædestinationis ad primam gratiam non sunt bona opera ipsius liberi arbitrij secundùm naturæ vires considerati:* propositio est de fide, cõtra Massilienses, seu Semipelag. inter quos præcipuus fuit Cassianus. Sunt autem dicti Semipelag. quia in aliquo consentiebant cum Pelagio, & in aliquo ab eo dissentiebant: in eo ei consentiebant, quòd putarent in nobis esse quoddam initium, quo, absque gratia interna, per solas naturæ vires possemus ita incipere, & conari benè agere, vt deinde gratia Dei subsequere- C
III. tur, ad promouendum nostrum conatum, & desiderium: vnde hæc erat vna eorum propositio, *labori humano subiungitur gratia:* item hæc, *conatus nostri sunt irriti, nisi gratiâ Dei adiuuentur & promoueantur:* ita colligitur ex Cassiano *collatione* 13.cap.12. & 15. & intelligitur etiam ex *epistola* Hilarij Arelatensis, & Prosperi *ad S. August.* quæ solet præmitti eius lib. *de prædestinatione Sanctorum, & dono perseuerantiæ.*

Hæc autem nostra propositio probatur ex professo à nobis cum Theologis 1.2. qu.109.& qu.114. in quarũ priori fusè docetur, tam ex sacris literis, quàm ex Conc. Patribus, & ratione, nullam actionem ex solis naturæ viribus elicitam, posse esse remotè, vel proximè dispositionem, etiam *de congruo* ad primam gratiam, D
IV. siue excitantem, siue etiam primò iustificantem: & in posteriori, hominem non posse sibi promereri etiam *de congruo* excitantem: quicquid enim in vtroque loco pro duabus istis veritatibus affertur, illud idem probat hanc nostram propositionem, cùm in re hæc [duo sint vnum & idem, aliquem sibi promereri *de congruo* gratiam excitantem, vel sese disponere ad illam per actus suos, solis naturæ viribus elicitos, & bona opera, seu actus liberi arbitrij, ex solis naturæ viribus elicitos, esse causam meritoriam, vel impetratoriam talis primæ gratiæ vocantis: nã omne meritũ *de congruo* est aliqua causa meritoria eius, quod dicitur cadere sub tale meritũ, & omnis vera dispositio quà dispositio est, habet aliquid causalitatis, siue remotè, siue proximè, iuxta modũ, quo est dispositio, ad hoc vt forma ei correspondẽs V.
sequatur, vt videre est in omnibus formis, inductione factâ per illas; vnde cùm actus liberi moraliter boni nullam aliam possint sortiri rationem dispositionis in ordine ad primam gratiam, nisi moralis, quatenus illam vt sibi, vel *de congruo*, vel *de condigno* debitam postulant, fit, vt omnia illa argumenta, quæ probant nullos actus moraliter bonos, solis naturæ viribus elicitos, esse dispositiuos, vel meritorios, etiam *de congruo*, primæ gratiæ, siue excitantis, siue iustificantis, illa eadem argumenta probent illos eosdem actus liberi arbitrij moraliter bonos ex solis naturæ viribus elicitos, nullo modo esse causam meritoriam, vel impetratoriam prædestinationis ad primam gratiam excitantem. Interim tamen breuiter probatur nostra propositio.

Primò iis omnibus Scripturæ testimoniis, VI.
quæ tradunt nos ex nobis, quasi ex nobis, id est, solis naturæ viribus, nihil posse, quod conducat ad vitam æternam, imò, ne quidem cogitare, & proinde initium nostræ salutis nullo modo esse ex nobis; sic posterioris *ad Cor.* cap.3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* quem locum S. August. *de prædestinatione Sanctorum*, cap. 2. ait ex mente Apostoli, intelligendum esse de iis, quæ pertinent ad religionem, & pietatem, in quam sententiam citat S. Ambr. lib. *de dono perseuerantiæ*, cap.8. sic etiam Ioan. 6. ait Christus Dominus, *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, quod paulò pòst iterum repetit, sic Ioan.15. Christus Dominus loquens de opere vtili ad pietatem, & vitam æternam ait, *sine*
me nihil potestis facere, id est, etiam ne mini- VII.
mum quidem, vt explicat S. August. tract.8. in Ioannem.

Ex quibus, & similibus aliis locis, formatur hæc ratio pro nostra propositione: bona opera ex solis naturæ viribus, & liberi arbitrij facta, esse causam impetratoriam, vel meritoriam prædestinationis ad primam gratiam, est liberum nostrum arbitrium habere à se ipso aliquam sufficientiam cogitandi aliquid pertinens ad pietatem, quia prima gratia excitans consistit in piis cogitationibus intellectus, & bonis affectionibus voluntatis à Deo nobis iniectis, vt docent Theologi; & eo ipso, quo bona opera solius liberi arbitrij sunt causa istius prædestinationis ad primam gratiam, habent etiam aliquam sufficientiam ad illam, &
ad eiusmodi pias cogitationes; nam omnis VIII.
causa, eo ipso, quo est causa, habet ex parte sui aliquam sufficientiam, in ordine ad suum effectum, aliàs non posset esse, nec dici causa talis sui effectus: atqui liberum arbitrium nullam habet à seipso sufficientiam cogitandi aliquid pertinẽs ad pietatem ex citatis Script. testimoniis: similiter bona opera liberi arbitrij purè considerati esse causam prædestinationis ad primam gratiam, est habere à seipso, vt veniat ad Christum Deo Patre illud non trahente, quia tractio hominis adulti ad Christum fit per primam gratiam efficaciter excitantem, & itur ad Christũ per talem gratiam: atqui ex citatis etiam Scripturæ testimoniis, liberum arbitrium non habet à seipso, vt veniat ad Christum, sed à Deo Patre illud trahente: igitur bona opera liberi arbitrij, se-

I. cundùm suas vires considerati, non sunt causa prædestinationis hominum ad primam gratiam.

Probatur ex Concil. vt *Arausic.* II. can. 3. 4. 5. & 8. *Trident. sess.* 6. can. 5. item ex Patribus, vt S. Aug. toto lib. *de prædestinatione Sanctorum*, & lib. *de gratia Christi*, cap. 26. item Prospero Aquitanico lib. *contra collatorem*, & lib. *ad obiectiones Gallorum*, & aliis.

Probatur tandem ratione: siquidem nulla est proportio actus liberi, ex solis naturæ viribus eliciti, ad primam gratiam, cùm hæc sit ordinis supernaturalis, iste verò ordinis merè naturalis.

Atque, iisdem planè fundamentis, refellitur opinio eorum, qui volunt bonum vsum liberi arbitrij, qui antecedit ipsam primam gratiam esse causam meritoriam *de congruo*

II. prædestinationis ad primam gratiam: nam bonus iste vsus importat aliquem bonum actum liberi arbitrij, & solis naturæ viribus elicitum; vnde quæcumque militant contra bonum actum liberi arbitrij, consequenter etiam militant, contra bonum istum vsum. Addi etiam potest plures ex antiquis philosophis, moraliter loquendo, bene vixisse, sicque fuisse bene vsos suo libero arbitrio: qui tamen non ideò dicuntur prædestinati ad primam gratiam: econtrà aliquos malè vixisse, qui tamen in fine vitæ, ducti pœnitentiâ, sunt mortui in gratia, vt latro pendens in cruce.

Ex iisdem etiam fundamentis refellitur ea aliorum opinio, quæ affirmat bonum vsum primæ gratiæ præuisum à Deo, esse causam prædestinationis ad primam eiusmodi gra-

III. tiam: nam Luc. 11. capite, præuidit Tyrios & Sidonios benè vsuros gratiâ præuenienti, si talis fuisset eis collata, qualis fuit data ciuibus Corozain & Bethzaïde, qui tamen illam talem non acceperunt: item nullus est damnatorum, quem Deus non præuiderit in aliquo ordine, esse de facto conuertendum, si hanc, & istam specialem gratiam ei tam congruam pro loco, tempore, & aliis circumstantiis liberaliter concederet: nam bonitas Dei superat malitiam hominis, nec aliquis potest fingi tam induratus, quem Deus loquendo absolutè non possit emollire, & facere, vt benè vtatur gratiâ præueniente, quam tamen de facto non concedit.

Similiter, ex iisdem auctoritatibus, refellitur illa aliorum opinio, quæ asserit ipsam non resistentiam, quâ homo sinit se duci, non tamen consentiendo positiuè per aliquod auxi-

IV. lium gratiæ, esse causam istius prædestinationis ad primam gratiam: nam, cùm ista non resistentia sit aliquid purè naturale, cui nihil supernaturale admiscetur; tam benè sequitur ex illa initium salutis esse à nobis, quàm ex aliis opinionibus hactenus reiectis: item, vnumquemque vocatum efficaciter habere aliquid à seipso, in quo discernat seipsum ab aliis, & in quo propterea possit gloriari, contra doctrinam Apostoli 1. *ad Corinth.* 4. quâ tamen Apostoli doctrinâ S. August. lib. *de prædestinatione Sanctorum*, capite 3. fatetur se victum, vt crederet fidem, quâ in Deum credimus, esse donum Dei, cùm tamen antea aliquando credidisset illam esse à nobis, & per illam nos impetrare dona Dei.

Tandem ista non resistentia, quæ de facto

A reperitur in iustificatione, non est à nobis, sed à gratia, quæ ita efficaciter, & congruè mouet voluntatem, vt eam inducat ad consentiendum: qui enim dat velle, dat etiam & ipsum non resistere, vt intelligitur ex Concil. Trid. sessione 6. cap. 5. V.

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædestinatio ad primam gratiam à mera Dei voluntate dependeat.

SIT hæc nostra propositio. *Nulla datur causa ex parte prædestinati, prædestinationis eius ad primam gratiam; sed totum illud pendet à mera Dei voluntate, & eius beneplacito*: propositio est de fide ex Concil. Arausic. secundo, per omnes ferè canones, & ex iis omnibus, quæ Ecclesia desiniuit contra Semipelag. Pro-

B batur ex sacris literis, *ad Coloss.* cap. 1. *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum*, id est, gratiæ, quâ sumus saluati, vt *ad Ephes.* 2. cap. loquitur Apostolus: quo loco nomine *sortis* prima gratia intelligitur, ad denotandum illam dari, non ex electione, sed ex mera voluntate Dei, vt notat S. August. enarratione 2. in Psal. 30. ad illum versiculum, *in manibus tuis sortes meæ*: item *ad Rom.* 9. *miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* & *ad Ephes.* 2. *gratiâ saluati estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*: vbi no- VI.

C tandæ sunt illæ particulæ, *& hoc non ex vobis, creati in operibus bonis*: nam significant totam rationem, cur homo habeat primam gratiam, esse, quia Deus voluit illam dare, sicut ipsius creationis nulla potest assignari ratio, quàm ipsamet voluntas Dei. Deinde probatur eadem propositio ex iisdem Conciliis, Patrum auctoritatibus, & rationibus quibus suprà reiecimus hæresim Semipelag. & sequentes aliorum opiniones. VII.

Obiicies primò, quòd Deus Matth. 25. cap. *talenta*, quæ significant dona gratiæ, distribuat vnicuique, secundùm propriam virtutem: ergo.

Respondetur primò, quòd ex loco parabolico vrgens argumentum non potest desumi, vt quæst. 1. obseruauimus, nisi sensus iste parabolæ, à quo desumitur argumentum, sit à Christo Domino explicatus, vel ab Ecclesia

D determinatus. Deinde nomine *talenti* possunt ibi intelligi gratiæ gratis datæ, vt plures ibi explicant, in quarum collatione Deus aliquando habet aliquem respectum ad perfectiones naturales eorum, quibus eas confert. VIII.

Tertiò, si nomine *talenti* significetur ibi gratia sanctificans: Respondetur dici ibi dari, iuxta propriam virtutem vniuscuiusque adulti, quatenus datur singulis adultis pro ratione suæ dispositionis, non quidem naturalis, sed ex speciali auxilio prouenientis, vt docet Concil. *Trid. sess.* 6. cap. 7. quæ dispositio, seu virtus, dicitur *propria*, quia illa non est eadem in omnibus & singulis, & pro hac vltima solutione videri potest S. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 1.

I. Obiicies secundò, quòd Cornelius Centurio A
nondum fidelis vocatus fuerit ad fidem propter eleemosynas quas faciebat cap. decimo Actuum.

Respondetur, S. August. libro *de prædestinatione Sanctorum*, cap. 7. & post illum S. Thom. 2.2. quæst. 10. art. 4. docere istas orationes & eleemosynas Cornelij fuisse factas, ex auxilio supernaturalis gratiæ, & processisse ex supernaturali fide, saltem implicita, ita vt vi istorum bonorum operum sibi promeruerit fidem explicitam credendorum; quod etiam patet ex ipso textu Actuum, in quo Cornelius dicitur *timens Deum*, & Concil. II. *Arausic.* canone vlt. idem sentit de hoc Cornel. ac sancti Aug. & Thom. suprà.

Obiicies tertiò, quòd S. Chrysost. hom. 17.
II. *in Ioann.* & 12. in epist. *ad Hebr.* dicat Deum B
suis beneficiis nostras voluntates non præuenire, ne liberum arbitrium lædatur, sed expectare.

Respondetur, quòd vt rectè obseruat Sixtus Senensis in sua *Biblioth.* lib. 5. annotat. 101. S. Chrysostom. censuit initium fidei esse à Deo, & actus bonos liberi arbitrij, solis naturæ viribus elicitos, nullius planè esse meriti, vt ostendit ex pluribus locis S. Chrysost. vt homil. 12. in cap. 4. prioris *ad Corinthios* item 38. *ad populum Antiochenum*, quibus possunt addi homil. 28. in epistolam *ad Hebræos* & homil. 71. *in Ioan.* vnde, quando ait Deum non præuenire nostras voluntates, sensus illius est Deum illas non necessitare, vt satis indicat hæc eius ratio, *ne lædatur arbitrium*, &
III. quando ait oportere nos primò eligere quæ
bona sunt, & tunc Deum introducturum sua, C
loquitur tantùm de dando consensu gratiæ vocantis, quem vbi dederimus, docet Deum posteà daturum gratiam sanctificantem, quod est verissimum, vt docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. & 7.

Obiicies quartò, hinc sequi primò Deum esse acceptorem personarum: secundò Deum sic dando gratiam primam vti potiùs iure tyranni quàm regentis. Tertiò sequi orationes pro peccatoribus frustrà fieri, similiter & exhortationes, increpationes, quia possunt respondere se nihil posse sine præueniente Dei gratia; hanc autem dari ex sola voluntate Dei, & non ex aliqua antecedenti dispositione ipsius hominis, ideóque sibi non debere imputari, quòd non conuertantur.

IV. Respondetur primum non sequi, quia, vt D
rectè docet sanctus Thomas secundâ secundæ quæst. 63. art. 1. acceptio personarum non habet locum in iis, quæ sunt merè gratuita; ad hanc enim duo requirũtur, primum est, vt bona, quæ distribuuntur, & in quibus æqualitas violatur per acceptionem personarum, sint communia, ita vt ij quibus distribuuntur, habeant aliquod ius ad illa, quatenus sunt partes communitatis: hoc enim vitium opponitur iustitiæ distributiuæ: alterum quod requiritur est, vt in facienda distributione, habeatur ratio alicuius conditionis personæ, quæ tamen nihil faciat ad distributionem. Prior conditio nullomodo reperitur in prima

gratia vocante, quia nulla creatura, ex sua V.
conditione purè naturali, habet ius ad illam, cùm eam in primo parente perdiderimus, & Deus potuerit nos omnes relinquere in massa perditionis: nec item reperitur posterior conditio, cùm Deus, ex solo voluntatis suæ beneplacito, primam illam gratiam conferat, vt fusè ostendímus.

Secundum etiam non sequitur: dum enim Deus offert gratis, & liberaliter primam gratiam vocantem, id facit iure *regentis* & *vniuersalis prouisoris*, offerendo media æternæ beatitudini consequendæ sufficientia, & quando offert & confert primam gratiam singulariter *efficacem & congruam*, non vtitur iure tyranni; sed liberalis & miserentis, cùm illam, etiam non debitam, & indigno conferat, quam aliis
non confert, sine vera voluntate perdendi VI.
illos.

Non denique tertium sequitur, quia homo iustus potest alteri mereri *de congruo* primam gratiam, vt patet ex cap. 9. S. Matth. & docent Theologi agendo de merito, neque responsio peccatorum ibi inter obiiciendum allata habet aliquid veritatis, quia prima gratia vocans ita datur ex mera Dei voluntate, vt nihilominus Deus illam, saltem quoad sufficientiam, offerat singulis, iuxta illud Ioan. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & Deus *in Apocal.* clamat *se stare ad ostium*, & *pulsare*, quod maximè intelligitur de impulsu per gratiam excitantem, *& si aperiamus ei ostium*, quod fit assentiendo vocanti gratiæ, promittit se ingressurum, id est, nos per gratiam sanctificantem iustificaturum:
vnde nobis debet imputari, si non conuertamur VII.
ad illum; & orationes, & exhortationes non fieri frustra peccatoribus, docet ex professo S. August. toto lib. *de corrept. & gratia.*

Quæres, licet ex parte prædestinati nulla detur causa meritoria prædestinationis ad primam gratiam; an tamen dici possit Deus dare illam ex sua ordinatione, & decentia bonitatis, intuitu bonorum operum, non liberi arbitrij, præsertim cùm iste modus loquendi, nullum initium fidei ponat in nobis, sed in solo Deo, & eius bonitate.

Respondetur negatiuè: primò, quia hoc sapit Semip. & infert quoddam meritũ *de congruo* esse in actibus liberi arbitrij, ex solis naturæ viribus elicitis, ad primam gratiam sibi impetrandam, cùm meritum *de congruo* maxi-
mè fundetur in decentia ipsius diuinæ bonitatis, vt docent Theologi. VIII.
Deinde, quia Concilia & Patres locis suprà citatis statuunt hanc generalem regulam, omnem illum actum, qui non fit ex gratia, nihil conferre ad consequendam salutem æternam, quod esset falsum. Tertiò, quia experientia docet illud esse falsum, vt expresè notat sanctus Augustinus libro primo quæst. ad Simplicianum quæst. 2. Denique, quia nulla talis ordinatio potest colligi, siue ex Scripturis sacris, siue ex Conciliis, siue ex ipsa traditione, sed potiùs contraria, vt apertè constabit euoluenti singulas definitiones Conciliorum, & Scripturæ, & Patrum sententias superiùs citatas.

I.
DISPVTATIO III.

De causa prædestinationis ad gloriam insigniter prædestinatorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliqui possint absolutâ Dei virtute prædestinari ad gloriam ante præuisa eorum merita.

VASQVESIVS hâc parte disp. 90. cap. 2. cum nonnullis aliis existimat talem electionem esse Deo impossibilem. Melior tamen est opposita sententia: pro qua

II. Sit hæc nostra propositio. *Non implicat aliquos ita efficaciter & absolutè eligi ad gloriam ante præuisa merita, vt tamen consequantur tantùm per merita in tempore tantam gloriam.* Hanc propositionem admittunt omnes, qui existimant electionem ad gloriam omnium prædestinatorum esse factam ante præuisionem meritorum, de quibus infrà: & ex iis, qui putant illam esse factam post præuisionem meritorum, Ochamus libro primo sententiarum distinctione quadragesimâ primâ quæstione primâ, Gabriel ibidem articulo secundo conclusione tertiâ, & plures alij, qui dum tuentur prædestinationem factam esse ex præuisione meritorum, expressè notant, se excipere beatissimam Virginem Deiparam,
III. vel se non loqui de eius prædestinatione: quâ, vel aliâ simili loquendi formulâ, satis innuunt illam fuisse aliter electam efficaciter ad gloriam, scilicet ante præuisionem meritorum: & proinde, cùm à facto ad posse valeat consequentia, sequitur modum istum eligendi efficaciter ad gloriam esse possibilem; sic Lessius disputatione *de prædest. & reprobatione* sectione 5. numero 56.

Nostra propositio probatur: si quæ esset contradictio in tali modo electionis, illa peteretur vel ex parte diuinæ volitionis, idque duobus modis; primò, quia voluntas diuina non potest propter suam perfectionem in volendo prędefinire aliquid secundùm ordinem *intentionis* in aliquo signo rationis antecedenti, separatim ab illis causis, quæ secundùm ordinem *executionis* sunt media obtinendæ tali
IV. rei, quæ fuit prædefinita secundùm ordinem *intentionis*: deinde, quia ordo actuum diuinæ volitionis desumitur ex ordine, quem ipsa obiecta seruant inter se, ita vt obiectum, quod secundùm executionem est prius, sit etiam & priùs volitum & intentum à Deo: at merita secundùm executionem sunt priùs collatione gloriæ, vt omnes agnoscunt.

Vel secundò hæc contradictio peteretur ex parte *libertatis creatæ*, quæ per talem electionem tolleretur circa assecutionem gloriæ æternæ, quatenus voluntas personæ sic electæ necessitaretur ad assequendum illam.

Vel tertiò hæc contradictio peteretur ex natura meriti, idque duobus modis: primò quatenus quod datur ex merito, datur tanquam corona iustitiæ; quo tamen modo, positâ tali electione, gloria non daretur, quia
A daretur tantùm ex liberalitate, cùm daretur vitalis electionis, quæ esset merè gratuita, & V.
facta purè liberaliter: vel secundò quatenus meritum postulat, vt quod per illud acquiritur, possit deperdi à merente, quamuis de facto non deperdatur: qui autem est ita efficaciter electus ad gloriam, agat quidquid voluerit, nunquam potest illam deperdere, quia tale decretum Dei est efficax.

Vel denique hæc contradictio peteretur ex eo, quòd ibi esset aliqua acceptio personarum, quæ nulla est in Deo, quatenus repugnat gloriæ æternæ, quæ datur tanquam merces, decerni ante merita inspecta vni potiùs quàm alteri sine aliqua acceptione eiusmodi personarum; atqui ex nullo capite istorum omnium, talis modus efficacis electionis ad æ-
B ternam gloriam repugnat: igitur non implicat aliquos ita absolutè & efficaciter eligi ad gloriam VI.
ante præuisa eorum merita, vt tamen illam tantùm consequantur in tempore per merita. Maior patet enumeratione eorum quæ reperiuntur in tali electione.

Minor probatur quoad singulas partes: & primò quoad priorem modum primæ ibi prætensæ contradictionis, quæ procedit de volitione Dei. Probatur, inquam, in sententia eorum, qui tuentur Verbum diuinum fore incarnandum, licet primus parēs non peccasset, secundùm quam sententiam Deus in illo signo rationis, quo efficaciter decreuit Verbum incarnandum, fecit istud decretum, non decernendo in particulari, quòd veniret in carne passibili, vel tantùm impassibili: similiter in communi Theologorum sententia,
C quâ agnoscunt primum diuinum decretum VII.
de creando homine; nam in eo non fuit facta expressa explicatio seu ordinatio, an esset creandus passibilis, vel impassibilis, antequam futurum eius peccatum præuideretur, & nihilominus modus iste in carne passibili, vel impassibili, est medium, quo tale decretum Dei perducitur ad executionem: nec tamen talis efficax volitio Dei pro creandis primis parentibus, ante præuisionem peccati ab illis commissi, importat aliquam imperfectionem in tali efficaci volitione Dei: igitur pari iure decretum illud, quo iuxta ordinem *intentionis* Deus eligit efficaciter aliquos ad gloriam æternam ante præuisionem meritorum, quibus tamen illam de facto consequuntur, nullam importat imperfectionem in ipsa volitione Dei.

D Confirmatur ampliùs: quando plura dantur media, vel etiam plures tituli, quibus ali- VIII.
quis finis potest obtineri, tunc finis ille potest ordine *intentionis* priùs decerni etiam efficaciter, quàm media in particulari, quibus est obtinendus, maximè quando is, qui habet efficax istud decretum finis, est talis conditionis, vt eius potestati non repugnet facere, quòd talis finis obtineatur infallibiliter ab homine etiam illæsâ eius libertate; atqui vita æterna est finis noster vltimus, potest dari pluribus titulis, verbi gratiâ, solius *hæreditatis*, vt patet de paruulis morientibus post baptismum ante vsum rationis, item titulo *iustitiæ & meriti*, vt communiter datur adultis: sunt etiam plura media quibus vita æterna à Deo efficaciter decreta certæ alicui personæ, obtineatur infallibiliter: Deus enim est

I. maximè diues tam in bonitate, quàm in iustitia, & omnipotentia sua, nec vni tantùm vel duobus mediis alligatur, sed plura semper & plura potest adinuenire media, quibus hoc & illud certò & infallibiliter eueniat, etiam remanente libertate hominis, vt patebit ex paulò pòst dicendis: aliàs bonitas & omnipotentia eius essent arctissimæ.

Probatur etiam eadem pars minoris quoad alium modum: nam secundùm ordinem *executionis*, merita Patriarcharum & Patrum veteris testamenti fuerunt priora ipso mysterio Incarnationis, etiam quoad suas circunstantias considerato: nec tamen priùs fuerunt in aliquo signo rationis volita, quàm circunstantiæ huius mysterij, secundùm sententiam, quam hîc impugnamus, quæ existimat Deum

II. non posse velle aliquid efficaciter nisi in indiuiduo & cum omnibus suis circunstantiis; ergo neque ex ipso ordine, quem actus diuinę volitionis seruant inter se, repugnat Deum efficaciter aliquem eligere ad vitam æternam ante præuisionem meritorum eius.

Deinde, si esset idem ordo actuum volitionis diuinæ circa obiecta creata, qui est inter illa secundùm existentiam & executionem: oporteret Deum priùs voluisse se beatissimam Virginem cum omni illo gradu gratiæ & sanctitatis, quo est facta conueniens mater Dei, quàm vellet Christum Dominum esse & ex illa concipi & nasci, quia tam isti gradus, quàm beatissima Virgo priùs tempore extiterunt, quàm Christus Dominus de facto nasceretur: at hoc est absurdum, quia positâ tali volitione ex parte Dei, beatissima Virgo non haberet

III. istum gradum gratiæ ex meritis Christi Domini, quod est falsum apud omnes Theologos, cùm gradus iste esset ei efficaciter à Deo volitus ante executionem mysterij Incarnationis.

Secunda pars eiusdem minoris probatur: de ratione vniuersalis & infinitè perfecti prouisoris est habere ex se seu ex sua naturali conditione virtutem & potentiam illimitatam ad faciendum, vt omnes causæ sibi inferiores attingant infallibiliter omnes suos bonos fines tam mediatos, quàm immediatos, vsq; ad vltimum inclusiuè, absque aliqua destructione naturarum & naturalium modorum, secundùm quos eiusmodi causæ agunt, & item, vt causæ etiam eiusmodi *fortiter*, id est infallibiliter & *suauiter*, id est modo tamen agendi sibi proprio & conuenienti suæ naturæ, producant quoscunque suos effectus, hoc enim est,

IV. quod Sapiens significat, quando ait Deum *attingere fortiter à fine ad finem & suauiter disponere omnia*; item sanctus Augustinus in *Enchiridio ad Laurentium* capite nonagesimo octauo, dum ita ait: *quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere.* & libro *de correptione & gratia* capite decimo quarto, dum ita ait: *Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium, sic enim velle & nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*: item Ecclesia, quando in secreta missæ Dominicæ 4. post Pentecosten sic orat Deum, *& ad te nostras, etiam rebelles, compelle propitius voluntates*: mens enim Ecclesiæ non est, ibi postulare à Deo, vt nos necessitet in benè agendo & in

A conuertendo nos ad se, sed vt id efficiat efficaci quadam motione Spiritus sancti suaui tamen, & nos infallibiliter alliciente ad liberè consentiendum eius vocationi, & gratiæ; nam sacræ Scripturæ, S. August. aliique Patres, & nouissimè Concil. Trident. sess. 6. docent & definiunt talem consensum fieri liberè: at Deus est prouisor vniuersalis, & infinitè perfectus, quemadmodum intelligitur ex dictis, item proprius agendi modus creatæ voluntatis est agere liberè; sic enim agit propriè, vt voluntas est, vt omnes Philosophi & Theologi docent, item gloria, seu vita æterna est finis vltimus creatæ voluntatis, vt omnes norunt: igitur vbi Deus decreuerit alicui efficaciter vitam æternam, poterit facere, vt illam liberè, & nihilominus infallibiliter assequatur: igitur electio efficax ad gloriam ante V.

B præuisa merita non destruit libertatem sic electi in assequendo illam. Tota hæc pars confirmatur ampliùs ex iis quæ docebimus de gratia efficaci 1. 2. artic. 9. & sequentibus, vbi, quæ possunt obiici contra hanc partem, soluuntur. VI.

Tertia pars eiusdem minoris probatur quoad priorem modum: nam eodem efficaci decreto gloria corporis quoad suam substantiam est à Deo decreta Christo Domino, quo gloria animæ est ei decreta; quia Deus non decreuit Christo Domino gloriam imperfectam & aliquâ sui parte mutilam, maximè cùm gloria sit aliqua perfectio consequens saltem de facto, & vt mysterium hoc est peractum, vnionem hypostaticam: atqui in signo rationis, quo Deus decreuit Christo Domino gloriam animæ, eam ei absolutè decreuit, non

C statuendo eam ei esse promerendam, vt constat ex eo quòd eã sibi non promeruerit: ergo & in isto eodem signo rationis decreuit Christo Domino gloriam corporis, non statuendo illam esse ab eo promerendam, & nihilominus illam suâ passione & morte promeruit, vt fatentur omnes Theologi: ergo non repugnat priùs in aliquo signo rationis aliquid efficaciter decerni à Deo ordine *intentionis* absolutè possidendum, quod tamen in posteriori signo rationis decernitur esse obtinendum per merita, quod spectat ad ordinem *executionis*, sicut etiam patet de circumstantiis huius eiusdem mysterij, quas sancti Patres veteris testamenti promeruerunt. VII.

Neque est quòd quis respondeat, tam gloriam corporis obtinendam à Chr. Dom. per

D passionem, & mortem fuisse illi efficaciter decretam à Deo, quàm gloria animæ sit illi absolutè decreta vt non obtinenda vi meritorum; nã in isto signo rationis, in quo tota beatitudo dicitur decreta Chr. Dom. duo possumus distinguere: 1. est tota illa beatitudo, alterum est modus obtinendi gloriam corporis: primum fuit totum absolutè decretum, quia posterior beatitudo sequitur ex quadam necessitate perfectionis ipsius beati priorem beatitudinem, vnde eo ipso, quo gloria animæ est decreta, simul etiam decreta est gloria corporis; ergo cùm modus obtinendi illam sit alius à modo obtinendi priorem, & sit per verum & propriè dictum meritum, istudque fuerit à Deo statutum, vt intelligitur ex illo Christi Dom. Luc. 24. *nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, vbi particula *hæc oportuit*, denotat aliquam necessitatem, quæ in or- VIII.

I. dine ad gloriam corporis Christi nulla potuit A
esse alia, quàm medij à Deo in hunc etiam finem ordinati, & ab ipsomet Christo Domino relati, rectè intelligimus in aliquo posteriori signo rationis decreuisse gloriam corporis esse à Christo Domino obtinendam per meritum; quod etiam patet in gloria adultorum quibus datur, & vt præmium seu merces meritorum ex vi adoptionis, quam gratuitò acceperunt à Deo.

Atque hoc etiam argumento pars poster. huius tertiæ partis intelligitur esse vera, scilicet non esse de ratione eius, quod per meritum acquiritur, vt possit deperdi à merente, cùm Christus Dominus non potuerit corporis gloriam perdere, quam nihilominus sibi de facto promeruit.

Vltima denique pars nostræ minoris, quæ procedit *de acceptione personarum*, probatur: ibi B
II. tantùm acceptio personarum interuenit, vbi debet esse actus iustitiæ, hoc enim vitium, vt superiori disputat. iam obseruauimus ex sancto Thoma 2. 2. quæst. 63. artic. 1 non habet locum in iis, quæ sunt merè gratuita: at modus iste eligendi efficaciter aliquos ad gloriam, est de eo, quod est merè gratuitum; nam nos omnes continebamur in massa perditionis, nec vllum ius habebamus ad gloriam æternam, & electio facta iuxta hunc modum est merè gratuita: igitur nec etiam repugnat ex acceptione personarum, quin Deus possit efficaciter aliquos eligere ad gloriam ante præuisa merita.

ARTICVLVS II.

III. *Respondetur obiectionibus contra nostræ propositionis probationem à ratione petitam.* C

OBIICITVR primò contra primam partem nostræ probationis: intentio finis, vt efficax, seu efficax electio alicuius hominis, quatenus efficax, respicit effectum illius exequendum in tempore: ergo nihil est, quod, respectu terminationis ad obiectum, distinguat istam volitionem Dei, vt est electio efficax, à volitione executionis eius in tempore, & ex consequenti eodem actu efficaci, quo Deus vult vitam æternam, vt finem, illo eodem vult executionem, & medium illius exequendæ: ergo cum illo eodem signo rationis, quo eligit efficaciter secundùm ordinem *intentionis*, prædefiniet ea, quæ pertinent ad
IV. executionem. D

Confirmatur primùm: ideò nos incipimus ab efficaci volitione finis, & postea alio actu statuimus de mediis, quia successiuè tantùm consultamus, & ignoramus efficacitatem mediorum ad consecutionem finis, sicque istud prouenit ex aliqua imperfectione: ergo cùm Deus probè nouerit efficaciam cuiuslibet medij, & quæcumque possunt euenire in qualibet serie rerum, nec de illis deliberat, tãquam de rebus aliquo modo à se ignoratis, eodem planè instanti etiam rationis, & eodem actu, vult rem aliquam iuxta vtrumque ordinem, *intentionis* scilicet & *executionis*: ergo eo ipso, quo admittimus Deum, secundùm ordinem *executionis*, velle gloriam æternam alicui propter merita, debemus admittere illum, etiam ordine *intentionis*, posse tantùm velle gloriam propter merita sicut coronam & mercedem. V.

Confirmatur secundò: actus internus, qui est causa operis, & actus exterior ei respondens, sunt semper eiusdem virtutis, verbi gratiâ, interior voluntas largiendi pauperibus pecuniam, & externa largitio pecuniæ, sunt actus eiusdem virtutis, nimirum misericordiæ, quia actus interior, & exterior constituunt vnicum tantùm actum in genere *moris*, nec proinde vnus illorum potest esse actus misericordiæ, vel liberalitatis, & alter iustitiæ: at externa illa collatio gloriæ, quæ à Deo fit in tempore ipsis electis, est opus externum correspondens interiori electioni factæ per eum ab æterno, & opus hoc est iustitiæ, quia tunc vita æterna redditur tanquam merces ipsis electis: ergo & ipsa interior Dei electio facta ab æterno huius & istius hominis ad gloriam æternam, VI.
erit actus iustitiæ, & sic Deus non poterit aliquem eligere efficaciter ad gloriam ante præuisa merita, sed vno eodémque actu vtrumque faciet, nimirum eligendo propter merita.

Respondetur concesso antecedente negando vtramque consequentiam; nam efficax intentio finis potest duobus modis respicere effectum illius in tempore exequendum: primò, vt exequendum per aliquod medium, non determinando in particulari illud, vbi & quando est multiplex: deinde potest hæc intentio & electio respicere effectum, vt exequendum in tempore, per tale medium determinatè distinctum ab aliis, quæ etiam possunt esse conuenientia, vel quando illud est vnicum: iam, quando efficax intentio, vel electio respicit tantùm priori modo effectum, vt exequendum in tempore, non est necesse, vt VII.
idem ille actus, qui se terminat ad efficacem electionem, simul etiam, & semel sese terminet ad medium in particulari, ita vt saluâ & remanente tali electione, non possit seligere aliud medium, sed necessitetur ad vnum, vt videre est in homine eligente efficaciter statum religionis, non determinando in particulari aliquem ordinem, vel familiam: idem etiam patet in Deo respectu creationis hominis in statu passibili & impassibili ante præuisum peccatũ primi parentis, & circa volitionem efficacem mysterij Incarnationis, vt suprà animaduertimus; at efficax electio ad gloriam habet multa media, quibus potest à Deo reduci ad effectum, quia potest dari merè gratuitò, ex pura liberalitate, nullis antecedentibus meritis VIII.
ipsius electi, vt etiam patet in anima Christi Domini; potest item dari titulo iustitiæ ob merita, seu bona opera.

Ad primam confirmationem respondetur, loquendo præcisè formalem rationem, quare nos in volendo aliquid, incipiamus à fine, non esse ipsam nostram imperfectionem, sed ipsammet naturam rei, quæ talis est, quòd cùm media, quatenus media non habeant bonitatem nisi à fine, dum volumus alicui finem ex solo affectu puræ liberalitatis, vel misericordiæ erga illum, tunc ex vi & efficacia talis volitionis, inquirimus media, quæ propter conuenientiam, quam habent cum tali fine, moueant nos ad acceptionem & vsum illorum, pro consequendo tali fine: nec semper deliberatio circa media, quando illa sunt multa, fundatur in ignorantia efficaciæ illorum; fit enim plerum-

I. que vt sciamus duo vel tria ex tota illorũ multitudine, esse talis conditionis, quod vnumquodque illorum seorsim sumptum, est optimum & efficax in actu primo, & nihilominus, quia in ipsa executione est tantùm opus vno, consultemus quodnam pro nostra libertate accipiemus.

Deinde, etiamsi demus, & verum est, quòd Deus probè nouerit efficaciam cuiuscumque medij, & quæcumque possunt euenire in qualibet serie, per suam scientiam *simplicis intelligentiæ*; non ideò tamen volitio eius spectata nostro modo considerandi, debet secundùm intentionem, priùs sese terminare ad medium, quàm ad ipsum effectũ propter quem est tale medium, cùm velit istud medium esse propter talem effectum, vt finem eius immediatum, & ex consequenti prius secundùm intentionem;

II. nam ordo actuum diuinæ volitionis debet attendi penes illum ordinem causalitatis, quem obiecta volita seruant inter se, in quo ordine causalitatis, finis ipse, seu quod habet rationem finis, primas sibi partes vendicat, & propterea ordo *intentionis* dicitur communiter à Philosophis esse oppositus ordini *executionis*.

Ad secundam confirmationem respondetur, duplicem posse distingui correspondentiam inter actum interiorem & exteriorem; prima est, *quoad substantiam*, quando scilicet id, quod intenditur per actum interiorem, ponitur secundùm suam substantiam in executione per actum exteriorem: secunda correspondentia est penes *ipsum motiuum*, quando scilicet actus interior & exterior exercentur ex vno & eodem motiuo, ita vt actus exterior non exerceatur,

III. vel ex alio, vel ex pluribus motiuis, quàm primus ille actus interior, seu volitio efficax fuit intenta; fit enim plerumq; vt, quod interior volitio voluit, etiã efficaciter ex vno motiuo non excludente alia, dum tamen reducitur ad actum, fiat etiam ex aliquo alio speciali cuiusdam honestatis motiuo, in qua hypothesi, cùm actus eiusmodi sit virtute multiplex, non erit vnius duntaxat specialis virtutis, sed, pro varietate motiuorum, erit etiam actus variarum virtutũ, verbi gratiâ, interior illa volitio, quâ Christus voluit mori; est vnus simplex actus interior, cuius tamen actus exterior, pro varietate motiuorũ, ex quibus Christus re ipsa, & de facto subiit mortẽ, est virtute multiplex, & correspondet pluribus virtutibus, puta charitati, iustitiæ, obedientiæ, patientiæ, & pluribus aliis eiusmodi: iam quando interior actus,

IV. & exterior correspondens dicuntur esse idem actus, & pertinere ad eandem virtutem, istud intelligitur de duobus istis actibus sibi inuicem correspondentibus adæquatè, quoad sua motiua, & quãdo actus exterior nullo alio motiuo informatur, vel per aliquem nouum actum interiorem determinantem, ex quo speciali motiuo actus ille exterior debeat exerceri: at in præsenti casu, interior ille actus, quo Deus vult efficaciter, verbi gratiâ, B. Virgini vitam æternam ante præuisa eius merita, est talis, vt licet, quoad suam substantiã materialem, & entitatiuã semper habeat correspondentiã, quomodocumq; reducatur ad executionẽ, quia tamen motiuum illud, ex quo Deus eam gratis ab æterno deputat efficaciter ad vitam æternã, non excludit, quin ipsa realis executio & perductio B. Virginis ad vitam æternam possit fieri per

A eius opera meritoria, actus ille exterior, pro multiplicitate motiuorum, erit etiam virtute multiplex, & non ad vnam tantùm, sed ad plures virtutes pertinebit. V.

Obiicies 2. contra 2. partem 1. partis eiusdem probationis, quòd S. Aug. passim disputãs contra Pelag. & Semip. probat ex eo homines eligi à Deo ad gratiam absque vllis eorum meritis, quia idem Deus dat gratiam in tempore ante merita: ergo S. Aug. censuit actus diuinæ volitionis eundẽ inter se seruare ordinẽ, quem ipsa eorũ obiecta in executione seruant in tẽpore.

Respondetur ratiocinationem S. Aug. esse legitimam, quia procedit tantũ de prima gratia vocante, quæ cùm non possit cadere sub meritum, prout consideratur in ipsa sui collatione respectu eius cui de facto confertur, S. Aug. rectè ibi colligit, homines à Deo ex mera VI.

B misericordia eligi ad illã gratiam, ex eo quòd Deus illam de facto confert in tempore ante quæcunque merita: at executio electionis ad gloriam fit per opera meritoria, vt etiam patebit ex dicendis infrà, & proinde vt sic potest cadere sub meritum.

Obiicies 3. cõtra vltimam partem nostræ rationis: illud quod Deus non cõfert gratis, nec ex liberalitate, sed ex iustitia, vel saltem quasi ex iustitia, non potest vni decernere, & alteri denegare ante inspecta eorum merita sine aliqua personarum acceptione, vt intelligitur ex citato loco S. Th. pro vltima nostrâ parte; at Deus de facto, iuxta ordinem *executionis*, confert gloriam seu vitam æternã, non gratiã, nec ex liberalitate, aut misericordia, sed ex iustitia, nimirum propter merita, vt illorum mercedem VII.

C & coronam, iuxta suppositionẽ nostræ propositionis: ergo Deus non potest sine aliqua personarum acceptione, decernere quibusdã efficaciter gloriam, seu vitã æternam ante præuisa eorũ merita, per quæ tamen cõsequantur illa.

Respondetur negando maiorem: quia potest esse alia ratio *electionis* & alia *executionis*; Deus enim potest velle efficaciter alicui gloriam æternam, præcisè, vt illa est bonum quoddam: nihil statuendo de modo, & conditione, an liberaliter, seu gratis & ex misericordia sit conferenda, an verò ex iustitia, seu ex meritis antecedentibus: deinde in secundo signo rationis decernere, quod prior illa volũtas demandetur executioni tantùm per merita, vt patet exemplo superiùs allato, de volitione creandi hominem, & mysterij Incarnationis: potéstq;

D explicari hoc familiari exemplo: debitor aliquis videat suum creditorem constitutum in magna necessitate, potest ante quodcumque aliud, velle absolutè, & non determinando modum, subuenire illi, & posteà statuere de modo, an purâ, & simplici donatione, an verò duntaxat solutione debiti. VIII.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta aduersariorum, contra nostram propositionẽm.

PRIMVM est: positâ tali electione efficaci iam sic electus non consequitur liberè gloriam æternam, quod derogat perfectioni prædestinatorum: ergo.

Respondetur, quòd ex dictis inter probandum nostram propositionem patet, modum hunc electionis ad gloriam non impedire, quin

I. sic electus consequatur liberè vitam æternam, A
sicut qui ex mera gratuita voluntate Dei, prædestinatur efficaciter ad primam gratiam vocantem, non desinit consentire ei liberè; & quæcumque possunt afferri in fauorem primi istius fundamenti, hæc eadem possunt fieri cõtra efficacem prædestinationem ad primam gratiam vocantẽ, quæ proponemus & dissoluemus ex professo primâ secundæ agendo de illa, vbi ostendemus potentiam, in ipso efficaciter electo ad gratiam primam, ad deficiendum ab illa, posse simul stare cum diuina efficaci electione ad primam gratiam, licet hæc duo sese non compatiantur, Deus hunc elegit efficaciter ad primam gratiam, & hic idem de facto non consentiet gratiæ vocanti: similiter hæc duo sese non cõpatiuntur, Deus hunc elegit efficaciter ad gloriam, & hic idem damnabitur de facto: quæ doctrina est expresè S.Th.
II. in quæstionibus disputatis *de veritate*, qu. 23. B
artic. 5. in responsione ad tertium: hæc enim efficax electio nullam imponit electo necessitatem, sed tantùm facit, vt Deus det tali electo speciales quasdam gratias ita suaues, & conuenientes libertati eius, vt ad illas de facto & infallibiliter, semper tamen liberè consentiat, quemadmodum est ibi explicatum iuxta illud Dei apud Ezechielem capite 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.*

Secundum est, quòd datâ tali electione non posset dici electo, *tene quod habes ne alius accipiat,* quia est ei impossibile amittere coronam seu gloriam æternam; quod tamen verbum dici potest cuilibet iusto Apocalypsis quinto capite, & cùm S. Paulus recenseatur ab
III. aliquibus inter electos iuxta hunc modũ, non C
solummodo frustra, sed etiam falsò diceret prioris *ad Corinth.* cap. 9. *castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* cùm enim sic fuerit electus, ei etiam fuit impossibile, quòd efficeretur reprobus, similiter istud Ecclesiast. 31. cap. *qui potuit transgredi, & non est transgressus,* non posset dici de quolibet sic prædestinato, quod tamen dicitur de singulis iustis puris hominibus.

Respondetur primò, illud Apocalyp. 3. *tene quod habes,* &c. non dici ad literam de omnibus & singulis, sed ex mente S. Ioan. tantùm dici ad Episcopum Philadelphiæ, vt constat ex ipso textu: deinde respondetur hanc monitionem, & alias ei similes, posse verè & vtiliter dici viatoribus etiam efficaciter electis ad glo-
IV. riam ante præuisa merita; verè quidem, quia D
nemo viatorum nouit certò, & infallibiliter se esse prædestinatum, & S. Chrysostom. ad illud Apostoli 1. *ad Cor.* 9. *ne forte cùm aliis prædicauerim,* &c. S. August. serm. 19. *de verbis Apostoli*, & aliqui alij docent S. Paulum id de se ipso ignorasse: vnde adhibendo istam particulam, *fortè*, talis monitio caret falsitate: istæ etiam monitiones dicuntur fieri vtiliter eiusmodi electis, quia vnum ex mediis, quibus Deus vult gratiam sanctificantem conseruari in istis vsque ad finem vitæ inclusiuè, est iste timor: nam iubet *ad Philip.* 2. vt operemur nostram salutem *cum timore & tremore*, ex quibus etiam patet solutio ad auctoritatem S. Pauli ex cap. 9. prioris *ad Corinth.*

Ad locũ Ecclesiastici respondetur, eo ipso, quo quis efficaciter eligitur ad gloriam ante præuisa merita, non reddi impeccabilem, vt patet in S. Paulo, quem nonnulli volunt fuisse *insigniter* prædestinatum, ideóq; posse transgredi, licet de facto non transgrediatur: & communis sententia Theologorum 1.2. qu. 19. est speciale priuilegium, quo omnia peccata, etiam venialia, de facto euitantur, fuisse concessum soli Virgini. V.

Vltimum est, quòd Christus Dominus apud S. Matth. 25. cap. in extremo iudicio dicet omnibus & singulis iustis, *venite benedicti Patris mei, possidete regnum,* &c. *Esuriui enim & dedistis mihi manducare*, vbi nullâ factâ distinctione inter *insigniter* prædestinatos & prædestinatos *communi viâ* refundit electionem singulorum iustorum in bona illorum opera, tanquam in causam motiuam cur Deus illos specialiter elegerit ad gloriam.

Respondetur ad veritatem istius sententiæ VI.
dictæ omnibus prædestinatis, sufficere, quòd omnes, paucis admodum exceptis, consequantur beatitudinem, vt sibi primò decretam, intuitu meritorum, quia paucorum priuilegium non præiudicat communi legi: vnde, cùm hæc verba contineant legem communem, fit, vt stante eius veritate, aliqui potuerint efficaciter eligi ad gloriã ante præuisionem meritorum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliqui sint electi ad gloriam, ante eorum præuisa merita.

NOTANDVM est 1. nos non mouere præsentem quæstionem de omnibus prædestinatis, sed cùm inter illos aliqui dentur ma- VII.
ximè insignes in sanctitate, ita vt statim ab instanti suæ conceptionis vel paulò pòst, etiam ante natiuitatem ex vtero sint consequuti gratiam sanctificantẽ, alij autem viâ tantùm ordinariâ nimirũ prædicatione & auditione Euangelij, susceptione sacramentorum & perseuerantiâ in bonis operibus; quæritur an ex tota multitudine prædestinatorum aliqui saltem dentur, quibus Deus priùs in aliquo signo rationis voluerit efficaciter gloriam; deinde sanctitatem gratiæ & merita, ita vt Deus prædestinando aliquem ex istis omnibus habuerit hunc actum, eligo hunc & istum in particulari ad gloriam, quia simpliciter volo, & tamen quia volo actualem consecutionem gloriæ pendere ex meritis, faciam vt habeat merita proportionata tali gloriæ. VIII.

Notandum 2. nullam hîc moueri quæst. de Christo Domino; certum enim est apud omnes Theologos tertiâ parte, eum vt hominem habuisse à primo instanti suæ conceptionis visionem beatificam, nec sibi promeruisse illam, sed vi vnionis hypostaticæ eam habuisse, vt ibi omnes communiter explicant; vnde controuersia est tantùm de puris creaturis intellectualibus, quæ ordine executionis duntaxat consequuntur gloriam per merita: de aliis verò prædestinatis non ita insignibus dicemus posteà. His positis,

Sit hæc propositio. *Ex tota multitudine electorum, aliqui fuerunt ante præuisa eorum merita in aliquo signo rationis efficaciter electi ad gloriam ex mera voluntate Dei.*

Probatur primò *de B. Virgine* Deipara, de

I. cuius electione, Patres Ecclesiæ agendo sæpe A
dicunt illam fuisse electam ad tantam & tan-
tam gloriam, propter maternitatem, eam fuis-
se electam in matrem Dei antequam merita
eius præuiderentur, vt videre est apud Sua-
rem tomo 2. ad 3. partem S. Thomæ disput. 1.
sect. 3. & sequent.

Deinde modus ille, quo Deus sese singulari-
ter gessit erga B. Virginem toto decursu eius
vitæ, factâ inchoatione à primo instanti con-
ceptionis eius, arguit electionem eius fuisse
factam ante præuisa eius merita, vt singularis
illa protectio, quâ Deus illam à primo instanti
suæ conceptionis, non tantùm præseruauit à
contrahendo originali peccato, sed etiam pro-
uidit ei modo extraordinario, vt tam sedulò B
præueniretur & conseruaretur cœlestibus af-
II. fectibus, vt ne semel quidem peccauerit venia-
liter per totam vitam, quemadmodum docet
Concil. Trid. sess. 6. can. 23. satis arguunt ele-
ctionem eius non fuisse factam ex præuisione
meritorum, sed ex eo, quòd Deus eam solam
inter omnes mulieres elegerit in matrem filij
sui: vnde Ecclesia canit eam non tantùm *ele-
ctam* à Deo, sed, *præelectam*, quâ posteriori par-
ticulâ denotatur aliqua singularis excellentia
in modo electionis eius. Idem argumentum
potest fieri pro iis qui sunt sanctificati in vtero
matris, & sanctissimè vixerunt toto vitæ tem-
pore, cuiusmodi est S. Ioan. Baptista.

Idem etiam argumentum potest fieri pro in-
fantibus baptisatis decedentibus ante vsum
rationis, quos certum est saluari: cùm enim du-
plex tantùm distinguatur titulus accipiendæ
gloriæ æternæ; item modus duplex deputan- C
III. di aliquem efficaciter ad vitam æternam: pri-
mus, *ex mera liberalitate Dei:* secundus *ex me-
rito;* & infantes isti nullum habeant proprium
meritum, rectè dicuntur deputari efficaciter
à Deo ad gloriam æternam, ex sola sua gratuita
voluntate.

Dixi, *ex propriis meritis:* nam isti infantes
habent meritum Chr. Dom. sibi applicatum
per baptismum: vnde gloria æterna non con-
fertur illis omninò gratis, & sine aliquo meri-
to, cùm meritum Christi Domini fiat illis ali-
quo modo proprium per susceptionem ba-
ptismi.

An autem alij plures ex adultis sint efficaci-
ter electi ad gloriam ante præuisionem meri-
torum, est quæstio facti, quam non ita facilè
possumus soluere, cùm istud pendeat à sola
Dei voluntate, cuius signa non extant tam
clarè, siue in sacris literis, siue in ipsa traditio-
IV. ne Ecclesiæ, ac pro B. Virgine Deipara & aliis D
suprà: quòd enim aliquorum conuersio fuerit
tam subita, & veluti insperata, non arguit illos
fuisse isto speciali modo electos efficaciter ad
gloriam, sed tantùm ostendit magnam ali-
quam præuenientem gratiam fuisse illis à Deo
singulari liberalitate concessam, pro tali tem-
pore, & occasione, cui correspondentes, sunt
iustificati, & quia Deus ab æterno præuidit
hanc eorum iustificationem, & perseueran-
tiam in gratia vsque ad finem vitæ, etiam in-
clusiuè, voluit eos efficaciter eligere ad suam
gloriam.

DISPVTATIO IV. V.

De causa prædestinationis ad gloriam eorum, qui viâ tantùm ordinariâ sunt prædestinati.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum præter eos qui sunt insigniter prædestinati ad gloriam, nulli alij sint ad gloriam prædestinati.

CATHARINVS libro 1. *de præ-
destinatione*, totam hominum
multitudinem diuidit in duas
classes, quarum vna continet
certum aliquem numerum eo- VI.
rum quos Deus *insigniter* ele-
git ad gloriam, vt sunt B. Virgo Deipara, san-
ctus Ioannes, & Apostoli: & hos, inquit Ca-
tharinus, Deus elegit ante præuisionem me-
ritorum, & ex mera sua voluntate, ideóque
vocantur speciali nomine *insigniter prædestina-
ti*; altera classis continet reliquam hominum
multitudinem, quos quidem Deus nec præ-
destinauit efficaciter ad gloriam, nec reproba-
uit, sed eis tantùm prouidit de mediis necessa-
riis ad salutem, & prout vnusquisque vtitur
eiusmodi mediis, assequitur, vel non assequi-
tur vitam æternam.

Vnde ex hac sua opinione duo colligit: pri-
mum est multos saluari de facto, qui non sunt
de numero prædestinatorum, quia multi ex
hac secunda classe, benè vtuntur mediis sibi VII.
à Deo concessis, quos homines consequentes
de facto æternam salutem (vt distinguat ab
insigniter prædestinatis, & quatenus consti-
tuunt hanc secundam classem) vocat *indiffe-
rentes.*

Alterum quod colligit, est, numerum præde-
stinatorum non esse certum, quoad *prouiden-
tiam*, quia Deus antecedenti tantùm volun-
tate ita distribuit istis indifferentibus auxilia
suæ gratiæ, vt ex vi eiusmodi distributionis
non cognoscat certò, an media eiusmodi sint
reducenda de facto ad praxim per hunc & il-
lum hominem in particulari, qui est in hac se-
cunda classe; sed esse certam duntaxat secun-
dùm *præscientiam*, nimirum, quatenus Deus
nouit scientiâ *visionis*, quinam sint damnandi,
quinam sint saluandi. Probat autem priorem
partem suæ sententiæ, quæ procedit de omni-
bus insigniter electis his omnibus argumentis, VIII.
quibus infrà aliqui contendunt efficacem ho-
minum electionem ad gloriam æternam fieri
ex sola voluntate Dei ante præuisionem meri-
torum: partem verò posteriorem his omnibus
argumentis, quibus alij econtrà contendunt
electionem ad gloriam fieri ex præuisione me-
ritorum.

Melior tamen est opposita sententia, cum
qua concludimus. *Secunda illa classis indiffe-
rentium, quam Catharinus assignat, non datur
de facto:* hæc propositio est tam certa, vt non
desint, qui accusent temeritatis & erroris
prædictam opinionem Catharini, vt Ca-
merarius dialogo *de prædestinatione*, capite
decimo; Soto in epistolam *ad Romanos*, ca-
pite nono: Sixtus Senensis libro sexto

I. *Bibliothecæ sanctæ*, annotatione ducentesimâ quadragesimâ octauâ, licet fuerit discipulus Catharini: & dum eos, qui sunt in sua secunda classe vocat *indifferentes*, vúltque nec esse ab æterno prædestinatos, nec reprobatos, significat Deum habuisse ab æterno suam voluntatem veluti suspensam circa finem illorum, & id sibi reliquisse statuendum in eiusmodi fine illorum, quod non videtur satis congruere sanctis literis: illæ enim, dum loquuntur de omnibus & singulis saluandis, dicunt regnum Dei fuisse illis præparatum à constitutione mundi, apud S. Matthæum vigesimo quinto capite: nec illæ sacræ Scripturæ distinguunt insigniter prædestinatos ab aliis saluandis, qui tamen iuxta Catharinum sunt tantùm indifferentes: imò tota hominum multitudo ita ibi apud S. Matth. diuiditur à
II. Christo Dom. vt regnum cœleste dicatur aliis præparatum ab æterno, & ignis inferni præparatus aliis ab æterno: ergo cùm illa præparatio dicat aliquem actum, qui ab æterno fuerit in Deo, ista classis indifferentium non datur.

Deinde esse prædestinatum à Deo, & esse scriptum in *libro vitæ*, significat vnum & idem; sed nemo saluatur, nisi qui fuerit scriptus in libro vitæ, & qui non est scriptus in libro vitæ, est missus *in stagnum ignis*, cap. 20. Apocal. vbi infernus intelligitur *per stagnum ignis*: ergo nemo saluatur nisi qui fuerit prædestinatus à Deo: sed illi, quos Catharinus vocat *indifferentes*, non sunt à Deo prædestinati, vt ipsemet Catharinus fatetur: ergo nemo illorum saluabitur, quod tamen est directè contra sententiam eiusdem Catharini.

III.

ARTICVLVS II.

An modus communior electionis hominum & Angelorum ad gloriam, sit ante, vel post præuisa merita.

DVÆ sunt hac de re celebres sententiæ: prior tribuitur sancto Thomæ hâc quæstione vigesimâ tertiâ, & est discipulorum eius, est item Scoti primo sententiarum distinctione quadragesimâ primâ quæst. vnicâ, Durandi ibidem & plurium, electionem ad gloriam esse factam ex mero beneplacito Dei, quo etiam, ante præuisionem meritorum, voluit efficaciter huic & isti dare gloriam æternam.

IV. Secunda verò sententia, cum qua concludimus, est *electionem ad vitam æternam esse factam ex præscientia meritorum prouenientium ex gratia, ita vt bona opera facta in & ex gratia & finalis perseuerantia in illis sit ratio, quæ Deum moueris ad terminandum actum electionis ad gloriam potiùs ad hunc & illum adultum hominem, quàm alium, verbi gratiâ, potiùs ad S. Petrum, quàm ad Iudam, & sic de aliis.*

Hæc sententia est Alensis 1. parte quæst. 28. monito 3. art. 3. Alberti in 1. sentent. dist. 40. & quamplurium aliorum, quos Lessius citatâ superiùs disputatione fusè refert.

Probatur primò ex sacris literis, quæ asserunt præparationem vitæ æternæ fuisse factam ex præuisione meritorum: apud sanctum Matthæum capite vigesimo, ait Christus Dominus, *sedere ad dexteram meam, non est meum*
A *dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*: V.
hanc verò præparationem factam esse ex præuisis meritis sancti Patres docent, Cyrillus libro primo Thesauri capite 5. vbi vendicans hunc locum à blasphemia Arianorum qui colligebant ex eo Christum Dominum non esse æqualem Patri, ait ideo eum dicere, *non est meum dare vobis, quia*, inquit, *præmia proportionaliter certantibus dantur.* Simili etiam modo S. Epiphan. hæresi sexagesimâ nonâ, eandem Arianorum blasphemiam, ex eodem dicto Christi Domini petitam, retundit, & subiicit præparationem istam sic fieri pro dignitate hominũ, vt si laborauerimus, sit etiam regnum hoc nobis præparatum à Deo Patre: item SS. Ambrosius libro 5. *de fide*, capite secundo, Hieronymus ad illum locum Euangelij, eodem modo intellexerunt hanc præparationem; & sanctus Hieronymus *contra Iouinia-*
B *num*, ait ideo Christum Dominum ibi dicere, VI.
non est meum dare vobis, ex eo quod vnusquisque mansionem sibi, non ex largitate Dei, sed ex propriis operibus præparet, vbi etiam introducit Christum Dominum sic loquentem: *frustra à me petitis, quod in vobis situm est, quod Pater meus parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem*: item sanctus Chrysostomus homiliâ 66. in sanctum *Matthæum*, S. Augustinus in Psalmum 26. Theophylactus in citatum caput vigesimum *S. Matth.*

Secundus locus habetur vigesimo quinto capite sancti Matthæi, vbi Christus Dominus in die iudicij dicit prædestinatis, *venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi: esuriui enim & dedistis mihi manducare*, &c. in quibus verbis
C assignat causam, propter quam regnum istud
sit illis præparatum: eodem enim modo hæc VII.
præparatio regni, dum est sermo de prædestinatis, debet accipi, quo præparatio ignis æterni sumitur, quando est sermo de reprobis: sed, quando est sermo de reprobis, ista præparatio intelligitur esse ob præuisa demerita; nam Deus nemini præparat æternam pœnam sensus, nisi ob peccata præuisa. Maior patet ex antithesi, quam Christus Dominus ibi facit inter prædestinatos & reprobos. Minor admittitur ab omnibus Theologis.

Ex his omnibus Patrum explicationibus facilè refellitur illa responsio, quæ posset adhiberi, scilicet Christum Dominum ibi dun-
D taxat assignare causam acceptionis, seu ob VIII.
quam accipiant vitam æternam; præmittit enim, *possidete paratum vobis regnum*: at hæc possessio acquiritur per bona opera, quod pertinet ad consecutionem. Refellitur, inquam, hæc responsio; nam ita Christus Dominus loquitur de accipienda ista possessione ob bona opera, vt tamen simul etiam dicat præparationem istius regni fuisse illis factam ob bona sua opera, vt sancti Patres nunc relati declarant.

Tertius locus habetur primæ ad Corinth. 2. vbi Apostolus ita ait, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum*: ergo Deus priùs vidit dilectionem eorum, & postea præparauit illis beatitudinem: si enim eam præparasset illis absq; præuisis operibus,

I. iam præparasset eam non diligentibus, sed odientibus se, vtpote existentibus in peccato originali: ergo cùm eam ab æterno præparauerit diligentibus se, præparauit illam ex eorùm meritis ab æterno præuisis.

Quartus locus habetur 2. ad *Timotheum* 2. vbi postquam Apostolus dixit, *in magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam*, subiungit, *si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & vtile Domino ad omne opus bonum paratum:* quò loci, postrema hæc verba, *qui se emundauerit*, sunt notanda; nam per, *vas in honorem*, ibi prædestinatus intelligitur, & dicitur futurus talis, *si se emundauerit à peccatis*, dicitur item futurus *vtilis & paratus ad omne opus bonum:* ergo cùm ex hac sententia S. Pauli homo
II. faciat se prædestinatum per bona opera, prædestinatio fit ex præuisis meritis.

Nec est quòd Bellarminus libro 2. *de gratia & libero arbitrio*, capite 13. faciat vim in ista particula, *erit*, cuius loco, vt Apostolus loqueretur ad sensum nostræ propositionis, deberet legi *fiet*: hoc inquam non obstat; nam antecedentia & consequentia satis ostendunt verbum istud, *erit*, poni loco verbi *fiet*, in qua etiam significatione sæpè vsurpatur iuxta communem loquendi vsum: nam vt rectè Theodoretus notat ad istum locum, Apostolus ibi ponit discrimen inter vasa materialia & hæc spiritalia, quòd natura discreuerit priora, mensaurem & voluntas efficiat posteriora pretiosa, & vilia, & expresè notat hanc sequentem periodum Apostoli: *si quis ergo emundauerit*
III. *rit se ab istis, erit vas in honorem*, hoc ipsum docere.

Nec item satisfacit quod Bellarminus ait ibidem, scilicet Deum efficere, vt qui iam sunt prædestinati, habeant bona opera, quibus de facto fiant vasa aurea, & in honorem: hoc enim non est satis ad sensum Apostoli: nam hæc particula *ad omne opus bonum paratum*, innuit Apostolum loqui de prædestinatione, quoad intentionem finis, per quam gloria decernitur prædestinatis.

Denique probatur conclusio iis omnibus sacræ Scripturæ testimoniis, quæ nos admonent, vt benè viuamus, quæque docent esse in nostra libertate assequi vitam æternam per bona nostra opera, vt Isaiæ 1. sancti Ioannis decimo quarto, 1. ad *Corinth*. 9. secundæ sancti Petri 1. Apocalypsis tertio: nam si possumus salui euadere per bona nostra opera: er-
IV. go & per eadem bona opera potuimus eligi ad vitam æternam, quia salus æterna contingit solis prædestinatis.

ARTICVLVS III.

Probatur eadem veritas ex Patribus.

SECVNDVM genus argumentorum pro nostra propositione continet auctoritates Patrum: & primò illas omnes, quas suprà retulimus pro expositione sacrarum Scripturarum ad sensum nostræ propositionis: deinde alias, vt S. Hieronymi in caput octauum epistolæ *ad Roman.* in caput primum epistolæ ad *Galatas*, qui explicans verba illa, *cùm autem placuit*, &c. hanc reddit rationem, cur Deus in Scripturis dicatur alios amare, & alios

A habere odio, etiam antequam sint nati, nimirum, hoc prouenire ex præscientia, vt quem V.
scit futurum iustum, priùs diligat, quàm nascatur ex vtero, quem futurum peccatorem, oderit, antequam peccet; & epistolâ 105. quæ est *ad Hebidiam*, quæstione decimâ, loquens de prædestinatis; & reprobis, postquam ita dixit, *non saluat nimirum Deus irrationabiliter & absque iudicij veritate & causis præcedentibus*, sic concludit, *ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates:* quæ verba non possunt intelligi, nisi de electione ad gloriam, & cùm dicit, hominum voluntates eligi, *non absque iudicij veritate*, sed *causis præcedentibus*, intelligit merita præuisa: nam, *gentes non eligi, sed voluntates*, idem est ac homines eligi, propter ea quæ ex recta voluntate sua sunt facturi, & per consequens pro-
B pter merita, quoad præscientiam anteceden- VI.
tia illorum electionem.

Item auctoritate sancti Augustini libro primo *ad Simplicianum*, quæstione secundâ, vbi admittit electionem hominum ad gloriam esse post iustificationem in præscientia Dei: ait enim ibi duplicem esse electionem; vnam ad primam gratiam, quam vocat *propositum iustificationis*, & negat esse ex operibus; alteram ad gloriam quam vocat, *ad regnum cœlorum*, & dicit eam ideò esse, quia Deus inuenit opera, quæ eligat ad gloriam, sicque consequenter vult iustificationem in præuisione Dei præcedere ipsam electionem, & ex illo proposito iustificandi, quod Deus habet, oriri, vt iam in sua præscientia inueniat opera, quæ eligat in regnum cœlorum: ibi enim lo-
C quens de electione ad gloriam sic subiungit, VII.
non tamen electio præcedit iustificationem (scilicet in præscientia) *sed electionem iustificatio, nemo enim eligitur nisi distans ab illo qui reiicitur*, nimirum distantiâ seu disparitate meritorum: verba autem sancti Augustini sunt hæc: *non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum: nisi esset electio, non essent electi, nec diceretur*, quis accusabit aduersus electos Dei: *non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio; nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reiicitur: vnde, quod dictum est*, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, *non video quomodo sit di-*
D *ctum, nisi præscientiâ.* Hactenus sanctus Au- VIII.
gustinus.

Ad hanc auctoritatem auctores prioris sententiæ conantur respondere. Bellar. lib. nunc citato capite 15. ait, S. Augustinum scripsisse hos libros quæst. ad Simplicianum adhuc iuniorem, & eum seniorem factum reuocasse istam sententiam, pro qua citat epistolam eius centesimam quintam & centesimam sextam.

Sed id refellitur: nam tantum abest, vt S. Augustinus retractauerit, quod olim in istis libris docuerat de gratia, quin potiùs commendat auctoritatem istius operis libro secundo *retractationum* capite primo, nec quidquam retractat ex hoc loco à nobis relato; similiter libro *de prædestinatione Sanctorum*, capite 4.

I. & *de dono perseuerantiæ*, cap. 20. commendat il- A
lud idem opus: locis autem illis à Bellarmino
citatis vult duntaxat electionem ad primam
gratiam non esse ex præuisis meritis.

Alij secundò respondent esse duplicem ele-
ctionem ad gloriam ex mente S. Aug. vnam,
per modum *intentionis*; aliam, per modum
executionis: primam esse priorem ipsâ præ-
uisione meritorum, secundam verò esse poste-
riorem, & S. Augustin. ibi esse loquutum de
hac posteriori.

Sed refellitur: primò, quia dum ibi vult
electionem esse ex præscientia meritorum, &
expresè illam distinguit ab electione ad pri-
mam gratiam, satis innuit se simpliciter loqui
de electione ad gloriam iuxta ordinem *inten-
tionis*. Deinde si S. August. ibi sic distingueret
duplicem electionem, non benè absolutè,
simpliciter & absque vlla distinctione diceret
II. *neminem eligi nisi distantem ab alio*, quia iux- B
ta primam sententiam, est electio secundùm
ordinem *intentionis*, ante præuisa merita, ad
quam tamen electi non supponuntur esse di-
stantes ab aliis, qui relinquuntur, cùm omnes
supponantur esse ante electionem in eadem
massa perditionis: ergo cùm sint tantùm di-
stantes ratione meritorum, S. August. ibi vult
hanc electionem, etiam iuxta ordinem inten-
tionis, fieri ex præuisis meritis.

Confirmatur: quemadmodum S. August.
sæpè disputans contra Pelagianos & Semipe-
lagianos, ex ista loquendi formula Apostoli
ad Ephesios 1. *elegit nos in ipso, vt essemus sancti*,
colligit nos ex liberalitate Dei eligi ad pri-
mam gratiam, cùm non dicatur, *quia eramus
sancti*; sic etiam ex eo quod S. August. ibi vti-
tur dictionibus causalibus significantibus vo-
luntatem dandi vitam æternam prædestinatis C
III. fuisse ex meritis gratiæ, colligimus mentem
eius esse, electionem ad gloriam fieri ex præui-
sis meritis, ait enim suprà, *quia manet proposi-
tum iustificandi, ideò inuenit opera, quæ iam
eligeret ad regnum cœlorum*, vbi illæ causales
particulæ (*quia* & *ideo*) sunt notandæ, nam
significant esse loquendum hoc modo, Deus
voluit esse merita, vt homo glorificaretur, non
autem isto, quia homo erat glorificandus, vo-
luit esse merita; ita vt volitio meritorum ha-
beat se antecedenter ad volitionem gloriæ:
eodem modo idem S. August. sermone 7. *de
verbis Domini*, cap. 7. distinguit duplicem ele-
ctionem: vnam *ad gratiam*, alteram *ad glo-
riam*; hanc ex meritis gratiæ, illam sine vllis
meritis. & S. Thomas lectione 8. in caput 8. D
IV. epist. *ad Roman.* ait, quòd si prædestinatio con-
sideretur, prout solùm respicit vitam æter-
nam, tunc rectè dici Deum aliquos prædesti-
nare ex eo, quod præscit eos benè operaturos,
quia vita æterna datur meritis.

ARTICVLVS IV.

Probatur eadem veritas primâ ratione.

PRIMA ratio pro nostrâ propositione est
eiusmodi: quicumque vult alteri efficaci-
ter in particulari aliquod bonum solummodo
in ratione præmij & stipendij, etiam ex iusti-
tia distributiua, is debet priùs ordine *inten-
tionis* velle laborem, & opus, per quod tale
stipendium est obtinendum: imò, si ante exe-
cutionem laboris, velit ei efficaciter tale sti- V.
pendium duntaxat in ratione stipendij, tunc
debet præuidere ipsum eius laborem, & ex
certa præuisione illius, velle ei hoc & illud
stipendium distribuendum post executionem
operis, vel priùs dandum, anticipatâ tantùm
solutione; atqui Deus ab æterno vult singulis
prædestinatis hanc & illam gloriam æternam
solummodo in ratione stipendij & mercedis
bonorum operum, in quibus finaliter morien-
tur, & totum hoc ex iustitia distributiua: igi-
tur Deus debuit prius, ordine *intentionis*; velle
prædestinatis opera facta, in & ex gratia, tan-
quam laborem per quem talis æterna gloria
obtinebitur ab illis, & ex præuisione illorum
velle eis ab æterno talem & talem gloriam illis
distribuendam in altera vita.

Minor propositio, quoad priorem partem,
probatur iis omnibus Scripturæ, & Patrum
testimoniis, quibus æterna vita dicitur supe- VI.
riùs præparata ab ęterno prędestinatis. Quoad
alteram eius partem, probatur iis omnibus
Scripturæ testimoniis, quibus vita æterna ap-
pellatur *brauium, corona, stipendium, merces*, &
id genus aliis, & vita præsens, *stadium* in quo
Christiani viatores dicuntur currere, vt 1. *ad
Corinth.* 9. apud S. Matth. 19. 20. 25. & confir-
matur ex Patribus relatis suprà pro expositio-
ne huius verbi Christi Domini, *sedere autem ad
dexteram meam*, &c.

Maior item probatur: primùm communi
experientiâ hominum: deinde, quia merces,
quatenus merces, respicit intrinsecè laborem,
& est propter illum in genere causæ mouen-
tis, quia si concedatur alio titulo, puta libera-
litatis, iam deperdit rationem mercedis, &
sibi vendicat rationem gratiæ, vt Apostolus VII.
significat *ad Roman.* 4. dicens *ei, qui operatur,
merces non imputatur secundùm gratiam, sed se-
cundùm debitum*: & S. August. passim dispu-
tans contra Pelagianos & Semipelag. docens
primam gratiam tunc non fore gratiam, si
detur ex præcedentibus meritis: & ratio na-
turalis dictat id esse discriminis inter puram
simplicem donationem, & stipendium, quòd
pura donatio sit ex mera liberalitate donantis,
merces verò ex operibus eius, cui ipsa tribui-
tur, vbi particula illa, *ex*, vtrobique denotat
causam mouentem ad volendum alteri ali-
quod bonum.

Altera item pars eiusdem maioris probatur:
omnis actus iustitiæ distributiuæ debet fieri ex
certa scientia qualitatis & conditionis meri-
torum, ita vt talis cognitio & conditio operis
moueant voluntatem ad concedendum hoc VIII.
& illud, vt etiam naturalis ratio docet; at actus
ille, quo quis vult alteri aliquid tanquam sti-
pendium operis nondum facti, sed facturi, est
quidam actus interior iustitiæ distributiuæ, vt
patet ex dictis: ergo ita fieri debet ex præui-
sione talis operis, vt eius cognitio & conditio
moueant alium efficaciter ad volendum ei hoc
& illud stipendium

Confirmatur tota hæc ratio: velle tantum-
modo alicui vitam æternam, quatenus debet
præhabere necessariò iustificationem, & per-
seuerare in ea vsq; ad mortem, vt sunt merito-
ria, est velle ei vitam æternam tantùm ex con-
ditione bonorum operum, ita vt hæc duo
moueant volentem ad sic volendum: at Deus
vult tantùm, etiam ordine *intentionis*, glo-

I. riam æternam prædestinatis, quatenus præhabeant iustificationem & perseuerantiam vsque ad mortem in adultis, tanquam meritum, vt patet ex Apostolo *ad Titum* tertio, & ex decimo capite sancti Matthæi, *qui perseuerauerit*, &c. ergo Deus tantùm intendit prædestinatis gloriam æternam, ex conditione operum meritoriorum, & ex consequenti Deus priùs intendit efficaciter bona illorum opera, quàm æternam gloriam illorum.

Addidi in maiori propositione tam huius primæ rationis, quàm confirmationis eius, istas particulas (*tantùm, tantummodo*) vt ex earum additione intelligeretur, hanc rationem, & eius confirmationem nullo modo procedere contra ea, quæ præcedenti disputatione docuimus de efficaci electione quo-
II. rumdam ad gloriam, ex mera gratitudine B Dei; nam sicut in aliquo cõtractu venditionis possumus distinguere duo: primum est, vnum seligere ex pluribus, quibus possum rem meam vendere, & hoc respicit personam ad quam actus meæ volitionis terminatur, éstque liberalitatis, & gratitudinis, vt docet experientia, non enim ad id obligor: alterum est, accipere iustum pretium eius rei, quam vendo; & hoc est iustitiæ, & respicit rem volitam, & modum, quo talis res cadit sub volitionem: quæ duo benè sese simul compatiuntur, vt etiam videre est in satisfactione Christi Domini. Pari etiam modo possumus duo distinguere in diuina electione alicuius creaturæ rationalis ad gloriam; primum est, terminatio diuinæ volitionis ad hãc vel istam singularem personam, pro æterna
III. gloria ei efficaciter danda, & hoc respicit C personam, éstque puræ liberalitatis, cùm Deus potuerit nolle terminare suam volitionem sic ad vllam creaturam rationalem, sed relinquére illas omnes in massa perditionis, sicut de facto reliquit Angelos, qui peccauerunt: alterum est persolutio iusti pretij tantæ gloriæ, ad quam hic & iste est *insigniter* electus, quod tam benè potest esse ex iustitia, quàm in priori exemplo solutio iusti pretij pro re empta, cùm vtrobique omnia sint paria.

ARTICVLVS V.

Probatur eadem veritas secundâ ratione.

IV. SECVNDA nostra ratio procedit de omnibus hominibus distinctis ab *insigniter* prædestinatis, & est hæc: modus efficax eligendi omnes homines communiter ad gloriam debet in Deo esse talis, vt cum illo stet ipsa obligatio hominum ad eliciendum actum spei supernaturalis, quia electio ad vitam æternam non eximit electum ab obseruatione mandatorum: & nos omnes adulti habemus præceptum exercendi actum spei, vt omnes Theologi docent agendo de spe: sed modus eligendi efficaciter ad gloriam, iuxta primam sententiam, non potest stare cum hoc præcepto, rectè tamen hoc præceptum stat cum modo eligendi, quem tradit nostra propositio: ergo solus ille est verus & alter falsus. Maior per se patet, & ampliùs confirmatur ex eo quòd Deus neminem obliget ad impossibile.

A Minor, quoad illam partem, quæ asserit obligationem eliciendi actum spei benè stare cum nostra propositione, patet, quia tunc omnia requisita ad illum eliciendum ex parte Dei concurrunt, scilicet auxilium supernaturale & certitudo, quòd dabit gloriam, & quòd sincerè velit illam dare, &, si quis futurus sit defectus, totum illum prouenire à nobis, vt docet Concilium Tridentinum sessione sextâ capite decimo tertio. V.

Quoad aliam partem, scilicet istam obligationem non posse stare cum modo eligendi prioris sententiæ, probatur; obligatio inclusa in actu spei est, quòd sperans credat fide Catholicâ Deum verè sincerè, quantum est ex parte sua, velle isti homini, quod sperat, scilicet vitam æternam, ex Tridentino nunc relato: sed modus eligendi aliquos tan-
tùm homines, ante præuisa eorum merita, VI.
aliis relictis in massa perditionis, admittit in adultis fidelibus hæsitationem rationabilem oppositam prædictæ fidei: quod sic probatur: vbi Deus voluit efficaciter dare ex mera sua voluntate, etiam antecedenter ad bona opera præuisa fidelium adultorum, aliquibus tantùm personis ex tota hominum multitudine, ita aliquod beneficium supernaturale, vt tamen hæc eius voluntas inferat exclusionem infallibilem aliorum à participatione talis beneficij etiam ante præuisionem malorum eorum operum; tunc, si singuli homines nesciant determinatè, quinam sint isti, vnusquisque eorum poterit rationabiliter dubitare, vtrum talis volitio Dei includat illum, sic enim tantam habet rationem dubitandi & timendi sibi ex parte voluntatis diuinæ, quan-
tam habet rationem dubitandi & sibi timen- VII.
di, ne defectu propriæ suæ cooperationis, & negligentiæ, excludatur à consequendo tali bono: sed electio efficax hominum ad gloriam est aliquod beneficium supernaturale Dei, & iuxta priorem sententiam, Deus ita voluit efficaciter illud dare, ex mera sua voluntate, aliquibus duntaxat hominibus ex tota hominum multitudine, antecedenter ad bona eorum opera, etiam præuisa, vt hæc eius voluntas inferat consequenter infallibilem exclusionem aliorum à participatione talis beneficij, quatenus determinauit saluare tantùm de facto sic electos, & nullos alios, vt ostendimus contra Catharinum, nec vllum extat certum signum, quo fideles cognoscant istos electos viatores, vt omnes fatentur com-
D muniter: ergo vnusquisque fidelium adultorũ VIII.
potest rationabiliter dubitare, num talis volitio Dei includat illum, & proinde an Deus ita velit ei gloriam æternam, vt iubet illam sperare, ita scilicet, quòd nihil est ex parte Dei, quod remoretur hominem hunc ab illa consequenda, cùm non sit de facto consequuturus illam, nisi etiam sit de facto efficaciter electus; sic autem esse electum, etiam antecedenter ad ipsam hominum cooperationem præuisam, pendeat à solo Deo.

ARTICVLVS VI.

Eadem veritas tertiâ ratione probatur.

TERTIA ratio petitur ex eo, quòd modus primæ sententiæ faciat assecutio-

I. nem vitæ æternæ nobis impossibilem primò & principaliter ex parte Dei, & solummodò minus principaliter ex nostra parte; quod sic probatur: vbi actualis consecutio vitæ æternæ ex efficaci decreto Dei, antecedenter ad præuisionem quorumcumque operum, postulati tanquam necessariũ aliquid independens à voluntate quorumcumque hominum, tunc, si Deus illud non det vel offerat alicui, ipsa consecutio vitæ æternæ censetur esse ei impossibilis, magis principaliter ex parte Dei, non exhibentis illud necessarium, quàm ex parte ipsius hominis non habentis illud; verbi gratiâ, quia vita æterna postulat acquiri per media supernaturalia, si Deus non administraret illa saltem sufficientia, sed relinqueret nos nostris tantùm naturæ viribus, tunc assecutio vitæ æternæ redderetur impossibilis

II. nobis potiùs ex parte Dei, quàm ex nostra, cùm talis defectus proueniret ex carentia alicuius dependentis solùm à Deo; at actualis consecutio vitæ æternæ postulat, vt qui de facto consequitur illam, sit efficaciter electus à Deo ad eam, quia alius omnis de facto excluditur ex capite vigesimo Apocalypsis superiùs relato contra Catharinum, & hæc electio ad gloriam, antecedenter ad præuisionem quorumcumque operum creatæ voluntatis, est solius Dei, nullo modo subiacens voluntati hominum, quatenus est facta sine aliquo respectu ad eius opera etiam præuisa: ergo talis modus eligendi efficaciter homines ad gloriam, reddit actualem consecutionem vitæ æternæ hominibus sic non electis, (cuiusmodi sunt omnes reprobi) impossibilem,

III. quod tamen est absurdum, & contra communem sententiam.

Nec est quòd quis respondeat istam impossibilitatem seu impotentiam non esse *physicam*, cùm Deus det isti homini, etiam non electo, gratiam excitantem: sítque paratus dare ei cooperantem, seu adiuuantem, quæ sunt principia effectiua talis assecutionis, hánque impotentiam esse duntaxat *moralem*, quatenus est solummodo per aliquid extrinsecum ipsi assecutioni actuali, & principiis eius efficientibus.

Non est inquã, quòd aliquis sic respondeat: nam, quomodocumque hæc impotentia vocetur, est semper talis conditionis, vt non electum faciat purè simpliciter, absolutè loquendo, impotentem, vt actu & de facto consequatur gloriam æternam; quod sic probatur:

IV. vt aliquis adultus baptisatus dicatur simpliciter, & absolutè potens consequi actu vitam æternam, requiritur, vt actualis non consecutio vitæ æternæ sit tantùm ex sola illius negligentia, nec proueniat aliunde, vt patet ex canone vigesimo secundo Concilij secundi Arausicani, & Tridentini sessione sextâ cap. quarto, vndecimo, decimo tertio, & canone vigesimo secundo, & ex sacris Litteris passim imputantibus nobis nostram perditionem, *perditio tua ex te Israël*; & si hæc impotentia proueniat aliunde, iam homo iste dicitur absolutè & simpliciter non posse assequi vitam æternam; verbi gratiâ, iustus quilibet habet principium benè operandi supernaturale, scilicet gratiam habitualem, si tamen careat illo speciali auxilio, quod requiritur ad perseuerandum de facto, nec possit illud sibi compa-

A rare, tunc censebitur habere impotentiam moralem ad perseuerandum, quâ caret, quia potest suis meritis sibi istud comparare, vt docent Theologi primâ secundæ agendo de gratia: atqui ad hoc vt aliquis adultus baptisatus consequatur de facto vitam æternam, requiritur absolutè, vt sit electus ad gloriam, quia, ex decreto Dei, nullus alius eam consequitur; & tamen, iuxta primam sententiam, quòd talis electio efficax Dei sese non terminauerit ad Iudam, verbi gratiâ, non tenet se ex negligentia ipsius Iudæ etiam præuisa, sed ex sola libertate voluntatis diuinæ, quæ volitio efficax Dei nullo modo subiacet voluntati Iudæ, etiam secundùm præuisionem: igitur positâ electione adultorum ad gloriam æternam factâ tali modo, actualis consecutio vitæ æternæ est ipsis hominibus, etiam baptisatis, V.

B non tamen electis, iuxta modum primæ sententiæ, omninò, & absolutè impossibilis, quod est contra fidem, vt nunc obseruauimus. VI.

Tota hæc ratio confirmatur ex eo, quòd suppositâ primâ opinione, Deus non videatur habere voluntatem, etiam *antecedentem* propriè dictam, saluandi omnes, & singulos homines: nam, vt voluntas sit talis, nihil eius oppositi debet esse in ipso volente circa aliquos homines, aliàs enim voluntas hæc diceretur esse ficta, non vera & fidelis; atqui voluntas, quâ Deus eligit aliquos ad gloriam efficaciter ante præuisionem bonorum operum, est loquendo propriè *antecedens*, quia tunc fertur in res absolutè, & non secundùm aliquas peculiares rationes, & circunstantias

C boni, vel mali, consideratas in ipsis sic electis, & actus ille, quo voluntas Dei, eligendo efficaciter Petrum, ita relinquit Iudam, ante præuisionem quorumcumque operum eius, habet aliquid oppositum voluntati antecedenti ad saluandum omnes homines, quia est nolitio saltem virtualis saluandi Iudam, prout ille consideratur absolutè ante omnia sua opera futura & circunstantias illorum. VII.

Deinde confirmatur ex eo quòd nostra sententia pietatem & studium bonorum operum suadeat, contraria verò socordiam & negligentiam illorum; imò & desperationem salutis; nam qui sequitur primam opinionem, ita ratiocinabitur: vel sum absolutè ante præuisionem bonorum operum electus ad gloriam æternam, vel non sum: si primum, non est quòd timeam periculum, quia certissimè saluabor quicquid fecero, Deus enim procurabit vt resurgam, & benè moriar in gratia VIII.

D sanctificante, quantumuis perditè viuam; si verò non sum ita electus ad gloriam, quicquid fecero excludar à regno cœlorum, cùm nullis operibus possim à Deo impetrare, vt ab eo eligar ad gloriam; est enim hæc electio omninò efficax independenter à præuisione bonorum operum, & quantumuis benè vixero, Deus permittet vt decidam à gratia, & tandem moriar in peccato; igitur bona opera non debent mihi esse curæ pro assequenda vita æterna; at totum hoc est absurdum: ergo & modus eligendi efficaciter homines ad gloriam ante præuisionem bonorum operum, cui tota hæc ratiocinatio innititur.

Obiicies primò, hanc vel similem ratiocinationem posse fieri contra modum illum quo

I. aliqui eliguntur insigniter ad gloriam ante
præuisionem meritorum, quem tamen mo-
dum disputatione præcedenti iudicauimus
possibilem.

Respondeo negando idem posse obiici con-
tra nostram propositionem de *insigniter* præ-
destinatis; tunc enim tantùm hæc ratiocinatio
habet vim quando aliqui ita efficaciter eli-
guntur ad gloriam ante præuisa merita, vt ta-
men reliqui solâ voluntate antecedenti à Deo
deputati ad gloriam relinquantur absque ali-
quo alio modo, quo eligantur efficaciter ad
gloriam, sicut contingit in modo prioris sen-
tentiæ; nam iuxta illam prædestinati ita effi-
caciter eliguntur ad gloriam ante præui-
sionem meritorum, vt reliqui omnes non sic
electi ante præuisionem suorum demeritorum
II. relinquantur; adeò vt nunquam sint adeptu-
ri gloriam æternam; sícque cùm ista virtua-
lis exclusio antecedat illorum opera etiam in
præscientia Dei; nec talis exclusio subsit eo-
rum voluntati, cùm efficax electio aliorum
connotans eorum exclusionem sit quædam
voluntas absoluta *& efficax*, seu *consequens*,
fit vt datâ tali opinione detur locus torpori,
ne quis benè operetur, imò & desperationi; vt
rectè explicat prædicta ratiocinatio: at quan-
do vltra modum eligendi aliquos insigniter
ad gloriam ante præuisionem operum datur
prætereà de facto modus eligendi cæteros,
qui fundetur in eorum meritis, tunc cessat
occasio torporis & negligentiæ, cùm sit in eo-
rum potestate benè viuere, & benè operari
ex gratia sibi à Deo liberaliter concessa, &
tandem cum illa mori; sícque facere vt sint de
III. numero prædestinatorum, cùm Deus com-
muniter eos tantùm prædestinet, efficaciter
tamen, ad gloriam, quos per absolutam suam
scientiam præuidet morituros in gratia san-
ctificante.

Obiicies secundò, hoc argumentum fuis-
se à sanctis Hilario & Prospero in citatis suis
epistolis sancti Augustini propositum tan-
quam Semipelagianorum, & ab eodem S. Au-
gustino lib. *de dono perseuerantiæ* cap. decimo
quarto & decimo quinto solutum, scilicet ne-
gando per eiusmodi prædestinationem adimi
peccatoribus curam à resurgendo, & sanctis
dari occasionem peccandi.

Respondeo argumentum Semipelagiano-
rum à sanctis Hilario & Prospero suprà rela-
tum, & à sancto Augustino suprà solutum,
IV. fuisse omninò aliud à nostro hoc argumento,
vt videre est apud illos: nam Massilienses seu
Semipelagiani obiiciebant correptiones seu
exhortationes fieri inutiliter peccatoribus, si
prima gratia vocans & initium fidei sit à solo
Deo; ita enim dicebant, vt ibi refert sanctus
Augustinus: *si qui estis nec dum vocati, quos
gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis
eandem gratiam, quâ velitis, & sitis electi.
Et si qui obeditis, si prædestinati estis reiicien-
di: subtrahentur vobis obediendi vires, vt obe-
dire cessetis.* Sanctus autem Augustinus ibi re-
spondet, hoc argumentum non impedire cor-
reptionem & studium benè viuendi; quod est
verum; quia Deus ita dat huic & isti primam
gratiam vocantem (nam de ea tantùm ibi erat
disputatio inter sanctum Augustinum & Mas-
silienses) liberaliter, vt tamen eam saltem
sufficientem deneget nemini, possítque qui-

A libet ei assentiri, si velit; vnde semper restat V.
locus exhortationi, & studio benè viuendi,
aítque sanctus Augustinus ibi absolutam il-
lam præscientiam, quâ Deus nouit hunc de
facto conuertendum, illum verò minimè, non
impedire cohortationes, & benè viuendi stu-
dium; quod est verum, quia eiusmodi præ-
scientia non antecedit nostra opera, sed tan-
tùm sequitur illa, & posterius non potest im-
pedire, ne quod est illo prius, sit & ponatur
in rerum natura: at ratiocinatio facta à vltimo
nostro argumento procedit modo opposito,
quatenus iuxta priorem sententiam de effi-
caci electione hominum ad gloriam, ante præ-
uisionem meritorum, supponit exclusionem
aliquam efficacem aliorum à gloria ante præ-
uisionem suorum demeritorum; vnde electis
B mala vita non obstabit, quin tandem obti- VI.
neant vitam æternam, & bona vita non ele-
ctorum seu derelictorum non efficiet, vt ali-
quando gloriam obtineant, quia quod est
prius efficaciter volitum à Deo, independen-
ter à posteriori, etiam in præuisione, debet
infallibiliter euenire; sícque hæc ratiocinatio
retinet suum robur contra priorem senten-
tiam, soluto tamen Massil. argumento.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ desumpta ex sacra Scriptura.

PRIMVM est illud Christi Domini apud S.
Lucam duodecimo capite: *nolite timere pu-
sillus grex, quia complacuit patri vestro dare
C vobis regnum*; vbi nomine *complacentiæ* intel- VII.
ligitur efficax volitio, & electio ad gloriam,
quæ etiam secundùm intentionem antecedat
ipsam præuisionem meritorum, quia verbum
complacere significat liberalem & non remu-
neratoriam voluntatem.

Respondetur locum illum non esse intel-
ligendum de efficaci complacentia dandi
gloriam æternam hominibus ante præuisio-
nem operum, quia Christus Dominus ibi ad
minus alloquitur omnes suos discipulos, &
Apostolos, & in eorum persona, reliquos fi-
deles, vt ibi interpretes obseruant; at Chri-
stus Dominus non habuit talem complacen-
tiam dandi gloriam æternam Iudæ, qui ta-
men erat ex discipulis componentibus istum
gregem pusillum; constat enim Iudam fuis-
D se de numero reproborum, ex capite primo VIII.
Actuum; vnde sancti Ioannis decimo septi-
mo capite, vocatur *filius perditionis.* Deinde,
quia Christus Dominus statim ibi sic subiun-
git, *vendite quæ possidetis, & date eleemosy-
nam*, & multa alia, quibus exhortatur illos
ad bona opera: hinc verbum illud, *compla-
cuit*, ibi tantùm significat voluntatem illam,
& affectum, quo Deus voluit proponere il-
lis gloriam æternam obtinendam per fugam
auaritiæ, & contemptum rerum humana-
rum, vt sensus sit iste, si Deus est tam libe-
ralis, vt vltrò ponat vobis æternam gloriam
in præmium, quomodo non magis prouide-
bit vobis de victu, & vestitu, quod longè mi-
nus est?

Secundum est illud Sapientiæ quarto, vbi
Sapiens ait de homine iusto, *raptus est ne ma-
litia mutaret intellectum eius*, sicut Christus

I. Dominus apud sanctum Matthæum vigesimo quarto capite ait, dies fuisse abbreuiatos *propter electos*, & Sapiens paulò post verba relata ait de eodem iusto, cui vita fuit abrepta ante maturam ætatem, *placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio*, quod significat mortem hanc immaturam iusti fuisse ex aliquo speciali & efficaci amore ipsius Dei erga talem iustum, amor autem iste specialis non potest esse alius, quàm istius electio ad gloriam ante præuisionem meritorum & demeritorum.

Respondetur, siue illud Sapientiæ intelligatur de solo Enoch, vt sanctus Ambrosius libro secundo *de Apologia Dauid* capite quarto, & oratione *de obitu fratris sui Satyri*, & multi alij, etiam ex recentioribus, cum illo intelligunt; siue intelligatur de quolibet iusto
II. moriente ante senilem ætatem, vt explicatur à multis aliis, probare potiùs nostram sententiam, quàm contrariam: si enim textus ille relatus in obiectione iungatur cum antecedentibus, statim intelligemus beneficium istud breuioris vitæ fuisse isti concessum à Deo ex meritis antecedentibus; ita enim habetur, *placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est; raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*: sensus enim est, *placens Deo factus dilectus est*, vt sic particula, *factus*, cohæreat cum præcedenti particula, *placens Deo*, & non cum sequenti particula, *dilectus*, quemadmodum Iansenius in hunc locum obseruat ex ipsomet textu Græco, quâ lectione retentâ, tunc sensus erit planè pro nostra sententia; nam ibi significabitur dilectionem il-
III. lam specialem seu beneficiũ istud vitæ breuioris fuisse concessum isti iusto in compensationem meritorum, seu quia erat *placens Deo*, quæ postrema verba significãt meritum bonorum operum, sicut & sequens hæc particula: *placita enim erat Deo anima illius*: & hæc expositio confirmatur ex eo, quòd Sapiens eò loci, si non loquatur de Enoch, saltem alludit ad id quod de eo habetur Geneseos quinto, *ambulauitque cum Deo, & non apparuit quia tulit eum Deus*, vbi eius ambulatio cum Deo, per quam status eius in gratia, & obseruatio mandatorum Dei significatur, præmittitur eius raptui tanquam causa eius.

Ad auctoritatem S. Matthæi testimonio præcedenti annexam respondetur, illam ad litteram intelligi tantùm de salute corporis, non autem de salute animæ: ibi enim Christus Dominus agit de euersione Hierusalem
IV. sub Tito & Vespasiano Imperatoribus; aitque tribulationem tunc fore tantam, vt nemo ex illis Iudæis, qui detinebantur obsidione superfuisset, sed periissent omnes fame, nisi Deus ex speciali amore erga electos qui nascituri erãt ex illis, abbreuiasset dies istius tribulationis; & sic ex hoc verbo Christi Domini tantùm habetur aliquid ordinis naturalis, prout subest supernaturali prouidentiæ Dei, esse aliquem effectum diuinæ prædestinationis, quod esse verum infrà docebimus: & pro hac expositione videri possunt ad hunc locum Euangelij sanctus Chrysostomus, Theophylactus, & alij interpretes, etiam recentiores.

Tertius locus habetur capite octauo *ad Romanos*: *scimus*, inquit Apostolus, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*
A *iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti: nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit*: V.
vbi Apostolus loquitur de electione ad gloriam, vt patet ex ista gradatione.

Respondetur verba consequentia satis declarare modum, quo omnia cadunt in bonum diligentibus Deum, vocatis secundùm propositum, scilicet si compatiantur Christo Domino; sic enim Apostolus subiungit, *si compatimur, & conglorificabimur*: & ideò, quos præsciuit, fore conformes Christo Domino in vita, eos prædestinauit conformes fieri Christo Domino in gloria, vt etiam sancti Patres explicant, Ambrosius libro quinto *de fide* capite tertio, Hieronymus ad caput secundum san-
B cti Matthæi, Fulgentius libro primo *ad Monimum* capite vigesimo quarto; & sanctus Thomas ad locum illum Apostoli fatetur electionem efficacem hominum ad gloriam dici rationabiliter esse ex præscientia meritorum. VI.

Quartus locus habetur capite nono eiusdem epistolæ, vbi est sermo de duobus fratribus Iacob & Esaü, & scribitur: *antequam quidquam boni vel mali egissent, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, dictum est, maior seruiet minori*; vbi non est sermo de temporali regno, sed de prælatione in regno gratiæ & gloriæ; cùm ergo Apostolus ibi dicat non ex *operibus*, sed *ex vocante*, &c. *vt secundùm electionem propositum Dei maneret*, sensus est electionem gratuitam Iacob fuisse sine operibus, & ex hac electione emanasse propo-
C situm iustificandi, & per electionem ibi intelligi electionem ad vitam æternam, docet sanctus Augustinus libro primo *ad Simplicianum* quæstione secundâ, & illud quod Apostolus ibi refert ex Propheta, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*. VII.

Respondetur ibi non agi de electione ad gloriam; & sanctum Augustinum suprà explicare locum illum de electione ad primam gratiam; quia enim Iudæi gloriabantur de operibus legis, Apostolus ostendit Deum in vocatione ad fidem, & in electione ad primam gratiam, non habere vllam rationem operum, sed illam distribuere quibus vult, & prout vult, quod vt ostendat, affert exemplum Iacob & Esaü, quo constat Iacob minorem fuisse à Deo prælatum fratri suo maiori Esaü, quoad beneficia quædam, tam spiritalia, quàm temporalia; nam verbum illud,
D *Esau odio habui*, idem est ac minus dilexi, eo VIII.
sensu, quo Christus Dominus apud sanctum Lucam decimo quarto capite ait: *si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, non potest meus esse discipulus*, id est, qui non minus amat patrem & matrem, quàm me, non est me dignus.

Hæc solutio ampliùs confirmatur; quia eò loci nomine *Iacob*, qui erat minor natu secundùm carnem, non intelligitur sola persona talis Patriarchæ, sed etiam totus populus Israëliticus, qui ab eo sumpsit originem; similiter nomine *maioris*, non intelligitur sola singularis persona Esaü, sed totus populus oriundus ex Esaü, vt patet ex responso diuinitus dato Rebeccæ Geneseos vigesimo quinto capite, quod Apostolus ibi refert: nam si

I. locus ille Apostoli intelligeretur de efficaci A
electione ad gloriam ipsius Iacob, & de efficaci reprobatione Esaü, sensus Apostoli esset omnes & singulos Israëlitas fuisse de facto efficaciter electos ad gloriam, econtrà omnes Idumæos descendentes ab Esaü fuisse exclusos efficaciter à gloria ante præuisionem bonorum operum, quod vtrumque est falsum: primum, vt patet de multis Iudæis viuentibus tempore Christi Domini, & Apostolorum, & ex eo quòd Apostolus ibidem dicat, *non omnes qui sunt ex Israël, esse Israëlitas:* secundum item est falsum, quia patientissimus Iob erat ex posteris Esaü, cùm esset Idumæus, quem tamen constat fuisse prædestinatum, quod similiter potest dici de pluribus aliis: ergo locus ille ad litteram non debet intelligi de efficaci electione ad gloriam, &
II. reprobatione etiam negatiua ante præuisio- B
nem meritorum, vel demeritorum, sed debet intelligi de quibusdam prærogatiuis, partim spiritalibus, partim temporalibus, quarum nonnullas Apostolus ibi commemorat initio noni capitis.

Sed obiicies contra hanc solutionem, hæc esse quidem vera secùdùm litteralem sensum duorum testimoniorum ex capite vigesimo quinto Geneseos, & primo capite Malachiæ, quæ Apostolus ibi refert: at non ad mentem sancti Pauli citantis illa in sensu allegorico & mystico pro ipsa efficaci electione & reprobatione hominum ante præuisionem quorumcumque operum.

Respondetur, verum quidem esse sanctum Paulum etiam ibi hæc explicare in sensu my-
III. stico, vt verba illa eius antecedentia indicant, C
non autem quòd exciderit verbum Dei, non enim omnes qui in Israël sunt, ij sunt Israëlitæ, &c. nihilominùs tamen negatur sensum illum mysticum, quo Apostolus hæc explicat, esse de absoluta & efficaci electione Dei respectu hominum ad gloriam ante præuisa merita: est enim tantùm de electione talis modi iustificãdi homines, & eos adoptandi scilicet potiùs per fidem, quàm per viam carnalis generationis ex semine Patriarcharum, quatenus eiusmodi ratio petenda est à liberalitate Dei volentis offerre gratiam indiscriminatim omnibus, etiam gentibus, tanquam primum fundamentum à Deo constitutum supernaturalis adoptionis; quæ tota intentio Apostoli satis patet ex iis, quæ habet in fine istius capitis, vbi expresè loquitur de diuina voluntate primæ vocationis ad fidem, & gratiam confor-
IV. miter ad ea, quæ eodem cap. dixit de Iacob D
& Esaü.

Vrgent & alia pleraque sacræ Scripturæ testimonia, sed quæ potiùs videntur intelligi de electione ad primam gratiam, sicut locus ille Apostoli *ad Ephesios, elegit nos in ipso, vt essemus sancti*, & similia quæ ex antecedentibus & consequentibus: item ex interpretatione Patrum, facilè intelliguntur procedere tantùm de gratuita electione hominum ad primam gratiam, & ideò omittuntur à nobis.

ARTICVLVS VIII. V.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ petita ex Patribus.

QVIA sanctissimi Pontifices maximè commendant doctrinam sancti Augustini de diuina gratia, vt patet ex epistolâ Cælestini Papæ *ad Episcopos Galliæ*, factum est vt auctores contrariæ sententiæ conentur illam ad se ipsos pertrahere: protulimus aliquot eius testimonia, quæ faciunt pro nobis, nunc exponemus, quæ alij pro sua ex illo proferunt.

Vbi notandum est sanctum Augustinum nunquam tractasse ex professo præsentem difficultatem, sed illam tantùm, quæ est de prædestinatione *ad primam gratiam*, contra Pelagianos & Semipelagianos, & obiter tan-
tùm dixisse aliquid de ea, disputando contra VI.
prædictas hæreses; nam liber *de prædestinatione Sanctorum* capite decimo octauo, significat suam illam doctrinam de prædestinatione, quam ibi tractat ex professo esse de fide, & tam euidentissimè contineri in doctrina Apostoli, vt non possit non videri certa, quod totum verum est de prædestinatione *ad primam gratiam*, vt omnes facilè admittunt: tum etiam ex eo quòd, quando sanctus Augustinus disputans contra prædictos hæreticos agit de electione ante merita, intelligit nomine *meriti*, merita liberi tantùm arbitrij, & non ex gratia, iuxta mentem prædictorum hæreticorum.

Primum itaque aliqui proferunt locum ex
libro *Soliloquiorum* capite vigesimo octauo: VII.
sed non immorabimur eius solutioni, cùm liber ille non sit sancti Augustini, vt Louanienses notant ad initium istius libri: sanctus enim Augustinus libro primo *retractationum* capite quarto, duorum duntaxat meminit librorum à se compositorum, quos *soliloquia* vocat, vltra quos, liber hic citatus recensetur inter opera falsò adscripta sancto Augustino: & prætereà, si esset grauis alicuius auctoris, posset facilè explicari de prædestinatione ad primam gratiam, vt patet ex ipso textu.

Secundum testimonium repetunt ex eius libro *de correptione & gratia* capite septimo, vbi ipsam vocationem & reliquos effectus prædestinationis, vsque ad finalem perseuerantiam, refert ad priorem electionem Dei, & specialem eius amorem erga prædestina-
tum; verba autem sancti Augustini sunt hæc: VIII.
quicumque ergo ab illa originali damnatione, istâ diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ in dilectione operatur, *vsque in finem perseuerant, & si quando exorbitant correpti emendantur.* Quòd item amor ille specialis dicat ipsam electionem ad gloriam, antecedenter ad præuisionem operum, patet ex istis eius verbis sequentibus: *hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ: si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*: & quòd ista electio, de qua ibi loquitur, sit electio ad gloriam, patet ex istis eius

I. verbis sequentibus, *nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus, electi autem sunt ad regnandum cum Christo,* id est, vt illi explicant, ad obtinendum regnum Dei & statum beatitudinis.

Respondetur, S. Augustinum ibi loqui duntaxat de electione ad primam gratiam, quam ibi negat esse ex operibus solius liberi arbitrij: scopus enim eius ibi est ostendere gratiam illam specialem vocationis, quam Theologi vocant *congruam*, & per quam discretio aliquorum ex massa perditionis fit: item singularem illam in ea perseuerantiam, esse ex sola gratia, & misericordia Dei; nam ait, ideò tales esse electos per electionem gratiæ, quia *secundùm propositum Dei vocati sunt*; talis enim vocatio dicitur à sancto Augustino esse *secun-*
II. *dùm propositum Dei*, vt condistinguatur à vocatione minus congrua, seu inefficaci, cui vocatio & consensus vocati non respondet: at si per electionem illam intelligeret eam, quæ est ad gloriam & esse ante omnia merita præuisa, deberet dicere omninò contrarium, scilicet, ideò tales fuisse vocatos *secundùm propositum Dei*, quia sunt electi, vt, iuxta hanc loquendi formulam, electio efficax ad gloriam explicetur antecedere ordine *intẽtionis* ipsam vocationem congruam, & esse causam illius, cuius tamen contrarium ibi asserit: igitur S. Augustinus ibi per talem electionem non intelligit voluntatem efficacem Dei de danda gloria, sed tantùm de danda efficaci gratia, absque vllis meritis antecedentibus, & quia electi ex vi talis electionis ad primam gratiam efficaciter vocantem accipiunt gratiam
III. habitualem; est enim infallibilis connexio, ipsi Deo probè cognita, inter primam gratiam efficacem, & gratiam habitualem, mediante consensu etiam infallibiliter futuro eius, qui sic vocatur, ratione cuius connexionis prima *efficax* gratia vocatur, etiam à S. Augustino epistolâ 105. *gratia iustificationis*, quæ est semen vitæ æternæ, cui, cooperando per opera meritoria, homines destinantur ad vitam æternam ex eorum præuisione, fit, vt tales electi dicantur à S. Augustino *electi ad regnandum cum Christo Domino.*

Tertium testimonium repetunt ex libro *de dono perseuerantiæ* capite octauo & nono, vbi sanctus Augustinus quærit cur ex duobus iustificatis per baptismum perseuerantia detur vni & alteri minimè: respondétque dupli-
IV. cem esse discretionem, vnam iuxta quam erant *ex nobis*, nimirum quatenus per gratiam vocantem & iustificantem sunt discreti, & eruti ex massa perditionis, in qua sumus constituti per peccatũ originale; alteram specialem, iuxta quam *non erant ex nobis*, inquit sanctus Ioannes primâ suâ canonicâ capite secundo; nam *si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Deinde verbis sequentibus quærit, quænam sit illa specialis discretio, secundùm quam *non sunt ex nobis*: & respondet, *quia non erant secundùm propositum vocati, non erant in eo sortem consequuti, non erant prædestinati secundùm propositum eius qui vniuersa operatur.* quibus verbis significat singularem illam discretionem, iuxta quam ij qui non habent finalem perseuerantiam, non dicuntur à sancto Ioanne *esse ex nobis*, esse ipsam electionem ad gloriam, quâ vult primò discerni præ-

A destinatos à reprobis, ideóque illos non mansisse cum prædestinatis, neque sanctus Augustinus ibi recurrit ad præuisionem bonorum operum: igitur videtur velle electionem hominum ad gloriam esse priorem ipsâ præuisione meritorum. V.

Respondetur illud similiter intelligi tantùm de electione ad primam gratiam efficacem, cuius electionis vult nullam dari causam ex parte electi; ideóque, cur Deus illam det vni & alteri minimè, dicit esse *inscrutabile*: & hoc totum potest intelligi ex lectione ipsiusmet loci.

Nec refert, quòd sanctus Augustinus ibi dicat, *non erant ex nobis, quia non erant secundùm propositum vocati*, & cætera quæ referuntur in obiectione: nam hæc particula, *quia*,
B in ista sententia sancti Augustini, non est *causalis*, seu non reddit causam, cur sanctus Ioannes loco ibi citato dixerit *non erant ex nobis*, sed est tantùm *explicatiua* illius, ita vt ista omnia, *non erant ex nobis, non erant secundùm propositum vocati, non erant in Christo electi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur*, sint tantùm plura synonyma eiusdem rei explicandæ, quam illud sancti Ioannis, *non erant ex nobis*, significet: nam paulò ante verba citata in obiectione, ita sibi proponit hanc quæstionem, *quid est quæso, non erant ex nobis?* Deinde respondendo ad hanc quæstionem subiungit verba, quæ sunt citata in obiectione. VI.

Vltimum testimonium repetunt ex capite decimo quarto libri citati *de correptione &*
C *gratia*, vbi loquens de voluntate Dei pro saluando aliquo, seu eligendo ad gloriam docet, diuinam voluntatem non posse impediri ab humana, ex libro primo Regum capite 10. vbi ita dicitur, *& abierunt potentes, quorum Deus tetigit corda cum Saül*, ex quo probat Deum non minus posse inclinare hominum voluntates, vt constituantur in regno cælesti, quemadmodum etiam explicat libro *de prædestinatione Sanctorum* capite vigesimo, quàm inclinauerit voluntates istorum principum ad sequendum Saülem in re temporali; nec hoc vult tantùm de possibili, sed etiam de facto, probátque eodem capite vigesimo ex illo Actuum decimo tertio, *crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam*, parare & conuertere hominum voluntates. VII.

Respondetur similiter S. Augustinum ibi VIII.
D agere tantùm de electione ad primam gratiam, vt ipsemet significat expressè eodem capite, paulò ante verbá relata in obiectione, dum sic ait: *verùm redeamus ad ostij apertionem, quam initium fidei audientium significauit Apostolus.* quibus verbis declarat, se iterum velle probare primam gratiam, seu initium fidei, esse ex sola voluntate gratuita Dei, quod probat ibi ex capite 4. *ad Coloss.* & ex capite 16. *Actuum*, vbi Deus dicitur aperuisse sensum mulieri Lydię purpurarię, vt crederet in Christum; & quia Semipelagiani, tam ex epistola sancti Hilarij ad sanctum Augustinum, quàm ex hoc citato capite 20. sancti Augustini, ponebant hoc discrimen inter inclinationem humanæ voluntatis ad bonum aliquod temporale, & inclinationem eius ad bonum supernaturale, & ad primam gratiam, quòd admit-

I. terent Deum posse inclinare voluntates humanas ad bonum temporale, prout vellet; sicque explicabant testimonia sacræ Scripturæ desumpta à Saül & Dauide; ostendit sanctus Augustinus Deum tam benè posse inclinare humanas voluntates ad bonum supernaturale, quàm ad temporale; sicque, quia responsio sancti Augustini procedit ad sensum illius gratiæ, de qua Massilienses illud totum negabant, fit, vt etiam totum illud, quod sanctus Augustinus ibi habet, intelligatur tantùm de prima gratia efficaci; idque patet aliis Scripturę testimoniis, quæ isto eodem capite refert.

Nec quicquam iuuat auctores prioris sententiæ locus ille *Actorum* 13. quem sanctus Augustinus ibi refert, *crediderunt, quotquot erant ordinati in vitam æternam:* siue enim sequamur
II. lectionem illam, quæ huic particulæ, *ordinati*, non præponit istam aliam particulam, *præ*, conformiter ad textum Græcum, siue sequamur lectionem vulgatam quæ præmittit illam; locus ille ita potest explicari, vt nihil officiat nostræ sententiæ: iuxta priorem lectionem particula, *ordinati*, idem significat, quòd dispositi per gratiam vocantem, vt aliqui interpretes explicant ad illum locum: iuxta secundam, ista præordinatio electorum ad gloriam præsupponit in Deo scientiam bonorum operum, propter quæ Deus illos efficaciter præordinet ad gloriam, vt S. Chrysostom. expressè docet homiliâ 30. in Acta Apostolorum: *ordinati*, inquit, *vt ostendat quod non per necessitatē, quos enim præcognouit, & prædefiniuit.*

III. Tandem proferunt testimonium sancti Bernardi libro *de gratia & libero arbitrio*, & sermone ad illa verba Sapientiæ, *iustum deduxit Dominus*, vbi ita ait, *regnum conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur: conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, in glorificatione percipitur.* quò loci per regnum Dei, intelligit gloriam æternam, quam dicit concedi in prædestinatione, quia prædestinati eliguntur ad illam ex mera gratuita voluntate Dei.

Respondetur sanctum Bernardum ibi per prædestinationem, in qua ait regnum Dei concedi, non intelligere electionem ad gloriam, sed tantùm ipsam præparationem gratiæ, vt statim explicat, *in prædestinatione*, inquit, *est gratia, in vocatione potentia, in iustificatione lætitia, in magnificatione est gloria:* vn-
IV. de eò loci *per regnum Dei*, vel intelligit gratiam sanctificantem, ratione cuius viuimus cum Christo, sumus de regno Dei, & dicimur non esse de hoc mundo; vel intelligit æternam gloriam, quæ censetur nobis concedi in prædestinatione, quatenus per prædestinationem gratia nobis præparatur, quæ est semen vitæ æternæ, & in tali semine gloria æterna.

Articvlvs IX.

Soluitur primum fundamentum aduersariorum à ratione petitum.

Prima ratio aduersariorum hæc est: quicumque vult ordinatè aliquid efficaciter, priùs vult finem, quàm media, quia media assumuntur ex affectu finis, & efficax intentio
A finis, est semper prior electione mediorum: atqui gloria æterna est finis hominum & Angelorum, media illius obtinendæ sunt bona opera, & Deus ordinatè vult efficaciter gloriam æternam prædestinationis: igitur Deus priùs in aliquo signo rationis vult illis efficaciter gloriam, quàm velit, & cognoscat in illis meritum bonorum operum.

Hæc ratio confirmatur ex sancto Augustino libro *de dono perseuerantiæ* capite 14. vbi allatâ definitione prædestinationis, quærit quare Tyrij & Sidonij non crediderunt, qui tamen potuerunt credere, si vidissent opera Christi Domini, respondet his verbis: *sed quoniam, vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum.* quibus verbis significat Deum primò eligere eos, quos vult crede-
B re; & deinde eis decernere media, quibus efficaciter credant, & econtrà non tribuere aliis media efficacia ad credendum, quia eos non elegerit ad talem finem: ergo etiam ex mente sancti Augustini efficax intentio finis est prior efficaci intentione mediorum efficacium, etiam in ipsa voluntate Dei.

Respondetur primò, duplex distingui agens per intellectum; vnum *perfectè cognoscens*, alterum non ita *perfectè cognoscens*; inter quæ est hoc discrimen, quòd *perfectè cognoscens* non prærequirat aliquam volitionem, quæ etiam sit simplex quidam affectus ipsius finis ad efficacem volitionem mediorum: cognoscens autem minus perfectè requirat: cuius discriminis hæc est ratio, quòd finis ideò debet esse priùs volitus, vt ex præsuppositâ cognitione bonitatis, & volitionis
C illius ipsum agens moueatur ad inquirendum, & volendum media illi proportionata; quæ ratio cessat, respectu illius agentis per intellectum, qui est cognoscens perfectissimo modo: nam ex vi talis suæ perfectionis, quâ, modo comprehensiuo, penetrat quidquid est, & potest esse virtutis, & efficaciæ in re, quæ appellatur medium, cùm illa sit aliquid prius secundùm executionem ipso suo fine, potest, suppositâ perfectâ illius cognitione, incipere ab ipsa volitione medij efficacis; sicque prius amare illud ante finem eius, vt in ipsa executione est etiam prius illo: & licet sic agendo, non ageret propter finem priùs amatum, quia tamen tunc ageret propter finem priùs cognitum; nam ageret ex cognitione talis finis & mediorũ eius, & suppositâ perfectâ cognitio-
D ne prædictâ, eligeret ea media, quæ apprimè nouit esset cum tali fine connexa in isto ordine, semper esset agens rationale, seu per intellectum: quare, cùm in præsenti ratione agatur de volitione Dei, qui est agens cognoscens perfectissimo modo vnumquodque, vt patet ex dictis suprà ad quæstionem decimam quartam, non est necesse ad hoc, vt Deus sit ordinatè volẽs efficaciter aliquid, quòd priùs velit finem, quàm media, sed id habet solùm locum in aliis agentibus per intellectum non cognoscentibus perfectè; quod patet ex hac loquendi formula Theologorum de volitione Dei circa plures res creatas seruantes inter se aliquem ordinem, Deus non vult vnam rem propter aliam, sed vult vnam esse vt alia fit: quia enim Deus à nulla alia bonitate, quàm à sua increata mouetur in genere causæ finalis, & omnes creatæ bonitates sunt

I. quædam media ad illam, vt suprà exposuimus, & inter res creatas vna potest alteri esse finis, & esse requisita, vt altera existat; ideò Theologi sic loquuntur, vt significent Deum in volitione huius, & istius medij creati, non moueri à propria bonitate eius rei creatæ, quæ est aliquis finis tali medio: hinc quando Aristoteles & physici cum illo definiunt finem esse id, *cuius gratiâ aliquid fit*; si hæc particula, *cuius gratiâ*, idem significet, ac moueri amore, & bonitate finis, ita vt finis sit primò amatus & volitus, & posteà medium, tunc definiunt solummodò finem in ordine ad illud agens per intellectum, quod cognoscit tantùm imperfectè; quòd si hæc particula, *cuius gratiâ*, idem significet, quod velle aliquid ex quo aliud sequatur, vel, vt sequatur, tunc hæc definitio finis, erit etiam per comparationem

II. ad illud agens per intellectum, quod est cognoscens perfectissimè: Deus enim vult hoc medium esse, vt talis eius finis, vel effectus sit, verbi gratiâ, primam gratiam vocantem, vt sit consensus, & habitualis gratia iustificans, & sic de aliis: & ad hunc modum volendi media ante finem possunt facilè accommodari illa omnia testimonia Augustini; quibus, agendo de prima gratia efficaci contra Pelagianos, & Semipelagianos, semper recurrit ad omnipotentissimam voluntatem Dei, & non ad præscientiam finis, vel euentum, sicut fusè obseruabimus primâ secundæ, vbi de efficacia primæ gratiæ.

Deinde ad eandem rationem responderi potest distinguendo maioré de volitione, sub ratione *nostri finis*, & de volitione finis, sub ratione *finis alterius*, per modú præmij, stipendij

III. & mercedis: quando nobis finem volumus sub ratione nostri finis, tunc nos priùs velle efficaciter ipsum finem, quàm media; quando verò volumus alteri finem, & per modum præmij, tunc nostra volur tas priùs fertur efficaciter in laborem, & meritum, quod postulamus, quàm in eius mercedem, & noster affectus mercedis est ex ipso affectu laboris, vt patet ex eo, quòd aliquando ita ardenter volumus opus artificis, vt licet conueniamus de pretio, nihilominus, ex quadam liberalitate, aliquid supererogationis polliceamur ei, si perficiat opus suum citiùs, quàm ipse promiserit: at Deus vult gloriam Angelis, & hominibus sub ratione præmij & mercedis.

Addi potest etiam iuxta priorem sententiam, aliqua media esse à Deo efficaciter voli-

IV. ta, absque præcedenti volitione efficaci ipsius finis: nam Deus voluit efficaciter aliquibus reprobis primam gratiam vocantem, certum enim est aliquos ex reprobis fuisse aliquando in statu gratiæ iustificantis, à quo tales exciderunt, quibus tamen non dicitur Deus anteà voluisse efficaciter, voluntate consequenti absolutâ, & omnimodè efficaci, vitam, seu gloriam æternam, cùm sint damnati in æternum: ergo non est vniuersaliter, & simpliciter loquendo verum, omnem, qui vult efficaciter medium, etiam velle efficaciter ipsum eius finem vltimum, antequam velit ipsa media.

Tertiò posset adhuc responderi, tunc non esse necesse eum, qui vult efficacia media ad aliquem finem, priùs velle alteri efficaciter ipsum finem, quando vsus, & applicatio me-

A diorum pendet ab aliquo alio agente libero; V.
vt enim tunc consecutio efficax istius finis, etiam dependet ab isto, sic etiam posset ei ita velle media efficacia, vt tamen, accommodatè ad modum eius agendi, respiciant ipsum finem in executione; sicque ab illo dependeant, & propterea Deus tunc potest illa velle efficaciter, eligendo ea independenter ab homine, sine quo tamen non intendat efficaciter finem, quia hæc intentio, quoad executionem, pendet etiam ab homine.

Atque ex iis responsionibus facilè intelligitur primam illam prædictam rationem aduersariorum, hoc modo formatam, vt à nonnullis recentioribus proponitur, non esse maioris ponderis, quàm dum formatur modo illo, quo eam proposuimus; sic autem isti re-

B centiores eam formant: qui ordinatè, & naturis rerum conformiter, sibi, aut alteri vult finem, & media, priùs efficaciter vult, & intendit finem, quàm eligat, vel respiciat media, si modò & finis ipse cum mediis sit in potestate eiusmodi volentis, & finis ille simul sit quiddam secundùm æstimationem, etiam operantis, seu volentis potiùs, seu principaliùs, quàm media; atqui gloria æterna habet se, vt finis hominum respectu meritorum, & est quiddam potiùs, magisque principaliter à Deo intentum, quàm merita, & vtraque sunt plenissimè constituta in potestate Dei: ergo cùm voluntas Dei respectu gloriæ, & meritorum sit optimè ordinata, & conformis eorum naturæ, & hominum, prior est in Deo intentio, seu voluntas efficax gloriæ, quàm præscientia, aut etiam electio meritorum, seu prædestina- VI.

C tio mediorum, & ex consequenti, Deus priùs vult illis gloriam æternam, quàm præuideat bona eorum opera. VII.

Potest, inquam, intelligi hanc rationem sic dispositam non esse maioris ponderis: nam omnes illæ distinctiones, secundùm quas diximus maiorem in prima dispositione esse intelligendam, habent etiam locum in maiori propositione, iuxta hanc posteriorem dispositionem: prima quidem, quia hæc necessitas volendi priùs finem, habet etiam duntaxat locum in eo agente, quod non est perfectè cognoscens, qualis non est Deus: hæc enim prioritas intendendi finem ante media fundatur in eo, quòd agens debeat moueri à bonitate finis ad volendum media, & etiam in eo, quòd non satis probè nouerit efficaciam mediorum, & connexionem eorum ad suum

D finem; quorum neutrum reperitur in Deo, etiam prout vult primam gratiam, & bona opera creaturæ rationali. VIII.

Deinde Deus ita vult homini æternam gloriam, vt eam velit ei, in ratione præmij & stipendij, & quidem, vt vltimum finem hominis, sed non vt proprium vltimú finem ipsius Dei, quin potiùs tanquam aliquod eius medium. Item beatitudo est ita aliquid principalius operibus meritoriis, comparatione rationalis creaturæ, vt tamen, quatenus illa est bonum talis creaturæ, non sit aliquid principalius, respectu diuinæ voluntatis: hæc enim primò, per se, & principaliùs, respicit increatam bonitatem Dei, & Deus vult tantùm opera meritoria hominum, vt beatitudo ponatur, tanquam aliquis moralis effectus illorum, & non propter illam loquendo pro-

I. priè in genere causæ suæ finalis.

Tertiò, bona opera, & æterna beatitudo eius, qui prædestinatur à Deo, ita sunt in plenissima, & absolutissima potestate Dei, vt tamen Deus velit ista omnia creaturæ rationali, modo ei conuenienti, nimirum, vt agenti libero, & debenti liberè applicare media, ad sibi comparandum talem finem: vnde tunc non est necesse Deum priùs velle ei efficaciter vitam æternam, quàm bona opera, quibus, per modum laboris, illam assequatur, vt mercedem, & finem suum vltimum.

Ad confirmationem petitam ex sancto Augustino, respondetur eum ibi agere tantùm de prima gratia efficaci: & quoniam eius congruitas consistit etiam in accommodatione illius ad eum, qui vocatur, vt docebimus primâ secundæ agẽdo de gratia efficaci, & hæc, vt est
II. exterior, consistit in quibusdam signis exterioribus, aut verbis, quæ sunt valdè congrua mentibus eorum, qui vocantur, vt ibidem docet; ideò rectè ait eiusmodi signa exteriora non fuisse à Deo data Tyriis & Sidoniis, quia non vocabantur à Deo illa singulari gratiâ efficaci vocante, per quam incipiunt discerni à massa perditionis: vnde sensus sancti Augustini non est, vt volunt auctores prioris sententiæ, Deum primò eligere ad fidem, quos vult credere, & deinde illis decernere media, quibus credant; sicque priùs illis velle efficaciter finem suum vltimum, seu gloriam æternam, tum media ad istum finem: sed sensus eius est, ex defectu formalis causæ vocationis exterioris, & ex illius denegatione, ostendere carentiam formalis & proprij eius effectus,
III. qui est credere ex præuenienti gratia; sicque hæc particula, *vnde*, in isto loco sancti Augustini, est duntaxat *causalis*, iuxta hunc sensum.

ARTICVLVS X.

Soluuntur quatuor aliæ rationes aduersariorum.

SECVNDA ratio contrariæ sententiæ auctorum est eiusmodi: electio Christi Domini & eius prædestinatio est exemplar prædestinationis hominum, vt S. Augustinus docet libro *de prædestinatione Sanctorum* capite decimo quinto; sed electio Christi Domini ad gloriam non est facta ex præuisione meritorum eius, vt omnes Theologi docent cum sancto Thoma tertiâ parte quæstione decimâ
IV. nonâ: igitur nec etiam ipsa electio hominum ad gloriam est facta ex præuisis eorum meritis.

Respondetur ex sancto Thoma tertiâ parte quæstione vigesimâ tertiâ, prædestinationem Christi Domini esse exemplar nostræ prædestinationis quoad terminum, & effectum, seu secundùm illud bonum ad quod aliquis prædestinatur; nam quemadmodum humanitas Christi Domini est prædestinata ad vnionem hypostaticam, ratione cuius Christus Dominus est naturalis filius Dei; ita nos prædestinati sumus ad filiationem adoptiuam Dei: est etiam Christus Dominus aliquo modo exemplar nostræ prædestinationis ad primam gratiam, sine aliquibus nostris meritis, non est tamen nostra prædestinatio similis prædestinationi Christi Domini, quoad omnia, quia,

A vt rectè S. Thomas ait suprà, non est necesse, V.
vt exemplatum conformetur exemplari, quãtum ad omnia: vnde & in eo, de quo præsens quæstio mouetur, non debet esse similis prædestinationi Christi Domini: nam Christus Dominus fuit beatus à primo instanti, nec vlla merita præcesserunt eius beatitudinem, quibus illam sibi promeruerit: at nos, & illam nobis promeremur, & etiam nascimur *filij iræ*.

Tertia ratio: si electio ad gloriam est facta ex præuisis meritis; vel ex vno, & altero merito, vel ex perseuerantia in merito vsque ad finem vitæ: non ex primo, aliàs enim omnes, qui habent vnum, aut alterum meritum, essent electi ad gloriam, cùm tamen constet plures excidisse à gratia sanctificante, in qua satis diu vixerant, & esse mortuos in peccato
B mortali: non item ex secundo, quia homo VI.
non meretur perseuerantiam in bono, vt Theologi docent primâ secundæ agendo de merito.

Respondetur, prædestinationem non esse factam præcisè ob vnum, aut alterum meritum, sed ob merita, quæ durant vsque ad finem vitæ, siue illa sint plura, siue vnum duntaxat, dummodo homo moriatur in gratia satis est, vt ex vi illius prædestinetur.

Ad id verò quod affertur de merito perseuerantiæ, respondetur perseuerantiam sumptam pro illo speciali dono, quo quis infallibiliter, & de facto perseuerat, non cadere sub meritum iusti hominis *de condigno*, sed tantùm *de congruo*, vt docebimus ex sancto Augustino, primâ secundæ, ad quæstionem 114. agendo de merito.

C Quarta ratio: si electio ad gloriam fiat ex VII.
præuisis meritis: ergo datur aliquid in ipso prædestinato, quo se discernat à reprobo, contra illud Apostoli, *quis te discernit*: nam dicet sua merita eum discernere à reprobo, quæ merita sic sunt à gratia excitante, & adiuuante Dei, vt tamen sint à libero etiam eius consensu.

Confirmatur: posito, quòd hæc electio fiat tantùm ex præuisis meritis, iam deputatio ad gloriam, non tam erit à Deo, quàm ab ipsis hominibus: nam ad hanc deputationem habebit se tantùm indifferenter, quia totum illud prouenit ex ipsa hominum cooperatione; ex eo enim, quòd illi benè vtantur mediis sibi præparatis à Deo, fit, vt sint prædestinati, & ex eo, quòd malè vtantur illis, fit vt sint re-
D probi: ergo quemadmodum ipsa cooperatio VIII.
est ab illis, sic & ipsa eorum destinatio ad gloriam; & sicut Deus neminem cogit ad benè agendum, sed tantùm prouocat, & adiuuat, sic etiam Deus, ad summum, prouocabit tantùm ipsos homines, vt illi ordinent se ipsos in beatitudinem: hoc autem totum est contra sacras Litteras, quæ tribuunt soli Deo electionem hominum, vt apud S. Ioan. sexto capite, *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: item *ad Romanos* 8.

Respondetur ex nostra sententia non sequi esse aliquid in ipso prædestinato, quo seipsum discernat à reprobo: nam prima gratia, quâ primùm discernitur à non iusto, est illi concessa ex mera liberalitate Dei; item consensus in primam gratiam, quo dicitur discernere se à peccatore, se ipsum facere vas in hono-

I. rem, ita est ab eius voluntate, vt tamen ab ea non sit, prout agit per vires tantummodò suas naturales, sed vt eleuatur, & adiuuatur per speciale auxilium Dei: vnde cùm & iste consensus sit etiam ex speciali supernaturali auxilio Dei, homo ille non tam discernit seipsum à reprobo, quàm ipsum met beneficium Dei eum discernit; & ideò rectè Apostolus primæ *ad Corinthios* quarto ait, *quis te discernit, quid autem habes, quod non accepisti, si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* neque etiam homo iste discernit seipsum per alia bona opera, quæ sequuntur ipsam iustificationem; vt enim hæc sunt ordinis supernaturalis, sic & habet illa à Deo, & ita obtinet illa, & in illis perseuerat per merita iustitiæ, vt tamen semper hæc omnia fiant ex gratia Dei excitante, & adiuuante, quâ ratione non habet

II. aliquid in seipso tanquam à seipso, in quo possit gloriari, & quo seipsum discernat ab alio, qui est reprobus.

Ad confirmationem: negatur, ex electione ad gloriam facta ex præuisione meritorum, sequi illam magis esse ab ipsis hominibus, quàm ab ipso Deo, quia & consensus in gratiam vocantem, & ipsa ad eum dandum excitatio, est à Deo, per gratias excitantem, & adiuuantem: vnde Deus non habet se indifferenter ad prædestinandum, sed actiuè, cùm nos excitet & adiuuet supernaturaliter, ad inquirendum, & adipiscendum finem vltimum supernaturalem, modo tamen rationali, nimirum requirendo etiam hac in re consensum nostrum: quando verò sacræ Scripturæ tribuunt soli Deo electionem nostram sine

III. vllis nostris meritis, loquuntur tantùm de electione ad primam gratiam, vel de electione sancti Petri, & aliorum discipulorum, ad dignitatem Apostolatus, vt illud Christi Domini apud sanctum Ioannem 6. cap. *non vos me elegistis, sed ego vos.*

Quinta ratio: sanctus Paulus *ad Romanos* nono dum quæritur ab eo, cur Deus vnum ex duobus assumat in vitam æternam, & relinquat alterum, sic ait: *ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliquod vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* & cap. 11. exclamat: *ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* & sanctus Augustinus libro *de dono perseuerantiæ*, capite octauo, reuocat in inscrutabile iudicium Dei, quòd ex duobus

IV. piis hominibus, huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi verò non donetur: at posito quòd hæc electio fiat ex præuisis meritis, eiusmodi admiratio & difficultas omninò tollitur: nam statim respondebitur rationem, quòd hic vocatus sit electus ad vitam æternam, alter verò minimè, prouenire ex eo quòd vnus habeat merita, & sic cooperatur vocanti gratiæ, & sese in ea exercuerit, alter verò minimè: ergo cùm tam sanctus Paulus quàm sanctus Augustinus non frustrà recurrant in inscrutabile iudicium Dei, quantum spectat ad hanc difficultatem; & cùm vt sic recurramus nihil aliud nobis suppetat, quàm asserere id totum pendere ex liberali voluntate Dei, concludendum est electionem hominum ad gloriam esse ex sola liberali voluntate Dei.

A Respondetur sanctum Paulum *ad Romanos* nono, quando ait, *ô homo tu quis es*, &c. loqui de prima discretione à massa perditionis per electionem ad primam gratiam; hâc enim exclamatione docet rationem factorum non esse exigendam à Deo, cùm ille habeat summum ius in omnes, & nos per peccatum originale simus constituti in massa perditionis, in qua poterat ex rigore iuris nos relinquere; sicque neminem posse iustè conqueri, quòd ex tali massa liberet hunc, per primam gratiam specialiter efficacem; istum verò relinquat, non dando ei gratiam tam specialem: sic sanctus Augustinus *in Enchiridio ad Laurentium* capite nonagesimo nono, & libro *de prædestinatione Sanctorum* capite octauo explicat hanc exclamationem Apostoli. V.

B Ad auctoritatem sancti Augustini ibi allatam respondetur, eum ibi loqui de prima gratia illa, quæ singulari quodam modo est efficax: atque nobis esse *inscrutabile*, cur Deus det illam huic in particulari potiùs, quàm aliam gratiam non ita congruam: vnde, cùm nulla in ipsis hominibus præcesserint merita, vel demerita, in quæ, tanquam in veram aliquam causam possit istud reuocari, vt Massilienses & Pelagiani contendebant; sanctus Augustinus ait, quoad hanc quæstionem, esse recurrendum ad inscrutabile iudicium Dei: ibi autem sanctus Augustinus non agit de electione ad gloriam, de qua mouetur præsens quæstio. VI.

Sexta ratio: si Deus eligit hominem ad gloriam propter opera præuisa, iam Deus diligit hominem, quia homo est præuisus dilecturus

C Deum; amor enim hominis ad Deum mouet Deum, vt eum eligat ad vitam æternam, & sic amor creaturæ erga Deum est prior amore Dei erga creaturam: at hoc est contra Apostolum *ad Romanos* vndecimo, & contra S. Ioannem primâ suâ canonicâ capite quarto. VII.

Respondetur dilectionem illam, quâ Deus ordinat prædestinatum in vitam æternam, præsupponere quidem dilectionem, quâ homo diligat Deum, nec tamen dilectionem hominis præsupponi ad quamcumque dilectionem Dei: nam si agatur de prima omnium dilectione, Deus priùs diligit hominem, quàm homo diligat Deum, Deus enim priùs dat homini primam gratiam, quâ excitetur ad amandum Deum, & ad id eum adiuuat, quàm ipse homo diligat Deum, ex amore supernaturali; & de isto amore intelligendus est sanctus Ioannes primâ suâ canonicâ capite quarto, &

D sanctus Paulus *ad Romanos* vndecimo, cum quo tamen amore stat, quòd Deus prærequirat in nobis aliquam dilectionem, ex vi cuius moueatur ad conferendum nobis æternam gloriam. VIII.

ARTICVLVS XI.

Soluitur vltimum aduersæ sententiæ fundamentum à ratione petitum.

VLTIMA ratio aduersariorum hæc est: electio mediorum efficacium facta absolutè & non tantùm conditionatè præsupponit in ipso eligente efficacem volitionem finis mediorum eiusmodi, quia *propter quod vnum quodque tale & illud magis:* atqui Deus absolu-

I. tè & non sub cõditione eligit media efficacia, quibus deducat prædestinatos ad gloriam æternam; prædestinatio enim distinguitur à communi prouidentia, seu generali penes infallibilitatem mediorum, & hæc media sunt bona opera prædestinatorum: ergo talis eorum efficax electio, facta absolutè à Deo præsupponit in illo efficacem volitionem gloriæ æternæ ipsis prædestinatis, & ex consequenti bona opera prædestinatorum non sunt causa electionis eorum efficacis ad gloriam.

Confirmatur: qui priùs in aliquo signo rationis nouit hæc media esse efficacia & infallibilia ad assequendum hunc finem, alia verò esse quidem sufficientia, non tamen efficacia & infallibilia, & postmodum decernit ex duabus personis distinctis vni efficacia, & alteri tantùm sufficientia, dum decernit efficacia
II. huic potiùs quàm alteri, habet specialem aliquem amorem erga eum quem non habet circa alterum; sed Deus antequam absolutè decernat dare huic & isti hanc & illam gratiam, nouit per suam scientiam *simplicis intelligentiæ* hanc & illam gratiam fore huic efficacem, & infallibilem, istam verò fore inefficacem alteri: deinde absoluto decreto suæ voluntatis decernit dare sancto Petro hanc gratiam quæ est efficax, istam quæ est inefficax Iudæ: ergo Deus habet specialem aliquem amorem erga Petrum, quem non habet erga Iudam; sed amor ille specialis non potest esse aliud quàm volitio efficax dandi ei gloriam, & non ex præuisione bonorum operum, quia tunc nulla talis præuisio antecedit: ergo est ex liberalitate pura Dei; sícque efficax
III. electio ad gloriam fit ex mera Dei liberalitate, & non ex præuisis meritis.

Respondetur patere solutionem ex dictis ad primam rationem: vbi enim animaduertimus nihil creatum, quodcumque illud sit, exercere causalitatem finalem circa diuinam voluntatem, sed hoc conuenire tantùm bonitati creatæ, per respectum cuius, omnia creata sunt tantùm quædam media: istud autem axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis,* non posse habere locum in præsenti negotio, iuxta primam responsionem ibi allatam, patet ex eo quòd vna ex conditionibus requisitis ad veritatem istius axiomatis, sit, vt illud, in quo fit comparatio, conueniat vni ratione alterius, vt interpretes Aristotelis obseruant libro primo *posteriorum*, vbi disputant, an in demonstratione magis assentia-
IV. mur principiis, quàm conclusioni, & potest intelligi ex sancto Thoma primâ parte quæstione octogesimâ septimâ articulo secundo in responsione ad tertium: at iuxta primam responsionem finis ipse vltimus hominis non est ipsi Deo, vtpote perfectissimè cognoscenti, ratio volendi primam gratiam, vel etiam secundam eiusmodi homini, vt ibi explicatum est. Aliæ autem solutiones ibi positæ pro prima ista ratione, possunt etiam facilè accommodari huic vltimæ rationi auctorum prioris sententiæ.

Ad id autem quod dicitur, scilicet prædestinationem esse prouidentiam specialem distinctam à communi prouidentia penes infallibilitatem mediorum, respondetur, vt collatio primæ efficacis gratiæ, & aliorum eiusmodi beneficiorum dicatur pertinere ad specialẽ

A prouidentiam Dei, non esse necessarium illam procedere ex speciali efficaci omnimodè absoluta & expressa, seu formali intentione dandi isti homini infallibiliter vitam æternam, cùm Deus non moueatur à tali fine ad volendum illam, vt animaduertimus: sed ad id sufficere, quòd Deus conferat homini dona eiusmodi specialia. V.

Ad confirmationem respondetur, verum quidem esse, vt probat hæc ratio, Deum conferendo specialem gratiam, quam anteà nouit per scientiã *simplicis intelligentiæ*, esse efficacem, habere aliquem specialem affectum amoris erga eum, cui dat talem gratiam, quem affectum non habet ita specialem erga alterum, cui dat gratiam solummodò sufficientem: & potest confirmari ex doctrina sancti Augustini, qui passim scribens contra Pela-
B gianos & Semipelagianos, vocationem hominum per gratiam efficacem appellat *altam*, VI.
&, post Apostolum *ad Romanos* octauo, *vocationem secundùm propositum Dei*, ipsos item prædestinatos, vocatos *secundùm propositum Dei*; aliorum autem vocationem, per gratiam duntaxat sufficientem, appellat vocationem *non secundùm propositum*: cuius appellationis ratio hæc potest esse, quòd, sicut propositum dicit aliquem specialem actum voluntatis, ita etiam Apostolus & sanctus Augustinus velint Deum, sic conferendo primam gratiam ita efficacem aliquibus, habuisse erga illos specialem aliquem amorem: negamus tamen inde sequi amorem hunc esse formaliter, vel efficacem electionem istorum hominum ad gloriam, vel præsupponere formaliter in Deo absolutam aliquam voluntatem gloriæ æter-
C næ erga illos: cuius rei hæc est ratio, quòd VII.
tunc tantùm volitio Dei dicitur esse formaliter talis, & talis obiecti, quando illa sese formaliter ad illam vt talem terminat, quemadmodum patet ex dictis de decreto libero Dei, & de formali eius ratione; at Deus, pro illo signo rationis, vel in aliquo alio priori, non terminat formaliter suam volitionem ad æternam gloriam prædestinatorum, vt illis efficaciter volitam, sed ex pura tantùm & insigni quadam liberalitate, ad illam *altam*, & secundùm *Dei propositum* gratiam vocantem, & ad alia eiusmodi beneficia specialia, cùm moueatur à sola sua increata bonitate ad volendum illa, & non à creata bonitate vitæ æternæ, vt ostendimus.

Addidi inter respondendum hanc particu-
D lam, *formaliter*, quia si agatur tantùm de vir- VIII.
tuali volitione alicuius effectus in sua causa, quia hæc specialia beneficia gratiæ, quæ sunt propria prædestinatorum, continent virtualiter perseuerantiam, & gloriam æternam, fatemur Deum, sic vocando hominem, & ei conferendo hæc specialia beneficia gratiæ, tunc intendere virtualiter, & inchoatiuè hominibus sic vocatis æternam gloriam, quatenus in volitione absolutè efficaci mediorum similiter efficacium, ipsa volitio finis correspondens eis continetur virtute & inchoatiuè: ex quo tamen non potest inferri Deum formaliter voluisse istis hominibus æternam gloriam, ante præuisa merita; sed solùm potest inferri, id in quo perseuerantia, & gloria continentur virtualiter, esse à Deo formaliter volitum, ante vlla merita, etiam præuisa,

I. quod non impedit, quin Deus, poſt præuiſionem illorum, voluerit, & intenderit formaliter æternam gloriam, vt coronam, & præmium eiuſmodi meritorum.

Quomodo autem ex illa cognitione, quâ Deus per ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, vel etiam *viſionis*, nouit gratiam, duntaxat ſufficientem non habituram reipſa, ſiue effectum ſiue conſenſum huius & iſtius hominis, verbi gratiâ Iudæ, non poſſit inferri Deum nolle illi æternam gloriam, explicabitur agendo de reprobatione, & cauſa illius.

ARTICVLVS XII.

Vtrum merita puri alicuius hominis poſſunt eſſe aliquo modo cauſa prædeſtinationis alterius, vel illam iuuare.

SIT hæc vnica propoſitio. *Omnibus modis qui-*
II. *bus vnus ſanctus poteſt alteri promereri primam gratiam* de congruo, *& alia media aſſequendæ vitæ æternæ, poteſt etiam* de congruo *promereri alteri prædeſtinationem.* Probatur: prædeſtinatio nihil eſt aliud quàm ſeries aliqua beneficiorum iuſtificationis, etiam includendo vltimam vitæ periodum, ſi conſideretur, vt *completa*; atqui fieri poteſt, vt iuſtus aliquis viator promereatur alteri *de congruo* primam vocantem gratiam, item augmentum gratiæ habitualis, aliquod exercitium bonorum operum, item frequenti repetitione feruentis ſuæ orationis, felicem periodum vltimam vitæ, & aliquam perſeuerantiam proximi in gratia habituali: ergo aliquis iuſtus poteſt *de congruo* promereri alicui alteri prædeſtinationem, vel etiam illam iuuare ſuis
III. precibus. Maior ſatis patet ex ſe.

Minor probatur primò ex orationibus Eccleſiæ in celebratione miſſarum, quibus à Deo petimus proximis charitatem, humilitatem, & cætera id genus dona, quæ etiam perſeuerent vſque ad exitum vitæ, etiam excluſiuè: ergo cùm Eccleſia quæ regitur à Spiritu ſancto, non poſſit malè orare, prædeſtinatio etiam completa poteſt cadere ſub meritum *de congruo*, alicuius *inſigniter* ſancti, & perſeueranter, feruenter & fideliter orantis pro proximo. Item ex ſancto Auguſtino libro *de dono perſeuerantiæ* capite vigeſimo ſecundo, cur inquit, non potiùs ita dicitur, *Etſi, qui ſunt nondum vocati, pro eis vt vocentur, oremus, fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt vt noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam,*
IV. *quâ velint & efficiantur electi.* Item ex eodem S. Auguſtino ſermone primo *de ſancto Stephano: ſi Stephanus ſic non oraſſet*, inquit, *Eccleſia Paulum non haberet.*

Fauet ratio: congruum eſt, vt Deus exaudiat orationes ſuorum amicorum, iuxta illud Pſalmiſtæ, *voluntatem timentium ſe facis & deprecationem eorum exaudis:* ſed ſancti ſunt amici Dei, ſic enim vocantur paſſim in ſcriptura, & illi ſæpe orant Deum, vt dignetur dare peccatoribus primam gratiam vocantem, vt patet ex locis citatis: item vt det augmentum gratiæ & gloriæ, perſeuerantiam in bonis operibus & felicem diſceſſum ex hac vita, vt videre eſt tam in epiſtolis Apoſtolorum, quàm in orationibus Eccleſiæ.

Obiicies primò, Concilium Arauſicanum canone tertio damnare eum, qui dicit gratiam

A Dei conferri ad inuocationem humanam; V.
quod etiam anteà damnarat S. Auguſtinus libro *de dono perſeuerantiæ* capite decimo ſexto; at orationes ſanctorum, & eorum merita ſunt quædam inuocationes humanæ.

Reſpondetur, in illo canone Arauſicano & loco ſancti Auguſtini per inuocationem humanam, non intelligi orationem factam in gratia & ex gratia Chriſti Domini, ſed ex ſolis viribus naturæ, ex cuius efficacia, Maſſilienſes volebant Deum dare gratiam; quod ibi condemnatur à Concilio, & S. Auguſtino; nos autem hîc loqui de illis ſolùm orationibus ſanctorum, quæ ſunt ex gratia & in ſtatu gratiæ Chriſti factæ.

Obiicies ſecundò: ſi vnius prædeſtinatio iuuetur meritis & orationibus iuſtorum: ergo prædeſtinatio alicuius hominis, conſiderata ſecundùm ſe totam, non erit ex mera volunta-
B te Dei, ſed habebit aliquam ſui cauſam in VI.
creatura, contra Patres & Theologos, apud quos idem eſt, poſſe mereri primam gratiam & mereri prædeſtinationem ſeu diuinam electionem, vt videre eſt apud S. Auguſtinum libro *de dono perſeuerantiæ*, cap. 1. & 14. & facilè probatur.

Quicunque enim meretur donationem primæ gratiæ, meretur & præparationem æternam iſtius gratiæ; nam ſi donatur ob noſtrum meritum, etiam præparatur ob noſtrum meritum, ex ſancto Auguſtino nunc relato; ſed prima gratia, augmentum gratiæ ſanctificantis, gloriæ, & perſeuerantia in bonis operibus, cum felici exitu ex hac vita, datur ex orationibus ſanctorum, iuxta noſtram reſponſionem: ergo & prædeſtinatio hominis ad gloriam, imò
C quoad omnes ſuos effectus, fiet ex merito VII.
alicuius puræ creaturæ, & non ex ſola voluntate gratuita Dei.

Reſpondetur, quando Patres negant prædeſtinationem habere aliquam cauſam, vel occaſionem quoad omnes ſuos effectus, loqui tantùm de ipſo prædeſtinato, ita vt velint in eo nihil eſſe, quod fuerit cauſa Deo cur illum prædeſtinauerit ad primam gratiam; non autem id intelligunt de quolibet alio iuſto, qui diſtinguitur ab eo qui tunc prædeſtinatur: nam certum eſt ex Apoſtolo *ad Romanos* octauo, ad *Epheſios* primo, & ex omnibus Theologis tertiâ parte quæſtione decimâ nonâ & vigeſimâ quartâ, nos fuiſſe prædeſtinatos in Chriſto ad primam gratiam; item remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ & gloriæ &
D ipſam gloriam nobis dari, ſicut & gratiam habitualem, ex meritis Chriſti. VIII.

Addi etiam poteſt, quòd licet talis gratia detur ex merito Chriſti Domini, vel ex meritis, & precibus ſanctorum fundatis in gratia Chriſti, non deſinit dari ex gratuita voluntate Dei, quatenus prima illorum omnium radix eſt ex mera gratuita voluntate Dei: vis enim illa gratiæ Chriſti Domini fundatur in vnione hypoſtatica, etiam reſpectu Chriſti, facta merè gratuitò, vt Auguſtinus docet libro *de prædeſtinatione ſanctorum*, capite decimo quinto: igitur ſemper prædeſtinatio hominum, ſumpta ſecundùm ſe totam, & omnes ſuos effectus, eſt facta merè gratuitò, in prima ſua cauſa & radice omnium ſuorum effectuum. Chriſtus tamen in eo differt à cæteris ſanctis, quòd id habeat reſpectu omnium, adeò-

I. que sacris in Scripturis vocatur *caput corporis Ecclesiæ, ad Colossenses* primo, & *Ephesiorum* primo, *caput super omnem Ecclesiam*, & ibidem dicimur *prædestinati per Iesum Christum in ipsum:* at sancti circa vnum aut plures, non tamen circa omnes.

Deinde, quòd Christus Dominus id habeat ex vi suorum meritorum, præsupposito pacto Dei, quæ eius merita non fundantur in meritis alicuius alterius: sancti verò in suis quidem meritis, non tamen sumptis præcisè vt sunt ab illis, sed vt fundantur in meritis Christi Domini, à quibus suam mutuantur efficaciam, vt palmites ab ipsa vite, iuxta illud Christi apud Ioannem decimo quinto capite: *ego sum vitis & vos palmites, & sine me nihil potestis facere.*

II. B

DISPVTATIO QVINTA.

De effectibus prædestinationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quænam sint conditiones & quot effectuum prædestinationis.

HACTENVS egimus de natura, diuisione, causis ipsius prædestinationis, nunc de eius effectibus est agendum: & quia prædestinatio incompleta est duplex: vna *ad primam gratiã*, & ad alia beneficia gratiæ, quibus homo certissimè liberatur; altera *ad gloriam:* Primò quæri potest, quidnam sit *esse effectum*
III. C *prædestinationis:* &, *cuius incompleta prædestinationis* sint effectus ea, quæ post modum explicabuntur, tanquam effectus eius.

Ad primum respondetur, illud nihil esse aliud, quàm habere aliquo modo ortum suum à decreto, quod ipsa prædestinatio importat: nam effectus præcisè, & formaliter sumptus, seu quatenus effectus, est de genere relatorum: ergo, quod est, & denominatur propriè effectus, debet esse formaliter tale, & dici in ordine ad causam: ergo illa, quæ formaliter, & propriè dicuntur esse effectus prædestinationis, debent esse, & dici talia, per ordinem ad illud decretum, quod ipsa prædestinatio formaliter importat, & ex consequenti, habere aliquo modo suum ortum ab illo: ergo il-
IV. D lud dumtaxat potest esse, & dici, loquendo propriè, aliquis effectus prædestinationis ipsius, quod ex illa sequitur.

Ad secundum primò respondetur, sumendo prædestinationem, pro sola efficaci electione *ad gloriam æternam*, tunc iuxta primam solutionem articulo nono præcedentis disputationis traditam ad primam rationem aduersariorum sententiæ, nullum loquendo propriè dari effectum prædestinationis.

Probatur hæc nostra responsio: quia, ex nunc dictis, vt aliquid sit proprius effectus prædestinationis, debet habere suum ortum à firmo illo decreto, quod formaliter importatur nomine prædestinationis: sed nihil eorum, quæ à Theologis recensentur, vt effecta prædestinationis, habet suum ortum ab ipsa electione efficaci ad gloriam, quatenus hæc præ-
A scindit ab altera prædestinatione incompleta, V.
quia, iuxta nostram sententiam, hæc electio ad gloriam est ex præuisione meritorum, & ex consequenti post illam; posterius autem volitum non potest esse ratio, cur, quod est illo prius volitum, sit formaliter volitum: tum etiam quia Deus, cùm sit perfectissimè cognoscens, non vult media, ex formali volitione antecedenti volitionem eius, quod dicitur esse medium consequendo ipsi fini.

Secundò respondetur, sumendo prædestinationem pro incompleta, seu pro efficaci decreto *ad primam gratiam efficacem*, seu, ad altam illam, secretam, & secundùm propositum Dei vocationem, tunc, loquendo propriè, aliqua esse illius effecta, seu quædam poni in rerum natura, quæ habeant suum ortum ab illa, vt patebit ex dicendis infrà.

Addidi in prima responsione ad secundum
hanc particulam, *si sequamur primam responsionem ad primam rationem aduersariorum sententiæ*; nam, sequendo illas alias, quæ præsupponunt aliquem affectum Dei, saltem simplicem, & intentionem non omnimodè, & absolutè efficacem erga homines de danda illis vita æterna, dici potest illa, quæ dicuntur effectus prædestinationis, posse conformiter ad istam responsionem, dici aliquo modo effectus prædestinationis sic sumptæ, seu electionis ad gloriam, quatenus dantur ex aliqua intentione illius, vt ibi explicatum est. Hoc præmisso, VI.

Respondetur ad difficultatem propositam articulo præsenti, omnes conditiones eiusmodi effectuum posse reuocari ad quatuor. Prima est, *quòd sint à Deo, vt prædestinante, & aliquâ ratione originentur in decreto Dei.* Secunda,
vt pertineant ad ordinem supernaturalem. Tertia, *vt sint ex gratia Christi.* Quarta & vltima, *vt non tantùm aptitudine. sed etiam, vt per illam, beatitudo æterna habeatur de facto, & sic conducant ad illam.* VII.

De prima conditione, patet ex præmissis ad hanc responsionem, & satis intelligitur ex definitione prędestinationis allata superiùs ex S. Augustino, scilicet *præparatio beneficiorum gratiæ, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur:* nam S. Augustinus ibi, per *beneficia gratiæ*, intelligit effecta prædestinationis, & per *præparationem*, decretum illud prædestinationis: item ex eo quòd lib. *de prædestinatione sanctorum*, capite decimo ait, *hoc interesse inter prædestinationem, & gratiam, quòd prædestinatio sit præparatio gratiæ, gratia autem*
ipsa donatio. VIII.

Confirmatur ampliùs ex Apostolo *ad Romanos* octauo, ponente seriem effectuum prædestinationis: vbi enim posuit decretum eius, statim subiungit, *Hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Deinde, omnis ille effectus, quo aliqua creatura ordinatur, & dirigitur, debet esse alicuius diuinæ prouidentiæ sibi correspondentis, & ab illa repetere suum ortum; quidquid enim sic dirigitur, per prouidentiam Dei dirigitur: sed omnia, & singula, quæ recensentur tanquam effecta prædestinationis, sunt specialis prouidentiæ supernaturalis, & condistinctæ à communi, & generali prouidentia, & decretum prædestinationis pertinet ad specialem illam supernaturalem prouidentiam: igitur illa omnia, quæ

I. dicuntur effecta prædestinationis, debent A
esse, & oriri à tali decreto.

De secunda conditione patet: nam eo ipso, quo prædestinatio est ad aliquid supernaturale, puta ad gratiam iustificationis, quæcumque dantur, vel ad disponendum ad illam, vel ad obtinendum illam, vel ad conseruandum, & faciendum illam iam obtentam, & ad ponendum vltimum eius effectum, debent similiter esse ordinis supernaturalis, vt sic legitima & conueniens proportio seruetur.

De tertia conditione probatur ex illo Apostoli *ad Ephesios* primo loquentis de Deo, *prædestinauit nos per Iesum Christum*, &c. Et Christum Dominum esse causam finalem, & meritoriam nostræ prædestinationis, docent Theologi ex professo tertiâ parte q. 24.

De quarta conditione probatur ex illa particula definitionis prædestinationis, relatæ
II. suprà ex S. Augustino, *quibus certissimè liberantur*; nam denotat efficaciam infallibilem eiusmodi effectuum prædestinationis, & vim illorum non tantùm esse in aptitudine, sed etiam in actu exercito practicam, dum reipsa applicantur. Deinde, effectus ipsi debent correspondere decreto importato per prædestinationem, sicut suæ causæ: at decretum hoc est absolutè simpliciter & omnimodè efficax: ergo & ea quæ habent rationem effectus comparatione illius, debent infallibiliter, actu, & de facto inseruire beatitudini acquirendæ: vbi tamen

Notandum est, modum illum inseruiendi fore sufficientem, si illud, quod est talis effectus, inseruiat aliquo modo, siue dispositiuè tantùm, siue effectiuè meritoriè de congruo,
III. vel de condigno, siue proximè, siue tantùm remotè, siue remouendo impedimenta, quæ possent obsistere assecutioni vitæ æternæ, siue præstando aliquid aliud, quod reipsa proficit ad æternam beatitudinem, quatenus acquiritur actu: sic enim colligimus ex illo Apostoli, *omnia cooperantur in bonum iis, qui vocati sunt secundum propositum Dei.*

Et per hanc conditionem excluduntur à numero & ratione effectuũ prædestinationis omnia illa, quæ, quoad suam substantiam supernaturalia, sunt quidem apta conducere ad acquisitionem vitæ æternæ, de facto tamen, licet applicata hominibus, ei non inseruiunt, sed tunc censentur potiùs esse generalis cuiusdam prouidentiæ supernaturalis sese extendentis ad omnes quoscumque homines,
IV. quàm specialis illius supernaturalis prouidentiæ, ad quam prædestinatio pertinet; hæc enim omnia, vt sic spectata, non procedunt ex illa speciali volitione Dei, quæ respicit vocationem *altam, secretam*, & *secundùm propositum Dei.*

Articvlvs II.

Quænam bona supernaturalia sint effectus prædestinationis.

NOTANDVM est, effectus prædestinationis esse in triplici differentiâ: alij enim sunt bona absolutè, & simpliciter, id est, secundùm substantiam, & modum supernaturalia; alij sunt bona quidem naturalia, secundùm suam substantiam, attamen secundùm quid, seu, quoad modum supernaturalia: alij deni- V.
que sunt quædam mala. Hoc prænotato,

Sit hæc nostra propositio. *Vocatio, iustificatio, perseuerantia in gratia, quodcumque opus bonum supernaturale prædestinati, & ipsa eius glorificatio, sunt & rectè appellantur effectus prædestinationis.* Hæc propositio est recepta ab omnibus.

Probatur primò ex Apostolo *ad Romanos* octauo, vbi faciens gradationem, & enumerationem eorum, quæ à Deo conferuntur prædestinatis, ex vi efficacis illius decreti, quo illos prædestinat, enumerat ista omnia: *Quos præscinit*, inquit, *hos prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit.* Vbi nomine *vocationis*, intelligit vocationem interiorem, quæ fit per inspirationem, & pias motiones intellectus, & voluntatis:
B nam de vocatione exteriori, quæ fit per prædicationem verbi diuini, ait *ad Romanos* primo: VI.
fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: & de eadem vocatione exteriori, prout illa fit per miracula, Christus sæpè agit in Euangelio, quando agit de suis miraculis, habentibus vim ad alliciendum homines ad fidem, & Apostolus, dum ait signa esse data infidelibus; Apostolus autem, loco citato, nomine *glorificationis*, intelligit consecutionem vitæ æternæ, vt S. Augustinus explicat libro *de prædestinatione sanctorum*, capite decimo septimo.

Probatur ratione: ea omnia, & singula sunt aliqui effectus prædestinationis, quæ ita sunt ordinis supernaturalis, vt dentur à Deo, ex vi specialis diuinæ volitionis, & illius decreti,
C quod importatur in ista prædestinatione, quæ- VII.
que dantur nobis à Deo, ex meritis Christi, & habent actualem concursum circa beatitudinem, vt de facto, & reipsa acquiritur: sed singula hæc enumerata in nostra propositione habent has omnes conditiones, vt patet discurrendo sigillatim per illa: ergo vocatio, iustificatio, perseuerantia in gratia, & glorificatio, sunt propriè loquendo effectus prædestinationis.

Minor probatur: & primò de *vocatione:* nam ex Concilio *Tridentino* sessione sextâ capite quinto, hæc est, vnde iustificatio adulti sumit exordium: & Apostolus, loco citato, faciens prædictam gradationem, & enumerationem, satis apertè significat vocationem hanc ad primam gratiam habere suum ortum, seu
D causari in nobis à Deo ex illo singulari affe- VIII.
ctu, & speciali volitione, quæ importatur in decreto prædestinationis, etiam vt hæc vocatio præscindit à consensu vocati, seu vt ipse, qui vocatur, nondum intelligitur consentire: hoc enim modo scripturæ dicunt Deum pulsare ad ostium, vt ei aperiatur, facere, vt velimus, dare, & immittere pias illustrationes intellectui, & bonas affectiones voluntati, quæ sint quidem à nobis, vt illas elicientibus, non tamen à nobis, vt humano, & libero modo agentibus, sicut explicatur primâ secundæ agendo de illa.

Quòd etiam *vocatio ad gratiam* prout includit *consensum voluntatis*, sit aliquis effectus prædestinationis, patet ex eo, quòd sit à Deo vt prædestinante; nam Deus passim dicitur ab Apostolo dare nobis *velle & perficere*, quæ

verba

I. verba S. Augustinus passim vrget, disputando
contra Pelagianos & Semipelagianos: &
quòd hæc vocatio, vt efficax in actu secundo,
sit ex illa speciali volitione importata per de-
cretum prædestinationis, patet ex eo quòd S.
Augustinus locis citatis suprà dicat non præ-
destinatos non consensisse vocationi sibi à
Deo iniectæ, quia non erant vocati *altâ, secre-
tâ, & secundùm propositum Dei* vocatione; & ex
dicendis primâ secundę, de infallibilitate gra-
tiæ efficacis ad consensum inducendum, satis
intelligitur, tam consensum in illam, quàm
illam ipsam dari ex hac speciali prædicta vo-
litione.

Et quòd hæc vocatio habeat causalitatem
in æternam beatitudinem, patet ex eo quòd
per illam mereamur *de congruo* habitualem
gratiam, quâ formaliter iustificamur, & acqui-
II. rimus ius ad vitam ęternam, vt ostenditur pri-
mâ secundæ, vbi de merito: &, quòd illa fun-
detur in gratia Christi, patet ex illo eius ver-
bo, *sine me nihil potestis facere*, & ex iis, quibus
Theologi probant primâ secundæ, quidquid
est boni supernaturalis in nobis, id totum esse
ex Christi meritis, vt etiam fusiùs docent tertiâ
parte, vbi de merito Christi Domini. Ex quo
loco, idem probatur *de actibus meritoriis*: ibi
enim docebimus, eos esse meritorios *de condi-
gno* augmenti gratiæ, & gloriæ.

De ipsa etiam *perseuerantia*, patet ex illo
Christi Domini, *qui perseuerauerit vsque in fi-
nem, hic*, &c. & ex eo, quod citato illo loco
ostendimus, speciale donum perseuerantiæ
esse propriè prædestinatorum, iuxta receptis-
simam doctrinam sancti Augustini toto suo
III. libro *de dono perseuerantiæ*.

Tandem idem patet *de glorificatione*; suprà
enim ostendimus in prædestinatione propriè
dicta, *ad gratiam efficacem*, contineri virtuali-
ter volitionem glorificandi, & cùm glorifica-
tio nihil sit aliud, quàm ipsamet actualis con-
secutio beatitudinis æternæ, patet illam ha-
bere ortum à prædestinatione, & conducere
ad vitam æternam: sicque esse, loquendo
propriè, aliquem effectum prædestinationis.

ARTICVLVS III.

Soluuntur aliquæ obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli, & satisfit dubio.

OBIICIES primùm: prima vocatio, iustifi-
catio, ipsum exercere aliqua opera ex
gratia, & in statu gratiæ sanctificantis, & esse
IV. meritorium vitæ ęternæ, in istis operibus, sunt
aliquid commune prædestinatis cum repro-
bis: effectus autem prædestinationis debent
esse proprij solis prædestinatis, aliàs non ma-
gis erunt effectus prædestinationis, quàm re-
probationis.

Respondetur Apostolum nullâ factâ distin-
ctione, sed, loquendo vniuersaliter, dicere
omnia cooperari in bonum iis, qui secundùm
propositum vocati sunt sancti: quod ad minus
debet intelligi de omnibus bonis supernatu-
ralibus, quæ aliquando de facto reperiuntur
in illis: at omnia hæc enumerata sunt bona su-
pernaturalia, &, vt cōmuniter Theologi do-
cent agédo de reuiuiscentia bonorū operum,
concurrunt de facto ad beatitudinem, quate-
nus quidquid in illis erat meriti, etiam si esset
A mortificatum, seu impeditum per commissio- V.
nem peccati mortalis subsequētis, aduenien-
te tamen pœnitentiâ, tanquam remouēte im-
pedimentum, incipit reuiuiscere, à Deo com-
putari in meritum, & post mortē compensari
gradu gloriæ sibi correspondente: hæc etiam
bona omnia supernaturalia, vt reperiuntur in
prædestinatis, habent ortum ab illa speciali
volitione, quæ, per decretum prædestinatio-
nis importatur, quatenus ita sunt volita à Deo
istis hominibus in particulari, vt, licet interrū-
pantur, Deus tamē vtatur eorū interruptione
in bonum prędestinatorum; sicque volitio eo-
rum continetur virtualiter, & implicitè in illa
speciali volitione, quam prædestinatio dicit.

Ex quo patet solutio ad hanc obiectionem:
nam hæc omnia sunt tantùm reprobis com-
munia cum prædestinatis, secundùm genera-
B lem aliquam rationem prouidentiæ superna- VI.
turalis, quatenus conueniunt in eo, quòd sint
ordinis supernaturalis, & dentur à Deo, ex a-
liqua volitione beatitudinis æternæ eis, qui-
bus offeruntur, & conferuntur: at, secun-
dum rationem specialis prouidentiæ differūt,
quatenus, vt dantur prædestinatis, oblatio, &
collatio eorum radicatur in illa speciali voli-
tione, quam decretum prædestinationis im-
portat, quam radicationem non habent, vt
conferuntur iis, qui non vocantur à Deo illâ
speciali vocatione, quæ est, & dicitur ab Apo-
stolo *secundùm propositum Dei*.

Obiicies secundò: in ipsismet prædestinatis
prima vocatio etiam efficax habens consen-
sum sibi annexum, item iustificatio conse-
quens illam, & opera meritoria facta in sta-
C tu iustitiæ, plerumque interrumpuntur & VII.
mortificantur, per aliqua mortalia subse-
quentia, per quæ deperditur gratia sanctifi-
cans, & ius ad vitam æternam: ergo.

Respondetur, quòd cùm gratia sanctifi-
cans accepta in prima iustificatione; item qui-
libet eius gradus, & quælibet bona opera, non
obstante quacumque interruptione illorum,
reuiuiscant vi pœnitentiæ, vt animaduerti-
mus, & prædestinatus semper moriatur in
gratia, eorúmq; collatio radicetur in illa spe-
ciali dilectione Dei contenta in decreto præ-
destinationis ad primam gratiam; sicque to-
tum istud ordinis supernaturalis, & funda-
tum in meritis Christi Domini, semper erit a-
liquis effectus prædestinationis, neque enim
ad effectum prædestinationis requiritur, vt
sit aliquid non interruptum, seu continua-
tum cum aliis effectibus, qui sunt inter ipsum,
D & glorificationem, sed satis est, quòd conne- VIII.
ctatur cum vltimo fine, quomodo gratia san-
ctificans, quilibet gradus illius, & quodli-
bet meritum, & quælibet id genus bona mor-
tificata connectuntur cum gloria, eo ipso,
quo prædestinatus moritur pœnitens, & in
statu gratiæ: cùm enim bona ista supernatu-
ralia ordinarentur ex sua conditione, & ex
intentione operantis illa, ad vitam æternam,
& hæc eorum ordinatio tantùm impediatur
per peccatum mortale subsequens in ipso via-
tore, fit, vt sublato hoc impedimento per
pœnitentiam, recuperet pristinam illam con-
nexionem cum gloria æterna, quam habebat
anteà.

Neque facit in contrarium, quòd hæc pri-
ma gratia vocans, & etiam iustificans eum qui

I. habet hæc bona supernaturalia mortificata, non connectatur cum præcedenti deperdita, tanquam cum aliqua sua causa; nec etiam, quod, iuxta nostram responsionem, omnes, & singuli effectus prædestinationis non sint connexi inter se: nam non est de intrinseca, & formali ratione effectuum prædestinationis, vt semper prior sit causa posterioris, & sic deinceps, vsque ad vltimum; nec requiritur, quòd habeant influxum aliquem physicum, sed satis est, quòd ita sint, & originentur à prædestinatione ad primam gratiam, fundentur in gratia Christi Domini, sint proportionata vitæ æternæ, & habeant aliquam causalitatem circa illam, quæ omnia reperiuntur hîc, admissâ etiam aliquâ interruptione inter eiusmodi bona, cùm hic eorum influxus in vitam æternam, vel in alia bona supernatura-
II. lia, sit non physicus, sed tantùm moralis, & in genere meriti, & cùm reuiuiscentia, quæ hîc reperitur, sit, ex prædicta speciali dilectione Dei, & conducat ad hoc, vt prædicta merita remunerentur à Deo, est etiam, hac ex parte, aliquis effectus prædestinationis, vt intelligitur ex obseruatione posita in fine articuli primi huius disputationis.

Addidimus ampliùs, inefficaces illas vocationes, quibus non respondet qui vocatur, si tamen ita emolliant voluntatem eius, vt, licet nondum consentiat, eum tamen aliquo modo, etiam remotè, disponant, & posteà consentit alteri sibi oblatę à Deo, non tantùm hæc posterior, sed etiam aliæ præcedentes, hoc modo inefficaces, sunt aliquis effectus prædestinationis, cùm ex dictis, habeant omnia,
III. ad talem formalem rationem participandam essentialiter requisita, vt quilibet facilè potest animaduertere.

Obiicies tertiò, quòd glorificatio videatur esse finis prædestinationis, & sic cùm non habeat rationem alicuius medij, circa quod versetur prædestinatio, tanquam specialis prouidentia, deficere à ratione effectus prædestinationis.

Respondetur hoc non obstare, scilicet, quòd glorificatio videatur esse finis prædestinationis: nam, quidquid est ordinis supernaturalis fundatum in meritis Christi Domini, & ponitur dependenter tam à prima gratia efficacis vocationis, quàm à bonis operibus subsequentibus illam, confértque ad æternam beatitudinem, est aliquis effectus prædestinationis, loquendo propriè; at glorificatio po-
IV. nitur dependenter à bonis, seu meritoriis operibus, & iustificatione, vt per se constat, item, per se, & naturâ suâ, est ordinis supernaturalis, datur ex Christi Domini meritis passim apud Apostolum, & habet intrinsecum ordinem actualem in actu exercito ad gloriam æternam, sicut actualis consecutio finis ad ipsummet finem: igitur & glorificatio est aliquis effectus prædestinationis.

Deinde: eodem modo sese habet glorificatio, respectu prædestinationis, quomodo sese habet damnatio, respectu reprobationis, quia vtrobique videtur par esse ratio: sed æterna damnatio, prout dicit inflictionem pœnæ æternæ, est effectus reprobationis, vt etiam Durandus fatetur in primum sententiarum, distinctione 40. quæstione 2. qui sequenti distinctione, quæstione 1. excludit glorifi-

A cationem à numero effectuum prædestinationis: igitur glorificatio est etiam aliquis effectus prædestinationis; & est expressa sententia S. Thomæ hîc quæstione vigesimâ tertiâ articulo tertio, & in quæstionibus disputatis *de veritate*, quæstione sextâ articulo primo. V.

Neque facit in contrarium, quòd, vt Durandus suprà obiicit, prædestinatio, & eius effectus sint aliquid prouidentiæ, & prouidentia sit circa media; glorificatio autem sit finis vltimus: nam, in præsenti negotio, sicut similiter & in pluribus aliis, etiam moralibus, aliud est aliquid esse immediatum, & proximum vltimum finem prædestinationis; & aliud esse, simpliciter, & absolutè loquendo, finem vltimum prædestinationis; quod enim est tantùm finis immediatus prædestinationis, potest esse etiam, & dici eius effectus in exe-
B cutione, cùm sit ex speciali volitione inclusa in decreto prædestinationis, & deseruiat ad obtinendum finem vltimum, seu æternam beatitudinem, & proinde diuina prouidentia potest circa illum, vt sic spectatum, sese occupare: at beatitudo æterna, seu gloria secundùm se considerata, est finis vltimus simpliciter, & non tantùm immediatus, ad quam hæc consecutio tandem, & vltimatè refertur: & hoc potest explicari exemplo sanitatis, prout consideratur per comparationem ad ægrotum intendentem illam, hæc enim, secundùm se spectata, est finis vltimus, eius tamen adeptio, per tot, & tam multa remedia imperata à medicis, est potissimus effectus volitionis eius, quam ipse æger habet, circa ipsam sanitatem recuperandam. VI.

Quæres, vtrum bonus vsus liberi arbitrij,
C quo ipse prædestinatus cooperatur Deo vocanti, consideratus sub ea ratione, quâ procedit à libero arbitrio prædestinati, sit aliquis effectus prædestinationis. VII.

Respondetur affirmatiuè: habet enim omnes conditiones explicatas articulo primo huius disputationis: causatur enim *à Deo, vt prædestinante*: nam omne quodcumque bonum velle prædestinati est à Deo, vt docet Apostolus, est etiã *supernaturalis ordinis*, quatenus non est, per solas naturæ vires, sed per potentiam obedientialem voluntatis, quatenus elicitur à nobis, vt habentibus Deum speciali modo assistentem, quemadmodum ostenditur agendo de gratia *operante, & cooperante* in primâ secundæ. Deinde, est *ex meritis Christi Domini*, vt docet Concilium *Tridentinum*
D sessione sextâ capite quinto, Cælestinus Papa in sua epistola *ad Episcopos Galliæ*: habet item, quòd de facto concurrat *ad consecutionem vitæ æternæ*, quatenus saluamur per gratiam cooperantem: ergo talis vsus liberi arbitrij est aliquis effectus prædestinationis. VIII.

Articvlvs IV.

Vtrum res aliquæ ordinis naturalis sint effectus prædestinationis, quænam illæ sint, & quomodo.

Notandvm est, res ordinis naturalis posse considerari duobus modis: primò, absolutè, secundùm se tantùm, & prout solùm fiunt virtute naturali, Deo cooperante duntaxat iuxta exigentiam causarum natu-

I. A ralium naturaliter agentium: deinde poſſunt conſiderari, prout aliquando fiunt, per extraordinarium Dei influxum ſuperioris ordinis, quàm ſit influxus ille, quem cauſæ naturales illorum naturaliter poſtulant, vel etiam, quatenus interdum dantur nonnullis à Deo, ex aliqua ſpeciali intentione, ad bonum aliquod ſupernaturale. Hoc prænotato & animaduerſo, ſit

Prima noſtra propoſitio. *Res ordinis naturalis, ſpectatæ priori modo, non ſunt propriè loquendo, aliquis effectus prædeſtinationis:* ita omnes communiter: & probatur primò auctoritate S. Auguſtini libro *de prædeſtinatione Sanctorum* capite ſecundo, & epiſtolâ nonageſimâ quintâ, & alibi paſſim, vbi diſputans contra Pelagianos, diſtinguit gratiam, & effe-
II. B ctum prædeſtinationis, à gratia creationis, negátque Chriſtum Dominum eſſe mortuum pro nobis, vt homines eſſemus.

Deinde probatur ratione: cõditiones requiſitę in effectu prędeſtinationis non conueniũt rebus ordinis naturalis, prout conſiderantur priori modo, vt quilibet poteſt animaduertere. Hinc nec ipſa ſubſtantia, nec creatio, nec exiſtentia hominis prædeſtinati, ſunt aliqui effectus prædeſtinationis eius: non enim fundantur in meritis Chriſti Domini, etiam præuiſis, ſed præſupponuntur prædeſtinationi: nam priùs Deus, in aliquo ſigno rationis, vidit Petrum, verbi gratiâ, conſtitutum in maſſa perditionis, per peccatum primi parentis, quàm ei præparauerit de facto aliquam gratiam, per quam erueretur à tali maſſa, & per-
III. duceretur ad beatitudinem: at Deus non po-
C tuit præuidere illum, vt poſitum in tali maſſa perditionis, niſi priùs in aliquo ſigno rationis, præuideret eum creatum, & exiſtentem, quia Petrus debet priùs ratione intelligi creatus, & exiſtens, quàm præuideri exiſtere in tali maſſa perditionis.

Secunda propoſitio. *Res ordinis naturalis conſideratæ poſteriori modo, ſunt effectus prædeſtinationis.* Probatur: omnes conditiones requiſitæ ad effectum prædeſtinationis reperiuntur in eiuſmodi rebus, iſto modo conſideratis: ſunt enim ex ſpeciali affectu importato in decreto prædeſtinationis ad primam gratiam, vt ſanctus Thomas expreſsè docet de ipſa natiuitate Iſaac hîc quæſtione vigeſimâ tertiâ articulo octauo, in argumento *ſed contra.*

Nec poteſt reſponderi hanc natiuitatem
IV. D Iſaac, & aliquot alia eiuſmodi, fuiſſe quidem ſupra curſum cauſarum naturalium, ſed id non ſufficere ad rationem effectus prædeſtinationis, vlteriúſque requiri, vt conducat ad vitam æternam: nam ſanctus Thomas ibi loquens de iſta natiuitate, vt miraculoſa, & ſubiiciens hæc verba, *non autem fuiſſet impleta prædeſtinatio, ſi natus non fuiſſet*, & inferens inde, prædeſtinationem iuuari precibus ſanctorum, ſatis apertè ſignificat natiuitatem iſtam, & id genus cætera bona ordinis naturalis, conſiderata hoc poſteriori modo, etiam conducere ad vitam æternam, & conſequenter radicari in ſpeciali illa dilectione, quæ importatur per decretum prædeſtinationis ad primam gratiam.

Res item eiuſmodi ſunt eo modo ſupernaturales, non quidem, quoad ſubſtantiam, ſed, quoad modum, quo fiunt, & quoad finem, quem reſpiciunt, ſcilicet, procurare huic, & iſti bonum gloriæ: ſunt etiam aliquo modo ex gratia Chriſti Domini, quatenus ſæpè impetrantur ab hominibus per orationes fundatas in meritis Chriſti Domini; ſic natiuitas Samuëlis, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Nicolai, & plurium aliorum, dicuntur eſſe effectus prædeſtinationis illorum, quatenus impetrati à Deo precibus parentum, ab eo acceperunt beneficia quædam ſpecialia, ſunt fideliter, & ſedulò eruditi à parentibus, tam de iis, quæ ad ſanctitatem morum, quàm ad rectam fidem pertinent, & tandem facti adulti, per iſta ſunt adepti, & conſecuti beatitudinem æternam. V.

ARTICVLVS V. VI.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli, & quædam conſectaria proponuntur.

OBIICIES primò, effectum prædeſtinationis propriè dictum debere eſſe aliquid ſuperadditum gratiæ creationis, vt patet ex S. Auguſtino relato pro prima propoſitione: hanc verò ſanctorum natiuitatem non eſſe aliquid ſuperadditum creationi eorum, ſed eſſe ipſammet creationem eiuſmodi perſonarum, cùm non cenſeantur aliter creari, quàm accipiendo eſſe, per generationem & natiuitatem, à ſuis ipſis parentibus.

Reſpondetur, quòd quia in natiuitate hominum poſſumus duo diſtinguere: primum eſt ſubſtantia natiuitatis, ſeu ipſa natiuitas, ſpectata nudè, & ſecundùm ſe: alterum eſt VII. ipſe modus natiuitatis, quo hic, & ille naſcitur: primum duntaxat importat beneficium creationis: alterum in iis, in quibus eſt ſpeciale, & ſupra naturalem modum agendi cauſarum naturalium, eſt aliquod ſingulare beneficium ſuperadditum beneficio creationis, vt patet ex nunc dictis de ſancto Ioanne Baptiſta, & aliis.

Obiicies ſecundò: eodem argumento probatur natiuitatẽ in prædictis ſanctis non eſſe aliquem effectum prædeſtinationis, quo ſuprà oſtendimus ipſam exiſtentiam hominum non eſſe aliquem effectum eius: hoc enim ſecundum oſtendimus ex eo, quòd tam creatio perſonæ, quàm eius exiſtentia præſupponantur eorum prædeſtinationi; quæ ratio eodem prorſus modo militat pro natiuitate, et- VIII. iam conſiderata modo poſteriori.

Reſpondetur quòd eſt longè alia ratio ipſius natiuitatis, ac exiſtentiæ: nam, licet natiuitas prædeſtinati præſupponatur in præſcientia Dei, ſicut & exiſtentia eiuſdem prædeſtinati, ob rationem ſuperiùs aſſignatam, cùm prædeſtinatio propriè ſit ſuppoſiti, vt S. Thomas habet tertiâ parte quæſtione vigeſimâ quartâ articulo primo in ſolutione ad ſecundum; attamen, quia natiuitas alicuius ſingularis perſonæ ita poteſt concipi, & per conſequens obiici diuinæ cognitioni; imò & poni in rerum natura abſque eo, quòd intelligatur eſſe neceſſariò, & eſſentialiter ab iis, & iſtis duabus perſonis particularibus, tanquam propriis parentibus, verbi gratiâ, Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ, abſque eo, quòd eſſet à Zacharia, & Eliſabeth, tanquam propriis pa-

I. rentibus, cùm parentes respectu prolis sint tantùm causæ efficientes, & ex consequenti extrinsecæ ipsi effectui, posśitque res quælibet concipi esse eadem numero, licet alias, & alias habeat causas extrinsecas, & efficientes, vt patet in corpore Christi Domini, quod est idem numero per consecrationem, quod fuit per conceptionem, & generationem beatissimæ Virginis, item in resurrectione nostrorum corporum, fit, vt, per absolutam potentiam Dei, S. Ioannes Baptista potuerit concipi, & nasci, absque eo, quòd intelligeretur de facto nasci ex istis parentibus in particulari: econtrà verò, quia existere, seu existentia substantiæ non potest apprehendi esse alia, & alia vnius, & eiusdem singularis substantiæ, cùm sit formalis ratio, per quam est actu formaliter; ideò fit, vt licet tam natiuitas ipsius

II. prędestinati, considerata secundùm suam substantiam, supponatur prædestinationi, in præuisione Dei, quàm ipsa existentia prædestinati; attamen natiuitas prædestinati, & ex his, & ex istis parentibus determinatè futura, non præsupponatur; sícque possit, ex singulari beneficio Dei, ordinari in aliquod bonum supernaturale ipsius hominis.

Obiicies tertiò: prædestinatio & eius effectus debent præsupponere naturalem prouidentiam, & naturales eius effectus circa prædestinatos, tanquam subiectum prædestinationis: hæc autem bona ordinis naturalis sunt naturalis prouidentiæ, vel saltem nulla alia supponunt similia, quæ correspondeant naturali prouidentiæ.

III. Respondetur, quòd si hæc præsuppositio prouidentiæ naturalis intelligatur extendi ad omnes modos, & effectus, qui conueniunt rei secundùm ordinem naturæ, ita vt debeant priùs, saltem in præuisione, existere, vt determinatè futura, patet esse falsum, in ipsa præmatura morte iusti, quam sanctus Augustinus, iuxta illud Sapientis, *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, recenset inter effectus prædestinationis, libro suo *de dono perseuerantiæ*; sed sufficit, quòd Deus, ex singulari prædicta dilectione, negotietur aliquid, circa effectus illos naturales, ex gratia Christi Domini, quod proficiat actu ad consecutionem vitæ æternæ, siue tantummodò remotè, siue etiam proximè, cuiusmodi sunt hæc bona ordinis naturalis: nam & gratia externæ *protectionis*, de qua Theologi agunt primâ secundæ, disputando de necessitate gratiæ, est etiam aliquis

IV. effectus prædestinationis: & tamen interdum consistit in eiusmodi bonis ordinis naturalis, vt respicientibus speciali modo hunc hominem in ordine ad vitam æternam.

Ex dictis sequitur primò, ipsum etiam intellectum, & alias perfectiones naturales, quatenus ex aliqua speciali dilectione Dei, conferuntur nobis, & adiuuantur supernaturali auxilio ad benè operandum in finem supernaturalem, rectè dici effectus prædestinationis, cùm vt sic deseruiant assequendæ gloriæ æternæ, saltem remotè, & mediatè, quod sufficit ex parte causalitatis, túncque habeant alias conditiones requisitas in vero effectu, vt facilè patet ex dictis inductione factâ per illas: si autem careant eiusmodi perfectiones naturales aliquâ ex prædictis conditionibus, tunc quia bonum ex integra causa, & malum ex quocumque defectu, non erunt effectus prædestinationis: eodem modo philosophandum est de bonis operibus virtutum acquisitarum; si enim exerceantur ex imperio charitatis supernaturalis à iusto, & ab eo referantur in finem supernaturalem, tunc, quia iste vsus, cùm sit bonus, & sic ordinatus est ex gratia Christi D. & proficit ad consecutionẽ vitæ æternæ, erunt effectus prædestinationis. V.

Sequitur secundò, bona illa opera moralia, quæ exercentur ab infidelibus sine aliqua mala circunstantia, ante primam eorum vocationem, & ante pium illum affectum supernaturalem liberum piæ credulitatis in Deum, non esse aliquem effectum prædestinationis eorũ, licet posteà conuertantur ad fidem, & saluentur: cuius rei est hæc ratio, quòd gratia Christi Domini, per quam adulti iustificantur, incipit à prima vocatione eorum, quâ ita excitantur à Deo, vt ei assentiendo liberè per gratiam adiuuantem, & ei cooperando, disponantur, vt Concilium *Tridentinum* sessione 6. capite 5. explicat: cùm ergo ista bona opera moralia adultorum infidelium præcesserint hanc primam illorum vocationem, & omnes effectus prędestinationis sint ex gratia Christi Domini, fit, vt actus illi virtutum moralium exerciti ab infidelibus absque vlla mala circunstantia, non sint aliqui effectus prædestinationis eorum, etiam si posteà vocentur efficaciter, iustificentur, & tandem saluentur. VI.

Articvlvs VI.

Vtrum aliqua mala, & quænam possint esse effectus prædestinationis. VII.

Difficvltas solùm est de malo *culpæ* & *pœnæ*, vel potiùs *de permissione culpæ*, an sint aliquomodo effectus prædestinationis.

Prima sit propositio. *Malum pœnæ potest esse effectus prædestinationis.* Probatur ex Apostolo *ad Philippenses* secundo: *vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini*: & alibi passim viri sancti dicuntur per multas tribulationes acquisiuisse sibi vitam æternam. Item probatur ex sancto Augustino libro *de gratia & libero arbitrio* capite decimo septimo, sanctis Chrysostomo, Hieronymo, & aliis, ad octauum caput epistolæ *ad Romanos*, explicantibus illud, *diligentibus omnia cooperantur in bonum*, de tribulationibus huius vitæ, quia Apostolus præmisit istud: *non sunt condignæ passiones huius sæculi, ad futuram gloriam.* Item ex *Tridentino* sessione decimâ quartâ capite nono dicente, nos non tantùm satisfacere pœnis sponte susceptis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & patienter toleratis à nobis. VIII.

Fauet etiam ratio: nam omnes, & singulæ conditiones requisitæ ad effectum prædestinationis possunt in illis reperiri, vt facilè potest intelligi inductione factâ per illas: hinc cùm ipsa mors sit aliquod malum *pœnæ*, ratione peccati originalis, vt Concilia Mileuitanum canone primo, Arausicanum can. secundo definiunt, & omnes communiter Theologi docent, agendo de peccato originali, mors alicuius hominis potest interdum esse aliquis

I. effectus prædestinationis eius, vt intelligitur A ex illo Sapientiæ 4. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius:* imò & mors fortuita illius prædestinati, qui vel natans suffocatur, vel iter faciens interficitur subitò à latronibus, vel aliquo alio casu fortuito, poterit esse talis effectus: vbi enim Deus præuidit causam talis euentus fortuiti, potuit illâ vti in bonum prędestinati: quod etiam dicendum est de morte Martyrum, quatenus vbi Deus præuidit voluntates tyrannorum determinatas ad inferendum malum suis sanctis, tunc vsus est illis ad bonum sanctorum, & ad comparandum illis vitam æternam, quod genus mortis, cùm sit beneficium quoddam gratiæ, & fundetur in meritis Christi Domini, erit effectus prædestinationis.

II. Tandem: illud omne, quo mediante, tanquam conditione necessariâ, B vt gratia sanctificans, habeat hîc, & nunc rationem singularis doni perseuerantiæ, & consummationẽ suam, est effectus prædestinationis: at hæc mors, quâ prædestinatus, existens in gratia habituali, suffocatur natans; vel interficitur fortuitò faciens iter, nihil cogitans de morte, est hîc, & nunc, in præsenti casu, conditio, quâ mediante, gratia eius sanctificans consummatur, nec potest ampliùs deperdi: igitur talis mors fortuita est aliquis effectus prædestinationis in prædestinatis, qui ita moriuntur.

Nec obstat quòd causa mortis fortuitæ, interdum sit aliquod peccatum: nam Deus non vult peccatum, sed solùm permittit, & morte, quæ sequitur ex peccato, vtitur in bonum, & commodum ipsius prædestinati.

III. Secunda propositio. *Malum culpæ, seu peccatum, non potest esse effectus prædestinationis:* C ita omnes communiter. Probatur: effectus prædestinationis ordinatur ad beatitudinem, & respicit salutem animæ, éstque ex meritis Christi Domini: at peccatum opponitur saluti animæ, est opus quoddam diaboli, ex capite tertio primæ S. Ioannis, ad quod dissoluendum Christus Dominus venit.

Dices experientiâ constare multos prædestinatos profecisse ex peccatis, vt etiam S. Augustinus docet libro 14. *de ciuitate Dei* capite 13. sic scribens: *audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestúmque peccatum; vnde sibi displiceant, qui iam, sibi placendo, ceciderant.*

Respondetur, illud probare tantùm Deum, ex peccato iam commisso, accipere occasionem adiuuandi prædestinatos per auxilia di-
IV. uersa ab ipsis eorũ peccatis, quod est aliquid D omninò distinctum ab ipso peccato, quatenus occasio eiusmodi est ratio, cur homo imposterum sit humilior, & cautior, vt S. August. docet libro *de correptione & gratia* capite 9. iuxta quam expositionem, illud etiam Apostoli verificatur *ad Romanos* 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Tertia propositio. *Permissio peccati in homine prædestinato, si per se spectetur, respectu prædestinati, non est propriè effectus prædestinationis.* Probatur: omne, quod est effectus prædestinationis est gratia, & fauor exhibitus homini, ex meritis Christi Domini, vt patet ex dictis: sed permissio peccati, spectata secundùm se, non est fauor, seu gratia concessa prædestinato ex meritis Christi Domini: neque enim Christus Dominus mortuus est, vt per- V.
mitteret labi in peccatum, sed vt honestè viuerem, & ita meruit principia benè viuendi: imò ipsa permissio peccati est potiùs denegatio beneficij cuiusdam specialis: nimirum efficacis gratiæ excitantis pro vitando peccato: vnde in oratione Dominica sic oramus, *& ne nos inducas in tentationem,* quatenus rogamus Deum, ne permittat nos tentari, vt Patres explicãt, SS. Cyprianus sermone *de oratione Dominica,* Gregorius Nyssenus oratione quinta *de oratione Dominica,* Chrysostomus ad caput sextum sancti Matthæi, & alij. Adde, quòd permissio peccati non influit per se in beatitudinem prædestinati; imò illi obest, cùm eum retrahat à beatitudine, & ex se ordinetur ad peccatum.

Addidi illam particulam, *per se,* quia, *per accidens,* potest esse effectus prædestinationis, VI.
nimirum, quando Deus, ex tali permissione, desumit occasionem reddendi prædestinatos prudentiores, & humiliores, ostendendo eis turpitudinem peccati, & excellentiam status à quo deciderunt: neque propterea tamen hæc permissio peccati est aliquis effectus prædestinationis, quia hæc ordinatio, quâ Deus vult vti peccato prædestinati in bonum eius, est posterior ipsâ permissione peccati: hæc enim ordinatio nihil est aliud, quàm Deum velle elicere bonum ex malo à se præuiso, non tamen intento, & sic bonum illud, quod Deus per illam efficacem cogitationem quam immittit, & quâ, qui peccauit, resurgit cautior, elicit, est potiùs loquendo propriè effectus ipsius prædestinationis, quàm sit ipsa permis-
sio labendi in peccatum. VII.

Dices: pœnitentia est, per se, effectus prædestinationis: atqui hæc præsupponit permissionem peccati; imò & peccatum, quod deleatur per illam, nec pœnitentia potest intendi efficaciter, nisi & ipsa permissio peccati efficaciter intendatur, quia vna non est sine altera.

Respondetur, pœnitentiam præsupponere quidem permissionem peccati, sed non secundùm eandem partem prouidentiæ: est enim hæc permissio ex communi prouidentia Dei, quæ prouidendo rebus omnibus, sinit aliquas causas interdum deficere ad maius bonum vniuersi; at pœnitentia in prædestinato, est ex speciali prouidentia Dei, quâ prouidit prædestinato de pœnitentia, tanquam remedio maximè congruo ad sese purgandum à peccato: &, si quælibet præsuppositio peccati, vel
permissionis eius, posset ab aliquo tollere ra- VIII.
tionem effectus prædestinationis, posset etiam excludere à numero eiusmodi effectuum & ipsum donum perseuerantiæ; nam sæpè contingit, vt illa gratia, in qua prædestinatus moritur, sit ei concessa per sacramentum ipsius pœnitentiæ.

Nec obstat quòd permissio peccati interdum cooperetur prædestinatis in bonum: hoc enim vnicum non sufficit, sed debet insuper habere & alias conditiones superiùs requisitas in effectu prædestinationis.

Cæterùm, posset hîc moueri quæstio de ordine, quo prædestinatio est facta, nimirum, an ante præuisum peccatum originale, vel tantùm post: sed hæc difficultas potest breuiter expediri. Quoad Angelos, dicetur infe-

I. riùs de illa, agendo de Angelis. De Christo Domino, tertiâ parte, sicut & de beatissima Virgine, vbi agitur de exemptione eius à peccato originali. De reliquis verò hominibus, sententia communis est sancti Augustini passim, & aliorum, illam esse factam post præuisum lapsum primi parentis: vnde prædestinati dicuntur *eruti ex massa perditionis, discreti*: & aliis eiusmodi loquendi formulis explicantur, quæ significant eos ante suam prædestinationem, fuisse constitutos in peccato originali, secundùm aliquam præscientiam Dei: sic sanctus Augustinus libro secundo *contra duas epistolas Pelagianorum* capite septimo, & libro quarto contra easdem capite sexto, sic libro *de dono perseuerantiæ* capite decimo quarto, & sæpè alibi ait, homines ante
II. prædestinationem fuisse in communi massa perditionis.

DISPVTATIO VI.

De certitudine prædestinationis & numero prædestinatorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prædestinatio sit certa.

NOTANDVM est, prædestinationem esse certam, non esse, quòd prædestinati nunquam sint in peccato, seu extra sta-
III. tum gratię in hac vita, quemadmodum Vviclefus, apud Vvaldensem tomo secundo, existimauit falsò: nam constat ex sacris Litteris, & iam animaduertimus multos esse prædestinatos, qui tamen fuerunt aliquando infecti peccato, vt patet de sanctis Petro, Paulo, Matthæo: imò certum est, his duobus exceptis, Christo Domino nimirum & beatissimâ Virgine Deiparâ, omnes homines fuisse in peccato, saltem originali.

Neque etiam prædestinationem esse certam, est prædestinatum, postquam semel est in gratia, non ampliùs decidere ab illa, vt Caluinus, & aliqui alij hæretici nostri temporis censuerunt: nam & Apostolus, etiam iustificatus, ait de se ipso, *nihil mihi conscius sum, in hoc tamen iustificatus non sum*: &, *castigo corpus*
IV. *meum, & in seruitutem redigo, ne reprobus efficiar.*

Prædestinationem igitur esse certam, nihil est aliud, quàm illam non frustrari suo effectu, seu illud infallibiliter euenturum, quod Deus ordinauit, & statuit per decretum prædestinationis: hinc certitudo prædestinationis est duplex: vna *cognitionis*, quâ scilicet Deus certò nouit effectum futurum, quæ vocatur, *formalis*, ad distinctionem cognitionis illius, quâ certò & infallibiliter cognouit has tantùm personas, & tot, & non plures, quoad numerum, esse electas ad gloriam: altera certitudo est *medij & causalitatis*, quatenus medium illius exequendæ est tale, vt eo posito, effectus certò & infallibiliter sit futurus.

His præmissis, sit V.

Prima propositio. *Prædestinatio electorum est ipsi Deo certissima, certitudine scientiæ visionis.* Probatur ex Apostolo secundæ *ad Timotheum* secundo: *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; nouit Dominus qui sunt eius*: & quòd hæc scientia intelligatur ibi ab Apostolo de prædestinatis, patet ex istis eius verbis sequentibus, *in magna domo, non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia*, quem locum Patres explicant communiter de prædestinatis & reprobis.

Probatur item ex sancto Augustino libro *de correptione & gratia* capite decimo quarto, & libro *de prædestinatione Sanctorum* capite decimo octauo.

Tandem iis omnibus, quibus suprà quæstione decimâ quartâ docuimus scientiam Dei
esse certam & infallibilem, ideóque vt docui- VI.
mus ibi, Deum cognoscere vnumquodque, cognitione maximè distinctâ: sic etiam nouit certissimè numerum omnium prædestinatorum.

Secunda propositio. *Prædestinatio electorum ad gloriam est etiam certa certitudine medij, & causalitatis*: ita sanctus Thomas expressè *in quæstionibus disputatis de veritate*, quæstione sextâ articulo tertio, &

Probatur primùm ex illo Christi Domini apud sanctum Ioannem capite decimo, loquentis de electis efficaciter perducendis ad vitam æternam, *non peribunt in æternum, & nemo rapiet eos de manu mea*: quâ vltimâ particulâ significat vim & efficaciam suæ gratiæ ita esse singularem, vt, eâ positâ, sit infalli-
biliter futurum, vt prædestinati consequan- VII.
tur æternam gloriam: item ex hoc alio eius verbo apud sanctum Matthæum, *vt in errorem inducantur, si fieri potest, electi*: quod ibi dicitur ad exaggerandum vehementiam tentationum.

Probatur deinde ex Patribus, vt sancto Augustino libro *de correptione & gratia* capite decimo quarto; item libro quinto *contra Iulianum* capite quarto, vbi loquens de prædestinatis, sic scribit: *ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur: absit enim, vt prædestinatus ad vitam, sine sacramento mediatoris, finire permittatur hanc vitam*: item libro *de dono perseuerantiæ* capite decimo quarto, vbi prædestinatio definitur, *præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

Tandem probatur, ex eo quòd prædestina- VIII.
tio distinguatur à communi prouidentia, quòd hæc in sua formali ratione non includat infallibilem assecutionem finis, vt docuimus suprà quæstione vigesimâ secundâ: prædestinatio autem includit illam, vt notauimus suprà, circa definitionem prædestinationis.

An autem ista certitudo causandi effectum prædestinationis conueniat mediis eius, consideratis tantùm secundùm se, & in se ipsis, absque aliqua veluti dependentia à scientia Dei, explicatur primâ secundę agendo de efficacia gratiæ, vbi ostendemus fusè, istam efficaciam, & certitudinem conuenire eiusmodi mediis, independenter à scientia, eiusmodi mediis secundùm se consideratis.

I. ARTICVLVS II.

Vtrum prædestinatio sit in potestate prædestinati, & an prædestinatus possit non saluari.

REPETENDVM est ex dictis suprà, nomen prædestinationis sumi primò, pro ipsa præparatione primæ gratiæ vocantis, & aliorum eiusmodi beneficiorum: deinde, pro ipsa efficaci electione ad gloriam: nos hîc agere duntaxat de hac posteriori, & sensum præsentis difficultatis tantùm esse, an sit in potestate hominis facere, quòd prædestinatio, prout dicit efficacem electionem alicuius hominis ad gloriam, sese terminet ad illum; nam prædestinationem ad primam gratiam
II. efficacem in actu primo non esse in potestate cuiusquam hominis, sed à Deo dari merè gratuitò ostendimus suprà, & adhuc dicemus primâ secundæ, similiter consensum in gratiam vocantem esse nobis liberum & in nostra potestate.

Restat solùm difficultas de prædestinatione ad gloriam, pro cuius explicatione sit

Prima propositio. *Prædestinatio, prout dicit efficacem electionem Dei ad gloriam æternam, sese terminantem ad hunc, & illum hominem in particulari, est in potestate ipsius prædestinati.*

Probatur: qui habet in sua potestate efficax motiuum efficacis electionis hominum ad gloriam æternam, is habet in sua potestate ipsam electionē Dei ad gloriam, vt ad se ipsum terminandam, quia tale motiuum est causa efficax talis electionis; &, qui habet in sua po-
III. testate causam efficacem, habet & effectum correspondentem tali causæ in sua potestate: atqui efficax motiuum, quo Deus deputat efficaciter homines ad gloriam æternam, consistit in bonis operibus factis ex gratia, & in statu gratiæ, item in perseuerantia huius vtriusque, ad finem vitæ inclusiuè, vt suprà docuimus, & hæc sunt in potestate cuiuscumque adulti hominis, vt Theologi docent primâ secundæ, agendo, tum de libero arbitrio hominis, tum de prima gratia, tum de iustificatione, & merito adulti: igitur prædestinatio prout dicit efficacem electionem ad gloriam æternam est in potestate prædestinati.

Secunda propositio. *Prædestinatus, consideratus* in sensu diuiso, *habet in sua libertate non saluari; at spectatus* in sensu composito, *non*
IV. *habet, vt pro sua libertate damnari possit.*

Propositio explicatur, & simul probatur, quoad priorem partem; prædestinatum, consideratum *in sensu diuiso*, habere in sua potestate non saluari, nihil est aliud, quàm hunc hominem, verbi gratiâ, Petrum spectatum in seipso, habere potestatem peccandi mortaliter, perseuerandi in isto peccato, & in illo moriendi: his enim positis saluatio excluditur, & damnatio sequitur: sed quilibet prædestinatus habet hoc totum, quia prædestinatio non reddit eum impeccabilem, nec tollit ab eo libertatem, siue *contrarietatis*, siue *contradictionis*, cùm electio ad gloriam sit aliquid posterius, saltem in diuina præscientia, ipsis omnibus bonis operibus, & etiam ipso fine vitæ prædestinati, quia hæc est tantùm facta post præuisionem bonorum operum: tum

A quia, si hæc electio faceret istud, maximè vi, & efficaciâ gratiæ sanctificantis; at hæc potest amitti, vt Concilium *Tridentinum* definit, sessione sextâ canone vigesimo octauo: igitur prædestinatus consideratus *in sensu diuiso* habet in sua libertate non saluari. V.

Posterior item pars explicatur, & simul probatur: prædestinatum, consideratum *in sensu composito*, posse damnari, est hæc duo, damnationem scilicet, & saluationem, respectu vnius & eiusdem hominis, eodem modo considerati, posse simul coniungi, ex libertate ipsius hominis: at talis coniunctio implicat, cùm vnum ex istis extremis excludat alterum, & dicat oppositionem ad illud, vt per se patet; igitur prædestinatus vt sic consideratus *in sensu composito* non potest damnari, sicque, licet vt homo est, possit existens in peccato morta-
B li interfici ex improuiso ante peractam pœnitentiam, attamen considerando illum *in sensu composito*, & quatenus Deus præuidit illum de facto moriturum in gratia sanctificante, tunc non potest sic mori. VI.

Neque hæc impossibilitas quidquam derogat eius libertati, quin potiùs illam adstruit: cùm enim efficax electio ad gloriam æternam fiat tantùm à Deo ex præuisis meritis, cum quibus homo finaliter moritur, & ille, ex pleno dominio suæ voluntatis adiutæ supernaturali gratiâ, & specialibus auxiliis, exercuerit bona eiusmodi opera, refugerit vitia, & voluerit mori in statu gratiæ sanctificantis, sit, vt hæc efficax electio Dei posterior, saltem in cognitione Dei bonis operibus prædestinati, sicque eis extrinseca, inducat tantùm necessitatem hypotheticam nullo modo eius liber-
C tati derogantem. Eodem etiam modo diuina scientia conciliatur cum ipsa prædestinatione hominis: cùm enim hæc sit *visionis*, & præsupponat res, quas Deus cognoscit per illam, sitque illis posterior, nullam imponit necessitatem humanæ voluntati, sed rectissimè consistit cum eius libertate. VII.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis possit scire certò se esse de numero prædestinatorum.

SIT hæc nostra propositio. *Nemo potest certò scire se esse de numero prædestinatorum, absque aliqua speciali reuelatione sibi à Deo facta.* Hæc propositio est contra Caluinum libro 3.
D suarum *institutionum* cap. 24. §. 8. asserentem vnumquemque fidelem debere certâ fide credere se esse prædestinatum; est tamen de fide ex Concilio *Tridentino* sessione 6. capite 12. & canone 15. Probatur ex illo *Ecclesiastici* 9. *nescit homo, vtrum amore, vel odio dignus sit, sed omnia, in futurum reseruantur dubia, & incerta.* VIII.

Neque est quòd Caluinus respondeat, sensum huius loci esse hominem nescire, vtrum ametur, vel odio habeatur ab hominibus qui tamen videntur eius amici: nam Ecclesiastes ibi loquitur de homine & eius operibus consideratis, vt sunt coram Deo, vt patet ex antecedentibus, & consequentibus, & docet ex iis hominem non posse deuenire in certam cognitionem, quòd sit constitutus in gratia sanctificante, quòd sit dignus vitâ æternâ, an

I. verò sit in peccato & dignus pœnâ æternâ.

Probatur item ex illo *Prouerbiorum* capite vigesimo octauo: *beatus homo, qui semper est pauidus:* cui testimonio & hæc Apostoli correspondent primæ ad *Corinth.* decimo, *qui se existimat stare, videat ne cadat*, & ad *Philippenses* secundo, *cum metu, & tremore, vestram salutem operamini.*

Probatur item ex Patribus, vt sancto Augustino libro *de correptione & gratia*, capite decimotertio ita scribente, *quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat:* & aliis in citatum caput Ecclesiastis, & vtrumque testimonium Apostoli. Item omnibus iis rationibus, quibus Theologi primâ secundæ docent, neminem scire, certitudine fidei, se esse constitutum in gratia sanctificante, quibus potest addi, prædestinationem ad II. gloriam pendere ab vltimo vitæ fine, & à perseuerantia finali in gratia sanctificante, & bonis operibus; atqui nullus certò nouit, quis, & qualis sit futurus eius exitus ex hoc sæculo.

Nec iis obstat illud Apostoli *ad Romanos* octauo: *certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, &c. poterit separare nos à charitate Dei:* nam primò, vt Latini interpretes obseruant ad hunc locum, Apostolus loquitur in persona electorum, in genere, & non in particulari, vt patet ex hac eius particula ibidem, *quis accusabit aduersus electos Dei?* deinde, si quis velit Apostolum loqui de se ipso, respondetur particulam illam editionis Latinæ, *certus sum*, idem sonare, ac persuasum habeo, vt edi-
III. tio Græca etiam significat, & Tertullianus etiam legit libro suo, qui inscribitur *Scorpiacus* aduersus *gnosticos*, capite decimo tertio; imò & ipse Beza ad illum locum Apostoli: at persuasio, & confidentia coniecturalis potest aliqua haberi, quòd quis sit prædestinatus, nimirum ex aliquibus circumstantiis, sicut etiam quòd aliquis sit in statu gratiæ, vt docent Theologi primâ secundæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum certus sit numerus prædestinatorum, & cui cognitus.

PRIMA sit propositio. *Numerus electorum est certus.* Probatur ex scripturis, Matthæi decimo octauo, & Lucæ vigesimo secundo:
IV. probatur item ex sancto Augustino libro *de correptione & gratia* capite decimo tertio: *eorum*, inquit, *qui prædestinati sunt in regnum Dei, ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex illis.*

Secunda propositio. *Certus numerus electorum est soli Deo cognitus certò.* Ita docent sanctus Augustinus *in Enchiridio* ad Laurentium capite vigesimo nono, sanctus Thomas hîc quæstione vigesimâ tertiâ articulo septimo, & profitetur Ecclesia, sic orando Deum, *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna*
A *felicitate locandus*, &c. in tertia oratione secreta quadragesimæ: quod tamen non videtur ita V.
intelligendum, quasi numerus prædestinatorum consideratus, siue formaliter, siue materialiter, sit etiam ignotus animæ Christi Domini: cùm enim ille, vt homo, sit futurus iudex omnium hominum; item sit pastor eorum apud sanctum Ioannem decimo capite, omnes prædestinati sint eius oues, pastor bonus noscat suas oues nominatim, eas educat, debet cognitio istius numeri prædestinatorum conuenire Christo Domino, etiam tanquam homini, & prædicta oratio secreta Ecclesiæ intelligi de puris creaturis, vt exclusis à tali cognitione prædestinatorum; quod totum potest ampliùs confirmari ex iis, quæ Theologi tradunt tertiâ parte de perfecta scientia Christi Domini. VI.

B

ARTICVLVS V.

Vtrum numerus prædestinatorum excedat numerum reproborum.

SIT hæc vnica propositio. *Si comparatio fiat dumtaxat inter homines prædestinatos, & homines reprobos, numerus prædestinatorum est simpliciter, & absolutè loquendo, minor numero reproborum.* Probatur primò ex illo Matthæi, capite septimo, *arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui intrant per eam.*

Probatur secundò: si omnes Christiani conferantur cum infidelibus, numerus infidelium maior est numero Christianorum, vt patet factâ inductione per prouincias, quas infideles
C occupant: ergo cùm infideles morientes in VII.
sua infidelitate, sint reprobi; iam, hac ex parte, numerus reproborum est maior numero prædestinatorum. Deinde, si Christiani conferantur inter se, multi ex illis sunt hæretici, & moriuntur in hæresi, & schismate. Denique ex Catholicis, multi malè viuunt, & moriuntur in suis peccatis mortalibus: ergo rectè sequitur numerum prædestinatorum esse longè minorem numero reproborum.

Atque ita docent sanctus Augustinus libro tertio *contra Cresconium* capite sexagesimo sexto, & clariùs libro quarto capite quinquagesimo tertio, sanctus Chrysostomus homiliis *ad populum Antiochenum:* vnde quando numerus prædestinatorum dicitur magnus, vt Apocalypseos capite quarto, *vidi turbam*
D *magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. VIII.
id non est intelligendum, comparatione factâ ad reprobos, sed quòd ipse numerus prædestinatorum, consideratus secundùm se, & in se, componatur ex aliqua ingenti multitudine hominum, quæ tamen sit minor multitudine reproborum.

Dixi in propositione, *si fiat comparatio ad prædestinatos, & reprobos homines*; nam, si comparatio fiat ad Angelos reprobos, istud est incertum, solíque Deo, & animæ Christi Domini cognitum, vt intelligitur ex dictis.

I.

DISPVTATIO VII.

De essentia & existentia reprobationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine ac essentia reprobationis.

QVONIAM reprobatio opponitur approbationi, si sola vis nominis spectetur, reprobatio idem est *ac reiectio, refutatio:* vnde cùm reprobatio hîc sumatur ad significandum aliquid practicum, non significat primò, & per se, in recto casu, aliquem actum intellectus, sed voluntatis oppositum electioni, connotando tamen actum
II. intellectus, seu iudicium rationis, vt intelligitur ex illo Isaiæ septimo capite: *butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: item, Sapientiæ nono, *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis*, id est reiicere, & excludere à numero seruorum tuorum.

Hinc, quia in hac quæstione nomen *reprobationis* sumitur pro exclusione aliquorum à regno cælesti, benè sequitur illam propriè, & in recto casu, esse aliquem actum diuinæ voluntatis, oppositum electioni, connotando tamen aliquem actum diuini intellectus.

Quod primò probatur iis omnibus rationibus, quibus suprà ostendimus, prædestinationem esse actum voluntatis, connotantem aliquem actum intellectus. Deinde ex S. Thoma
III. ma in quæstionibus disputatis *de veritate*, quæstione sextâ articulo primo in responsione ad vltimum, dicente reprobationem opponi electioni, quâ qui eligit, accipit alterũ; eámque, ratione sui nominis, magis pertinere ad voluntatem: est tamen dispar ratio ipsius iudicij rationis, quod prædestinatio connotat, ab eo, quod reprobatio connotat, quatenus hæc præsupponit cognitionem malorum operum reprobi, quorum Deus nec est auctor, nec instigator, propter quæ iudicat reprobum morientem in illis, esse dignum exclusione regni cælorum, & de facto excludit, eúmque adiudicat pœnis æternis; illa verò, prædestinatio scilicet, præsupponat quidem cognitionem bonorum operum, in quibus prædestinatus moritur, sed, quæ, Deo excitante, & adiuuan-
IV. te exercuit, cùm tamen Deus noluerit mala opera reprobi, sed, quasi inuitus, quatenus contra suam voluntatem antecedentem, quâ vult illi beatitudinem; attamen ex occasione peccati, siue originalis, siue mortalis in quo moritur, excludit illum à gloria æterna.

Et nomen reprobationis sumi in scripturis hoc modo, patet ex prioris *ad Corinthios* capite nono: *castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar*, quem locum notauimus suprà, ex sanctis Patribus, intelligendum esse de ex-

A clusione à gloria æterna; & locum *Sapientiæ* suprà citatum, multi hoc modo explicant, vt Sapiens ibi roget Deum, ne permittat eum esse de numero reproborum. V.

Et vt suprà diximus duplicem dari prædestinationem; sic possumus dicere duplicem dari reprobationem: vnam *incompletam*, quæ est exclusio ab aliqua gratia supernaturali, defectu cuius homo non obtinet gloriam æternam: alteram *completam*, quâ in peccato originali, vel mortali morientes excluduntur à gloria æterna: & hoc loco solùm de illa disputamus.

Habent autem reprobi & alia nomina in Scriptura, & Patribus: nam dicuntur *filij perditionis, despecti à Deo, excæcati, hœdi, vasa iræ, vasa contumeliæ, præsciti:* & quanquam nomen hoc *præscientiæ*, sit aliquid commune
B sese extendens tam ad prædestinatos, quàm ad reprobos, Deus enim habet præscientiam VI.
de vtrisque; attamen peculiari ratione, tribuitur reprobis, quia scilicet, vt sanctus Thomas animaduertit libro primo sententiarum distinctione quadragesimâ articulo primo, præscientia, quantum est de se, non importat esse causam eorum, quæ præsciuntur: Deus enim præscit mala, & tamen eorum non est causa: & ideò, ad significandum Deum non esse causam malorum, quæ contingunt reprobis, sed ea omnia euenire illis, ex malo culpæ, quod committunt, nomen hoc *præsciti*, relictum est solis reprobis, cùm Deus sit causa mediorum, quibus prædestinati assequuntur vitam æternam.

ARTICVLVS II. VII.

C

De existentia reprobationis.

QVOD aliqui reprobi dentur de facto, est de fide, ex illo Christi apud Matthæum capite septimo: *tunc confitebor illis quia nescio vos:* item, *multi vocati, pauci electi:* item capite vigesimo quinto, *discedite à me maledicti in ignem æternum*, & alibi passim, vbi scripturæ testantur aliquos esse damnatos, vel damnandos: at esse damnatum, vel damnandum finaliter, & in æternum, idem est in re, ac esse reprobum, vt patet ex dictis.

Congruentia verò, propter quam est reprobatio, hæc est apud sanctum Thomam hîc quæstione vigesimâ tertiâ articulo ter-
D tio: quod spectat ad prouidentiam Dei, VIII.
non solùm ordinare creaturas in suum finem, sed etiam permittere, vt aliquæ ex iis, quæ sunt defectibiles, deficiant ab illo: at quælibet rationalis creatura est defectibilis à suo fine vltimo per liberum arbitrium: igitur, vt iura libertatis eius conseruentur, spectat ad prouidentiam Dei, permittere aliquos homines deficere, tam circa finem vltimum, quàm circa media ad illum, & hoc pacto reprobari.

I. # DISPVTATIO VIII.

De causa reprobationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus ante præuisa mala opera habuerit voluntatem efficacem excludendi aliquos à gloria, & ad pœnas æternas deputandi.

CALVINVS libro tertio institutionum capite vigesimo primo, §. quinto, sexto, octauo & capite sequenti, item Beza in responsione *ad Castalionem* de æterna prædestinatione,
II. post antiquiores hæreticos, vt Condescalcum, Scotum, tempore Lotharij anno Domini octuagesimo quinquagesimo quinto; item Vvicleffum & Ioannem Hus, vt refert Vvaldensis libro primo Doctrinalis fidei, existimant Deum, ante præuisionem cuiuscumque peccati, non tantùm efficaci voluntate, exclusisse aliquos à cælesti gloria, sed etiam eos deputasse efficaciter ad pœnam æternam: vnde Caluinus capite vigesimo quarto §. duodecimo, ait reprobos, vt perueniant efficaciter ad hunc finem sibi à Deo efficaciter intentum, priuari à Deo, nunc facultate audiendi verbi diuini, nunc excæcari à Deo, & capite vigesimo tertio §. nono ait, ex Dei ordinatione, iniici reprobis necessitatem peccandi, quam ipsi nequeant euadere.

III. Melior tamen est contraria sententia, pro qua sit nostra propositio. *Deus, ante omnem præuisionem malorum operum, non habuit aliquem actum positiuum voluntatis, quo excluserit aliquos efficaciter à gloria æterna, eósque deputauerit ad pœnam æternam.* Propositio est de fide ex Concilio Arausicano, canone vigesimo quinto, vbi Patres dicunt anathema asserentibus Deum aliquos prædestinasse ad malum. Item ex Valentino capite tertio ita dicente, *fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & impiorum ad mortem, in electione tamen saluandorum, misericordiam præcedere, in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iustum iudicium.* Item ex Trid. sess. 6. can. 17.

Probatur primò ex scripturis, quæ testan-
IV. tur passim Deum non fecisse mortem, non delectari in perditione viuentium, nolle aliquos perire: & *Sapientiæ* secundo: *inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum:* item *Ecclesiastici* decimo quinto. *Ezechielis* trigesimo tertio capite: *viuo ego, & nolo mortem peccatoris, sed vt ipse conuertatur & viuat.*

Probatur secundò ex Patribus, vt Augustino epistolâ centesimâ quintâ, vbi docet Deum non prius esse vltorem, quàm homo sit peccator: item libro tertio *contra Iulianum* capite decimo octauo: *bonus est*, inquit, *Deus, iustus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est*; quod idem habet epistolâ centesimâ sextâ. Item ex eo, quòd tam istis locis, quàm aliis, vbi agit de prima causa reprobationis, semper ait illam

A esse, vel peccatum originale, vel aliquod mortale actuale: item ex sancto Prospero libro primo responsionum *ad capitula Gallorum*, in responsione ad primam, tertiam, septimam, octauam obiectiones, & libro secundo, in responsione ad secundam obiectionem, docet neminem esse à Deo creatum, vt periret, aitque prorsus esse alienum à Deo, quidquid in vnoquoque damnandum est. Item ex diuo Fulgentio libro *ad Monimum*, capite decimo, & pluribus aliis. V

Probatur tertiò: velle, quantum est ex se, salutem omnium hominum, &, non expectato cuiusquam demerito, velle efficaciter damnationem aliquorum, sibi inuicem repugnant, vt intelligetur ex dicendis inferiùs: atqui Deus, in primo illo signo rationis, quo concipitur à nobis cogitasse de creandis hominibus, voluit illis, quantum est
B ex se, salutem, seu gloriam æternam; vt patet ex dictis de voluntate antecedenti, & ex eo, quòd creauerit illos ad vitam æternam: igitur repugnat, Deum in primo illo signo rationis, cogitasse de hominibus creandis, etiam efficaciter deputandis ad æternam damnationem, non expectato demerito cuiusquam. VI

Deinde, si Deus velit efficaciter aliquibus pœnam æternam ante præuisum quodlibet eorum demeritum, vel illam eis vult, vt finem, vel vt aliquod stipendiũ, vel vt aliquod medium manifestandæ suæ iustitiæ vindicatiuæ: at nullo istorum modorum vult illis damnationem: non primo, quia qui vult efficaciter finem, vult, saltem virtualiter, aliqua media, quibus finis ipse obtineatur; at media, quibus damnatio, & pœna æterna obtinentur, sunt peccata originale, vel mortale, finalis VI
C perseuerantia in illis, quæ Deus odit, nec est eorum auctor, vt Theologi docent ex professo primâ secundæ.

Nec item secundo modo, quia, vt ostendimus, quando aliquid volumus alteri, vt stipendium, vel, vt pœnam, si stipendium istud sit quoddam bonum, priùs volumus id propter quod tale stipendium confertur, &, si sit pœna, saltem præcognoscimus malum, vt ei adaptemus pœnam, & hæc proportionetur ei, aliàs irrationabiliter pœna decerneretur: atqui, iuxta Caluinum, Deus, in illo signo rationis, nondum præuidit aliquod demeritum ipsius hominis.

Non denique tertio modo, quoniam iustitia vindicatiua est de numero earum perfe-
D ctionum, quarum manifestatio spectat tantùm ad perfectionem vniuersi, ex præsuppositione alicuius mali, cui medendum est: vnde, si nullum præsupponatur malum, saltem in præuisione, vt in præsenti casu, nihil debet decerni in manifestatione, & ostensione talis perfectionis. VI

Tandem tenemur sentire de Deo in bonitate, & non in crudelitate, *Sapientiæ* primo capite; atqui credere Deum, in illo signo rationis, ante præuisum aliquod malum opus, velle efficaciter aliquibus damnationem æternam, non est sentire de Deo in bonitate, sed illum facere crudeliorem hominibus, cùm tamen dicat, se plus amare homines, quàm mater amet proprium filium: ergo debemus credere Deum, in illo signo rationis, ante præuisionem aliquorum demeritorum, non

deputasse aliquos homines efficaciter ad æ- A
I. ternam damnationem, & æternam pœnam.

ARTICVLVS II.

Respondetur obiectionibus contra doctrinam præcedentis articuli.

CALVINVS obiicit primò, illud Apostoli *ad Romanos* nono: *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*: & illud, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* At hæc testimonia sunt à nobis superiùs exposita de electione ad primam gratiam, & prælatione ipsius Iacob supra fratrem suum Esaü, quoad specialia quædam dona, tam spiritalia, quàm temporalia.

Posset quoque pro Caluino obiici duodecimum caput libri *Sapientiæ*, vbi olim sic lege-
II. batur: *neque rex, neque tyrannus in conspectu* B
tuo, inquirent de his, quos perdidisti: cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas à tua virtute. Sed

Respondetur talem lectionem istius loci esse mendosam, ideóque in vulgata editione, recognita auctoritate summorum Pontificum, Sixti quinti & Clementis octaui, locum hunc sic fuisse restitutum suo genuino sensui: *cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute*: qui sensus est apertus, & directè facit contra Caluinum. Et hæc lectio probatur ex ipsomet textu Græco, vt Vatablus obseruat ad illum locum Sapientiæ.

III. Secundo loco Caluinus obiicit illud Apo-
stoli *ad Romanos* nono, repetitum ex nono ca-
pite Exodi, *quia in hoc ipsum excitaui te*, sci- C
licet Pharaonem, *vt ostendam in te virtutem, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: & paulò pòst: *numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* at, ex dictis suprà facere vas in honorem, est facere prædestinatum, seu eligere ad gloriam, & facere vas in contumeliam, est facere reprobum, seu reprobare aliquem: ergo Deus, ex sola sua voluntate, & potestate, aliquem reprobat.

Confirmatur: Deus habet plenum dominium in omnes homines, & longè maius, quàm
IV. figulus luti in massâ luti, quia potest illos, pro D
sua tantùm voluntate absoluta, sine aliquo præcedenti eorum demerito, annihilare: ergo ratione istius plenissimi, & perfectissimi sui dominij, poterit aliquos eo fine creare, vt eos deputet ad æternas pœnas, etiam ante præuisionem alicuius demeriti.

Confirmatur ampliùs ex eo, quòd *Prouerbiorum* decimo sexto, Deus dicitur esse operatus omnia *propter semetipsum*, impium etiam *in diem malum*.

Verùm ad hæc respondetur: & primò ad illud sancti Pauli, repetitum ex nono capite *Exodi*: in isto opere Dei circa Pharaonem, sicut & in aliis eius operibus, circa peccatores, duplicem distingui intentionem Dei, & duplicem finem: vna intentio est *primaria*, nimirum suâ longanimitate adducere peccatores
ad pœnitentiam, cuius proximus finis est exer- V.
cere in illos suam misericordiam, vt tandem perducat eos ad gloriam, quemadmodum Apostolus significat *ad Romanos* secundo capite, quando alloquens peccatorem ita ait: *an diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* altera intentio est *secundaria*, vt nimirùm, si hæc primaria non consequatur suum effectum, tunc potentia, iustitia, & sapientia Dei manifestentur circa eiusmodi peccatorem, quatenus per hoc quod peccator non emollitur ad pœnitentiam, ex ipsa bonitate Dei eum prouocante ad illam, sed potiùs obdurescit in peccatis, inde Deus accipit occasionem manifestandi suam potentiam, iustitiam, & sapientiam, puniendo eum, vt ibidem Apostolus significat, sic alloquendo prædictum peccatorem: *secundùm
autem duritiem tuam, & impœnitens cor tuum,* VI.
thesaurisas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: iam sanctus Paulus, citans prædictum locum Exodi, loquitur tantùm de hac secundaria intentione, quatenus Deus permisit Pharaonem iam promerentem grauissimas pœnas ob peccata sua antecedentia, & abutentem diuinâ longanimitate, regem permanere, & obdurescere, vt ipsa Dei potentia, & iustitia ostenderetur circa illum. Atque hunc esse sensum Apostoli, docent hæc verba statim sequentia: *quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum*, &c. Hæc enim particula, *sustinuit in multa patientia*, denotat magnam tolerantiam Dei circa peccatores, dum illos expectat ad pœnitentiam: & sanctus Augustinus libro
quæstionum *in Exodum*, quæstione trigesimâ VII.
secundâ, ita locum illum Exodi explicat, non quòd Deus humanam naturam creet ad malitiam, sed quòd vtatur malis hominibus ad admonitionem, vel exercitationem bonorum.

Neque huic expositioni obstat istud, quod subiungit ibi Apostolus: *ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: hoc enim tantùm significat specialem illam gratiam, quam Theologi vocant *efficacem in actu primo*, per quam fit, vt peccator liberè quidem, sed tamen infallibiliter, consentiat vocationi, dari à Deo vni potiùs, quàm alteri, ex speciali misericordia Dei, quod omnes Theologi docent agendo de illa: & Deum aliquibus peccatoribus, in pœna peccatorum, quibus inhærent, sub-
trahere specialia quædam auxilia, relinquen- VIII.
do tamen illis sufficientia, sicque indurare illos, quatenus eis non dat auxilia specialia, quibus de facto infallibiliter emollirentur, quod facere est liberæ voluntatis Dei, quemadmodum sanctus Augustinus explicat *Epistolâ* centesimâ quintâ, & tractatu quinquagesimo tertio in sanctum Ioannem, & alibi sæpè.

Nec item obstat exemplum desumptum à figulo, quo Apostolus ibi vtitur: istud enim affertur ad retundendam audaciam, & temeritatem eorum, qui volunt exigere à Deo rationem, cur ex duobus peccatoribus, det vni gratiam specialem valde congruam, quâ nouit eum de facto conuertendum; alteri verò, etiam peccatori, det solummodo auxilia sufficientia, nimirum, totum hoc esse, ex sola vo-

I. luntate libera Dei, qui, ex mera sua liberalitate, distribuit eiusmodi gratias: & similitudo Apostoli est in eo, quòd, sicut figulus absque vlla iniuria habet potestatem faciendi ex eadem massa luti, vnum vas in honorem, & aliud in contumeliam, ita Deus, sine vlla iniuria vel etiam indecentia, habet potestatem, ex duobus peccatoribus, luto, ratione sui peccati mortalis, vilioribus, efficere vnum vas in honorem, præbendo ei specialissima auxilia, quibus infallibiliter saluabitur; alterum verò relinquere vas in contumeliam, quale, se ipsum peccando efficit, nimirum nulla tribuendo ei auxilia specialissima, sed tantùm auxilia aliqua sufficientia.

Ad illud verò, quod ibi subsumitur in obiectione, nimirum, facere vas *in contumeliam,* esse facere reprobum, & reprobare.

Respondetur ex dictis suprà, duplicem dis-
II. tingui etiam reprobationem; vnam dumtaxat *inchoatam,* quæ est ad gratiam efficacem singulariter infallibilem: alteram, quæ significet electionem ad vitam æternam, &, pro reprobatione, exclusionem à regno æterno, nos hîc de hac tantùm disputare: Apostolum verò, loco illo citato, agere tantùm de priori illa incompleta reprobatione: hanc enim similitudinem figuli desumpsit ex decimo octauo capite *Ieremiæ,* apud quem sic Deus loquitur: *sicut lutum in manu figuli, sic vas in manu mea,* deinde subiungit, *si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei: & subitò loquar de gente, & de regno vt ædificem, & plantem:* quo loco Propheta docet eos, qui sunt vasa contumeliæ, posse agere pœ-
III. nitentiam; & Deum illos esse facturum vasa honoris, si eos pœniteat sui peccati; quod rectè potest intelligi de hac reprobatione tantùm inchoata.

Ad primam confirmationem respondetur, concesso antecedente, negando consequens: sicut enim omnipotentia Dei non postulat, vt Deus possit peccare, quia hoc est quædam imperfectio, ita nec plenissimum illud dominium, quod Deus habet in quamlibet creaturam intellectualem, postulat, vt possit illam creare, fine, & intentione deputandi eam efficaciter ad pœnas æternas, ante præuisionem alicuius culpæ, quia hoc pugnat cum attributo diuinæ iustitiæ; at attributa Dei sese non inuicem destruunt, nec sibi inuicem repugnant.

IV. Ad secundam confirmationem respondetur, Sapientem ibi velle tantùm Deum fecisse, seu ordinasse omnia ad suam gloriam, & quoniam impius, quatenus talis, poterat videri non comprehendi, quia sic est contra gloriam Dei; ideò Sapiens subiungit, etiam *ipsum impium, ad diem malum,* id est, & in eo, quem præsciuit futurum impium, spectauit etiam Deus hunc finem suæ gloriæ, vt nimirum iustè puniretur pro sua impietate, & per hoc etiam gloria Dei commendaretur in illo.

A

ARTICVLVS III. V.

Vtrum Deus ante præuisa peccata habuerit efficacem voluntatem excludendi aliquos à gloria, ad splendorem suæ gloriæ & iustitiæ manifestationem.

SANCTVS Thomas hâc quæstione 23. & aliqui eius discipuli ibi, item Gregorius Ariminensis in primum sententiarum distinctione quadragesimâ primâ quæstione primâ, putant Deum, ante quamlibet præscientiam peccatorum siue originalis, siue mortalis, siue actualis, habuisse actum aliquem positiuum, quo voluit efficaciter excludere aliquos à
B gloria æterna, sic veluti dicendo, *volo hos & istos excludere à vita æterna.* VI.

Quòd si quis dicat, talem exclusionem habere rationem alicuius pœnæ, saltem *damni,* esse autem absurdum aliquem efficaciter ordinare ad pœnam, ante peccatum eius etiam præuisum; notant exclusionem à gloria æterna posse sumi duobus modis: primò vt habet rationem alicuius priuationis, & pœnæ, saltem *damni,* & sic supponere culpam saltem in præscientia: secundò posse sumi vt tantùm importat actum positiuum, non dandi aliquibus beatitudinem, ordinando id ad manifestationem suæ iustitiæ, & gloriæ, & ad maiorem splendorem, tum iustitiæ, tum etiam misericordiæ erga electos; & hoc posteriori modo hanc exclusionem improborum fuisse à Deo volitam positiuè, & efficaciter. His tamen non
C obstantibus, VII.

Sit hæc nostra propositio: *Deus ante præuisionem cuiuscumque peccati hominum tam actualis, quàm originalis, non habuit aliquem actum positiuum, quo efficaciter excluserit aliquos à gloria æterna, etiam non considerando istam exclusionem, per modum priuationis, & pœnæ, sed alicuius tantùm modi, ad splendorem suæ gloriæ, & manifestationem suæ iustitiæ vindicatiuæ.*

Probatur primùm iis omnibus testimoniis sacræ scripturæ, quibus Deus dicitur valde exoptare salutem omnium, & singulorum hominum, nullo excepto, vt primæ ad *Timotheum* 2. item iis omnibus, quibus ait se nihil omisisse eorum, quæ erant necessaria ad eorum salutem, vt Isaiæ quinto, *quid debui facere vineæ meæ, & non feci.* Item iis omnibus, quibus
D Apostolus passim testatur Christum Dominum VIII.
esse mortuum pro omnibus, & singulis hominibus, nullo excepto: quæ tria omninò ruerent, si Deus habuisset talem voluntatem efficacem circa aliquem.

Primùm quidem, quia voluntas ordinans omnes & singulos homines, eodem modo consideratos, ex parte sui, ad gloriam æternam, tanquam in finem supernaturalem, & quæ in hunc finem deputauit illis media sufficiêtia, & voluntas excludendi aliquos ex istis hominibus efficaciter, & positiuè ab eiusmodi gloria æterna, non possunt simul stare, sicut veritas alicuius propositionis vniuersaliter affirmantis, non potest stare cum veritate alicuius propositionis particularis negantis oppositæ isti vniuersali, cùm affirmans vniuersalis debeat verificari in omnibus & singulis suis indiuiduis: at Deus, ex citatis scripturis,

I. primo loco habuit voluntatem dandi gloriam æternam omnibus, & singulis hominibus, nullo excepto: ergo Deus non habuit actum positiuum voluntatis, quo aliquos ex omnibus hominibus consideratis secundùm talem statum, excluserit efficaciter à gloria æterna, quouis modo considerata.

Quòd item secundum dictum sacræ Scripturæ rueret, probatur: nam, vbi est efficax exclusio à vita æterna, ante quodcunque opus præuisum creaturæ rationalis ita exclusæ, ibi sincerus amor dandi isti creaturæ vitam æternam non potest dici esse, item cura, & solicitudo diligens administrandi ei, quæ sunt necessaria, ad illam comparandam, non potest dici esse ibi, ita vt steterit per solam creaturam rationalem, quin de facto illam sit consecuta, quia sincerus amor, & sincera volitio vitæ æternæ alicui creaturæ, opponitur eius exclusioni
II. efficaci à tali fine, sicut etiam prædicta cura mediorum ei opponitur: vbi enim aliquis est antecedenter exclusus, absolutè, & simpliciter, ibi diligens prouisio mediorum ad id à quo efficaciter est exclusus, est ridicula, quando talis prouisor nouit talem efficacem exclusionem esse immutabilem; verbi gratiâ, medicus, qui probè nouit hominem iam esse mortuum, sese ridiculum redderet, si prouideret ei de remediis contra mortem: at ex testimoniis sacræ Scripturæ positis secundo loco, Deus habet sincerum amorem perducendi omnes homines, nullo excepto ad gloriam æternam, quatenus voluit ante præuisionem cuiuscumque illorum operis, creare illos in finem gloriæ æternæ, illisque sollicitè prouidere de mediis necessariis ad istum finem: ergo Deus tunc non
III. potuit habere efficacem voluntatem excludēdi efficaciter aliquos homines à gloria æterna.

Probatur denique tertium pronuntiatum sacræ Scripturæ, iuxta oppositam opinionem, etiam euerti: Christus Dominus nullo modo est mortuus pro iis, quos præsciuit Deum decreto efficaci, eóque omnimodè absoluto, exclusisse à supernaturali beatitudine in perpetuum, antecedenter ad quæcumque eorum opera, nec instituit sacramenta sua, pro tali beatitudine illis acquirenda, vt patet de Angelis damnatis, & ex eo, quòd voluntas Christi Domini non fuit cōtraria Dei voluntati absolutæ, & consequenti, vt Theologi docent tertiâ parte quæstione decimâ octauâ; nec item Deus, quantum est ex se, dat hominibus, sic à se efficaciter exclusis, aliquod ius ad gloriam
IV. æternam, per legitimam susceptionem sacramentorum nouæ legis, quia aliàs efficax decretum prædictæ exclusionis deberet esse tantummodo conditionatum, ne mutatio fieret in diuina voluntate, per tale ius acquisitum ab illis: atqui aliqui homines dantur, qui iuxta oppositam opinionem sunt exclusi in perpetuum à supernaturali beatitudine, per efficax decretum Dei, etiam antecedenter ad omnia, & quæcunque eorum opera præuisa, & Christus Dominus hoc sciuit ante suam mortem, & sacramentorum suorum institutionem, fuit enim beatus à primo instanti suæ conceptionis, vt docetur tertiâ parte quæstione decimâ, viditque omnia, quæ Deus nouit, per scientiam *visionis*, quâ quidem scientiâ nouit Deus istos esse exclusos in perpetuum ab æterna beatitudine: igitur de facto dantur ali-

A qui homines, pro quibus Christus Dominus V.
nullo modo est mortuus, & quibus etiam Deus, quantum est ex se, nullum confert ius ad gloriam æternam, per susceptionem legitimam sacramentorum nouæ legis, quod tamen vtrumque est hæreticum: primum quidem, ex sacris litteris superiùs citatis: secundum item, quia est expresè damnatum in Concilio *Tridentino* sessione septimâ & capite septimo.

Quòd verò talis exclusio non possit esse à Deo purè, & simpliciter in ordine ad manifestationem suæ iustitiæ, patet argumento facto pro articulo primo huius disputationis, contra Caluinum, & ex dictis suprà.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur duæ obiectiones contra doctrinam
B *superioris articuli.* VI.

AVCTORES primæ sententiæ obiiciunt primùm, sanctum Augustinum *epistolâ* centesimâ septimâ, & libro *de dono perseuerantiæ* capite duodecimo, dicere multos non fieri saluos Deo nolente, vel Deo volente, illos non fieri saluos; cuius rei exemplum repetit à paruulis, qui parentibus eorum cupientibus, & ministris Ecclesiæ festinantibus ad dandum eis baptismum, derepente moriuntur, antequam suscipiant illum: at modus iste loquendi importat actum aliquem positiuum efficacem diuinæ voluntatis, quæ iam excluserat hunc paruulum ab æterna gloria.

Respondetur, sanctum Augustinum totâ illâ epistolâ, tantùm agere de prædestinatione ad primam gratiam specialiter efficacem, vt ipse-
C met paulò antè testatur, quæ gratia datur, ex VII.
mera Dei voluntate gratuita: hîc autem agimus tantùm de electione ad gloriam, & exclusione ab illa. Deinde potest responderi locum illum significare tantummodo nudam permissionem Dei; cùm ipsemet sanctus Augustinus, etiam agens de reprobatione paruulorum, semper assignet peccatum originale in quo decedunt ante susceptum baptisma, vel in lege Mosaïca ante circumcisionem, vel aliud remedium, pro causa reprobationis illorum: hinc citatus canon Concilij Valentini reddens adæquatam rationem prædestinationis electorum ad gloriam, & periturorum ad malum, ait, malum meritum præcedere hanc ipsam posteriorem prædestinationem.

Obiicies secundò: beatitudo supernatura-
D lis nulli creaturæ rationali secundùm sua na- VIII.
turalia consideratæ, est debita: ergo Deus pro sua voluntate absque aliqua iniuria potuit ab æterno ante præscientiam cuiuscumque boni vel mali vsus liberi arbitrij eligere quosdā ad vitam æternam, & quosdam positiuè & efficaciter excludere à vita æterna, cùm sæpè iam monuimus ex sancto Thoma, acceptio personarum non habeat locum in gratuitis.

Respondetur hominem posse considerari duobus modis: primò, secundùm pura sua naturalia, non considerando eum, vt est, ex gratuita voluntate Dei, ordinatus ad finem supernaturalē, quomodo, si voluisset, potuit creare eum, cum perfectionibus tantùm naturalibus, & ordinatione ad beatitudinem dumtaxat naturalem: deinde potest considerari, prout est ordinatus ad beatitudinem supernaturalem,

Deinde potest duplex distingui debitum:
I. vnum *congruentiæ*, quo, verbi gratiâ, dato corpore benè disposito, & organisato, forma ei correspondens dari debet; alterũ *iustitiæ*, quo, quis tenetur dare aliquid alteri: si homo spectetur priori modo, & secundùm prius debitum, verum est quod obiectio habet, & tamen, quia Deus de facto creauit hominem, modo dumtaxat posteriori, vt Theologi docent primâ secundæ, agendo de vltimo fine hominis, &, quicumque vult alicui finem excedentem vires eius, debet, saltem ex debito congruentiæ, velle ei, & dare, quantum est ex se, media ad consequendum illum; fit, vt Deus sese constituerit hominibus singulis debitorem conferendæ illis beatitudinis supernaturalis, quantum est ex parte sui, nec proinde possit aliquos ab illa excludere, efficaci quadam voluntate, ante mala
II. eorum opera, saltem præuisa, aliàs negaret se ipsum, quod implicat.

Articvlvs V.

Vtrum Deus aliquos, ante præuisa eorum mala opera, negatiuè reprobauerit.

Aliqvi ex discipulis sancti Thomæ hâc quæstione admittunt duplicem reprobationem, vnam *positiuam*, quâ Deus actu aliquo, nonnullos excludit à gloria, eósque illâ punit, tanquam pœnâ *damni*, vel etiam eos vlteriùs deputat ad pœnam æternam *sensus*, & hanc volunt fieri, ex præuisione peccati originalis, vel alicuius actua-
III. lis mortalis, in quo ipse homo moritur: alteram *negatiuam*, quatenus in eorum sententia Deus sese habuit positiuè circa aliquos, scilicet eos in particulari seligendo, ex tota hominum multitudine, efficaciter ad gloriam æternam ante præuisionem bonorum operum, habendo se negatiuè circa reliquos, seu, in illo eodem signo rationis, non ordinando eos ad gloriam æternam, sed relinquendo in massa perditionis, quos vbi in aliquo signo rationis, præuidit morituros in peccato mortali actuali, vel originali deputauit *positiuè*, ad pœnam *damni*, si cum solo originali, vel etiam ad pœnam *sensus*, si sint præuisi morituri in peccato actuali mortali.

Melior tamen est contraria sententia, cum qua concludimus: *Deus nullos reprobauit effi-*
IV. *caciter, etiam negatiuâ tantùm reprobatione, ante mala eorum opera præuisa, in quibus, & cum quibus morerentur.*

Probatur primùm ex iis omnibus, quibus, agendo de voluntate Dei, diximus Deum non posse habere se negatiuè circa aliquod obiectum sibi debitè propositum. Deinde ex his omnibus, quæ præcedentibus articulis attulimus: quod enim auctores illi explicant, Deum facere, per volitionem formalem, quâ positiuè, & efficaciter aliquos excludit à gloria æterna; hoc idem censent auctores contrariæ sententiæ, per volitionem dumtaxat *interpretatiuam:* at absurdum est dicere Deum, actu quodam interpretatiuo, qui tamen sit efficax, velle exclusionem aliquorum ab æterna beatitudine, ante omnem præuisionem cuiuscumque peccati: quod enim est

A volitum *interpretatiuè*, censetur in morali- V.
bus esse simpliciter volitum, vt Theologi docent primâ secundæ: at, ex dictis suprà, absurdum est dicere Deum habuisse volitionem efficacem formalem *virtualiter*, aut *interpretatiuè*, quâ, ante præuisionem omnem peccati, excluserit aliquos efficaciter ab æterna gloria: igitur absurdum etiam est dicere, Deum aliquos reprobasse efficaciter, ante quamlibet præuisionem malorum operum.

Quòd autem hæc negatiua reprobatio sit quædam *interpretatiua* volitio exclusionis eiusmodi hominum à gloria, probatur sumpto exemplo ab Architecto volente aliquam domum ædificare; nam satis frequenter gloria æterna in sacris literis vocatur *Hierusalem cælestis*; item *domus & ciuitas beatorum*; similiter Deus appellatur artifex illius componendæ: sit igitur aliquis Architectus,
B qui penes se habeat ingentem numerum la- VI.
pidum, puta octo mille, concipiat in mente aliquam domum fabricandam in certa & determinata mensura, iam quatuor millia lapidum ei sufficiant construendæ, prout illam determinauit, &, ex illo ingenti cumulo octo millium, in quo omnes lapides sunt pares inter se, seligat quatuor millia, quibus formam, & figuram præfiniat, sciátque certò rem ita futuram infallibiliter, nec vnum quidem lapidem, ex istis omnibus, defecturum ab eo fine, ad quem designauit illum, censetur interpretatiuè exclusisse efficaciter totam reliquam congeriem lapidum à compositione sui ædificij: atqui Deus, tanquam Architectus quidam, voluit construere regnum cælorum, ex prædestinatis, tanquam viuis lapidibus, quos
C selegit ex tota hominum multitudine, aliàs VII.
sibi æqualium, quos prædestinatos voluit esse tantùm in aliquo determinato numero, cui nullus posset addi, nec detrahi, vt intelligitur ex capite vigesimo Apocalypsis: igitur Deus, eo ipso, censetur, interpretatiuâ voluntate, exclusisse à regno cælorum reliquam multitudinem hominum.

Neque his obstat, quòd Deus semper det istis hominibus media sufficientia: quia, tunc tantùm Deus censetur dare media sufficientia alicui adulto, ad consequendum gloriam æternam, quando solummodo stat per negligentiam eius, cui dat ista media, quòd de facto non saluatur, vt Theologi docent, agendo de gratia sufficienti: sed datâ istâ reprobatione negatiuâ, non solùm stat, ex negligentia istius
D hominis ita reprobati, sed ex parte Dei, etiam VIII.
antecedenter ad omnem & quamlibet volitionem istius hominis, quatenus Deus, vi ipsius decreti, tantùm voluit hos, & illos assumere ad vitam æternam; & præterea nullum factum est decretum conditionatum dependens à voluntate hominis, sic negatiuè reprobati, quantum ad mala eius opera, propter quæ reprobaretur: igitur eiusmodi auxilia, quoquo modo spectentur, non sunt, loquendo propriè, sufficientia.

Secundò probatur: prius est homines deserere Deum, quàm Deum deserere homines, ex sancto Augustino passim contra Pelagianos, & ex *Tridentino*, sessione sextâ capite vndecimo: at, datâ reprobatione negatiuâ, hoc modo factâ, Deus priùs deserit hominem, quàm homo Deum: talis enim reprobatio ne-

I. gatiua efficax, est, propriè loquendo, quædam A
desertio ipsius hominis.

Nec est, quòd, quis dicat homines priùs deseruisse Deum, scilicet peccando in primo parente: nam primò, secundùm aliquos auctores istius sententiæ, hæc reprobatio negatiua, est facta antecedenter ad præuisionem peccati primi parentis: & proinde sunt efficaciter derelicti à Deo, antequam præcognoscerentur deserere Deum. Deinde, iuxta illos, qui volunt hanc reprobationem negatiuam esse duntaxat factam, post præuisos homines constitutos in communi massa perditionis, per peccatum primi parentis; multi, ex reprobatis negatiuè, consecuti sunt, de facto, remissionem, non tantùm originalis peccati, per baptismum, sed etiam actualium commissorum posteà, nimirum vi sacramenti pœ-
II. nitentiæ; sicque, non prius, etiam in præui- B
sione, deseruerunt Deum, quàm Deus illos deseruerit, & prætereà, Deus, præuisâ eorum præuaricatione in primo parente, voluit illis in Christo Domino, sincerè, & ex animo remedia, non tantùm aduersus originale, sed etiam aduersus alia omnia, eísque prouidit de mediis sufficientibus, ad assequendum vitam æternam: at hæc præuisio non potest consistere cum reprobatione negatiua eorum facta, antecedenter ad alia eorum præuisa demerita, vt facilè intelligitur ex dictis.

Dices, Deum nulli facturum esse iniuriam, si, post præuisos homines in communi massa perditionis, aliquos erueret liberaliter, & aliquos, pro sua voluntate relinqueret, sicut si princeps, ex multis iustè condemnatis ad
III. mortem, saluet aliquos duntaxat, relinquen- C
do alios.

Respondetur: si Deus consideretur ante volitionem, & decretum de dandis mediis, quibus omnes homines, nemine excepto, possent, quantum est ex parte eius, & Christi Domini, erui è tali massa, & peruenire ad vitam æternam, tunc Deum, in tali signo rationis, potuisse relinquere aliquos in massa perditionis, aliis ex ea extractis, pro sua gratuita voluntate, & exemplum nunc allatum ad id valere, & istud, sicut sanctus Augustinus sæpè facit, posset vrgeri contra eos, qui conquererentur de eo, quòd Deus det aliquibus gratias magis efficaces, & valde congruas, quàm aliis, quibus dat tantùm sufficientes: at, si Deus consideretur, vt, post præuisum peccatum Adæ, & lapsum hominum in illo, adhuc voluit omnibus hominibus, nullo excepto,
IV. vitam æternam, & remedia contra quodcum- D
que peccatum, sicut patet illum voluisse, ex testimoniis sacræ Scripturæ superiùs citatis, non potuit habere aliquam voluntatem, etiam interpretatiuam, excludendi efficaciter aliquos ab æterna beatitudine, antequàm præuideret illos morituros in aliquo suo peccato, siue originali, siue mortali actuali: quia, vt superiùs probatum est, talis volitio non potest simul compati cum illa alia eius voluntate antecedenti, quâ vult omnibus, & singulis salutem, & gloriam æternam.

ARTICVLVS VI. V.

Vtrum Deus post præuisa mala opera tantùm reprobet homines.

SIT hæc nostra propositio. *Deus tantùm habuit actum positiuum, & efficacem voluntatem excludendi aliquos à vita æterna, postquam certò, & infallibiliter, præuidit eos morituros finaliter in suo originali peccato, vel in aliquo actuali mortali.*

Probatur iis omnibus, quibus ostendimus, Deum non esse priùs vltorem, quàm homo sit reus. Item ex iis omnibus, quibus ostendimus, aliquorum ordinationem ad mortem, præsupponere aliquod eorum demeritum: item ex iis, quibus probauimus Deum nullum habuisse actum positiuum; imò nec inter- VI.
pretatiuum, quo excluderet aliquos ab æterna vita, ante præuisionem operum, nec voluntatem Dei sese habuisse tantùm negatiuè, circa aliquos sibi ab intellectu propositos.

ARTICVLVS VII.

Vtrum aliqua causa reprobationis detur ex parte reprobi.

FACILIS est responsio, suppositâ doctrinâ articulorum præcedentium, nimirum, *peccatum illud, siue sit originale tantùm, siue actuale mortale, vnum, vel multiplex, cum quo homo moritur, esse causam adæquatam reprobationis eius: &, cùm peccatum istud sese teneat ex* VII.
parte hominis, dari in reprobo veram aliquam causam reprobationis eius. Ita Alensis primâ parte quæstione vigesimâ secundâ membro tertio articulo primo, sanctus Thomas lectione secundâ, & tertiâ in caput nonum epistolæ *ad Romanos*, sanctus Bonauentura libro primo sententiarum distinctione quadragesimâ primâ articulo primo, & alij plures ibidem, & præsenti quæstione.

Probatur primò ex iis omnibus testimoniis sacræ Scripturæ, quæ asserunt perditionem hominum prouenire ex illis. Deinde ex Patribus, vt sancto Augustino libro primo *ad Simplicianum* quæstione secundâ, vbi refundit reprobationem Esaü, in contemptum vocationis, quâ vocabatur à Deo, & ex consequenti, in peccatum eius, & perseuerantiam in peccato: item ex eo, quòd ibidem ait VIII.
Deum non odisse Esaü hominem, sed Esaü peccatorem: item libro *de prædestinatione Sanctorum* capite octauo & duodecimo ait eos, qui non liberantur, id est, qui reprobãtur, debere agnoscere debitum, & iusto Dei iudicio non liberari: at iustum iudicium supponit culpam originalem, vel actualem mortalem: item ex S. Prospero lib. primo *responsionum*, responsione ad septimam obiectionem, vbi, ait reprobos ruituros, quia Deus præsciuit propriam illorum voluntatem inhærentem peccatis. Patres etiam Concilij Valentini superiùs relati idem tradunt.

Addidi in responsione hanc particulam, *cum quo homo moritur*, quia peccatum originale, quatenus sumitur præcisè, vt originale, quamuis, vt sic, sit causa, ex se idonea

I. ad reprobandum aliquem, quatenus facit, A
vt homo nullum habeat ius ad vitam æternam, sítque inimicus Dei, similiter etiam peccatum actuale mortale, præcisè spectatum: attamen ad hoc, vt alterutrum istorum peccatorum, vel vtrumque simul applicetur, ad causandum in actu secundo reprobationem alicuius, requiritur, vt in eo perseueret, vsque ad mortem inclusiuè: nam, in iis reprobis, quibus originale fuit remissum per baptisma, illud nihil influit in eorum reprobationem, cùm sit totaliter ablatum, & Deus nihil oderit in renatis, vt docet ex Apostolo, Concilium *Tridentinum* sessione quintâ, in decreto *de peccato originali*, canone quinto; sicut, nec in adultis baptisatis, mortale illis remissum per debitam pœnitentiam, quia peccata semel remissa nunquam redeunt.

Hinc, in paruulis, ante susceptionem ba-
II. ptismi morientibus, solum originale est cau- B
sa reprobationis eorum: in adultis verò non baptisatis, totus cumulus peccatorum, in quibus, & cum quibus moriuntur: in adultis baptisatis, sola mortalia non remissa, cum quibus decedunt ex hoc mundo: denique, in Angelis reprobis, mortale illud actuale peccatum, in quo, & cum quo obstinaces transierunt à statu suæ viæ ad suum vltimum terminum.

Quæres primò, an quemadmodum ex parte reprobi, datur aliqua causa reprobationis eius, vt ille consideratur in se, an etiam, pari modo, detur aliqua causa huius connexi, cur iste reprobetur, & cur Deus misereatur huius.

Si sensus quæsiti sit iste, cur ex duobus ob-
III. strictis aliquo peccato originali, vel actuali C
mortali, Deus assumat vnum, & alterum relinquat, cùm tam benè possit dare vtrique efficacem gratiam, & singulare donum perseuerantiæ, cur præponat vnum alteri? Respondetur, nullam dari causam ex parte reprobi: ibi enim quæstio mouetur de prælatione vnius ad alterum, & non simpliciter de causa reprobationis: at istius prælationis nulla datur causa, siue in reprobo, siue in prædestinato; sed totum istud est diuinæ voluntatis, quæ circa vnum exercet misericordiam, & iustitiam circa alterum: nam, si quæ causa huius rei daretur in hominibus, daretur etiam in illis aliqua causa illius singularis gratiæ, quam Theologi vocant *efficacem*, quod est contra fidem. Et hæc nostra responsio est
IV. expressa doctrina S. Augustini lib. *de prædesti-* D
natione Sanctorum capite octauo, nono, vndecimo, item libro quæstionum *ad Simplicianum*, quæstione secundâ, & tractatu 86. in sanctum Ioannem.

Quæres secundò, quomodo dixerimus peccatum originale remissum in baptismo, non pertinere ad causam reprobationis eorum reproborum, qui fructuosè baptisati fuerunt, cùm sanctus Augustinus passim doceat, omnes reprobos pertinere ad massam perditionis: hæc autem massa nihil sit aliud, quàm ipsum genus humanum infectum peccato primi parentis, in quo omnes homines, exceptâ beatissimâ Virgine Deiparâ, continebantur, & à quo est origo totius damni nostri, sicut & nostræ naturæ.

Respondetur, aliquem posse duobus mo-
dis esse in massa perditionis, seu pertinere V.
ad illam: primus modus est, *contagione ipsius peccati originalis*, quatenus scilicet, contraxit illud à primo parente, & adhuc est illo infectus, cuiusmodi sunt omnes non baptisati in re vel in voto: secundus modus est, *similitudine morum*, quatenus, qui etiam est fructuosè baptisatus, & posteà peccat mortaliter, imitatur, & exprimit veterem Adamum, eiúsque actus, & vitium illud, quod contentus in Adamo & infectus peccato originali, habebat in radice, iam habet re ipsa, per actualem commissionem: licet enim, per gratiam baptismi, sit erutus ex massa perditionis, quia tamen in peccatum relabitur, seu de nouo peccat, redit *morum similitudine* ad massam perditionis, & consideratur cum primo parente peccatore, tanquam cum vitiata, & damnata massa: iam apud sanctum Augustinum, massa perditionis non est VI.
tantùm massa eorum, qui sunt infecti peccato originali, sed est ea, quæ est digna morte æternâ, propter peccatum, quodcumque illud sit: quare reprobi fructuosè baptisati, dum posteà incidunt in peccata mortalia, & *morum similitudine* redeunt ad illam massam perditionis, rectè à sancto Augustino dicuntur esse in tali massa, pertinere ad massam perditionis, quemadmodum videre est libro quæstionum *ad Simplicianum* quæstione secundâ, libro *de correptione & gratia* capite septimo, libro *de dono perseuerantiæ*, capite octauo & vndecimo: libro *octoginta trium quæstionum*, quæstione sexagesimâ octauâ, & satis frequenter alibi.

DISPVTATIO IX. VII.

De effectibus reprobationis.

ARTICVLVS I.

Quænam sint conditiones effectuum propriè dictorum reprobationis.

QVIA reprobatio opponitur electioni ad gloriam, & est pars diuinæ prouidentiæ, vt sanctus Thomas docet hîc, quæstione vigesimâ tertiâ, articulo tertio, & commentario in epistolam *ad*
Romanos lectione 2. ad caput nonum, ideò, vt, VIII.
post explicatas causas prædestinationis de eius effectibus egimus, ita & hoc loco agendum nobis est de effectibus ipsius reprobationis: & quemadmodum diximus illos debere esse, ex aliqua volitione Dei, illos debere influere in assecutionem vitæ æternæ: sic etiam, vt aliquid loquendo propriè sit effectus reprobationis, debet esse à Deo, ex aliqua intentione excludendi hominem à vita æterna, vel etiam ad illum vlteriùs adiudicandum pœnæ æternæ, non damni, sed ipsius sensus.

Ea autem, quæ ad executionem reprobationis videntur facere, sunt hæc: primò, *permissio peccati*, siue *originalis*, siue *actualis*, tam *primi*, quàm *secundi*: deinde, *ipsum actuale peccatum*: tertiò, *perseuerantia in illo*: quartò,

I. *obduratio, & excæcatio in peccatis*: quintò, *mors*: vltimò, *ipsa inflictio pœna æterna*: de quibus omnibus difficultas potest moueri, an sint propriè effectus reprobationis: quare sit

ARTICVLVS II.

Vtrum peccatum sit propriè dictus effectus reprobationis.

NOTANDVM est, peccatum posse spectari dupliciter: primò, vt est malum *culpæ*: deinde, vt aliquando est pœna *alterius peccati*.

Prima propositio. *Peccatum, quatenus est malum culpæ, non est propriè effectus reprobationis.* Probatur: illud omne, quod est propriè aliquis effectus reprobationis, debet esse à Deo effe-
II. ctiuè, morali modo agente, vt intelligitur ex B dictis: at peccatum, quatenus est malum *culpæ*, non est effectiuè à Deo, vt morali modo agente; Deus enim non est talis causa peccati, vt Theologi docent ex professo primâ secundæ.

Secunda propositio. *Peccatum, quatenus est pœna alterius peccati præcedentis, non est propriè effectus reprobationis.* Propositio est contra Caietanum in caput duodecimum & decimum sextum libri secundi *Regum*.

Probatur: peccatum aliquod est solummodo pœna alterius, vel secundùm ea, quæ antecedunt illud, cuiusmodi sunt permissio peccati, subtractio gratiæ specialis, quæ, si daretur, alterum peccatum euitaretur, vel est solùm pœna, secundùm ea, quæ sequuntur illud,
III. cuiusmodi sunt infamia, labor, anxietas animi, C priuatio gratiæ, & id genus alia, vt sanctus Thomas docet primâ secundæ quæstione octuagesimâ septimâ articulo tertio, quando ait, peccatum esse tantùm per accidens pœnam alterius peccati, vt interpretes eius annotant ad illum locum: atqui ea, quæ sic antecedunt vel sequuntur aliquod peccatum, non sunt proprij aliqui effectus reprobationis, vt patebit ex dicendis.

Nec est, quòd Caietanus obiiciat, id quod habet rationem pœnæ, esse bonum laudabile, & proinde effectiuè à Deo, & ex consequenti posse esse effectum reprobationis: non est, inquam, quòd Caietanus id obiiciat: nam sanctus Augustinus libro quinto *contra Iulianum* capite tertio, fusè docet non id omne, quod habet aliquam rationem pœnæ, esse lauda- D
IV. bile, vel debere tolerari: sed eam tantùm pœnam esse laudabilem, & patienter tolerandam, quæ nec libido est, nec error: & ex consequenti, eam omnem, quæ est libido, vel error, non esse propriè à Deo, nisi vt permittente.

ARTICVLVS III.

Vtrum permissio peccati, & perseuerantia in peccato, sint effectus reprobationis propriè dicti.

PERMISSIONEM peccati esse effectum reprobationis, existimant Durandus, & Ariminensis in 1. sent. dist. 41. quæst. 2. Alij distinguunt, & volunt permissioné in primum peccatum, non esse effectum reprobationis: A at in secundum peccatum, esse. Ita Ferrar. lib. 1. *contra gentes* cap. 161. V.

Melior tamen est contraria sententia, pro qua sit prima nostra propositio. *Ipsa permissio peccati, siue primi, siue secundi, non est propriè loquendo, effectus reprobationis.*

Probatur: effectus reprobationis debet esse volitus à Deo, ex aliqua intentione reprobationis, & fine eius; vt intelligitur ex dictis: at finis reprobationis est damnatio creaturæ rationalis, quam Deus ex se nulli vult, vt docuimus contra Caluinum.

Confirmatur: priùs, in aliquo signo rationis, Deus vult permissionem peccati, quàm præuideat peccatum futurum, quia non esset futurum, nisi fuisset permissum fieri, & Deus priùs etiam præuidet peccatum, quàm velit æternam damnationem reprobi: nam reprobatio fit ex præuisis demeritis: ergo, cùm posterius non sit causa prioris, nec, quod est prius, sit effectus posterioris, talis permissio peccati non est effectus reprobationis. VI.

Obiiciunt primò modũ loquendi sacræ Scripturæ, quæ, dum loquitur de ista permissione, sæpè habet particulas aliquas causales id significantes. Sed de hoc modo loquendi scripturarum agemus articulo sequenti, vbi ostendemus, quòd non significent *causam finalem*, sed *euentum rei*.

Obiiciunt secundò: ad hoc vt aliquid sit effectus reprobationis, sufficit, quòd sit ex simplici complacentia excludendi aliquos à gloria: atqui Deus habet aliquam complacentiam excludendi aliquos à vita æterna, permittendo illos incidere in peccatum: ergo, &c.

Respondetur, simplicem complacentiam excludendi aliquos à gloria æterna non esse in Deo admittendam, nisi, quatenus is, qui excluditur, præuidetur esse, & mori in peccato mortali: vnde videtur esse contra bonitatem Dei, quòd ei homini, cui dat media sufficientia ad resurgendum à peccato, quamdiu viuit, velit aliquando malum, eâ intentione formali, vel interpretatiuâ, vt habeat occasionem excludendi eum à gloria æterna, cùm potiùs permittat malum illud aduenire, in punitionem suorum præcedentium peccatorum. VII.

Secunda propositio. *Perseuerantia in peccato, non est effectus reprobationis.* Probatur: quia hæc nihil est aliud quàm continuatio mali culpæ: ergo quemadmodum malum culpæ non est propriè loquendo effectus reprobationis, ita & perseuerantia in peccato non est aliquis effectus illius. VIII.

ARTICVLVS IV.

Vtrum obduratio, & excæcatio sint propriè effectus reprobationis.

SIT hæc vnica propositio. *Obduratio, & excæcatio non possunt propriè esse effectus reprobationis.* Probatur, & simul explicatur: duo possunt distingui in obduratione, & excæcatione: primum est, subtractio cuiusdam specialis auxilij, seu negatio gratiæ specialis, quæ si poneretur, peccator resurgeret à peccato; alterum est, quod explicamus positiuo modo loquendi, ipsa scilicet animi obstinatio in malum: iam, ratione neutrius, obduratio potest dici effectus reprobationis, quia, vt ali-

I. quid sit tale, debet fieri à Deo, vt ipsa reprobatio demandetur executioni; at Deus neutrum facit eo fine.

Non primum, quia, ex sancto Augustino sermone octuagesimo octauo *de tempore*, hæc desertio prouenit ex peccatis antecedentibus: deinde, denegare aliquid maximè vtile alicui, eâ intentione, vt damnetur, redolet aliquid crudelitatis in denegante, & est aliquid contrarium ei, quod Deus passim dicit per Prophetas, nimirum se expectare grauissimos peccatores ad pœnitentiam, & expetere, vt conuertantur, & viuant; at nihil est crudelitatis in Deo, etiam vt reprobante homines, imò Deus admiscet aliquid misericordiæ, in ipsa æterna punitione peccatorum, vt docuimus quæstione vigesimâ primâ: ergo induratio, & excæcatio, secundùm hanc considerationem, non
II. sunt effectus ipsius reprobationis.

Idem etiam probatur de eo, quod per modum positiuum loquendi explicamus, in ipsa obduratione: quia, quidquid sit illud, Deus non concurrit ad illud, intentione damnandi reprobum. Deinde illud nihil dicit aliud, quàm obstinationem in peccato, & conceptam desperationem veniæ peccatorum, vt patet ex illo verbo Cain *Geneseos* quarto, *maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, & ex desperatione Iudæ proditoris, quâ suspendit se laqueo; atqui desperatio non est à Deo, est enim intrinsecè peccatum contra Spiritum sanctum: ergo neque excæcatio, & induratio, secundùm hoc posterius, sunt effectiuè à Deo, nec proinde effectus reprobationis propriè dicti.

Nec obstat, quòd, quando Deus dicitur in sacris litteris indurare aliquos, dicatur id fa-
III. cere; vel, vt non videant, vel, vt non intelligant, vel, vt faciant aliquid aliud, quod etiam sit peccatum; nam in istis locis hæc particula, *vt*, vel alia similis, non significat *causam finalem*, sed *euentum rei*, quemadmodum sanctus Damascenus docet, libro tertio *de fide Orthodoxa* capite vigesimo: quod etiam probatur ex iis sacræ Scripturæ locis, quibus hoc, vel illud dicitur esse factum, vt scriptura adimpleretur, apud sanctum Matthæum capite secundo, apud sanctum Ioannem decimo nono: nam volitio talis effectus fuit nostro modo intelligendi prior in Deo, quàm volitio istius prophetiæ: eodem modo particula, *vt*, in excæcatione, & obduratione significat; ex subtractione auxiliorum spe-
IV. cialium, factum esse quadam consequutione, seu euenisse, vt obdurati, & excæcati posteà perierint, quemadmodum videre est apud sanctum Hieronymum quæstione decimâ *ad Hedibiam*, quia nimirum Deus offert aliquas occasiones, ex quibus tamen obdurati accipiunt occasionem euadendi obstinatiores, & de nouo peccandi, non, quòd Deus offerat illas intentione inducendi obduratos ad peccatum; Deus enim *malorum intentator est*, vt habetur primo capite *epistolæ* sancti Iacobi; sed eo sensu, quo pater vulgò dicitur perdere filium, quando ita sese gerit erga illum, vt, etiam benefaciendo ei, per indulgentiam filius accipiat ansam liberiùs peccandi.

Nec obstat, quòd ista reperiantur in omnibus reprobis: non enim id omne quod ad reprobationem præsupponitur, est aliquis effe-
A ctus eius propriè dictus, sicut nec id omne, V.
quod ad prædestinationem præsupponitur, est aliquis effectus prædestinationis propriè dictus, sed prætereà oportet, quòd habeat alias conditiones ad id requisitas.

ARTICVLVS V.

Vtrum inflictio pœnæ æternæ sit propriè effectus reprobationis.

SIT hæc vnica propositio. *Inflictio pœnæ æternæ est propriè effectus reprobationis.* ita sanctus Thomas hîc quæstione vigesimâ tertiâ articulo tertio in solutione ad secundum.

Probatur: illud propriè est effectus reprobationis, quod ex speciali ordinatione Dei, est medium illius exequendæ, éstque à Deo,
B vt agente modo morali; atqui inflictio pœ- VI.
næ æternæ est medium exequendæ reprobationis, & est, ex speciali ordinatione Dei, quia est aliquis actus vindicatiuæ iustitiæ Dei, & eum, cui infligitur, excludit in perpetuum à gloria æterna: igitur inflictio pœnæ æternæ est effectus reprobationis propriè dictus.

Dices: vnum & idem eodem modo consideratum, non potest esse causa, & effectus; sed reprobatio nihil aliud dicit, præter pœnam æternam, vel *damni* tantùm, vel etiam *sensus simul*: igitur inflictio pœnæ æternæ non potest esse effectus reprobationis.

Respondetur reprobationem, præcisè consideratam, dicere exclusionem à gloria, quæ quidem exclusio sumpta præcisè, non dicit
C repugnantiam cum aliqua pœna *sensus*; VII.
posset enim Deus facere, vt animæ purgatorij, etiam patiendo, viderent Deum, & sic ipsa exclusio à gloria æterna, est aliquid distinctum ab ipsa inflictione pœnæ: quia verò, ex lege ordinaria Dei, pœna illa æterna sensus est incompossibilis cum beatitudine, & pœna illa tamdiu durat in homine, quamdiu eius peccatum durat; ideò fit, vt pœna illa, quæ est effectiuè à Deo, & æterna in ipso homine, ex intentione Dei, sit proprius effectus reprobationis, & ita, quamdiu homo viuit, nullus ex parte Dei datur effectus reprobationis eius, nisi, quando, ex speciali ordinatione Dei, aliqui ita moriuntur, vt mors illorum sit pœna peccatorum præcedentium, Deúsque tunc incipiat puni-
D re illos in æternum, sicut contigit in Da- VIII.
than, & Abiron, qui viuentes descenderunt in infernum cap. 16. Numerorum.

Dixi, *speciali ordinatione Dei*, quia, etiamsi omnes reprobi moriantur in peccato mortali, mors tamen illorum non est à Deo decreta per aliquam veluti sententiam, sed Deus tantùm præuidit peccatum illud reprobi fore vltimum, & finale, si permittat, & non impediat, quod tunc non impedit: ex quo fit, vt eiusmodi mors reprobi, proueniat ex causis naturalibus, & generalibus non impeditis, quæ hoc & isto modo dispositæ, postulant talem mortem: vnde mors illa reprobi in peccato non est propriè effectus reprobationis.

Dices: cùm ergo infantes, qui moriuntur sine baptismo, ante vsum rationis, sint reprobi, nec

I. sustineant aliquam pœnam *sensus*, nullus erit A
effectus reprobationis illorum: nam, si quis
esset, maximè pœna *damni*, seu damnatio æ-
terna, vt etiam habet S. Thomas hîc quæstio-
ne vigesimâ tertiâ articulo tertio in solutione
ad secundum; at talis damnatio nihil est aliud,
quàm ipsa eorum reprobatio. Nihilominus ta-
men, ex parte eorum, datur quædam ratio
sufficiens, cur excludantur à gloria æterna,
scilicet peccatum originale, quemadmodum
& in aliis, qui sustinent pœnam *sensus*, pecca-
tum illud actuale, in quo discedunt ex hac vi-
ta, est causa illorum reprobationis.

Quamuis autem ex dictis constet, nec pec-
catum, aut eius permissionem ac perseueran-
tiam in eo, nec obdurationem & excæcatio-
nem, nec mortem in illo, esse effectus repro-
bationis propriè dictos; si tamen sumamus
II. nomen, *effectus reprobationis*, pro eo omni, B
quo homo, vel incurrit exclusionem à gloria
æterna, vel viam sibi parat ad illam, non re-
quirendo ad rationem talis effectus, quòd fit
à Deo, vt agente moraliter, & ex intentione
excludendi hominem à gloria æterna, facilè
admittemus, tam ipsam *permissionem peccati*,
siue *primi*, siue *secundi*, quàm *ipsum peccatum,
perseuerantiam in ill*[o], *excæcationem, obduratio-
nem, & mortem in illo*, esse aliquos effectus re-
probationis: quia homo, iis omnibus, seipsum
de facto excludit à regno cælesti; & sic nobis
facilè conciliantur auctores contrariæ sen-
tentiæ.

Cæterùm, quod spectat ad conciliandum
libertatem creatam cum reprobatione; item
III. vtrum reprobus possit saluari, & fieri præde-
stinatus, intelligitur esse solutum ex dictis su- C
prà in simili quæstione de prædestinatione:
nam, cùm reprobatio fiat tantùm, ex præui-
sione demeritorum, sicut prædestinatio, ex
præuisione bonorum operum, quemadmo-
dum prædestinatio ad gloriam rectè stat cum
nostra libertate, ita & libertas reprobi salua-
tur cum eius reprobatione, & quomodo præ-
destinatus potest damnari, sic & reprobus sal-
uari: & item reprobatio est certa certitudine
cognitionis: item numerus reproborum cer-
tus in præscientia Dei, cui soli, & nulli puræ
creaturæ certò & infallibiliter est cognitus
numerus reproborum, sicut & ei soli nume-
rus prædestinatorum innotescit, cùm omnia
& singula testimonia sacræ Scripturæ, & Pa-
trum, quæ adstruunt hoc secundum, affirment
& primum.

IV. D

AD QVÆSTIONEM XXIV. DISPVTATIO VNICA.

De libro vitæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit liber vitæ.

QVOD spectat ad hoc nomen *liber
vitæ*, quia communiter nomine
libri intelligitur, quod in se con-
tinet aliquid scriptum ad effor-
mandam, vel retinendam noti-
tiam rei alicuius, & nomine *vitæ*
in sacris Litteris modò *Christus Dominus* intel-
ligitur, vt apud S. Ioannem primo & decimo V.
quarto capitibus, modò *gratia sanctificans*,
vt *ad Coloss. 3.* modò *gloria æterna*, quæ est
beata vita; ideò fit vt liber sumptus metapho-
ricè in amplissima significatione apud sacros
auctores, significet illud omne quod con-
tinet in seipso omnia quæ conferunt ad effor-
mandam & retinendam notitiam eorum quæ
pertinent ad gratiam & gloriam; sicque pri-
mò significat totam sacram Scripturam, quia
promissiones vitæ æternæ, & præcepta neces-
saria ad illius consequutionem continentur
in illa, sic *Ecclesiastici* vigesimo quarto. Secun-
dò *liber vitæ* significat illud, virtute cuius om-
nia gesta præsentis vitæ ponentur ante oculos
vniuscuiusque in extremo iudicio, quo modo
accipitur vigesimo capite *Apocalypsis*, de quo
libro sanctus Augustinus est videndus libro
vigesimo *de ciuitate Dei*, capite decimo quar- VI.
to. Tertiò *liber vitæ* significat notitiam illam
Dei, quâ firmiter nouit eos, quos prædestina-
uit ad gloriam; vnde tunc hæc particula *vitæ*
significat obiectum & terminum talis scri-
ptionis in libro, ad quem homines ibi descri-
pti deputantur, & sic *liber* aliquando poni-
tur absolutè, & sine vlla additione, vt Danie-
lis secundo, aliquando cum hoc addito *vitæ*,
vt vigesimo capite *Apocalypsis*, aliquando
additâ insuper hâc particula *agni*, vt vigesi-
mo primo capite *Apocalypsis*, vbi hæc parti-
cula *agni* non denotat alium librum distin-
ctum à libro vitæ, sed additur duntaxat ad sin-
gularem honorem Christi Domini, vt signifi-
cetur totam gloriam beatorum, quæ signifi-
catur nomine *vitæ*, acquiri per merita Christi
Domini. VII

Atque hâc quæstione, hoc nomen *liber vi-
tæ*, sumitur in hac tertia significatione, nihil
éstque aliud, quàm *ipsa Dei notitia, quâ firmi-
ter retinet eos, quos elegit efficaciter ad gloriam*,
qui *liber* est planè idem cum ista *prædestinatio-
ne*, vt sanctus Augustinus docet libro vigesi-
mo *de ciuitate Dei* capite decimo quinto, tan-
túmque ab ea distinguitur, vt sanctus Thomas
docet hâc quæstione vigesimâ quartâ articulo
tertio in solutione ad quartum, quòd *præde-
stinatio* sumpta completè inuoluat actum, tam
voluntatis, quàm intellectus, sitque aliquid
practicum, vt infrà ostendetur; *liber vitæ* ve-
rò sit tantùm speculatiua notitia, seu Catalo-
gus omnium saluandorum in mente Dei, pre-
supponens actum illum practicum Dei, quo
hic & iste est electus efficaciter & ordinatus
ad vitam æternam: & quemadmodum, vt
animaduertimus suprà, vita prædestinatorum VIII.
est duplex, vna *gratiæ sanctificãtis* pro præsenti,
& altera *gloriæ* pro futura: item vt est duplex
prædestinatio, vna *incompleta*, quæ tantùm est
ad gratiã; altera *completa*, quæ etiã est ad glo-
riam æternã: sic etiam duplex constituitur *li-
ber vitæ*: vnus vitæ tantùm *præparatoriæ*, nimi-
rum per gratiam sanctificantem: alter vitæ
etiam *æternæ* per gloriam, vt sanctus Thomas
notat hâc quæstione vigesimâ quartâ arti-
culo tertio; prior est, in quo ij soli scribuntur,
quos Deus nouit esse tantùm iustos, seu in
gratia sanctificante, secundùm præsentem sta-
tum, qui, quandiu sunt in gratia, dicuntur esse
scripti in libro vitæ, quamuis posteà deficiant
à tali statu gratiæ, dicuntúrque ab aliis Theo-
logis scripti tantùm *foris* & *extrinsecus*; poste-

I. rior liber respondens completæ prædestina-
tioni est is, in quo ij soli scribuntur, quos Deus
ex decreto infallibili prædestinationis ordi-
nauit efficaciter ad gloriam, dicuntúrque à
nonnullis Theologis esse scripti *intus*, quia
nunquam omnimodè & simpliciter delebun-
tur de hoc libro vitæ, quatenus licet pro ali-
quo tempore deficiant à gratia sanctificante,
ita tamen deficiunt ab illa, vt tandem sint re-
dituri ad illam, & in illa morituri, sícque in-
fallibiliter assequentur gloriam æternam, ad
quam sunt ordinati.

Articvlvs II.

Vtrum aliquis possit deleri de libro vitæ.

II. Ex dictis præcedenti quæst. facilè colligi-
tur simpliciter & absolutè loquendo, ne-
minem deleri è libro vitæ, vt sanctus Augu-
stinus docet in Psalmum sexagesimum ter-
tium concione secundâ: nam aliquem sim-
pliciter & absolutè loquendo deleri de libro
vitæ nihil est aliud, quàm aliquem qui anteà
præsciebatur à Deo simpliciter, & absolutè
saluandus, non ampliùs præsciri à Deo, vt ab-
solutè & simpliciter saluandum, quemadmo-
dum intelligitur ex dictis articulo primo præ-
cedentis quæstionis; at hoc fieri non potest,
sic enim aliqua variatio daretur in scientia
Dei, nec illa esset certa & infallibilis, qualem
tamen docuimus eam esse quæstione decimâ
quartâ.

Addidi huic corollario hanc particulam,
simpliciter & absolutè loquendo, quia secun-
dùm quid, & ad quoddam tempus aliqui ex
III. prædestinatis dici possunt deleri de libro vi-
tæ, quatenus transeunt à statu iustitiæ, ad sta-
tum peccati mortalis, & cognoscuntur à Deo
tanquam peccatores, & quandiu tales sunt
dicuntur deleri de libro vitæ; quia pro tali
tempore, non ampliùs numerantur inter iu-
stos, non tamen finaliter, quatenus Deus præ-
uidit illos resurrecturos per pœnitentiam, &
morituros in gratia finali; sícque absolutè &
simpliciter descriptos in libro vitæ.

Hinc illud Mosis Exodi trigesimo secundo
deprecantis veniam pro populo his verbis:
*aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele
me de libro tuo, quem scripsisti*, intelligitur de
illo singulari affectu charitatis ipsius Mosis,
non quidem erga populum, sed erga Deum,
quo præferebat honorem Dei, visioni diuinæ
essentiæ, quod est signum ardentissimi amo-
IV. ris, vt sanctus Chrysostomus explicat libro
tertio *de prouidẽtia Dei*, & homiliâ decimâ sex-
tâ in epistolam *ad Romanos*; Moses enim, vt
intelligitur ex eodem cap. videbat quòd si
Deus deleret populum Israëliticum, esset fu-
turum, vt nomen Dei blasphemaretur ab Æ-
gyptiis, dicerentque, callidè eduxit, eos, vt
interficeret eos in montibus, & deleret è ter-
ra; ideóque ad vitandam hanc blasphemiam,
offert in aliquam satisfactionem tantæ iniu-
riæ Deo illatæ à populo, vt deleatur de *libro
vitæ*, seu priuetur beatâ visione: vel vt sanctus
Augustinus explicat lib. quæstionum in Exo-
dum quæst. 147. Moïses id dixit, non quòd
absolutè vellet deleri de libro vitæ, sed ex sin-
gulari quadam confidentia, seu fiducia quâ
confidebat Deum, multò libentiùs esse re-
A missurum istud peccatum filiis Israël; hoc e- V.
nim ferè modo Moïses ibi argumentatur, *vel
dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*,
sed non delebis me de libro vitæ: igitur di-
mitte eis hanc noxam.

Illud autem sancti Pauli *ad Romanos* nono,
*optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus
meis*, intelligitur à sanctis Hieronymo, & An-
selmo in istum locum esse dictum ab Apostolo
de tempore, quo adhuc erat in Iudaïsmo, ac
de zelo, quo tunc prosequebatur populum
Israëliticum, & cæremonias legis antiquæ;
cùm enim capite præcedenti multa dixisset,
quæ videbantur esse contra Iudæos, & hoc
capite nono ageret de exclusione illorum à
gratia, ne Iudæi putarent id totum dici à S.
Paulo ex odio, affirmat se dolere de reproba-
B tione illorum, in cuius doloris testimonium,
ait se olim tanto amore prosequutum esse il- VI.
los, & cæremonias legis eorum, vt propterea
olim optauerit esse separatus à Christo.

AD QVÆSTIONEM XXV.

DISPVTATIO VNICA.

De potentia Dei.

Articvlvs Primvs.

Vtrum in Deo sit potentia.

C Nomine *potentiæ*, Theologi
nihil aliud hoc loco intelli- VII.
gunt, quàm principium ali-
quod effectus alicuius & actio-
nis: tale autem principium po-
test esse duplex; *passiuum* vnum,
actiuum alterum. Potentiam *passiuam* nullo
modo habere locum in Deo, patet ex dictis
suprà de simplicitate Dei: hinc, quando in-
ter explicandum æternam generationem Fi-
lij, & processionem Spiritus sancti, vtimur
verbis passiuis, id tantùm prouenit ex im-
perfecto nostro modo intelligendi, qui non
possumus hæc sublimia mysteria, tam benè, &
appositè percipere, & explicare, quàm sint à
parte rei, & ex defectu verborum exprimen-
tium rem ipsam, prout est de facto: sic quan-
do dicimus Verbum diuinum esse in Deo Pa-
tre, Patrem producere Verbum ad intra, sen-
D sus noster non est, quòd Verbum diuinum, seu VIII.
secunda persona Trinitatis, recipiatur in Deo
Patre, eo sensu, & modo, quo nostrum ver-
bum mentale inhæret nostro intellectui: sed
id tantùm, eo sensu dicimus, quòd, quemad-
modum verbum in creato intelligente est ita
terminus intellectionis eius, vt tamen maneat
in ipso intelligente, cùm intellectio sit actio
immanens, ita vt si verbum nostrum non esset
accidens, non tamen desineret esse in nostro
intellectu sine vlla inhæsione, tanquam in eo
principio, à quo emanat, & cuius est expressa
imago: sic etiam Verbum diuinum, quod est
aliquid perfectè subsistens, est in Deo Patre,
tanquam terminus intellectionis paternæ,
& cum Deo Patre, eiusdem naturæ. Hoc præ-
misso,

I. Sit vnica propositio. *Actiua potentia datur in Deo*: est de fide ex sacris Litteris, Conciliis, & Patribus definientibus in symbolis fidei Deum esse potentem, omnipotentem; item ex iis, quibus potentia Dei commendatur, vt libri *Iob* capite decimo octauo: *contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam:* item Psalmo sexagesimo quarto, octogesimo octauo, & centesimo quinto, & alibi.

Deinde probatur à posteriori, ex omnibus rebus creatis, quæ clamant Deum fecisse illas, Psalmo nonagesimo nono: *scitote, quoniam Dominus ipse Deus est, ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

Secundò: omnis perfectio simpliciter simplex est formaliter in Deo, ex quæstione quartâ huius partis; at actiua potentia est talis perfectio;
II. nam hæc, ad extra, dicit tantùm posse esse principium alicuius effectus, qui dependeat ab illa, non importando, quod hæc potentia etiam dependeat ab aliquo alio; at esse talis conditionis, vt alia dependeant à se, absque eo, quòd dependeat, est quædam perfectio: igitur talis actiua potentia est perfectio simpliciter simplex, & proinde est formaliter in Deo.

Obiicies, actum correspondentem potentiæ esse meliorem, seu nobiliorem ipsâ potentiâ, secundùm Aristotelem libro nono *Metaphysicorum* textu decimo nono: ergo potentia non est in Deo perfectio simpliciter simplex, nec ex consequenti, est formaliter in Deo.

Respondetur, dictum illud Aristotelis non
III. esse semper, simpliciter, & absolutè verum, nam calor est actus, seu effectus solis, à quo tamen exceditur: sed Aristoteles ibi vult duntaxat, in rebus creatis, ipsum actum potentiæ esse secundùm quid nobiliorem suâ potentiâ, quatenus talis actus affert reductionem virtutis causæ, aliàs ex se indifferentis ad opposita, determinatam ad exercitium & ad vnum.

ARTICVLVS II.

Vtrum actiua Dei potentia formaliter considerata, sit ipsa diuina essentia.

SIT hæc nostra propositio. *Actiua potentia Dei, sumpta præcisè, in suo conceptu formalissimo, vt est actiua potentia, non est ipsamet diuina essentia, vt hæc est ipsum esse per essentiam.*
IV. Propositio est contra Suarem *in Metaphysicis* disputatione trigesimâ, sectione decimâ septimâ numero quadragesimo septimo, & quosdam alios: est tamen satis communis inter Scholasticos, tam hîc, quàm primo sententiarum distinctione 38.

Probatur: illud, quod præcisè, & in suo conceptu formalissimo, non est aliquod attributum essentiæ diuinæ propriè dictum, non est, vt sic, diuina essentia, quatenus hæc præscindit à suis attributis propriè dictis, quia nihil se ipsum supponit, vt iam constitutum; quodlibet verò attributum diuinum supponit essentiam diuinam, vt iam constitutam, & apprehenditur per modum formæ alicuius ei superuenientis, & adiacentis, vt intelligitur ex dictis suprà quæstione tertiâ de ratione attributi: sed actiua potentia Dei sumpta præcisè, & in suo con-
A ceptu formalissimo, est aliquod speciale attributum diuinæ essentiæ propriè dictum, iuxta omnes Theologos, vt ipsemet Suares fatetur libro septimo *de essentia Dei*, capite nono numero septimo, & libro tertio *de attributis positiuis* capite nono, & patet facilè, ex conditionibus requisitis in attributo superiùs explicatis citatâ quæstione tertiâ: igitur potentia actiua Dei, in suo formalissimo conceptu, non est ipsamet essentia diuina, prout hæc est ipsum esse per essentiam. V.

Obiicies: illud habet in Deo rationem actiuæ potentiæ, ratione cuius Deus continet eminenter omnia in se ipso, quia semper effectus continetur in sua causa: sed Deus continet eminenter in se omnia ratione suæ essentiæ, quatenus illa est ipsum esse per essentiam,
B ex sancto Thoma, quæstione quartâ huius partis. VI.

Respondetur, concessâ maiore, negando minorem de diuina essentia, vt præscindit ab omnibus suis attributis: nam, citatâ quæstione, ostendimus id competere diuinæ tantùm essentiæ, mediante attributo omnipotentiæ, & diuinam essentiam, vt præscindit à suis attributis, continere omnia, tantùm radicaliter, & immediatam continentiam eminentialem rerum omnium ei competere, prout complectitur ea omnia, quæ in Deo appellantur essentialia, vt essentialia condistinguuntur à relatiuis.

ARTICVLVS III.

C *Vtrum actiua Dei potentia formaliter sumpta, sit idem cum intellectu & voluntate.* VII.

SIT hæc nostra propositio. *Actiua potentia Dei immediatè operatiua ad extra, non est formaliter & præcisè intellectus, & voluntas Dei, sed aliquod speciale attributum, virtualiter ab illis distinctum*: est contra Scotum in primum sententiarum distinctione trigesimâ septimâ, contra Gregorium *à Valentia* hîc puncto primo, & Vasquesium hâc parte disputatione centesimâ secundâ capite tertio: est tamen Durandi in primum sententiarum distinctione trigesimâ octauâ quæstione primâ, Richardi ibidem articulo primo quæstione primâ.

Probatur primùm auctoritate sancti Thomæ hâc parte quæstione decimâ nonâ articulo
D quarto ad quartum, & præsenti, articulo primo, vbi ita loquitur de intellectu, voluntate, & potentia in Deo, vt dicat illa omnia esse vnum, & idem, secundùm rem, singula tamen esse à se inuicem distincta, secundùm rationem, id est virtualiter, *in quantum potentia*, inquit, *importat principium exequens id quod voluntas imperat, & ad quod faciendum, scientia dirigit voluntatem.* VIII.

Probatur etiam ratione: in diuinis illa sunt à se inuicem virtualiter formaliter distincta, quorum conceptus sunt distincti, & extra se inuicem virtualiter formaliter, & quorum conceptus sunt etiam in nobis distincti, quia distinctio attributorum in Deo cognoscitur etiam ex ea distinctione, quam perfectiones creatæ correspondentes illis, seruant in nobis, ita vt, quæ sunt in nobis distincta, vel realiter, vel formaliter, sunt in Deo tantùm dis-

I. tincta virtualiter: atqui præcisus conceptus actiuæ potentiæ in Deo, ad extra, est alius, etiam virtualiter formaliter distinctus, à proprio conceptu intellectus, & voluntatis in Deo; nam conceptus intellectus est conceptus, quasi potentiæ respicientis ens, vt intelligibile, per actũ cognitionis, & conceptus voluntatis, quasi potentiæ, vt respicientis bonum, per dilectionem, & amorem; conceptus autem actiuæ potentiæ ad extra est conceptus, quasi naturalis facultatis, vt respicientis, quidquid non implicat contradictionem fieri, illud in seipsa continentis: similiter in nobis conceptus intellectus, voluntatis, & potentiæ sunt distincti: nam omnes Philosophi, & Theologi admittunt inter illas distinctionem ad minus formalem: igitur & actiua potentia Dei est quoddam attributum virtualiter
II. distinctum ab intellectu, & voluntate Dei.

Confirmatur: illa quæ à nobis concipiuntur in Deo, per modum aliquarum potentiarum, habéntque obiecta formaliter distincta, & actus etiam distinctos, sunt virtualiter formaliter à se inuicem distincta in Deo, quia distinctio potentiarum attenditur penes distinctionem formalem obiectorum; atqui ipsum ens, vt intelligibile, bonum, vt formaliter bonum, & ipsum, quod non repugnat produci, vt factibile, siue ex nihilo, siue ex aliquo, sunt obiecta formalia intellectus, voluntatis, & actiuæ potentiæ in Deo, & proprij actus intellectus, & voluntatis sunt omninò immanentes, actus verò potentiæ actiuæ est transiens: igitur actiua potentia in Deo est aliquod attributum virtualiter formaliter distinctum ab intellectu, & voluntate Dei.

III. Confirmatur ampliùs: intellectus, & voluntas in Deo apprehenduntur semper esse, & fuisse cum proprio suo actu. Deus enim non cœpit aliquando in tempore intelligere, aut velle, sed eandem semper ab æterno habuit, & habet intellectionem, & volitionem, vt patet ex dictis de scientia, & voluntate Dei: actiua autem potentia Dei non semper fuit coniuncta cum actu suo proprio, qui est aliquid producere ad extra, sed tantùm in tempore: igitur illa est attributum distinctum ab intellectu, & voluntate Dei.

Neque nostræ propositioni obstat modus ille loquendi sacræ Scripturæ, Psalmo centesimo quadragesimo secundo: *omnia quæcumque Dominus voluit fecit*, & Psalmo centesimo quadragesimo octauo, *ipse dixit, & facta sunt*,
IV. *ipse mandauit, & creata sunt*, & illud sanctorum Patrum de Deo, cuius potentia est voluntas.

Hoc inquam non obstat: quia modus iste loquendi sacræ Scripturæ, ostendit tantùm productionem rerum ad extra pendere à voluntate Dei, vt decernente, & ab eius scientia, vt dirigente, quod docuimus suprà: modus verò loquendi Patrum indicat tantùm non esse distinctionem propriè formalem, vel realem inter voluntatem Dei, & eius potentiam.

Nec obstat secundò, quòd voluntas Dei sit efficacissima: quia summa efficacitas voluntatis diuinæ debet attendi, in suo genere proprio, & iuxta proprium, & peculiarem suum modum, scilicet, quòd quemadmodũ est proprium voluntatis applicare principium agen-

A di ad id, quod illa vult, & intendit, sic etiam diuina voluntas tantam habet, & tam singularem efficaciam applicatiuam, vt quidquid illa absolutè, & efficaciter vult, fiat, vbi, quando, & quomodo illa intendit & vult. V.

Nec obstat tertiò, quòd Aristoteles libro tertio *de anima* cap. decimo significet potentiam motricem, in entibus à materia separatis, non esse aliquid distinctum à potentia eorum appetitiua.

Hoc, inquam, non obstat: ibi enim Aristoteles vocat solummodò appetitum, vim mouentem, non, quòd appetitus sit immediatum principium productiuum ipsius motus, sed quòd duntaxat sit principium impellens potentiam loco motiuam: nam, & in doctrina Aristotelis, potentiam loco motiuam esse aliam, & distinctam ab ipso appetitu, & aliis potentiis etiam in Angelis, Conimbricenses
B ostendunt lib. 2. *de cælo* cap. 5. quæstione septimâ, & in librum tertium *de anima* capite decimo tertio quæstione quintâ articulo secundo, & sequentibus. VI.

Quænam autem ex istis agat immediatiùs, explicatum est suprà, agendo de scientia; & voluntate Dei. Quòd si hæc tria considerentur in Deo, secundùm aliquam rationem potentiæ, & comparentur ad se inuicem, in prioritate rationis, tunc intellectus, & voluntas intelliguntur esse priùs in Deo, quàm ipsa potentia: ipsum quidem intelligere, quia est de formali conceptu diuinæ essentiæ, vt suprà docuimus, & omnipotentia aliquod eius attributum: tum etiam, quia vnumquodque prius perficitur in ordine ad seipsum, quàm in ordine ad aliud: at diuina essentia perfici-
C tur in ordine ad seipsam, per intellectum, & voluntatem; perficitur autem in ordine ad aliud per omnipotentiam, quatenus, per illam, quodlibet non implicans contradictionem fieri, potest accipere existentiam: & actus illarum similem seruãt inter se ordinem: nam primò, actus intellectus ponitur; deinde, voluntatis; tertiò, exequutio sequitur. VII.

Si verò hæc potentia, etiam considerata quasi secundùm habitum, comparetur cum actibus intellectus, & voluntatis, tunc actiua potentia Dei intelligitur, imperfecto nostro modo concipiendi, esse prior ipsâ intellectione, & volitione, quatenus apprehendimus obiectum aliquod esse prius ipso actu sese terminante ad illud: & ita hæc propositio est vera, Deus de facto, & reipsa intelligit omnia,
D quia est omnipotens. VIII.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actiua Dei potentia sit infinita.

NOSTRA sit propositio. *Actiua potentia Dei ad extra, est infinita.* Propositio est de fide, Psalmo cẽtesimo quadragesimo quarto: *Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis*, id est, *potentiæ*: apud sanctum Lucam capite primo, Angelus ait beatissimæ Virgini, *non erit impossibile apud Deum omne verbum*, quò loci particula, *verbum*, ponitur pro *re*, vt sit sensus, quidquid non implicat fieri, seu habet rationem entis possibilis, illud potest à Deo fieri: est enim familiare sacris Litteris sumere hunc terminum, *verbum*, pro *re*, sic li-

I. bro quarto *Regum* capite vigesimo, sancti Lucæ capite secundo, sancti Matthæi capite 4.

Probatur etiam propositio ex Conciliis, & Patribus in symbolo fidei profitentibus, & confitētibus vnâ voce, Deum esse *omnipotentē*.

Probatur etiam ratione: actiua naturalis potentia sequitur essentiam eius, cuius est potentia, vt patet inductione factâ per omnes res, ista enim debet esse huic proportionata: sed essentia Dei, in ratione essentiæ, est infinita, vt ostendimus quæstione septimâ, & est essentia primi entis, sese extendentis ad omne, quod potest participare rationem entis, aliàs non esset loquendo propriè primum ens: igitur actiua potentia Dei est infinita, & vera omnipotentia propriè, & formaliter dicta.

Confirmatur: vt aliqua vis actiua denominetur simpliciter, *omnipotentia*, sufficit quòd
II. nullus sit defectus ex parte agentis, ad efficiendum, quidquid non implicat fieri: atqui nullus talis defectus potest à nobis fingi esse in Deo, quòd ex dictis quæstione quartâ sit perfectissimus in omni genere: igitur Deus est omnipotens. Et hæc ratio, cum sua confirmatione, ostendit hanc nostram propositionem esse etiam cognitam lumine naturali.

Quæres, vndenam hæc potentia habeat infinitatem?

Respondetur cum sancto Thoma in quæstionibus disputatis *de potentia*, quæstione primâ articulo secundo, duplicem distingui infinitatem in potentia actiua Dei: vnam *intrinsecam*, quam habet ab essentia diuina, vt radicaliter continente in se, omnia eminenter, quæ non potest limitari ad aliquod genus
III. perfectionis, quæ radicalis continentia eminentialis, vt est intrinseca essentiæ diuinæ, & ex illa, nostro considerandi modo, vis efficiendi res omnes resultat, sic etiam resultat infinitas, quæ sit ei intrinseca. Alteram infinitatem distinguimus, quam rectè possumus vocare *extrinsecam*, quia potentia Dei habet illam, ab actione transeunte, modo illius, & obiecto, quæ omnia sunt extrinseca ipsi actiuæ potentiæ Dei: nam ratione *obiecti* dicitur *infinita*; quia non tot producit effectus, quin multò plures possit producere: ratione verò *actionis*, quia non operatur tam perfectè, quin adhuc possit operari perfectiùs: & hæc duplex infinitas potest explicari duobus aliis nominibus, ita vt prior appelletur *intensiua*, posterior verò appelletur *extensiua*.

IV. ### ARTICVLVS V.

Quodnam sit obiectum actiuæ Dei potentiæ.

NOSTRA sit propositio. *Adæquatum obiectū actiuæ potentiæ Dei est illud omne, quod ita non implicat contradictionem, vt tamen non sit ens, etiam ab extrinseco necessarium, sed contingens, & factibile ab alio:* est sancti Thomæ in præsenti quæstione articulo tertio, Scoti primo sententiarum distinctione quadragesimâ tertiâ quæstione vnicâ: imò, quoad rem, omnium, communiter enim alij, pro tali obiecto diuinæ omnipotentiæ, assignant omne possibile, sumptum absolutè, seu, quod sumptum præcisè, secundùm suos terminos, nullam habet repugnantiam coniunctionis cum subiecto.

V. A Probatur: quidquid potest habere rationem entis ab alio accepti, per aliquam efficientiam, est obiectum adæquatum actiuæ potentiæ Dei, seu omnipotentiæ Dei; nam omnipotentia sonat causam efficientem, & finis efficientiæ est dare aliquod esse: sed illud omne, quod ita non implicat, vt tamen non sit ens, etiam ab extrinseco necessarium; potest habere rationem entis, acceptam ab alio per efficientiam, quia sic est aliquid factibile: igitur illud omne, quod ita non implicat contradictionem, vt tamen non sit, etiam ab extrinseco necessarium, est adæquatum obiectum diuinæ omnipotentiæ Dei.

In hac propositione sumus vsi potiùs hoc termino, *quod non implicat*, quàm isto, *possibile absolutè*, quia, licet re ipsa coincidant, vt patet explicatione illius vtriusque termini, atta-
VI. B men vtendo particulâ, *possibile*, circulus non vitatur, vt etiam notat sanctus Thomas hâc quæstione articulo tertio: sic enim omnipotentia diceretur esse ad omne possibile, & illud esse possibile, quod potentia Dei potest efficere, quod videtur vitiosum, cùm sic vnum, & idem, seipso eodem definiatur: at vtendo hâc particulâ, *quod non implicat*, talis circulus non committitur, cùm conceptus per illam importatus sit aliquo modo distinctus ab eo, qui exprimitur per ipsam Dei omnipotentiam.

Deinde, in eadem propositione addidi hanc particulam, *vt tamen non sit ens ex se, etiam ab extrinseco necessarium*, vt sic excluderem & singulas eius perfectiones existentes in illo, à ratione obiecti diuinæ omnipoten-
VII. C tiæ: Deus enim, & quidquid est in illo tale, est ens, quod non implicat contradictionem, seu, cui ratio entis conuenit; quia tamen est tale ens, vt sit ens necessarium, etiam ab extrinseco, nec sit contingens, & factibile: omnipotentia autem Dei est duntaxat eorum, quæ non repugnant fieri, & accipere suum esse, dependenter ab alio, fit, vt Deus nullo modo contineatur in obiecto adæquato diuinæ omnipotentiæ.

Ex his refellitur Vasquesius, dum hâc parte disputatione centesimâ quartâ capite quinto, vult omnipotentiam Dei versari etiam circa ens impossibile, & inuoluens contradictionem, sicut visus etiam versatur circa tenebras, quia non ens est negatio actus in omnipotentia, & eadem est potentia oppositorum.

Refellitur, inquam: quidquid enim attingitur ab omnipotentia Dei, vel attingitur ab il-
VIII. D la, per concursum positiuum, vel per subtractionem diuini concursus: at omnipotentia Dei neutro modo se terminat ad tale non ens: non primò, quia implicat id, quod est impossibile, accipere aliquod esse: non item secundò, quia id tantùm attingitur per subtractionem diuini concursus, quod, vel annihilatur, vel corrumpitur, vel quod est tale, vt, cùm ei non repugnet existere, attamen defectu diuini concursus, non accipit existere: sed quod est tale non ens, seu impossibile, nullo istorum modorum potest attingi à diuina potentia, vt facilè potest intelligi.

Et quoad hoc, longè est dispar ratio ipsius visus qui potest sese aliquo modo terminare ad tenebras; quia enim visus est potentia quædam cognoscitiua, & potentiæ cognoscitiuæ

I. iudicant de suis obiectis per aliquam comparationem extremorum, fit, vt visus, iudicando non esse hîc, & ibi lucem, iudicet, & cognoscat ibi esse tenebras, quæ opponuntur luci; sícque eadem potentia cognoscitiua est oppositorum: at omnipotentia est tantùm potentia factiua rerum, & non cognoscitiua: ideóque, sicut potentia calefaciendi est tantùm calidi, & non frigidi, ita etiam omnipotentia Dei est tantùm entis possibilis, & non eius, quod est tale non ens, vt inuoluat contradictionem.

Obiicies: si omnipotentia Dei consistat in eo, quòd possit facere, quidquid non implicat contradictionem, potentia Dei poterit exhauriri, quia potest producere omne possibile, & sic, vbi illud erit actu, & de facto positum in rerum natura, nihil poterit amplius
II. producere, sícque erit exhausta.

Respondetur, illud omne, quod est possibile, non posse simul, & semel produci à Deo, quia est infinitum quoddam *syncategorematicum*, ad modum continui; quod ita est diuisibile in infinitas partes, vt vltima pars nunquam possit de facto assignari, nec item vltima res possibilis produci: Deus enim non potest tot, & tam multas res facere, quin adhuc plures possit creare: vnde eius potentia nunquam exhauriretur.

Quæres, an quemadmodum obiecta infinitæ Dei potentiæ sunt multiplicia, sic etiam & potentia Dei sit multiplex.

Respondetur illam esse vnam, non plures, cùm vnum duntaxat habeat obiectum adæquatum, scilicet omne, quod non implicat fieri: item, vnus sit tantùm modus operandi, ni-
III. mirum per voluntatem applicantem, & intellectum dirigentem.

ARTICVLVS VI.

Quædam colliguntur & ponuntur consectaria ex præcedentis articuli doctrina.

PRIMVM est: res non ideò dici possibiles, quia possunt fieri à Deo, sed econtrà, vt etiam intelligitur ex illo citato, *non erit impossibile apud Deum omne verbum*: sícque impossibilitas Dei, quæ datur, nunquam tenet se, ex parte Dei, hoc enim argueret in illo defectum, sed tenet se, ex parte obiecti, quod repugnet dari tale: ideóque sanctus Thomas hâc quæstione articulo tertio monet melius ita dici, hæc, & illa non possunt fieri, quàm
IV. hoc modo, Deus non potest hæc, & illa facere.

Dices, ex hoc corollario sequitur, sublatâ à Deo omnipotentia, res adhuc fore possibiles, cùm non ideò sint possibiles, quia possunt fieri à Deo, sed econtrà: & proinde illas, vt sic, nullam habere à Deo dependentiam: nos tamen docuisse, quæstione decimâ quartâ, sublatâ à Deo omnipotentiâ, nullam possibilitatem ampliùs remanere in rebus.

Respondetur primùm, dependentiam propriè loquendo posse tantùm competere enti habenti suam existentiam, quia prius est, nostro modo considerandi, aliquid existere, quàm dependere, cùm ipsum dependere sit existere tali modo, & dependentia in ente dicat aliquam eius modificationem: vnde, cùm
A res merè possibiles, vt sic, nullam habeant existentiam, ex consequenti, nullam habent, V.
propriè dependentiam.

Deinde respondetur, nos suprà distinxisse duplicem omnipotentiam in Deo: vnam radicalem, formalem alteram: sublatâ formali, & remanente radicali, res adhuc habere suam possibilitatem, esto ex carentia formalis omnipotentiæ, non possint de facto accipere realem existentiam: sícque non ideò sunt possibiles, quia possunt accipere existentiam à formali potentia.

Tandem respondetur, in ipsa possibilitate rerum, duo posse distingui, quæ tamen mutuò sese consequuntur: primum est, ipsa non repugnantia extremorum inter se, alterum est coniunctio eiusmodi extremorum inter se,
B per ordinem ad existentiam realem: quæ duo patet distingui aliquo modo inter se; nam VI.
multa sunt, quæ talem non repugnantiam extremorum habent, ex se, quorum tamen coniunctio non potest reduci ad actum, à quouis agente, etiam sui ordinis, vt patet in multis rebus possibilibus ordinis purè naturalis. Iam si res possibiles spectentur quoad primum, respondetur, illas habere illud à sua conditione; sícque esse intelligendum primum hoc corollarium: si verò spectentur quoad secundum, id habent ab omnipotentia Dei, & quia est quidam intrinsecus ordo talis non repugnantiæ extremorũ ad ipsum posse accipere realem existentiam ab aliquo, vt, hoc secundo deficiente, penitus prædicta etiam illa non repugnantia extremorum inter se deficiat, fit, vt rectè ibi dixerimus, sublatâ penitus à Deo omnipotentiâ, nullas ampliùs res
C fore possibiles. VII.

Secundò sequitur ex dictis, Plinium libro septimo *naturalis historiæ* capite secundo, malè negare Deum esse omnipotentem, ex eo quòd non potest sibi mortem consciscere; sicut etiam & quod alij dicunt ex eo, quòd non potest peccare: hæc enim inuoluunt contradictionem, quia, cùm Deus sit ens primum, per se viuens; imò & ipsa vita, & omnia alia non nisi, per eum, viuant, item mors opponatur vitæ, fit, vt sit contradictio Deum sibi mortem consciscere: item, cùm Deus sit bonus per essentiam, & similiter sapiens, infinitè perfectus, sine vlla imperfectione; peccatum verò dicat intrinsecè imperfectionem, fit, vt sit contradictio Deum peccare: & proinde, cùm omnipotentia sit tantùm respectu entium absolutè possibilium, cuiusmodi non sunt,
D quæ inuoluunt contradictionem, isti malè VIII.
negant esse in Deo omnipotentiam, ex eo, quòd non potest peccare, nec mori.

Postremò sequitur, quòd licet cognoscamus naturali lumine omnipotentiam Dei, nos tamen non posse cognoscere singula, circa quæ illa sese extendit: cùm enim omnipotentia Dei sit dimetienda ex eo, quod est tale, vt non repugnet eius attributum coniungi subiecto; nos autem non semper possumus penetrare hanc repugnantiam, vel non repugnantiam: fit, vt licet agnoscamus in Deo esse omnipotentiam, non tamen semper possumus cognoscere, an hoc, & illud in particulari, possit à Deo fieri, & plerumque de illo disceptemus inter nos.

Cæterùm omnipotentia Dei potest alicui

crea-

I. creaturæ, tanquam instrumento, communicari: quia creatura habet potentiam obedientialem, per quam Deus potest, quidquid non implicat, in genere puræ efficientiæ: non tamen potest ita communicari, vt talis creatura sit causa prima, &, vt est propria Deo, quia, ex dictis, sequitur conditionem entis, cuius est potentia: & proinde, sicut diuina essentia non potest ita communicari creaturę, vt sit propria eius essentia, sic enim deficeret à ratione entis increati, ita, nec infinita potentia Dei potest communicari hoc modo alicui creaturæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus possit facere quòd præterita non fuerint, præsentia non sint, & futura non futura sint.

II.
NOTANDVM est, in præteritis, & futuris duo posse distingui: vnum est, ipsa res, quæ denominatur præterita, vel futura: alterum est, ipsa eius præteritio, vel futuritio: vnde consequenter præteritum, & futurum, possunt considerari duobus modis; scilicet *materialiter*, & *formaliter*.

Præsens difficultas non mouetur, de materiali ipsius præteriti, vel futuri, scilicet, an Deus possit, vel non possit rem, quæ iam præteriit, & desiit existere, iterum reproducere, & rem illam, quæ nunc existit, & est præsens, annihilare, & rem, quæ aliàs eueniret, impedire, ne eueniat: nam Deum posse hæc facere, nemo potest dubitare: nam primum patet ex resurrectione corporum, quam fide Catholi-
III. câ credimus esse futuram, & ex miraculis Christi circa Lazarum, & reliquos, quos suscitauit à mortuis: item, ex effectu sacramentorum nouæ legis, quorum quædam conferunt nouitatem vitæ, & gratiam per peccatum perditam, quæque non tantùm tegunt, aut abradunt peccata, sed penitus delent: item ex eo, quòd ratione supremi illius dominij, quod habet in res omnes, & ratione dependentiæ, quam illæ, non tantùm in suo esse, sed & in suo conseruari, habent à Deo, & ratione summæ suæ libertatis, circa ea, quæ sunt ad extra, possit subtrahere suum concursum à conseruatione illarum, quâ subtractione factâ, res illæ creatæ, qualescumque sint, redigentur in nihilum. Potest Deus item facere, vt res, quæ sunt futuræ, non eueniant; sicut videmus ma-
IV. la pœnæ nobis imminere, quæ tamen Deus auertit, quia ab æterno, post præuisam nostram pœnitentiam, statuit impedire illa.

Sed præsens quæstio est tantùm de ipsa præteritione, præsentia, & futuritione rerum, sumptis formaliter, ita, vt sensus sit, an Deus possit facere, vt, quod verè, & formaliter est præteritum, non sit verè, & formaliter præteritum, sed desinat fuisse præteritum, & verè, & formaliter nunquam fuerit. Similiter, an Deus possit facere, vt, quod verè, & formaliter est præsens, non habeat ipsum esse præsens in tali tempore correspondente actuali suæ existentiæ. Hoc prænotato, sit

Propositio vnica. *Deus non potest facere, vt præterita, quatenus præterita, non fuerint; nec, vt præsentia, quatenus præsentia, non sint: nec denique, vt futura, quatenus futura, non sint futura.* Tres sunt partes propositionis.

A Prima probatur: primò ex Patribus, vt Hieronymo epistolâ *ad Eustochium* de custodia virginitatis, *audenter loquar*, inquit, *cùm omnia Deus possit, suscitare virginem non potest post ruinam*: id est, Deus non potest facere, vt hæc, quæ erat virgo, non fuerit corrupta; nam certum est Deum posse restituere sanctimoniam mentis, & integritatem corporis ei, quæ fuit corrupta, vt iam obseruauimus, & sanctus Thomas expressè docet, hîc articulo quarto, in solutione ad primum: item sanctus Augustinus libro vigesimo sexto *contra Faustum* capite quinto, sanctus Anselmus libro *de concordia prædestinationis & libero arbitrio*: imò &, ante hos Patres, id agnouit Aristoteles libro sexto *Ethicorum* capite secundo, vbi probat hæc carmina Agathonis, V.

Hoc etiam ipse Deus, solóque carere videtur, VI.
B *Infectum, vt faciat, quod factum est, atque peractum.*

& Plinius etiam libro citato.

Tertia etiam pars nostræ propositionis fundatur in sancto Augustino loci nunc citati capite quarto, vbi ait, *tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita.*

Probatur etiam ratione: Deus non potest, quæ implicant contradictionem, ex dictis: at tria hæc commemorata in nostra propositione, implicant contradictionem: præteritum quidem non fuisse, quia de eodem, sub eadem consideratione simul & affirmatur, & negatur ipsum fuisse, & non fuisse, quæ est manifesta contradictio; nam quatenus dicitur præteritum, habuit aliquando esse, quia est de ratione præteriti, vt habuerit esse, qua-
C tenus autem ponitur effici vt non fuerit, nunquam habuit esse, quia, hæc particula, *non*, VII.
est negatio *malignantis naturæ*, quæ iuxta Philosophos, destruit totum, quod reperit post se: vnde quando dicitur, *præteritum non fuit*, negatur istud, quod dicitur, præteritum aliquo modo habuisse existentiam, & aliquam durationem: igitur, cùm habuisse aliquando existentiam, & nunquam habuisse illam, sint contradictoria, Deus non poterit facere, vt præteritum non fuerit.

Idem patet in præsenti: implicat vt, quod est præsens actu, dum ita præsens est, non sit præsens, quia esset, & non esset præsens; esset præsens, quia, tunc supponitur præsens, & de facto, tunc existens etiam; non esset præsens, quia negaretur esse: vnde, cùm contra-
D dictoria non possint fieri à Deo, non potest VIII.
fieri, vt quod est præsens, non sit præsens.

Denique idem patet eodem modo de futuris: nam futurum quatenus futurum, dicit aliquid esse habiturum suam existentiam, & durationem, ex determinatione, & scientia eorum, sine quibus nihil reale est futurum, & sic, quatenus subest diuinæ scientiæ, quæ est infallibilis, non potest non esse: quatenus verò futurum dicitur non futurum, negatur illud esse habiturum existentiam, & durationem in tempore sequenti: ergo futurum, & non futurum, vt sic, est aliquid contradictorium, quod non potest fieri à Deo.

Obiicies primò: Deus nunc est æquè potens, ac antequam faceret res istas: ergo, sicut potuit facere, vt res non essent, seu carerent omni existentiâ, sic etiam poterit nunc facere, vt nullum esse habuerint.

I. Respondetur, concesso antecedente, negando consequentiam: huius negationis ratio est, quòd, hic defectus, nimirum facere, vt res, quæ iam de facto existunt, non fuerint, non tenet se, ex parte Dei, sed ex parte obiecti, quod eo ipso, quod semel habuit esse, amisit potestatem ad non aliquando extitisse, & ita de aliis: vnde, cùm aliquod agens tunc tantùm dicatur esse impotens, vel minus potens, quando defectus sese tantùm tenet ex parte actiui principij, non autem quando sese tantùm tenet ex parte obiecti, & hæc impossibilitas, cuius fit mentio in obiectione, sese tantùm teneat ex parte obiecti, fit, vt Deus sit nunc æquè potens, ac fuit ab æterno.

II. Obiicies secundò: Deus potest separare quodlibet accidens commune à suo subiecto, sed ipsa præteritio est aliquod accidens commune cuilibet substantiæ creatæ: ergo potest ab illa separare præteritionem; sícque facere vt præteritum non præterierit.

Respondetur hæc duo distingui, aliquid esse accidens rei, quæ denominatur præterita, & esse aliquod accidens tali denominationi formaliter sumptæ, vel rei, vt sic formaliter denominatur; sicut aliud est, albedinem esse aliquod accidens parietis, & esse aliquod accidens ipsi albo, vt formaliter est album: primum est verum, secundum est falsum, quia est de essentia parietis, vt formaliter albi, quòd habeat albedinem formaliter, per quam denominetur formaliter albus, tanquam à forma sibi inhærente: &, licet albedo sit accidens commune ipsi parieti, secundùm se spectato, & consequenter ab illo

III. separabile, non tamen posteriori modo: pari iure, licet prçteritio sit aliquod accidens commune rei, quæ denominatur præterita, non tamen, quatenus consideratur, vt formaliter præterita, est enim de formali eius ratione, vt sic, quòd iam fuerit, & desierit, secundùm aliquid suæ durationis.

Articvlvs VIII.

Vtrum Deus possit facere quæ non facit.

Notandvm imprimis duplicem distingui potentiam in Deo: vnam *ordinariam*; alteram *absolutam*. Deus dicitur posse illud, *iuxta potentiam ordinariam*, quod potest, stante ordinatione, & decreto, quod habuit de

IV. faciendo hoc, & illo: vnde hæc potentia attenditur penes decretum efficacis voluntatis diuinæ, quod iam de facto habuit, de rebus creandis, ideóque à nonnullis vocatur *ordinata*, hoc sensu, quòd sit regulata, ex statuto legis iam positæ, cui Deus, pro sua voluntate, sese astrinxit: non autem, quasi hæc sola potentia operetur, ex applicatione, & imperio voluntatis, & directione intellectus: hoc enim competit etiam potentiæ extraordinariæ, cùm modus iste agendi sit proprius iis, quæ agunt per intellectum, & voluntatem, cuiusmodi est Deus.

Illud autem Deus dicitur posse *absolutâ potentiâ*, quod simpliciter, & absolutè potest facere, habito solùm respectu ad infinitam

A suam potentiam, & non ad repugnãtiam terminorum, secundùm quam considerationem, potentia est soluta, & libera ab omni decreto diuinæ voluntatis, ideóque latiùs patet priori: licet enim sit vna & eadem, ex parte suæ entitatis, etiam cum ipso decreto Dei, tamen, ex parte obiecti, latiùs patet: decretum enim sese tantùm extendit ad certum quemdam numerum creandum, ex infinitis possibilibus, quæ Deus sibi determinauit; sicque potentia ordinaria non patet latiùs ipso Dei decreto: at absoluta, & extraordinaria, sese extendit ad omnia possibilia. V.

Notandum est secundò, quòd sicut distinguimus duplex decretum in Deo: vnum, quod est tantùm de iis rebus, quæ pertinent ad ordinem *naturæ*: alterum, de iis, quæ spectant

B ad ordinem *gratiæ*: sic etiam Theologi sæpè dicunt illud fieri *potentiâ extraordinariâ*, quod fit ex decreto spectante ad ordinem gratiæ, sic miracula omnia dicuntur fieri *potentiâ extraordinariâ*: nos tamen, hoc loco, loquimur absolutè, & quærimus, an Deus possit facere multa, quæ tamen non facit, nec determinauit facere. VI.

Pars affirmans est de fide, ex Concilio Constantiensi sessione octauâ, contra Vviclefum, apud Vvaldensem tomo primo capite 23. libri tertij, & contra Caluinum libro tertio institutorum capite 23. Contra quos

Probatur, ex illo Christi apud Lucam capite tertio, *dico vobis, quia potens est Deus, de lapidibus istis, suscitare filios Abrahæ*: apud sanctum Matthæum vigesimo sexto capite, *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.*

C Probatur ratione: actiua potentia Dei, spectata absolutè, secundùm suam totam efficaciam, vt nullum supponit decretum diuinæ voluntatis applicantis, & determinantis illam ad certum, & determinatum quoddam obiectum, tam latè patet, & se extendit, quàm totum illud, quod non implicat fieri, latè patet, & se extendit, quia hoc est adæquatum eius obiectum, vt ostendimus, & quælibet potentia, considerata secundùm suam adæquatam efficaciam, debet posse attingere, quidquid est intra latitudinem adæquati sui obiecti, sic enim sibi inuicem proportionantur; atqui plura sunt, quæ non implicant fieri, quàm quæ sunt de facto, & reipsa creata, & facta, vt patet ex Scripturis, & Patribus citatis: ergo Deus, loquendo absolutè, potest facere plura, quàm fecit. VII.

D Hinc, quando in sacris Litteris & Patribus dicitur, non potuisse facere aliqua, quæ tamen, secundùm veritatem rei, implicant; debet istud intelligi, non de potentia Dei considerata absolutè, sed comparatè ad aliquod decretum suæ voluntatis, cui, ex sua libertate, voluit, pro tali ordine rerum, alligare suam potentiam: quod autem, & quale sit illud decretum diuinæ voluntatis, potest facilè intelligi ex eiusmodi locis Scripturæ & Patrum, accommodatè tam ad antecedentia & consequentia, quàm ad naturam & conditionem rerum, de quibus sibi est sermo. VIII.

I.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrum Deus possit facere meliora iis quæ fecit.

PRIMA sit propositio. *Deus non potest facere meliora essentialiter ea, quæ fecit, potest tamen accidentaliter:* ita sanctus Thomas hîc articulo tertio.

Probatur prior pars: vt res fiant meliores, quoad essentiam, oportet eandem numero essentiam remanere in illis: sed, essentiis rerum remanentibus eisdem, nihil essentiale potest addi, vel detrahi, cùm essentiæ rerum, ex Aristotele libro octauo *Metaphysicorum* capite tertio, sint tanquam numeri: ergo res non possunt fieri meliores essentialiter.

Posterior pars probatur: Deus potest dare II. maiores perfectiones, tam supernaturales, quàm naturales vni indiuiduo eiusdem speciei, quàm alteri; verbi gratiâ vni homini, quàm alteri, vni Angelo supra alterum: ergo Deus potest facere res, quæ iam sunt, meliores accidentaliter. Et sanctus Thomas hoc etiam intellexit hîc in solutione ad tertium, de hoc vniuerso, spectato secundùm suas partes permanentes, quatenus potest addere illis aliquid accidentale, quo totum vniuersum reddatur melius.

Obiicies ex sancto Thoma hîc articulo sexto in solutione ad quartum: aliquæ creaturæ dantur, quibus nihil potest fieri melius, verbi gratiâ, humanitas Christi Domini, posito, quòd sit vnita Verbo diuino: item beatitudo creata, hoc ipso, quòd est fruitio Dei: item III. beatissima Virgo, hoc ipso, quòd est mater Dei: hæc enim quandam habent dignitatem infinitam ex bono infinito: ergo aliqua creata dantur, quæ, ne accidentaliter quidem, possunt à Deo fieri meliora, quàm sint.

Respondetur, illud sancti Thomæ intelligendum esse, de ea tantùm bonitate, quæ illis conuenit in tali genere, &, vt perfectiones istæ considerantur, vel secundùm quædam accidentia, vel, iuxta aliquam perfectionem, solummodò *extensiuam:* cùm enim tres diuinæ personæ sint aliquod bonum *extensiuè* perfectius, quàm sola persona filij, & tres diuinæ personæ potuerint assumere vnam, & eandem numero humanitatem, vt sanctus Thomas docet tertiâ parte, Deus per talem assumptionem, posset facere aliquid *extensiuè* perfectius, ipsâ humanitate Christi Domini, vt vnitâ tantùm Verbo. Idem potest similiter di- IV. ci de beatissima Virgine, vt est mater Dei; nam datâ præcedente hypothesi, de humanitate assumpta à tribus personis diuinis, Deus potuit facere, vt eadem beatissima Virgo, tunc esset mater istius Dei hominis; sicque esset mater totius Trinitatis. Similiter, esto Deus non possit facere, vt aliqua visio beatifica sit alterius speciei ab ea, quæ nunc est, attamen potest adhuc illam amplius, & amplius augere, quatenus potest facere, vt vnus beatus videat essentiam diuinam, modo perfectiori, & adhuc semper modo perfectiori, & semper plura in infinitum, quàm alius beatus, cùm essentia diuina sit infinitæ perfectionis, & incomprehensibilis cogitatu.

Secunda propositio. *Datâ qualibet re creatâ, Deus semper potest aliam rem, intra eandem* A *speciem, creare accidentaliter perfectiorem, & aliquando, datâ aliquâ specie creatâ, potest aliam speciem creatam, intra idem genus, adhuc essentialiter perfectiorem creare; non tamen semper.* Tres sunt partes huius propositionis: V. prima est sancti Thomæ in quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione primâ, & expressè hîc articulo sexto, tam in corpore quàm in solutione ad primum. Probatur ex nunc dictis; tum etiam ex eo quòd omnes Theologi tertiâ parte, admittunt habitualem gratiam animæ Christi Domini esse maximam omnium quæ de facto sunt collatæ, vel conferentur creaturis, illam nihilominùs de potentia absoluta Dei adhuc posse augeri: tum denique quia quando potentia agẽtis est infinita, & distantia accessus & recessus inter id quod participatur, & id quod participat, est etiam infinita, B tunc agens illud potest producere effectus, VI. qui semper magis ac magis accedant ad id, cuius ipse effectus est quædam participatio; atqui potentia Dei agentis est infinita, omnes & singulæ creaturæ sunt quædam participationes ipsius diuinæ essentiæ, & distantia accessus & recessus creaturarum ad Deum est infinita, vt ex se patet: ergo Deus potest facere semper res alias aliis perfectiores in infinitum.

Reliquæ duæ partes propositionis nostræ proponuntur ad conciliandum inter se scholasticos; alij enim, vt Scotus tertio sentent. distinctione decimâ tertiâ quæstione primâ, Durandus in primum sentent. distinctione 44. quæst. 2. negant Deum posse quacumque specie creatâ aliam perfectiorem creare; econtrà affirmant alij, vt Caietanus articulo vlti- VII. C mo huius quæstionis, Ferrariensis lib. 2. *contra gentes* capite 22. & 27.

Secunda itaque pars propositionis probatur: in sentẽtia S. Thomæ omnes Angeli distinguuntur specie; at Deus potest semper alium & alium Angelum perfectiorem creare: ergo aliam & aliam speciem perfectiorem essentialiter specie iam productâ. Deinde vbi aliqua forma est non vniuoca cum iis à quibus participatur, sed tantùm æquiuoca, & est in se secundùm se infinita, infinitè participabilis, & in agendo virtutis infinitæ, tunc illa potest sub certis aliquibus generibus producere plures semper, & plures species essentialiter perfectiores aliis speciebus.

Probatur: nulla ibi est repugnantia, non ex parte *agentis*, cùm habeat virtutem infinitam agendi; non item ex parte *formæ participabilis*, D cùm hęc sit æquiuoca, & infinitè participabilis, VIII. non item ex parte *obiecti*, quia eiusmodi participationes sunt semper finitæ secundùm se, & cùm sint participationes causę æquiuocæ, erũt etiã effectus æquiuoci, & proinde distincti specie: atqui Deus respectu eorum à quibus participatur, est forma quædam æquiuoca, omnes enim & singulæ creaturæ sunt alterius omninò speciei, & longè inferioris à Deo; Deus item est infinitè participabilis, quia eminentialis eius continentia est infinita, est etiam infinitæ virtutis ex dictis suprà: igitur Deus potest saltem sub certis aliquibus generibus producere plures semper & plures species perfectiores aliis speciebus iam productis; & hæc est expressa sententia S. Th. in quæstionibus disputati *de veritate*, quæstione secun-

I. A dâ articulo quarto *in corpore*, vbi hanc reddit rationem, nunquam id quod factum est, facientis virtutem adæquare potest.

Neque iis obstat, quòd sic daretur processus in infinitum, nec vlla posset assignari species, quæ sit vltima omnium perfectissima & mensura reliquarum, cùm progressus iste arguit perfectionem in Deo primo agente, quatenus ostendit eius potentiam illimitatam, & sufficit ad rationem mensuræ, quòd Deus ipsa sit prima omnium substantia, per ordinem ad quam perfectio omnium rerum creatarum attendatur.

Tertia denique pars probatur: primùm ex sancto Thoma hîc articulo vltimo in solutione ad quartum, vbi agnoscit implicare Deum facere aliquid melius istis in obiectione præcedentis propositionis enumeratis; quod ex
II. B dictis ibi potest tantùm intelligi intra idem genus, & quoad essentialia specifica, non autem quoad accidentalia: idem patet in homine, licet sub animali sint plures species, aliæ aliis perfectiores, attamen homo ita est nobilissima species, vt sub animali non possit dari perfectior, quia vbi aliquod genus contrahitur per vltimam differentiam gradus superioris, ibi species non possunt ampliùs multiplicari sub tali genere per ascensum, alias talis differentia non esset sub tali gradu superiori, & ex propria sua conditione vltima, sed tantùm per accidens, quatenus Deus noluit producere plures species sub vno eodémque genere, & sub aliqua differētia alicuius superioris gradus adhuc diuisibilis; atqui rationale est differentia contrahens gradum animalis ad esse specificum hominis, ita tamen vt sit
III. C infima differentia respectu gradus superioris nimirum intellectualis: ergo Deus non potest facere sub genere animalis aliquam speciem essentialiter nobiliorem homine.

Neque huic propositioni obstat illud sancti Augustini libro tertio *de libero arbitrio* capite quinto, *quidquid verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem*; nam aliquid potest dici *melius*, vel secundùm se quatenus in suo genere, vel specie, nihil melius potest fieri, vel ex suppositione finis intenti à Deo, nostra propositio procedit de meliori sumpto priori modo; sanctus autem Augustinus sumit hanc particulam, *melius*, iuxta posteriorem modum.

Et ad conciliandum varias Patrum loquendi formulas circa præsentem difficultatem, animaduertendum est hanc particulam, *melius*, posse in eiusmodi enuntiationibus habere multiplicem connexionem: nam imprimis potest tenere se ex parte ipsius *facientis*, IV.
ita, vt importet modum eius in operando, ad extra, & tunc verum est Deum non posse facere melius, quàm fecerit; cùm enim sapientia & bonitas in Deo non admittant magis & minus, Deus non potest, ex parte sui aliquid facere, ex maiori sapientia, & bonitate, quàm fecerit, vt etiam S. Thomas aduertit hîc articulo sexto in solutione ad primum.

Deinde, eadem particula, *melius*, potest sese tenere, ex parte *modi rei factæ*, & tunc, Deus potest aliquid facere melius, quàm fecerit, vt patet ex dictis in prima propositione.

Tertiò, eadem particula, *melius*, potest sese tenere, ex parte *finis*, ita, vt dicatur Deus posse ordinare res ad meliorem finem, quàm de facto ordinauerit: & hoc sensu propositio est falsa, cùm Deus de facto ordinauerit vniuersum ad seipsum Deum, quo nihil potest V.
fingi melius, licet, intra hunc eundem finem, possit illud magis perficere.

Quartò, potest eadem particula tenere se, ex parte rei creatæ, vel creandæ, quæ etiam dicatur posse fieri essentialiter perfectior aliâ re iam creatâ, intra idem genus: quomodo potest esse vera propositio, de aliquibus rebus ad se inuicem comparatis, vt patet ex secundâ, & tertiâ parte secundæ nostræ propositionis.

Quæres, cùm dicamus Deum aliquando id posse, aliquando id non posse, in secundâ & tertiâ parte vltimæ propositionis, & talis impossibilitas non se teneat ex parte Dei; vnde discernemus quando id fieri possit; & quando non possit.

Respondetur, id esse discernendum, ex præcisa ratione differentiarum, prout illæ comparantur ad gradus genericos; an nimirum, VI.
sint talis conditionis, vt possint pati talem multiplicationem specificam, siue, quoad ascensum, siue, quoad descensum.

AD QVÆSTIONEM XXVI.

Quod spectat ad hanc quæstionem, quę est de diuina beatitudine, quia eius explicatio solet ab omnibus reiici in primam secundæ, vbi agitur de beatitudine, & nos illam in eundem locum reiicimus, quamquam, & agendo superiùs de ipsa Dei incomprehensibilitate, & scientia, aliquid diximus de beatitudine Dei.

Atque hactenus de attributis diuinis.

FINIS.

DE MYSTERIO TRINITATIS.

I. Recte sanctus Bernardus libro A quinto *de consideratione ad Eugenium* capite septimo & octauo, admonet *inducere Trinitatem diuinarum personarum, non esse vnitatem Dei destruere, sed statuere,* cùm inter omnia, quæ rectè dicuntur *vnum,* vnitas illa, quâ tres diuinæ personæ sunt vna substantia, teneat principatum. Vt igitur tota explicatio diuinæ vnitatis & perfectionum illam consequentium, quam hactenus tradidimus, sit omnibus suis numeris absoluta, tremendum Sacrosanctæ Trinitatis mysterium explicare aggredimur.

II. AD QVÆSTIONEM XXVII. B

DISPVTATIO PRIMA.

De pluralitate personarum diuinarum.

Articvlvs Primvs.

Esse plures personas in Deo, contra Iudæos probatur.

Qvamvis nomen hoc *Trinitas* iuxta præcisam *proprietatem* vocis, solùm significet trium diui-
III. narum personarum *multitudinem*, & non earum *vnitatem* in C
essentia, vt sanctus Thomas infrà docet quæstione trigesimâ primâ articulo primo; quia tamen satis communiter, ex *praxi Ecclesiæ & Patrum* sumitur pro multitudine trium personarum *in vna numero essentia diuina,* vt patet ex illo symboli sancti Athanasij, *fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*; ideò in hac significatione illud in præsenti accipimus, ita vt sensus huius controuersiæ sit, *an de facto detur Trinitas personarum in eadem numero diuina essentia.*

Hæc autem controuersia potest reuocari ad *duo capita*, ita vt *primò* quæratur an sit pluralitas personarum in diuinis: *secundò*, an propriè loquendo singulæ illæ personæ sint diui- IV.
næ, seu habeant in se diuinam essentiam, quæ cùm sit vna simplicissima, faciat vt Deus sit vnus & trinus: de priori agemus in præsenti disputatione, acturi de posteriori insequenti.

Qui impugnant hanc pluralitatem personarum possunt reduci ad *duas classes*, ita vt *prima* classis contineat eos, qui nunquam fuerunt Christiani, cuiusmodi sunt *Gentiles*, & *Iudæi*; *secunda* contineat *hæreticos* propriè dictos.

Quod spectat ad Gentiles, quia *mysterium Trinitatis* habetur ex sola reuelatione Dei, nec aliquâ efficaci ratione naturali potest probari, vt patebit infrà; illi verò diuinas reuelationes in vtroque Testamento contentas aut factas Ecclesiæ, aut per solam traditionem retentas, reiiciunt; ideò nobis nullum argumentũ superest, quo illud eis *positiuè* probemus, sed *duo* solùm possumus contra illos;
primum est, agere *ex motiuis credibilitatis fidei Catholicæ,* vt Theologi vocant, id est, rationibus & suasionibus ostendere fidem Catholicam esse dignam, cui credatur, & proinde cùm Trinitas personarum in eadem numero essentia diuina, sit vnus ex eius articulis, talem articulum esse habendum pro vero: *alterum* est, dissoluere argumenta quibus impugnant hoc mysterium, ostendendo ea non cõuincere nostrũm intellectum, remouendo omnia quæ videntur destruere veritatem tanti mysterij, quod Theologi aliter vocant probare *negatiuè*: primum propriè spectat ad tractatum de fide, secundum ad præsentem, quod hîc præstabitur à nobis in toto eius de- V.
cursu, prout locus & occasio postulabunt, verbi gratiâ soluendo argumenta Arianorum, Macedonianorum, & aliis locis. VI.

Igitur ex aduersariis primæ classis soli restant Iudæi, quos ex veteri Testamento, quia profitentur illud esse reuelatum à Deo, possumus reuincere: hoc genus argumenti fusè persequuntur Lyranus opusculo *contra Iudæos*, Abulensis opusculo *de Trinitate*, Galatinus toto libro secundo *de arcanis*: nos paucis aliquot vrgentioribus testimoniis erimus contenti.

Primum repetimus ex capite primo Geneseos in illis verbis: *dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: vbi sermo est in plurali numero, & qui ordinatur ad personas distinctas ab ipso loquente, quæ

I. tamen cùm illo creent hominem ad suam plurium personarum simul ibi operantium imaginem, vt hæc particula indicat, *ad imaginem nostram:* atqui non possunt aliæ personæ, quæ ibi colloquuntur intelligi, quàm diuinæ; tum quia ibi agitur de creatione hominis, quæ de facto est à Deo solo, & non ab aliquo Angelo, etiam quasi instrumento, vt Moïses satis ibi explicat, dum subdit, *formauit itaque Deus hominem de limo terræ, inspirauit in faciem eius;* item *creauit hominem ad imaginem suam:* tum etiam quia homo non est creatus ad imaginẽ & similitudinem Angeli, sed solius Dei, seu trium diuinarum personarum: quia ratio imaginis attenditur penes animam rationalem, & eius facultates repræsentantes vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum.

II. Neque Iudæus aliquis potest respondere Deum subsistentem in vna tantùm numero persona, sic esse locutum in plurali, in signum suæ maiestatis, sicut principes terræ solent plerumque. Id enim refellitur ex capite tertio Geneseos, vbi Moïses ita scribit de Deo loquente per ironiam de primo parente, *& ait: ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est,* quò loci hæc particula, *& ait,* explicat vnitatem essentiæ, ista verò *vnus ex nobis* pluralitatem & distinctionem personarum, hæc enim formula loquendi potest tantùm rectè vsurpari, vbi quædam multitudo reperitur; vt vsus communis loquendi docet.

Atque ita hunc locum Patres intellexerunt, & eo sunt vsi contra Iudæos, S. Athanasius oratione *contra idola,* S. Hilarius lib. 5. *de Tri-*
III. *nitate,* S. Augustinus lib. 12. *de Trinitate* cap. 6. & Galatinus lib. 2. *de arcanis* cap. 9. confirmat hanc expositionẽ testimonio Iudæorũ.

Secundum testimonium repetitur ex cap. 48. Isaiæ, vbi distinguuntur tres in Deo personæ, *Pater, Spiritus eius, & secunda,* quæ est Christus, asserens se etiam esse auctorem legis traditæ ipsi Mosi in monte Sinaï: verba autem sunt hæc, *accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abscondito loquutus sum: ex tempore antequam fieret ibi eram:* (quibus verbis æternitas eius exprimitur) *& nunc Dominus meus,* (nimirum Pater) *misit me, & Spiritus eius,* en tertia persona Trinitatis, quia ratione coniunctionis humanitatis cum Verbo factæ à totâ Trinitate, & quia est beneficium gratiæ attributum Spiritui sancto, dicitur etiam Christus missus à Spiritu sancto.

IV. Tertium testimonium repetimus ex Psalmo 109. in illis verbis, *dixit Dominus Domino meo,* &c. *ex vtero ante Luciferum genui te;* nam imprimis hunc locum esse potentissimum contra Iudæos pro asserenda secunda persona Trinitatis, quæ per Incarnationem fit homo, patet ex cap. 22 S. Matthæi, vbi Iudæi nihil potuerunt respondere Christo Domino probanti ex hoc loco suam diuinitatem.

Deinde locum hunc esse Psalmistę Dauidis, & non alicuius alterius, patet ex eo quòd, si hic Psalmus esset Melchisedech, aut serui Abraham, quemadmodum Iudæi recentiores calumniantur, patres illorum non omisissent obiicere istud Christo Domino proferenti eum tanquam Dauidis, quod tamen non fecerunt: vnde veteres Rabbini attribuunt illum Dauidi, vt Genebrardus notat suis commentariis ad illum Psalmum.

A Tertiò patet hanc particulam, *Domino meo,* aliam & distinctam personam denotare ab ea V.
quæ ibidem explicatur in ista particula, *dixit Dominus:* tum ex eo quòd vna persona ibi introducatur loqui alij personæ; tum quòd vna dicatur generare & alia generari: at generans & genitus distinguuntur personaliter, cùm nihil generet seipsum.

Quartò, personam quæ hîc loquitur esse propriè diuinam, patet ex eo quòd illa in Hebræa dictione exprimatur per nomen *tetragrammaton,* quod iuxta Hebræos interpretes ad caput 15. Exodi est vnum ex propriis nominibus Dei, & significat eum, qui est Deus per essentiam.

Similiter aliam personam, cui hæc persona loquitur, esse propriè diuinam, patet impri-
B mis ex eo, quòd persona, quæ hîc loquitur, & VI.
quam ostendimus esse diuinam, dicit se illam genuisse *ex suo vtero,* quod idem sonat ac *de sua substantia,* seu *essentia,* & propriè loquendo sibi consubstantiali, sicut filius qui ex vtero suæ matris generatur, propriè est consubstantialis, & ex consequenti quemadmodum Deus hic generans est propriè Deus & persona diuina, sic is qui dicitur hoc loco generari est aliqua persona diuina.

Secundò, ex eo quòd persona hîc loquens dicat hanc secundam ex se genitam esse æternam in ista particula, *ante Luciferum genui te:* hæc enim idem sonat ac ante quamlibet rem creatam, seu ante omnia sæcula; est enim ipse Lucifer symbolum temporariæ durationis & sæculorum, vt Genebrardus ibi obseruat: at esse & fuisse ante quamlibet rem crea-
C tam est proprium soli Deo, cui soli æternitas VII.
propriè dicta competit.

Et hoc vtrumque confirmatur ex collatione huius loci cum aliis duobus eiusdem veteris Testamẽti: nam illud quod referimus ex Psalmo 109. idem planè habetur Psalmo 2. in istis verbis, *ego hodie genui te,* & apud Michæam Prophetam cap. 5. in illis verbis, *& egressus eius à diebus æternitatis,* vt notant interpretes ex commentariis Rabbi Samuëlis circa primum locum; & esse genitum *ante Luciferum,* & esse egressum *ab initio,* & *à diebus æternitatis,* idem sonãt respectu vnius & eiusdem personæ, cùm egressus iste non possit esse nisi per processionem seu emanationem ab alio: atqui duo hæc postrema testimonia intelliguntur de Christo Domino, quem profitemur esse secũdam per-
D sonam Trinitatis: prius quidem, quia illud *ego* VIII.
genui te intelligitur de eodem, de quo istud eiusdem Psalmi 2. *apprehendite disciplinam,* iuxta Hebraicam editionem, quæ loco huius ita habet *osculamini filium:* sed hoc secundum intelligitur de secunda diuina persona Trinitatis, quæ est ipsemet Messias. Nam Rabbini apud Galatinum lib. 3. *de arcanis* cap. 7. agnoscunt agi de filio in isto Psalmo, & hæc particula *hodie* ibi significat æternitatem; verbum item Hebræum, quod huic Latino respondet *genui,* iuxta propriam suam significationem idem est, ac parere.

Posterius etiam testimonium idem planè significat; nam apud S. Matthæum cap. 2. principes sacerdotum & scribæ interrogati ab Herode de loco natiuitatis Messiæ, responderunt in *Bethleem Iuda,* & in huius rei confirmationem protulerunt hunc locum Michææ: ergo

I. pari modo verba relata ex Psalmo 109. debent intelligi de æterna generatione diuinæ alicuius personæ distinctæ à generatione etiam diuina; sícque ex hoc testimonio dantur plures personæ in diuinis, quàm vna.

Hæc sunt vrgentiora testimonia, nam quod spectat ad illum versum cantici trium puerorum, prout decantatur ab Ecclesiâ, *benedicamus Patrem & Filium, cum sancto Spiritu*, cùm non habeatur apud Danielem, & sit positus ab Ecclesiâ, non potest facere fidem contra Iudæos. Hoc autem mysterium haberi obscurè reuelatum in veteri Testamento, patet ex eo quòd Christus Dominus sancti Ioannis quinto agens de suâ diuinitate remittit Iudæos ad vetus Testamentum; *scrutamini* (inquit) *scripturas*; & apud sanctum Matthæum capite vigesimo secundo. Fuit verò illis traditum ob-
II. scurè ad euitandum periculum idololatriæ, ad quam Iudæi erant valde procliues, & quia clarior reuelatio reseruabatur in tempus nouæ legis.

ARTICVLVS II.

Expenduntur quatuor Iudæorum responsiones tertio argumento superioris articuli.

RESPONDENT primò apud sanctum Iustinum libro *contra Triphonem*, & apud Tertullianum libro quinto *contra Marcionem*, capite nono, particulam istam, *Domino meo sede à dextris meis*, intelligi de Ezechia Rege, quem dicunt sedisse ad dexteram templi, & Deum euertisse hostes eius.

III. Sed non euertit hæc responsio nostram rationem: primùm quia Dauid non appellasset Ezechiam Dominum suum, cùm esset vnus ex eius prædecessoribus: deinde qui sic appellatur à Dauide, dicitur esse *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*: Ezechias autem nullo modo fuit sacerdos. Adde quòd libro quarto regum capite decimo nono tantùm legamus Ezechiam ascendisse, & intrasse in domum Domini, ibique orasse: at de sessione, ne verbum quidem.

Respondent secundò, quòd in textu Hebraico scribatur priori loco nomen *tetragrammaton*, quod significat Deum per essentiam; posteriori loco nomen *Adonai*, quod significat Dominum, & est tantùm nomen appellatiuum, ac proinde non posse ex eo inferri se-
IV. cundam personam esse Deum.

Sed nec obstat ista responsio; nam & alibi vt Hieremiæ trigesimo secundo nomen illud Dei *tetragammaton* tribuitur ipsi Christo Domino. Deinde quia Dauid loquitur ibi de secunda persona Trinitatis vt incarnata, & hæc præter dominium illud sibi commune cum patre, habet & aliud speciale ratione vnionis hypostaticæ, vt Theologi docent tertiâ parte; ideò Dauid vocat ibi illum non simpliciter Dominum, sed Dominum suum, & sequens hæc particula, *ante Luciferum*, quæ idem sonat ac *ante creationem mundi, antequam quicquam faceret*, vt Prouerbiorum octauo, satis indicat eiusmodi personam esse increatam, & proinde diuinam.

Respondent tertiò, voces istas *ante Luciferum genui te*, non posse intelligi de æterna generatione, cùm ista generatio dicatur esse *ex*

A *vtero*, vel ex vulua; quæ Deo non potest tribui. V.

Verùm nec tertium istud obstat: quia illud *ex vtero*, idem est ac ex mea substantia, vt Theodoretus explicat ad illum locum: vterum autem & vuluam metaphoricè tribui Deo, patet ex capite quadragesimo sexto Isaiæ, apud quem Deus ita loquitur, *audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero & gestamini à mea vulua*. Hæc autem diuina generatio exprimitur potiùs per *vterum* & vuluam, quæ propriè pertinet ad matrem, vt hæc secunda persona diuina genita ostendatur consubstantialis primæ: nam hæc consubstantialitas magis elucet in partu matris.

Respondent quartò, versum hunc *tecum principium*, &c. aliter legi in textu Hebraico,
B quàm in editione septuaginta interpretum, & in nostra vulgata. VI.

Verùm nec vltimum istud obstat: nam vt interpretes ibi docent, est idem planè sensus, & tam septuaginta interpretes, quàm vulgata editio magis attenderunt ad sensum, quàm ad verba. Si enim sensus istarum editionum esset alius à sensu Hebraico, primùm Ariani cùm viderent se valde premi hâc auctoritate Psalmi centesimi noni pro asserenda diuinitate filij, non omisissent exprobrare Patribus sensum istius loci esse falsatum & corruptum, cùm inter illos reperirentur aliqui peritissimi trium eiusmodi linguarum, quod tamen nunquam fecerunt.

ARTICVLVS III.

C *Esse plures personas in Deo, contra hæreticos probatur.* VII.

SABELLIVS circa annum ducentesimum sexagesimum Christi Domini, ex omnibus hæreticis accessit proximè ad errorem Iudæorum: is enim ita admittebat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in diuinis, vt tamen negaret esse distinctas personas, sed vnam tantùm esse assereret, quæ pro diuersitate effectuum, modò *Pater*, modò *Filius*, modò *Spiritus sanctus* diceretur. *Pater* quatenus est principium creaturarum; *Filius* quatenus assumpsit naturam humanam: & *Spiritus sanctus* quatenus sanctificat creaturas rationales. Vnde credebat Deum esse dumtaxat *trinominem*, id est vnum in persona, habentem tamen tria nomina: sic refert sanctus Epiphanius ad-
D uersus *hæreses*, hæresi sexagesimâ secundâ, &
licet, vt sanctus Augustinus rectè notat libro *de hæresibus* hæresi quadragesimâ primâ, Sabellius fuerit famosior propugnator huius hæresis, ideóque ab illo celebrius nomen acceperit, dictáque sit *Sabelliana*, eius sectatores *Sabelliani*; non tamen fuit primus auctor illius: nam ante illum Noëtus quidam (à quo *Noëtiani* hæretici dicti sunt) eamdem hæresim defenderat: imò & hæc hæresis fuit tempore sancti Ignatij, vt patet ex octaua eius epistola, vbi meminit quorumdam hæreticorum, qui Patrem natum & passum asserebãt, vt faciunt Sabelliani, qui ideò dicti sunt *Patripassiani*, vt constat ex sancto Hilario libro quarto *de Trinitate*, & sancto Augustino libro citato. Plures alij hæretici secuti sunt Sabellium, vt Priscillianistæ, quemadmodum sanctus Augu- VIII.

I. stinus refert libro nunc citato hæresi septuagesimâ. A

Sit contra Sabellium & eius sectatores hæc nostra propositio. *Plures sunt personæ in Deo:* est de fide, ex Symbolo Apostolorum; item ex confessione fidei omnium Conciliorum.

Probatur ex sacris literis, & primùm ex veteri Testamento, testimoniis allatis contra Iudæos, quibus addi potest aliud excellens, ex capite sexto Isaiæ, vbi duo Seraphim cantant Deo trisagium, seu Deo sanctum hymnum; licet enim Iudæi, qui nullam agnoscunt auctoritatem Ecclesiæ, & Patrum, pro explicandis sacris Scripturis, in vero sensu facilè eludant illud, dicendo apud Lyranum Isaiæ sexto trinam repetitionem huius termini *sanctus*, poni ad maiorem expressionem diuinæ sanctitatis, sicut Ieremiæ vigesimo secundo hæc dictio *terra* ponitur ter ad excitandum maiorem at-
II. tentionem: attamen prolatum contra hæreticos, B qui adhuc agnoscunt aliquam auctoritatem Ecclesiæ & Patrum pro vero sensu sacræ Scripturæ, est potétissimum pro nostra conclusione. Hunc enim hymnum *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, duo illi Seraphim cantant in laudem & gloriam totius sanctissimæ Trinitatis, provt illa est vna numero diuina substantia, seu essentia in tribus personis, seu provt sunt tres diuinæ personæ, in vna & eadem numero diuina essentia: sic enim tradunt Græci Patres relati à sancto Damasceno in sua epistola *de trisagio*, & ex Latinis, sanctus Hieronymus ad illum locum Isaiæ, sanctus Ambrosius libro secundo *de fide ad Gratianum*, capite quarto, & plures alij quos Durantus libro secundo *de ritibus Ecclesiæ* capite trigesimo primo numero trigesimo refert. C

III. Imo hæc explicatio est adeò vera, vt Felix tertius epistolâ suâ tertiâ ex Synodo Romana *ad Petrum Fulonem*, sanctus Damascenus suprà, & plures alij Episcopi epistolis suis commonitoriis ad *eumdem Fulonem*, quæ habentur tomo secundo Conciliorum, tradant hoc trisagium, vel istud posterius tempore Procli Episcopi Constantinopolitani acceptum, *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*, non posse absque calumnia vni tantùm personæ diuinæ aliis duabus exclusis, decantari. Nam inter varias mutationes, quas Fulo faciebat in vtroque trisagio, & quas etiam condemnant, hanc etiam recensent, quâ scilicet vni tantùm personæ aliis duabus seclusis decantabat, & asserebat posse decantari.

IV. Huius doctrinæ ratio fundamentalis est D hæc, vt apud illos videre est, locis citatis: vbi aliquod signũ est ex cœlesti impositione & traditione facta Ecclesiæ determinatum formaliter ad certam & specialem significationem, & sic in praxi vsurpandum, illud non potest humanâ impositione vel vsu transferri ad aliam significationem ei oppositam, vel formaliter distinctam in praxi vsurpandam; aliàs cœlestis illa impositio & traditio violaretur, vt patet in materiis & formis sacramentorum nouæ legis, & in hac voce *trinus*, quæ non potest dici de vna tantùm persona diuina, sed solummodo de tribus diuinis: atqui hoc trisagium est aliquod signum laudis & honoris exhibitum Deo formaliter, determinatum ex cœlesti impositione & traditione Isaiæ sexto capite, ad solam sanctitatem & gloriam totius sanctissimæ Trinitatis, provt illa est vna numero substantia in tribus personis, seu provt sunt tres V. diuinæ personæ in vna numero natura, & ad talem laudem ipsi Deo vt vni & trino in vsu & praxi reddendam; & applicatio huius trisagij facta vni tantùm ex personis diuinis est opposita tali cælesti impositioni & traditioni, eiúsque distinctiua, vt omnes illi Patres citatis suis epistolis fusè exprimunt tanquam receptum ab Ecclesia & indubitatum; igitur hoc trisagium quod est apud Isaiam, similiter & alterum debet practicè decantari in Ecclesia toti dumtaxat Trinitati, & proinde ex hoc trisagio Trinitas personarum efficaciter probatur. Hinc sanctus Ambrosius suprà: *Seraphim,* inquit, *dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus: quid sibi vult*, inquit, *sub vno nomine trina sanctitatis repetitio? si trina repetitio, cur vna laudatio? nisi quia Pater, Filius & Spiritus sanctus sancti-
tate vnum sunt? non dixit semel, ne Filium se-* VI.
questraret, non bis, ne Spiritum sanctum præteriret; non quater ne creaturas coniungeret. Et vt ostenderet vnam esse Trinitatis deitatem, cùm tertiò dixisset Sanctus, Sanctus, Sanctus, *addidit singulariter, Dominus Deus sabaoth.*

Probatur etiam ex nouo Testamento, vt ex illo Christi Domini apud sanctum Ioannem capite decimo quarto, *ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis*: quem locum sanctus Athanasius oratione *contra gregales Sabellij* pulchrè vrget, *cùm Christus de se loquitur, ego*, inquit, *cùm de Patre, ille, dicit, cùm de Spiritu sancto, alium subiungit, cur non igitur manifesta pertinacia est negare tria?* Eundem locum eodem ferè modo vrget sanctus Basilius sermone *contra Sabellium.*

Probatur item ex illo Christi Domini Ioan-
nis quinto: *alius est qui testimonium perhibet* VII.
de me, nimirum pater, & capite octauo, *solus non sum, sed qui misit me pater, mecum est:* & apertissimum pro nostra propositione testimonium habetur primâ Canonicâ sancti Ioan. capite quinto: *tres sunt qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Et primò quòd tres isti sint *Deus*, & non aliquid creatum existens in cælo, cuiusmodi sunt Angeli, patet ex eo quod paulò pòst vocet hoc testimonium Dei istis verbis: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Vnde *dari testimonium in cælo* ibi idem sonat, ac ferre testimonium diuinum.

Deinde quòd hi tres sint à se inuicem dis-
tincti realiter, & non solis nominibus, patet VIII.
ex eo, quòd S. Ioan. in explicatione istius diuini testimonij constantis ex tribus personis, subiungit aliud terrenum ex tribus à se inuicem distinctis desumptum, ita subiungens, *& tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; spiritus* quidem, id est anima Christi Domini, vt explicat sanctus Augustinus libro tertio *contra Maximinum*, cap. 22. quæ, dum eam Christus emisit de corpore, moriendo, tulit testimonium Christum esse verum hominem; *aqua* item & *sanguis*, quæ verè effluxerunt ex ipso eius latere, dum mortuus est, quæ tria sunt à se inuicem distincta realiter. Tandem vltima hæc particula *& hi tres vnum sunt*, significat vnitatem essentiæ trium diuinarum personarum.

Verùm contra efficaciam huius testimonij

I. obiicitur primò illud non haberi in editione A Syra, multósq; codices Græcos illud non habere, & à quibusdam Patribus antiquis non legi, vnde ex illo nullum potest validum argumentum peti pro nostra conclusione.

Respondetur hoc non obstare efficaciæ nostræ rationis, quia ex quamplurimis codicibus vetustissimis tam Græcis quàm Latinis è Gallia, Italia & Hispania petitis, pauci versum illum omiserunt; & ante hæresim Arij S. Hygimus, qui sedit anno Christi Domini 154. citat hunc versum, primâ suâ epistolâ cap. 1. & S. Hieronymus suâ præfatione ad epistolas Canonicas testatur Arianos hunc locum S. Ioan. corrupisse in sua editione, *testimonium Patris, Verbi ac Spiritus* omittendo, in quo maximè fides Catholica roboratur.

Obiicitur secundò: quòd Græci codices
II. qui retinent hunc versum non legant, *& hi tres vnum sunt*, sed hoc modo, hi tres in vnum sunt, quod non denotat vnitatem essentiæ, sed tantùm aliquam consensionem ad aliquid.

Respondetur, codices emendatiores Græcos omittere istam particulam *in*, & scopus S. Ioan. id postulat, is enim est ostendere Christum esse, non tantùm verum hominem, sed etiam verum Deum, & verum Filium Dei, vt patet ex ipso eius textu; vnde cùm non possit esse verus & naturalis Filius Dei, verus item Deus, nisi sit consubstantialis Patri, similiter etiam & Spiritui sancto, fit, vt hæc particula debeat ita accipi, vt tres personæ ibi enumeratæ dicantur esse *vnum*, quatenus habent eandem numero essentiam. Addunt & aliqui
III. esse Hebraismum, quo esse *in vnum* idem est C ac esse *vnum*, sicut esse *in protectorem & in populum*, alibi idem sonat, ac esse *protectorem & populum*.

Obiicitur tertiò: quòd eodem modo *terreni testes* ibidem à sancto Ioanne enumerati dicantur esse *vnum*, ac *tres illi cælestes* ibi recensiti; atqui terreni illi testes non dicuntur esse vnum, quasi habeant vnam numero essentiam, cùm sit certum quoad illam distingui realiter inter se, sed tantùm intelliguntur de vnitate conspirationis ad vnam & eandem rem significandam: ergo pari modo hæc particula in testimonio diuino, *& hi tres vnum sunt*, non denotabit vnitatem essentiæ Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed tantùm concordiam in testimonio ferendo.

Respondetur illud etiam non obstare, quia præterquàm quòd non desunt, qui velint hanc
IV. particulam, *vnum*, fuisse posteriori loco positam ab Arianis, ad minuendam auctoritatem huius loci, pro vnitate essentiæ trium personarum; inter quos citatur sanctus Thomas opusculo 24. quia tamen vulgata editio ita legit, respondetur hæc verba in posteriori loco dici cum diuersa accommodatione ad ea, quæ dicuntur in priori loco, vt patet ex ipsomet textu; cùm enim S. Ioan. ibi probet Christum Dominum esse verum Deum, verum Filium Dei, idque probet testimonio diuino trium personarum, & Deus sit vnus tantùm numero, hæc particula *& hi tres vnum sunt*, apposita diuino testimonio denotat esse vnitatem essentiæ inter eiusmodi personas: at in posteriori loco, quia satis constat vnicuique tres illos testes terrenos, esse à se inuicem distinctos, etiam quoad essentiam, ibi hæc particula *& hi tres vnum sunt*, satis intelligitur tantùm denotare consensum horum trium ad vnam & eandem rem testandam. V.

Tandem probatur ratione fundatâ in sacris Litteris, quam sanctus Athanasius suprà, Tertullianus libro *contra Praxeam* vrgent, quæ est talis: qui accipit esse ab alio, distinguitur realiter ab eo, quia nihil seipsum producit: atqui ex sacris Literis, vt sancti Ioannis primo & sexto, & aliis infrà citandis, Filius accipit esse à Patre, & Spiritus S. à Patre & Filio: igitur Pater, & Filius, & Spiritus S. in diuinis distinguũtur realiter à se inuicem: sicque dantur tres personæ in Deo.

Sabellius præcipua fundamenta de sumebat ex duobus: primùm ex iis omnibus scripturæ testimoniis, & rationibus, quæ com- B mendant vnitatem Dei. Deinde ex falso quodam Euangelio Ægyptiorum, in quo vt sanctus Epiphanius suprà refert, Christus Dominus introducitur declarare discipulis suis eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; sed vnitatem Dei benè consistere cum Trinitate personarum, patebit ex dicendis infrà. Et Euangelium istud Ægyptiorum esse apocryphum, & nullius auctoritatis, imò plenum mendaciis, præterquàm quòd S. Epiphanius notat suprà, docet vniuersalis Ecclesia, quæ quatuor tantùm admittit Euangelia, inter quæ istud Ægyptiorum nullo modo recensetur. VI.

DISPVTATIO II. VII.

De consubstantialitate personarum diuinarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Patrem esse verum Deum, & Filium esse Patri consubstantialem.

OSTENDIMVS superiori disputatione, ex sacris Literis esse in Deo Trinitatem personarum, nunc probabimus vnamquamque illarum esse Deum, & cùm natura diuina sit tantùm vna numero, secundam personam esse consubstantialem Patri, & tertiam esse con-
D substantialem Patri & Filio. Vbi primò notandum est, *Verbum Dei, Filium Dei, & Messiam*, esse vnam eamdémque numero personam, vt patet infrà. VIII.

Secundò notandum est hoc nomen *ὁμοούσιος*, quod Latinè redditur *consubstantiale*, fuisse receptum & probatum à Patribus Concilij Nicæni, ad distinguendum Catholicos ab Arianis, qui volebant Filium esse duntaxat *ὁμοιούσιον* & *ἑτερούσιον*, seu *similis, alterius* tamen substantiæ à Patre; & huius vocis *ὁμοούσιον* vsurpandæ in Ecclesia Eusebius Nicomediensis Episcopus Arianus dedit occasionem, vt testatur sanctus Ambrosius libro tertio *de fide* capite vltimo: cùm enim, inquit ibi sanctus Ambrosius, eius epistola lecta esset in Concilio, in qua ita habebatur, *si verum Dei Filium*

I. *& increatum dicimus, ὁμοούσιον cum Patre incipimus confiteri.* Quæ verba cùm Patres Concilij Nicæni audiuissent, hanc vocem ὁμοούσιος in tractatu fidei posuerunt; quòd viderent aduersariis esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandum caput hæresis amputarent, & quòd iudicarent illam esse valde accommodatam ad exprimendum vnitatem, & identitatem substantiæ Filij & Patris.

Est tamen verum aliquos Patres vsos fuisse isto nomine in hac significatione, ante Concilium Nicænum, vt sanctus Athanasius obseruat in epistolâ decretorum Concilij Nicæni.

Quando verò nomen hoc reprobatur à Patribus Antiocheni Concilij, hoc tantùm sensu reiicitur, quo Paulus Samozatenus hæreticus admittebat illud, nimirum prout significat
II. duo indiuidua habere eamdem tantùm specie & non numero substantiam seu essentiam, vt intelligitur ex sancto Athanasio in epistola de *Synodis.* His prænotatis,

Sit prima propositio. *Pater seu prima persona Trinitatis est verus Deus.* Propositio est de fide, quam adhuc nulli ex hæreticis negarunt.

Probatur ex sacris literis, in quibus Christus Dominus affirmat passim Patrem esse verum Deum, vt apud sanctum Ioannem octauo, decimo septimo, & vigesimo capitibus. Item Apostoli in suis epistolis, sanctus Paulus secundæ *ad Corinthios* primo, primæ *ad Thessalonicenses* primo, sanctus Petrus primâ suâ canonicâ capite primo, sanctus Iudas in sua canonica.

III. Secunda propositio. *Filius seu secunda persona Trinitatis est verus Deus Patri consubstantialis.* Propositio est de fide ex Symbolo Nicæno, & Symbolis aliorum subsequentium Conciliorum contra Arium, qui tempore sancti Siluestri Papæ & Constantini Imperatoris circa annum Christi Domini trecentesimum decimum quartum ita admittebat tres personas contra Sabellium, distinctas realiter à se inuicem, vt tamen negaret Filium esse propriè Deum, sed assereret esse tantùm aliquam creaturam factam à Deo ante hunc mundum, & non eiusdem cum Deo naturæ, sed diuersæ, vt patet ex ipsis epistolis Arij *ad Eusebium, & ad Alexandrum,* quas sanctus Epiphanius hæresi sexagesimâ nonâ refert.

IV. Nostra autem propositio probatur: primùm ex primo capite sancti Ioannis: *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; quò loci Euangelista vtitur particulâ *erat,* quæ significat tempus indefinitum, vt explicaret Verbum illud diuinum esse, & fuisse ab æterno, & ne quis suspicaretur illud esse alterius naturæ à Deo, apud quem dixerat illud esse, statim subiungit, *& Deus erat Verbum,* quo affirmat ipsum Verbum habere in seipso diuinitatem, & sic esse Deum; hæc enim propositio Euangelistæ est inuersa, id est, in qua attributum ponitur loco subiecti, pro illa *Verbum est Deus,* vt ex sancto Hilario libro septimo *de Trinitate,* & ex sancto Basilio interpretes notant ad illum locum Euangelij, quia Euangelista eò loci docet quid sit Verbum, scilicet Deus; quando fuerit, nimirum semper, & ab æterno, quid

A fecerit, scilicet omnia, *& omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* & proinde cùm Verbum sit aliquid diuinum, non potest aliquid esse factum siue creatum. V.

Confirmatur ex ea intentione, quæ mouit sanctum Ioannem, vt scriberet Euangelium, scilicet vt contra Cherintum & Ebionitas ostenderet Christum Dominum fuisse ante beatissimam Virginem; vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere, vt rectè obseruat sanctus Hieronymus libro *de scriptoribus Ecclesiasticis* in Ioanne.

Neque huic rationi satisfacit, quòd Ariani obiiciunt primò hanc sententiam sancti Ioannis sic esse legendam: *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat.* Figendo ibi punctum, quatenus significatur existentia ipsius Dei, & sequens sententia
B Euangelistæ sic incipiat, *Verbum hoc erat apud Deum:* iuxta quam lectionem diuinitas non affirmatur de ipso Verbo. VI.

Hoc inquam non satisfacit; quia modus ille legendi cum prædicta punctuatione apparet ineptus ex hoc textu; tunc enim sequens illa sententia, *Verbum hoc erat apud Deum,* esset mera quædam repetitio huius præcedentis, *& Verbum erat apud Deum,* quæ est planè inutilis, ideóque non tribuenda Euangelistæ scribenti dictante Spiritu sancto. Deinde tota illa sententia est ad enuntiandum existentiam, naturam, & potentiam ipsius Verbi, & non ad affirmandum existentiam Patris, quam satis expresserat dicendo, *& Verbum erat apud Deum,* vt patet ex toto decursu ipsius textus.

C Neque magis satisfaciunt, cùm dicunt, quòd retentâ nostrâ lectione non habemus Verbum esse propriè & essentialiter Deum, quia quando Verbum dicitur hoc loco esse *Deus,* particula Græca θεὸς huic respondens non habet articulum sibi præfixum, quem tamen solet habere, quando significat Deum per essentiam, sicut solet eo carere, quando tantùm significat Deum per aliquam similitudinem & participationem, vt sanctus Cyrillus testatur libro primo *in sanctum Ioannem* capite quarto. VII.

Non magis, inquam, satisfaciunt, quia in nouo Testamento particula θεὸς, quæ Latinè significat *Deum,* satis frequenter ponitur sine articulo, dum significat Deum per essentiam, & hoc eodem capite primo sancti Ioannis, *fuit homo missus à Deo,* nomen hoc *Deus* significat
D Deum per essentiam, vt Ariani etiam agnoscunt, & satis conuincitur ex ipsa missione sancti Ioannis Baptistæ, & tamen ibi in Græca editione aliquis articulus non præfigitur. Item *ad Ephesios* quarto: *vnus Deus & pater omnium,* & sæpè alibi nullus præfigitur articulus; & sanctus Cyrillus citatus suprà ita vult hoc nomen θεὸς positum cum articulo significare Deum per essentiam, vt tamen non asserat illud positum sine articulo, semper sumi impropriè, pro Deo tantùm per participationem: sed id debet intelligi ex conditione rei cui tribuitur, & ex antecedentibus & consequentibus, quæ id indicabunt. Adde quòd sanctus Chrysostomus homiliâ tertiâ in sanctum Ioannem plura refert sacræ Scripturæ testimonia, quibus nomen hoc θεὸς tributum Christo Domino habet articulum sibi præfixum, & Ori- VIII.

I. genes tomo secundo *in sanctum Ioannem* notat ideò poni hoc loco sine articulo, vt Verbum denotetur esse *Deus* de Deo, habere diuinam essentiam à Patre per generationem.

Denique non efficit nostrę probationi, quod addunt modum loquendi scripturæ innuere Verbum esse tantùm causam instrumentalem, ac proinde non esse Deum, quia dicitur primo capite sancti Ioannis de Verbo, *omnia per ipsum facta sunt*, particula autem *per* denotat tale genus efficientiæ. Nam particula *per* etiam sæpè tribuitur causæ principali, vt primæ *ad Corinthios* primo, *fidelis Deus per quem vocati estis in consortium Filij sui*, & tamen Ariani non audebunt dicere Deum Patrem esse causam instrumentariam vel ministerialem. Sic hoc loco eadem particula significat Verbum diuinum esse etiam causam principalem omnium rerum ad extra, cùm eamdem cum Pa-
II. tre habeat potentiam & virtutem operandi.

ARTICVLVS II.

Eadem veritas altero probatur argumento.

PROBATVR etiam conclusio ex capite 10. sancti Ioannis, vbi Christus Dominus affirmat se esse Filium Dei, & habere eamdem cum Deo Patre virtutem & potentiam. His enim verbis loquens de ouibus suis: *& non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius est omnibus, & nemo potest rapere de manu Patris mei, ego & Pater vnum sumus.* Ita videtur argumentari. Nemo potest rapere meas oues de potestate Patris mei; manus enim ibi significat potestatem: er-
III. go neque de mea potestate. Probat consequentiam, *ego & Pater vnum sumus* scilicet *potentiâ*: ergo si nemo potest rapere de potestate Patris mei, neque de mea: ergo cùm in Deo potentia sit idem cum ipsa eius essentia, & Filius sit idem cum Patre in potentia, est etiam planè idem cum illo in essentia.

Non est quòd Ariani dicant locum hunc esse duntaxat intelligendum de vnitate concordiæ, eò quòd Christus Dominus S. Ioannis decimo septimo capite orans pro vnitate & concordia omnium fidelium ita dicat, *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & vt ipsi in nobis vnum sint*, & paulò pòst, *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.*

Non est inquam quòd etiam hoc respondeant. Nam ex antecedentibus & consequen-
IV. tibus vtriusque loci, patet Christum Dominum alio modo accipere particulam illam *vnum sumus*, in priori loco, & alio modo in posteriori: in priori accipere pro vnitate eiusdem omninò essentiæ, in posteriori pro vnitate tantùm concordiæ.

Prior pars huius responsionis patet non tantùm ex modo, quo nunc exposuimus rationem Christi Domini, sed etiam ex eo, quòd cùm Iudæi istud intellexissent de vnitate substantiali, & quoad essentiam, iuxta quam faciebat se Filium verum & naturalem, eiusdémque cum illo substantię, vt intelligitur ex accusatione illorum de blasphemia commissa per Christum Dominum, propter quam voluerunt eum lapidare, scilicet quòd se Filium Dei fecisset, cùm esset homo; ibi Christus Dominus non corrigit eorum sensum, negando

A se esse verum, & naturalem Filium Dei, vt debebat facere, si res ita se non haberet: vt sanctus Ioannes Baptista capite primo sancti Ioannis fecerat; item sanctus Paulus & Barnabas Actorum decimo quarto; quin potiùs affirmauit sensum illorum esse verum, & magis confirmauit argumento à minori ad maius sic; Scriptura sacra quæ falli non potest, eos quibus lex est data, vocat *Deos*: ergo à fortiori is quem Pater sanctificauit, id est, cui Deus Pater communicauit propriam suam diuinitatem, erit Deus, & quem voluit incarnandum; hoc enim significat illud quod subiungit, *& misit in mundum*, quia missio personæ diuinæ ab alia nihil est aliud, quàm origo personæ missæ à mittente cum aliquo effectu ad extra, qui respectu secundæ personæ Trinitatis est ipsa eius incarnatio, vt infrà dice- V.
B tur: ergo cùm Christus Dominus ibi dicit se esse sanctificatum à Patre & missum ab eo in mundum, asserit se esse Deum, & naturalem Filium Dei. VI.

Hoc etiam ibidem confirmat ampliùs argumento sumpto à suis miraculis, quæ id ostédebant; *si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*, id est, Pater & ego sumus vnum & eiusdem omninò naturæ: vna autem diuina persona dicitur esse in alia ratione diuinæ essentiæ, quæ est vna & eadem in omnibus & singulis personis diuinis.

Et hoc argumentum confirmatur ampliùs ex eo, quòd Christus Dominus etiam publicè apud Caipham in Concilio Iudæorum profes-
C sus est se Filium Dei naturalem, sicut & alibi in resuscitatione Lazari; sícque locus ille sancti Ioannis, *ego & Pater vnum sumus* tam ratione antecedentium, consequentium, quàm aliorum locorum scripturę, in quibus se profitetur Filium Dei, intelligitur de vnitate *essentiæ*, non autem solius *concordiæ*. VII.

E contrà posteriori loco scilicet 17. S. Ioan. quia Christus D. ibi orat pro vnitate & concordia fidelium, non tantùm qui erant tunc, sed etiã qui futuri erãt, & hęc vnitas fidelium, inter se est tantùm charitatis, & fidei, & aliorum eiusmodi donorum, quorum ratione dicuntur passim in sacris literis manere in Deo, & Deus in illis; fit vt hæc particula, *omnes vnum sint, sicut tu Pater*, &c. in hoc posteriori loco significet solummodo imitationem huius vnionis per charitatem inter fideles, ad vnita-
D tem substantialem, quæ est inter Patrem & Filium; non verò significet æqualitatem perfectionis, quo modo Christus Dominus sancti Matthæi quinto dicit: *estote perfecti sicut Pater vester perfectus est*, vbi particula *sicut* non significat identitatem vel æqualitatem, sed tantùm similitudinem imitationis. Vt etiam sancti Patres explicant, Chrysostomus homiliâ octogesimâ primâ *in sanctum Ioannem*, Ambrosius libro quarto *de fide* capite secundo, Augustinus tractatu centesimo decimo in *sanctum Ioannem*. VIII.

Atque totum hunc locum sic intellexerunt Tertullianus libro contra *Praxeam* capite vigesimo secundo, S. Hilarius libro septimo & octauo *de Trinitate*, sanctus Ambrosius libro tertio *de Spiritu sancto* capite decimo

I. octauo, sanctus Augustinus tractatu quadragesimo octauo *in sanctum Ioannem*, vbi singulas partes istius sententiæ expendunt, sicut fecimus, addúntque Christum Dominum istis duobus verbis *vnum sumus*, duas simul hæreses confodisse, *Arianam*, & *Sabellianam*: *Arianam* dicendo *vnum*, quo verbo explicat se esse consubstantialem Patri; *Sabellianam* dicendo in plurali *sumus*, quo exprimit distinctionem personarum diuinarum.

Tandem propositio nostra probatur relatis scripturis articulis præcedentibus ex Psalmo centesimo nono, & aliis: item iis, in quibus Christus Dominus dicitur, *Filius Dei vnigenitus esse in sinu Patris*, vt sancti Matthæi decimo sexto, sancti Ioannis primo, & passim apud Apostolum.

II.

Articvlvs III.

Soluuntur argumenta Arianorum contra præcedentem doctrinam.

Argvmenta Arianorum possunt reuocari ad duo generalia capita; alia enim petebant ex sacris literis, alia à ratione: nam quod spectat ad auctoritates Patrum vix vrgebant illas: sanctus enim Athanasius epistolâ *de decretis* Nicænæ Synodi, ait nullos ex antiquis Patribus potuisse allegari pro hæresi Arianorum, ibique citat Origenem pro nostra sententia, quem aliqui putant idem sensisse, quod Arius, à quo tamen crimine plures illum excusant, imò & ipsemet sanctus Athanasius, dum eum citat pro consubstantialitate Filij, vt obseruat Socrates lib. 6. historiæ
III. Ecclesiasticæ capite duodecimo: & quia argumenta secundi capitis impugnant potiùs processionem seu emanationem Filij à Patre, quàm eius consubstantialitatem, ideò illa reiiciemus in eum articulum, quo agemus de processione Filij.

Primùm itaque desumunt argumenta ex iis Scripturæ locis, qui videntur indicare solum Patrem esse Deum, vt sancti Ioannis decimo septimo, sancti Marci decimo, primæ ad *Timotheum* vltimo.

Deinde ex iis, qui dicunt Filium esse minorem Patre, vt sancti Ioannis decimo quarto. Et sanctus Hilarius libro nono *de Trinitate*, ait, *Patrem esse auctoritate maiorem Filio.*

Tertiò ex iis, ex quibus Filius dicitur omnia *habere à Patre, nihil à se*, vt sancti Matthæi
IV. vndecimo, sancti Ioannis tertio; item *nescire diem extremi iudicij*, sancti Marci decimo tertio, item eius non esse dare beatitudinem, sed Patris, sancti Matthæi vigesimo; hæc enim omnia videntur dicere imperfectionem, scilicet indigentiam, dependentiam ab alio, quæ imperfectiones non possunt cadere in Deum.

Tandem ex iis omnibus, in quibus Christus Dominus dicitur *creatus*, Ecclesiastici vigesimo quarto, item primæ *ad Corinthios* primo *factus*, sancti Ioannis primo & *ad Hebræos* primo capite.

Sed hæc soluuntur ex aliqua trium regularum: prima est, particulas exclusiuas qualis est hæc *solus*, in propositione de personis diuinis, in qua attributum est essentiale, significare tantùm exclusionem eorum, quæ sunt alte-
A rius & diuersæ naturæ à diuina, non autem exclusionem personarum: quia vt dialectici dicunt, eiusmodi particulæ non excludunt concomitantia: vnde cùm vna persona diuina sit in alia, vt ostendetur inferiùs, & esse Deum, esse bonum, esse omnipotentem, esse beatum, & id genus cætera sunt attributa essétialia, fit, vt dum tribuuntur vni personæ diuinæ, etiam cum aliqua particula exclusiua, non excludant reliquas à communicatione eiusmodi attributorum, & hanc regulam sanctus Augustinus tradit libro tertio *contra Maximinum* capite decimo tertio, & libro secundo *de Trinitate*, capite sexto, vbi vrget locum illum Apostoli primæ *ad Timotheum* sexto, *qui solus habet immortalitatem*, & docet etiam si haberetur, *solus Pater*, ex eo tamen Filium non excludi, pro- V.
B batúrque aliis scripturæ loquendi formulis, vt Ecclesiastici vigesimo quarto, vbi Sapientia increata ait, *gyrum cœli circuiui sola*, nec tamen Deus Pater excluditur. VI.

Secunda regula est, duas naturas distingui in Christo Domino, vnam *diuinam*, *humanam* alteram, & nonnulla dici de Christo Domino secundùm vnam, quæ ei non conueniũt secundùm alteram. Sic consideratus secundùm *humanitatem* dicitur *minor Patre*, *subiectus Patri*, *factus*, *creatus*, *primogenitus omnis creaturæ*, & & hanc regulam sanctus Augustinus tradit libro primo *de Trinitate* capite septimo & duodecimo.

Tertia regula est, quâ Filius accipiendo essentiam à Patre per generationé, simul etiam accipit ab illo id omne, quod idem est cum essentia Dei, & cùm diuina sciétia, potétia, & cæ-
C tera attributa essentialia Dei sint idem cum essentia diuina, fit vt Filius Dei ratione talis generationis, quâ habet esse à Patre, dicatur *audire à Patre*, *discere à Patre*, *nihil posse facere*, *nisi quod viderit Patrem facientem*: quibus loquendi formulis tantùm significatur Filium eamdem cum Patre habere potentiam, scientiam & cætera attributa per generationem à Patre, & non habere illa à seipso, sicut nec habet essentiam à seipso. Atque hanc regulam sanctus Augustinus tradit libro secundo *de Trinitate* capite primo, secundo, & tertio, vbi notat aliquid dici tribus modis de Filio in sacris literis; quædam enim significant eius æqualitatem cum Patre, *ego & Pater vnum sumus*; quædam eum esse minorem Patre, *Pater maior me est*; quædam denique significare duntaxat eum procedere à Patre, iuxta quem modum ait VII.
D ibi istud Christi Domini, *mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit*, intelligi. VIII.

Argumenta petita ex scriptura primo loco relata soluuntur ex prima regula. Addi potest ad explicationem loci sancti Marci capite decimo: *quid me vocas bonum, nemo bonus, nisi solus Deus*, Christum Dominum ibi non negare se esse bonum per essentiam, vel Deum, sed solummodo argumentari ad hominem; cùm enim is qui dicebat Christum esse bonum, eum non agnosceret Deum, sed tantùm hominem, statim Christus Dominus subiecit, *quid me vocas bonum, nemo bonus nisi Deus*.

Auctoritates autem relatæ secundo & quarto loco soluuntur ex secundâ regulâ; cùm enim Filius agnoscit se minorem Patre: item quando distinguit suam voluntatem à voluntate

I. Patris, item cùm dicitur factus & creatus satis constat locos illos esse de ipso intelligendos secundùm humanitatem.

Ad locum sancti Hilarij respondetur nomen hoc, *auctoritas*, ibi tantùm denotare originem, vt sensus sit Patrem esse maiorem Filio, quia est prior origine, & Filius accipit originem, non econtrà: quomodo sanctus etiam Damascenus libro primo *de fide* capite nono ait Patrem esse maiorem Filio: & quòd sanctus Hilarius ibi non intendat ponere inæqualitatem inter Patrem & Filium, patet ex eo quod ibidem ait illos habere idem esse diuinum, quódque sanctus Hilarius fuerit acerrimus propugnator consubstantialitatis, & æqualitatis inter Patrem & Filium.

Ex tertia autem regula auctoritates relatæ tertio loco soluuntur.

II. Eo autem sensu Filius Dei dicitur *ignorare diem extremum iudicij*, quòd nimirum nesciret eo fine, vt eum reuelaret aliis. Quemadmodum sancti Patres respondent; sanctus Athanasius libro quarto *contra Arianos*; sanctus Basilius libro quarto *contra Eunomium*; sanctus Ambrosius libro quinto *de fide* capite septimo; Augustinus libro primo *de Trinitate* capite duodecimo; sanctus Gregorius libro quarto *epistolarum*, epistolâ quadragesimâ secundâ; vel quòd aliis occultaret, vt sanctus Augustinus suprà ostendit aliis exemplis scripturæ.

Christus autem Dominus apud sanctum Matthæum vigesimo capite negat esse suum dare beatitudinem, quia ibi loquitur de seipso secundùm humanitatem, penes quam vt causam principalem non est dare, vel

III. non dare beatitudinem, sed tantùm penes Deum, vt sanctus Augustinus loco nunc citato explicat, & ampliùs confirmatur ex eo, quòd ibi duo Filij Zebedæi id petebant iure consanguinitatis.

Atque ex iis omnibus satis intelligitur nullam esse in Filio Dei dependentiam à Patre vel indigentiam. Nam *dependere* significat ipsum esse dependentis esse distinctum & causatum ab eo à quo dependet; essentia verò Filij est vera, & eadem numero cum essentia Patris, nec item est indigentia, quia loquendo propriè, nihil seipso indiget, & persona Filij identificatur essentię diuinæ.

ARTICVLVS IV.

IV. *Spiritum sanctum esse verum Deum consubstantialem Patri & Filio.*

QVOD Arius & eius sectatores censuerunt de Filio Dei, hoc idem postea circa annum Domini trecentesimum sexagesimum sub Constantio, Macedonius docuit de Spiritu sancto, eum scilicet non esse Deum, sed aliquam substantiam spiritualem superiorem omnibus Angelis, creatam tamen à Patre per Filium, vt foueat, conseruet, & moueat omnia. Vnde eum vocabat ministrum & famulum Dei, & quæ conueniunt Angelis, ita tribuebat ei, vt tamen existimaret illum differre ab illis solummodo gradu; quemadmodum intelligitur ex epistola Serapionis *ad sanctum Athanasium*, & ex Sozomeno libro quarto capite vigesimo sexto.

A Sectatores huius hæresis dicti sunt *Macedoniani* à nomine sui auctoris; item à Marathonio quæstore, acerrimo propugnatore illius, Marathoniani, vt est apud Sozomenum suprà. Iidem dicti sunt Ariani, qui & Macedoniani; quia Ariani libenter amplexati sunt hanc hæresim vt suæ affinem: idcóque ad illam magis fulciendum falsabant sacros codices, vt constat ex sancto Ambrosio libro tertio *de Spiritu sancto* capite vndecimo, vbi conqueritur eos expunxisse ex Euangelio illud Christi Domini, *Deus spiritus est*, quia existimabant hunc locum facere pro diuinitate Spiritus sancti. V.

Aduersus tamen hanc hæresim sit hæc nostra propositio. *Spiritus sanctus est verè & propriè Deus Patri & Filio consubstantialis.* Est de fide, definita contra Macedonium in Concilio primo Constantinopolitano sub Damaso

B anno Christi Domini trecentesimo octogesimo primo. VI.

Probatur ex iis scripturæ locis, qui sine controuersia intelliguntur de Deo verè & propriè dicto, quos tamen sacra Scriptura tanquam sui interpres exponit de Spiritu sancto, vt Isaiæ sexto, *vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, vbi per particulam *Dominum sedentem* intelligitur Deus secundùm omnes interpretes, & patet tam ex antecedentibus, quàm consequentibus. Et tamen sanctus Paulus Actuum vigesimo octauo explicat hunc Deum esse Spiritum sanctum, ita dicens, *benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam ad patres nostros dicens, vade ad populum istum*, &c. Quem locum Isaiæ sanctus Ioannes capite duodecimo sui Euangelij est

C etiam interpretatus de Filio, quia scilicet, vt ad illum locum Euangelistæ Toletus animaduertit, & ante eum sanctus Athanasius libro *de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, capite nono significauit, species illa sedens in solio apud Isaiam non repræsentabat vnicam duntaxat Trinitatis personam, sed fuit imago totius Trinitatis: ita vt sicut Abraham in Genesi tres vidit, & vnum adorauit, sic & Isaias hoc loco. Id confirmat totum illud quod suprà diximus de trisagio. VII.

Probatur etiam ex aliis scripturæ locis, nam ille verè & propriè est Deus, qui *est locutus per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*, vt Zacharias testatur apud sanctum Lucam capite primo: at Spiritum sanctum esse illum, qui locutus est per Pro-

D phetas, affirmat Christus Dominus apud sanctum Marcum duodecimo capite, sanctus Petrus capite primo primæ suæ epistolæ. Item sanctus Petrus capite quinto Actuum ait Ananiam esse mentitum *Spiritui sancto*, & eum non esse mentitum *hominibus*, sed *Deo*. Item tribuuntur Spiritui sancto passim in sacris literis, quæ soli Deo conueniunt, vt *sanctificare* Leuitici vigesimo secundo, sancti Ioannis vigesimo, item primæ *ad Corinthios* duodecimo. VIII.

Probatur item ex Concilio Nicæno in Symbolo fidei, quod ita habet, *credo in Spiritum sanctum*: at ita credere est eum agnoscere Deum, & in illum vt auctorem bonorum omnium tendere: quemadmodum Theologi docent secundâ secundę agendo de actibus fidei,

I. & S. Gregorius Nazianzenus oratione quintâ *de Theologia* vrget hoc argumentum; & quòd mens Patrum Concilij Nicæni fuerit profiteri Spiritum sanctum, esse verè & propriè Deum docet S. Athanasius in libro *Nicænæ fidei*; háncque huius rei rationem reddit, scilicet, vt Patres absolutam & perfectam de sancta Trinitate confessionem fidei traderent, quam posteà ampliorem tradiderunt: quia, vt ait sanctus Hieronymus in epistolâ *ad Pammachium*, in Concilio Nicæno quæstio tantùm fuit de Filio & non de Spiritu sancto: *Patres*, inquit, *confessi sunt quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quærebat.* Idem patet ex aliis omnibus Conciliis sequentibus, quæ in suis Symbolis semper profitentur Spiritum sanctum esse verum & propriè Deum.

II. Tandem probatur ex Patribus, vt sancto Athanasio epistolâ *ad Serapionem* de Spiritu sancto, vbi ait se nostram propositionem docere ex Apostolica & Patrum traditione: S. Basilio libro tertio *contra Eunomium*, sancto Gregorio Nazianzeno suprà; Ambrosio tribus libris *de Spiritu sancto*, sancto Hieronymo citatâ epistolâ: sancto Augustino libro primo *de Trinitate* capite sexto, vbi id probat ex eo quòd cultus latriæ, qui debetur soli Deo, exhibeatur Spiritui sancto; item libro secundo capite quinto, vbi id probat ex eo quòd Spiritus sanctus sit vbique, quod competit soli Deo.

Ex quibus omnibus facilè refellitur impostura hæreticorum, qui volunt Patres antiquos dubitasse de diuinitate Spiritus sancti, putántque se id colligere ex sancto Gregorio
III. Nazianzeno suprà, vbi loquens de Spiritu sancto: *Nostri*, inquit, *sapientes partim vim quamdam, & facultatem ipsum existimarunt, partim creaturam, partim Deum, & vtro nomine potiùs vocandus esset, minimè certum & exploratum habuerunt.* Refellitur inquam, hæc impostura ex Patribus nunc citatis, & ad hanc auctoritatem sancti Gregorij respondetur, eum per hanc particulam *sapientes nostri*, non intelligere aliquos Patres Orthodoxos, sed alios fideles, qui posteà defecerunt à fide. Quod satis intelligitur ex verbis eius sequentibus, vt quòd paulò inferiùs eos solos vocet pios, & Orthodoxos, qui credunt Spiritum sanctum esse Deum, & acriter reprehendat eos qui negant.

Articvlvs V.

IV. *Soluuntur fundamenta Macedon[...]norum contra præcedentem doctrinam.*

Primvm est, quòd in sacris literis aliqua dicantur de Spiritu sancto, quæ sunt propria creaturis, verbi gratiâ, *formari, creari.*

Respondeo, non vbicumque ponitur nomen *Spiritus*, in Scripturis sacris, sumi ibi pro tertia persona Trinitatis, sed id debere diiudicari ex antecedentibus & consequentibus, vt Didymus notat libro primo de *Spiritu sancto*, & sanctus Hieronymus in Michæam Prophetam.

Secundum est: Spiritus sanctus dicitur *effundi*, Ioëlis secundo *effundam* de Spiritu meo, item dicitur *contristari*, *ad Ephesios* quarto, *po-*
A *stulare gemitibus inenarrabilibus*, *Romanorum* octauo; at *effundi*, *contristari*, *postulare cum lachrymis*, creaturæ est, non Dei: ergo Spiritus sanctus non est Deus. V.

Respondetur aliquando in sacris literis illud affirmari de Spiritu sancto, quod ipsemet Spiritus sanctus efficit in nobis, vel quod singulari eius beneficio facimus, sic dicitur effundi ratione *donorum*, quæ diffunduntur in cordibus fidelium, & quæ per *appropriationem* tam in sanctis literis, quàm apud sanctos Patres ei attribuuntur. Dicitur enim Spiritus sanctus *contristari*, non quòd tristitiæ sit capax, sed quia habitat in sanctis per gratiam, qui de lapsu peccatorum contristantur, ab eo nimirum effectu, quem producit in sanctis, vt sanctus Augustinus explicat libro quarto *de Genesi*
B *ad literam* capite nono. Dicitur & *postulare gemitibus* pro nobis, non quòd ipse postulet, sed quòd nos faciat postulare, nam generat in nobis amorem, amor desiderium, desiderium verò incitat nos, vt postulemus; ita locum hunc explicat sanctus Augustinus libro primo *contra Maximinum* aliquantò post initium. VI.

Atque ex his duabus regulis, quarum prima est, non semper nomen *Spiritus* in scripturis sumi pro tertia persona Trinitatis; altera est, quòd illud aliquando in scripturis de Spiritu sancto prædicetur, quod ipsemet in nobis efficit, vel quod nos eius beneficio facimus, facile est respondere omnibus istorum hæreticorum argumentis.

C VII.

DISPVTATIO III.

De processionibus diuinis in genere.

Explicata consubstantialitate diuinarum personarum, videndum est, an quæ, & qualis detur processio in diuinis.

Articvlvs I.

Quid & quotuplex sit processio.

Imprimis notandum est, nomine *processionis* hoc loco nihil aliud intelligi, quàm
D *originem*, seu *emanationem vnius ab alio tanquam à suo principio*: vnde quòd hoc nomen *processio* vsurpetur specialiter ad explicandum emanationem Spiritus sancti, vt in Symbolo sancti Athanasij, vbi Filius dicitur *genitus*, & Spiritus sanctus *procedens*, factum est ex accommodatione Ecclesiæ, & non ex vi significationis talis nominis. VIII.

Secundò notandum est eiusmodi processionem esse duplicem, *transeuntem* vnam, alteram *immanentem*: illa dicitur *transiens*, quæ est extra suum principium vel causam; cuiusmodi est calefactio seu processio caloris ab igne in lignum; *immanens* dicitur quæ manet intra suum principium vel causas, cuiusmodi est productio verbi nostri mentalis.

Tertiò notandum est, processionem imma-

I. A nentem adhuc esse duplicem, vnam *metaphysicam*, alteram *physicam*; ea dicitur *physica*, quâ vnum ab alio procedit actione quadam physicâ, id est includente mutationem, dependentiam & diuersitatem naturę eius, quod ab alio procedit, cuiusmodi est nostra intellectio, quâ verbum mentale procedit; ea dicitur *metaphysica*, quæ in suo conceptu includit tantùm emanationem seu originem, quâ vnum ab alio producitur seclusâ omni imperfectione mutationis, diuersitatis & dependentiæ, remanentibus tantùm istis duobus respectibus, *à quo alius*, & *qui ab alio*, inter ipsum productum & producentem; quâ ratione processio sumpta præcisè non est propriè loquendo actio, vt rectè S. Thomas docet infrà quæstione quadragesimâ primâ articulo primo in solutione ad secundum & tertium, sed tantùm vt vulgò di-
II. B cunt, *grammaticalis*, id est, quæ exprimitur ad modũ actionis: nam actio propriè sumpta est aliquid intermedium inter proximum principium *quo*, & terminum productum ab illo, éstque via per quam proximum principium tribuit alteri totum esse, & sonat specialem dependentiam producti à suo producente principio, sine quibus omnibus processio metaphysica benè concipitur.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit processio in diuinis.

SIT hæc propositio. *Processio verè & propriè datur in diuinis:* ita S. Thomas hâc quæstione vigesimâ septimâ articulo primo, & est de
III. C fide ex capite decimo sexto sancti Ioannis, vbi Christus Dominus ita ait: *Exiui à Patre, & veni in mundum:* quò loci prior particula denotat eius æternam emanationem à Patre: si enim intelligeretur de sola incarnatione, excludendo æternam emanationem eius à Deo Patre, satis ei fuisset dicere: *Veni in mundum,* vt sanctus Augustinus rectè expendit tractatu quadragesimo secundo *in sanctum Ioannem* ad similem locum, quo capite octauo eiusdem Euangelistæ sic ait: *ego à Deo processi & veni.* Et hoc confirmatur ampliùs ex capite quinto Michææ sic loquentis de Christo Domino, *& egressus eius ab initio à diebus æternitatis*, quò loci particula *egressus* significat originem: item capite decimo quinto S. Ioan. dicitur de Spiritu sancto, *qui à Patre procedit*, id est, qui emanat, vt S. Augustinus explicat libro secundo *de Trinitate* capite tertio.

IV. D Et tota hæc ratio confirmatur ex illa receptissima regula S Augustini libro tertio *de doctrina Christiana* capite decimo sexto, quâ asserit verba sacræ Scripturæ explicari debere in sua propria significatione, vbi nihil est, quod nos cogat recurrere ad metaphoricas, sicut in istis locis, vt patebit inferiùs agendo de generatione & processione Filij.

Secundò probatur ex Patribus, qui solum Patrem in diuinis agnoscunt *innascibilem*, solum Filium *genitum* à Patre, solum Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio: & hæc nomina, *Pater, Filius*, & *Spiritus sanctus*, tam in sacris literis, quàm apud Patres indicant istas emanationes personarum diuinarum.

Nulla autem naturalis ratio potest probare eiusmodi processionem, cùm habeatur duntaxat per reuelationem; potest tamen suppositâ fide explicari: nam admissâ multitudine personarum in diuinis, debet admitti primùm, quia aliàs non potest intelligi, quomodo illa sint distincta realiter à se inuicem, cùm omnia absoluta & essentialia sint communia omnibus personis diuinis, & penes relatiua tantùm distinguãtur; omnis autem earum relatiua distinctio fundetur in origine vnius ab alia. Deinde quia in omni multitudine benè ordinata, qualis est multitudo personarum in Deo, in quo omnia sunt quàm perfectissima, debet dari aliquid primum; at sublatâ processione, quæ constituit ordinem originis, nulla ex personis diuinis est prima propriè, nulla secunda, nulla tertia, cùm omnes illæ sint quoad ęternitatem, VI.
quoad dignitatem & perfectioné sibi inuicem æquales, sicut & consubstantiales in essentia; nec aliquâ etiam rudi terminorum expositione potest explicari, quâ ratione, & vnde omnes illæ personæ eandem omninò habeant essentiam, cùm sublatâ processione nulla sit, quæ habens illam à se, eam aliis communicet: ergo suppositâ vnitate Dei & multitudine personarum in illo, ad vitandum hæc & similia incommoda, debet aliqua processio admitti in diuinis. V.

Neque hinc sequitur Patrem in diuinis esse *essentiatorem*, & Filium *essentiatum*; nàm Deus Pater ita communicat essentiam diuinam Filio, vt tamen diuina generatio non sese terminet ad diuinam essentiam: hæc enim vt definitur capite *damnamus*, extra de summa Trinitate, *nec generat, nec generatur*, vt infrà docebitur, VII.
vnde cùm *essentiator* iuxta vim nominis, idem sit ac productor essentiæ, & *essentiatus*, ac qui habet essentiam productam, Pater in diuinis non potest dici *essentiator*, nec Filius *essentiatus*.

Nec item Filius ex eo quòd emanet à Patre, potest dici esse Deus *precariò*; quia tunc aliquis dicitur esse talis *precariò*, quando habet ex libera voluntate alicuius, quòd sit talis; at Filius in diuinis habet necessariò diuinam essentiam; hæc enim ex intrinseca sua perfectione, postulat esse in tribus personis; & si aliqui Patrum aliquãdo vocent Filium αὐτοθεόν, hoc est *Deum à seipso*, id tantùm hoc sensu intelligunt, quòd non alienam, sed sibi propriam & debitam essentiam habeat: sicut si qui Patrum dicant illum esse *essentiatum*, & Patrem *essentiatorem*, hoc tantùm sensu id volunt, quòd Filius habeat diuinam essentiam sibi communicatam à VIII.
Patre.

ARTICVLVS III.

Vtrum processio quæ est in diuinis, sit transiens, vel immanens, physica vel metaphysica.

PRIMA propositio. *Processio quæ est in diuinis neque est transiens, neque immanens physica.* Propositio est de fide contra Arium, Macedonium & alios eiusmodi. Probatur: omnis processio physica siue transiens, siue immanens, est vera emanatio effectus à sua causa, & proinde rei alicuius creatæ, includentis in se mutationem, diuersitatem

I. essentiæ à suo principio, & aliquam dependentiam ab illo, vt patet ex dictis articulo primo, & inductione factâ per omnes eiusmodi processiones: atqui Filius in diuinis non emanat à Patre tanquam effectus à sua causa; nec tanquam aliquid creatum, nec habet aliam essentiam à Patre, nec ab illo dependet, vt patet ex dictis contra Macedonium: ergo processio quæ est in diuinis, neque est transiens, neque immanens physica.

Secunda propositio. *Processio in diuinis est immanens metaphysica, & habet aliquam similitudinem cum emanatione verbi nostri mentalis.* Duæ sunt partes propositionis.

Prima est de fide ex capite primo sancti Ioannis, *Verbum erat apud Deum,* id est, apud Patrem, vt explicant sanctus Hilarius libro tertio *de Trinitate*, sanctus Basilius ad illa verba
II. sancti Ioannis; cùm enim Verbum diuinum sit mentale intellectuale, & omne verbum mentale sit, & maneat intra ipsum intelligentem, & producentem illud, Filius verbum Patris diuini debet esse, & est intra ipsum Patrem diuinum, & hoc est quod eodem capite primo dicitur his verbis, *vnigenitus qui est in sinu Patris.* Hæc enim duo, *Verbum esse apud Patrem*, & *vnigenitum esse in sinu Patris,* significant vnum & idem: & Patres superiùs citati tam benè vrgent hæc posteriora verba Euangelistæ pro ipsa consubstantialitate Filij, quàm priora: vt etiam sanctus Cyrillus libro primo *in sanctum Ioannem* capite vigesimo secundo: sanctus Chrysostomus homiliâ decimâ quartâ *in sanctum Ioannem,* & alij.

Eadem pars prout procedit de Spiritu sancto, patet: si enim spiritus hominis est in ipso homine, vt sanctus Paulus habet primæ *ad Co-*
III. *rinthios* secundo, quanto magis Spiritus sanctus erit in Deo, & proinde erit Deus, cùm quidquid est in Deo, Deus est, vt sanctus Athanasius in confessione fidei rectè ratiocinatur.

Quòd item duæ illæ processiones ita sint immanentes, vt sint duntaxat *metaphysicæ*, patet ex eo quòd vbi eadem numero essentia cum omnibus sibi essentialibus verè & propriè communicatur distinctis realiter personis ab alia procedentibus, ibi reperitur emanatio, purè & simpliciter *metaphysica*, quia ibi sunt tantùm principium vt producens, quod explicatur hoc respectu *a quo alius*, & ipse terminus vt productus, qui explicatur per hunc terminum *qui ab alio*, nec aliquid aliud in
IV. quo talis emanatio conueniat cum physicis emanationibus potest effingi, vt patet inductione factâ per illas: atqui in diuinis emanationibus eadem numero diuina essentia cum omnibus sibi essentialibus communicatur à Patre & Filio ipsi Spiritui sancto, vt patet ex dictis contra Arium & Macedonium, & patebit ex dicendis infrà de generatione Filij, & spiratione Spiritus sancti: igitur processio quæ est in diuinis est propriè emanatio metaphysica.

Secunda item pars propositionis, nimirum, *diuinas emanationes habere aliquam similitudinem, cum tamen aliqua disparitate ad emanationes illas quæ sunt in nobis per intellectum & voluntatem,* explicatur & simul probatur: est quidem *similitudo,* quia vt noster intellectus dum intelligit producit suâ actione aliquid si-

A bi simile distinctum realiter à se, habens relationé realem ad illum, vt *ad suum* principium V.
producens, éstque terminus intellectionis, & vocatur à Philosophis *verbum mentis,* quia profertur ore cordis, sicut verbum vocale ore corporis, vt S. Thomas hîc explicat in corpore primi articuli: ita etiam Pater in diuinis sese intelligendo producit assimilationem seu verbum, quod ad illum habet relationem realem; item sicut nostra voluntas dum vult suâ actione, producit intra seipsam aliquem impulsum, pari modo Pater & Filius producunt suâ volitione Spiritum sanctum.

Hæc est autem disparitas inter verbum Patris diuini & nostrum; quòd nostrum habeat propriè rationem effectus & dependentiam ab intellectu, quia habet diuersam naturam ab illo, similiter & impulsus productus à no-
B stra voluntate intra seipsam est effectus pro- VI.
priè dictus, habétque naturam diuersam à voluntate: at cùm Verbum diuinum sit eiusdem numero essentiæ cum Patre, nihil habet in se, quod Deus Pater non habeat idem numero, præter relationem quâ respicit Patrem: similiter etiam Spiritus sanctus eandem numero accipit à Patre & Filio essentiam, quam ipsi habent; sícque processio quæ est in diuinis habet aliquam disparitatem cum processione verbi nostri mentalis.

Hinc ex eo quòd verbum mentis producitur in nobis, non potest probari validâ ratione diuinum Verbum produci, quia gentilis Philosophus vrgeret prædictam disparitatem, & diceret, ideò nos intelligendo producere aliquod verbum, quia intellectus noster non potest esse in actu secundo intellectionis abs-
C que aliqua noua entitate superaddita ob suam VII.
imperfectionem & limitationem, quæ imperfectio & limitatio non habent locum in Deo, & nos Catholici fatemur Filium & Spiritum sanctum verè intelligere sine vlla productione alicuius verbi mentalis.

Neque obstat quòd S. Patres, vt S. Athanasius sermone 3. *contra Arianos*, S. Thomas hîc articulo 1. & alij, dum agunt de mysterio Trinitatis, & processione Filij in diuinis, sæpè vtuntur exemplo verbi creati. Nam id non faciunt vt probent firmâ aliquâ ratione contra gentiles aut hæreticos verbum dari in diuinis; hoc enim probari non potest ratione naturali: sed vt, suppositâ fide quæ id reuelat, explicent aliquo modo generationem Filij in diuinis, sicut Theologi solent alia mysteria
D nostræ fidei explicare congruenti quâdam ra- VIII.
tione, non tamen necessariâ.

ARTICVLVS IV.

Consectaria ex doctrina præcedenti.

EX his omnibus quamplures Arianorum, & Macedonianorum rationes contra processiones diuinas facilè soluuntur; verbi gratiâ imprimis quòd processio dicat mutationē passiuam; secundò dependentiam producti à producente: tertiò inæqualitatē, cùm ex cap. 20. Actuum, *beatius sit dare quàm accipere*, persona autem procedens accipiat esse ab alia à qua procedit, & non econtra, & id quod procedit ab alio non videatur habere tantam necessitatem existendi, quantam habet is à quo

I. procedit: quartò esse contra rationem Dei, A
quòd sit ab alio, cùm Deus sit primum principium primum ens, & à se.

Hæ inquam obiectiones soluuntur ex nostris propositionibus. Nam vt vno verbo respondeatur illis, vrgent tantùm de processione vel transeunti vel immanēti physica, quam negauimus in Deo, & non de immanenti tantùm metaphysica, qualem solùm admittimus in diuinis, vt facilè potest animaduerti, tam ex nostris notabilibus, quàm ex probatione propositionum.

Et in particulari tres primæ intelliguntur esse solutæ, ex eo quòd mutatio est à non esse ad esse, vel simpliciter, vel secundùm quid, seu ad esse tale: at nihil est quod per emanationes diuinas sic transeat, cùm essentia quæ est in Patre communicetur eadem omninò numero cum omnibus absolutis suis perfectionibus Fi- B
II. lio & Spiritui sancto, & proinde cùm vt sic, eodem planè modo existat in illis, ac est in Patre, quemadmodum nullam dicit dependentiam in Patre, nec aliud esse causatum ab aliquo, sic nec in Filio, & Spiritu sancto.

Nec item Filius accipiens illam à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio possunt respectu illius dici esse in aliqua passiua potentia; quia nec per informationem, nec per vnionem aliquam accipiunt illam, sed omninò eandem, quam habet Pater, vt planè identificetur cum illis. Ideóque sicut Pater habens illam est purissimus actus carens omni passiuâ potentialitate, sic & Filius & Spiritus sanctus accipientes illam ab alio, & cùm omnia ad intra in Deo sint ei intrinseca, essentia diuina
III. tantam habet necessitatem existendi in Filio C
& Spiritu sancto, quantam habet necessitatem existendi in Patre, cùm ex se & sua perfectione naturali postulet esse in tribus personis, sicque eius communicatio nullam arguit inæqualitatem in personis, sed tantùm ordinem originis.

Neque etiam dependentia dari potest in persona diuina procedēte, ratione proprietatis suæ personalis seu relationis, quia licet relatio mutua non possit esse sine alia sibi correspondente, nec similiter relatum sine suo correlato, non propterea tamen dependet; relatum enim definitur *quod est ad aliud*, & ad veram dependentiam vnius ab aliquo requiritur, vt id sine quo aliud non potest esse, sit distinctum quoad naturam & habeat lo-
IV. quendo propriè esse causatum, quod non re- D
peritur in personis diuinis, vt ampliùs patebit ex dicendis infrà.

Nec est ad rem, quod citatur ex capite vigesimo Actuum, cùm intelligatur duntaxat de collatione eleemosynæ, & non de natura, quæ necessariò communicatur eadem cum omnibus & singulis perfectionibus, qualis est in communicante.

Solutio denique vltimæ obiectionis etiam colligitur ex dictis; cùm enim omnes Philosophi per *ens ab alio* intelligant illud, quod accipit ab alio naturam diuersam cum vera dependentia, & causalitate, quia tunc particula *ens* sumitur *nominaliter*, & non *participialiter*; (id est prout idem sonat ac existens) diuinæ verò personæ procedentes accipiant eandem omninò essentiam, quam habet Pater, sit, vt nulla illarum sit hoc modo *ab alio*, V.
sed diuinæ omnes personæ simul sunt vnum duntaxat *ens à se*, & *à nullo alio*.

At si *esse ab alio* sumatur latiùs pro eo etiam, quod est produci ab alia persona, quæ communicet suam eandem numero naturam, tunc negamus esse de ratione omnis & cuiuslibet personæ, quæ est Deus, vt iuxta hanc acceptionem non sit ab alio, etiam tanquam principio; quia vt sanctus Thomas rectè animaduertit hâc quæstione articulo primo in solutione ad primum, de ratione primi principij tantùm est, vt non sit ab alio principio sibi in natura extraneo & diuerso.

ARTICVLVS V.

Vtrum principium immediatum diuinarum processionum sit diuina natura, an verò intellectus & voluntas eius. VI.

SENSVS articuli est, an natura diuina quatenus solummodo cōsideratur *vt fœcunda & infinita*, prętscindēdo ab eo, quòd sit *intelligēs & volens*, sit formaliter principium immediatum *quo* diuinarum processionum; ita vt intellectu & voluntate à Deo præcisis per nostram cogitationem, remanente solâ naturâ Dei adhuc intelligeremus dari duas processiones in diuinis, seu Filium & Spiritum sanctum procedere: an verò intellectus & voluntas sint tantùm eiusmodi *principium immediatum*, seu natura diuina, prout tantummodo est formaliter intelligens & volens.

Durandus primo sententiarum distinctione sextâ quæstione secundâ existimat principium immediatum harum processionum esse natu- VII.
ram diuinam *quatenus est fœcunda* & infinita, non autem quatenus est *intelligens & volens*.

Contraria tamen sententia, quam loco propositionis ponimus, est communis, nimirum, *diuinas processiones esse per intellectum & voluntatem, seu per intellectionem & volitionem.* ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo primo & quinto. Scotus primo sententiarum distinctione secundâ, & alij omnes tam recentiores, quàm veteres hîc & libro primo sententiarum: vnde notant grauissimis censuris sententiam Durandi, his nimirum & similibus *esse, erroneam, proximam errori, periculosam in fide, contrariam fidei*, Bannes & alij hoc loco.

Probatur ex multis locis sacræ Scripturæ, in quibus Filius passim vocatur *Verbum*, sancti Ioannis primo capite, Ecclesiastici pri- VIII.
mo. Si enim Filius non procedit per actum intellectus: ergo non est *Verbum*, cùm non procedat per actum *dicendi*, qui propriè est intellectus.

Nec potest responderi Filium vocari in sacris literis Verbum *per appropriationem* seu accommodationem; nam *Alogiani* hæretici (sic dicti, quia negabant dari *Verbum* in diuinis, vt dicetur infrà agendo de secunda persona Trinitatis) non negabant nomen hoc *Verbum* tribui secundæ personæ Trinitatis *per appropriationem* in sacris literis; sed negabant ei conuenire secundùm proprietatem & *veritatem rei*: ergo ne Durandus incidat in eorum hæresim, debet admittere secundam personam Trinitatis esse propriè *Verbum*: ergo sicut *Verbū* propriè producitur per intellectū,

I. ita & secunda persona Trinitatis per actum A
intellectus.

Idem probatur de Spiritu sancto, scilicet *illum procedere per actum voluntatis*, ex his omnibus sacræ Scripturæ locis, in quibus peculiari ratione vocatur *amor* & *charitas*, quæ nomina tribuuntur ei, quia propriè procedit per actum voluntatis, vt ostendetur infrà.

Probatur item ex Patribus; & *de processione Filij*, quòd sit *per intellectum*, docent sancti Patres ad primum caput sancti Ioannis, sanctus Cyrillus libro primo in *sanctum Ioannem* capite 5. S. Damascenus libro primo *de fide* cap. sexto; sanctus Augustinus libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo quarto.

Quòd item processio Spiritus sancti sit *per actum voluntatis*, docet sanctus Augustinus libro septimo *de Trinitate* capite secundo, libro
II. *de cognitione veræ vitæ*, capite decimo quarto, & alij docentes Spiritum sanctum procedere *ab vtroque*, quia est *charitas amborum*.

Tandem probatur ratione: processio in diuinis est per illud tanquam *immediatum principium quo*, per quod vita diuina sese communicat *ad intra*, quia *processio* in diuinis, nihil est aliud, quàm communicatio vitæ diuinæ, datæ Filio & Spiritui sancto; atqui vita diuina sese tantùm communicat *ad intra* per intellectionem & volitionem, quia propria vita Dei, est intellectiua, vt per se patet, & vita intellectiua habet tantùm hos duos actus, intellectionem & volitionem scilicet, vt videre est in Angelis, & nobis: ergo cùm intellectualis vita sit modo perfectissimo in Deo, *non accidentali*, sed *substantiali*, debet tota
III. esse per actum intelligendi & volendi; & ex C
consequenti processio diuinarum personarum, quæ est communicatio vitæ diuinæ, debet esse necessariò per actum intellectionis & volitionis.

Deinde admissâ sententiâ Durandi nulla ratio potest assignari propter quam Filius sit *genitus*, non item Spiritus sanctus; nam si ambæ illæ processiones sunt immediatè à diuina natura *vt fœcunda*, & prout præscindit ab actuali volitione & intellectione, quare Spiritus sancti processio non tam benè erit generatio, quàm processio Filij? & tamen processionem Filij esse propriè generationem, processionem verò Spiritus sancti non item, est de fide, quod benè explicatur in nostra sententia, vt patebit inferius.

Similiter in sententia Durandi non potest
IV. explicari, quare cùm *fœcunditas* essentiæ di- D
uinæ sit infinita, non plures tamen dentur processiones duabus; similiter Durandus non potest explicare quare Filius sit necessariò *prior origine* Spiritu sancto; quod tamen vtrumque omnes Patres docent: in nostra autem sententia rectè potest explicari; *primum* quidem, ex eo quòd communicatio naturæ diuinæ sit tantùm per intellectionem & volitionem, vnde cùm vnica sit in Deo intellectio infinita in genere intellectionis; item vnica volitio infinita in genere volitionis, vnaquæque illarum adæquat in suo genere totam fœcunditatem naturæ diuinæ, sicque duæ duntaxat processiones possunt dari in diuinis.

Secundum item rectè explicatur in nostra sententia, scilicet, intellectionem & terminum per illam productum præsupponi volitioni, & eius termino; quia *nihil est volitum, quin præcognitum*, vnde cùm Filius in diuinis sit terminus productus per cognitionem Patris diuini, & Spiritus sanctus producatur per volitionem Patris & Filij; Filius debet necessariò esse prior origine Spiritu sancto. V.

Articvlvs VI.

Soluuntur fundamenta sententiæ Durandi.

Primvm est desumptum ex Patrum auctoritate, sancto Hilario qui libro *de Synodis* dicit, quòd *omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, Filio Dei natura dedit*: cui conformiter sanctus Augustinus ait verbum diuinum esse Filium Dei, & sanctus Damascenus libro primo *de fide* capite decimo tertio, agens de generatione Filij Dei ait, *generationem esse opus naturæ*. VI.

Respondetur ad Patrum auctoritates, his & similibus loquendi formulis tantùm significari processiones diuinas *non esse liberas*, *sed necessarias*, quod nos libenter admittimus, & hoc patet maximè ex modo loquendi sanctorum Hilarij & Augustini; sanctus autem Damascenus ait generationem esse *opus naturæ*, ratione *primi & radicalis principij*; est enim *fœcunditas* primò & *radicaliter* in ipsa natura, vt etiam patet in creaturis. Generatio etiam potest dici *opus naturæ*, quia generatio est in similitudinem producentis, & *natura* dicitur vis quædam insita rebus ad producendum sibi similia. VII.

Secundum fundamentum: actus intellectus & voluntatis in Deo, sunt *essentiales* & communes omnibus personis diuinis; processiones verò personarum non item; & cui competit actus per quem persona producitur, ei competit producere personam ad quam talis actus terminatur: atqui *intelligere* & *velle* competunt omnibus & singulis personis diuinis, & actus illi terminantur ad Filium & Spiritum sanctum vt personas productas: ergo etiam competit illis producere Filium & spirare Spiritum sanctum, quod tamen est hæreticum: ergo etiam erit falsum, Filium & Spiritum sanctum procedere per actus intellectus & voluntatis.

Respondetur, actus illos essentiales intellectus & voluntatis posse considerari *duobus modis*; *primò* quatenus intelligere Dei non habet relationem paternitatis *sibi ipsi coniunctam*, seu vt reperitur in aliquibus sine relatione paternitatis: similiter velle Dei quatenus non habet relationem spiratoris *sibi veluti coniunctam*. Secundò illi iidem actus considerari possunt vt reperiuntur *quasi coniuncti* cum prædictis relationibus in habentibus illas. *Priori modo* actus eiusmodi sunt purè & simpliciter *essentiales*, & vt sic *communes* omnibus personis, nec vt sic præcisè sunt *principium personarum* procedentium, quia vt sic respiciunt solummodo sua obiecta vt *cognita* & *amata*: illi iidem actus considerati *modo posteriori* sunt actus *notionales*, proprij aliquibus tantùm personis: hoc intelligere speciali vocabulo appellatur *dicere*, *dictio*, velle, *spirare*, *spiratio*, & sic sunt principia, quia sic considerati non tan-

I. tùm respiciunt sua obiecta, vt cognita & amata, sed insuper respiciunt vt aliquem terminum à se productum; cùm enim in diuinis sola relatio multiplicet, hoc posterius *intelligere* est generatiuum verbi, & *velle*, productiuum Spiritus sancti: & cùm *intelligere* essentiale vt *quasi coniunctum* cum paternitate (quo modo est proximum principium adæquatè sumptum producendi Filium) reperiatur in solo Patre, & velle essentiale *vt quasi coniunctum* cum relatione spiratoris in Patre tantùm & Filio, (quo etiam modo est proximum principium adæquatè sumptum producendi Spiritum sanctum) fit, vt *intelligere* essentiale, vt est duntaxat in Patre diuino, & *velle* essentiale, vt est in Patre & Filio, sint solummodò principia proxima Filij & Spiritus sancti in diuinis, non autem vt reperiuntur
II. in aliis personis.

Tertium est: productiones personarum distinguuntur realiter: at *intelligere* & *velle* in diuinis non distinguuntur realiter, quia nullam habent oppositionem ad se inuicem: ergo intelligere & velle non sunt productiones personarum.

Respondetur negando maiorem, est enim virtualis distinctio inter intellectionem & volitionem Dei, vt patebit infrà; cuius distinctionis efficacia hæc est, quòd ratione illius res distinctæ possint procedere ab vno, & eodem re principio, ac si procederent à pluribus distinctis principiis. Deinde potest addi hanc rationem Durandi niti falso fundamento, eo scilicet, *distinctos specie terminos, vel effectus postulare distincta realiter principia, vel actio-*
III. *nes realiter distinctas*; cùm & in rebus naturalibus sæpè contingat, quòd ab vno & eodem principio, & per vnam eandémque actionem effectus *specie diuersi* procedant, vt patet in effectibus solis.

Quartum est: illud, cuius conditio est opposita fœcunditati, non potest esse principium actus, quo aliquid producitur, quia omnis productio prouenit ex fœcunditate: atqui conditio actuum intelligendi, & volendi est opposita fœcunditati, quia sunt actus *immanentes*, & hæc est conditio actuum *immanentium*, vt Aristoteles notat libro nono *Metaphysicorum* textu 26. quòd sunt *steriles*.

Respondetur concessâ maiore negando minorem, ad cuius probationem desumptam ex Aristotele, dicimus auctoritatem Aristotelis tantùm intelligi de *opere externo*; nam ibi ponit discrimen inter actionem *immanentem*
IV. *& transeuntem*, quòd *transiens* habeat terminum productum extra principium producens; *immanens* verò minimè, quo sensu dici potest *sterilis*.

Quintum est: fœcunditas competit Deo & creaturis *secundùm* aliquam *proportionem*; atqui fœcunditas aliquid producendi competit creaturis, non ex eo, quòd sint *intelligentes & volentes*, sed per aliquid prius, & commune, non pertinens ad intellectionem & volitionem; imò si ignis esset intelligens & volens non produceret quatenus intelligens & volens, sed ex fœcunditate suę naturæ, sicut nunc facit: ergo & ipsi Deo conueniet producere ex fœcunditate suę naturæ, & non ex eo, quòd sit intelligens & volens.

Respondetur admissâ maiore, ad minorem,

A fœcunditatem competere quidem creaturis, V. *primò & radicaliter* per naturam, ita tamen, vt *immediatum principium* illius reuocandæ ad actum sit aliqua *potentia corporea* respondens entitati illarum, quæ est veluti *vehiculum* ad faciendam communicationem naturæ; vnde cùm creatura generet tanquam corporea, & actione sibi proportionatâ, fit, vt non producat per intellectum & voluntatem, sed per potentiam corpoream generatiuam, licet talis creatura secundùm aliquam sui partem sit intelligens, & spiritalis: at verò Deus Pater non est tantùm purus & simplicissimus spiritus; sed etiam producit Filium & Spiritum sanctum, quatenus est *spiritalis substantia*; ideóque, seruatâ eâdem proportione, ac in rebus corporeis, debet *immediato* principio spiritali producere; & cùm eiusmodi princi-
B pia *immediata*, non possint esse nisi eius *intelligere & velle*, hæc duo sunt *immediatum* principium diuinarum processionum: & ex hoc satisfit exemplo ibi allato de igne, qui si esset intelligens, non aliter produceret ignem, quàm nunc producit. VI.

ARTICVLVS VII.

Consectaria ex doctrina præcedenti.

EX responsione ad secundum Durandi fundamentum duo colliguntur: *primum* est *intellectionem & dictionem* in diuinis, seu *intelligere* essentiale, & notionale, non esse duos actus, etiam virtute tantùm distinctos; sed *intellectionem & dictionem* esse vnum actum dun-
C taxat; similiter volitionem & spirationem: si enim essent duo actus cognoscendi virtute distincti à se inuicem, oporteret aliquod obiectum cognosci per vnum istorum actuum, quod non cognoscitur per alium, vel saltem cognosci aliâ ratione, quia actus cognoscendi distinguuntur *penes obiecta*: atqui nihil cognoscitur à Patre per intellectionem notionalem, quod idem & sub eadem ratione non cognoscatur ab aliis personis diuinis, in quibus tamen *intelligere* essentiale reperitur; aliàs enim cognitio quæ est in ipsis, esset minus perfecta eâ, quæ est in Patre, quod arguit imperfectionem & inæqualitatem in personis procedentibus, vt comparatis cum persona Patris: & hoc argumentum potest facilè ab vnoquoque applicari ad probandum idem, de *volitione* essentiali & notionali. VII.

Hoc ampliùs confirmatur ex eo, quòd illud,
D quod distinguit in diuinis *notionale* ab *essentiali*, non potest esse nisi *relatiuum*, atqui relatio, vt sic & præcisè sumpta, non est cognitio, vel volitio, cùm nulla persona intelligat aut velit per relationem sumptam præcisè: igitur *intelligere* essentiale & notionale sunt *vnus* simplicissimus actus, qui tamen prout simpliciter est *intellectio essentialis* denotat tantùm perceptionem obiecti, vt verò est *notionalis* & appellatur *dictio*, ei superaddit productionem termini ipsius cognitionis; quod quidem superadditum cùm non determinet hanc cognitionem in ratione *intellectionis*, quâ est intellectio, sed tantùm in ratione *principij*, facit vt actus ille *dicendi* non sit alius ab actu *intelligendi* essentialiter; vnde cùm solus Pater ita seipsum, & omnia cognoscat cognitio- VIII.

I. ne comprehensiuâ, vt etiam producat terminum, solus ille censetur in diuinis *dicere*, vt rectè sanctus Augustinus obseruat libro 15. *de Trinitate* capite decimo quarto, reliquæ verò personæ diuinæ solum *intelligere*, quamuis earum intelligere sit idem, quod ipsum dicere in Patre.

Neque his obstat, quòd in diuinis *essentiale* distinguatur saltem *virtualiter à relatiuo*, & quòd virtualis distinctio reperiatur in latitudine diuinæ substantiæ, quatenus sub ratione *essentiæ* est *absoluta*, & sub ratione *subsistentiæ* est *relatiua*, quod sanctus Augustinus libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo nono agnouit, ponens in Deo duplicem *charitatem*, vnam communem, *& essentialem*; aliam propriam *& notionalem*. Nec obstat quòd S. Anselmus *in monologio* capite trigesimo, &
II. aliquibus sequentibus, velit *ipsum dicere* esse commune tribus personis diuinis.

Hæc inquam nihil obstant veritati huius nostri corollarij; nam vt patebit inferiùs, ad hoc vt aliqua dicantur propriè distingui *virtualiter*, debent fundare duos conceptus à se inuicem *distinctos*, quorum vnus sit extra alium: quod enim est tale, dicitur virtute duplex, quatenus potest fungi officio duorum à se inuicem distinctorum: at *intelligere* essentiale non est extra ipsum *dicere*, quin potiùs conceptus eius includitur formaliter in ipso *dicere*: hoc enim non est tantùm producere, loquendo præcisè, sed cognoscere rem obiectam, & illam cognoscendo, exprimere eius similitudinem: vnde *duplicem* importat *ha-*
III. *bitudinem, vnam* cognoscentis ad obiectum, vt cognitum, *aliam* producentis ad productum: ipsum autem *intelligere* essentiale primam duntaxat importat, & quãdo relatiuum dicitur esse distinctum *virtualiter* ab essentiali, debet intelligi de relatiuo *in abstracto* seu purè & totaliter relatiuo; non autem de eo quod enuntiatum *in concreto*, habet etiam formaliter & intrinsecè aliquid essentiale; & licet diuina paternitas, ratione cuius τὸ *intelligere* essentiale est principium, & est *dicere* sit virtualiter distincta ab intelligere essentiali præcisè sumpto: quia tamen non dicit solam relationem, sed insuper τὸ *intelligere essentiale*, non potest rectè inferri hæc duo *dicere*, & *intelligere* essentiale, distingui virtualiter, sicut nec personæ diuinæ sumendo nomen personæ *in concreto* possunt dici virtualiter distingui ab essentia diuina.

IV. Neque sanctus Augustinus loco citato distinguit duplicem charitatem; imò vnam duntaxat recenset in diuinis, sicut vnam tantùm sapientiam; sed ibi vult solum nomen hoc *charitas*, quod est idem ac *amor*, sumi duobus modis in sacris Litteris: primò *essentialiter*, & sic esse totius Trinitatis: deinde *notionaliter*, & sic esse nomen aliquod proprium Spiritus sancti, vt infrà explicabitur.

Quod verò sanctus Anselmus ait omnes personas diuinas *dicere*, tunc vsurpat *dicere*, pro *intelligere* essentiali, contemplari & cognoscere, vt sanctus Thomas notat infrà quæstione trigesimâ quartâ articulo primo *in solutione ad secundum & tertium*.

Secundò ex eadem responsione ad primam rationem Durandi patet id quod *dicere* superaddit intelligere essentiali, esse relationem pa-

A ternitatis, seu producentis in principio: & *intelligere essentiale*, & *dicere* ad inuicem comparata, se habere aliquo modo ad instar *superioris ad inferius*, quatenus dicere includit formaliter intelligere, & non econtrà. V.

Dixi *aliquo modo ad instar superioris & inferioris*, quia relatio paternitatis, ratione cuius *intelligere* euadit *dicere*, non se habet ad intelligere essentiale, tanquam *differentia* contrahens illud ad tale intelligere, sicut differentia contrahit genus ad aliquam speciem: cùm vt ostendimus, nullum aliud intelligere prout est intelligere, possit intra genus cognitionis assignari in ipso *dicere*, quã illud, quod est essentiale, vt ostendimus primo nostro corollario, sed *paternitas* addita supra *intelligere* essentiale ad constituendum *dicere*, habet se
B tanquam *aliquis modus* alterius rationis de- VI.
terminans *intelligere* essentiale in ratione talis principij, vt ampliùs explicabitur infrà, vbi agetur de *potentia* ad actus notionales: quo etiam loco explicabitur an *intelligere* & *velle* in Deo, sint proxima principia *communicatiua*, essentiæ & naturæ; an verò etiam *immediata principia* producendi Filium & Spiritum sanctum.

DISPVTATIO IV.

De distinctione quæ inter processionem Filij & Spiritus sancti intercedit.

ARTICVLVS PRIMVS.

C #### *Quid sit vitalis generatio.* VII.

QVIA Catholica fides docet processionem Filij esse generationem, processionem verò Spiritus sancti minimè, vt faciliùs explicemus hoc vtrumque, præmittemus expositionem definitionis generationis vitalis, exemplo sancti Thomæ hâc quæstione articulo secundo, item libro quarto *contra gentes* capite decimo & vndecimo.

Notandum itaque est nomen *generationis*, vt significat productionem substantiæ simplicem, sumi duobus modis: primò valde generaliter, prout competit omnibus entibus cor-
D ruptibilibus, & definitur ab Aristotele in phy- VIII.
sicis, *productio rei ex præsupposito subiecto*, & *mutatio de non esse ad esse*: deinde sumitur strictiùs pro sola generatione viuentium, hæc enim dicuntur nasci. Cùm verò viuentia sint duplicis generis, quorũ alia nõ sunt cognoscitiua, vt plantæ; alia verò cognoscunt: & cognoscitiua, alia cognoscant per sensus tantùm; alia verò cognitione intellectuali, generatio aliquando sumitur pro illa, quæ reperitur in rebus cognoscentibus intellectualibus, cuius principium dicitur *Pater*, & terminus productus *Filius*; hæc enim nomina cùm importent aliquem mutuum amorem, faciunt vt hæc generatio possit tantùm competere solis viuentibus per cognitionem intellectualem, vt sanctus Thomas obseruat tertiâ parte quæstione trigesimâ secundâ articulo tertio, & ad tertium caput epistolæ *ad Ephesios* le-

I. ctione quartâ; imò & ipsi grammatici quando inquirunt deriuationem huius nominis *Filius*, quo modo productio plantæ ex alia planta non est generatio; & hoc solo posteriori modo generatio hîc consideratur à nobis. Nam sumpta prioribus modis dicit multas imperfectiones, ob quas non habet locum in Deo, vt docent sancti Patres, sanctus Basilius libro secundo *contra Eunomium*, sanctus Augustinus libro tertio *contra Maximinum* capite decimo quarto.

Generatio igitur viuentium cognoscentium intellectualium, ita rectè definitur à S. Thoma locis nunc citatis, *processio*, seu *origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ*, seu vt loquitur sanctus Thomas, *secundùm similitudinem naturæ*: quæ definitio sumpta videtur ex Aristotele septimo
II. *Metaphysicorum* textu vigesimo octauo, libro octauo *Ethicorum* capite duodecimo, & ex sancto Damasceno libro primo *de fide orthodoxa* capite octauo.

Dicitur imprimis *processio* seu *origo*, non autem mutatio, vel actio; quia processio latiùs patet, quàm actio vel mutatio, hæc enim duo vt iam animaduertimus, non habent locum in Deo, in quo tamen vera processio reperitur. Deinde dicitur *origo* seu *processio*, vt tam actus ipsius principij generantis significetur, quàm ipsa res generata, in quantum est passiuè à principio; in hac autem definitione sumitur hoc secundo modo, vt sequens hæc particula *viuentis* denotat, quæ significat terminum productum debere esse totum & integrum suppositum viuens: quâ particulâ excluduntur à ratione generationis primùm pro-
III. ductio accidentium & substantiarum, quæ non sunt viuentes, & cùm agamus tantùm de viuentibus cognoscentibus, per hanc eandem particulam productio eorum, quæ viuunt vitâ tantùm vegetante, excluditur: deinde nutritio, hæc enim est tantùm origo partialis quidem, sed non totalis alicuius viuentis, vt Philosophi docent in libris *de anima*.

Tertiò, in hac definitione additur *à viuente principio*, vt denotetur actiuum principium eiusmodi processionis debere esse viuens, & vitali modo procedere per principium aliquod vitale, quâ particulâ excluduntur primùm à ratione generationis productiones entium, quæ sunt à causis non viuentibus, vt quando sol producit suo calore ranas,
IV. vel alia eiusmodi imperfecta animalia: generatio enim maximè propriè sumpta requirit principium esse animatum seu viuens, sicut postulat suum formalem terminum esse viuentem. Secundò, hâc eâdem particulâ excluditur à ratione veræ generationis processio Euæ ex Adamo, quia Adamus non fuit actiuum eius principium, sed tantùm materiale, quatenus Deus ædificauit Euam ex costis Adæ in mulierem, vt loquitur sacra Scriptura secundo capite Geneseos.

Quartò, hæc particula *coniuncto*, ponitur in hac definitione primùm vt significetur ad veram generationem requiri, vt virtus quâ viuens producit substantiam viuentem, sit intima & coniuncta principio producenti, quemadmodum semen sese habet in animalibus, antequam decidatur ab illis, & proinde debere esse aliquid de substantia generantis.

A Secundò, vt significetur ita debere coniungi V.
termino producto, vt saltem quoad aliquid sui permaneat in ipso fœtu producto, ob idque producens & productum sint semper sibi inuicem aliquo modo coniuncta. Quod totum patet in generatione humana: nam semen quo tanquam principio pater generat filium, est aliquid de substantia patris, & ex consequenti aliquid coniunctum genitori: filius enim vocatur *semen decisum à patre, pars patris, aliquid patris*, & quia pars illa seminis à patre decisi est materia geniti in eo remanens, rectè ratione illius genitus dicitur esse, & manere coniunctus suo genitori; vt etiam Aristoteles notat libro octauo *Ethicorum* capite duodecimo. Hâc autem particulâ præsentis definitionis excluduntur à ratione generationis propriè dictæ, primò illa, quæ licet sint
B viuentia, & à Deo effectiuè principio viuen- VI.
te, non tamē sunt de eius substantia, vt Angeli & homines creati à Deo. Deinde illa quæ licet sint viuentia, & à principio vitæ coniuncto, non tamen per modum causæ efficientis, sed duntaxat per modum causæ materialis, cuiusmodi est productio Euæ ex costa Adæ: at in generatione hominis, esto secundùm aliquos semen matris non concurrat actiuè in formatione membrorum, non tamen ipsa mater desinit actiuè illud conferre, vt inde filius producatur.

Vltima pars definitionis est (*in similitudinem naturæ*) quæ significat generationem propriè dictam ex formali sua ratione tendere in similitudinem rei producentis, ad minus in specie infima, quatenus ad veram generatio-
C nem requiritur, vt terminus eius sit eiusdem VII.
prorsus speciei cum generante, & ad summum solo numero distinguitur ab eo, & hoc ex propria intentione naturæ.

Et quia ex hac particula potissimùm ostendemus processionem Spiritus sancti non esse generationem propriè, ideò paulò fusiùs probamus conditionem istam esse essentialem generationi propriè dictæ; probatur itaque primò ex sacris Litteris, Geneseos quinto capite, *genuit Adam filium ad imaginem & similitudinem suam*: quod sanctus Chrysostomus homiliâ trigesimâ primâ *in Genesim* explicat *secundùm suam speciem*.

Deinde ex Aristotele secundo *Physicorum* textu decimo quarto, vbi ait generationem esse *viam ad naturam*; at via formaliter & pri-
D mò per se tendit in terminum: ergo & gene- VIII.
ratio tendit in naturam: & Aristoteles ibidem ostēdit istud, ex discrimine medicationis à generatione, quòd denominatio medicationis desumatur non ex sanitate, quæ est eius terminus ad quem, sed à medicina à qua procedit tanquam principio; generationis autem denominatio sumatur à termino, ad quem primò & per se illa tendit: vnde ex eo quòd generatio tendit per se primò ad formam, probat ipsam formam esse naturam: quòd autem Aristoteles ibi agat de generatione viuentium, interpretes eius notant ad illum locum, & id indicat ipsum nomen γένεσις, quo ibi vtitur: quia *nasci* & *natiuitas* dicuntur tantùm de viuentibus, vt Aristoteles notat *in Metaphysicis*.

Tandem probatur ratione: generatio ex se & formaliter tendit ad constituendum simili-

I. tudinem inter generantem & genitum, ex A
Ariſtotele libro quarto *de generatione anima-*
lium capite tertio: atqui talis ſimilitudo non
poteſt eſſe niſi ad minimum ſpecifica. Nam
triplex poteſt diſtingui ſimilitudo; prima eſt
accidentalis, quæ attenditur penes lineamen-
ta vultus, & alia id genus accidentia commu-
nia; ſecunda eſt *indiuidualis*, quæ attenditur
quoad proprietates indiuiduantes generatio-
nis; tertia eſt ſpecifica, quãdo forma generan-
tis, & forma geniti ſunt eiuſdem ſpeciei: ſed
generatio non tendit formaliter in ſimilitudi-
nem accidentalem: tum quia generatio ha-
bet terminum ſubſtantialem: tum etiam quia
plerumque veri filij carent hâc ſimilitudine
accidentali, vt experientia docet, cuius varias
cauſas Ariſtoteles reddit libro quarto *de gene-*
II. *ratione animalium* capite quarto: nec item ſe- B
cunda ſimilitudo eſt intrinſecè neceſſaria ad
generationem; licet enim generans intendat
illam, quantum in ſe eſt, ſæpè tamen deficit in
vera generatione, vt experientia docet, &
Ariſtoteles ſuprà: igitur cùm generatio ten-
dat in ſimilitudinem, tendit ad minus in ſpe-
cificam ſimilitudinem.

Hinc defectu huius ſimilitudinis ſpecificæ
ſanctus Thomas hîc articulo ſecundo exclu-
dit à ratione generationis productionem ver-
mium, qui naſcuntur ex aliis animalibus ſpe-
cie ab illis diſtinctis. Hinc etiam excludit pro-
ductionem pilorum, qui licet ſint ab homine,
non tamẽ ſunt in ſimilitudinem naturæ ipſius
hominis: & licet omnes communiter dicant
debere eſſe ſpecificam ſimilitudinem in gene-
ratione, id tamen non impedit, quin ſi hæc ſi-
militudo poſſit haberi per communicationem
III. eiuſdem numero naturæ, dicatur propriè ge-
neratio; imò tantò perfectior, quantò maior
eſt ſimilitudo naturæ, vt patet ex fine ipſius
generationis.

Cæterùm plerique addunt huic definitioni
hanc particulam, *ex vi proceſſionis*, quam ſan-
ctus Thomas hîc articulo quarto indicat, vt
ſic doceant hanc ſimilitudinem debere eſſe ex
vi ipſius generationis, ſeu ex vi ipſius modi,
quo terminus procedit ab ipſo principio vi-
uente: ſed vt alij rectè notant, non videtur
neceſſaria; nam ſatis ſubintelligitur in allata
definitione per hanc particulam, *in ſimilitudi-*
nem eiuſdem naturæ: hæc enim particula, *in*,
iuncta accuſatiuo caſui denotat formalem
tendentiam productionis, vt Grammatici no-
tant, & ſignificat eſſe de formali ratione ge-
nerationis, vt tendat formaliter *in ſimilitudi-*
IV. *nem*, id eſt, in eandem naturam, quæ eſt in
ipſo generante.

ARTICVLVS II.

Vtrum proceſſio Filij ſit vera generatio.

PARS affirmans eſt de fide ex ſacris Litte-
ris, vt Pſalmo ſecundo, *ego hodie genui te*,
quem locum Apoſtolus *ad Hebræos* primo, ex-
plicat de æterna generatione Filij diuini, dum
ex illo probat diuinitatem Chriſti Domini:
ſimiliter ſanctus Athanaſius libro *de decretis*
ſynodi Nicænæ; ſanctus Baſilius libro ſecundo
contra Eunomium: ſanctus Auguſtinus, & alij
ad illum locum Pſalmiſtæ: item Ioannis pri-
mo: *vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*.

Probatur item ex Conciliis: nam in ſym- V.
bolo Nicæno & in omnibus ſymbolis Conci-
liorum ſubſequentium, profitemur ſecundam
Trinitatis perſonam eſſe Filium Dei vnigeni-
tum, eſſe genitum non factum, & his ſimilia:
omnes verò Patres idem fusè tradunt, his
libris quos ſcripſere contra Arianos.

Tandem probatur ratione, applicando pro-
ceſſioni Filij diuini definitionem generatio-
nis ſuperiùs explicatam: primùm enim eſt *pro-*
ceſſio viuentis, iuxta illud Chriſti Domini a-
pud ſanctum Ioannem capite quinto: *ſicut Pa-*
ter habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio ha-
bere vitam in ſeipſo, quem locum ſanctus Au-
guſtinus tractatu vigeſimo ſecundo *in ſanctum*
Ioannem explicat de æterna generatione Chri-
ſti Domini: & primæ ſancti Ioannis primo fi-
lius vocatur *verbum vitæ*, item *vita æterna*,
quæ erat apud Patrem. VI.

Deinde proceſſio Filij in diuinis eſt *à vi-*
uente principio, quia Pater, qui per intellectio-
nem notionalem eſt eius principium, eſt vi-
uens vitâ intellectuali: nam ſancti Matthæi
decimo ſexto Chriſtus Dominus abſolutè, &
ſimpliciter dicitur *Filius Dei viui*, & ex ci-
tato capite quinto ſancti Ioannis, *Deus Pater*
habet vitam in ſemetipſo.

Proceſſio etiam Filij eſt *à principio coniun-*
cto, quia Filius producitur de ſubſtantia Pa-
tris Pſalmo centeſimo nono, *ex vtero ante*
Luciferum genui te, id eſt, ex mea ſubſtantia,
quæ eadem numero manet in Filio, quæ eſt in
me Patre.

Denique proceſſio Filij eſt *in ſimilitudinem*
naturæ, non ſolùm eiuſdem ſpeciei, ſicut ge-
neratio creata; ſed etiam numericæ; ſicque
C eſt generatio perfectiſſima, & Filius in diuinis VII.
hoc habet ex formali ratione ſuæ proceſſio-
nis, vt Apoſtolus indicat capite primo *ad He-*
bræos, dum ita loquitur de Filio, *cùm ſit ſplen-*
dor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, id eſt Patris,
quò loci, pro eo quod Latinè habemus *figura*,
habetur Græcè χαρακτὴρ, quæ particula ſigni-
ficat formam expreſſam ex alio, ſeu impreſſam
alicui, vt Apoſtolus hâc loquendi formulâ ſi-
gnificet Filium, ita eſſe ſeu procedere à ſuo
Patre, vt vi ſuæ proceſſionis ſit expreſſa ſimi-
litudo Patris, qui eum referat per omnia.

Verùm contra hanc noſtram aſſertionem
Ariani obiiciunt primò: nulla datur ſucceſ-
ſio, vel tranſitus ab vno ſtatu ad alium ad in-
tra in diuinis, quia Deus eſt maximè immuta-
bilis: atqui admiſsâ generatione Filij in diui-
nis quidam tranſitus datur ab vno ſtatu ad a-
D lium etiam ad intra. Nam Deus Pater, vel VIII.
nunc perfectè generauit Filium, & Filius iam
eſt perfectè genitus, vel Deus Pater adhuc
generat illum, & ſic Filius nondum eſt perfe-
ctè genitus: ſi primum, Pater tranſiit à ſtatu
nunc producentis de facto, ad ſtatum ceſſan-
tis producere Filium; ſi ſecundum, ergo cùm
Pater generet Filium ab æterno, nec dum
perfecta ſit eius generatio, Filius debet eſſe
genitus ſecundùm vnam ſui partem, & adhuc
generari ſecundùm aliam, quod eſt admitte-
re tranſitum ab vno ſtatu ad alium ad intra
in diuinis, quod eſt abſurdum: ergo inquiunt
Ariani, cùm ex vtraque parte aliquod incom-
modum ſequatur, dicendum eſt Filium non
generari.

Reſpondetur conceſsâ maiore negando

I. minorem, ad cuius probationem dicimus in ea, vel moueri quæstionem *de re*, vel *de modo loquendi*; si agatur *de re*, respondetur Patrem genuisse Filium perfectè; item Filium esse perfectè genitum, & nihilominùs adhuc Patrem generare Filium, & similiter Filium adhuc generari à Patre: quia hæc est ratio eorum, quæ habent totum suum esse simul, & semel perfectum, vt quamprimum est actio, per quam producuntur, sint tota simul perfecta, & quandiu eiusmodi illorum actio productiua durat, dicantur adhuc produci, etiam si nulla pars entitatis illorum supersit producenda, vt patet in beatitudine Sanctorum, in qua quamprimum vident essentiam Dei, videndo illam, sibi efformant aliquod verbum mentis, perseuerant in tali visione beatâ, non tantùm dicuntur efformasse tale verbum, sed
II. etiam adhuc efformare, & tale verbum dicitur etiam perfectè efformatum: quod idem patet in visione continuata eiusdem obiecti: at in diuinis generatio Filij est tota simul perfecta, non per partes, quia durat æternitate, sicut & ipse Deus: ideò Filius in diuinis non tantùm est totus simul & perfectus, sed etiam generatur in sempiternum, vt satis sancti Patres docent, sanctus Athanasius *in expositione fidei*, sanctus Augustinus epistolâ centesimâ septuagesimâ quartâ *ad Pascentium*. Quod verò spectat ad modum loquendi, scilicet, an debeamus dicere Filium semper genitum esse, an verò semper generari; respondetur cum sancto Augustino in Psalmum secundum, melius esse dicere Filium *semper genitum esse*, vt hâc particulâ, *semper*, explicemus æternitatem, & hâc particulâ, *genitum esse*, perfectio-
III. nem illius.

Obiiciunt secundò: si Filius in diuinis generatur, vel generatur existens, vel non existens: atqui non generatur existens, quia quod existit non generatur; non item generatur non existens, quia aliàs aliquando non fuit, quod tamen omnes Catholici negant.

Respondetur cum sancto Basilio *contra Eunomium*, Deum Patrem genuisse Filium existentem, sed tamen existentem à Patre, vi generationis, quod est commune omni generationi, & productioni instantaneæ.

Obiiciunt vltimò: *genitum & ingenitum*, non possunt dici de diuinis; quia si dicatur de Deo, vel dicuntur substantialiter, vel accidentaliter: non substantialiter, quia aliàs dicerentur de omnibus & singulis personis diuinis, cùm omnes personæ diuinæ habeant
IV. eandem substantiam; at duo ista *genitum* & *ingenitum* dici de omnibus & singulis personis diuinis omnes Catholici negant: deinde eadem essentia esset simul genita & ingenita, séque ipsam generaret, quæ omnia implicant: non autem dicuntur accidentaliter, quia nullum est accidens in Deo: igitur genitum & ingenitum non dicuntur de Deo, nec proinde in diuinis erit Filius, qui dicatur genitus.

Respondetur ex sancto Augustino epistolâ centesimâ septuagesimâ octauâ, *genitum & ingenitum* non significare substantiam, sed modum duntaxat habendæ substantiæ; nam Adam & Abel sunt eiusdem inter se substantiæ, quorum tamen prior est *ingenitus*, posterior verò *genitus*: vnde loquendo præcisè, inter hæc, dici de aliquo substantialiter, & dici

A accidentaliter, datur quoddam medium, scilicet dici secundùm modum habendæ substantiæ: sicut enim ex omnibus philosophis aliquid medium datur inter substantiam & accidens, nimirum modi substantiales & accidentales, sic etiam inter dici de aliquo substantialiter, & dici de aliquo accidentaliter, datur dici de aliquo secundùm modum habendæ substantiæ, vel entitatis: quòd autem essentia diuina nec generet nec generetur, ostendetur infrà. V.

ARTICVLVS III.

Vtrùm detur in diuinis processio alia à processione Verbi, quæ sit generatio.

B SENSVS quæstionis est, an per aliquam processionem distinctam à processione Verbi, aliqua alia persona procedat, quæ etiam sit verè *Deus*, & cuius item processio sit *generatio* propriè dicta. VI.

Prima sit propositio. *Aliqua secunda processio datur in diuinis, quâ persona alia à Verbo procedat, & est verè Deus.* Propositio est de fide ex his omnibus sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum testimoniis, quibus suprà ostendimus Spiritum sanctum tertiam Trinitatis personam esse verè & propriè Deum: item his omnibus, quibus infrà ostendemus Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio.

Tandem probatur hâc vnâ ratione fundatâ in modo, quo suprà ostendimus contra Durandum, diuinam naturam esse communicabilem per intellectionem & volitionem, quæ
C ratio est eiusmodi: omnis communicatio naturæ diuinæ est per actus immanentes ipsius Dei; ita vt quando actus immanentes sese habent per modum actionis, debeant producere aliquem terminum; quia cuiuscumque actionis debet dari terminus aliquis, qui producatur per illam: atqui in Deo præter ipsum intelligere datur etiam velle, per modum actionis immanentis, vt patet ex dictis suprà de velle notionali: igitur quemadmodum propter intellectionem notionalem Dei datur processio Verbi, ita & propter volitionem notionalem alia processio dabitur, quæ potest dici *spiratio*, per quam Spiritus sanctus procedat, & cùm quidquid est in Deo, sit ipsemet Deus, & communicatio diuinæ naturæ sit per communicationem eiusdem numero naturæ, oportet vt, quod producitur per talem processionem, sit Deus. VII.

D Secunda propositio. *Hæc processio Spiritus sancti non est generatio*: est de fide. Probatur primùm ex pluribus sacræ Scripturæ locis, in quibus secunda persona Trinitatis dicitur *vnigenitus*, vt primo capite sancti Ioannis, *vnigenitus qui est in sinu Patris enarrauit nobis*; & ibidem, *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, vbi hæc particula, *quasi*, non est diminuens, sed potiùs explicatiua veritatis, vt Patres notant ad illum locum, sic enim loquendo de rege dicimus, incedit *quasi rex*, id est, vt regem decet, & de viro iusto dicimus, fecit *vt vir iustus*, id est, vt decet iustum. Et hæc explicatio confirmatur ex aliis locis sacræ Scripturæ, in quibus Filius Dei vocatur simpliciter *vnigenitus*, vt sancti Ioannis tertio, *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigeni-* VIII.

I. A *tum daret*, & alibi passim. Hæc est autem propria significatio huius vocis *vnigenitus*, vt excludat consortium alterius geniti seu Filij, vt patet ex communi conceptione hominum: vnde quando Christus Dominus vocatur *primogenitus*, vt *ad Colossenses* 1. & alibi, non sic vocatur comparatione diuinarum personarum, ad quarum tamen respectum dicitur *vnigenitus* sed comparatione hominũ & creaturarum, quarum quatenus homo, est *caput*, & etiam dicitur *primus prædestinatorum*, vt Theologi docent tertiâ parte.

Neque huic propositioni obstat, quòd Salomon Prouerbiorum quarto dicatur *vnigenitus*, quem tamen ex capite tertio libri primi Paralipomenon constat habuisse fratres: non enim ait simpliciter se esse vnigenitum, sed
II. B addit se fuisse *tenellum & vnigenitum coram matre sua*, quâ loquendi formulâ tantùm denotat se eo amore fuisse dilectum à matre, quo vnigenitus solet diligi à matre; vel si quis velit nomen hoc *vnigenitus* ibi sumi propriè, respondemus Salomonem loqui de tempore, quo nondum habebat fratres, & hoc innuit hæc particula, *tenellus*, quæ propriè accommodatur infanti: quòd enim Dauid ex Bethsabee matre Salomonis alium susceperit filium priorem Salomone, non impedit, quin Salomon dicatur simpliciter fuisse eo tempore *vnigenitus*; quia puer ille Dauidis prior Salomone non fuerat susceptus ex legitimo matrimonio, sed ex ipsa Bethsabee adhuc iuncta matrimonio Vriæ, vt patet ex capite vndecimo libri secundi Regum; ideóque Salomon erat pro isto tempore filius vnigenitus Dauidis & Bethsabeæ. III. C

Conclusio nostra probatur etiam ex symbolis Conciliorum, in quibus illam profitemur, vt in symbolo Concilij Nicæni, item decimi & vndecimi Toletani Concilij, sancti Athanasij, & ex omnibus Patribus tam Græcis, quàm Latinis, qui disputantes aduersus Arianos dicunt solam processionem Filij esse generationem, item solum Filium in diuinis esse genitum. Sic S. Athanasius epistolâ *ad Serapionem*; sanctus Gregorius Nazianzenus *oratione quintâ de Theologia*; sanctus Augustinus libro tertio *contra Maximinum*, & alij communiter.

Fauet etiam ratio: generatio Filij in diuinis propter suam infinitatem expleuit totam fœcunditatem, quæ est in Patre ad producendum Filium, cùm sit necessariò & modo ne-
IV. D cessario: ergo nullum reliquit locum ad aliam generationem secundi filij: ergo cùm vltra processionem Filij alia secunda processio detur, quæ est Spiritus sancti, illa non erit generatio, nec eius terminus dicetur, *filius, natus, genitus*.

Sed contra doctrinam huius vtriusque propositionis Ariani obiiciunt: si Spiritus sanctus est Deus, vel est genitus, vel ingenitus; si ingenitus, ergò duæ sunt personæ in diuinis expertes originis; sicque duo Dij, quod est hæreticum: si est genitus, vel à Patre, sicque erit frater Verbi, & Filius Patris, túncque Verbum non erit Filius vnigenitus, vel est à Filio & sic est expers Patris; vel denique ab vtroque: ergo vnus se habet vt Pater, & alius vt mater: at hoc admittere in diuinis est absurdũ: ergo & admittere Spiritum S. esse Deum.

Respondetur, hoc nomen *ingenitum*, vt Patres obseruant, sumi tribus modis: primò quatenus significat negationem omnis, & cuiuscumque processionis, tam *metaphysicæ*, quàm *physicæ*, quomodo idem sonat, ac nullo modo habere esse ab alio: deinde sumitur quatenus significat tantùm negationem generationis propriè dictæ: tertiò sumitur quatenus significat negationem creationis & dependentiæ ex nihilo, quomodo idem sonat, ac non factum, non creatum, infectum, increatum. Iam ad argumentum respondetur, Spiritum sanctum esse ingenitum *secundo modo*, quia eius processio non est generatio propriè dicta, & cùm Spiritus sanctus sit propriè Deus, cui repugnat esse factum, esse creatum, respondetur illum etiam esse tertio modo ingenitum, VI.
similiter Patrem & Filium; solum verò Patrem in diuinis esse *primo modo* ingenitum. Vnde non sequitur dari in diuinis duas personas expertes originis, sed vnam duntaxat scilicet Patrem. Nec item sequitur Spiritum sanctum esse fratrem Verbi, cùm fraternitas propriè dicta fundetur in eo modo, quo duæ personę procedunt ab eodem parente per generationem propriè dictam, ob quam rationem Spiritus sanctus non est etiam nepos Patris diuini, licet emanet etiam à Filio, quatenus eius emanatio non est generatio propriè dicta. Nec denique sic emanat ab vtroque quasi sit Filius vtriusque, cùm secunda persona non subeat vicem matris: nam pater & mater propriè attenduntur penes eam tantùm generationem propriè dictam, quæ fit ex commixtione seminum patris & matris, vt
videre est in generatione animalium: at in Patre & Filio est vna & eadem numero vis spiratiua, per quam Pater & Filius tanquam vnum principium communicant Spiritui sancto vnam & eandem numero essentiam. VII.

ARTICVLVS IV.

Rationes Patrum, ob quas processio Verbi est generatio, processio autem Spiritus sancti non item.

LICET præcedenti articulo sit satisfactum ei cauillationi Arianorum, quâ apud sanctum Gregorium Nazianzenum oratione 5. *de Theologia* contendebant Spiritum sanctum non esse Deum, ex eo quòd non sit genitus:
quia tamen in sententia omnium Catholicorum Spiritus sanctus ita est Deus, vt procedat viuens *vitaliter* à Patre & Filio, tanquam vno principio illis consubstantialis, seu cum identitate eiusdem omninò naturæ, quæ omnia consideranti definitionem generationis superiùs allatam, videntur primâ fronte sufficere ad veram generationem; ideò Ariani & Macedoniani vrgebant Patres, vt vel assererent Spiritum sanctum esse genitum, processionem eius esse generationem, vel assignarent aliquod legitimum discrimen inter vtramque processionem, ratione cuius vna esset propriè generatio, alia verò minimè. VIII.

Aliqui Patrum & Scholasticorum iudicarunt esse tantæ difficultatis assignare hoc discrimen, vt dixerint nullam illius rationem sufficientem posse à nobis dari, quandiu sumus in hac vita: vt sanctus Athanasius epistolâ

I. stolâ *ad Serapionem*, Gregorius Nazianzenus sicitatâ oratione quintâ, sanctus Augustinus libro tertio *contra Maximinum* capite decimo quarto: imò addunt hoc non esse inquirendum, esse Angelis incognitum, soli Deo notum: sic sanctus Athanasius sermone tertio *contra Arianos*, sanctus Hilarius libro secundo *de Trinitate*; sanctus Ambrosius libro primo *de fide* capite primo. Et pro hoc discrimine, eas congruitates nobis sufficere, quibus mysterium istud redditur credibile: nullum aliud responsum pro hac re esse dandum hæreticis, quàm ex eo, quòd istud nos lateat, non benè sequitur aliquid esse contrarium huic mysterio, cùm hæc duo, nimirum *latere*, & *simul verum esse* quod credimus, possunt simul cohærere; ideòque negandum esse quidquid hæretici inferunt contra veritatem huius

II. ius mysterij, & Deum posuisse tenebras latibulum suum.

Sed quanquam hæc ita se habeant, si quæstio moueatur de perfecta & omnimoda ratione huius discriminis: quia tamen Theologus tenetur tueri mysteria nostræ fidei à contradictione, item debet ex principiis reuelatis per aliquam analogiam creatarum processionum quibus conuenit vel non conuenit ratio generationis, cóciliare illud, quod fides affirmat de processione Filij, cùm eo, quod eadem fides negat de processione Spiritus sancti, & ita afferre aliquam rationem discriminis, cur vna processio sit propriè generatio, alia verò minimè.

Ad id præstandum Patres excogitarunt varias rationes; imprimis S. Athanasius epistolâ *ad Serapionem*. Ideò, inquit, Filius in diui-

III. nis Pater esse non potest, quia accipit integram naturam à Patre, & est integer integri Patris splendor & imago; at in humanis filius accipit partem naturæ à patre suo, atque ideò quasi diuisam naturam; vnde prouenit, vt non possit generare, sicut est genitus.

Verùm hæc ratio parum probat, quia sicut Filius in diuinis accipit integram naturam à Patre, ita & Spiritus sanctus accipit integram naturam à Patre & Filio, & est similis in natura; cur ergo Spiritus sanctus non procedit vt Filius.

Secunda ratio est sancti Gregorij Nazianzeni oratione quintâ *de Theologia*, nimirum quod sicut Eua & Seth procedunt ab Adam in eadem natura, & tamen processio Seth est

IV. generatio, Euæ autem processio non item: sic Verbum & Spiritus sanctus procedunt à Patre in eadem natura, & tamen processio Verbi est generatio, processio autem Spiritus sancti non item.

Sed hæc responsio non assignat rationem, quare processio Spiritus sancti non sit propriè generatio, & est manifestum discrimen inter exemplum allatum, & processiones diuinas. Nam processio Euæ ab Adamo non fuit ab illo tanquam à principio vitali, vt animaduertimus: at processio Spiritus sancti est à Patre & Filio, vt principio vitali, nimirum volitione diuina. Vnde etiam S. Gregorius ibi addit exemplum hoc non quadrare, sed tantùm se illud assignasse, vt ostenderet eandem naturam ita posse ab eodem principio communicari duobus, vt vnus eorum dicatur propriè generari, alius verò minimè.

A Tertia ratio est sancti Basilij libro tertio *contra Eunomium* capite duodecimo, ideò Spiritum sanctum non dici Filium, ne in Trinitate sit Filius Filij, & ita veniamus in suspicionem, quòd sint infiniti Filij in diuinis. V.

Sed hæc ratio nullo modo satisfacit: si enim reuera Spiritus sanctus est Filius, nullum est inconueniens eum ita appellare: neque enim fides Catholica potest affirmare aliquid falsi, pro vitanda aliqua suspicione. Hæc tamen ratio sancti Basilij potest sic accipi, vt tantùm velit asserere processionem Spiritus sancti, non esse generationem, quia infinita potentia generandi, quæ est in Patre iam est exhausta per processionem Filij, quod quidem verum est, non est tamen præcisa ratio ob quam Spiritus sanctus non dicatur generari.

B Quarta ratio est sancti Augustini libro quinto *de Trinitate* capite decimo quarto, *quòd*, inquit, *Filius procedat vt natus, Spiritus sanctus, vt datus.* VI.

Verùm neque hoc satisfacit, quia est quod quæritur, nimirum cur Filius procedat, vt *natus*, Spiritus sanctus non item, quod prædicta ratio non soluit.

Idem itaque S. Augustinus libro nono *de Trinitate* capite 12. hanc aliam reddit rationem, scilicet Filium dici *genitum*, quia procedit per intellectum, Spiritum sanctum verò minimè, quia procedit per voluntatem. Quod enim procedit per intellectum, procedit per inquisitionem, qui autem inquirit conatur aliquid reperire per inquisitionem, & postquàm illud reperit, dicitur repertum, & partú, quia

C idem sunt *repertum*, ac *partum*: qui autem operatur per voluntatem, non ita inquirit, sed sine labore agit; vnde quod procedit per illam, non dicitur *partum*. VII.

At hæc ratio est tantùm metaphorica, & ad summum probat solummodò secundam personam Trinitatis dici *metaphoricè* Filium, item generari, quod est falsum. Deinde etiamsi loquendo propriè illud diceretur *partum*, item generari in nobis, quod est repertum per inquisitionem & laborem intellectus, quia tamen eiusmodi inquisitio laboriosa, nullum habet locum in Deo, dum operatur per intellectum, secunda persona Trinitatis non diceretur propriè generari, quod est contra doctrinam præcedentis articuli.

Quinta ratio est eiusdem sancti Augusti-

D ni libro decimo quinto *de Trinitate* capite vigesimo septimo, Spiritum sanctum non dici Filium, vel generari; quia ad hoc vt quod procedit à duobus, dicatur filius, & generari, oportet ita procedere, vt vnus eorum à quibus procedit, sit pater, & alter mater, quia nullus est filius duorum nisi patris & matris, quod admittere in mysterio Trinitatis est absurdissimum, cùm sexus distinctio ad hoc requiratur, quæ nulla est in Deo, vt etiam sanctus Gregorius Nazianzenus oratione quintâ *de Theologia* obseruat. VIII.

Verùm neque hæc ratio satisfacit, quia Spiritus S. non procedit à Patre & Filio, vt duobus principiis, sed vt ab vno principio, quemadmodum dicetur inferiùs: ergo ex eo quòd procedat à duabus personis, quarum neutra est mater, processio eius non excludetur à ratione generationis, cùm etiam secunda per-

I. sona Trinitatis ab vno principio procedat, & A
nihilominus dicatur propriè generari: ergo alia est quærenda ratio discriminis inter processionem Verbi diuini, & processionem Spiritus sancti.

ARTICVLVS V.

Proponitur & refellitur ratio S. Bonauenturæ, ob quam Filij processio est generatio, & non processio Spiritus sancti.

QVIA præsens difficultas est vna ex præcipuis totius Theologiæ, vt iudicium sanctorum Patrum præcedenti articulo relatum satis indicat, non erit inutile breuiter examinare celebriores Scholasticorum rationes
II. pro hoc discrimine, vt tandem eam eligamus, B
quæ videtur omnium probabilissima.

Primùm itaque referri potest sententia S. Bonauenturæ in primum sententiarum distinctione 13. quæst. 2. vbi constituit triplicem modum procedendi: primus est secundùm *voluntatem*, quo modo Adam est productus à Deo, & hic modus non vendicat sibi rationẽ generationis; secundus est præter *naturam*, quomodo Eua fuit producta ex costa Adæ, qui modus etiam non est generatio, vt obseruauimus: tertius est secundùm *naturam*, quo pacto Abel procedit ab Adamo, & hic modus dicitur generatio, & eius terminus filius. Hoc posito, respõdet ideò secundam personam Trinitatis dici generari, & esse Filium, quia est secundùm *naturam*, scilicet per intellectum, tertiã verò
III. personam minimè, quia est per voluntatem:
quam rationem aliquâ ex parte Durandus se- C
quitur, quando ait primo sententiarum distinctione sextâ quæstione secundâ procedere secundùm voluntatem, seu per modum voluntatis, esse procedere à duobus principiis, quorum quodlibet erat per se sufficiẽs, ac proinde quando simul producũt vnum, videntur coniungi voluntariè: per modum verò *naturæ* procedere, esse ab vno tantùm procedere; ideóq; quoniam secunda persona Trinitatis procedit tantùm ab vno, dici Filium, & esse per modum *naturæ*: at verò Spiritum sanctum non generari, quia est à Patre & Filio.

Verùm hæc sententia refellitur inductione factâ per varios modos, quibus S. Bonauentura, & aliqui alij hanc eius opinionẽ sequentes explicant in præsenti negotio hunc ter-
IV. minum *per modum naturæ:* nam vel est idem ac D
procedere nullâ aliâ substantiali operatione præsuppositâ in ipso operante, vel est idem ac procedere necessariò, & per principiũ determinatũ ad vnum, cui procedendi modo opponitur *procedere per voluntatem*, quæ est principium liberum, vel denique idem est ac procedere ex fœcunditate naturæ, vt S. Bonauentura explicat superiùs: at nullus istorum modorum ponit sufficiens discrimen inter Filium & Spiritum sanctum, vt processio istius sit verè & propriè generatio, huius autem processio minimè. Non primus, nam est impertinens ad rationem generationis propriè dictæ, cùm in eius definitione, nulla fiat mentio huius conditionis, & in humanis vera processio secundi filij, tertij, quarti, quinti, & aliorum subsequentium tam propriè & simpliciter sit & dicatur generatio, quàm processio pri-

mò geniti à suis parentibus. V.

Secundus item modus non est sufficiẽs, quia etiã Spiritus sanctus procedit à diuina voluntate, vt determinata ad vnum, vt necessaria, non vt libera ad producendum Spiritum sanctum; eius enim processio est ad intra, & omnia quæ in diuinis sunt ad intra, sunt necessaria, ita vt, quemadmodum Deus est ens necessarium, existens necessariò; sic etiam & ambæ processiones Filij & Spiritus sancti sunt necessariæ, & necessariò: nec Pater & Filius liberè, sed necessariò conueniunt ad spirandum Spiritum sanctum, cùm non possint non illum spirare, nec ille non possit non spirari; aliàs non esset propriè Deus ens necessarium, & omnimodè independens contra superiùs dicta aduersus Macedonium.

Tertius denique modus non est sufficiens; VI.
nam & Spiritus sanctus procedit etiam ex fœcunditate diuinæ naturæ. Hæc enim est fœcunda duobus modis, sicut in diuinis duę dantur veluti actiones immanentes, quibus diuina vita communicetur: igitur ratio sufficiens ob quam processio Spiritus sancti non est propriè generatio, & processio Verbi est vera generatio, non est quòd Filius in diuinis procedat à Patre secundùm naturam, & Spiritus sanctus secundùm voluntatem, sumendo hos terminos, *secundùm naturam, secundùm voluntatem*, aliquo sensu ex tribus explicatis.

ARTICVLVS VI.

Expenditur ratio Richardi à S. Victore.

SECVNDA sententia est Richardi *à sancto* VII.
Victore libro 6. *de Trinitate* cap. 18. Alensis primâ parte quæst. 42. membro secundo, Maioris in primum sententiarum distinctione tertiâ quæstione vnicâ, quam etiam hoc nostro tempore nonnulli recentiores sequuntur, scilicet esse de formali ratione Filij, vt accipiat naturam à Patre, cum virtute eam communicandi alicui; vnde cùm secunda persona Trinitatis vi suæ processionis, ita accipiat à Patre diuinam naturam, vt possit illam, imò & de facto communicet Spiritui sancto, esse propriè Filium, eius processionem esse generationem propriè dictam. Quia verò Spiritus sanctus ita illam accipit à Patre & Filio, vt eam tamen nulli communicare possit, cum non esse propriè Filium, nec eius processio-
nem dici posse generationem: ideóque volunt VIII.
hanc particulam positam in definitione generationis *(in similitudinem naturæ)* esse intelligendam, non tantùm de similitudine in substantia & essentia, sed etiam de similitudine in præcipuo modo operandi proprio viuentium, qui est producere de sua substantia aliud suppositum viuens, ita vt si per impossibile, vel possibile aliquod viuens creatum procederet à viuente *modo vitali*, absque potestate saltem radicali communicandi suam essentiam alteri, iam tale viuens ita productum non esset propriè filius; & auctores isti putant hanc suam opinionem supponi à sancto Basilio tanquam verissimam articulo 4. huius disputationis relato, dum negat Spiritum sanctum esse Filium, esse natum de Filio, ne multitudo filiorum putetur esse in diuinis, quia aliàs hæc eius ratio nullius esset momenti.

I. A Verùm hæc sententia refellitur primùm expressâ auctoritate S. Thomæ hâc parte infrà quæst. 35. art. 2. in corpore, vbi suppresso nomine Richardi *à sancto Victore* huius, eius sententiæ meminit, & illam refellit, quòd eadem omninò similitudo requiritur in vera imagine, & propriè dicta, & eodem modo accepta, quæ & quomodo requiritur in vera & propriè dicta generatione; ratio enim imaginis fũdatur in natura accepta, & in modo accipiendi illam per generationem: atqui similitudo fundans rationem imaginis in Filio diuino comparatione Patris diuini, non est ex S. Thoma ibi, quòd vltra naturam habeat, etiam aliquid notionale sibi cõmune cum Patre, cuiusmodi est vis spiratiua, & virtus communicandi naturã acceptam alicui, vt ibi probat S. Thomas, ex S. Augustino, sed est similitudo eiusdem naturæ, vt acceptæ vi suæ processionis: quemadmodũ
II. B explicat iam in corpore, quàm in solutione ad tertium: ergo similitudo, quam vera generatio iuxta S. Thomam postulat in producto, non est penes communicationem naturæ acceptæ, vt alteri faciendã: igitur non ideò præcisè Filius in diuinis generatur, & eius processio est propriè generatio, quia accipit à Patre naturã diuinã, vt etiam à se cõmunicandam Spiritui S.

Ex qua ratione S. Thomæ sic explicata patet auctores huius sententiæ malè eum interpretari, quando dicunt duplicem distingui similitudinem inter personas diuinas, vnam purè *essentialem*, nimirum præcisè in essentia, aliam *notionalem*, vt inter Patrem & Filium, penes eandem numero spirationem & virtutem spirandi; S. Thomam ibi non loqui de ea similitudine, quæ sit necessaria ad generandum Fi-
III. C lium, cuiusmodi est notionalis, sed de purè essentiali; nam verbis expressissimis habet posteriorem hanc similitudinem, scilicet notionalem non requiri in vera generatione.

Secundò refellitur: eo solo præcisè sumpto saluatur ratio generationis, quo solo posito, & aliis præcisis, statim relatio geniti ad genitorem, seu filij ad patrem necessariò resultat, nullo alio subsequente expectato, quia sicut pater constituitur in esse patris, solâ relatione genitoris ad genitum, ita filius constituitur in esse filij, solâ relatione geniti ad genitorem; atqui ad solam communicationem eiusdem numero. vel specie naturæ factam producto à producente, præcisis omnibus aliis subsequẽtibus relatio geniti ad genitorem statim sequitur, & ipsa vis communicandi naturam in generatione acceptam, est aliquid subsequens talem communicationem naturæ: igitur ratio
IV. D generationis propriissimè sumptæ saluatur præcisè in communicatione eiusdem naturæ ipsius producentis facta producto etiam ipsâ virtute communicandi illam præcisâ.

Maior probatur ex illa communi regula, quam Dialectici tradunt pro dignoscendis essentiis, & rationibus formalibus rerum.

Minor probatur quoad primam partem, quę est de resultantia relationis: relatio geniti ad genitoré statim resultat ad positioné sui fundamenti: at hoc fundamentum est eadem natura specie, vel numero accepta præcisè; nam cùm fundamentũ debeat tandiu durare, quandiu relatio super illud fundata durat, & transactâ generatione seu processione filij à suo patre relatio filiationis duret, vt videre est in generatione filij creati, actio generatiua est V.
tantùm quędam conditio, vt ipsa relatio veluti incipiat, non autem vt duret & permaneat. Sed fundamentum istius relationis est ipsa natura, quæ transacto generationis actu semper manet & perseuerat in filio, ratione cuius filius dicitur pars patris, & semen decisum à patre: igitur relatio geniti ad genitorem statim resultat ad solam communicationem eiusdem specie, vel numero naturæ à producente facta ipsi producto.

Eadem minor probatur quoad secundam parté: omnis proprietas subsequitur id cuius est proprietas: at ipsum posse communicari alteri in natura per generationem accepta est duntaxat ad summum aliqua eius proprietas, non essentia. Nec potest responderi id esse verum de proxima virtute communicandi naturam, & non de radicali, quæ est ipsamet natu- VI.
ra communicata: nam istud principium radicale ita est idem cum natura, quæ communicatur, vt tamen non sit de præciso formali eius conceptu, sed ad minus distinguitur virtualiter ab illo in rebus creatis. Imò non tantùm Deus potest saluare rationem animalis in aliquo sine hac virtute radicali, quin etiam de facto illam saluat in phœnice, qui nullum sibi similem potest generare, licet viuat quàm diutissimè, vt Plinius refert lib. 10. historiæ naturalis cap. 1. & alij, qui agunt de natura animalium; vnde cùm nulla detur potentia in rebus naturalibus, quin in aliquo saltem indiuiduo reuocetur ad actum, aut possit reuocari, ne sit frustrà; talis virtus cõmunicandi non est de essentia animalis, quà animal est, cùm phœnix sit
vniuocè animal cum cæteris animantibus. VII.

Tertiò hæc sententia refellitur: quia non est potior ratio cur ad præcisam rationem filij propriè geniti, requiratur essentialiter, quòd accipiat à patre naturam, vt alteri communicandam, abstrahẽdo à modo, quo potest communicari, puta generationis, spirationis, vel alio, si potest fingi; quàm requiratur, vt filius illã accipiat, vt cõmunicandam alteri per veram, & propriè dictã generationé, quia secundùm hãc sententiã tota ratio istius necessitatis est, quòd filius debeat illam à patre accipere talem, qualis est in patre, vt hoc modo sit ei similis, & procedat in similitudinem naturæ; at hoc non requiritur ad formalem rationem filij propriè dicti, vt patet in secunda persona Trinitatis, quæ tamen secundùm fidem est propriè Filius. Deinde præcisâ per intellectũ virtute spiratiuâ à secunda persona Trinita-
tis, adhuc illa intelligeretur esse verè & pro- VIII.
priè Filius, vt patet in hæresi Græcorum negantium Spiritum sanctum procedere à Filio.

Confirmatur: secunda persona Trinitatis eo formaliter est Filius, quo est formaliter Verbum, ex sancto Augustino libro septimo *de Trinitate* capite secundo, sic dicente, *eo Verbum, quo Filius, & eo Filius, quo Verbum.* Nam istæ particulæ, *eo*, & *quo*, iuxta formulam loquendi Dialecticorum, denotant præcisè formales rationes rei; atqui in hæresi Græcorum, secunda persona Trinitatis non haberet virtutem communicandi essentiam diuinam Spiritui sancto, & tamen adhuc esset formaliter Verbum, quia procederet per verum actum dicendi, & vt sic haberet totam diuinam essentiam; & non tantùm aliquam

I. quasi virtualem partem illius. Tum quia vt A
sic esset omninò consubstantialis primæ per-
sonæ; quod autem est consubstantiale suo
principio debet totam eandem cum illo ha-
bere substantiam seu essentiam; tum quia hæc
secunda persona esset completa, tam in ratio-
ne substantiæ quàm personæ, & proinde con-
staret totali naturâ & subsistentiâ seu relatio-
ne personali: igitur in tali hæresi Græcorum
secunda persona Trinitatis esset propriè Fi-
lius: ergo cùm tunc non posset communicare
Spiritui sancto diuinam essentiā, hæc secunda
persona Trinitatis, non ideò præcisè & for-
maliter est Filius, & eius processio vera &
propriè dicta generatio, quia accipit à Patre
diuinam essentiam, vt communicandam ali-
cui seu Spiritui sancto.

II. Nec satisfacit quod respondent aliqui, hanc
personam *vt Verbum,* non accipere totam es- B
sentiam, sed aliquam duntaxat virtualem par-
tem eius: nam præterquàm quòd id refellitur
ex nunc dictis, potest vrgeri, quòd adhuc non
desineret esse Filius, quia non est de ratione
Filij, quà simpliciter est Filius, etiam vt Filius
abstrahit ab increato & creato, quòd per ge-
nerationem accipiat à Patre totam suam sub-
stantiam seu naturam, sed sufficit quòd ita ac-
cipiat aliquam eius partem, vt ex vi & natu-
ra actionis generatiuæ habeat illā consequen-
ter totam, completam, & integram, eiusdem
speciei, ac est in ipso suo parente: quemadmo-
dum videre est in filio humano, qui ratione
seminis à suo patre decisi, quod est tantùm ali-
qua pars substātiæ patris verè & propriè pro-
cedit ab illo per generationē, & verè, & for-
III. maliter est eius filius: ergo etiam si in ista hy-
pothesi secunda persona Trinitatis acciperet
tantùm aliquam quasi partem virtualem es-
sentiæ diuinæ, quia tamen ita acciperet illam,
vt ex vi, & efficacia suæ processionis formali-
ter consideratæ, acciperet totam illam *con-
sequenter,* non desineret esse propriè & for-
maliter Filius, eiúsque processio esse genera-
tio verè & propriè dicta.

Tandem refellitur; quia scilicet illa proces-
sio secundæ personæ Trinitatis esset generatio
longè imperfectior, quàm sit generatio homi-
num, & secunda persona Trinitatis esset im-
perfectiori modo Filius, quàm homines respe-
ctu suorum parentum; ij enim accipiunt na-
turam à parentibus cum tanta fœcunditate, &
virtute saltem radicali communicandi eam a-
liis, cum quanta parentes eorum habēt illam;
secunda autem persona Trinitatis cum sola
IV. virtute eam duntaxat communicandi per spi-
rationem; cùm tamen pater illam habeat, vt
communicandam per generationem & spira-
tionem; at dicere generationem secundæ per-
sonæ Trinitatis esse imperfectiorē generatio-
ne hominum in ratione generationis est ab-
surdum: quia sicut paternitas primæ personæ
est perfectior, quauis paternitate creatâ in ra-
tione paternitatis, sic etiam & filiatio secundæ
personæ Trinitatis debet esse perfectior qua-
uis filiatione creatâ; vt etiam S. Thomas do-
cet infrà quæst. 33. art. 2. in responsione ad 4.
igitur ratio generationis & filiationis in se-
cunda persona Trinitatis, non attenditur pe-
nes id, quòd hæc secunda persona accipiat
essentiam à Patre, vt communicandam Spiri-
tui sancto.

ARTICVLVS VII. V.

Soluitur fundamentum præcedentis sententiæ Richardi.

AVCTORES aduersæ sententiæ eo vtun-
tur fundamento: quod est de ratione fi-
lij creati & increati, est de ratione filij abs-
tracti ab vtroque; & ex consequenti de for-
mali ratione omnium filiorum, tam per diui-
nam generationem, quàm per creatam possi-
bilium: atqui est de ratione filij creati & in-
creati esse similem producenti, in præcipua
virtute communicandi naturam acceptam
à patre: ergo est de ratione filij, vt filius
est, abstrahendo à creato & increato, esse
similem patri, in præcipua virtute commu-
nicandi alicui naturam acceptam à patre: er- VI.
go erit etiam de formali ratione Filij diuini:
ergo cùm hæc ratio reperiatur in secunda
persona Trinitatis, non item in tertia, hæc
erit sufficiens ratio, cur sit Filius & eius pro-
cessio, generatio, Spiritus sanctus verò mi-
nimè. Maior per se constat.

Minor probatur, & primùm de filio crea-
to, hoc modo: de cuius formali ratione est,
vi suæ generationis accipere animam sensiti-
uam, est de eius formali ratione accipere na-
turam similem producenti, cum virtute com-
municandi eam alteri, quia est de essentia ani-
mæ sensitiuæ esse principium radicale com-
municandi naturam, cùm talis communica-
tio sit operatio substantialis: atqui est de for-
mali ratione cuiuscumque filij creati accipe-
C pere animam seu formam sensitiuam à patre VII.
vi suæ generationis, vt patet in quocumque
animali genito: igitur est de ratione cuius-
cumque filij creati accipere naturam similem
producenti, quo ad virtutem communicandi
illam alteri.

Eadem minor probatur de Filio increato:
est de essentia diuini Filij, quòd accipiat à Pa-
tre diuinam essentiam, vt à se simul cum Pa-
tre communicandam Spiritui sancto; quia
virtus spiratiua, quæ prædicatur de illo quid-
ditatiuè, est omnimodè ab illo indistincta, &
si per impossibile Spiritus sanctus ab eo non
procederet, non esset idem numero Filius,
qui nunc est; & nomen hoc *Filius,* quod pro-
priè conuenit secundæ personæ Trinitatis
est impositum ab hominibus ad significan-
dum eum, qui accipit à suo principio natu-
D ram, vt alteri communicandam: ergo est et- VIII.
iam de essentia Filij increati, quòd accipiat à
Patre naturam, vt à se communicandam ali-
cui alteri.

Confirmatur inductione factâ per omnes &
singulas generationes, per quas terminus, qui
producitur, semper producitur cum virtute
communicandi virtutem alteri.

Respondetur, formalem rationem animæ
sentientis posse considerari duobus modis:
primò *completè* prout illa consideratur tota-
liter, & quatenus coalescit, tam ex secunda-
ria sua ratione, & veluti sibi superaddita,
quàm ex primaria & substantiali. Deinde
potest considerari prout tantùm complecti-
tur primariam suam & sibi intrinsecam for-
malitatem, excludendo secundariam. Si ani-

I. A ma sentiens consideretur *posteriori modo*, non est de tali eius ratione formali, quòd sit principium radicale, & præcipuum communicandi naturam alicui, sed solummodò quòd sit principium sentiendi, seu operationum vitalium vitæ sentientis, intra ipsum viuens, vt rectè intelligitur ex eo, quòd talis communicatio fiat tantùm à natura ex alimento superfluo; nam ipsa generatio respicit ipsum alimentum, vt superfluum, quemadmodum Philosophi docent ad caput quartum libri secundi *de anima*, & in libris *de generatione*: si autem formalis illa ratio animæ sensitiuæ consideretur secundùm eum totalem modum, quem nunc habet in animantibus, sic est de eius formali ratione. Similiter in generatione duplex potest distingui intentio etiam ipsius naturæ, vna *primaria*, altera *secundaria*: *primaria* est producere sibi simile in substātia, *secundaria* est cùm vnumquodq; desideret conseruare seipsum in perpetuum, vbi generans est obnoxium corruptioni, tunc reddere sese immortale in aliis saltem indiuiduis eiusdem speciei à se descendentibus, in quem finem ipsa anima accepit à Deo, non tantùm vim generandi, sed etiam virtutem communicandi alteri suam naturam cum tali virtute: & ratione huius secundariæ formalitatis, & secundariæ intentionis ipsius naturæ generantis, Aristoteles libro secundo *de anima* capite quarto, ait vnicuique viuenti esse naturale procreare sibi simile, vt sic immortalitatem obtineat.

II. B

Iuxta hæc respondemus ad argumentum in forma, esse quidem de formali ratione animæ sentientis, spectata totaliter, & complete, quòd sit etiam præcipuum principium communicandi suam naturam alteri; at id non esse de primaria & substantiali eius ratione formali, sumpta tantùm præcisè; nec item ex primaria intentione naturæ generantis sumpta præcisè, sed tantùm de secundaria, quæ ipsi primariæ est superaddita; quare, si quod animal ita virtute diuinâ generaret aliud sibi simile in natura, cui tamen ipsum generans non communicaret virtutem radicalem producendi aliud sibi simile, tunc animal istud ita productum non desineret esse, & dici filius prædicti generantis, & eius ab illo processio esse, & dici propriè generatio, quia semper esset eiusdem speciei cum suo generante: item & vi suæ processionis ab illo, esset ei similis in forma, & in suo gradu differentiali. Et sanctus Thomas tam hâc præsenti quæstione, quàm sequenti articulo quinto, hanc similitudinem formæ postulat in generatione. Ad confirmationem ibi petitam ab inductione facta per omnia animantia respondetur ex dictis, istud prouenire ex secundaria tantùm formalitate animæ sentientis, quæ secundaria formalitas propter bonum speciei, reperitur in omnibus indiuiduis animalium, & non ex primaria eius formalitate sumpta præcisè, nec ex primaria intentione ipsius generationis sumpta etiam præcisè.

III. C

IV. D

Ad rationem quæ ibi subiungitur ad probandum idem de Filio increato respondetur, Filium in diuinis vi quidem generationis accipere à Patre diuino essentiam, vt communicandam Spiritui sancto, non tamen primariò, & ex præcisa ratione generationis, quâ generatio est, loquendo abstractè, sed secundariò & ex præcisa tantùm ratione generationis, vt est hæc in particulari, per quam diuina essentia communicatur necessariò talis Filio, qualis est in seipsa, & cum iis omnibus in quibus non opponitur relatiuè Patri, de quorum numero est virtus actiua spirandi; sicque diuinam filiationem secum aduehere vim spiratiuam, vt ampliùs explicabitur infrà. V.

Ad probationem eiusdem minoris, prout illa procedit de Filio increato, petitam à virtute spiratiua, quæ dicitur prædicari quidditatiuè de Filio Dei, & esse omninò indistincta ab illo, respondetur Filium Dei posse considerari duobus modis: primò præcisè, vt duntaxat est Filius, & præscindit à ratione spiratoris: VI. secundò vt est Filius & simul spirator cum Patre; si virtus spiratiua consideretur priori modo, non prædicatur quidditatiuè de illo, cùm etiam nunc vt est in illo, sit distincta virtualiter ab eius filiatione, vt infrà docebitur; si autem Filius Dei spectetur vt etiam est spirator, tunc est de quidditate illius, sicut omnia constituentia formalia sunt de formali ratione entis, quod in esse totali constituunt formaliter: quare sicut filiatio & spiratio actiua fundant duos conceptus obiectiuos à se inuicem virtualiter distinctos, & extra sese inuicem, sic etiam Filius diuinus, quâ præcisè Filius & solâ vi suæ filiationis præcisè & duntaxat secundùm se consideratæ non habet, vt possit aliis communicare naturam diuinam acceptam à Patre per generationem, aliàs virtus spiratiua, quam diuina filiatio, vt est hæc, aduehit secum, esset in illo superflua. VII.

Ad secundam rationem minoris respondetur, quòd quamuis in tali hypothesi Filius diuinus non esset omninò idem numero, qui nunc est, attamen semper esset Filius, cùm procederet viuens à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ: quâ autem ratione tunc persona Filij & Spiritus sancti esset vnica, explicabitur inferiùs contra Græcos quæstione 35.

Ad tertiam rationem minoris petitam ab hoc nomine *Filius*, respondetur imprimis falsum esse, nomen hoc ex primaria sua impositione fuisse institutum ad tale significatum: si tamen Latinè consideretur, accepit suam significationem ab amore patris ad filium, vel vt alij volunt à fiducia, quòd parentes nulli magis fidant, quàm suis filiis: at hoc vtrumque rectè saluatur sine consideratione, quòd filius acceperit à patre suam naturam, vt communicandam alteri, præsertim cùm mulus, qui caret hâc virtute communicandi, & ij, qui à natura sunt Eunuchi, non desinant appellari filij. Deinde respondetur: etiam si vera esset impositio hæc, tamen non esset aliquod efficax argumentum, cùm res non semper accipiant sua nomina à propria formali sua ratione, sed plerumque ab aliqua earum proprietate, aut aliquo alio earum essentiæ extrinseco, vt quilibet potest facilè animaduertere in variis nominibus. VIII.

I.
ARTICVLVS VIII.

Reiicitur ratio Scoti.

SCOTVS primo sententiarum distinctione 13. censet processionem Filij esse seipsâ talem, & processionem Spiritus sancti esse seipsâ talem, vt scilicet non sit generatio, sed tantùm spiratio; verùm hæc responsio videtur potiùs fugere difficultatem quàm soluere. Et refellitur ex eo, quòd ambæ illæ processiones in eo conueniant, quòd sint immanentes, quòd sint vitales, quòd, per vtramque illarum, eadem numero diuina natura communicetur, & distinguantur in eo, quòd vna illarum sit generatio propriè dicta, alia verò minimè: ergo aliquid debet inesse vni & in alia
II. non reperiri, ratione cuius sit propriè generatio, non item posterior, & hoc est quod inquirimus.

ARTICVLVS IX.

Refellitur ratio Torrensis.

TORRENSIS hâc quæstione S. Thomæ, Vasques ibidem, & nonnulli recentiores censent Verbũ in diuinis dici generari, & esse Filium, quia ex vi suæ processionis est substantialis imago Patris, vt infrà docebitur; at verò Spiritus sanctus non item: est autem de ratione Filij, vt sit imago Patris; nam imago est expressa repræsentatio eius, quod est principium à quo emanat imago, sed secunda persona Trinitatis ex vi suæ processionis est Verbum, & Verbum est similitudo expressa eius,
III. quod est in ipso intelligente: ergo secunda persona Trinitatis est imago, & proinde Filius: Spiritus sanctus verò minimè, quia procedit per voluntatem, vt amor, qui ex se, & natura sua non est ad repræsentandum, sed ad inclinandum; ideóque isti auctores volunt particulam hanc definitionis generationis *in similitudinem naturæ*, idem sonare ac per modum imaginis, repræsentantis eum à quo procedit.

Probant suam sententiam ex eo, quòd filij sint ad repræsentandum patrem ratione suæ substantiæ, quam ab eo acceperunt; vnde si aliquis detur similis alteri in substantia, & lineamentis externis, si tamen non procedat ab eo, non dicetur imago illius, quia non fuit ordinatus ad eum repræsentandum, vi suæ
IV. productionis, nec accepit ab illo suum esse, & cùm Filius in diuinis ita procedat per intellectionem Patris, vt etiam ex vi suæ processionis exprimat & repræsentet totam eius substantiam, Spiritus sanctus verò minimè, sola secunda persona Trinitatis dicetur Filius, & generari, tertia verò minimè.

Verùm hæc sententia refellitur: nam nihil constituitur in sua formali ratione per aliquid illâ posterius, est enim formalis ratio primùm in qualibet re; at ratio imaginis est aliquid posterius ipsâ filiatione tam in Verbo diuino, quàm in quolibet alio filio. Maior patet: minor probatur primò auctoritate sancti Augustini libro quæstionum *in Deuteron.* quæstione quartâ, ita loquentis de quouis filio: si autem patris filius similis sit, etiam imago rectè dicetur, vbi nomine *similitudinis*, intelli-

A git eandem saltem specie naturam, & ex illa vt à patre accepta infert filium rectè dici imaginem patris, quatenus imago est velut quædam proprietas consequens necessariò similitudinem naturæ acceptæ per generationem. V.

Probatur item ratione: prius est accipere ab alio suam naturam, quàm illum in eadem natura repræsentare, quia omne fundamentum præintelligitur eo cuius est fundamentum, & ipsum accipere eandem naturam ab alio, est fundamentum talis repræsentationis; at ipsum accipere suam naturam ab alio constituit filium: ipsum verò repræsentare constituit imaginem illius: ergo prius est aliquem esse filium alicuius, quàm esse imaginem illius, & proinde præcisa ratio imaginis non est prima ratio, cur secunda persona Trinitatis sit Filius.

Deinde secunda persona Trinitatis eo mo- VI.
B do (iuxta hanc sententiam) est Filius, quo Verbum est expressa imago intelligentis, & quo modo intellectus ex vi suæ intellectionis tendit ad efformandum imaginem rei intellectæ, quia fundat rationem talis imaginis in tali repræsentatione efformata per intellectum vi suæ intellectionis, quà est intellectio: atqui talis repræsentatio & imago non est sufficiens ad constituendum aliquid formaliter in esse filij propriè dicti: igitur neque secunda persona Trinitatis erit propriè Filius, ex eo quòd tali modo sit imago Patris. Maior satis patet ipsâ explicatione huius sententiæ. Minor probatur: quod est constitutiuũ Filij in esse Filij à Patre, debet esse aliquid substãtiale, ratione cuius Filius procedat à Patre in similitudinem naturæ, vt sanctus Thomas ex-
C presè docet libro quarto *contra gentes* capite vndecimo, quia Filius, quà Filius est substantialis imago Patris, & non tantùm intentionalis, vt patet in Angelis, & nobis, in quibus Verbum mentis non potest dici *Filius* propriè, vel *generari*, non item est artificialis, vt patet in imagine, quâ pictor aliis seipsum repræsentat in tabella, quæ non potest etiam dici eius filius: atqui imago & repræsentatio illa intelligentis, in quam, vt efformandam, vi suæ intellectionis, intellectus tendit, est tantùm intentionalis, & non substantialis, quia intellectus, vt intellectus, solummodo tendit in hanc imaginem: igitur talis imago non est aliquod sufficiẽs constitutiuum Filij in esse Filij: igitur nec per talem rationem imaginis secunda persona Trinitatis con- VII.
D stituitur formaliter in esse Filij propriè dicti. VIII.

Dices talem imaginem in diuinis esse necessariò substantialem, quia quidquid est in Deo est substantiale, & est etiam Deus.

Sed hæc responsio refellitur; nam talis imago potest duobus modis intelligi esse *substantialis*; primò *formaliter & intrinsecè*, considerando illam tantùm præcisè quatenus procedit per intellectum, abstrahendo ab eo quòd sit à tali intellectu, in particulari, nimirum diuino: secundò *extrinsecè* tantùm, & ratione solius subiecti in quo est, quod subiectũ ex sua speciali natura talis est conditionis, vt postulet quidquid est in illo, esse necessariò substantiale, & sibi identificatum: atqui imago illa in quam intellectus diuinus tendit, vt efformandam vi suæ intellectionis, non est formaliter & intrinsecè substantialis, quia

I. aliàs quilibet intellectus etiam creatus, dum intelligit, tenderet in talem imaginem substantialem, cùm intellectio quatenus præcisè intellectio, reperiatur in illis, à quibus tamen substantialis imago non producitur, quin potiùs talis imago in Deo est tantùm substantialis *extrinsecè*: at imago, quæ tantùm *extrinsecè* est substantialis, non est sufficiens ad constituendum Filium in esse Filij propriè dicti, etiam in diuinis: nec ad constituendum discrimen inter processionem Filij & processionem Spiritus sancti, vt sanctus Thomas expresè tradit, præsenti quæstione articulo quarto in responsione ad primum, dum ait, *ex parte illius vnitatis, quâ in diuinis omnia sunt vnum, non posse accipi propriam rationem huius vel illius processionis diuinæ*, quia diuinæ processiones debent à se inuicem distingui per aliquid sibi non commune: igitur neque secunda persona
II. Trinitatis est propriè Filius, ex eo quòd sit substantialis imago, in quam diuinus intellectus tendit efformandam vi suæ intellectionis.

Atque ex his fundamenta huius sententiæ facilè intelliguntur esse soluta.

ARTICVLVS X.

Examinatur ratio quorumdam Thomistarum.

NONNVLLI discipulorum sancti Thomæ hâc quæstione & primo sententiarum distinctione 13. necnon Ferrariẽsis lib. 4. *contra Gentes* cap. 11. existimãt processionem secundæ
III. personæ Trinitatis esse generationem propriè dictam, quia est per intellectum; processionem verò tertiæ personæ non item, quia est per voluntatem, ex eo quòd illud, quod procedit per intellectum, procedit formaliter, & ex vi suæ processionis simile intelligenti, vt informato specie impressâ: nam intellectio tendit ad similitudinem expressam seu Verbum: quod autem est per voluntatem, non est simile volenti, vel voluntati, sed tantùm est quidam impulsus; ideóque cùm Pater diuinus producat suum Filium per intellectum informatum diuinâ essentiâ tamquam specie impressâ, producit illum sibi similem, & proinde Filium; at verò Spiritus sanctus, quia procedit per voluntatem, de cuius formali ratione non est producere similitudinem sui vel rei amatæ,
IV. sed tantùm impulsum in rem amatam, non producitur ex vi suæ productionis similis Patri & Filio, nec proinde dicitur genitus vel Filius.

Verùm sententia hæc refellitur; quia quando ait intellectum producere terminum sibi similem, aut id intelligit de intellectu, vt intellectus est, ita vt omnis processio per intellectum, sit productiua termini similis ipsi intellectui in natura, aut tantùm intelligit id de hoc intellectu particulari; nimirum diuino, seu quatenus est Dei: primum non potest dici, nam quod conuenit intellectui vt intellectus est, debet conuenire omni & cuilibet intellectui, sicut quod est de ratione animalis, vt est animal, debet inesse cuilibet animali; at esse productiuum termini sibi similis in natura, non conuenit omni & cuilibet intellectui, vt patet in nostro & Angelorum intellectu,

A qui producit similitudinem duntaxat obiectiuam, & intentionalem: secundum etiam dici non potest, quia vt iam obseruauimus ex sancto Thoma processio Filij debet esse substantialis generatio formaliter *intrinsecè*, & non solùm *extrinsecè* seu vi sui subiecti: atqui intellectus diuinus habet tantùm *extrinsecè*, quòd producat sibi simile substantialiter, vt iam obseruatum est: ergo secũda persona Trinitatis vt producta per intellectum Patris diuini non potest ex eo habere, quòd propriè sit Filius, & eius processio sit propriè generatio. Deinde eodem modo conuenit diuinæ voluntati producere sibi simile in substantia, quatenus scilicet est talis voluntas seu diuina: igitur eodem iure processio Spiritus sancti erit propriè generatio, & Spiritus sanctus erit propriè Filius, quod est hæreticum. V.

B Dices intellectioni diuinæ quatenus intellectio est, conuenire, vt sit productiua termini sibi similis, quod non conuenit voluntati, seu volitioni. Respondetur terminum illum esse tantummodo similitudinem *obiectiuam*, non substantialem, vt ostendimus; quam tamen substantialem generatio propriè dicta necessariò requirit, vt patet ex dictis circa eius definitionem. VI.

Sed si instes: saltem intellectioni, vt intellectio est, non repugnat, vt ex eius vi simile etiam in natura procedat, vt patet in intellectione diuina; id autem repugnare processioni per voluntatem.

Respondetur aliquem posse simili modo dicere processioni per voluntatem non repugnare producere sibi simile, quia id reperitur in volitione diuina: ergo quemadmo-
C dum rectè negamus processionem Spiritus sancti esse generationem, licet quatenus est talis, conueniat ei producere sibi simile in natura; sic etiam negabimus processionem secundæ personæ esse generationem, ex eo præcisè, quòd quatenus est talis, seu talis subiecti, tendit in similitudinem naturæ. VII.

Obiicitur primò: ad rationem generationis consideratæ secundùm se requiritur tantùm, quòd eius terminus sit ex vi & natura sua similis agenti secundùm rationem agendi formaliter: atqui in diuinis secunda persona est ex vi & naturâ suâ similis Patri, & habet hanc similitudinem secundùm rationem, quâ Pater est formaliter producens, quia Pater est producens vt intelligens, & vt intelligens producit Verbum sibi simile; secunda autem persona
D Trinitatis producitur vt Verbum; ergo secunda persona Trinitatis, ex vi solius intellectionis, quatenus importat similitudinem ad suum principium, erit Filius, & eius processio, erit generatio. VIII.

Respondetur negando maiorem, si illa, vt debet, intelligatur de generatione propriè dicta. Nam ostendimus requiri in illa similitudinem substantialem seu in natura; aliàs enim nostræ, & Angelorum intellectiones essent generationes propriè dictæ, quod sanctus Thomas hîc articulo secundo ad secundum negat.

Obiicies secundò: quando principium elicitiuum cognitionis est accidentale, item quãdo species supplens vicem obiecti est similiter accidentalis, tunc terminum talis cognitionis esse duntaxat accidentalem; & talem similitu-

I. dinem esse tantùm accidentalem: ergo quando principium elicitiuum, aut quasi elicitiuum cognitionis, est substantia, & id quod in tali cognitione sese habet ad instar speciei impressæ est substantia, tunc terminus, qui producitur per talem cognitionem debet esse substantialis; sed in mysterio Trinitatis principium quasi elicitiuum primæ processionis est substantia, quia est diuina essentia, & secunda persona Trinitatis, quæ est terminus per talem cognitionem productus est substantia: ergo similitudo substantialis, proindéque eius processio ex tali ratione erit generatio propriè dicta.

Respondetur, eam obiectionem probare tantùm talem similitudinem in diuinis esse quidem substantialem *identicè*, sed non probare esse talem *formaliter & intrinsecè*, quod
II. tamen requiritur ad veram generationem: si enim ad habendum formaliter & intrinsecè similitudinem requisitam ad generationem, sufficiat habere principium substantiale & terminum item substantialem, reuera Spiritus sanctus erit genitus, eius processio generatio, quia ista omnia reperiuntur ibi, voluntas & volitio, quæ est quid substantiale in Deo, item bonitas Dei, quæ est obiectum amoris, quo producitur Spiritus sanctus, & denique Spiritus sanctus est substantialis: ergo ad rationem generationis, aliquid ampliùs requiritur, nimirum vt terminus procedat à suo principio sub ratione formali & intrinseca suæ naturæ, quemadmodum patet ex dictis. Vnde cùm iuxta opinionem, quam hîc refellimus, intellectio non sit de ratione intrinseca diuinę naturæ, sed sit aliquid, nostro modo conside-
III. randi, supponens illam iam constitutam, non magis efficiet, vt processio secundæ personæ sit generatio, quàm processio Spiritus sancti. Hæc enim longè distinguuntur (*in diuinis esse substantiale*, & *esse formaliter naturam diuinam*) nam & diuinæ personalitates sunt rationes substantiales, nec tamen includuntur in formali conceptu naturæ diuinæ, prout à nobis concipitur in ratione essentiæ, & propterea ex eo quòd aliquid est substantiale in Deo, non benè colligitur esse de intrinseca ratione naturæ diuinæ, sed tantùm esse *identicè* naturam & essentiam diuinam: eodem modo, licet intellectualis similitudo & essentialis sunt idem realiter in diuinis, quia tamen nostro modo considerandi, cum fundamento in re, ratio vtriusque est distincta, non benè col-
IV. ligitur ex tali identitate intellectionem illam, quatenus intellectio est, esse formaliter assimilatiuam termini in substantia, & natura, cùm istud tantùm ei conueniat extrinsecè, identicè, & ratione subiecti.

Neque ex eo quòd Verbum diuinum est adæquatus terminus diuinæ cognitionis, potest rectè colligi, illud debere esse, quoad suam naturam, simile ipsi intelligenti. Nam & Angelus, cùm seipsum comprehendit per suam substantiam sese habentem ad instar speciei impressæ, producit verbum mentis adæquatum suæ cognitioni comprehensiuæ, nec tamen verbum istud est ipsi Angelo simile in natura.

Atque eodem modo refellitur illa ratio, quâ Ferrariensis suprà defendit hanc sententiam, dum ait processionem Verbi diuini posse

A considerari duobus modis; primò absolutè quatenus est processio per intellectum. Deinde quatenus est processio perfectissimi Verbi; ex primo habere, quòd sit similitudo, ex secundo quòd sit substantialis, & ita esse generationem propriè dictam. V.

Refellitur inquam eodem modo, quia considerare intellectioné vt perfectissimã, vel est idé ac considerare illã vt est diuina, vel vt est in genere intellectionis: si cõsideretur priori modo, verum quidé est illam habere, vt producat terminum similem in substantia, sed tamen id tantùm habet extrinsecè & non formaliter, vt suprà est explicatum, quod non sufficit ad rationem generationis: si consideretur secundo modo, postulat tantùm vt, quemadmodum est perfectissima in ratione intellectionis, sic habeat similitudinem obiectiuam & intentiona- VI.
B lem quàm perfectissimam, quia intellectio vt intellectio facit tantùm similitudinem obiectiuam.

Eodem etiam recidit illa quorumdam recentiorum explicatio, scilicet intellectum abstrahendo ab intellectu creato & increato, habere pro ratione formali suæ intellectionis exprimere similitudinem rei cognitæ; abstrahendo à naturali & intentionali, prout verò contrahitur ad increatum, quia ille loco speciei impressæ vtitur diuinâ essentiâ infinitâ realiter sibi vnitâ per modum obiecti, habere pro sua formali ratione quasi specifica producere similitudinem naturalem & substantialem, creatum autem intellectum ob conditiones omninò oppositas habere ex sua formali
C ratione, vt producat similitudinem duntaxat intentionalé, sicque secundam personam Trinitatis ex vi suæ productionis esse similitudinem substantialem, & propriè Filium; voluntatem autem, quia ex sua formali ratione non est assimilatiua rei amatæ, sed tantùm pondus quoddam & aliquam inclinationem in rem amatam producit, non generare; ideóque cùm Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio per voluntatem seu volitionem, processionem eius non esse generationem, nec illum esse Filium. VII.

Eodem inquam recidit hæc responsio, & refellitur eodem modo: nam sicut in hac sententia intellectus consideratur vt abstrahens ab increato & creato, sic & voluntas potest considerari vt abstrahens ab increata & creata, quemadmodum intellectus vt abstrahens
D habet vi suæ cognitionis facere sibi simile, sic voluntas amans habet facere amantem vnum cum re amata, & eâ vnitate omnium perfectissimâ, quæ ei sit possibilis, vt sanctus Thomas docet primâ secundæ quæstione 28. articulo 1. in responsione ad secundum ex Aristotele libro secundo *politicorum* cap. 20. confirmante istud testimonio Aristophanis dicentis, *amantes desiderare ex ambobus fieri vnum*: sicque amor vt abstrahens à creato & increato tendit ex præcisa sua formali ratione in identitatem naturæ amantis cum re amata: item sicut intellectus potest tantùm facere quatenus est creatus, similitudinem intentionalem, vt verò est entis increati, habet facere similitudinem naturalem & substantialem vt omnium perfectissimam; ita & voluntas, vt est creata, habet tantùm tendere in rem amatam per affectum, & ex vi sua & formali ratione producere dun- VIII.

I. taxat aliquod pondus & quendam impulsum in rem amatam, vt autem est increata, habet modo longè perfectiori tendere in rem amatam, scilicet ad vnitatem eiusdem numero naturæ, seu ex vi sua propria tendere in productionem termini, eiusdem planè naturæ & substantiæ, cum duabus personis diuinis sese mutuò amantibus. Sicque iuxta hunc modum ratiocinandi Spiritus sanctus tam benè erit Filius Patris & Filij, item eius processio generatio propriè dicta, quàm secunda persona Trinitatis sit Filius, & processio eius sit generatio; quod est hæreticum.

Confirmatur: quia secundùm hunc explicandi modum omnis illa processio, quę ex formali generica ratione tendit in similitudinem cum principio producente, & ex speciali sua ratione contrahente genericam tendit in similitudinem naturalem & substantialem est generatio propriè dicta; at processio per voluntatem ex formali ratione generica tendit in similitudinem sui termini faciendam cum suo principio producente, vt patet ex citato testimonio sancti Thomæ referentis Aristotelem & Aristophanem, & etiam ex ipsa generatione Filij diuini, quæ, quia est ad eandem numero essentiam Filio communicandam, eo etiam censetur generatio esse perfectior, & præterea in diuinis processio Spiritus sancti per voluntatem ex speciali sua ratione contrahente genericam tendit ad producendam similitudinem naturalem & substantialem, quia tendit ad vnitatem faciendam Patris & Filij (qui sunt res amata) in Spiritu sancto, vt docet modus orandi Ecclesię, quo terminans suas orationes profitetur Patrem & Filium viuere & regnare *in vnitate Spiritus sancti*; igitur quo iure propter istam sententiam recentiorum processio Filij est generatio propriè dicta, eodem processio Spiritus sancti, erit generatio, quod est hæreticum.

II.

III.

Neque responderi potest illud sancti Thomæ, Aristotelis, & Aristophanis relatum suprà intelligi tantùm de vnitate vel identitate morali, seu per affectum, maximè cùm obiectum amatum non concurrat ad actum amoris, nisi in ratione finis, & metaphoricè; obiectum verò, quod debet cognosci, concurrat realiter simul cum potẽtia ad cognitionem, per seipsũ, vel per speciem sui: vnde cùm obiectum vel ipsa eius species sit ipsi intellectui ratio per quã agat, & intellectus producat illam similitudinem talem, qualis ipse & eius forma sunt, item cum tanta similitudine seu identitate, cum quanta natura ipsius, & forma per quam agit, & conditio vnionis illorum patiuntur; intellectus autem Patris diuini sit substantia, vel aliquod substantiale, similiter & forma, per quam intelligit (hæc enim est diuina essentia, ei quasi vnita ad instar speciei impressæ) producet ex vi sibi propria similitudinem naturalem seu terminum substantialem sibi similem in natura; sicque hæc processio erit propriè generatio, non item processio Spiritus sancti, cùm sit duntaxat per voluntatem, de cuius ratione non est, quòd obiectum concurrat realiter, sed tantùm metaphoricè ad actum amoris.

IV.

Hoc inquam non potest responderi: nam imprimis quod spectat ad auctoritatem sancti Thomæ & dictum Aristophanis ab eo relatum

A ex Aristotele, qui legerit nudum textum sancti Thomæ, videbit eum loqui, & simul etiam intelligere istud Aristophanis *de identitate in natura*, seu *reali*, quòd scilicet amor perfectissimus in quantum talis, tendit quantum potest & patitur sua conditio, & eius, qui amat, in vnitatem realem amantis cum re amata: & quòd hæc vnio sit tantùm per affectum in nobis, prouenire ex particulari conditione tam amantis, quàm amati, quatenus ex amore sic terminato ad realem identitatem vel vnitatem sequitur alicuius eorum destructio; hanc enim ibi tradit rationem, propter quam hæc identitas non habeat locum in amore creato, quæ exceptiua ratio aliàs esset nulla: vnde in corpore articuli, referens hanc definitionem amoris ex sancto Augustino, *amor est quasi iunctura quedam, duo aliqua copulans vel copulare appetens*, notat expresè primâ istâ particulâ (*aliqua copulans*) denotari vnionem per affectum: per istam (*copulare appetens*) denotari vnionem realem amantis cum re amata, quam amor, quantum est in se, desiderat & requirit. V.

B VI.

Neque actus amoris impeditur tendere in vnitatem realem cum re amata, seu facere vt amans sit realiter cum obiecto amato, ex eo, quòd hoc obiectum moueat tantummodo *metaphoricè*, & in genere causæ finalis. Nam bonitas increata & diuinæ personæ Patris & Filij, vt sunt obiectum amoris illius, quo spirant Spiritum sanctum, in quo Spiritu sancto tanquam termino sunt vnum, non mouent diuinam voluntatem nisi metaphoricè, & in genere causę finalis: ergo tendentia potentię aut actionis eius, vel quasi actionis in vnitatem vel identitatem realem cum obiecto, non prouenit à concursu reali ipsius obiecti cum potentia ad actum sibi correspondentem, vel saltem hæc tendentia in realem identitatem amantis cum amato, non impeditur per carentiam concursus realis ex parte obiecti ad actum.

C VII.

Deinde ad id, quod dicitur ibi speciem impressam esse rationem, per quam intellectus agit, & eam semper producere tantam & talem similitudinem, quanta & qualis est ipsa species, respondetur speciem impressam non esse intellectui principium formale intelligendi, sed hoc tantùm sensu esse illi rationem agendi, quatenus illum determinat ad cognoscendum obiectum, quod repræsentat potiùs, quàm aliud, & quod per intimam sui assistentiam faciat, vt intellectus sit expeditus ad cognoscendum illud, at hoc vtrumque præstare intellectui, non infert simul etiam dare illi, vt producat talem & tantam similitudinem, in entitate reali substantiali vel accidentali, in tali & quanta est, vel ipsa species impressa, vel id quod in cognitione habet se ad instar speciei impressæ, vt iam animaduertimus in ea cognitione, quâ Angelus seipsum cognoscit per suam substantiam: sed quemadmodum species impressa vt talis est, habet aliquod esse intentionale, & vt sic concurrit ad cognitionem & productionem termini eius, concursu quidem reali, sed duntaxat intentionali seu obiectiuo, quatenus mouet intellectum & simul cum illo concurrit ad efformationem similitudinis intentionalis, seu repræsentationis in esse intelligibili eius rei,

D VIII.

I. cuius est species, sic etiam quando aliqua substantia creata vt in Angelo, vel increata, vt essentia diuina in cognitione Patris diuini sese habet ad instar speciei impressæ, licet sit maximè realis & substantialis quoad suam entitatem, quia tamen ibi solùm sese habet ad instar speciei impressæ, debet ex hac præcisa sua ratione solummodo tendere in similitudinem intentionalem proportionatam intellectui & speciei impressæ. Nam adæquata & formalis ratio verbi est, esse expressiuum totius esse intelligibilis ipsius obiecti, seu intelligibiliter repræsentare obiectum, sícque cognitio Patris diuini, quatenus præcisè est cognitio, & consideratur formaliter, postulabit tantùm perfectissimam similitudinem intentionalem, realem verò & substantialem duntaxat identicè & ratione subiecti.

II. Neque his obstat, quòd species impressa, vel quod se habet ad instar illius, concurrat simul cum intellectu ad cognitionem, iuxta vulgare illud, *cognitio à potentia & obiecto paritur*, intellectus autem concurrat actiuè realiter eliciendo illam, & non tantùm intentionaliter. Nam dictum istud est quidem verum, sed ita, vt potentia & species obiecti concurrant ad cognitionem concursu distincti ordinis essentialiter: quemadmodum Scotus rectè animaduertit libro primo sententiarum distinctione tertiâ quæstione septimâ, & patet ex eo, quòd si essent eiusdem ordinis, potentia non absolutè indigeret concursu speciei: posset enim concursus intellectus intendi, & sic intellectus cognoscere absque obiecto vel specie, & cùm vnumquodque influat secun-

III. dum proprium esse, quod vt sic habet, & species impressa vt sic, habeat esse duntaxat intentionale, producet tantùm similitudinem intentionalem; sícque diuina essentia vt habet se ad instar speciei impressæ in cognitione Patris diuini, non tendet formaliter & intrinsecè, sed tantùm extrinsecè in similitudinem naturalem & realem.

Articvlvs XI.

Assertur ratio probabilior, propter quam processio Filij sit generatio, non autem processio Spiritus sancti.

Reiectis aliis Scholasticorum rationibus tanquam minus probabilibus, restat, vt eam, quæ nobis in re tam difficili probabi-

IV. lior, quæque minores patitur difficultates, magísque videtur satisfacere, explicemus; quod duabus propositionibus & earum explicatione præstabimus: quarum hæc sit

Prima propositio. *Radix eius discriminis, quod est inter processionem secundæ personæ Trinitatis, & processionem tertiæ, seu quare ista propriè generatio sit, hæc verò minimè, est quòd prior sit per intellectionem, posterior per volitionem.* Ita sanctus Augustinus relatus suprà, & omnes ferè Scholastici.

Probatur: ratio distinguendi processiones vitales est per vitale illarum principium, & formalem terminum earum, quatenus scilicet principium vnius communicationis est ita distinctum à formali principio sequentis processionis, vt tendat in suum terminum, sub alia formali ratione, quàm alia processio sequens,

A & quatenus habet etiam alium formalem terminum, vt patet in nostris emanationibus intellectus & voluntatis, & ex omnibus Philosophis, vbi agunt de vitalibus actionibus & formali earum distinctione: at formale principium illius communicationis naturæ diuinæ, quæ reperitur in processione secundæ personæ Trinitatis, est intellectio, formale autem principium illius communicationis diuinæ naturæ, quæ reperitur in processione tertiæ personæ est volitio, vt suprà ostendimus contra Durandum, & terminus primæ processionis vt sic habet aliam formalitatem, quàm terminus secundæ processionis habeat; item intellectus sub alia formali ratione tendit in suum obiectum & terminum, & ipsa etiam volitio sub alia: quemadmodum omnes Philosophi

B docent de omni intellectione & volitione, &

VI. omnes Theologi admittunt de intellectione & volitione diuinis: igitur prima radix eius discriminis, quod est inter processionem secundæ personæ Trinitatis, & processionem tertiæ, est quòd prior sit per intellectum, & posterior per voluntatem.

Secunda propositio. *Proxima radix* seu *ratio propter quam processio secundæ personæ Trinitatis* (quæ est per intellectionem) *est generatio, & terminus eius Filius, est quòd secunda persona Trinitatis procedat à Patre per intellectum sub ratione actualis intellectionis per essentiam; Spiritus sanctus verò per voluntatem, sub ratione amoris actualis: actualis autem intellectio sit veluti vltima & constitutiua differentia naturæ diuinæ: amor verò supponit naturam diuinam veluti constitutam.* Ita Suares *in metaphysicis,*

C disp. 13. sectione 15. num. 12. & sequentibus VII.

item libro 11. *de Trinitate* capite 5. & plures interpretes sancti Thomæ hâc eius præsenti quæstione; imò aliqui ex auctoribus præcedentium sententiarum articulis præcedentibus reiectarum, existimarunt eam esse omnium facillimam, & eo duntaxat titulo non amplectuntur illam, quòd non satis penetrent rationes eius; & videtur esse sancti Thomæ hâc quæstione articulo secundo, quando ait *ipsum esse Dei, esse eius intelligere*, & eamdem naturam, quæ est in Patre, communicari Filio ex vi suæ processionis, seu quia procedit per intellectum: vt enim hæc ratio probet efficaciter intentum, debet necessariò accipi in sensu maximè *formali* & non tantùm *identico*, ita vt sanctus Thomas velit ideò Patrem in diuinis producere secundam personam Trinitatis

D generatione propriè dictâ, seu *formaliter in similitudinem naturæ diuinæ*, quia producit illam VIII.

sub ratione actualis intellectionis per essentiam, quæ actualis intellectio est de formali & intrinseco conceptu naturæ diuinæ, de quo tamen ipsa volitio, per quam Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, non est, vt fusiùs deduximus suprà ad quæstionem 14. sancti Thomæ.

Est autem imprimis præmittendum nos hîc per *intellectionem actualem per essentiam*, intelligere duntaxat essentialem, prout hæc præscindit à quocumque notionali, tum quia vt essentia diuina considerata in præciso suo conceptu, abstrahit à notionalibus & secundùm aliquam considerationem est prior illis; sic etiam & id quod constituit illam formaliter *in esse quasi specifico* (cuiusmodi est id quod

I. habet rationem quasi differentiæ eius) debet A
esse, vt sic purè essentiale & absolutum: & quemadmodũ diuina essentia loquendo propriè vt sic præcisè sumpta, communicatur tota, etiam specificè considerata, à Patre & Filio per spirationem Spiritui sancto; ita etiam & actualem intellectionem per essentiam eidem Spiritui sancto communicari, eo planè modo & formali ratione, quâ essentia diuina ei communicatur.

Præmittendum secundò, hanc actualem intellectionem per essentiam, non constitui à nobis talem differentiam præcisè, quâ est actualis & talis per essentiam, quia & volitio Dei est & actualis, & talis per essentiam, sed per *præcisam suam rationem actualis intellectionis*, nam vt ei additur hæc particula, *per essentiam*, distinguitur ab omnibus intellectionibus rerum creatarum; vt verò dicitur *intel-*
II. *lectio* distinguitur ab omnibus aliis gradibus, B
qui possunt reperiri in diuina essentia, quique consistunt in simplici & valde pura actualitate etiam intra suum genus per essentiam, qui tamen gradus, quia vel tenent se ex parte diuinæ essentiæ consideratæ quasi *genericè*, vel ex parte graduum vlteriorum, qui supponunt essentiam diuinam iam constitutam in suo esse quasi specifico naturæ diuinæ, non possunt sibi vendicare hanc rationem quasi differentiæ in essentia diuina: his prænotatis,

Secunda propositio probatur: tunc propriè & verè est generatio, quando producens communicat termino producto suam naturam, sub ea vltima differentia, quâ iste producens constituitur in sua natura: at Deus Pater
III. communicat formaliter naturam diuino Fi- C
lio, sub ratione actualis intellectionis *per essentiam*, quatenus actualis illa intellectio per essentiam est vltima veluti differentia constitutiua naturæ diuinæ, Pater verò & Filius communicant Spiritui sancto naturam diuinam per voluntatem, sub ratione amoris; amor autem non constituit naturam diuinam; sed potiùs illam supponit iam constitutam: igitur processio Filij in diuinis est propriè generatio; Spiritus sancti processio non item: & huius discriminis ratio proxima est, quòd secunda persona Trinitatis procedat sub ratione actualis intellectionis per essentiam, quæ est veluti vltima differentia naturæ diuinæ, processio verò Spiritus sancti sub ratione amoris,
IV. qui supponit naturam iam constitutam. Ma-
ior probatur ex dictis suprà circa definitio- D
nem generationis, vbi ostendimus similitudinem in natura requiri ad illam, ita vt generatio sit via ad naturam sub illa formali ratione, & vltimò constitutiua, quâ est in ipso producente.

Quòd autem generatio etiam in diuinis debeat esse talis, & quòd non sit alia ratio diuinæ generationis, quoad hoc, & generationis substantiarum corruptibilium, patet ex sancto Thoma infrà quæstione 33. articulo 2. in solutione ad quartum, vbi ait nomen generationis & paternitatis dici propriè de Deo, & quantum spectat *ad rem significatam*, priùs dici de Deo, quàm de creaturis, & cùm res significata per hoc nomen *generatio* sit processio substantiæ viuentis à viuente principio in similitudinem naturæ, seu sit communicatio

naturæ sub ea formali ratione, & differentia V.
constitutiua sub qua est in ipso producente, etiam generatio in diuinis debebit esse communicatio naturæ diuinæ, sub eâ vltimâ veluti differentiâ, quâ constituitur in tali esse.

Deinde si generatio diuina non esset communicatio diuinitatis sub hac ratione, iam diuina generatio esset imperfectior generatione hominum, quia hæc primò & per se formaliter tendit in suum formalem terminum, primóque intendit communicare naturam producentis sub ista ratione, secundariò seu consequenter, vel concomitanter ea omnia, quæ concomitantur vel consequuntur illam, verbi gratiâ, homo per generationem intendit communicare formalem gradum hominis, & ex consequenti quæcumque consequuntur istum gradum; at econtrà generatio diuina
communicaret tantùm consequenter Filio VI.
talem gradum, quatenus nimirum consequitur naturam diuinam, vt iam constitutam in suo esse quasi specifico: quod dicere est absurdum, vt patet ex sancto Thoma nunc citato, & ex Apostolo *ad Ephesios* tertio, sic loquente: *flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur*, id est existit: ergo cùm omnis generatio, quà est generatio, tendat ad communicandum naturam, sub ea formali ratione & veluti differentia, quâ constituitur talis in ipso generante, generatio etiam diuina, quæ est generatio magis propriè, quàm humana, etiam tendit ad communicandum diuinam naturam Filio sub illa formali ratione & vltima veluti differentia, quâ constituitur in
esse diuinæ naturæ; sícque maior propositio VII.
nostri syllogismi est verissima, siue intelligatur de generatione diuina, siue de generatione substantiarum corruptibilium.

Probata maiori propositione principalis nostri syllogismi veniendum ad minorem, cuius quatuor sunt partes: prima, *Deum Patrem communicare Filio per intellectum naturam diuinam, quatenus hæc est actualis intellectio per essentiam*: secunda est, *hanc actualem intellectionem esse veluti differentiam constitutiuam diuinæ naturæ*: tertia est, *Patrem & Filium per voluntatem communicare Spiritui sancto naturam diuinam, quatenus est amor*: quarta est, *amorem in diuinis veluti supponere naturam diuinam iam constitutam, nec proinde illam constituere*. Sed quia secunda & quarta fusiùs à nobis pro-
batæ sunt ad quæstionem 14. *de scientia Dei*, VIII.
ne actum agamus, potest illarum probatio ex iis locis peti.

Prima ergo pars sic probatur: omne generans generatione propriè dictâ tendit primò per se formaliter, & ex vi actiuæ suæ generationis ad communicandum genito propriam suam naturam, prout hæc habet vitam substantialem sibi propriam, quia ex dictis, generatio est *processio viuentis à viuente in similitudinem naturæ*; vbi autem natura, quæ communicatur, caret vitâ, vel aliam accipit speciem, quàm illa, quæ est in generante, non est ampliùs in similitudinem naturæ, sed deficit à generatione; at Deus Pater generat Filium per intellectum, communicando ei suam propriam diuinam naturam, ex dictis suprà, & actualis intellectio per essentiam est pro-

I. pria substantialis vita diuinæ naturæ, vt san- A
ctus Thomas docet suprà quæstione 18. arti-
culo tertio in corpore, dum ex eo quòd natu-
ra diuina est ipsum suum intelligere, probat
Deum ita viuere, vt etiam habeat summum
gradum vitæ, qui non potest concipi esse a-
lius, quàm ipsamet actualis intellectio per es-
sentiam. Quod confirmat ibi ex Aristotele lib.
12. *metaph.* textu 51. igitur Deus Pater gene-
rando Filium per intellectum, vi talis suæ ge-
nerationis actiuè communicat ei primò per se
& formaliter naturam diuinam, quatenus hęc
est actualis intellectio per essentiam.

Et quòd hæc vltima maior propositio ha-
beat veritatem etiam in diuinis, & increata
generatione, probatur ampliùs ex capite quin-
to sancti Ioannis, vbi Christus Dominus ita lo-
quitur: *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic*
II. *dedit & Filio habere vitam in semetipso*, id est, B
vt Deus Pater est vita subsistens, ita etiam ge-
nuit Filium vt vitam subsistentem, quemad-
modum sanctus Augustinus explicat, libro
contra sermonem Arianorum, cap. 17. & quòd
tam illud Christi Domini, quàm ista eius in-
terpretatio sancti Augustini debeat sumi in
sensu propriè formali, patet ex eodem sancto
Augustino ibidem, dum ita ait: *sic potest dici*
Patrem dedisse Filio Verbum, hoc est, vt Verbum
sit, quemadmodum dicitur dedisse Filio vitam, hoc
est vt vita sit: at (iam subsumo) Deus Pater
communicando essentiam diuinam per intel-
lectum primò per se & formaliter dedit ei, vt
esset Verbum, quia verbum propriè est termi-
nus ipsius producentis per intellectum: ergo
Deus Pater communicando Filio naturam di-
uinam primò per se & formaliter dedit illi vi-
III. tam, seu vt sit vita subsistens. Et hanc expli- C
cationem huius sententiæ Christi Domini san-
ctus Augustinus persequitur fusiùs tractatu
decimo nono *in Ioannem*, & verbis expressis
docet Patrem diuinum dedisse Filio, vt habe-
ret vitam in seipso, esse idem ac ipsum genuis-
se, & S. Augustinus censet generationem etiam
in diuinis tendere primò per se & formaliter
ad vitam substantialem, & S. Ambrosius eo-
dem modo intellexit hoc verbum Christi Do-
mini. Nam illud vrgens contra Arianos ait Fi-
lium Dei accipere à Patre ex generationis pro-
prietate & quasi Filium coæternum vitam ha-
bere in semetipso: sic lib. 3. *de fide* cap. vltimo
lib. 4. *de fide* cap. 5. lib. 5. *de fide* cap. primo.

Minor etiam vltima sic confirmatur: omnis
substantia spiritualis & immaterialis viuit vitâ
intellectuali, vt patet factâ inductione: ergo
IV. substantia summè spiritalis viuit vitâ summè D
intellectuali: sed Deus est substantia summè
spiritalis, vt per se constat, & actualis intelle-
ctio per essentiam est vita summè intellectua-
lis: igitur vita propria Dei est actualis intelle-
ctio per essentiam; sícque prima pars huius
minoris nostræ principalis rationis potest esse
verissima.

Tertia pars eiusdem minoris, quæ asserit
Patrem & Filium communicare per volunta-
tem Spiritui sancto naturam diuinã quatenus
est amor, patet ex dictis suprà contra Duran-
dum, & probabitur vbi agemus tam de pro-
cessione eius, vt à Patre & Filio, quàm de amo-
re notionali, tanquam proprio nomine illius,
iuxta communem doctrinam Patrum & Scho-
lasticorum.

ARTICVLVS XII. V.

Soluitur obiectio contra primam maiorem primi nostri argumenti.

OBIICITVR contra primam maiorem
propositionem: homo dum hominem
generat, non producit eum sub ratione *ra-*
tionalis, quia iste generans non potest attinge-
re gradum istum, quandoquidem agit solum-
modo, vt agens corporeum, cuiusmodi non est
ipsum rationale: ergo etiamsi ex hypothesi
Deus Pater communicet Filio diuino naturam
diuinam sub ratione actualis intellectionis per
essentiam, & hæc sit veluti vltima differentia
constitutiua diuinæ naturæ, non tamen secun-
da persona Trinitatis dicetur ex eo præcisè *Fi-*
lius & genitus. VI.

Respondetur ad antecedens, apud omnes
Philosophos & Scholasticos hæc (*attingere rem*
aliquam sub hac vel ista ratione formali, & *at-*
tingere ipsam rationem formalem) distingui in-
ter se: *primum* dicit & importat præcisè modum
sub quo & ex vi cuius actio, quatenus talis, ten-
dit in suum terminum vel obiectum, & modũ
sub quo terminus procedit vt talis: *secundũ* im-
portat nudã attingentiã termini vel obiecti ab
actione, id est significat tantùm actionem sese
terminare ad hunc terminũ, vel ad hoc obie-
ctum, non significando simul *formalitatem sub*
qua tendit in terminum, & ex cuius vi termi-
nus producitur vt talis; & hoc potest explica-
ri sumpto exemplo à quolibet effectu, qui si-
mul est à Deo, & aliqua causa secunda; in quo
quidem effectu nihil est entitatis, quantumli-
bet minimæ, quod non producatur ab vtraq; VII.
causa, sed diuerso tamen modo, à causa prima,
sub ratione entis, à causa secunda sub ratione
talis entis in particulari; inter quæ duo istud
est discriminis, quòd ad hoc vt productio rei
alicuius dicatur esse huius vel istius speciei, &
eius etiam terminus denominetur talis, secun-
dum ex prædictis duobus non sufficiat, sed pri-
mum requiratur, id est, non sit satis, quòd pro-
ducens vel agens suâ productione vel actione
attingat eiusmodi terminum, sed absolutè re-
quiritur, vt producens, quatenus sic produ-
cens, tendat præcisè in terminum, sub ea for-
mali ratione, quæ illum constituit in tali spe-
cie, vt patet in exemplo allato de Deo, & ho-
mine simul concurrentibus ad productionem
Petri, verbi gratiâ, qui respectu hominis dici-
tur propriè generari, & productio eius gene- VIII.
ratio, non autem respectu Dei: quod etiam vi-
dere est in omnibus aliis similibus actionibus
siue processionibus, verbi gratiâ, licet sit idem
numero Christus Dominus, qui est genitus ex
beatissima Virgine, qui resurrexit tertiâ die,
qui est in Sacramento altaris; attamen singulæ
illę actiones, quibus generatur resurgit, & po-
nitur in Sacramento altaris, sunt à se inuicem
formaliter distinctæ, quia sub diuerso seu alio
& alió modo tendunt formaliter in eiusmodi
terminum.

Deinde vt producens vel eius productio di-
catur attingere rem seu terminum formaliter
sub hac ratione formali, non requiritur ab-
solutè, quòd ipse vel eius productio attingat
per se ipsam immediatè formam constituen-
tem terminum in tali specie, aliàs nulla homi-

num

I. num productio à propriis suis parentibus, esset A generatio propriè dicta, quod est absurdum apud omnes Philosophos, sed sufficit, quòd hoc modo illam mediatè attingat, quatenus scilicet ex vi suæ actionis, & ex primaria eius intentione, prout hæc actio est talis, operetur aliquid, quod necessariò & naturâ suâ postulet naturam sub tali gradu, esto non attingat illam immediatè per seipsum, vtpote quæ est alterius conditionis, quoad suam entitatem, vt videre est in productione hominis, in qua, quia actio parentum est tam perfecta, vt ex sua propria conditione postulet animam rationalem, & tendat in illam vniendam cum corpore; esto, hæc actio hominis non attingat per seipsam & immediatè animam, nihilominus hominis productio non desinit esse generatio, nec parentes desinunt communicare ei naturam
II. B suam sub illa formali ratione sua & propria differentia, cùm anima rationalis ita creetur à Deo, vt tamen ex vi dispositionum ab ipsis parentibus productarum ponatur, quæ dispositiones postulant talem formam sibi dari: ergo ad rationem veræ generationis loquendo præcisè non requiritur, vt ipse producens attingat realiter modum seu formalem rationem, sub qua tendit in suum terminum formalem.

ARTICVLVS XIII.

Soluitur obiectio altera contra nostram doctrinam.

OBIICITVR ex nostræ conclusionis do-
III. C ctrina sequi Spiritum sanctum non ita propriè formaliter & verè esse Deum, ac est ipse Filius, cùm non accipiat formaliter directè primò per se & primariò diuinam essentiam à Patre, & Filio, sed esse duntaxat Deum per accidens, secundariò & consequenter, cùm accipiat tantùm secundariò & consequenter diuinam essentiam: primariò autem & directè prout illa est amor diuinus: at dicere Spiritum sanctum esse solummodò Deum per accidens, non formaliter secundariò tantùm & consequenter est blasphemum, quia hoc est ponere aliquam inæqualitatem, quoad essentialia inter personas diuinas.

Confirmatur: quidquid habet Spiritus sanctus habet vi suæ processionis, & quidquid Spiritus sanctus habet vi suæ processionis, illud competit ei formaliter directè, quia aliàs D non cōueniret ei essentialiter: at Spiritus
IV. sanctus habet quòd sit Deus, vt profitemur in Symbolis fidei formaliter intrinsecè directè, & simpliciter propriè absolutè sine vlla particula diminuente dicitur *Deus*: ergo Spiritus sanctus habet vi suæ processionis primariò directè & formaliter vt sit Deus: ergo eius processio tam benè dicetur generatio, quàm processio Filij.

Respondetur negando id sequi, nam ad hoc vt Spiritus sanctus sit verè, propriè, formaliter *Deus*, sufficit quòd verè propriè, & formaliter habeat in seipso deitatem seu essentiam diuinam, quam aliæ diuinæ personæ habent, cùm vnumquodque denominetur tale formaliter verè & propriè ex eo, quod habet formaliter & verè formam aut quasi formam sic denominantem: nam Pater est verè & propriè Deus, licet à nullo procedat, quia V.
nimirum habet in se verè & propriè naturam diuinam; est etiam Spiritus sanctus propriè persona diuina, quia subsistit incommunicabiliter in natura diuina, & hæc duo distinguuntur inter se, nimirum accipere aliquid formaliter directè primò per se & primariò per suam processionem; & hoc secundum, esse in seipso tale formaliter verè & per suam processionem, eodem ferè modo, quo suprà diximus ista duo attingere terminum, & ferri in illum sub tali ratione, distingui à se inuicem; primum enim significat modum specialem sub quo talis processio tendit in terminum, secundum verò tantùm significat terminum productum accipere per suam processionem verè & propriè talem naturam; quod potest intelligi esse verum, licet talis eius processio non tendat formaliter VI.
primò per se primariò & directè in talem naturam, vt patet in primo parente habente esse per creationem, & in Abele habente suum esse per veram generationem, Abel enim tam verè propriè & formaliter est homo, quàm primus parēs & econtrà; nec tamen primus parēs formaliter directè primò per se primariò per suã processionem, quà creatio est, accipit suam naturam, quà est præcisè creatio, sic enim est tantùm productio entis ex nihilo sui; sed quatenus est creatio talis entis talis subiecti seu termini; pari modo philosophandum est de processione Spiritus sancti comparata ad processionem Filij, vt enim Adam est per se homo, quia in tali propositione attributum est de essentia subiecti, & non per accidens, similiter nec Spiritus sanctus est Deus per accidens, VII.
cùm hæc propositio *Spiritus sanctus est Deus* sit tam essentialis, & per se, quàm sit ista *Adam est homo*, & vt Adam non accipit primariò formaliter directè per suam creationem, quà est præcisè creatio, naturam rationalem, sed tantùm consequenter, ita & Spiritus sanctus.

Vnde in hac propositione, Spiritus sanctus *procedit vt Deus*, si hæc particula (*vt*) denotet formalem rationem sub quâ Spiritus sanctus primò per se formaliter & ex vi suæ processionis procedit, esse ipsam deitatem seu aliquid de illius formali conceptu, prout hæc præscindit ab omnibus suis attributis, est falsa in rigore logico, & formalissimo sensu, quamuis sit vera in sensu identico, quia vt ostendimus procedit sub ratione amoris, qui est aliquid consequens diuinam essentiam: si autem huic prædictæ propositioni addatur *spiratus*, VIII.
& sit talis propositio, Spiritus sanctus procedit vt Deus spiratus, quia hic terminus est notionalis, & attributum attrahit ad se subiectum, vt docent dialectici, est vera in sensu formali; nam significat Spiritum sanctum accipere vi suæ processionis naturam diuinam sub ratione amoris & impulsus.

Neque hoc aliquam ponit inæqualitatem inter personas diuinas, cùm hæc debeat attendi penes essentiam & perfectiones eius, quæ tamen omnes sunt omninò eædem in singulis personis; non autem debet attendi æqualitas penes modum habendi vel accipiendi illas, vt patet de Patre diuino, & de Abele & Adam.

Ad confirmationem respondetur esse quidem verum, quòd quidquid Spiritus sanctus

I. A habet, illud habeat vi suæ processionis, sed vel primariò & primò per se, vel duntaxat consequenter, primariò accipit à Patre & Filio naturam diuinam, sub ratione amoris, & consequenter secundùm alias omnes suas rationes & perfectiones, qui tamen modus accipiendi illas non impedit, quin formaliter ei conueniant, vt animaduertimus.

Et quamquam inter perfectiones, quas Spiritus sanctus accipit consequenter ex vi suæ processionis, sit & ipsa actualis intellectio per essentiam, dum enim emanat à Patre & Filio, accipit totam diuinam essentiam, specificè consideratam, & omnia attributa eius essentialia, imò ordine *executionis* priùs secundùm rationem accipiat illam, quàm attributum amoris, cùm hoc istam præsupponat, & in humanis filius censeatur propriè generari
II. B à suis parentibus, quia isti ponunt vltimas dispositiones, ad quarum positionē anima rationalis ponitur; non propterea tamen Spiritus sanctus erit Filius primæ & secundæ personæ Trinitatis, nec eius processio erit generatio, illi enim ita cōmunicant Spiritui sancto actualem intellectionem, vt tamen ei non communicent ex exigentia, & intentione illius processionis, quâ emanat formaliter considerata, sed tantùm materialiter, & quatenus est talis subiecti; hæc enim intentio in diuinis, rectè attenditur tam penes principium proximum, quod respectu Spiritus sancti est voluntas, seu volitio, quàm penes rationem sub qua diuina volitio tendit in suum terminum, quæ ratio est ipse amor: at in humanis parentes licet ponant vltimas dispositiones tantùm quoad executionem, quia tamen quantum est in se, & quoad intentionem ponendo vltimas dis-
III. C positiones, hæc eorum actio exigit animam rationalem, & pro suo totali termino, hominem, & eiusmodi actiones specificantur à tali ordine intentionis, fit, vt hæc parentum actio sit generatio propriè dicta, & eius terminus sit Filius etiam propriissimè dictus.

DISPVTATIO V.

De numero processionum diuinarum.

Articvlvs Vnicvs.

Vtrum sint plures processiones quàm duæ.

IV. D SENSVS articuli est, an modi quibus personæ diuinæ procedunt, sint plures quàm duo.

Pars negans est de fide ex sacris Scripturis, Conciliis & Patribus, qui duas tantùm in diuinis enumerant personas procedentes; non enim passiuæ processiones possunt esse plures, quàm sint personæ procedentes, quia passiua productio est idem cum persona producta. Deinde omnis passiua processio in diuinis est per actus proprios naturæ intellectuali, vt suprà ostendimus; at Deus est substantia intellectualis, cuius actus sunt tantùm duo, scilicet intellectio & volitio.

Quòd item sint duo tantùm termini seu
vnicus Filius in diuinis, vnicus Spiritus sanctus, patet, tum ex eo quòd ipsum intelligere est in solo Patre productiuum, quia est tantummodo dicere in illo; item velle est solum notionale & productiuum in solo Patre & Filio, vt suprà docuimus, & quando aliquid producens produci ex necessitate independenter à quocumque alio etiam limitante vel impediente eius productionem, & præterea ita vniformiter, vt nunquam cesset à tali sua productione, tunc eius fœcunditas tota exhauritur & adæquatur tam intensiuè, quàm extensiuè per vnicum terminum sibi correspondentem; aliàs enim tale producens non produceret necessariò vel independenter, vel absque aliquo impediente, vel limitante eius productionem; at Pater respectu productionis Fi- V.
lij, item Pater & Filius respectu productionis Spiritus sancti habent omnes istas conditiones, vt patet facilè cuilibet consideranti; ergo Pater producit Filium adæquantem tam intensiuè quàm extensiuè totam suam fœcunditatem; similiter Pater & Filius producunt Spiritum sanctum adæquantem extensiuè & intensiuè totam suam vim actiuam spirandi. VI.

Cæterùm licet hæc admittantur ab omnibus Theologis, non tamen desunt argumenta, quæ facessant aliquod negotium; quæ sunt eiusmodi.

Obiicitur primò: in diuinis vnica tantùm est veluti actio, quæ simul est intellectio & volitio: ergo vnica tantùm erit processio in diuinis. Confirmatur: pluralitas processionum non potest esse in diuinis, nisi prima
illarum sit principium secundæ, & ad illam habeat realem relationem, quia in diuinis omnis multiplicatio attenditur penes oppositionem relatiuam, & penes id, quod vnum sit ab alio: at ex duabus illis processionibus prima non est principium secundæ, nec habet realem oppositionem ad illam, non enim processio Verbi potest esse principium processionis Spiritus sancti, & ad illam habere relationem realem, nisi simul sit principium istius actionis, quâ Spiritus sanctus procedit; sed processio Verbi non potest esse principium istius actionis, quâ Spiritus sanctus procedit, quia talis actio est vna & eadem cum illa, quâ filius procedit, cuius tamen Filius non est principium, aliàs enim produceret seipsum. VII.

Respondetur intellectionem & volitionem diuinam esse realiter vnicam simplicissimam
entitatem, quæ tamen propter suam eminentissimam perfectionem est virtute duplex, atque ideò potest totum id præstare, quod duæ entitates realiter à se inuicem distinctæ possent. VIII.

Ad confirmationem concessâ maiore negatur minor, si intelligatur (vt debet) de passiua processione; cùm enim passiuæ processiones sint idem cum personis procedentibus, & sit oppositio relatiua inter Filium & Spiritum sanctum personas procedentes, & vna sit ab alia, vna etiam processio erit ab alia, & ad illam habebit eamdem realem oppositionem, quam vna persona habet ad aliam.

Ad id verò quod dicitur, scilicet processionem Filij non posse esse principium processionis Spiritus S. nisi simul sit principiū actionis,

I. A quâ Spiritus sanctus procedit, admittitur hoc sensu, quòd nimirum Filius, qui est prima processio passiua, debeat esse principium actiuum per voluntatem, emanationis Spiritus sancti.

Ad id verò quod affertur in contrarium, scilicet (actionem illam esse vnam & eamdem cum intellectione, quâ Filius procedit, & proinde, si sit principium illius etiam fore principium sui ipsius) respondetur Filiúm propriè non dici principium veluti actionis illius, quâ Spiritus sanctus procedit, quatenus illa est volitio, quia ratio principij importat distinctionem realem inter principium & principiatum; at illa volitio actiua, quæ concipitur ad modum actionis est aliquid idem cum ipso Filio, quia sicut passiuæ processiones sunt idem cum personis procedentibus, sic & actiuæ processiones sunt idem cum personis à qui-
II. B bus aliæ procedunt: sed Filium dici principium Spiritus sancti, & ipsam eius volitionem esse potiùs nostro modo considerandi veluti viam ad ipsum Spiritum sanctum producendum tanquam terminum. Quòd autem, ex eo quòd volitio, quæ concipitur vt actio etiam notionalis in Filio, sit idem cum ipsa intellectione per quam Filius producitur à Patre, non faciat vt hic censeatur producere seipsum patet, quia volitio & intellectio in Deo sunt vnum quid duntaxat realiter, & seruant inter se distinctionem virtualem, hæc entitas est intellectio sub alia ratione, & sub alia volitio: quod sufficit vt aliquid non censeatur producere seipsum, vt patet in ipsomet mysterio Trinitatis, in quo persona distinguitur solùm virtuali distinctione ab essentia, & tamen dum
III. C Pater generat Filium non censetur vel seipsum, vel diuinam essentiam generare.

Obiicitur secundò: vnica processio est infinitè perfecta: ergo exhaurit totam vim quæ est in illa vnica veluti actione, quæ simul est intellectio & volitio: ergo nullum locum reliquit secundæ processioni.

Respondetur vim productiuam in diuinis non exhauriri vnicâ processione, quia licet illa sit infinita, attamen vt habet in se ipsam virtualem distinctionem, est tantùm infinita in sua ratione, nimirum generationis, vel spirationis, & proinde dum exhauritur sub ratione generationis, per productionem Filij non exhauritur sub illa alia ratione, nimirum spirationis, quam adhuc retinet, & quæ tan-
IV. tùm exhauritur per processionem Spiritus
D sancti.

Obiicitur tertiò: distinctio & multiplicatio processionis attenditur penes distinctionem terminorum formalium, sed est idem formalis terminus vtriusque diuinę processionis, scilicet natura diuina, quæ vna & eadem communicatur Filio & Spiritui sancto.

Respondetur, si quæstio sit de reali distinctione harum processionum, eam non sumi à natura, quæ communicatur, sed ab origine & relatione opposita, vt inferiùs dicetur: si verò quæstio sit de distinctione quasi formali, dico illas esse distinctas quasi formaliter, & habere distinctos terminos formales; ratio enim formalis termini est potiùs desumenda ex modo, quo res producta terminat actionem, quâ producitur, quàm ex ipsa forma, quâ res producta informatur; vt enim res producta dicitur terminus respectu productionis, ita V.
etiam dicitur formalis terminus, ex modo terminandi illam formaliter, non verò ex eo, quòd sit forma rei productæ, sicut nec materia rei productæ dicitur terminus materialis, ex eo quòd sit eius materia; imò aliquando materia est pars termini formalis, vt in creatione: at verò modus ille, quo natura diuina communicatur Filio, est distinctus ab illo, quo communicatur Spiritui sancto: quia huic communicatur sub ratione volitionis, amoris, & veluti impulsus; isti verò sub ratione intellectionis, vt patet ex dictis; qui duo modi distinguuntur à se inuicem, vt satis intelligitur: vnde quamuis ambæ illæ diuinæ personæ eandem habeant essentiam diuinam, processiones tamen illarum non desinunt distingui à se inuicem formaliter, sicut licet primus parens & Abel eandem habeant specie naturam,
processiones tamen illorum sunt formaliter VI.
à se inuicem distinctæ, vna est creatio, altera generatio.

Obiicitur quartò: si sunt duæ processiones in diuinis, aut illæ distinguuntur solo numero vel specie: non primum, quia non sunt actus eiusdem speciei, si considerentur formaliter, vt enim intellectus est alterius speciei à voluntate, ita & intellectio & volitio, per quas sunt passiuæ processiones, erunt alterius speciei à se inuicem: non item secundum, quia passiuæ processiones, sunt idem cum personis procedentibus, at personæ diuinæ procedentes non distinguuntur specie à se inuicem, cùm non habeant distinctam substantiam seu naturam.

Respondetur ex nunc dictis, processiones il-
las formaliter consideratas distingui à se in- VII.
uicem specie iuxta nostrum loquendi modum; nam in eo conueniant, quòd ambæ sint reales, diuinæ, & nullam includant imperfectionem; vnde non sunt primò diuersæ & se ipsis distinctæ, vt aliqui voluerunt; illa enim dicuntur primò diuersa, quæ in nullo conueniunt, istæ autem duæ processiones in hoc distinguuntur, quòd scilicet sint modi distincti habendæ substantiæ; vnde sicut vniuocatio specifica, vel numerica substantiæ attenditur penes specificam vel numericam vnitatem formæ, seu naturæ communicatæ, sic etiam specifica distinctio processionũ penes eosdem vel distinctos modos habendæ substantiæ, & naturæ, siue illa natura, quæ communicatur, sit eiusdem speciei, siue non. Neque refert
quòd passiuæ processiones sint idem cum per- VIII.
sonis procedentibus; hoc enim est verum de identitate reali, at nostro considerandi modo distinguitur aliquo modo, quatenus scilicet processiones concipiuntur à nobis tanquam viæ quibus personæ diuinæ producuntur.

Obiicitur vltimò, non videri potiorem rationem admittendi duas processiones in diuinis per intellectum & voluntatem, quàm duas alias, scilicet per potentiam & bonitatem Dei, cùm Deus per hæc duo etiam sese communicet.

Ad vltimum respõdetur, non esse parem rationem admittẽdi duas alias processiones per potentiã & bonitaté, hîc enim tantùm agitur de cõmunicatione naturæ diuinæ per processioné ad intra; vnde cùm potentia sit tantùm

I. principium omnium creaturarum, fit vt in diuinis ad intra non detur processio correspondens huic principio; nec item datur processio correspondens diuinæ bonitati, quia illa non est principium actiuum, nec reuocatur ad causam efficientem, sed duntaxat ad finalem: at omnis persona procedens debet emanare ab alia, vt à principio; & pro hac responsione videri potest hâc quæstione sanctus Thomas.

Ex his intelligitur etiam non debere assignari aliquas processiones correspondentes scientiæ diuinæ, prout illa diuiditur in *speculatiuam & practicam*, non tantùm quia eiusmodi scientiæ ex parte entitatis, quam dicunt in Deo, non distinguuntur virtualiter inter se, sicut intellectio & volitio; sed etiam quia hîc tantùm agitur de communicatione
II. naturæ diuinę ad intra: scientia autem *practica* Dei est tantùm pro rebus producendis extra Deum, quatenus illa dirigit potentiam in operando. Tum etiam quia scientia *simplicis intelligentiæ* in Deo prout tantùm dicit nudam perceptionem omnium creaturarum possibilium, non est productiua, cùm vt sic non sit notionalis, sed communis omnibus personis diuinis, ideóque ei vt sic, nulla processio correspondere debet.

III. AD QVÆSTIONEM XXVIII.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia, essentia & diuisione relationum diuinarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliqua relationes reales sint in Deo.

RELATIONVM diuinarum sumptarum secundùm totam suam latitudinem, aliæ sunt, quibus Deus respicit creaturas, cuiusmodi est relatio *creatoris, domini*; aliæ quibus personæ diuinæ respiciunt sese inuicem, sine aliquo ordine ad extra; hæ autem adhuc sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt &
IV. dicuntur *originis*, aliæ *non originis*: illæ dicuntur esse *originis*, quæ fundantur in processione siue actiua, siue passiua vnius personæ ab alia, & quæ comparatæ ad relationes creatas videntur habere aliquam analogiam cum his relationibus creatis, quas Aristoteles quinto *Metaphysicorum* & alij Philosophi dicunt fundari in actione & passione, cuiusmodi sunt paternitas & filiatio.

Relationes diuinæ *non originis* eæ sunt, quæ fundantur in vnitate naturæ, perfectionis, & attributorum, vt sunt æqualitas, identitas, & quæ comparatæ ad relationes creatas, correspondent iis quas Aristoteles & Philosophi dicunt fundari in vnitate substantiæ, quantitatis, & qualitatis; nam gradus perfectionis vocatur à Theologis & Phi-
A losophis quantitas *virtutis*, & diuina attributa V.
licet non sint perfectiones accidentariæ, attamé comparantur cum diuina natura, tanquam qualitates saltem essentiales, iuxta eam loquendi formulam, quâ Aristoteles differentiam essentialem constitutiuam speciei, qualitatem *generis* vocat.

Non est hîc disputatio de primo genere diuinarum relationum, quia hîc solummodo consideramus Deum ad intra; neque item nobis hîc est disputatio de relationibus *non originis*, de his enim agemus infrà cum sancto Thoma; sed tantùm de his quæ sunt *originis*.

Primum autem, quod occurrit explicandum circa illas, est earum existentia, scilicet vtrum dentur in Deo: pars affirmans est de fide ex vndecimo Concilio Toletano in confessio-
B ne fidei, in qua expressè habetur diuinas per- VI.
sonas referri relationibus, & ex Florentino sessione decimâ octauâ, vbi Ioannes agés partes Latinorum, ait apud omnes doctores Ecclesiæ tam Græcos, quàm Latinos solâ relationem diuinâ processione multiplicare personas. Item ex scripturis, quibus prima persona Trinitatis respectu secundæ dicitur Pater, & secunda respectu primæ dicitur non tantùm Filius Dei, sed etiam verus Filius Dei, vt primæ sancti Ioannis quinto: ergo si secunda persona est verus Filius, habet veram filiationem, & cùm Filius vt sic, non sit suiipsius Filius, quia nihil generat seipsum, sed est alicuius distinctę personæ, filiatio debet esse ratio quædam respectiua, quâ Filius per veram relationem respiciat primam personam Trinitatis, seu Pa-
C trem, similiter & paternitas, quâ prima perso- VII.
na Trinitatis respicit secundam.

Atque hæc doctrina est communis omnium Patrum: sancti Athanasij oratione secundâ & quartâ *contra Arianos*, sancti Gregorij Nazianzeni oratione quartâ *de Theologia*, sancti Basilij libro tertio *contra Eunomium*, sancti Augustini libro quinto *de Trinitate* capite octauo, vbi ait relationem propriè inueniri in Deo. Et etiam omnium Scholasticorum hîc & libro primo sententiarum distinctione 20. Ratio fauet, quam sanctus Thomas hîc articulo primo, & libro quarto *contra Gentes* capite decimo quarto attigit: est autem hæc, quando producens & productum sunt eiusdem ordinis, id est referibilitatis, & eiusdem naturæ, seu necessitatis ad existendum, tunc verè reales relationes dãtur inter illa; sic enim
D reperiuntur ibi omnes conditiones relatio- VIII.
num realium, scilicet extrema realiter distincta, mutuus ad se inuicem respectus æquè necessarius, & æqualis necessitas vtriusque extremi in existendo: at in diuinis Pater & Filius sunt producens & productũ, item Pater & Filius comparatione Spiritus sancti sunt producẽs, & Spiritus sanctus comparatione illorum est aliquid productum; item Pater & Filius sunt eiusdem ordinis seu referibilitatis, quia Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Filius: item Pater & Filius vt spirator, sunt Spiritus sancti spirator, & Spiritus sanctus vt Spiritus sanctus est spiratus spiratoris, seu Patris & Filij vt sunt spirator; item sunt eiusdem necessitatis in existendo, quia sunt correlata mutua: ergo relationes quæ sunt inter illos sunt reales: ergo aliquæ re-

I. lationes reales dantur in diuinis.

Maior patet inductione factâ per omnes relationes, quæ communiter admittuntur à Philosophis esse reales. Et probatur etiam ex sancto Thoma superiùs quæstione decimâ tertiâ articulo septimo, relatum verè & perfectè accipit specificationem, & veluti complementum à termino sibi correlato; nam eius perfectio relatiua est quòd referatur ad aliud: ergo postulat necessariò existentiam sui correlati: ergo vera & propriè dicta correlata debent esse paris & æqualis necessitatis, quoad existentiam & proinde eiusdem ordinis.

ARTICVLVS II.

II. *Respondetur obiectionibus contra doctrinam præcedentis articuli, & soluitur dubium.*

OBIICITVR primò, realem relationem dicere intrinsecè mutuam dependentiam extremorum inter se, quæ dependentia nulla est in diuinis, cùm dicat imperfectionem.

Confirmatur, quia ex Aristotele in categoriis capite *de relatis*, relata sunt, *quorum totum esse est ad aliud:* at totum esse Patris, verbi gratiâ, diuini non est ad aliud; tum quia habet aliquod esse, quod est idem in filio, tum etiam quia filius non est aliud à patre, sed solummodo alius, vt inferiùs obseruabitur.

III. Respondetur relationem præcisè consideratam non dicere dependentiam, sed mutuam tantùm habitudinem, & connexionem extremorum inter se, relatio enim est habitudo ad terminum, quæ sumpta præcisè nullam dicit imperfectionem. Nam & scientia dicit habitudinem ad obiectum, cùm requirat illud, neque propterea excluditur à Deo: & dependentia significat illud, quod dicitur dependere, habere esse omninò aliud, seu distinctum ab eo, à quo dependet: vnde cùm diuinæ relationes non habeant esse distinctum ab ipso esse naturæ diuinæ, vt dicetur infrà, & hoc esse sit idem in omnibus personis diuinis, fit, vt diuinæ relationes nullam dicant dependentiam: multò minus sequitur quamlibet personam relatam esse ab alia sibi correlata; hæc enim distinguuntur habere *esse ab alio, & habere esse ad alium:* primum

IV. dicit emanationem vnius ab altero, secundum dicit habitudinem vnius ad alium, tanquam terminum sibi correlatum, quæ habitudo reperitur in Patre ad Filium, sine aliqua emanatione sui à Filio.

Hinc patet solutio ad illas Patrum & Scholasticorum auctoritates, in quibus agendo de hac mutua habitudine vnius, vel duarum personarum diuinarum ad aliam, ratione relationis, vtuntur his duobus terminis (*dependere, dependentia*) vt sancti Gregorij Nysseni, libro *de differentiis essentiæ. & hypostaseos*, item epistolâ *de imagine & similitudine* contra Apollinarem, Cyrilli Alexandrini libro decimo tertio Thesauri capite secundo, Alensis primâ parte quæstione nonagesimâ primâ membro primo in solutione ad secundum, & aliquorum aliorum: tunc enim vsurpant

A hos terminos in ampliori significatione, nimirum prout significant, nudam duntaxat exigentiam vnius termini ad positionem alterius; non autem in præcisa & stricta nunc explicata; eodem planè modo quo Patres Græci interagendum de diuinis processionibus, vtuntur his nominibus (*causa, causatum*) in ampliori significatione, quàm Latini, vt etiam Cardinalis Bessarion obseruauit suâ oratione ad Patres Concilij Florentini sessione vltimâ. Nam dependentia propriè sumpta supponit in eo, quod dicitur dependere, egestatem, infirmitatem, & limitationem propriæ suæ essentiæ, vt non habentis à se ipsa, quidquid requiritur, sed ad id indigentis auxilio alterius, & proinde ipsa dependentia propriè sumpta ei tantùm rei competit, V.

B cuius entitas potest absolutè loquendo non existere, cuiusmodi non est diuina essentia, siue in Spiritu sancto, siue in Filio, vel aliquid etiam relatiuum, quod est in illis: cùm quidquid illa habet in vnoquoque illorum, istud tanquam naturali necessitate sibi debitum vendicet, & singulæ personæ diuinæ sint paris necessitatis in existendo. VI.

Ad confirmationem primùm respondetur; quod spectat ad particulam illam (*totum esse*) quando in definitione relationis, seu relatorum totum esse eorum dicitur esse ad aliud, seu consistere in respectu, particulam illam *totum esse*, non excludere illud, quod est de communi ratione relationis, & ipsius relati: verbi gratiâ, quia relatio creata ex ratione sua communi & generica habet, quòd sit accidens, in quo conuenit cum

C aliis nouem categoriis posterioribus, per prædictam particulam (*totum esse*) non excluditur communis illa eius ratio inhærentiæ in subiecto, sed specialis eius ratio tantùm explicatur, iuxta quam distinguitur ab aliis accidentibus, quæ est esse respectiuum: vt Dialectici explicant in categoriis ad caput *de relatis*: & ideò licet Pater, Filius, & Spiritus sanctus habeant aliquod esse essentiale, in quo conueniunt, quia tamen præter istud esse, vnaquæque persona diuina habet speciale suum esse relatiuum, & illud habet totam suam rationem positam in respectu, & habitudine ad aliam personam, rectè dicitur habere totum suum esse ad aliud. VII.

Deinde respondetur quantum spectat ad secundam istam particulam (*aliud*) eam sumi posse duobus modis: primò *substantiuè*

D quatenus significat aliam & distinctam substantiam, seu essentiam esse in termino correlato, ab ea quæ est in relato; secundò posse accipi *adiectiuè*, quatenus scilicet significat aliud correlatum, ita vt sensus definitionis sit iste, formalis ratio relatorum est ad aliud correlatum, seu respicere correlatum, particulam istam (*aliud*) in definitione relatorum non sumi priori modo, sed tantùm posteriori, quomodo competit etiam diuinis relationibus. Nam & Aristoteles in categoriis capite *de relatis*, insinuat hanc explicationem, & hunc esse sensum definitionis relatorum, dum illa sic definit: *ea dicuntur ad aliquid, quæ id quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid, alioue alio modo dicuntur*, & quando hæc particula *aliud* in ista definitione sumitur *substantiuè*, tunc talis definitio competit tan- VIII.

I. tùm relationibus creatis: quatenus illæ semper respiciunt terminum distinctum in essentia saltem essentiali indiuiduali; vt patet factâ inductione per illas. Vnde Boëtius relatus hìc à S. Thoma art. primo in primo argumento negans relationem prædicari de Deo, id intelligit secundùm eum modum, quo creatæ relationes prædicantur de rebus creatis, nimirum inhærendo illis, & quatenus respiciunt terminos distinctos in sua substantia saltem indiuiduali, quomodo diuina relatio non prædicatur de Deo.

Obiicitur secundò: si relatio esset in diuinis, illa deberet prædicari de Deo, vel substantialiter, vel accidentariò, non substantialiter; quæ enim sic prædicantur, non dicunt ordinem ad aliud, ex sancto Augustino libro quinto *de Trinitate* capite quarto,
II. quinto & sexto, non item accidentariò, quia modus iste prædicandi denotat id, quod prædicatur, inhærere ei, de quo prædicatur; vt dialectici docent: at in Deo nihil est inhæsiuè.

Respondetur relationem neque substantialiter seu essentialiter, neque accidentariò prædicari de Deo, sed tantùm secundùm relationem, quatenus refert vnum terminum ad alium.

Obiicitur tertiò: ex eo quod in scripturis secunda persona Trinitatis dicitur verus Filius, item prima, Pater, non videtur benè colligi diuinas relationes esse reales, nam Deus est etiam verè dominus, & creator omnium, item columna est verè nobis dextra, vel sinistra; & tamen relatio illa, quæ est
III. Dei creatoris & domini ad creaturas est tantùm rationis, ex sancto Thoma superiùs quæstione decimâ tertiâ, articulo septimo, similiter ratio dextri & sinistri: ergo neque ex eo, quòd prima persona Trinitatis dicitur in scripturis, Pater, & secunda verus Filius Dei, benè colligitur aliquas relationes dari in Deo, quæ sint reales.

Respondetur relationes paternitatis & filiationis non intelligi esse in diuinis tantùm, & simpliciter, ex eo quòd prima persona Trinitatis dicitur in scripturis Pater, & secunda Filius: sed prætereà ex eo, quòd illæ personæ, ita dicantur Pater & Filius, vt tamen significentur esse eiusdem ordinis, & necessitatis quoad existentiam: quòd nimirum vna persona requirat necessariò aliam, ita vt eo ipso, quo vna persona intelligitur capax relationis, vel illam habere, sic etiam & alia;
IV. cùm nulla possit esse ratio, cur scilicet vna persona referatur reali relatione, & alia non referatur; vnde talis relatio est propriè mutua: at dispar est ratio relationis domini, & creatoris; nam & Deus quatenus creator & dominus non est eiusdem ordinis cum ipsis creaturis, ad quas habet relationem rationis, nec habet à tali relatione, quòd sit creator, quòd sit dominus, sicut Deus Pater habet formaliter à relatione paternitatis in seipso subsistente, quòd sit Pater, item Filius à relatione filiationis in seipso subsistente habet, quòd sit Filius. Deus autem dicitur formaliter creator, & dominus tum ab effectu creationis & dominij, qui adhuc perseuerat in effectu; fundamentaliter verò ab illa summa potentia, quæ potest aliquid facere ex ni-

A hilo, sicut ex illa potestate, quam habet in subditos, vocatur etiam dominus; relatio autem dextri & sinistri est tantùm rationis, nec tamen ipsa columna desinit dici sinistra, vel dextra, nemine etiam cogitante per quandam denominationem extrinsecam. V.

Quæres cùm quatuor oppositorum genera distinguantur à Philosophis, quare sola opposita *relatiua* locum habent in Deo.

Respondetur hanc posse dari rationem, scilicet, quòd in aliis omnibus oppositis, vnum extremorum semper dicat intrinsecè aliquam imperfectionem; vnde cùm nulla imperfectio sit in Deo, alia opposita nullum locum possunt habere in Deo, & quòd alia opposita dicant intrinsecè imperfectionem, patet discurrendo per illa: in oppositione *contradictoria* vnum oppositorum debet negari de VI.
B eodem, sub eadem omninò ratione, secundùm quam affirmatur de illo, sicque simul esse, & non esse, quod est impossibile; in oppositione *priuatiua* vnum extremorum est negatio formæ in subiecto apto, quam alterum extremum importat: at Deum carere aliquo sibi conuenienti apto & debito est imperfectio: in oppositione *contraria* vnum contrariorum est semper minus perfectum alio, magis autem & minus perfectum non habent locum in personis diuinis, vt profitemur in Symbolo sancti Athanasij, ideóque nulla istarum trium oppositionum reperitur in diuinis: at *relatiua* oppositio est aliquid positiuum nec aliquam includit imperfectionem, & sola illa rectè multiplicat in diuinis.

C

ARTICVLVS III. VII.

Iuxta quam rationem relationes diuinæ sint reales.

VT præsens difficultas intelligatur, notandum est relationem posse duobus modis considerari: primò quoad rationem *existendi in subiecto*, seu per ordinem ad suum subiectum, & hoc Philosophi & Theologi vocant *esse in* relationis, quia relatio vt sic, consideratur secundùm inhærentiam, quam habet in subiecto, quæ ratio est ei communis cum omnibus aliis accidentibus, vt per se patet. Deinde relatio potest considerari secundùm habitudinem ad suum terminum, id est correlatum, quod respicit, seu iuxta rationem respiciendi terminum sibi correlatum, & ta-
D lis eius ratio communiter vocatur à Philoso-
phis & Theologis (*esse ad*) penes quod (*esse ad*) ipsa relatio distinguitur ab omnibus aliis accidentibus, cùm vt sic constituat distinctum genus categoriæ, vt Dialectici docent agendo de categoriis. VIII.

Secundò notandum, talem dari proportioné diuinarum relationum ad creatas, vt, quia nullum est accidens in Deo, sed totum quod est in eo, est substantiale, illud (*esse in*) quod est in diuinis relationibus, transeat in substantiam Dei, seu identificetur cum diuina essentia; sicque diuinas relationes nullam dicere inhærentiam in subiecto, sed esse subsistentes: & quòd diuinæ relationes consideratæ hoc modo sint reales, loquendo propriè, nemo reuocat in dubium, sed cùm præter istam rationem importatam hâc particula, *esse in*, ha-

I. beant & aliam rationem importatam hâc particulâ, *esse ad*, quâ propria earum ratio respiciendi explicatur, quæritur an diuinæ illæ relationes sint etiam reales, iuxta hanc rationem; an verò sint tantùm aliquid rationis, & hic est proprius sensus huius articuli.

Prima sententia tribuitur Capreolo libro primo sententiarum distinctione trigesimâ tertiâ, & aliis nonnullis, negans relationes diuinas consideratas secundùm *esse ad* esse reales, & affirmans esse tantùm aliquid rationis.

Melior tamen est communis aliorum sententia, cum qua concludimus, *diuinas relationes esse reales secundùm suum esse ad:* quæ sententia est tam certa, vt multi interpretum S. Thomæ hîc doceant contrariam sententiam

II. esse erroneam in fide; quæ censura videtur etiam esse sancti Thomæ in quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione octauâ articulo primo in principio corporis, dum ita scribit: *sententiam fidei Catholicæ sequentes, oportet dicere in diuinis relationes reales esse*, & opposita sententia sapit hæresim Sabellij, quia datâ illâ tres diuinæ personæ non erunt inter se realiter distinctæ, omnis enim realis distinctio inter aliqua realia debet esse per aliquid reale: nam implicat effectum realem exerceri à forma non reali: at quod habet tantùm esse per operationem intellectus, non potest fundare distinctionem verè realem inter duo: sed inter personas diuinas datur verè distinctio realis: ergo illa debet esse per aliquid reale: sed istud reale distinctiuum personarum diuinarum est relatio originis considerata secundùm

III. suum *esse ad:* ergo diuina relatio originis spectata secundùm suum *esse ad* est realis.

Explicatur, & confirmatur: in personis diuinis possumus considerare duo, nimirum essentiam, & relationem: deinde ipsam relationem adhuc duobus modis, primò, iuxta suum *esse in*, secundò iuxta suum *esse ad*. personæ diuinæ non sunt à se inuicem realiter distinctæ per essentiam, hæc enim est vna & eadem in omnibus: quod autem idem est & commune pluribus, non distinguit illa, nec item diuinæ personæ sunt realiter distinctæ per diuinas relationes consideratas secundùm *esse in*, quia illud transit in substantiam seu essentiam diuinam, quæ vt nunc ostensum est non distinguit illas: ergo restat vt relationes diuinæ distinguant personas diuinas realiter consideratas secundùm *esse ad*. Vltima hæc consequentia probatur: diuinæ personæ

IV. per illud à se inuicem distinguuntur, per quod sibi inuicem opponuntur, iuxta illud vulgare Theologorum axioma in diuinis, *omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio:* atqui personæ diuinæ non opponuntur sibi inuicem per ipsas suas relationes *originis*, præcisè consideratas secundùm *esse in*, quia in eo omnes personæ diuinæ identificantur, sed tantùm opponuntur per suas relationes secundùm suum *esse ad:* ergo & per illas, vt sic distinguuntur, & ex consequenti diuinæ relationes consideratæ secundùm suum *esse ad*, sunt reales.

Fundamenta contrariæ sententiæ duo sunt. Primum est: illud *esse ad* relationis diuinæ, est eiusdem rationis, saltem loquendo analogicè, & secundùm proportionem, ac *esse ad*, quod

A est in relationibus creatis; sed *esse ad*, quod est in relationibus creatis est tantùm aliquid rationis, quia est commune tam relationibus rationis, quàm realibus: igitur & *esse ad* relationum diuinarum est tantùm aliquid rationis. V.

Respondetur negando *esse ad* in omnibus relationibus creatis esse aliquid rationis; nam illud verè & propriè est reale, per quod præcisè ipsum ens contrahitur, vt constituat specialem quandam categoriam, quia series categoriarum est tantùm pro entibus realibus; vt Dialectici communiter docent; sed ipsum *esse ad* contrahit accidens, vt constituat prædicamentum relationis distinctum à cæteris prædicamentis, vt Dialectici tradunt, & ipsum *esse ad* non eodem modo inesse relationibus

B creatis realibus, & relationibus rationis iidem Dialectici docent; his tantùm conuenire per operationem mentis, illis citra mentis operationem. VI.

Alterum fundamentum tale est: relatio habet à suo fundamento, *esse in*, à suo termino *esse ad:* at non potest intelligi, quomodo terminus valdè remotus à correlato, influat aliquod esse in ipsum correlatum.

Confirmatur: quia si vtrumque esse relationis, nimirum *esse in*, & *esse ad*, est aliquid reale, iam relatio vt sic erit aliquid compositum, & non vna simplex entitas; sicque non habebit locum in categoriis, contra communem sententiam Philosophorum.

Confirmatur secundò auctoritate S. Thomæ, quando hâc quæstione articulo primo, ait in solo prædicamento relationis inueniri aliqua *secundùm rationem tantùm, & non secun-*

C *dùm rem*; hoc enim solùm potest intelligi de ipso *esse ad*, in quo relatio distinguitur ab omnibus aliis prædicamentis: ergo cùm diuinæ relationes sint veræ relationes, erunt tantùm reales secundùm suum *esse in*, & non secundùm *esse ad*. VII.

Respondetur, ex communi doctrina Philosophorum, relationem resultare ad positionem termini, cùm enim vnum extremum, illam quasi implicatam in se, & virtute contineret, eius habitudo explicatur ad positionem alterius extremi; sicque cùm totum eius esse sit respicere alium terminum, eius esse resultat ad positionem alterius termini.

Ad primam confirmationem respondetur, non quodlibet compositum excludi à prædicamentis: nam homo est quid compositum, & tamen habet locum in prædicamento sub-

D stantiæ; sed ea tantùm composita reiiciuntur à ratione prædicamenti, quæ faciunt ens per accidens, nec sunt entia completa; ideóque licet duæ illæ rationes *esse in*, & *esse ad*, distinguantur in relatione creata, quia tamen faciunt vnum quid completum in genere accidentis, relatio non reiicietur propterea à numero categoriarum, cùm talis compositio reperiatur etiam in aliis prædicamentis. VIII.

Ad confirmationem secundam ex S. Thoma respondetur, eius sensum esse in sola categoria relationis intellectû posse fingere aliquid, quod proportionem aliquam habeat ad veram relationem categoricam, non autem posse fingere quid tale in aliis categoriis; qua de re philosophi ex professo disputant in metaphysicis, vbi agunt de ente rationis.

I. V.

ARTICVLVS IV.

Quot sint diuinæ relationes originis.

SIT vnica propositio: *quatuor tantùm sunt diuinæ relationes originis*, scilicet *paternitas, filiatio, spiratio actiua, & spiratio passiua.* Sic sanctus Thomas hâc quæstione articulo quarto, & alij omnes communiter.

Probatur: diuinæ relationes originis tot sunt & debent solùm admitti, quot possunt, & debent correspondere diuinis processionibus ad intra, & personis tam procedentibus, quàm producentibus, quia (vt ipsũ nomẽ *originis* indicat) eiusmodi relationes fundantur in diuinis processionibus; imò & identificantur cum ipsis: at duæ tantùm non plures, ne-
II. que pauciores dantur in diuinis processiones, vt suprà ostendimus: item duæ tantùm personæ dantur procedentes, & vna omninò improducta, seu nullo modo procedens, vt etiam docuimus, & vnicuique processioni duæ tantùm possunt correspondere relationes, vna ex parte principij, alia ex parte termini, vt primæ processioni ex parte principij, *paternitas,* ex parte termini, *filiatio,* secundæ item processioni, ex parte principij, *spiratio actiua,* & ex parte termini, *spiratio passiua:* ergo quatuor tantùm sunt in diuinis relationes originis.

Neque his obstat, quòd inter Patrem & Filium in diuinis detur relatio *dicentis ad dictum,* eáque realis, quæ videatur esse alia à paternitate, & filiatione. Nec item quòd actiua spiratio sit in duabus personis, nimirum Pa-
III. tris & Filij; in humanis verò, quia vis generatiua est in vtroque parente, duas etiam dari relationes, vnam *paternitatis*, alteram *maternitatis.*

Hæc inquam non obstant: primum quidem, quia in diuinis relatio *dicentis ad dictum* est eadem cum relatione paternitatis, & relatio *dicti ad dicentem*, eadem omninò cum relatione filiationis; nam ex sancto Augustino libro septimo *de Trinitate* capite secundo, secunda persona Trinitatis, eo est substantiale & personale Verbum Patris diuini, quo est Filius, & eo est Filius, quo Verbum substantiale, & personale Patris, vt potest intelligi ex dictis de generatione Filij, & ex dicendis infrà de productione eius ex comprehensiua cognitione ipsius Patris, & ex dicendis de no-
IV. mine *Verbi.*

Secundum item non obstat, ita enim relatio spirationis actiuæ est in duabus personis, nimirum Patris & Filij, vt tamen illa sit omninò vnica, indiuisa, & non duæ; & vnicus tantùm terminus secundùm eandem omninò rationem consideratus correspondeat ei; at in creatis est dispar ratio, nam relatio paternitatis est omninò distincta à relatione maternitatis, quia illæ duæ relationes fundantur in distinctis virtutibus agendi, quarum vna est in solo patre, & alia in sola matre, & filius, qui est adæquatus terminus generationis respondet vnicuique secundùm diuersam rationem; quod nullo modo habet locum in diuina spiratione, siue actiua, siue passiua.

A

DISPVTATIO II.

De distinctione relationum originis à se inuicem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum diuinæ relationes originis distinguantur inter se realiter.

TOTA difficultas reuocari potest ad duo: primum est, an realis distinctio detur inter aliquas ex enumeratis superioris disput. artic. vlt. diuinis relationibus originis; secundum
B est, inter quas hæc realis distinctio reperiatur, VI.
& potissimùm an illa detur inter spirationem actiuam & paternitatem, & filiationem. Quod spectat ad primum,

Sit hæc propositio. *Realis distinctio datur inter diuinas relationes originis:* est de fide ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur capite *firmiter* de summa Trinitate, & fide Catholica, & ex Concilio Toletano vndecimo in confessione fidei, vbi dicitur in relatione cerni numerum personarum: item ex Boëtio libro *de Trinitate*, sancto Anselmo libro *de processione Spiritus sancti* capite tertio, & aliis dicentibus relationem multiplicare Trinitatem. Ex quibus hæc probatio elicitur: quidquid distinguit realiter vnum ab alio, debet esse realiter distinctum à reali distinctiuo alterius: at diuinæ relationes origi-
C nis distinguunt realiter diuinas personas à se VII.
inuicem, vt infrà docebitur: ergo diuinæ relationes originis sunt inter se realiter distinctæ.

Probatur etiam & aliâ ratione sancti Thomæ hâc quæstione articulo tertio: ea inter quę est realis oppositio, distinguuntur à se inuicem realiter, quia nihil opponitur sibi ipsi realiter: at inter relationes originis datur realis quædam oppositio, vt inter paternitatem & filiationem, spirationem actiuam, & passiuam, quia Aristoteles in postprædicamentis vbi recenset varias species oppositionum, recẽset & oppositionem relatiuam, de cuius genere est oppositio, quę reperitur inter diuinas relationes originis: ergo aliquæ relationes diuinæ originis distinguuntur realiter à se inuicem.

Obiicitur vulgare illud axioma, *quæ sunt*
D *eadem vni tertio, sunt etiam eadem inter se;* at VIII.
diuinæ relationes originis, sunt idem cum diuina essentia, quia nullam habent oppositionem relatiuam cum illa, & in diuinis omnia sunt idem, vbi oppositio relationis non obuiat: ergo diuinæ relationes originis sunt quid idem inter se, nec per consequens aliquæ illarum distinguuntur realiter à se inuicem.

Respondetur, hoc axioma tunc tantùm esse verum, quando tertium illud sumptum adæquatè non est simul communicabile & incommunicabile, sed est duntaxat incommunicabile; nam quando est tantùm incommunicabile, quæcumque habent illud, sunt vnum inter se, quia tunc ipsum tertiũ sumitur completè, pro eo toto, pro quo potest supponere; sícque quidquid est illud tertium, est etiam illud ipsum, quod est idem cum illo tertio: at

I. quando illud tertium est simul cōmunicabile, A
& incommunicabile, cuiusmodi est diuina essentia, sumpta secundùm totā suam latitudinē, quatenus est simul ens absolutū & relatiuum, suprà citatum axioma non habet veritatē: tunc enim illud tertium non distribuitur perfectè, seu non sumitur pro eo omni, pro quo potest supponere, vt patet in hoc syllogismo: *Deus est Pater, Filius est Deus: ergo Filius est Pater:* nam ibi terminus ille, *Deus*, licet significet rem singularem, quia tamen diuina essentia est quasi vniuersalis, quatenus ita est maximè singularis, vt vna eadémque numero, & manens indiuisa sit communis pluribus suppositis à se inuicem realiter distinctis, & modò supponit pro persona, modò pro essentia, modò rem vt incommunicabilem denotat, modò vt communicabilem; fit, vt in hoc relato syllo-
II. gismo legitima conclusio non eliciatur. B

Quod spectat ad secundum, difficultas est tantùm de actiua spiratione comparata ad paternitatem & filiationem; nam alias relationes originis distingui realiter à se inuicem præterquam quòd omnes Theologi fatentur, & rationes allatæ pro præcedenti parte, probant.

Quod ergo spectat ad illam, Durandus libro primo sententiarum distinctione decimâ tertiâ quæstione secundâ, existimat illam distingui realiter à paternitate & filiatione.

Melior tamen est sententia sancti Thomæ hîc & discipulorum eius, cum qua concludimus: *spirationem actiuam nec realiter, nec formaliter distingui à paternitate in patre, neq à filiatione in filio; sed tantùm virtualiter.* Duæ sunt partes propositionis, posterior probatur
III. iisdem omninò argumentis, quibus infrà o C
stendemus relationes diuinas similiter, & attributa distingui tantùm virtualiter ab essentia diuina.

Prior pars probatur: primò ex Concilio Lateranensi, & refertur capite *damnamus*, extra de summa Trinitate, vbi Concilium aduersus Abbatem Ioachim, expressè damnat omnem quaternitatem rerum in diuinis: at positâ distinctione reali inter actiuam spirationem, & paternitatem, & filiationem, erit vera quaternitas rerum in diuinis: nam erunt quatuor res, omninò inter se distinctæ realiter, quia iam sunt tres relationes, scilicet paternitas, filiatio, & spiratio passiua, præter quas Durandus admittit spirationem actiuam, vt realiter distinctam ab istis omnibus.

IV. Nec Durandus soluit hoc argumentum, di- D
cendo Concilium non damnare quamlibet quaternitatem, sed quaternitatem duntaxat personarum, cum ipsis absolutis.

Hoc inquam non soluit, primò quia ipsemet Durandus suprà numero vigesimo nono, fatetur Concilium hoc ibi etiam concomitatiuè damnasse quaternitatem rerum. Deinde Concilium ibi damnat quamlibet quaternitatem rerum in diuinis, vt patet ex lectione citati eius capitis, in quo nulla fit mentio quaternitatis personarum, & etiam patet ex occasione huius definitionis, quæ occasio fuit, quòd prædictus Abbas arguens erroris Magistrum sententiarum dicentem tres esse personas, in diuinis incommunicabiles, & in iis vnam essentiam, quæ nec generat, nec generatur; ex quibus Abbas ille inferebat Ma-

gistrum sententiarum constituere essentiam V.
velut rem quartam distinctam à tribus personis; ad quem errorem vitandum Abbas ille dicebat tres personas diuinas esse duntaxat vnum inter se vnitate *ordinis*, & nexus, non tamen vnitate essentiæ: Concilium verò ita ibi tuetur Magistrum sententiarum, vt dicat eum non admisisse aliquam quaternitatem rerum, quia Magister docuit diuinas personas identificari cum essentia, ac proinde Concilium damnat quamlibet quaternitatem rerum in diuinis, & ob hanc definitionem Concilij plerique Theologi iudicant sententiam Durandi temerariam, erroneam, aut saltem errori valde proximam.

Secundò probatur auctoritate Patrum, quos in sequentibus referemus, pro identitate reali diuinorum attributorum, tam abso-
lutorum, quàm relatiuorum cum diuina essentia. VI.

Probatur tertiò ratione: vbicumque est subsistens distinctū ab aliis, ibi est & distincta persona ab aliis, quia eiusmodi subsistens distinctum realiter est incommunicabile: at admissâ eiusmodi distinctione reali inter spirationem actiuam, & paternitatem, & filiationem, est subsistens distinctum ab aliis tribus subsistentiis relatiuis: quia omnis & quælibet relatio diuina est subsistens, & spiratio actiua, quæ est subsistens est etiam incommunicabilis; nam omnis communicabilitas fit, vel per identitatem in ipsa re, cui aliquid dicitur communicari, aut per vnionem ad rem ab ea distinctam; spiratio actiua est incommunicabilis priori modo, quia non est iuxta Durandum, eadem res cum paternitate & filiatione: item
posteriori modo, quia aliàs constitueret per- VII.
sonam Patris compositam; adde quòd ipsa actiua spiratio reddat paternitatem iam constitutam incommunicabilem Spiritui sancto: ergo cùm persona sit id, quo aliqua res redditur alij incommunicabilis, actiua spiratio erit persona verè & propriè dicta; sicque erunt in diuinis quatuor personæ, quod est contra fidem.

Tandem: omnia sunt vnum & idem in diuinis, vbi oppositio relationis non obuiat ex Concilio Florentino: at paternitas & filiatio nullam habent oppositionem relatiuam cum actiua spiratione, vt satis per se constat: ergo neque distinguuntur realiter.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta Durandi. VIII.

PRIMVM Durandi fundamentum tale est: illæ relationes, quæ habent terminos formaliter & realiter distinctos, distinguuntur formaliter, & realiter à se inuicem; nam relationes desumunt suam vnitatem, & distinctionem à terminis: at paternitas & filiatio habent distinctos formaliter & realiter terminos à termino ipsius spirationis actiuæ; hæc enim habet Spiritum sanctum, illa Patrem & Filium: ergo distinguuntur realiter.

Respondetur ad hoc argumentum, relationem posse considerari duobus modis: primò secundùm suam entitatem præcisè: deinde secundùm terminum, quem formaliter respicit, quatenus relatio est: iam ab hoc poste-

I. riori relatio habet, quòd sit vna, vel plures, & non à priori: ita vt si plures termini reales inter se distincti formaliter, & realiter respiciantur ab vna & eadem numero entitate, rectè dicantur esse plures reales relationes, sicut ideæ rectè dicuntur esse plures, licet sint vna simplicissima entitas, quia ad plurificationem eiusmodi nominum, sufficit formale significatum illorum multiplicari: at formale significatum relationis est respectus ad terminum; vnde sicut terminus multiplicatur in ratione termini, sic & relatio in ratione relationis, licet ipsa eius entitas non multiplicetur, quia relationes numerantur per suos terminos, & non per suas entitates, sic quia vna & eadem albedo potest respicere duos terminos, diuersâ ratione, vnum cum quo conuenit in albedine, alterum à quo dis-
II. conuenit propter nigredinem, quam habet, fundat duas relationes, vnam *similitudinis*, alteram *dissimilitudinis* respicientes terminos formaliter diuersos; pari modo licet generari & spirari sint duæ relationes, quasi specie differentes, & habeant duas alias relationes, quasi specie differentes sibi in ratione respectus correspondentes, scilicet paternitatem & spirationem actiuam, non propterea tamen debent esse distinctæ quoad suam entitatem; imò non implicat duas relationes, quarum vna sit producentis, & alia producti, respectu tamen diuersorum terminorum esse vnam & eandem entitatiuè consideratas, modò illa entitas habeat aliquam eminentiam, ratione cuius manens vnica quoad entitatem, possit habere duplicem eiusmodi respectum, quo modo generari & spirare sese habent in Filio
III. diuino; & si tale quid non reperitur in relationibus creatis, id non prouenit ex præcisa ratione relationis, sed ex defectu eminentiæ ad id, in ipsa entitate requisitæ.

Neque his obstat, quòd esse relationis dicatur *esse totum ad aliud*, sensus enim non est, quòd vnaquæque relatio entitatiuè considerata debeat vnum duntaxat respicere terminum non plures, sed quòd, quando illa est ad vnicum solummodò terminum, tunc debet respicere illum adæquatè, quando verò est ad plures inadæquatè vnumquemque terminum seorsim consideratum, & omnes simul sumptos adæquatè; sicque semper totum eius esse est ad aliud.

Dices: multiplicato inferiori debet & superius multiplicari: at relatio est aliquid inferius ad rem, & relatio multiplicatur in diuinis
IV. vsque ad numerum quaternarium, quia sunt quatuor relationes reales: ergo & res multiplicabitur; sicque in diuinis erunt quatuor res, quod est contra citatum Concilium Lateranense.

Respondetur maiorem propositionem esse veram, modò appellatio terminorum, vt Dialectici loquuntur, non varietur; at in præsenti casu variatur, quia relationes aliunde habent, vt sint multæ relationes, aliunde vt sint multæ res, hoc posterius habent à sua entitate, prius à solis terminis, quos formaliter respiciunt.

Secundum est ad distinctionem realem in diuinis, sufficit vnum esse principium alte-
A rius; nam ratione originis fit, vt principiatum dicat relationem ad ipsum suum principium: at spiratio actiua in filio est ab eius generatione; ex eo enim, quòd filius accipit esse à patre per generationem, fit, vt habeat spirationem actiuam. V.

Respondetur actiuam spirationem Filij loquendo propriè non esse ab actiua generatione illius, quia in illo priori originis, quo Pater generat, necdum apprehenditur cum filio spirare, nondum Pater intelligitur habere formaliter actiuam spirationem, cùm illa non sit formaliter, nisi quando est processio Spiritus sancti, quem respicit, qui tamen tunc nondum apprehenditur esse: sed tantùm hoc sensu dicitur esse ab actiua generatione, quòd Pater Filium generando, communicauit ei totam suam essentiam, & quia in illa vt sic,
B ipsa spiratio actiua continebatur radicaliter, VI.
Filius consequenter hoc modo habet à Patre spirationem actiuam, quod non est generationem actiuam esse principium actiuæ spirationis in Filio, sed tantùm est esse rationem, cur ei conueniat: quæ duo longè differunt, vt etiam videre est in ipsis attributis diuinis, quorum vnum potest esse ratio alterius, non tamen principium, quia ad rationem principij requiritur actualis emanatio ab illo, & realis distinctio vnius ab alio: at vt aliquid sit ratio alterius attributi, satis est, quòd sit fundamentum, cur vnum conueniat, etiamsi non dimanet ab illo, vt patet in æternitate, quæ licet non emanet ab immutabilitate Dei, ipsa tamen immutabilitas est ratio, cur æternitas competat Deo.

Tertium fundamentum est: sicut paterni-
C tas sese habet ad filiationem, sic actiua spira- VII.
tio sese habet ad spirationem passiuam, quia vtrobique est relatiua oppositio, & distinctio realis: ergo à commutata proportione, sicut filiatio se habet ad spirationem passiuam, ita paternitas sese habet ad spirationem actiuam: at filiatio & spiratio passiua distinguuntur à se inuicem realiter: ergo etiam paternitas & spiratio actiua distinguuntur realiter.

Respondetur argumentum à commutata proportione valere in solis quantitatibus, cuiusmodi non sunt relationes; aliàs enim per proportionem similiter commutatam probaremus personam generantem & spirantem esse duas personas distinctas hoc modo: sicut se habet Pater ad Filium, ita spirator ad Spiritum sanctum: ergo à commutata proportione sicut Filius & Spiritus sanctus sese habent, ita
D Pater & spirator; sed Filius & Spiritus sanctus VIII.
sunt duæ personæ realiter distinctæ: ergo Filius & spirator erunt duæ distinctæ realiter personæ: sicque quatuor personæ erunt in diuinis, quod est hæreticum.

Vltimum est: eadem res non potest esse producens & producta per idem: at Filius est producens per spirationem actiuam & per filiationem est productus: ergo filiatio & spiratio non sunt idem realiter.

Ad vltimum respondetur, idem virtute duplex posse esse producens & productum, pro distincta ratione, sicut Filius est idem cum Patre ratione diuinæ naturæ, à quo tamen Patre Filius generatur.

I.

DISPVTATIO III.

De distinctione relationum originis ab essentia diuina.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum relationes originis distinguantur ab essentia diuina.

REPETENDVM est ex metaphysicis præter distinctionem realem, quâ duo distinguuntur à se omninò inuicem realiter, tanquam res à re, verbi gratiâ, Petrus à Paulo (quæ distin-
II. ctio alio nomine dicitur *maior distinctio realis*) dari adhuc aliam, quæ vocatur distinctio *ex natura rei*, seu *minor realis*, quæ est ante omnem operationem intellectus, & est, quando duo ita sese habent ad inuicem, vt, licet sint vnum quid realiter in aliquo indiuiduo, nihilominus vnumquodque illorum habet entitatem distinctam ab entitate alterius, licet non possit existere sine illo, sic quantitas, figura, color distinguuntur inter se, vt etiam S. Augustinus docet libro sexto *de Trinitate* capite sexto; non enim potest dari color sine quantitate, nec quantitas extensa sine aliqua figura; vnde eiusmodi distinctio reperitur in iis, quæ cùm sint vnum quid in se, duos tamen habent conceptus obiectiuos inter se distinctos, cuius distinctionis fundamentum
III. est actualis distinctio entitatis illorum, & nonnulli hanc distinctionem vocant *formalem*.

Notandum secundò, hanc distinctionem *ex natura rei*, seu *formalem* posse duobus modis conuenire alicui; primò *actu & formaliter*, secundò *virtute & eminenter*: conuenit priori modo, quando alicui rei conuenit iuxta eius explicationem nunc assignatam; posteriori autem modo conuenit, quando vna & eadem entitas est ita simplex & perfecta, vt existens vna, eadémque simplicissima, possit per seipsam præstare ea, quæ aliæ naturæ per multas virtutes & qualitates distinctas inter se ex natura rei præstant. Sic anima rationalis dicitur in eodem homine distingui *virtualiter* à vegetatiua & sensitiua, sic in sole vis calefactiua, siccitiua, & productiua aliorum effectuum: hæc autem distinctio tunc maximè reperitur, quando eiusmodi entia simplicia non consi-
IV. derantur secundùm adæquatam suam virtutem, sed tantùm inadæquatè, aliis perfectionibus & virtutibus quas habent, veluti seiunctis; sic anima rationalis communicat homini gradum vegetandi & sentiendi, prout consideratur secundùm inadæquatam tantùm suam virtutem, quia vltra hos duos gradus habet, quòd tribuat homini esse rationale. His prænotatis.

Quod spectat ad præsentem difficultatem: prima opinio fuit Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis, cuius meminit sanctus Thomas hâc quæstione articulo secundo, & contra quem actum est primò Antisiodori: deinde Parisiis, tandem Rhemis, in Concilio Rhemensi sub Eugenio tertio, vt referunt Otho Frisingensis libro de *gestis Friderici* primo,
A V. capite quinto, & alij apud Cardinalem Baronium tomo duodecimo Annalium ad annum Christi Domini millesimum centesimum quadragesimum septimum, & centesimum quadragesimum octauum, in quo Rhemensi Concilio Porretanus condemnatus resipuit, vt refert sanctus Bernardus sermone octogesimo *in Cantica Canticorum*, & prædicti auctores notant. Eius autem opinio fuit, relationes diuinas realiter distingui ab essentia diuina, esséque ipsi veluti assistentes, & affixas.

Atque hanc eius fuisse mentem, & non eam, quòd scilicet tantummodò constituerit actualem distinctionem, seu *ex natura rei*, inter essentiam diuinam & relationes, vt vult Vasquesius ad præsentem quæstionem sancti Thomæ, patet, tum ex eo, quòd primo capite suæ accusationis & responsionis ad interrogatio-
B VI. nem summi Pontificis, assereret diuinam essentiam non esse Deum, quatenus hoc nomen *Deus* ponitur in designationem personæ, vt prædictus Otho refert suprà capite 56. at distinctio actualis, seu tantùm *ex natura rei*, non tollit identitatem essentiæ, & relationum diuinarum, nec sufficit, vt essentia negetur de personis diuinis, quemadmodum obseruant discipuli Scoti: tum etiam, quòd propositiones illæ, quas tunc sanctus Bernardus & Episcopi Galliæ tanquam Catholicas opposuerunt prædictis propositionibus dicti Gilberti, quæque postea redactæ sunt in symbolum Rhemense, & rationes, quibus sanctus Bernardus suprà refellit opinionem Porretani, indicant illum asseruisse distinctionem realem essentiæ à diuinis relationibus. Tum etiam quòd communiter tribuatur Scoto, quòd ve-
C VII. lit esse distinctionem ex natura rei, inter essentiam & diuinas relationes, non tamen eius opinio damnetur, tanquam hæretica, quod aliàs esset faciendum, si opinio Porretani procederet tantummodò de tali distinctione.

Contraria tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est de fide ex Concilio Rhemensi sub Eugenio tertio, cuius acta & canones fusè Baronius refert suprà; sic enim habetur in tertio articulo symboli: *credimus & confitemur, solum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquas omninò res; siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia eiusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* Item ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur citato capite *damnamus*, vbi omnis *quaternitas* in diuinis
D VIII. damnatur, vt ostendimus contra Durandum: at positâ opinione Gilberti, datur quaternitas rerum in diuinis; cùm relationes personales diuinæ realiter distinguantur à se inuicem, & in opinione Gilberti distinguantur etiam realiter ab essentia. Probatur etiam ex Concilio Florentino sessione decimâ octauâ, decimâ nonâ, vigesimâ quartâ, & vltimâ, vbi Patres tam Græci, quàm Latini passim profitentur hypostases personarum diuinarum, non distingui re ab essentia diuina.

Probatur item auctoritatibus Patrum, quas Magister sententiarum fusè refert libro primo, tam distinctione octauâ quàm trigesimâ primâ, & Scholastici ibi, & hâc quæstione S. Thomæ, & ex auctoritate expressissimâ sancti Bernardi sermone 80. *in Cantica Canticorum*,

I. vbi ex professo defendit nostram conclusionem contra Gilbertum, & aliquos eius discipulos.

Tandem primò probatur ratione, quæ est sancti Bernardi suprà; relatio diuina vel est aliquid, quod est Deus, vel aliquid quod non est Deus, vel est nihil; sed diuina relatio non est nihil, suprà enim ostendimus relationes diuinas esse reales; non est item aliquid, quod non est Deus, quia vel illud est minus, vel maius, vel par ipsi Deo: si est maius; ergo Deus seu diuina essentia non est summum bonum, quia summo bono nihil potest dari maius: si est par; ergo iam summum bonum non est vnum duntaxat, sed duo: & sic erunt duo fines vltimi, quod est absurdum: non potest item dici minus, quia ex symbolo sancti Athanasij *in Trinitate nihil est maius aut minus*: ergo re-
II. stat vt relatio diuina sit ipse Deus, seu vt relatio & essentia in diuinis sint necessariò idem.

Secunda ratio: si relationes diuinæ essent distinctæ realiter ab essentia diuina, iam aliqua compositio esset in Deo, repugnans eius simplicitati, nimirum multitudo realitatum à se inuicem realiter distinctarum, quæ tamen essent vnus Deus; item singulæ personæ essent compositæ ex diuina essentia & proprietate relatiua, tunc enim diuina essentia esset in potentia physica ad recipiendum in se ipsa relationes diuinas sibi non identificatas.

Tandem datâ opinione Gilberti quatuor dij deberent admitti; nam omnis illa res, quæ ita habet intrinsecè necessitatem existendi, vt à nullo alio sibi extrinseco possit destrui, est necessariò reipsa Deus: sic enim est ens independens à quocumque alio: at positâ opinione
III. Gilberti dantur quatuor res eiusmodi: nam vnaquæque relatio diuina personalis est res, non tantùm ab alia simul, relatione realiter distincta, sed etiam à diuina essentia, & vnaquæq; illarum personalium relationum tantã habet intrinsecè necessitatem existendi, quàm diuina essentia habeat, quia vnaquæque illarum est res æterna, nec potest non existere: nam ex tertia assertione Gilberti apud Baronium suprà diuinæ personæ sunt distinctæ tribus personalibus relationibus, item personæ non possunt existere, quin existant realiter à se inuicem distinctæ; nec hæc illarum distinctio potest à quocumque destrui, & præter illas datur adhuc diuina essentia, iuxta Gilbertum distincta realiter à prædictis relationibus, & illa habet etiam intrinsecam necessita-
IV. tem existendi, quia implicat illam non existere: ergo in opinione Gilberti erunt quatuor dij, quod est hæreticum & blasphemum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta Gilberti Porretani.

PRIMVM est: quòd multa negentur de essentia diuina, quæ tamen verè affirmantur de relationibus, & personis diuinis, vt quod essentia, nec generet, nec generetur, econtrà persona nimirum Patris generet secundam personam Trinitatis, diuina essentia non dicatur incarnata, sed persona diuini Verbi: ergo ad veritatem istarum propositionum, & ad vitandum hæresim Sabellij, confundentis omnes diuinas personas, videtur,
A inquiebat ille, dicendum proprietatem per- V.
sonalem in diuinis ita esse distinctam realiter à diuina essentia, vt tantùm sit ei & veluti assistens & affixa.

Respondetur distinctioné virtualem, quam inferiùs assignabimus inter diuinam essentiam, & eius relationes sufficere, vt aliquid affirmetur de essentia diuina, quod tamen negatur de eius relationibus, & econtrà, vt ibi explicabitur: incarnationem verò fuisse factam immediatè in hypostasi Verbi, & non in essentia diuina, non obstante identitate reali inter hypostasim Verbi & essentiam diuinam, docent omnes Theologi quæstione secundâ tertiæ partis.

Alterum est: quòd aliàs veritas huius mysterij non videatur posse stare, nisi hoc principium totius formæ syllogisticæ etiam funditus
B euertatur, nimirum *quæ sunt eadem vni tertio,* VI.
sunt eadem inter se; si enim illud axioma maneat verum, necessarium erit etiam fateri ipsas diuinas relationes, quæ identificantur cum essentia, non distingui realiter à se inuicem; sícque totum mysterium Trinitatis consistere in sola apprehensione hominum, quod est blasphemum.

Respondetur totam rationem syllogisticam non fundari in isto axiomate, *quæ sunt eadem vni tertio*, &c. sed in istis duobus, *dici de omni, dici de nullo*, hoc est, quidquid dicitur de aliquo vniuersali, dicitur etiam de quolibet contento sub illo, & quidquid negatur de vniuersali, negatur etiam de quolibet contento sub illo: hæ enim sunt regulæ quas Dialectici tradunt communiter ad manifestandum consequentiam modorum primæ fi-
C guræ, ad quam cæteræ reducuntur. VII.

Deinde vt ex hoc axiomate aliquid vi formæ syllogisticæ sequeretur contra mysterium Trinitatis, esset necesse terminum medium in syllogismo sumi completè & adæquatè, seu pro eo omni; quod significat, quia istud axioma potest ad summum intelligi de iis tantùm extremis, quorum vnumquodque est completè, & adæquatè idem cum ipso tertio, prout comparantur cum illo: at in mysterio Trinitatis nunquam legitimus syllogismus potest formari, in quo duo extrema sint, vel aliquæ ex diuinis relationibus ita adæquantes totum, & totaliter, quod est in Deo, vel quod est diuina essentia, sumpta completè & adæquatè, ideóque nunquam potest contingere, vt hoc mysterium Trinitatis sit contra formam syl-
D logisticam, etiam si ex suppositione fundare- VIII.
tur in prædicto axiomate.

Addi etiam potest hoc axioma nunquam esse verum in iis, quæ aliquam habent inter se oppositionem, licet enim hæc aliquando identificentur in aliquo tertio, cum quo nullam habent oppositionem, nihilominus, quia hæc oppositio inter eiusmodi opposita non tollitur per identificationem eorum in tertio, & hæc oppositio est essentialis, identificatio autem non destruit essentiam identificatorum; ideò fit, vt hæc ad se inuicem comparata non possunt dici esse vnum, & idem: in huius rei exemplum sanctus Thomas hâc quæstione articulo tertio in solutione ad primum profert ex libro tertio *physicorum* textu vigesimo secundo actionem & passionem, quæ licet sint idem cum motu, seu identificentur cum mo-

I. tu, quia tamen sibi inuicem opponuntur, non sunt idem inter se: at diuinæ relationes sunt sibi inuicem oppositæ: ergo rectè possumus intelligere illas ita idétificari cum diuina essentia, vt tamen ad se inuicem comparatę nunquã sint idem inter se, sed quòd semper seruent realem suam distinctionem: maximè cùm in diuinis ibi tantùm reperiatur distinctio realis, vbi est relatiua oppositio, quæ non reperitur inter essentiam diuinam, & eius relationes; reperitur tamen & semper manet inter relationes diuinas originis comparatas ad se inuicem.

Articvlvs III.

Vtrum relationes originis solo nomine ab
II. *essentia diuina distinguantur.*

Tribvitvr affirmans sententia Aureolo in primum sententiarum distinctione primâ, & in secundum distinctione 33.

Contraria tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est communis inter omnes: probatur primò ex Concilio Lateranensi superiùs relato, vbi illæ propositiones *essentia generat, essentia generatur,* damnãtur, tanquam hæreticæ, ex quo hæc ratio formatur pro nostra propositione: vbi aliqua ita se habent ad inuicem, vt nemine cogitante aliquid insit, & conueniat vni eorum, quod alij non inest, nec conuenit, ibi est aliqua distinctio inter illa plusquàm *rationis ratiocinantis,* quia hæc tota pendet ab intellectu fabricante illam, & proinde si nullus cogitet, non
III. erit: at nemine cogitante conuenit essentiæ diuinæ, vt nec generet, nec generetur, Patri verò ratione suæ paternitatis, quòd generet, & Filio, quòd generetur, ex Concilio nunc citato loquente de essentia, & diuinis personis; non vt tantùm subsunt nostris conceptibus, sed prout hoc mysterium est à parte rei, & secundùm se in Deo: ergo inter essentiam diuinam & relationes eius est maior distinctio, quàm sit sola distinctio rationis ratiocinantis.

Confirmatur: à parte rei, & nemine cogitante diuina essentia est communicabilis, imò reipsa est in omnibus personis diuinis: at relatio paternitatis, verbi gratiâ, conuenit soli Patri, filiatio secundæ tantùm personæ, ideóque in præfatione Missæ de sancta Trinitate sic Ecclesia canit: *vt in confessione veræ sempi-*
IV. *ternæque deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoratur æqualitas:* & sanctus Basilius etiam referente Marco Ephesino sessione decimâ octauâ Concilij Florentini, in quo ille agebat partes Græcorum, ait essentiam diuinam distingui à personis & relationibus, tanquam commune à proprio, in quo etiam Latini consentiunt ibi.

Tandem si diuina relatio & essentia hoc solùm modo distinguerentur, frustrà Patres Latini & Græci, tandiu laborassent & disceptassent de admittenda, vel non admittenda aliqua distinctione vera, inter significatum horũ nominũ *substantiæ, essentiæ,* & huius alterius nominis *hypostasis:* quam tamen ex communi consensu vtriusque Ecclesiæ admiserunt, vt non fabricatam à nostro intellectu, & si hæc tantùm distinctio inter illas admittatur, tollitur omninò mysterium Trinitatis, & hæresis

A Sabellij vera erit, vt quilibet potest per seipsum animaduertere: ergo maior aliqua distinctio datur inter essentiam diuinam, & eius relationes, quàm sit etiam sola distinctio rationis ratiocinantis. V.

Articvlvs IV.

Soluuntur fundamenta sententiæ superiori articulo reiectæ.

Primvm est: vbi datur distinctio eorum, quæ in aliquo sunt vnum, ibi necessariò datur compositio eiusdem generis, & conditionis ex iis prout sunt vnum; at nulla datur propriè compositio etiam rationis ex diuina essentia, & diuinis relationibus, quia hoc re-
B pugnat diuinæ simplicitati, vt docuimus ad quæstionem tertiam huius partis: igitur non datur distinctio inter essentiam diuinam & relationes. VI.

Respondetur negando maiorem: nam ad compositionem propriè dictam etiam rationis, virtualem distinctionem non sufficere, sed requiri formalem, vel modalem ostendimus suprà ad quæstionem tertiam huius partis; nisi enim sint distinctæ actualitates seu realitates, non facient numerum, nec compositionem, cùm nihil componat seipsum; tum etiam quia ad veram compositionem requiritur, vt vnum habeat rationem potentiæ, vel perfectibilis, & alterum rationem actus, vel perfectiui, vt intelligitur ex Aristotele libro septimo *metaphysicorum* capite decimo sexto, & libro octauo *metaphysicorum* capite sexto; sicque faciant
C aliquem numerum: at verò diuina essentia comparata ad relationes diuinas, non habet rationem potentiæ, cùm inter illas & diuinam essentiam summa & omnibus modis perfecta identitas realis, seu omnimoda realitas detur: hæc autem omnimoda realitas excludat omnem rationem potentiæ, inter ea, quæ sic realiter identificantur, cùm neutrum eorum possit habere realitatem, nisi omnimodè identificatam cum realitate aliûs; sicque non potest esse potentia secundùm vnam rationem, & esse actus secundùm aliam: nec etiam diuina essentia propriè importat rationem perfectibilis, quia hæc denotat passiuam potentialitatem, quæ nulla est in Deo. VII.

Addidi inter respondendum istam particulam (*summa & omnimoda realitas, ita vt neu-*
D *trum eorum, quæ sic identificantur, possit habere realitatem nisi identificatam cum realitate aliûs*) vt per hanc particulam via excluderetur obiectioni, quæ formari posset in contrarium de gradibus metaphysicis, qui licet realiter identificentur, vnus tamen eorum habet rationem potentiæ, & alter actus, exempli gratiâ, animal identificatur realiter cum rationali in homine, in quo tamen habet rationem potentiæ; nam quo ad præsentem difficultatem est dispar ratio vtriusque, quòd nimirum illi gradus metaphysici, non tam perfectam & omnimodam identitatem realem habent inter se, quàm essentia diuina & eius relationes habeant; quia aliquid potest esse animal, quod tamen identitate reali spectatâ in particulari non sit rationale, verbi gratiâ, quando animal est in bruto, vbi de facto datur sine rationali sibi realiter identificato, sicque animal VIII.

I. A potest contrahi tanquam genus, seu potentia metaphysica, per rationale velut differentiam, seu actum metaphysicum, vt constituat hominem, & sic defectu perfectissimæ & omnimodæ identitatis realis, vnum potest habere rationem potentiæ vt comparatur ad aliud: at in re præsenti omninò contrarium reperitur; nam vbicumque est diuina essentia, ibi est secundùm identitatem realem & diuina relatio, & econtrà, & sic essentia diuina non habet propriè rationem potentiæ, nec relatio rationem actus, & proinde nulla ibi reperitur compositio.

Secundum est: res illæ, quæ carent numero, secundùm quod sunt in intellectu, siue Angelico, siue humano, carent etiam aliquâ vnitate, sub qua, vna istarum rerum concipiatur abstracta, & quasi distincta ab alia, si enim
II. B haberent talem aliquam vnitatem, facerent saltem in intellectu aliquem numerum: sed diuina essentia nullum facit numerum cum ipsis suis relationibus, vt habetur citato capite *damnamus*: ergo etiam non habet aliquam distinctionem à suis relationibus.

Respondetur negando maiorem, quia ad hoc vt aliqua, quæ sunt vna tantùm res, seu idem omninò realiter, concipiantur alio modo distincta, quàm realiter, non est necesse, vt faciant aliquem numerum, propriè loquendo, quatenus numerus dicit multitudinem entitatum actualium à se inuicem de facto distinctarum; sed sufficit, vt conceptus posterior illius eiusdem rei, dicat aliquid reale superadditum priori conceptui eiusdem rei, & entitatis inadæquatè consideratæ, vt patet ex exemplis superiùs allatis in secundo notabili;
III. C ideóque licet diuina essentia cum relationibus diuinis non faciat numerum, non proptereà tamen desinet habere aliquam distinctionem ab illis.

Tertium est: quando duo conceptus ita se habent, vt vnus nihil addat ad alium, tunc per vtrumque idem concipitur, & secundùm eandem omninò vnitatem, & sic nulla datur distinctio inter illa; at conceptus paternitatis nihil addit supra conceptum diuinæ essentiæ, nec item è conuerso, quia aliàs essentia diuina & paternitas iam essent duæ res: ergo idem concipitur per conceptum diuinæ essentiæ, & per conceptum paternitatis, & ex consequenti essentia diuina & paternitas non distinguuntur à se inuicem etiam ratione ratiocinante.

Respondetur negando minorem; nam conceptus relationis, exempli gratiâ, paternitatis,
IV. D addit aliquid reale supra diuinam essentiam, nimirum rationem respiciendi Filium; quæ tamen relatio non distinguitur realiter à diuina essentia: quando enim hæc concipitur in ratione essentiæ duntaxat, non concipitur in ratione alicuius respectiui, quo tamen modo concipitur per conceptum paternitatis, filiationis & spirationis; neque ex eo, quòd duo isti conceptus inadæquati distinguuntur à se inuicem, vnus sit posterior, alius sit prior, benè sequitur essentiam diuinam, & aliquam ex eius relationibus esse duas res, quia ad hoc virtualis distinctio inter illas sufficit; vt patebit ampliùs explicando nostram sententiam.

ARTICVLVS V. V.

Vtrum relationes originis distinguantur formaliter, seu ex natura rei, ab essentia diuina.

CENSET Scotus libro primo sententiarum distinctione primâ quæstione septimâ, & alibi, item discipuli eius, dari verè propriè & formaliter distinctionem actualem, seu ex natura rei, inter diuinam essentiam & relationes eius, ita vt etiam si diuina essentia, & eius relationes sunt vna & eadem res, nihilominus tamen illa per vnam formalitatem propriè sumptam, esse & dici essentiam, per aliam verò formalitatem distinctam actu seu ex natura rei, & formaliter à præcedente esse & dici relationem. VI.

Contraria tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est communis inter omnes discipulos sancti Thomæ, & alios à Scotistis & Nominalibus hâc quæstione sancti Thomæ, & primo sententiarum distinctione trigesimâ tertiâ, scilicet *nullam esse de facto, & actu distinctionem formalem propriè dictam, seu ex natura rei, inter essentiam diuinam, & relationes eius*; imò hæc nostra propositio est tam communis inter scholasticos, vt Scotus in primum sententiarum distinctione secundâ quæstione primâ, non sit ausus discedere ab ea assertione, sed tantùm disputando & sine præiudicio melioris sententiæ, vt patet ex eius verbis ibi; item, vt plures existiment hanc tertiam opinionem esse parum tutam in fide, vt pote asserentem quaternitatem rerum in diuinis, & tollentem VII. summam simplicitatem Dei, de quorum numero sunt Molina, Valentia ad præsentem quæstionem sancti Thomæ, Suares libro quarto *de Trinitate* capite quarto numero decimo tertio, & aliqui alij: quorum tamen censuram, vt nimis rigorosam, non tantùm Scotistæ, sed etiam aliqui alij reprehendunt, & hanc sententiam Scoti posse defendi sine vllo periculo fidei fusè docet Ægidius *à præsentatione* tractatu *de beatitudine*, libro quinto de visione diuinæ essentiæ, quæstione duodecimâ articulo tertio paragraphis quinto, sexto, septimo, octauo, licet nostram sententiam explicatam hâc propositione existimet esse verissimam.

Nostra probatur propositio: primò, & potissimùm auctoritate vtriusque Ecclesiæ, ni- VIII. mirum Orientalis & Occidentalis in Concilio Florentino sessione decimâ octauâ, vbi Ioannes Theologus disputans pro Latinis contra Marcum Ephesinum agentem partes Græcorum, docet diuinam essentiam, seu substantiam & personam re esse idem, & tantùm distingui secundùm nostrum modum intelligendi; & Marcus Ephesinus statim subiungit Græcos hac in re non dissentire à Latinis; quod idem repetitur sessione decimâ nonâ, vigesimâ quartâ, & vigesimâ quintâ. E quibus testimoniis ea ratio potest formari pro nostra propositione: distinctio ex natura rei actu de facto formaliter existens est talis conditionis, vt ad perfectam eius rationem non sit opus creatum intellectum aliquid negotiari; nam quatenus talis, antecedit omnem operationem

I. intellectus, seu est omninò completa ante A
illam, & ideò dicitur *realis minor*, vt monuimus: at ex auctoribus Concilij Florentini nunc relatis, noster intellectus negotiatur aliquid circa distinctionem essentiæ diuinæ à diuinis relationibus originis, quia ibi dicuntur distingui duntaxat secundùm modum nostræ intellectionis, solâ item ratione & intelligentiâ (his enim terminis expresè declaratur ibi hæc distinctio illarum à se inuicem) & vera formalis & actualis distinctio seu ex natura rei non est inter essentiam diuinam, & eius relationes originis.

Neque est, quòd quis respondeat istas auctoritates non haberi in definitionibus dicti Concilij Florentini, sed totum istud fuisse solummodò dictum inter disputandum; nam
II. ita dictum est ab vtraque parte inter disputandum, vt sæpè fuerit repetitum, nec ab aliquo Concilij, siue ex parte Græcorum, siue ex parte Latinorum reprehensum. Vnde ad minus videtur esse tacitè receptum ab omnibus tanquam vera, & communis quædam doctrina vtriusque Ecclesiæ Orientalis nimirum & Occidentalis.

Secundò probatur auctoritate Patrum, vt sancti Athanasij, qui dialogo primo *de Trinitate* satis longè à fine agens de distinctione immortalitatis diuinæ, & aliorum eiusmodi attributorum absolutorum ab hypostasi, ait Deum hæc dici *non per compositionem*, quâ loquendi formulâ significat tantam esse simplicitatem Dei, & identitatem inter essentiam diuinam, relationes eius, & etiam personas diuinas, vt distinctio earum ad se
III. inuicem compleatur ab intellectu: item ex sancto Damasceno libro primo *de fide orthodoxa* capite vndecimo, vbi agens de essentia diuina, de iis, quæ sunt in illa, & de eorum distinctione inter se, ita ait: *quod autem in ea distinctum est cogitatione solâ distinguitur*, qui loquendi modus satis clarè ostendit non dari actualem distinctionem, seu ex natura rei, inter essentiam, relationes eius, & alia attributa essentialia: nam hæc particula exclusiua *sola* excludit omnem aliam distinctionem actu realem, cuiusmodi est distinctio ex natura rei.

Tandem probatur ratione: diuina essentia & eius relationes non eâ distinctione cum identitate reali distinguuntur inter se, quâ perfectior potest dari identitas, & maior simplicitas inter illas, cum sufficienti ratione saluandi omnia, quæ pertinent ad mysterium tam Trinitatis in personis, quàm vnitatis in
IV. essentia: quia sicut Deus est primum ens omnium nobilissimum, ita habet in seipso simplicitatem perfectissimam omnium, & proinde identitatem perfectissimam inter ea, quæ sunt in illo, quantum veritas huius mysterij pati potest: at perfectior identitas & maior simplicitas essentiæ diuinæ cum suis relationibus potest dari per solam virtualem distinctionem inter illas, cum sufficienti ratione saluandi omnia, quæ pertinent ad mysterium Trinitatis personarum, & vnitatis earum in essentia, quàm detur de facto per distinctionem formaliter actualem, seu ex natura rei inter essentiam diuinam, & eius relationes: ergo essentia diuina & eius relationes non distinguuntur inter se distinctione formaliter actuali, seu ex natura rei. Maior patet ex conditione & perfectione ipsius Dei. V.

Minor quoad primam sui partem, quæ asserit, *dari perfectiorem identitatem, & maiorem simplicitatem essentiæ diuinæ, & relationum eius per solam virtualem distinctionem inter illas*, probatur: ea quæ ita sunt vnica simplicissima entitas, vt tamen virtute æquipolleant pluribus realiter, vel formaliter à se inuicem distinctis, sunt magis sibi inuicem identificata, quàm quæ seruant inter se distinctionem formalem, seu ex natura rei, quia sic magis recedunt à distinctione reali, & accedunt ad identitatem inter se, & proinde arguunt maiorem simplicitatem; quæ verò seruant inter se distinctionem formaliter actualem, & ex natura rei, recedunt ma-
B gis ab identitate, & magis accedunt ad distinctionem realem, vt per se patet; sed quæ seruant duntaxat virtualem distinctionem inter se sunt talia, & vnica simplicissima entitas, vt patet ex dictis suprà, & talis solùm est distinctio essentiæ diuinæ à suis relationibus, vt ostendemus infrà: ergo maior est identitas & simplicitas essentiæ diuinæ & relationum eius per distinctionem tantùm virtualem inter illas, quàm sit per distinctionem formalem propriè actualem & ex natura rei. VI.

Secunda item pars eiusdem minoris, scilicet *hanc distinctionem virtualem saluare sufficienter omnia, quæ pertinent ad mysterium Trinitatis personarum & vnitatis earum in essentia*, patebit tum explicatione & probatione nostræ propositionis articulo septimo; tum etiam solutione argumentorum huius
C sententiæ. VII.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta sententiæ Scoti.

PRIMVM desumitur ex auctoritate sancti Augustini, qui passim loquens de diuina essentia, eius relationibus, & personis diuinis, significat hanc esse distinctionem inter illas; nam libro septimo *de Trinitate* capite primo, ait Patrem non esse sapientem sapientiâ genitâ, quia sequeretur essentiam diuinam esse quid relatiuum: ergo cùm sapientia genita sit Filius, illa distinguetur actu à sapientia ingenita, quæ est diuina essentia. Item ibidem ait id quod relatiuè dicitur, esse aliquid *excepto relatiuo*: ergo ex mente sancti Augustini in primo persona Trinitatis præter pater-
D nitatem est aliquid absolutum; at quod est excepto alio, non est illud actu: ergo diuina relatio puta paternitatis non est actu ipsa diuina essentia: ergo distinguitur actu, & ex natura rei. Item capite quinto & sexto eiusdem libri loquens de Patre diuino ait eum non eo esse Patrem, quo Deus est; quod tamen esset falsum, si diuina essentia & paternitas ita essent idem, vt non distinguerentur ex natura rei, tunc enim haberent tantùm distinctionem inter se per operationem intellectus. VIII.

Respondetur negando hæc testimonia probare dari de facto distinctionem ex natura rei inter essentiam diuinam, & relationes eius: quia quæcumque sanctus Augustinus ibi refert & vrget, possunt rectè intelligi esse vera cum sola virtuali distinctione inter essentiam

I. diuinam, & relationes eius; sic enim possumus intelligere diuinam essentiam non esse sapientiam genitam identitate virtuali perfectâ, sed esse distinctam ab illa virtualiter, licet non sit distincta ab illa ex natura rei: sic rectè intelligitur, id quod relatiuè dicitur esse aliquid *excepto relatiuo*, id est naturam diuinam esse aliquid absolutum, distinctum virtualiter à sua relatione, quia persona diuina constituitur essentiâ & relatione, non tamen esse distinctum ex natura rei: pari iure intelligitur Deum Patrem non eo esse Deum, quo est Pater, nec eo esse Patrem, quo Deus est; sumptâ istâ particulâ *(eo, quo)* pro ratione, quæ sit eadem, non tantùm formaliter, & ex natura rei, sed etiam ita eadem, vt virtualiter distinguatur ab alia, quâ Pater est Deus. Nec inde sequitur essentiam diuinam & re-
II. lationes eius distingui tantùm inter se per operationem intellectus: nam infrà ostendemus quomodo hæc virtualis distinctio sit ante operationem cuiuscumque intellectus creati, & quomodo etiam cognoscatur à Deo.

Secundum est eiusmodi: Pater intelligens seipsum in primo signo originis, vel intelligit essentiam & paternitatem, tanquam duo obiecta formaliter, & ex natura rei distincta, vel vt idem obiectum sub alio, & alio concipiendi modo: non hoc secundo modo; tunc enim non esset maior distinctio inter paternitatem & deitatem, quàm inter Deum & & deitatem; quod tamen est falsum, cùm deitas sit communicabilis, & sic concipiatur à Deo Patre; paternitas verò sit incommunicabilis, & sic intelligatur à Patre: ergo Pater
III. intelligit in primo signo originis diuinam essentiam & paternitatem, vt duo obiecta formaliter & ex natura rei à se inuicem distincta: ergo cùm hæc cognitio Patris diuini sit intuitiua, & terminetur ad rem vt est in ipsa, essentia diuina debet esse distincta formaliter, & ex natura rei ab ipsa paternitate, quæ est relatio.

Respondetur, Deum Patrem in primo illo signo originis, non intelligere diuinam essentiam & paternitatem, vt duo obiecta distincta realiter, & ex natura rei, sed vt vnum virtute tamen multiplex, vt mox explicabitur.

Ad id verò, quod ibidem obiicitur, nimirum, *negatâ actuali distinctione, seu ex natu-*
IV. *ra rei inter essentiam diuinam, & eius relationes, sequi non fore maiorem distinctionem inter paternitatem & deitatem, quàm sit inter Deum & deitatem.* Respondetur id esse falsum; nam Deus & deitas eo tantùm modo distinguuntur, quo concretum à suo abstracto, scilicet in modo significandi, vt Dialectici communiter tradunt: at deitas & paternitas magis distinguuntur inter se: cùm illi conceptus quos formamus de deitate & paternitate sint magis distincti inter se, quàm conceptus illi quos formamus de deitate & de Deo, vtpote qui habeant suæ distinctionis maius fundamentū in ipsa re, quàm sit solus modus diuersimodè significandi. Nec quidquam fauet, quòd modus iste, quo concretum distinguitur ab abstracto, sit etiam rationis; nam hæc distinctio habet aliquam latitudinem, iuxta quam alia aliis magis distinguuntur, scilicet quate-

A nus habent maius fundamentum suæ distinctionis in ipsa re, quomodo semper deitas & V.
paternitas magis distinguuntur inter se, quàm Deus & deitas.

Tertium est: repugnat idem formaliter, & ex natura rei esse rationem conuenientiæ, & distinctionis inter aliqua; item aliquid omninò idem ex natura rei esse de facto communicabile & incommunicabile; item contraria verificari de duobus, quæ in re aliquo modo non distinguuntur, quia aliàs contradictoria simul essent vera de eodem: at essentia diuina est ratio conuenientiæ inter omnes personas diuinas, quatenus omnes illam eandem numero habent: relatio item est ratio distinctionis, exempli gratiâ, paternitas & filiatio distinctionis realis, quæ est inter Patrem & Filium: item diuina essentia est com-
B municabilis, paternitas verò, similiter filia- VI.
tio incommunicabilis: item verificatur de diuina essentia quòd non generet, nec generetur: ergo diuina essentia & eius relationes non sunt vnum & idem formaliter, seu ex natura rei; sed distinguuntur à se inuicem realiter, & ex natura rei.

Respondetur negando maiorem, nam quod est ita idem formaliter actu, & ex natura rei, vt tamen sit virtute multiplex, ei non repugnat esse simul communicabile & incommunicabile; nec item, vt duo contradictoria verificentur de illo, quia virtualis distinctio, quæ reperitur in tali ente simplicissimo præstat idem quod distinctio verè de facto actualis, seu ex natura rei, vel etiam realis præstaret: quia talis simplex entitas æquipol-
C let pluribus entitatibus, quatenus vna illa- VII.
rum est communicabilis, & alia incommunicabilis: item quòd hoc vel illud conuenit huic rei, isti verò non conuenit; sic etiam aliquid potest affirmari de illa entitate simplici, prout in ea adæquatè sumpta sunt virtute plura, iuxta inadæquatum suum conceptum obiectiuum habere hanc rationem, quæ ratio de illa eadem entitate, iuxta alium conceptum inadæquatum obiectiuum negatur, nec tunc erit vera, & propriè dicta contradictio; quia non est affirmatio & negatio de vno & eodem, sub eadem omninò ratione, & secundùm vnam & eandem omninò formalitatem tam virtualiter indistinctam, quàm alio quolibet modo.

Quartum est: ante omnem operationem
D intellectus, paternitas constituit Patrem in VIII.
esse personæ realiter distinctæ à Filio, quia constitutio primæ personæ Trinitatis, vel alicuius alius ex personis diuinis non est per merum aliquod ens rationis: ergo vel paternitas constituit Patrem in tali esse personæ, quatenus hæc diuina paternitas est idem formaliter, & ex natura rei, cum diuina essentia, vel vt ab ea distinguitur formaliter, & ex natura rei: si secundum, ergo datur verè & de facto formalis distinctio ex natura rei inter diuinam essentiam & relationem eius, quod hæc sententia intendit: si primum, ergo diuina essentia, vt est diuina essentia, constituit Patrem in esse Patris, & distinguit eum realiter à Filio, & ex consequenti diuina essentia est ratio constituendi, & distinguendi personas diuinas à se inuicem; quod apud omnes est falsum, cùm omnes diuinæ perso-

I. næ sint vnum, & idem in diuina essentia. Hæc vltima consequentia probatur: diuina essentia, vt est idem formaliter, & ex natura rei cum suis relationibus est essentia, & talis qualis est communis omnibus personis diuinis: ergo si illa, quatenus est idem & formaliter ex natura rei cum suis relationibus constituit personam Patris, constituit illam, vt est essentia, quod ex dictis patet esse falsum.

Respondetur paternitatem constituere Patrem in esse personæ distinctæ à Filio ante omnem operationem intellectus, illam enim vt sic constituit, non prout distinguitur formaliter seu ex natura rei ab essentia, sed prout virtualiter formaliter distinguitur ab illa; nam illa simplex entitas adæquatè sumpta, cùm sit virtute tantùm, & non actu multi-
II. plex, prout sub vno suo conceptu obiectiuo habet rationem absoluti, constituit essentiam, prout autem sub alio conceptu obiectiuo, habet rationem talis relationis, exempli gratiâ, paternitatis, cõstituit Patrem in esse Patris, & sic rectè intelligitur, quo modo essentia diuina quatenus est essentia, seu sub ratione essentiæ formaliter consideratæ non constituat Patrem diuinum in esse talis personæ.

Vltimum fundamentum tale est: ea distinguuntur ex natura rei, & formaliter, quorum conceptus essentiales & quidditatiui sunt extra se inuicem; at conceptus quidditatiuus diuinæ essentiæ est extra conceptum quidditatiuum diuinarum relationum; ergo diuina essentia & eius relationes distinguuntur à se inuicem ex natura rei & formaliter.

III. Respondetur duos conceptus essentiales obiectiuos posse duobus modis intelligi esse extra se inuicem, vno *formaliter*, & ex *natura rei*; deinde tantùm *virtualiter*, conceptum obiectiuum diuinæ essentiæ hoc tantùm posteriori modo esse extra conceptum obiectiuum diuinæ relationis, & econtrà, quod non sufficit ad inducendum inter illas distinctionem formaliter actualem & propriè ex natura rei.

ARTICVLVS VII.

Vtrum relationes originis distinguantur ratione ratiocinatâ ab essentia diuina.

SIt hæc nostra propositio. *Datur virtualis tantùm distinctio inter relationes originis, & essentiam diuinam:* ita sanctus Thomas hîc articulo secundo in extrema corporis parte,
IV. dum ait *essentiam, & relationes differre tantùm secundùm rationem intelligentiæ, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ:* & quòd intelligat hanc distinctionem esse *rationis ratiocinatæ*, quæ propriè sit *virtualis*, patet ex eius solutione ibi ad secundum & tertium, vbi ait essentiam & relationem non esse aliam, & aliam rem in Deo, sed vnam eandem, quæ non perfectè exprimitur relationis nomine: item quando ait plus contineri in essentia diuina, quàm exprimatur nomine relationis, vel sapientiæ, aut alicuius specialis attributi; hoc enim totum nihil est aliud, quàm essentiam diuinam adæquatè sumptam, ita esse vnam entitatem perfectissimam
A & simplicissimam, vt tamen sit virtute multiplex, V.
quatenus sumpta inadæquatè est essentia & sub alia inadæquatione est relatio; & sic de aliis. Quæ omnia, quia sub illa actuali indistinctione, quam habent in essentia diuina, sunt vna entitas, valens ad omnia eiusmodi, ac si essent plura actu distincta, dicuntur à Theologis virtualiter duntaxat, à se inuicem distingui.

Prouenit itaque hæc virtualis distinctio ex duplici capite; primum est, summa excellentia & eminentia naturæ diuinæ, vt etiam sanctus Thomas docet primo sententiarum distinctione secundâ quæstione primâ articulo primo, quæ eminentia consistit in duobus; primùm in infinitate, deinde in simplicitate ipsius naturæ diuinæ, prout adæquatè sumitur: ex primo quatenus ratione illius essentia
B diuina ambit omnem rationem entis, quæ VI.
sumpta vniuersim, cùm sit absoluta & relatiua, facit, vt essentia Dei sumpta adæquatè sit ens absolutum & relatiuum simul; ratione verò suæ simplicitatis continet ista omnia, & omnes perfectiones cum summa identitate & indiuisibilitate, quod potest explicari exemplo diuinæ æternitatis: nam sicut hæc, quia est infinitæ durationis, & indiuisibilis ratione suæ infinitatis ambit omne tempus, & omnes eius differentias, & ipsum eius nunc quantumlibet indiuisibile, ob sui eminentiam in genere durationis, respondet infinitis nunc nostri temporis, cum tanta distinctione, vt verè prout respondet vni, non respondeat alteri, ac si esset realiter distinctum; sic etiam illa perfectio diuinæ essentiæ, quæ est ipsa deitas
C in esse rei respondet infinitis perfectionibus, VII.
quæ in creaturis propter earum limitationem sunt distinctæ, & variis etiam realiter, vel ex natura rei distinctis conceptibus obiiciuntur.

Alterum caput, ex quo hæc virtualis distinctio oritur, est ipsa imbecillitas intellectus creati, cuius virtus & efficacia, cùm sit longè inferior, quàm sit intelligibilitas essentiæ diuinæ secundùm suam rationem adæquatam consideratæ, diuidit illam in plures conceptus inadæquatos, quatenus licet per omnes istos conceptus inadæquatos, eadem res seu entitas simplicissima concipiatur, per nullum tamen eiusmodi conceptum sumptum seorsim & solitariè, totum, quod est in tali entitate simplici, percipitur; sicque reperitur sufficiens fundamentum concipiendi essentiam diuinam æquiualentem pluribus &
D infinitis perfectionibus, modò sub ratione v- VIII.
nius tantùm perfectionis, modò sub ratione alicuius alterius, & sic illam quasi partiendi in plures conceptus obiectiuos, correspondentes formalibus suis conceptibus, præsertim cùm, vt sanctus Thomas docet hâc parte quæstione decimâ tertiâ articulo tertio & quarto, modus noster intelligendi Deum & perfectiones eius, sit illas apprehendere, secundùm quod sunt in creaturis, & per nomina, & propositiones illas significare, secundùm quod apprehendit eas.

Atque hæc virtualis distinctio potest explicari exemplo illius virtutis, quæ est in sole ad calefaciendum, ad emolliendum, ad indurandum, & ad alios plures effectus; hæc enim est vna & eadem simplex entitas in ipso sole,

I. & tamen, dum illam concipio vt calefacti-
uam, vel vt emollitiuam, vel vt indurantem,
non concipio illam integrè, & adæquatè se-
cundùm totum illud, quod hæc virtus potest
præstare, sed illam partior: si enim vellem
formare conceptum adæquatum istius virtu-
tis, oporteret talem conceptum in seipso con-
tinere, & exprimere modo indiuisibili, omnes
istos partiales conceptus, in quos anteà diuisi
totam illam, & integram prædictam virtutem
solis. Hinc Caietanus tertiâ parte quæstione
tertiâ articulo tertio, rectè ait distinctionem
actualem sese habere, sicut effectus causæ æ-
quiuocæ: nam vt causa æquiuoca nunquam
causat effectum adæquatum toti suæ virtuti,
quique illam exhauriat, sed producendo va-
rios effectus, ostendit excellentiam suæ virtu-
II. tis, in qua omnes illos vnitim præhabet, sic
etiam eminentia causat in intellectu creato
virtualem distinctionem, dum sese obiicit illi,
non secundùm totam & integram quantita-
tem suæ virtutis, seu quoad totam suam per-
fectionem, vno conceptu totaliter percipien-
dam, sed secundùm partiales duntaxat con-
ceptus obiectiuos, quos tamen tantæ rei emi-
nentia simplicissimè & vnitissimè præhabet in
suo conceptu adæquato: & sic intelligitur
hæc duo esse valde distincta (*aliquid obiici
totum intellectui alicui, & ei obiici non solum-
modò totum, sed etiam totaliter*) entitas illa
præhabens in se vnitim & modo indiuisibili
prædictos omnes inadæquatos conceptus ob-
iectiuos, quia ratione suæ eminentiæ & sim-
plicitatis, est indiuisibilis, & virtute tantùm
multiplex, non potest obiici nostro intelle-
III. ctui, quin tota obiiciatur, benè tamen potest
ita ei tota obiici, vt nihilominus non totali-
ter ei obiiciatur, id est eo omni modo, quo est
conceptibilis, ad eum modum, quo omnes
Theologi communiter dicunt quæstione duo-
decimâ huius partis, Deum videri totum à
Beato, non tamen totaliter.

Virtuali distinctione & eius fundamento sic
explicatis, prædicta nostra propositio proba-
tur. Primò auctoritate Patrum, vt sancti Dio-
nysij libro *de diuinis nominibus* capite quinto,
dum ait omnes bonos processus, & à nobis
laudatas denominationes Dei (id est attribu-
ta) esse vnius essentiæ, S. Basilij epistolâ octo-
gesimâ, dum sic ait: *quæcumque nomina diuina
protuleris, vnum est perpetuò quod significatur:*
sancti Augustini libro decimo quinto *de Tri-*
IV. *nitate* capite quinto, sancti Bernardi sermo-
ne octogesimo *in Cantica*, & aliorum docen-
tium omnes quascumque perfectiones tam re-
latiuas, quàm absolutas in Deo esse vnum quid
simplicissimum.

Probatur item ex Concilio Rhemensi &
Lateranensi relatis, quæ non possunt intel-
ligi de alia distinctione, quàm virtuali. Nam
Florentinum dicit illam esse rationis, at non
ratiocinantis, quia sublato omni creato intel-
lectu hæc propositio est falsa, *essentia diuina
generat*, vel *generatur*; hæ autem Catholicæ,
*paternitas est incommunicabilis, essentia commu-
nis*: ergo debet intelligi de distinctione ratio-
nis ratiocinatæ, quæ coincidit cum virtuali:
& Rhemense articulo tertio symboli profi-
tetur, ita tres personas diuinas esse vnam sub-
stantiam, & è conuerso vnam diuinam sub-
stantiam esse tres personas diuinas, vt tamen

A articulo primo credat simplicem naturam di- V.
uinitatis esse Deum, quo loquendi modo satis
denotat totum illud tam relatiuum, quàm
absolutum, quod est in Deo, esse vnam tan-
tùm de facto rationem formalem, quæ tamen
sit virtute plures.

Tandem probatur ratione: primò ex eo,
quòd præcedentibus articulis ostenderimus
nullam dari realem distinctionem siue mino-
rem, siue maiorem, nec etiam solius rationis
ratiocinantis, inter diuinam essentiam, & eius
relationes originis: ergo cùm nulla ampliùs
restet distinctio, quàm virtualis, & aliqua con-
ueniant relationibus, quæ non conueniunt
essentiæ diuinæ, vt animaduertimus, oportet
essentiam diuinam distingui virtualiter à suis
eiusmodi relationibus.

B Deinde quando aliquod ens est ita perfe- VI.
ctum & simplex, vt per vnicam simplicissi-
mam & indistinctam suam entitatem possit ea
omnia præstare, quæ nos præstamus per mul-
tas virtutes & perfectiones, siue realiter, si-
ue formaliter inter se distinctas, tunc multa
illa in eo contenta distinguuntur virtute à se
inuicem, maximè si noster intellectus non v-
no conceptu, sed pluribus inadæquatis appre-
hendat rem illam perfectam, vt patet totâ ex-
plicatione virtualis distinctionis: at entitas
diuinæ essentiæ & eius relationum originis,
est vnica simplicissima & indistincta, quæ iuxta
conceptum suum adæquatum est ens simul ab-
solutum & relatiuum, & Deus potest præsta-
re per hanc vnicam simplicissimam entitatem,
quod nos præstamus per distinctas formali-
ter, vel realiter entitates, vt intelligitur ex
C Patribus relatis; & quilibet intellectus crea- VII.
tus, ita inadæquatè concipit istam simplicissi-
mam entitatem, vt necessariò apprehendat
eam multis conceptibus, scilicet vno, sub con-
ceptu essentiæ, alio, sub conceptu relationis,
vt patet ex Conciliis & Patribus: ergo essen-
tia & eius relationes originis distinguuntur à
se inuicem virtualiter.

DISPVTATIO IV.

De distinctione attributorum absolutorum tam à se inuicem, quàm ab essen-
D *tia, & diuinis relationibus.* VIII.

ARTICVLVS I.

Quomodo attributa absoluta tam à se inuicem, quàm à diuinis relationibus & essentia distinguantur.

NOMINE attributorum absolutorum nihil aliud intelligunt Theologi, quàm quasdam perfectiones absolutas, quas concipimus per modum quarumdam formarum adiacentium essentiæ diuinæ, iam constitutæ in suo esse vltimo quasi specifico, cuiusmodi sunt voluntas, bonitas, iustitia, misericordia, & id genus cætera. Hoc præmisso,

Sit vnica propositio. *Nulla datur distinctio realis seu maior, seu minor, vel solius rationis ra-*

I. *tiocinantis, sed solummodò virtualis, tam inter attributa absoluta ad se inuicem, & etiam ad relatiua comparata, quàm vt comparantur ad essentiam diuinam.* Ita omnes communiter, qui sequuntur nostram sententiam disputatione præcedenti explicatam.

Probatur: quia eadem est ratio istorum omnium, ac relationum diuinarum comparatarum ad essentiam diuinam; omnes enim auctoritates Patrum & Conciliorum, item rationes, quæ vtramque realem distinctionem & solius rationis ratiocinantis reiiciunt à relationibus diuinis comparatis ad essentiam, & astruunt solam virtualem, eædem probant idem omninò de attributis absolutis, tam ad se inuicem, quàm ad essentiam diuinam comparatis: id enim Patres expresè testantur de
II. eiusmodi attributis, Origenes in caput decimum Ieremiæ, sanctus Augustinus libro septimo *de Trinitate*, sanctus Bernardus duobus locis suprà citatis; similiter rationes factæ pro doctrina superiùs explicata applicatæ præsēti propositioni, idem confirmant, vt quilibet potest facilè animaduertere: pari iure omnes ex rationes, quas suprà protulimus pro sententia Scoti, & aliorum, quásque ibi dissoluimus, eædem solent afferri contra præsentem propositionem, ideóque censeri debent ibi dissolutæ.

Tantùm potest esse difficultas circa hanc Scoti rationem, nec ibi propositam, nec solutam, scilicet bonitas in genere distinguitur ex natura rei & formaliter à sapientia in genere, quia definitio & formalis ratio bonitatis est alia à definitione, & formali ratione sapientiæ:
III. ergo etiam infinita bonitas & sapientia infinita distinguentur à se inuicem formaliter, & ex natura rei: nam infinitas addita bonitati vel sapientiæ non destruit naturam illius: ergo sicut bonitas & sapientia distinguuntur inter se formaliter, & ex natura rei, ita etiam bonitas infinita, quæ est in Deo, distinguetur formaliter & ex natura rei ab infinita sapientia, quæ est in eodem Deo.

Verùm hæc ratio Scoti & eius discipulorum soluitur: nam ibi per bonitatem in genere & sapientiam in genere, vel intelligit bonitatem & sapientiam, prout abstrahunt à bonitate & sapientia creata & increata, vel tantùm intelligit bonitatem & sapientiam creatam, prout duæ illæ perfectiones abstrahunt ab omnibus, & singulis tantùm bonitatibus & sapientiis creatis: si Scotus id intelligat priori modo; re-
IV. spondetur tunc inter illas non dari distinctionem formalem, & ex natura rei; quia, quæ sunt communia Deo & creaturis, in illa sua communitate analoga, nullam dicunt naturam, vel gradum essendi, præcisum ab inferioribus, vt Philosophi cōmuniter docent in Metaphysicis: qua de re videri potest Fonseca in librum quartum *metaphysicorum* disputatione 2. sectione 3. numero septimo: vnde quia distinctio ex natura rei, potest tantùm conuenire ei, quod est aliqua entitas alia ab ea, à qua dicitur sic distingui, & hoc non habet locum in diuina bonitate comparata ad sapientiam diuinam; ideò bonitas Dei & eius sapientia non

A dicentur propriè distingui ex natura rei, seu formaliter à se inuicem: si verò Scotus tantùm intelligat posteriori modo, scilicet de bonitate in genere, & sapientia in genere, prout istæ perfectiones abstrahūt solummodò à creatis; respondetur, tunc quidem esse verum illas vt sic consideratas distingui realiter, & ex natura rei à se inuicem: inde tamen non sequi illas similiter debere distingui in Deo, non tantùm ob rationem nunc assignatam, sed etiam quia, quæ sunt distincta in creaturis, ea sunt vnita, & indistincta in Deo, & propter maximam perfectionem diuinæ simplicitatis, sufficit, quòd duæ illæ perfectiones sunt à se inuicem virtualiter tantùm formaliter distinctæ. V.

Obiicies ex doctrina huius & præcedentis articuli sequi omnia illa nomina, quibus istas
B perfectiones Dei explicamus, esse verè & propriè synonyma, imò essentiam diuinam attributa eius tam relatiua, quàm absoluta esse quædam synonyma; at hoc est falsum, quia aliàs propositiones formatæ de illis essent nugatoriæ. VI.

Respondeo ex sancto Thoma hâc parte quæstione decimâ tertiâ articulo quarto, quòd licet ista omnia significent vnam & eandem rem formaliter, & ex natura rei, indistinctam, non propterea tamen esse synonyma, nam ea dicuntur esse synonyma, quæ ita vnum significant, vt illud significent secundùm vnam & eandem rationem, prout subest conceptui intelligentis, ita vt nulla alia sit differentia, nisi in vocibus: at hæc nomina *essentia, relatio, voluntas, iustitia*, &c. quæ sunt formaliter in Deo, ita significant
C vnam & eandem simplicissimam infinitam entitatem, vt tamen quatenus exprimuntur à nobis, per ista varia & distincta nomina, & vt subsunt nostris conceptibus, non significent illam secundùm vnam & eandem omninò rationem correspondentem formali nostro conceptui; sed nomine essentiæ exprimitur, vt habet rationem naturæ, & est aliquid absolutum per modum substantiæ, ratione voluntatis, iustitiæ, & reliquorum eiusmodi absolutorum, vt habet specialem rationem alicuius perfectionis, & formæ quasi adiacentis ipsi substantiæ nomine relatiuo, vt habet specialem rationem respectiui. VII.

Nec est, quòd quis instet hæc omnia, saltem per comparationem ad intellectum diuinum concipientem modo perfecto essentiam diuinam, sicuti est, fore synonyma: non
D est inquam, quòd quis sic instet, quia quidquid Deus intelligit, vnico conceptu, & non pluribus, intelligit: at synonymia ibi tantùm reperitur, vbi plures possunt formari conceptus, sicut nomina synonyma sunt, quando idem secundùm eandem rationem concipitur, & nihilominus diuersis nominibus hoc planè idem significantibus exprimitur. Deinde vt iam diximus, ita vnico & valde simplici conceptu cognoscit suam essentiam totam, & totaliter, vt tamen cognoscat esse virtute multiplicem, & sub hac ratione esse aliquid absolutum, sub alia esse aliquid respectiuum, & sic de reliquis. VIII.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc distinctio virtualis superiùs explicata, sit absque vllo ordine ad creaturas tam respectu intellectus increati, quàm creati.

SENSVS articuli est, an hæc distinctio inter diuinam essentiam & relationes originis, item inter attributa eius absoluta & illam, sit de facto & re ipsa in Deo, an verò solùm quatenus cognoscimus Deum per aliquam analogiam, quam creaturæ habent ad Deum, seu quatenus intelligimus Deum, ex ipsis rebus creatis, & si hæc distinctio sit de facto aliquâ ratione in Deo, an sit tam respectu diuini intellectus penetrantis totum, quod est in
II. Deo, quàm respectu intellectus creati, qui ex sua imperfectione & excellentia obiecti non potest totum Deum & totaliter apprehendere. Pro cuius faciliori explicatione,

Notandum duobus modis posse accipi hanc virtualem distinctionem esse & intelligi ab aliquo intellectu cum aliquo ordine ad creaturas: primò vt id nihil sit aliud, quàm illam esse, vel intelligi in Deo per efformationé plurium conceptuum inadæquatorum, quibus cognitiones, quas sparsas cognoscimus in creaturis, transferimus in ipsum Deum; iuxta quem modum, ordo ille ad creaturas importat aliquid subiectiuè in ipso sic intelligente virtualem distinctionem, quæ est in Deo, scilicet pluralitatem conceptuum: secundò modo istud potest accipi, ita vt intelligere hanc distinctio-
III. nem cum aliquo ordine ad creaturas, nihil sit aliud, quàm hanc distinctionem posse dari, vel etiam intelligi, ita vt etiam perfectiones creatæ per comparationem ad quas hæc summa, eminens & simplicissima entitas Dei est virtute multiplex, etiam cognoscantur. Præsens difficultas non mouetur iuxta hunc posteriorem sensum, sed duntaxat iuxta priorem; est enim satis euidens illam sic spectatam non posse esse & cognosci, nisi & illæ perfectiones creatæ sint ipsi Deo præsentes obiectiuè, & ipsa habitudo, quam hæc virtualis distinctio importat ad illas, simul etiam cognoscatur, quippe cùm implicet cognoscere vnum relatum alio eius correlato non cognito, & cognoscere aliquam potentiam eius termino non cognito, hæc autem virtualis distinctio considerata pe-
IV. nes suum fundamentum, quod est æquipollentia multorum seu vis simplex eminens, virtute tamen multiplex, est aliquid relatum transcẽdentale, sic enim dicit ordinem ad plura actu & re ipsa distincta: ergo virtualis hæc distinctio, quæ est in Deo, considerata hoc posteriori modo, non potest cognosci sine aliquo ordine & respectu ad creaturas.

Notandum secundò, virtualem istam distinctionem posse considerari duobus modis: primò secundùm illud, quod in Deo actu indistinctum & ad omnia æquiualens, seu est virtute multiplex: deinde potest considerari penes inadæquatos illos conceptus, quos formamus de essentia & attributis eius distinctis virtualiter; hæc distinctio iuxta priorem modum vocatur à nonnullis inchoata, seu *incompleta*, quia sic est in ipso Deo plenitudo diuini

A esse, vt tantùm est perceptibilis per æquiualentiam ad plura actu distincta; posteriori modo dicitur *completa* & *perfecta* & est ipsamet plenitudo essendi concepta actu & de facto per plures conceptus, quibus illa æquiualet. V.

Notandùm tertiò, intellectum creatum posse quantum ad præsentem difficultatem considerari tribus modis: primò quatenus est viatoris, & modo tantùm naturali, seu proportionato suo statui intelligit: secundò quatenus est quidem viatoris intellectus, sed tamen intelligit per species infusas per se, sibi à Deo concessas, sine vlla conuersione ad phantasmata: tertiò quatenus est intellectus comprehensoris, seu beati, & sic adhuc duobus modis, primò secundùm actum cognitionis *matutinæ*, seu visionis beatificæ; deinde secundùm actum cognitionis *vespertinæ*, seu extra
B Verbum. His præmissis, VI.

Prima sit propositio. *Distinctio virtualis primo modo considerata secundi nostri notabilis inest & conuenit Deo absque vllo ordine ad creaturas*: ita Caietanus ad primum articulum sequentis quæstionis trigesimæ nonæ, & plures ex recentioribus.

Probatur: virtualem hanc distinctionem sic dari, nihil est aliud, quàm seclusâ omni operatione cuiuscumque intellectus creati, dari de facto, & esse in Deo vnicam simplicissimam entitatem, quæ sit virtute multiplex, & quæ per seipsam solam possit præstare ea omnia, quæ nos vel aliæ creaturæ possunt præstare, per multas virtutes, seu entitates, siue realiter, siue formaliter à se inuicem distinctas, vt patet ex dictis; at hoc totum datur in Deo se-
C clusâ quacumque operatione intellectus creati, quia nemine cogitante, imò sublatâ omni creaturâ Deus est trinus, & vnus, item essentia diuina non generat nec generatur, sed Pater generat, & Filius generatur; item Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, non intellectione, sed volitione, & hoc totum est ab vnica simplicissima entitate perfectissima, quæ sub vna sua inadæquatione præstat, quod est proprium essentiæ, sub alio conceptu obiectiuo inadæquato, præstat, quod est proprium relationi, verbi gratiâ paternitati, sub alio, quod est proprium volitioni, & sic de reliquis, vt patet ex præcedentibus articulis: ergo distinctio virtualis primo modo secundi nostri notabilis considerata est verè & propriè in Deo, eique conuenit absque vllo ordine ad VII.
D creaturas. VIII.

Secundò probatur: illud quod intrinsecè & necessariò importatur in ipsa communicatione diuinæ essentiæ ad intra, est omninò independens ab eo, quod tantùm includitur in actuali aliqua communicatione Dei ad extra, quia prius non pendet à posteriori, & diuina essentia intelligitur esse priùs in aliquo signo rationis fœcunda in ordine communicationis ad intra, quàm in ordine communicationis ad extra: cùm per hoc secundum compleatur tantùm quodammodo in ordine ad aliud, & per primum in ordine ad se; vnumquodque autem intelligatur priùs compleri in ordine ad seipsum, quàm secundùm ea, quæ ipsum solummodo perficiunt in ordine ad aliud: at virtualis distinctio inter diuinam essentiam & relationes eius, considerata primo modo se-

I. cundi nostri notabilis importatur intrinsecè, & necessariò in ipsa comunicatione diuinæ essentiæ ad intra, vt patet ex præcedenti ratione: & quæcumque operatio intellectus creati includitur solùm in actuali communicatione Dei ad extra, vt per se patet: ergo virtualis illa distinctio sic considerata est, & conuenit propriè Deo sine aliquo ordine ad creaturas.

Secunda propositio. *Distinctio virtualis inter essentiam diuinam & attributa eius, prout constituitur ab intellectu creato existente in via & intelligente modo tantùm naturali seu proportionato suo statui, fit per ordinem & respectum ad creaturas.* Ita Gandauensis quodlibeto quinto quæstione primâ, sanctus Thomas tertiâ quæstione huius partis articulo quarto, & plures alij.

II. Probatur: omnis illa cognitio de Deo, & eius perfectionibus, quæ fit ab intellectu creato ex cognitione creaturarum, transferendo illarum perfectiones ad ipsum Deum, fit, & est per ordinem & respectum aliquem ad creaturas: at illa virtualis distinctio, quam intellectus creatus vt in hac vita constitutus, ponit inter essentiam diuinam, & eius attributa, est quædam cognitio, quæ transfert perfectiones, quas videt in creaturis, in ipsum Deum, in quo omnes perfectiones debent esse modo longè perfectiori, quàm in qualibet creatura: ergo distinctio illa virtualis inter essentiam diuinam & eius attributa prout constituitur ab intellectu creato existente in via, & intelligente modo tantùm naturali, est per respectum ad creaturas. Maior patet.

Minor quoad priorem partem, quæ asserit
III. istam distinctionem esse quandam cognitionem, patet etiam ex communi doctrina Philosophorum, quâ agendo de actibus cognoscitiuis intellectus recensent & ipsam distinctionem. Secunda pars eiusdem minoris probatur, ex Apostolo *ad Romanos* primo docente inuisibilia Dei seu essentiam eius, & attributa cognosci ab homine ex rebus creatis; item ex iis quæ Theologi tradunt tertiâ quæstione huius partis, scilicet nos ea quæ per viam affirmationis cognoscimus de Deo, transferre à creaturis ad Deum; at cognoscimus viâ affirmationis Deum esse bonum, esse sapientem, volentem, esse in Deo paternitatem, filiationem, & cætera eiusmodi attributa: ergo ea transferendo à creaturis ad Deum, & ex consequenti per ordinem ad creaturas.

Tertia propositio. *Deus & beatus in visio-*
IV. *ne beatifica distinguunt attributa Dei à se inuicem virtualiter, distinctione virtuali consideratâ iuxta priorem modum secundi nostri notabilis, non tamen iuxta posteriorem.* Prior pars propositionis patet, quia sic distinguere virtualiter attributa Dei, nihil est aliud, quàm cognoscere aliquam entitatem valde simplicem, vt de facto virtute multiplicem: at tam Deus, quàm beati in Verbo vident hoc modo processionem Filij & Spiritus sancti, quia vident vnam esse propriè generationem, aliam verò minimè, & hanc veluti actionem esse vnicam & simplicissimam, quæ tamen vnico termino non adæquetur, sed duos realiter distinctos requirat: similiter Deus, quia penetrat intimè seipsum, eo omni modo, quo est cognoscibilis, & quæ sunt in seipso; est autem cognosci-

A V. bile in Deo vnicam istam veluti actionem non adæquari solo Verbo, sed etiam requirere Spiritum sanctum tanquam terminum, & prætereà Deus Pater, dum generat Filium, sciens, & videns, illum generat; cum enim generat per intellectum: ergo videt & cognoscit illum vt procedentem à se per actionem illam, vt inadæquatè consideratam & vt distinctam à se ipsa virtualiter, quatenus est volitio; similiter beati, quia vident in Verbo omnia mysteria, quæ hîc crediderunt, & crediderunt processionem Filij esse propriè generationem, processionem Spiritus sancti minimè, & hoc fundatur in distinctione illa virtuali, ex parte principij priori modo considerata, fit, vt cognoscant virtualem eiusmodi distinctionem inter essentiam diuinam, & eius attributa sine ordine ad creaturas.

B VI. Confirmatur: ea quæ sunt in Deo, sic se habent ad cognosci respectu diuini intellectus, comprehensiuè cognoscentis suam essentiam, & respectu intellectus creati beatifici; quomodo sese habent ad esse, quia cognoscunt Deum sicuti est; sed hæc virtualis distinctio considerata priori modo est in Deo independenter à creaturis: ergo & sine aliquo ordine ad illas Deus, & beati cognoscunt illam priori modo consideratam.

Posterior pars probatur: imprimis de Deo; quia Deus vnicam habet intellectionem, quâ seipsum comprehensiuè cognoscit: ergo non efformat de seipso plures inadæquatos conceptus: ergo neq; distinguit virtualiter in seipso diuina attributa tam à se inuicem, quàm à sua essentia, considerando distinctionem virtualem hoc posteriori modo.

C VII. Similiter eadé pars probatur de beatis: quia beati vnicam duntaxat habent visionem beatificam, quâ vident Deum sicuti est, cùm visio beatifica duret æuo, & ita sit tota simul, vt nunquam sit habitura finem, & tam Deus, quàm beatus necessitetur in ipsa cognitione beatifica, vt docuimus ad quæstioné duodecimam huius partis: ergo etiam beatus in visione beatifica, non distinguit virtualiter iuxta hunc modum posteriorem attributa diuina à se inuicem, & ab essentia diuina.

Vltima propositio. *Beatus in cognitione vespertina seu extra Verbũ distinguit attributa Dei à se inuicem & ab essentia virtualiter, etiam secundùm efformationem plurium conceptuum inadæquatorum.* Probatur: efformatio plurium conceptuum inadæquatorum nascitur ex duobus, nimirum ex eminenti perfectione
D VIII. obiecti, & ex limitata virtute intellectus, quæ longè sit inferior, quàm sit intelligibilitas obiecti considerati secundùm rationem suam adæquatam, vt ostendimus: at Deus semper est eminentissimè perfectus, & intellectus beati secundùm cognitionem vespertinam est improportionatus Deo cognoscendo, per vnicum conceptum adæquatum, & tamen non desinit cognitione *vespertinâ* cognoscere Deum, & eius attributa: ergo tunc cognoscit Deum efformando plures inadæquatos conceptus de Deo, & eius attributis.

Maior satis probata est articulo præcedenti, & prior pars minoris ad quartam quæstioné huius partis: quoad posteriorem verò partem, quæ asserit *intellectum beati secundùm cognitio-*

I. A *uem vespertinam esse improportionatū Deo cognoscendo per vnicum conceptum adæquatum*, probatur; quia intellectus beati fit tantùm proportionatus Deo sic cognoscendo per lumen gloriæ, vt intelligitur ex iis, quæ omnes Theologi tradunt quæstione duodecimâ huius partis; at lumen gloriæ naturâ suâ est tantùm pro visione beatifica, quia est, vt reddat intellectiuam potentiam habilem ad Deum clarè & intuitiuè videndum, quomodo non cognoscitur *vespertinâ* cognitione: ergo intellectus beati secundùm cognitionem *vespertinam* est improportionatus Deo cognoscendo per vnicum adæquatum conceptum.

Vltima pars minoris, quæ asserit *beatum cognitione vespertinâ cognoscere Deum, & attributa eius*; probatur: beatus per hanc scientiam vtpote perfectiorem cognoscit modo etiam
II. B perfectiori, quæcumque nouit per inferiores scientias; nam anima Christi Domini per illam cognouit, quæ nos cognoscimus per scientiam acquisitam, vt Theologi communiter docent tertiâ parte quæstione vndecimâ cum sancto Thoma: at beati quando erant viatores, cognoscebant per scientiam acquisitam attributa absoluta Dei esse à se inuicem & ab essentia diuina virtualiter distincta, & hoc per conceptus tantùm inadæquatos, vt patet in nobis: ergo etiam beati cognitione vespertinâ cognoscunt Deum, & eius attributa per conceptus inadæquatos.

Atque ex iis diuersæ auctorum sententiæ conciliari possunt, qui enim negant Deum & beatos distinguere virtualiter attributa diuina ab essentia, explicari possunt iuxta secundā
III. C partem nostræ tertiæ propositionis: qui verò affirmant, iuxta ea quæ diximus tam secundâ parte tertiæ propositionis, quàm in reliquis.

DISPVTATIO V.

De ratione formali relationum originis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum diuinæ relationes originis sint de intrinseca ratione diuinæ essentiæ.

SENSVS quæstionis est, an relationes diuinæ sint de forma-
IV. D li ratione essentiæ, prout essentia diuina consideratur in suo esse quasi specifico. Nam quòd relationes diuinæ sint de formali ratione diuinæ essentiæ, prout hæc sumitur completè & adæquatè, satis intelligitur ex superiùs dictis, cùm illa sit vnum ens simplicissimum absolutum simul & relatiuum, & si posset definiri, non minus hoc vtrumque deberet poni in eius definitione, quàm formalia constitutiua rerum creatarum ponuntur necessariò in earum definitionibus. Hoc prænotato,

Duæ sunt sententiæ: vna affirmans Bannesij hâc quæstione articulo secundo dubio tertio, & aliquorum aliorum.

Melior tamen est & communior sententia negans, cum qua concludimus; & videtur esse expressa sententia sancti Thomæ sequenti V.
quæstione trigesimâ tertiâ articulo tertio ad primum, vbi ait in Trinitate propria non esse de conceptu communium: Scotus, Durandus locis suprà citatis pro distinctione relationum à diuina essentia, item Ferrar. libro secundo *contra Gentes* capite nono, & plures alij hâc quæstione sancti Thomæ tuentur eandem sententiam.

Probatur: primò auctoritate Conciliorum, vt Toletani vndecimi, quando in confessione fidei ait, Deum non *dici ad aliquid, sed ad se*, id est naturam diuinam, seu essentiam esse aliquid absolutum. Item Lateran. sub Innocentio tertio, & refertur capite *firmiter* extra de summa Trinitate & fide Catholica, dum sic ait: *hæc Trinitas secundùm essentiam communem indiuidua, & secundùm personales proprietates*
discreta. Item sequenti capite (*damnamus*) vbi VI.
definit Patrem diuinum non aliquam suæ essentiæ partem dedisse Filio, sed totam: at Patrem diuinum non communicasse Filio suam paternitatem Concilium Florentinum docet in litteris vnionis, dum expressè ait Patrem in diuinis omnia communicasse Filio exceptâ paternitate: ergo cùm ex præcedenti Concilio Lateranensi Deus Pater communicauerit Filio non partem suæ essentiæ, sed totam illam, & ex posteriori non communicauerit ei paternitatem, ipsa paternitas debet esse aliquid non inclusum virtualiter formaliter & præcisè in formali, & præcisa ratione diuinæ essentiæ.

Probatur secundò ex sancto Augustino libro quinto *de Trinitate* capite sexto & se-
quentibus, vbi docet relationem non prædi- VII.
cari de Deo *secundùm substantiam*, nec item *secundùm accidens*, sed vt *ad aliquid*; item libro septimo *de Trinitate* capite primo, dum sic ait, *si essentia ipsa relatiuè dicitur, ipsa non est essentia*, & eodem libro capite quarto dum ita scribit: *iam substantia non erit substantia, quia relatiuum erit*, & paulò pòst, *absurdum est, vt substantia relatiuè dicatur.*

Tandem probatur ratione; illud non est de præcisa ratione formali diuinæ essentiæ, quo non intellecto, adhuc diuina essentia intelligitur, quia nihil potest concipi sine suo formali; item illud non est de formali ratione diuinæ essentiæ, quo non communicato diuina tamen essentia communicatur; at non intellectis relationibus diuinis adhuc essentia di-
uina intelligitur, nam distinguuntur virtuali- VIII.
ter ab illa, & eorum, quæ distinguuntur virtualiter, vnum potest intelligi alio nō intellecto, vt patet ex natura & conditione virtualis distinctionis; item essentia diuina communicatur Filio à Patre, & à Patre & Filio Spiritui sancto; quibus tamen paternitas, filiatio & spiratio actiua non communicantur respectiuè, ex citato Concilio Florentino.

Secunda ratio: si diuinæ relationes originis essent de formali ratione diuinę essentię, nulla ex personis diuinis seorsim & secundùm se sumpta, esset perfectè Deus; quia ad hoc vt aliqua persona sit perfectè Deus, debet habere quidquid est de formali ratione diuinæ essentiæ; at nulla ex personis diuinis sumpta seorsim ab aliis habet relationem originis sibi oppositam; verbi gratiâ Filius paternitatem, Pater filiationem: ergo nulla ex diuinis personis

I. sumpta seorsim est perfectè Deus, quod est hæreticum; contrarium enim profitemur in Symbolo sancti Athanasij.

Tandem quod est incommunicabile non potest vt sic esse de formali ratione eius, quod secundùm se & præcisè sumptum est communicabile, quia idem essentialiter consideratum sub eadem formalitate etiam virtualiter indistinctum esset incommunicabile & communicabile, quod implicat: at relatio originis, verbi gratiâ, paternitas & alia quælibet ex Concilio & Patribus suprà citatis, est incommunicabilis, econtrà diuina essentia secundùm totum, quod importat, quatenus præcisè est essentia, est communicabilis, imò communicata ex iisdem Patribus & Concilio: ergo diuinæ relationes originis non possunt esse de formali ratione diuinæ essentiæ.

II. Atque rationes istæ tam concludunt de diuinis relationibus originis, prout sunt virtualiter distinctæ ab essentia à parte rei, & sine ordine ad intellectum creatum, quàm prout concipiuntur à nobis, & subsunt formalibus nostris conceptibus; nam Concilia citata pro nostra propositione loquuntur de diuina essentia, & eius relationibus originis, vt sunt verè propriè & à parte rei in ipso Deo; & hæc eminens perfectio, quâ vna simplicissima entitas totaliter & integrè sumpta est simul & semel ens absolutum & relatiuum, & iuxta vnam rationem huius totalis sui obiectiui conceptus est duntaxat absolutum, & iuxta aliam, est relatiuum, est verè propriè & formaliter in Deo, vt docuimus, item verè & & propriè etiam citra formalem conceptum
III. cuiuscumque intellectus creati personalitas vna diuina, verbi gratiâ, paternitas est aliquid relatiuum, & vt sic non communicatur, essentia est aliquid absolutum, & communicatur omnibus personis; item quòd Filius sit Filius, quòd habeat filiationem, quam Pater non habet formaliter, quòd item prima persona habeat formaliter paternitatem, quam Filius vt sic non habet, est verum, sine vlla operatione cuiuscumque intellectus creati. ergo & quòd præcisa ratio relationis diuinæ originis in ratione conceptus obiectiui sit etiam extra præcisam rationem diuinæ essentiæ in ratione entis absoluti, quoad conceptum suum præcisum obiectiuum, erit etiam independens à quacumque operatione intellectus creati, aliàs totum mysterium Trinitatis esset solummodo aliquod ens rationis, quod ad summum haberet aliquod fundamentum in
IV. re; quod dicere est blasphemum & absurdum.

Similiter quæ diximus pro nostra propositione ostendunt inutilem esse, in præsenti difficultate distinctionem illam, quâ nonnulli recentiorum dicunt diuinas relationes includi implicitè in obiectiuo conceptu naturæ diuinæ, & sic illas esse de formali illius ratione, essentiam verò diuinam explicitè consideratam non importare nisi solas perfectiones absolutas: nam infrà ostendemus præcisam rationem obiectiuam diuinarum relationum originis esse extra præcisum conceptum diuinæ essentiæ, & si essentia diuina in ratione absoluti, & vt est essentia includeret saltem implicitè diuinas relationes, tunc illa non posset adæquato conceptu diuinæ essentiæ vt en-
A tis absoluti, concipi, nisi & relationes diuinæ simul etiam conciperentur, & si relationes illæ sic se haberent iuxta veritatem rei in Deo, V.
similiter essentia diuina non posset in ratione entis absoluti communicari Filio à Patre, nisi simul & implicitè & consequenter paternitas ei communicaretur, quod repugnat Patribus, sicut non potest communicari de facto alicui animal, quod explicitè dicit sensibilitatem, nisi simul implicitè ei communicetur ratio substantiæ, quam ipsum animal dicit implicitè: at hoc totum est contra relatos Patres.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

B PRIMVM desumitur ex modo loquendi Patrum, vt sancti Athanasij oratione *contra Gregales Sabellij*, sancti Gregorij Nazianzeni oratione *in sancta lumina*, qui ita loquuntur de diuina essentia & eius relationibus, vt significent ipsas relationes diuinas esse ipsammet diuinitatem: item ex sancto Thoma hâc parte quæstione vigesimâ septimâ articulo secundo ad tertium, vbi ait, *in perfectione diuini esse contineri & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, & quacumque ad eius perfectionem pertinent*; & sequenti quæstione 39. articulo sexto in solutione ad secundum, ait hanc propositionem *Deus est Pater* esse per se, sicut & ista *Pater est Deus*. VI.

C Respondetur Patres ibi relatos loqui tantùm de identitate reali, & verè formali propriè dicta, quam suprà diximus reperiri inter essentiam & relationes originis, non autem loqui de identitate virtuali, secundùm quam diuinæ relationes originis sunt extra præcisam rationem essentiæ diuinæ, quomodo etiam sanctus Thomas intelligitur relatus in hoc primo argumento. Nam eò loci accipit esse diuinum pro essentia diuina adæquatè sumpta, quatenus est ens absolutum simul & relatiuum, cùm dicat *Verbum intelligibiliter procedens* (id est Filium) *& principium Verbi* (id est Patrem) *& quacumque pertinent ad eius perfectionem*, contineri in perfectione diuini esse. VII.

Ad alteram auctoritatem S. Thomæ petitam ex sequenti quæstione trigesimâ nonâ articulo
D sexto respondetur, eum ibi sese explicare, de identitate reali, quando ait eiusmodi propositiones esse prædicationes per identitatem, & illas nullo modo esse per accidens, quatenus hæc formula loquendi (*attributum inesse subiecto per accidens*) significat prædicatum posse non inesse subiecto, vt fusiùs explicabitur eò loci. VIII.

Secundum est: si duæ relationes originis non pertinent intrinsecè & essentialiter ad diuinam essentiam: ergo pertinent extrinsecè & accidentaliter, quia non datur medium: at hoc secundum est falsum, nihil enim de Deo prædicatur accidentariò; igitur pertinent intrinsecè & essentialiter ad diuinam essentiam.

Respondetur negando simpliciter & absolutè diuinas relationes originis dici intrin-

I. secè de essentia diuina seu conuenire ei intrinsecè, quatenus essentia diuina & eiusmodi relationes considerantur vt à se inuicem distinctæ virtualiter, quia illas sic conuenire intrinsecè diuinæ essentiæ est eas prædicari de essentia in primo modo dicendi per se: præterea negamus ex eo quòd relationes originis non conueniunt intrinsecè diuinæ essentiæ sequi illas ei tantùm accidentariò conuenire: quia inter hæc duo, datur aliquod medium in mysterio Trinitatis, vt iam obseruauimus, nimirum conuenire, & dici *relatiuè*, qui modus conueniendi & prædicandi non est propriè loquendo accidentalis; sed diuinæ relationes possunt dici conuenire diuinæ essentiæ in secundo modo dicendi per se, quatenus virtualiter distinctæ ab essentia habent necessariam & inseparabilem connexionem cum il-
II. la, imò cum ea sic identificantur, vt sunt vna simplicissima entitas, quæ tamen ratione suæ summæ perfectionis vendicat sibi sub vno conceptu inadæquato etiam obiectiuo rationem absoluti & essentiæ, & sub alio conceptu item obiectiuo rationem huius & istius diuinæ relationis originis.

Tertium est: essentia diuina necessariò est Pater, sed esse necessariò Patrem non competit diuinæ essentię tanquam propria passio, nec tanquam modus ab illa distinctus: ergo competit ei intrinsecè & essentialiter.

Respondetur diuinam essentiam esse necessariò Patrem identicè, quatenus est vna & eadem simplicissima entitas, attamen paternitas sumpta vt virtualiter distincta ab essentia non est hoc sensu necessariò Pater, quasi esse Pa-
III. trem sit de præcisa formali ratione diuinæ essentiæ; sed est extra illam, & tunc hoc tantùm sensu diuina essentia dicitur esse necessariò Pater, quòd essentia diuina & paternitas habeant hanc inseparabilem connexionem, vt vbicumque est diuina paternitas, ibi & sit essentia diuina, licet non econtrà; an autem hæ & aliæ similes propositiones sint in aliquo modo dicendi per se, & in quo, explicabitur inferiùs ad quæstionem trigesimam nonam sancti Thomæ.

Quartum est: quidquid conuenit realiter diuino esse, conuenit etiam essentialiter diuinitati; sed diuino esse propter suam infinitatem conuenit etiam essentialiter esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, aliàs non haberet omnem perfectionem, tam relatiuam, quàm absolutam: igitur relationes sunt de
IV. conceptu formali essentiæ diuinæ.

Respondetur concessâ maiore prout intelligitur de diuino esse essentiali condistincto à quolibet esse relatiuo negando minorem; si illa vt debet procedat de esse relatiuo personarum diuinarum, illud enim esse relatiuum non formaliter, sed radicaliter duntaxat conuenit diuino esse absoluto, quatenus summa & infinita eius perfectio est veluti radix, seu ratio, vt sint tres diuinæ personæ relatiuæ, quemadmodum patet ex dictis de principiis diuinarum emanationum.

Ad illud autem quod tanquam inconueniẽs aliquod infertur, scilicet *diuinam essentiam tunc non habituram esse omnem perfectionem tam relatiuam quàm absolutam*, respondetur vtramque illam perfectionem debere tantùm competere diuinæ essentiæ, prout consideratur secundùm
A totam & adæquatam suam rationem, vt docuimus suprà ad quartam quæstionem huius partis, vbi etiam exposuimus quo sensu, & secundùm quam rationem diuina essentia inadæquatè spectata debeat esse infinita. V.

Vltimum est eiusmodi: de ratione formali diuinæ essentiæ est vt sit fœcunda, communicabilis, imò vt sit communis tribus personis; sed diuina essentia non potest esse fœcunda, communicabilis, vel communicata nisi ratione relationum originis, quia sola relatio multiplicat in diuinis, & facit, vt diuina essentia communicetur: ergo illæ relationes originis sunt de ratione formali essentiæ diuinæ.

Ad hoc argumentum vt respondeatur, notandum primò hæc duo distingui (*communitas*
B *naturæ diuinæ*, & *fœcunditas* seu *communicabilitas naturæ diuinæ*;) nam actualis & formalis VI.
communitas naturæ diuinæ importat tantùm identitatem realem eiusdem numero naturæ diuinæ in tribus personis, non denotando talem naturam haberi ab alio; sicque natura diuina dicitur communis tribus personis diuinis: at communicabilitas supra communitatem addit talem naturam esse ab alio, ita vt vi processionis communicetur personæ procedenti à persona producente; vnde cùm duæ tantùm sint personæ diuinæ procedentes, est etiam natura diuina propriè loquendo communicabilis tantùm duabus personis, Filio scilicet & Spiritui sancto.

Notandum secundò duplicem posse distingui fœcunditatem seu communicabilitatem naturæ diuinæ, vnam duntaxat *radicalem* &
C *remotam*, alteram *formalem* & actualem; radi- VII.
calis fœcunditas seu communicabilitas nihil est aliud, quàm infinita illa perfectio diuinæ essentiæ, quâ postulat ita subsistere tribus subsistẽtiis relatiuis, vt cõmunicetur duabus personis; actualis verò seu formalis & proxima est ipsa diuinæ essentiæ communitas, pro[ut] de facto perficitur, per intellectionem noti[o]nalem, & volitionem notionalem; cùm enim, vt docuimus contra Durandum, communicatio naturæ diuinæ non possit aliter fieri, seu esse de facto, quàm duabus istis veluti actionibus, & ipsa communicabilitas naturæ diuinæ dicit eiusmodi communicationem in actu exercito, actualis & formalis communicabilitas diuinæ essentiæ non poterunt intelligi, nisi simul istæ actiones notionales, & processiones personarum diuinarũ aliquo modo inuoluantur, cùm
D nostro considerandi modo talis communica- VIII.
bilitas fundetur in ipsa processione, & origine personæ procedentis à producente; verbi gratiâ Deus Pater ex eo communicat essentiam Filio, quia eum generat, item Pater & Filius Spiritui sancto, quia spirant illum.

Ex iis sic prænotatis respondetur ad vltimã rationem, esse tãtùm de formali ratione diuinæ essentiæ, vt sit fœcunda & communicabilis fœcunditate & communicabilitate tantùm radicali & remotâ, non verò actuali & formali; priori modo non requirere diuinas relationes originis, & fœcunditatem radicalem esse de formali ratione diuinæ essentiæ vt essentia est, præcisis relationibus, patet ex eo, quòd ei conueniat prius ratione, quàm subsistat relatiuè; inde tamẽ non sequi actualem fœcunditatem & communicabilitatem, vel etiam communi-

tatem

I. tatem esse de formali ratione diuinæ essentiæ,
sicut nec ex eo, quòd accidens dicit intrinsecè
& formaliter ordinem ad substantiam vt sub-
iectum, sequitur actualem inhærentiam esse
de formali eius ratione.

ARTICVLVS III.

Soluuntur duæ obiectiones contra solutionem vltimi fundamenti aduersariorum.

PRIMA est: in æternis idem sunt esse &
posse; at posse terminari tribus subsisten-
tiis relatiuis est essentiale diuinæ essentiæ, sic-
ut & posse communicari duabus personis:
ergo & de facto terminari relatiuè tribus sub-
sistentiis relatiuis, & actualis communicabili-
tas erit essentialis ipsi diuinæ essentiæ, sicque
II. cùm sola relatio multiplicet in diuinis, rela-
tiones originis, & formalis seu actualis fœ-
cunditas & communicabilitas erunt de for-
mali ratione diuinæ essentiæ.

Respondetur istud axioma intelligi de pos-
sibilitate Logica, seu per non repugnantiam,
vt sensus sit, Deus est id omne, quod non re-
pugnat eum esse ad intra, & secundùm se, &
æterna sunt id omne, quod non repugnat
ea esse: iuxta quam expositionem prædictum
axioma nihil facit aduersus nostram respon-
sionem; ex eo enim sic explicato tantùm col-
ligitur, quòd quemadmodum non repugnat
diuinæ naturæ terminari tribus subsistentiis
relatiuis, ita etiam de facto terminatur illis ne-
cessariò, & ex consequenti, quod ei non repu-
gnat, cùm omnia ad intra sint necessaria, simi-
liter, quia ei non repugnat, quòd sit commu-
nis pluribus, quòd communicetur duabus
III. personis per duas processiones, sequitur tan-
tùm eam necessariò esse in pluribus personis,
& vi processionis necessariò communicari Fi-
lio & Spiritui sancto, non autem infertur ex
eo, quòd hæc aptitudo ad communicabilita-
tem actualem, seu ex eo quòd remota illa &
radicalis fœcunditas est essentialis naturæ di-
uinę, similiter formalem fœcunditatē esse e-
iam illi essentialē ob rationes superiùs allatas.

Altera obiectio est: quod est essentiale diui-
næ naturæ, illud est etiam essentiale singulis
personis diuinis: ergo si radicalis fœcunditas
est essentialis deitati, erit etiam quælibet per-
sona diuina fœcunda & communicabilis; at
hoc est falsum, & contra præcisam rationem
personæ, quæ vt sic est incommunicabilis: ergo
hæc solutio non videtur admittenda.

IV. Respondetur prædicata, quæ præcisè con-
ueniūt diuinæ essentię, vt virtualiter distinctę
à proprietatibus personalibus, esse in duplici
differētia, alia sūt, quæ in suo formali cōceptu
connotant aliquid sibi quodammodo opposi-
tum, seu important negationem alicuius sibi
oppositi, quod tamen oppositum verè & pro-
priò competit eidem diuinæ essentiæ sub alio
suo conceptu inadæquato, etiā obiectiuo; ver-
bi gratiâ, *esse ens absolutum*, cuius oppositum
est ens relatiuum, quod etiam competit eidem
diuinæ essentiæ secundùm alium inadæqua-
tum eius conceptum; cùm hæc sumpta ad-
æquatè sit ens absolutum simul & relatiuum:
alia sunt prædicata, quæ ita conueniunt diui-
næ essentiæ, vt tamen non connotent aliquid
sibi oppositum, seu non important negationē

A alicuius oppositi, quod nihilominus eidem di- V.
uinæ essentiæ sub aliquo eius conceptu inad-
æquato conueniat, verbi gratiâ, æternitas & id
genus cætera: inter ista autem prædicata est
hæc distinctio, quòd priora, quia dicunt ali-
quam repugnantiam cum proprio quasi effe-
ctu diuinarum relationum originis, quę tamen
sunt constitutiuæ diuinarum personarum, sci-
licet cum incommunicabilitate, non conue-
niant in recto casu alicui personæ diuinæ, nec
possunt de illa vt sic purè & simpliciter prædi-
cari; verbi gratiâ, non possumus absolutè &
simpliciter dicere, prima persona Trinitatis
est ens absolutum, nec itē de reliquis duabus,
quia sunt simpliciter relatiuæ, cùm formaliter
constituantur relationibus, sed hoc modo tan-
tùm dicuntur in obliquo, sic exempli gratiâ,
prima persona ratione naturæ diuinæ in illa
B inclusæ est aliquid absolutum, sicut non dici- VI.
mus purè & simpliciter hominem esse substan-
tiam spiritalem, sed tantùm in obliquo, scilicet
hominem secundùm animam consideratum
esse substantiam spiritalem: posteriora verò
possunt dici in recto casu, de qualibet persona
diuina; iam radicalis fœcunditas est aliquid
essentiale diuinæ naturæ prioris tantùm con-
ditionis, vnde non possumus dicere in recto
casu quamlibet personam diuinam esse radi-
caliter fœcundam, & communicabilem; sed
tantùm in obliquo, scilicet quòd essentia diui-
na, quæ includitur in qualibet persona diuina
est communis, fœcunda, communicabilis: &
hoc potest etiam vtcumque illustrari exemplo
sumpto à natura communi, quæ iuxta multos
Philosophos est à parte rei, & secundùm se
vniuersalis, cui tamen vt contractæ ad aliquid
singulare, hoc eius prædicatum (*esse aptum in-*
C *esse multis*) non conuenit in recto casu propter VII.
oppositionem, quam habet cum singularitate,
sed ei tantùm conuenit in obliquo; hoc nimi-
rum modo, humana natura, quæ est in Petro,
spectata secundùm se & nudè est vniuersalis,
seu apta inesse multis; non autem sic, Petrus
est vniuersalis, seu aptus inesse multis.

Cæterum quando essentia diuina dicitur
non posse esse fœcunda, communicabilis, vel
communicata, nisi ratione relationum origi-
nis, id tantùm est verum de formali & proxi-
ma fœcunditate, & communicabilitate eius,
vt intelligitur ex prænotatis ad solutionem
vltimæ rationis super. articuli.

ARTICVLVS IV.

D *Vtrum essentia diuina sit de formali ratione singularum diuinarum relationum originis.* VIII.

NOTANDVM est, hanc quæstionem non
moueri de diuina essentia comparata ad
personas diuinas; certum enim est personas
diuinas in suo formali conceptu includere es-
sentiam diuinam, cùm vnaquæque illarum sit
essentialiter Deus, secundum fidem, vt pa-
tet ex Symbolo sancti Athanasij, sicut Pe-
trus est essentialiter homo; nam vnaquæ-
que persona diuina habet naturam diuinam,
& hypostasim, seu personalitatem, sicut Pe-
trus humanam naturam habet cum suo sup-
posito; sed præsens quæstio mouetur tantùm
de ipsis diuinis relationibus originis præci-

I. sè consideratis, verbi gratiâ, de paternitate & aliis: an illæ prout distinguuntur virtualiter ab essentia diuina, licet non sint de formali conceptu illius, vt præcedentibus articulis docuimus, an nihilominus diuina essentia sit de formali ratione vniuscuiusque diuinæ relationis originis.

De hac re duæ sunt sententiæ: vna affirmans satis communis etiam inter recentiores, quam tradunt Gandauensis quodlibeto quinto quęstione sextâ, & ex recentioribus Torres ad quæstionem præsentem sancti Thomæ articulo secundo disputatione vnicâ, Suares tam in metaphysicis disputatione vigesimâ octauâ sectione nonâ numero nono & decimo, quàm libro quarto *de Trinitate* capite septimo numero quinto, & plures alij interpretes sancti

II. Thomæ ad præsentem quæstionem, putántque esse illius, dum quæstione trigesimâ tertiâ articulo tertio ad primum ait omnia communia includi in intellectu propriorum.

His tamen non obstantibus concludimus cum sententia negante, quæ est apertè sancti Thomæ in primum sententiarum distinctione trigesimâ tertiâ quæstione primâ articulo primo, maximè in responsione ad quintũ, vbi ait, rationẽ diuinæ relationis, ita esse aliam à ratione diuinæ essentiæ, vt sit cõdiuisa & condistincta ab illa: & in quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione octauâ articulo secundo in responsione ad sextum, ait hanc propositionem *paternitas est essentia*, esse per se perseitate tantùm identicâ non formali: quia vt ibidem dicit & in solutione ad secundũ, alia est

III. & condiuisa ratio seu quidditas essentiæ, & alia ipsius diuinæ relationis: quibus auctoritatibus sancti Thomę non obstat auctoritas eiusdem allata ab aduersariis ex sequenti quæstione trigesimâ tertiâ, hæc enim intelligitur de propriis sumptis in concreto, & non in abstracto, prout hîc agimus de illis; est etiam nostra hæc sententia Durandi in primum sententiarum distinctione decimâ tertiâ quæstione primâ articulo tertio, Ferrarien. libro secundo *contra Gentes* capite nono, Caietani sequenti quæstione articulo sexto ad sextum, & plurium recentiorum hîc.

Probatur ratione. Prima est: vbi duo prædicamenta reperiuntur propriè secundùm generales & communes suas rationes, ibi vnum illorum non est de intrinseca ratione alterius; at in diuinis hæc duo prædicamenta *substantia & relatio* reperiuntur propriè secundùm ge-

IV. nerales & communes suas rationes: ergo in diuinis substantia seu essentia non est de formali & intrinseca ratione diuinæ relationis, nec econtrà. Maior probatur ex omnibus dialecticis & Metaphysicis, vbi agunt de distinctione prædicamentorum; docent enim omnia illa esse impermixta, ita vt essentialis ratio vnius non includat essentialem rationem alterius, quia aliàs duntaxat vnicum constituerent prædicamentum, & non plura. Minor est sancti Augustini locis citatis, vt libro quinto *de Trinitate* capite tertio, quarto, quinto; item libro septimo *de Trinitate* cap. 4. & sequentibus; item sancti Thomæ hâc præsenti quæstione articulo secundo. Et probatur ratione: *esse ad se* & *esse ad alium* sunt duæ rationes incompossibiles: ergo vna illarum non includitur intrinsecè in alia: ergo cùm

A diuinæ relationes originis dicant præcisè *esse ad aliud* non includent in ipsa præcisa sua ratione diuinam essentiam, quæ dicit esse *ad se.* Antecedens probatur ex sancto Augustino relato suprà articulo primo ita dicente, *si essentia ipsa relatiuè dicitur, essentia ipsa non est essentia*, id est si diuina essentia in præcisa & formali sua ratione includat esse ad aliud, iam non est essentia: ergo sanctus Augustinus iudicat hæc duo *esse ad aliud*, quod est proprium relationi, & *esse ad seipsum* quod est proprium substantiæ, esse rationes ita incompossibiles, vt vna excludat aliam. V.

Confirmatur per conuersionem illius propositionis sancti Augustini, *essentia ita est ad se, vt si esset ad aliud, iam non esset essentia:*

B ergo è conuerso, relatio ita est ad aliud, vt si esset ad seipsam, iam non esset relatio; at si relatio includeret in suo formali conceptu diuinam essentiam, esset ad se: ergo tunc desineret esse relatio, quod implicat. VI.

Secunda ratio: omnia constituentia sese excludunt mutuò, vt patet inductione factâ per omnes & singulas constitutiones, quæ reperiuntur in creaturis: at ipsa constituentia aliquam personam diuinam in esse personæ, sunt essentia diuina, & propria relatio talis personæ, ex Concilio Florentino sessione decimâ nonâ, & ex dicendis infrà: ergo diuinæ relationes originis & diuina essentia sese mutuò excludunt; nec ex consequenti diuina essentia est de formali ratione singularum diuinarum relationum originis.

C Confirmatur: plus exprimitur nomine personæ, quàm nomine solius relationis originis, verbi gratiâ, nomine Patris, quàm solo nomine paternitatis, quia nomine paternitatis, sola proprietas primæ personæ, quæ est omninò incommunicabilis exprimitur, & nomine Patris etiam diuina essentia, quæ est aliquid communicabile, exprimitur; sed si diuina essentia esset de formali ratione singularum relationum originis, non plus exprimeretur nomine proprio vnius personæ, quàm solo nomine proprietatis eius, quia cùm tunc essentia diuina esset de formali ratione singularum relationum originis, dum aliquod nomen proprietatis personalis exprimeremus, simul etiam exprimeremus ipsam diuinam essentiam. VII.

Tertia: eorum quæ à se inuicem distin-

D guuntur virtualiter, vnum non est de formali ratione alterius, quia aliàs vt sic non ampliùs distinguerentur virtualiter, cùm idem non distinguatur à seipso: at diuina essentia & singulæ relationes originis vt comparantur ad se inuicem, distinguuntur virtualiter, vt ostendimus. VIII.

Vltima: quod verè determinat aliquid communicabile ad esse incommunicabile, vt sic non includit in sua formali ratione istud communicabile, quod sic determinat, quia aliàs idem omninò essent determinans & determinatum, communicabile & incommunicabile; item illud, quod est incommunicabile, esset communicabile saltem aliquo sui, sicque falsò diceretur absolutè & simpliciter incõmunicabile: at vnaquæque personalis relatio originis determinat essentiam diuinam ad esse

I. personale & incommunicabile vt sic, verbi gratiâ, paternitas ad esse personale Patris, & sub hac ratione subsistendi diuina essentia est omninò incommunicabilis cuiuis alij supposito, vt etiam Suares agnoscit libro septimo *de Trinitate* capite tertio. Vnde talis proprietas vocatur nonnunquam à Patribus Græcis *character*, & proprietates istæ dicuntur ab illis *characterisare diuinam essentiam*, vt à Sophronio Patriarcha in sexta Synodo generali actione vndecimâ, sancto Damasceno libro primo *de fide Orthodoxa* capite nono & decimo.

Tandem hæc ratio confirmatur : si diuina essentia includeretur intrinsecè in ipsa diuina relatione originis, iam ipsa relatio seu personalis proprietas esset communicabilis saltem secundùm aliquid sui : at hoc est expressè contra sanctum Basilium epistolâ qua-
II. dragesimâ tertiâ, vbi ait Filium in sua proprietate nihil habere commune cum Patre & Spiritu sancto; & etiam contra id, quod Ioannes Theologus in Concilio Florentino sessione decimâ octauâ ita ait, *proprietas communicabilis non est, aliàs non esset proprietas:* ergo essentia diuina non includitur in præcisa & formali ratione singularum diuinarum relationum originis. Et quemadmodum suprà animaduertimus sententiam nostram non posse conciliari cum contraria per diuersam considerationem essentiæ diuinæ, nimirum vt est à parte rei, & subest formalibus nostris conceptibus; item vt consideratur explicitè & implicitè; sic etiam ob easdem rationes dicimus nostram hanc præsentis articuli conclusionem debere intelli-
III. gi de ipsis relationibus diuinis originis, vt à parte rei distinguuntur ab essentia formaliter, & vt subsunt formalibus nostris conceptibus, ob easdem rationes ibi commemoratas.

ARTICVLVS V.

Soluuntur tria contrariæ sententiæ fundamenta.

PRIMVM repetunt ex Patribus, qui ita loquuntur de diuina essentia, & relationibus originis, vt significet essentiam includi in conceptu relationum: sic Patres Concilij Rhemensis superiùs relati, sic sanctus Augustinus libro septimo *de Trinitate* capite sexto, sanctus Damascenus libro primo *de fide Orthodo-*
IV. *xa* capite vndecimo, sanctus Anselmus *in Monologio* capite decimosexto, vbi ait, *quidquid est in Deo, esse essentialiter vnam considerationem, vnam rationem*, & capite quadragesimo tertio ait, *Patri & Filio non aliud esse habere essentiam, quàm esse essentiam.*

Respondetur eos Patres tantùm loqui *in sensu identico*, & Concilium Rhemense tantùm definire contra Gilbertum diuinas relationes originis esse Deum, nec distingui realiter ab essentia diuina, non autem definire illas includere in suo formali conceptu diuinam essentiam, quod tantùm hîc negamus; sanctum verò Augustinum loqui tantùm de personis in concreto, solúmque significare esse realem identitatem inter essentiam & personas, nullum ibi habere verbum, quo dicat essentiam diuinam in sensu virtuali formali esse omninò

A idem cum diuinis relationibus originis, vel V.
diuinam essentiam includi in formali conceptu illarum.

Quod spectat ad auctoritatem sancti Anselmi, respondetur cum eodem capite decimo sexto monologij explicare seipsum, quo sensu istud intelligat, (scilicet *quidquid essentialiter dicitur de summa substantia, vno modo & vnâ consideratione dicitur*) nam verbis statim sequentibus explicat ista omnia ita esse vnam simplicissimam entitatem in re, vt tamen sit virtute multiplex, dum sic subiungit; *illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundùm aliam considerationem non sit.*

Secundum fundamentum repetunt à ratione, quæ est Gandauensis suprà: nulla relatio refert aliquid ad aliud, nisi ratione alicuius
B absoluti, per quod relatio inest subiecto; at- VI.
qui diuina relatio refert vnam personam ad aliam: ergo eam refert ratione alicuius absoluti, ex quo habet rationem *in*, sed in Deo nihil est absolutum, quàm diuina essentia, ergo diuina relatio originis includit essentialiter diuinam essentiam.

Respondetur negando maiorem asserentem purè & simpliciter esse necessarium relationem referre aliquid absolutum, nam & in rebus creatis aliqua relatio similitudinis potest dari inter duas alias relationes, quæ referantur ad sese inuicem, & diuinæ relationes, exempli gratiâ paternitas non refert diuinam essentiã, sed Patrẽ, sicut filiatio Filium, est enim iste respectus mutuus Patris ad Filium, & econtrà, non autem diuinæ essentiæ: non tamen nega-
C mus in aliquo signo rationis essentiam diui- VII.
nam præsupponi relationibus diuinis, sicut essentialia præsupponuntur notionalibus, inde tamen non sequitur essentiam formaliter includi in illis, vt etiã patet in multis rebus creatis, quarum aliæ necessariò & intrinsecè præsupponunt alias, quæ tamen non sunt de formali ratione illarum, verbi gratiâ, voluntas intellectum, volitio intellectionem.

Tertium Torrensis est eiusmodi: sicut ens sese habet ad omnia entia, sic deitas seu essentia diuina sese habet ad omnia diuina; at ens est de formali conceptu singulorum entium: ergo essentia est de conceptu formali relationum.

Confirmatur primò: vnaquæque diuina relatio originis est ens actuale, ergo creatum, vel increatum, ergo ens à se, vel ab alio, ergo finitum vel infinitum; at illud actuale, quod illa
D diuina relatio importat in sua formali ratio- VIII.
ne, non est quid creatum, quid finitum, quid ab alio, quia hæc omnia dicunt formaliter imperfectionem, scilicet esse ab alio cum dependentia, & in Deo nulla est imperfectio: ergo illud actuale, quod vnaquæque diuina relatio importat, debet esse increatum, infinitum, à se & non ab alio; at totum istud habetur duntaxat formaliter & præcisè ab essentia diuina, quia proprium constitutiuum deitatis, vel saltem vnum ex eius prædicatis essentialibus est esse à se, & non ab alio, carere omni causâ: ergo eo ipso, quo quælibet diuina relatio est aliquid actuale infinitum, increatum, non ab alio includit formaliter diuinam essentiam.

Eadem ratio secundò confirmatur: impossibile est aliquid esse tale formaliter & essentialiter, nisi in præciso suo conceptu forma-

I. li includat formam dantem tale esse formaliter; at vnaquæque relatio originis in Deo est formaliter Deus, ex Conciliis Rhemensi & Florentino suprà citatis, & ex illo communiter recepto apud omnes Theologos, *quidquid est in Deo, est Deus*, & forma dans formaliter esse Deum, est ipsa diuina essentia seu deitas: nam ideò tres diuinæ personæ sunt vnus tantùm numero Deus, quia habent tantùm vnam numero diuinam essentiam, seu deitatem: ergo vnaquæque relatio originis includit in suo formali conceptu diuinam essentiam.

Respondetur negando maiorem: imprimis quia ens est aliquod transcendens ad singula entia, ita vt prædicetur de illis essentialiter, & in recto casu: at diuina essentia non est aliquid transcendens respectu diuinarum relationum
II. tionum originis, nec prædicatur de illis in recto iuxta præcisum sensum formalem, quia ab illis distinguitur prædicamento diuino. Deinde, quia ratio entis non potest vna abstrahi ab omnibus suis inferioribus, sed illis tantùm conuenit analogicè: at ratio diuinæ essentiæ est vna simplicissima in omnibus & singulis personis diuinis. Tertiò, quia ratio entis particularis non potest concipi, quin includat saltem confusè rationem entis in communi: at diuina relatio potest distinctè concipi, & in Deo aliquid respondet eius conceptui formali, etiamsi essentia diuina non ibi includatur, vel concipiatur, vt ostendimus, cùm habeant virtualem distinctionem ab essentia.

III. Ad primam confirmationem huius rationis respondetur, diuinam relationem originis esse ens actuale, increatum à se, & non ab alio per dependentiam & etiam infinitum: ad minorem respondetur, duobus modis posse intelligi ista omnia haberi ab ipsis relationibus præcisè & formaliter per diuinam essentiam: primò vt sit sensus diuinam essentiam esse rationem, vt diuinæ relationes tantæ perfectionis conueniant Deo, sicut essentia hominis est ratio, cur risibilitas debeatur ei: secundò vt sensus sit iste, in formali conceptu diuinarum relationum originis essentiam diuinam formaliter includi tanquam proprium aliquod prædicatum constitutiuum illarum: primo sensu verum est diuinas relationes originis habere formaliter ab essentia diuina quòd sint ens, actuale, increatum,
IV. infinitum à se, & non ab alio per dependentiam: in secundo autem sensu esse falsum, iuxta quem præsens quæstio mouetur, & ex primo sensu secundum non rectè inferri, patet exemplo risibilitatis nunc allato.

Deinde potest responderi hæc omnia, quæ proferuntur in argumento, respicere entitatem relationum diuinarum, vt est in se purè & simpliciter, non autem prout manens vnica simplicissima in se est de facto virtute multiplex; & sic cùm entitas relationum diuinarum sit eadem in re, cum ipsa entitate diuinæ essentiæ, sicut hæc est independens ab alio, infinita, increata, sic & diuinæ relationes originis, maximè cùm esse increatum, independens sint potiùs aliqui modi, quibus talis entitas est modo perfectissimo. Adde quòd hoc idem argumentum potest retorqueri contra

A aduersarios, nam illi admittunt diuinas relationes originis non esse de formali conceptu diuinæ essentiæ, & proinde potest quæri ab illis, an relationes diuinæ secundùm illud, quo non includunt essentiam diuinam, sunt aliquid formaliter increatum, infinitum à se, & non ab alio per dependentiam, & quod respondebunt, potest & huic eorum argumento applicari. V.

Ad secundam confirmationem respondetur, vnamquamque diuinam relationem esse actualiter formaliter Deum: ita vt hæc propositio, paternitas est Deus, sit vera in sensu actuali formali propriè sumpto; si tamen vt nostra quæstio procedit, intelligatur in sensu virtuali formali, negatur relationem sic præcisè sumptam esse formaliter Deum, quatenus esse tale formaliter, idem sonat, ac esse VI.
B tale per aliquid sibi intrinsecum & essentiale, sic enim vnaquæque diuina relatio est Deus tantùm identicè: nec Concilium Rhemense plus aliquid definit, iuxta quem sensum intelligitur & istud, *quidquid est in Deo, est ipsemet Deus:* maximè cùm ex communi Patrum superiùs relatorum doctrina, illæ perfectiones diuinæ, quæ dicuntur propriè à Theologis *attributa*, & concipiuntur aduenire ipsi diuinæ essentiæ iam constitutæ, ad modum quarumdam formarum adiacentium, non sint nisi identicè diuina essentia, cùm id quod alicui quasi aduenit, non sit propriè loquendo virtualiter formaliter illud idem, cui aduenit; quia nihil sub eadem virtuali formali ratione sibi ipsi aduenit.

Ad id, quo dicitur essentiam diuinam esse
C formam dantem formaliter esse Deum; ideóque tres diuinas personas esse vnum Deum, respondemus esse verum, & vnamquamque diuinam personam ideò esse propriè & formalissimè Deum, quia in formali suo conceptu includit essentiam diuinam: at vt aliquid sit Deus tantùm identicè, satis est, vt eius identitas, tam realis, quàm actualis formalis sit idem cum ipsa diuina essentia, quæ reperitur inter omnia, quæ sunt in Deo, prout comparantur ad essentiam diuinam. VII.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur alia eiusdem aduersariorum sententiæ fundamenta.

D PRIMVM est Suarij: deitas est de essentia Patris: ergo est de essentia paternitatis; & sic de aliis similibus relationibus. Antecedens patet ex nostro notabili præmisso articulo quarto. Consequentia probatur: in diuinis abstractum & concretum ita comparantur, vt vnum eorum nihil essentialiter includat, quod aliud etiam non includat, præsertim quando est sermo de concreto immediato & adæquato ipsi abstracto: nam concretum in Deo nihil est aliud, quàm ipsa forma subsistens, propter summam actualitatem, & simplicitatem Dei; at Pater est concretum, & paternitas abstractum eius, & diuinitas est de essentia Patris: ergo est etiam de formali ratione paternitatis. VIII.

Respondetur concesso antecedente ne-

I. gando consequentiam: ad cuius probatio-
nem respondetur maiorem esse tantùm ve-
ram de concretis & abstractis sibi inuicem
adæquatis, id est, in quibus forma abstrahi-
tur, non ab vna tantùm parte totius, sed à
toto ipso, vt sunt Deus, deitas, homo, hu-
manitas, Petrus, petreitas: quando verò abs-
tractum non est adæquatum ipsi concreto,
tunc maior illa propositio est falsa; tunc e-
nim non est tantùm distinctio penes modum
significandi, quatenus scilicet, vt abstractum
significatur solummodò per modum formæ,
quæ licet subsistat, non tamen explicatur vt
subsistens, sed est etiam distinctio penes ali-
quid verè & propriè existens in concreto,
quod non reperitur in eius abstracto: verbi
gratiâ, si humanitas abstraheretur tantùm à
natura humana, vt excludente subsisten-
II. tiam, tunc in hoc concreto (*homo*) includi-
tur subsistentia, quæ non reperitur in eius
abstracto; at in præsenti casu paternitas,
quatenus præcisè est relatio, seu personalis
proprietas Patris, à qua sola vt sic præcisè
considerata Pater est concretum, & sub qua
ratione hîc de illa disputamus, non est abstra-
ctum adæquatum Patris, prout Pater dicit
aliquid constitutum ex essentia & paternita-
te: nam Pater vt sic præter hanc proprie-
tatem habet & diuinam essentiam, quam
hæc paternitas vt sic præcisè sumpta non
includit, vnde non potest inferri diuinam
essentiam esse de formali ratione paterni-
tatis.

Quod vt meliùs intelligatur, notandum
est hoc nomen (*Pater*) in diuinis posse duo-
bus modis esse concretum, primò quatenus
significat totam naturam diuinæ personæ
III. constitutam ex diuina essentia & paternitate,
quomodo passim sumitur in nouo testamen-
to & Patribus; & sicut Pater hoc modo est a-
liquid absolutum & relatiuum, simul ad-
æquatè, ita paternitas ab illo vt sic conside-
rato abstracta debet includere tam aliquid
absolutum, quàm relatiuum: secundò Pater
potest sumi quatenus est concretum à sola pa-
ternitate, quæ est proprietas relatiua, quate-
nus nimirum est forma ipsius paternitatis in
præcisa ratione relationis, quemadmodum
potest facilè distingui in paternitate creata, &
quemadmodum concretum eius vt sic non in-
cludit essentiam diuinam in sua reali ratione,
ita nec abstractum eius, sicque relatio sumpta
hoc modo non includit essentiam diuinam in
suo formali conceptu.

IV. Secundum est: ea omnis excellentia est
tribuenda diuinis relationibus, quæ potest
cõsistere cum proprietate illarum, quia quid-
quid est in Deo, est modo omnium perfectis-
simo, cùm omnia in Deo ad intra sint ne-
cessaria, & in æternis esse & posse sint idem:
at inclusio diuinæ essentiæ in diuinis relatio-
nibus est illis magna excellentia, quia nihil
potest cogitari perfectius, quàm esse formali-
ter, & in sensu maximè formali Deum, &
non tantùm in sensu identico, & hæc excel-
lentia potest consistere cum proprietate cu-
iuslibet diuinæ relationis originis, & veritate
mysterij Trinitatis, quia ratione respectus,
quem relatio superaddit diuinæ essentiæ, re-
ctè diuina processio, & Trinitas diuinarum
personarum intelligitur.

A Respondetur, quòd quemadmodum re- V.
lationes diuinæ sunt certi & determinati
generis, nimirum respectiui, ita etiam suffi-
cit, vt sint perfectissimæ in genere relatio-
nis, & habeant excellentiam infinitam in hoc
genere, non esse autem necesse, quòd habeant
absolutè & simpliciter omnem & quamlibet
perfectionem infinitam in quouis genere; sic
enim in suo formali conceptu deberet inclu-
dere omnia & singula attributa essentialia,
& non tantùm essentiam diuinam, quod ne-
mo admittet.

Deinde respondetur, hanc excellentiam
(scilicet quòd relationes diuinæ ita sint Deus,
vt in suo formali conceptu includant diui-
nam essentiam) non posse consistere cum
mysterio Trinitatis personarum, quia tunc
destruitur constitutio personarum diuinarum
B ex essentia & relatione: item distinctio duo- VI.
rum prædicamentorum in Deo secundùm
suas proprias & generales rationes; item &
ipsa incommunicabilitas personalium pro-
prietatum, vt fusiùs suprà deduximus inter
probandum nostram sententiam.

Vltimum est: omnis compositio etiam per
intellectum, repugnat Deo & singulari eius
simplicitati; at posito, quòd essentia diuina
non includatur in formali conceptu singu-
larum diuinarum relationum originis, da-
tur quædam compositio saltem per intelle-
ctum, in qualibet persona diuina, quia es-
sentia diuina & relatio originis, ex quibus
quælibet persona diuina constat, sunt distin-
ctæ à se inuicem, & compositio nihil est a-
liud, quàm duorum vel plurium sese non
includentium coniunctio: ergo ne incida-
mus in istud incommodum, dicendum est re-
C lationes diuinas originis, formali suâ ratione VII.
includere diuinam essentiam.

Respondetur primò, aliquos ex aduersariis
admittere compositionem rationis in Deo, in-
ter quos est ipse Torrensis quæst. quadrage-
simâ sancti Thomæ articulo quarto. Dein-
de respondetur negando id sequi in nostra
sententia, non tantùm quia vera composi-
tio est ex actu & potentia, diuina autem es-
sentia non habet rationem veræ alicuius
potentiæ passiuæ respectu diuinarum rela-
tionum, sed etiam quia vera compositio est
duarum entitatum saltem ex natura rei, sic
à se inuicem distinctarum ad aliquod ter-
tium componendum coniunctio, vt vbicum-
que vna illarum reperitur, ibi non reperia-
tur & alia, etiam identicè, quod non habet
D locum in personis diuinis, vt præmonui- VIII.
mus. Imò licet virtualis illa distinctio, in-
ter essentiam diuinam & eius relationes sit
verè de facto, & citra mentis operationem,
modo à nobis explicato; non proptereà ta-
men inde sequitur dari in Deo virtualem
compositionem ex diuina essentia, & præ-
dictis eius relationibus, est enim dispar v-
triusque ratio: ad istam sufficit summa per-
fectio, quâ vna simplicissima entitas in
seipsa indiuisa, ita est eminens, vt sit virtu-
te multiplex, absque eo quòd vera aliqua &
realis multiplicatio rationum sit verè & propriè
& subiectiuè in Deo, sed vnica tantùm simpli-
cissima, quæ tamẽ, quia vt est virtute multiplex,
induit conditionem entis cuiusdam respecti-
ui, & eiusmodi entibus est proprium enumerari

I. per suos terminos, dicatur plures, pro ea pluralitate perfectionum, quibus ipsa æquiualet: ad hanc verò, id est ad compositionem virtualem, quia compositio importat aliquam pluralitatem extremorum sese mutuò excludentium, inter se tamen cum hac mutua exclusione vnitorum, ad componendum aliquod tertium, requiritur vera multiplicitas rationum actu & subiectiuè in Deo existentium: cuius multiplicitatis partes sunt sibi inuicem vnibiles, quod non reperitur in Deo, in cuius essentia nusquàm aliqua plura sibi propriè vniuntur, vel possunt vniri, quin potiùs quæcumque sunt in illa, sibi inuicem identificantur, & ad hanc rem maximè faciunt: quæ sanctus Bernardus libro quinto *de consideratione* capite septimo & octauo habet de summa simplicitate Dei, & identitate eorum, quæ sunt in illo.

II.

DISPVTATIO VI.

De formali ratione attributorum diuinorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum attributa essentialia sint de formali ratione diuinæ essentiæ, & econtrà, item an illa sese mutuò includant, & quomodo tunc hæc de sese inuicem, tum relationes prædicentur de diuina essentia.

III. EX hactenus dictis de distinctione relationum diuinarum ab essentia, resolutio horum omnium est facilis. Sit itaque

Hæc prima propositio. *Essentia diuina non includit attributa essentialia in suo formali conceptu, nec item attributa essentialia includunt diuinam essentiam in sua formali ratione, nec similiter vnum attributum essentiale includit aliud.*

Probatur: primò ex modo loquendi Patrum de istis omnibus, vt sancti Augustini libro decimoquinto *de Trinitate* cap. 5. qui loquens de Deo & eius attributis, ita ait: *si dicamus iustus, bonus, spiritus, horum omnium nouissimum quod posui, quasi tantummodò videtur significare substantiam, cætera verò huius substantiæ* IV. *qualitates.* Item S. Damasceni libro primo *de fide Orthodoxa* capite quarto, vbi docet hæc attributa non dicere naturam Dei, sed ea tantùm, quæ sunt circa naturam eius; & rationes superiùs allatæ pro distinctione virtuali inter essentiam & relationes, & attributa item essentialia, similiter pro exclusione diuinæ essentiæ à formali conceptu relationum, & econtrà, probant idem.

Addi potest & hæc ratio fundata in Patribus nunc relatis: quidquid habet se tanquam forma quædam adiacens alicui, nunquam vt sic est de formali ratione eius, cui adiacet, & quidquid habet se per modum qualitatis, nunquam est de formali ratione substantiæ, & quod habet rationem vnius quasi qualitatis, non est de præciso conceptu illius, quasi qua- A litatis, quæ est distinctæ speciei, vt patet inductione: atqui ex Patribus nunc citatis attributa essentialia sunt quasi formæ quædam adiacentes diuinæ essentiæ, quasi quædam eius qualitates, suntque distinctarum veluti specierum, iuxta quandam analogiam ad nostras perfectiones, illis aliquo modo correspondentes; vt patet consideranti singula attributa diuina: ergo nec attributa sunt de formali ratione diuinæ essentiæ, nec item diuina essentia de formali ratione illorum, nec denique vnum eorum de ratione aliorum. V.

Et quemadmodum suprà diximus satis esse ad infinitatem diuinæ relationis, quòd illa sit summa in suo genere, ita etiam sufficit ad infinitatem vnius cuiuscumque attributi, quòd habeat infinitam perfectionem in suo genere, & ad infinitatem diuinæ essentiæ, quòd VI. B quatenus est diuina essentia, sibi vendicet in suo conceptu formali primariam infinitatem & perfectionem infinitam, in ratione essentiæ, iuxta explicationem traditam quæstione quartâ huius partis.

Secunda propositio. *Tam ipsa essentia diuina dicitur de suis attributis absolutis, quàm econtrà, & attributa absoluta de sese inuicem prædicantur, similiter diuinæ relationes originis de diuina essentia, tantùm in sensu identico & non in formali.*

Prior pars propositionis est de fide, ex citatis Conciliis & Patribus, nullam realem distinctionem ponentibus inter essentiam diuinam & singula eius attributa, nec inter absoluta attributa ad sese inuicem, vel ad relationes comparata, sed summam tantùm iden- C titatem simplicissimæ entitatis, quæ tamen sit VII. virtute multiplex. Ex quibus hæc potest formari ratio:

Modus prædicandi sequitur modum essendi, vt habet vulgaris regula dialecticorum, & tunc aliqua prædicantur de se inuicem *in sensu identico*; quando ipsum est idem realiter cum illo: at essentia diuina, omnia eius attributa absoluta, item & relationes originis sunt vna realiter simplicissima entitas, ex Conciliis & Patribus; ergo rectè *in sensu identico* prædicabuntur de se inuicem.

Posterior pars propositionis, quæ est Capreoli in primum sententiarum distinctione octauâ, & plurium recentiorum hîc, quæque habet fundamentum in sancto Thoma, in quæstionibus disputatis *de potentia*, quæ- D stione octauâ articulo secundo, & hâc par- VIII. te quæstione trigesimâ nonâ articulo sexto, probatur: vnum prædicari de alio *in sensu formali*, nihil est aliud, quàm ipsum prædicatum, quatenus tale est, esse præcisam rationem formalem, cur subiectum propositionis sit tale, vnde sic vocatur, quòd sit veluti forma subiecti in tali esse; at diuina essentia non habet à suis attributis, quòd sit essentia, nec vnum attributum est quasi formalis ratio, cur aliud attributum de quo enuntiatur, sit tale, verbi gratiâ, in his propositionibus, essentia diuina est voluntas Dei, iustitia est misericordia Dei, & sic de cæteris: non enim habet diuina essentia, quòd sit essentia à voluntate Dei, nec iustitia, quòd sit talis à misericordia, nec econtrà, & sic de aliis: ergo propositiones

I. illæ non sunt propriè veræ *in sensu formali.*

Vbi notandum ex eo quòd prædictæ propositiones sint veræ *in sensu identico*, non posse inferri esse veras propter variationem suppositionis, & distinctionem virtualem, quam hæc prædicata & attributa seruant in se; sufficere, vt eiusmodi propositiones sint falsæ *in sensu formali*, patet ex dictis suprà circa talem distinctionem.

DISPVTATIO VII.

De perfectione diuinarum relationum.

ARTICVLVS I.

II. *Vtrum vnaquæque diuinarum relationum dicat formaliter perfectionem entitatiuam.*

REPETENDVM est tam ex Aristotele libro quinto *metaphysicorum*, & omnibus Philosophis disputatione *de bono*, vbi agunt de transcendentibus, quàm ex S. Thoma hâc parte quæstione quartâ articulo primo in solutione ad primum, illud dici & esse perfectum, cui nihil deest, quo modo dicitur etiam *bonum*, & *bonitas*, & *perfectio* sunt vnum & idem.

Notandum secundò, quòd quemadmodum
III. aliquid potest esse bonũ *duobus modis*, scilicet comparatione *sui*, quatenus habet totum illud, quo intrinsecè constituitur; deinde comparatione *alterius*, nimirum quatenus vel constituit illud, vel facit vt sese meliùs habeat, sic etiam duplex distinguitur perfectio, vna *entitatiua*, secundùm quam ea dicuntur perfecta, quæ habent quidquid eorum entitas intrinsecè requirit, & quæ maioris distinctionis gratiâ potest aliquo modo appellari *absoluta*, quia respicit constitutionem rei in seipsa; alia secundùm quam vel constituit aliquid, quemadmodum anima hominem, vel facit vt sese meliùs, & conuenientiùs habeat, licet intrinsecam eius constitutionem non ingrediatur, quo modo naturales potentiæ, item virtutes tam infusæ quàm acquisitæ dicuntur esse perfectiones, respectu suorum subiectorum; & hæc perfectio ad distinctionem prioris potest
IV. appellari aliquo modo *respectiua*, quatenus est ad perficiendum aliquid suo formali & præciso conceptu extrinsecum.

Tandem repetenda est ex citata quæstione quartâ, distinctio illa perfectionis, *in perfectionem simpliciter simplicem, & in simplicem* duntaxat; iam quæritur an relationes diuinæ habeant, vel omnes, vel aliquas, vel nullas ex istis perfectionibus.

Qua de re variæ sunt Theologorum sentẽtiæ; alij enim, vt Scotus quodlibeto quinto, Durandus in tertium sententiarum distinctione primâ quæstione tertiâ, Caietanus hâc quæstione sancti Thomæ articulo secundo, & aliqui alij negant diuinas relationes habere aliquam perfectionem; alij verò econtrà affirmant, Gabriel in primum sententiarum

A distinctione septimâ quæstione tertiâ articulo tertio, Suares libro tertio *de Trinitate* capite nono, & plures etiam ex recentioribus; alij V.
denique inter vtrosque medij affirmant relationem diuinam, vt est præcisè relatio, dicere perfectionem, negant tamen plures esse perfectiones, licet sint plures diuinæ relationes originis, sic Torres ad secundum articulum huius quæstionis, Bannes, Vasquesius, & aliqui alij ibidem.

Verùm vt tota veritas huius rei facilè intelligatur, hoc articulo quæremus solùm, an dicat relatio diuina perfectionem entitatiuam, reliqua sequentibus articulis expendemus. Pro quo

Nostra sit propositio. *Vnaquæque diuinarum relationum originis dicit formaliter perfectionem entitatiuam:* ita sentiunt nobiscum
B citati auctores secundæ sententiæ: probatur VI.
primò ex Patribus, vt sancto Cyrillo libro primo *thesauri* capite sexto, vbi loquens de prima persona Trinitatis, ait expresè Patrem esse perfectum, non tantùm quia Deus est, sed etiam, quia est Pater; sancto Damasceno libro primo *de fide orthodoxa* capite vndecimo, vbi proprietates personales Patris, Filij, & Spiritus sancti vocat *perfectiones*; & ex sancto Thoma infrà quæstione quadragesimâ articulo tertio, in solutione ad primum, quando ait proprietatem distinguentem personas (quæ est relatio) pertinere ad dignitatem personæ constitutæ: at quod est dignitas est perfectio, & in quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione octauâ articulo tertio, ait expresè proprietatem constituentem esse perfectio-
C nem, & opusculo primo *contra errores Græcorum* capite septimo, ait Patrem non fore perfectum, nisi haberet Filium, ergo & sine paternitate: ergo paternitas ex mente S. Thomæ, dicit aliquam perfectionem. VII.

Deinde probatur ratione: quidquid habet rationem veri entis propriè dicti, habet & perfectionem entitatiuam, cùm enim dicat actualem existentiam; & nihil possit apprehendi existens sine eo, quo intrinsecè constituitur, & talis perfectio in hoc præcisè consistat, debet eo ipso habere perfectionem entitatiuam: at vnaquæque diuina relatio originis formaliter considerata, prout virtualiter distinguitur ab essentia diuina, habet rationem veri realis entis, seu actu existentis, vt patet ex dictis suprà: ergo vnaquæque diuina relatio originis habet perfectionem entitatiuam.

D Confirmatur ex sancto Thoma, quia eatenus aliquid est perfectum, seu dicit perfectio- VIII.
nem, quatenus est actu: at vnaquæque diuina relatio originis est actu, quia est realis: ergo vnaquæque diuina relatio originis dicit perfectionem.

Neque huic rationi & eius confirmationi satisfacit quod aliqui respondent, scilicet rationem perfectionis esse aliquid absolutum, & ea quæ sunt de genere absolutorum vt sic, non conuenire relatiuis: at diuinæ relationes considerantur hîc præcisè vt sunt relationes, & vt virtualiter distinguuntur ab essentia diuina.

Hoc inquam non satisfacit: primò, quia perfectio accepta iuxta sensum nostræ propositionis, tam latè patet, quàm pateat ratio en-

I. tis, quia est bonitas transcendens; at diuinæ relationes originis dicunt verè formaliter & intrinsecè veram & realem aliquam entitatem; sunt enim spectatæ secundùm suum *esse ad* reales, vt suprà ostendimus: ergo vt sic debent importare veram aliquam perfectionem entitatiuam.

Deinde id quo secunda persona Trinitatis terminat formaliter & præcisè naturam humanam assumptam, dicit aliquam perfectionem & dignitatem; tum quia ex eo habet humanitas sic assumpta, quòd eius actiones sint infinitæ in genere valoris, meriti, & satisfactionis, vt docetur tertiâ parte; tum etiam quòd sit capax adorationis latriæ, vt eâdem tertiâ parte docetur, omnis autem adoratio habet pro suo motiuo aliquam excellentiam, perfectionem, & dignitatem; sed secunda
II. persona Trinitatis terminat humanam naturam assumptam suâ proprietate relatiuâ seu subsistentiâ & personalitate relatiuâ, vt docetur tertiâ parte: ergo diuina relatio originis sumpta formaliter & præcisè, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina, dicit formaliter aliquam perfectionem entitatiuam.

Neque his obstat, quòd sanctus Augustinus passim in libris *de Trinitate*, vt libro sexto capite secundo & tertio, item libro septimo capite primo, dicat magnitudinem Dei dici absolutè, & hæc magnitudo nihil sit aliud, quàm perfectio Dei ex sancto Thoma quæstione quadragesimâ secundâ articulo primo ad primum, & quòd sanctus Thomas istâ quæstione articulo quarto tam in corpore, quàm in responsione ad secundum dicat magnitu-
III. dinem in diuinis significare perfectionem naturæ & pertinere ad essentiam.

Nam sancti Patres in istis locis, & aliis similibus loquuntur tantùm de ea perfectione, quæ consequitur essentiam, prout hæc importat naturam condistinctam virtualiter à diuinis relationibus originis, quæ perfectio diuinæ essentiæ, sicut & ipsa diuina essentia, vt sic præcisè considerata, est aliquid purè & simpliciter absolutum; non autem loquuntur de ea perfectione diuina, quæ consequitur ad quamlibet veram entitatem diuinam, prout est aliqua vera entitas, qualis est quælibet diuina relatio originis: & quòd hæc sit eorum mens patet ex sancto Augustino, quia ibi loquitur de essentia diuina, vt est aliquid absolutum, & de eius attributis solùm essentialibus; de
IV. sancto Thoma ex citata eius solutione ad primum primi articuli citatæ quæstionis quadragesimæ secundæ, vbi disertè ait hanc magnitudinem, & perfectionem, de qua ibi agit, attendi penes ipsam formam seu naturam, quæ est radicale principium agendi ad extra, & penes proximum eius principium, quod est forma; at certum est diuinas relationes originis nullam sortiri rationem principij agendi ad extra, sed solam ipsam eius essentiam & potentiam, vt sunt aliquid solummodò absolutum.

A

ARTICVLVS II. V.

Vtrum tot sint perfectiones relatiuæ, quot sunt relationes personales, & an vnaquæque earum sit infinita in suo genere.

NOSTRA sit propositio. *Sicut tres sunt diuinæ relationes originis personales, ita sunt & tres perfectiones tribus istis relationibus correspondentes, quarum vnaquæque est infinita in suo genere:* propositio est contra auctores tertiæ sententiæ superiori articulo relatæ, eam tamen probant auctores secundæ ibidem relatæ.

Prima pars probatur: multiplicatâ entitate actuali debet & entitatiua perfectio multiplicari, quia hæc necessariò sequitur illam ex
B obseruatis suprà: at dantur tres actuales di- VI.
uinæ relationes personales distinctæ virtualiter ab essentia diuina, vt ostendimus: ergo dantur tres perfectiones illis correspondentes distinctæ virtualiter ab essentia diuina.

Confirmatur: quæcumque diuinis personis conueniunt ex præcisa ratione suarum relationum, penes quas realiter à se inuicem distinguuntur, illa multiplicantur, quia in diuinis sola relatio multiplicat, & hæc sequuntur conditionem relationum; at hæc perfectio entitatiua conuenit personis diuinis, ratione suarum relationum, quatenus scilicet vnaquæque illarum est quædam actualis entitas distincta realiter ab aliis actualibus relationibus: ergo quemadmodum sunt tres personales relationes actuales à se inuicem distinctæ realiter, sic etiam tres erunt perfectiones
C relatiuæ correspondentes illis. VII.

Posterior pars probatur: primò, quia infinitas perfectionis sequitur conditionem entis, cuius est perfectio: at hæc perfectio est diuinæ relationis subsistentis, & relatio diuina, vt subsistens etiam præcisa ab essentia diuina est infinita; tum quia ob hanc rationem Theologi tertiâ parte docent communiter quamlibet diuinam subsistentiam personalem posse terminare quamlibet naturam creatam. Deinde quidquid facit subsistere modo infinito relatiuo aliquam substantiam, debet habere infinitatem in tali genere, vt sic quædam proportio detur inter naturam & eius subsistentiam; at vnaquæque diuina personalis relatio facit subsistere diuinam essentiam modo infi-
D nito, paternitas in ratione paternitatis, filia- VIII.
tio in ratione filiationis, spiratio in ratione spirationis, & hoc tam intensiuè quàm extensiuè intra suam speciem, cùm repugnet plures dari processiones duabus, & plures terminos illarum duobus, & eiusmodi processiones fundentur in relationibus originis: ergo diuinæ personales relationes originis sunt tres perfectiones relatiuæ, & æquè infinitæ in suo genere.

Obiicitur primò, hinc sequi aliquam perfectionem dari de facto in vna persona diuina, quæ non est in alia, cùm vna personalis relatio detur, quæ non est in alia persona diuina; sicque vnam personam non esse æquè perfectam, ac est alia.

Respondetur, duobus modis posse intelligi aliquam perfectionem esse in vna persona diuina, quæ tamen non sit in alia: primò non

I. purè, absolutè & simpliciter, sed cum hoc addito (quatenus relatiua est;) secundò purè & simpliciter, quatenus ita est in vna persona, vt nullo modo sit in alia: iuxta primum modum posse admitti aliquam perfectionem relatiuam esse in aliqua persona diuina, quæ tamen non sit in alia, verbi gratiâ, paternitatem esse in prima persona Trinitatis, quæ, quatenus est relatiua perfectio, reperitur in solo Patre, & non in aliis duabus personis diuinis: & hoc conformiter ad Concilium Florentinum, ad sanctum Basilium, & alios sanctos Patres relatos, qui dicunt Patrem diuinum omnia communicasse Filio exceptâ paternitate: item proprietates personales ita esse proprias suis personis diuinis, vt non conueniant aliis; iuxta secundum verò modum non posse dici,

II. quia tali propositione significatur ipsam perfectionem, quæ est in vna persona diuina, nullomodò reperiri in aliis personis diuinis, cùm negatio, vt Dialectici loquuntur sit *malignantis naturæ*, & destruat quodcumque reperit post se, quæ tamen perfectio in vnaquaque personarum diuinarum reperitur, quatenus omnis relatiua perfectio identificatur cum essentia diuina, & in ea continetur radicaliter, quæ essentia diuina est vna, & eadem numero in omnibus & singulis personis diuinis; vnde sicut *à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter consequentia non valet*, sic etiam à negatione vnius diuinæ perfectionis, in aliqua persona diuina, quatenus talis perfectio est verè & propriè relatiua, non potest absolutè & simpliciter inferri, quòd hæc vel alia similis perfectio non sit in aliis personis, sed in vna

III. tantùm.

Obiicitur secundò, hinc sequi omnes tres personas diuinas simul sumptas fore perfectiores vnicâ tantùm personâ, cùm omnes simul sumptæ includant omnes & singulas relationes originis, quas tamen vna tantùm persona non includit; at hoc est contra sanctum Augustinum libro sexto *de Trinitate* capite septimo & octauo, vbi expresè docet solum Patrem, vel solum Filium, vel solum Spiritum sanctum esse tantum, quanti sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus simul sumpti.

Respondetur falsum esse tres personas Trinitatis simul sumptas esse perfectiores vnâ, cùm iste loquendi modus sit simplex & absolutus, vt per se patet, & quælibet persona diuina ratione essentiæ diuinæ, cum qua omnes & singulæ perfectiones relatiuè identificantur, & in qua etiam radicaliter continentur,

IV. tam benè habeat illas omnes, quàm omnes personæ diuinæ simul. Deinde quia vnaquæque persona diuina ratione *circumincessionis*, quæ est, vt explicabitur, inter personas diuinas, & item ratione suæ processionis, quæ est vitalis & immanens, vt superiùs explicatum est, habet in seipsa alias personas, iuxta illud Christi Domini, *ego in Patre, & Pater in me est*, & ex consequenti, quidquid perfectionis est in omnibus personis simul sumptis, est etiam in vnica illarum, iuxta quam vtramque explicationem sanctus Augustinus in obiectione citatus ait non esse plus perfectionis in tribus diuinis personis, quàm sit in vnica.

Potest etiā addi in rigore metaphysico hinc tantùm sequi dari in omnibus personis diuinis simul sumptis plures perfectiones sub aliqua

A speciali ratione etiam explicita, scilicet quatenus sunt relatiuæ, quàm sunt in vna tantùm diuina persona; quod tam benè potest concedi, quàm potest admitti iuxta Florentinum, Patrem non communicasse Filio paternitatem. V.

Tandem dici potest hoc etiam sensu tres personas diuinas posse dici extensiuè perfectiores vnicâ, quatenus perfectio, quæ est in pluribus suppositis, censetur aliquo modo (scilicet secundùm extensionem) esse maior etiam seipsâ, prout est tantùm in vno supposito, quâ ratione ad citatā quæstionem quartam huius partis docuimus Deum simul cum vniuerso esse quid perfectius seipso, solitariè sumpto: sed ista consideratio ex sola multitudine suppositorum non facit simpliciter ad

B perfectionem, cùm hæc semper attendatur penes intensionem, vt etiam patet in ipsis qualitatibus creatis. VI.

ARTICVLVS III.

Vtrum vnaquæque relatio diuina originis dicat formaliter perfectionem respectiuam.

VNICA sit propositio. *Vnaquæque diuina relatio originis dicit formaliter perfectionem respectiuam*, id est, *tam in ratione constitutiui diuinæ personæ, & essentiæ diuinæ, sumptæ secundùm totam suam latitudinem, quatenus est ens absolutum simul & relatiuum, quàm ipsius etiam diuinæ essentiæ specificè sumptæ, quatenus facit illam sese habere modo conuenienti.* Hæc propositio est Ochami, Gabrielis primo sententiarum distinctione septimâ quæstione ter-

C tiâ, & communis ferè omnium auctorum secundæ sententiæ articulo primo relatæ. Cuius prima pars VII.

Probatur de perfectione relationum *in ratione constitutiui*: illud censetur esse perfectio alicuius iuxta hunc modum, quod essentialiter ingreditur constitutionem eius, vt suprà explicatum est: at relatio paternitatis ingreditur constitutionem primæ personæ, filiatio secundæ, spiratio passiua tertiæ, vt insinuatum est suprà, & fusiùs ostendetur infrà, similiter omnes diuinæ relationes simul sumptę ingrediuntur totam diuinitatem adæquatè sumptam, quia hæc est ens absolutum & relatiuum simul, éstque de intrinseco conceptu adæquato Dei, vt sit non tantummodò vnus, sed etiam trinus, qualis tantùm est per relationes originis: ergo diuinæ relationes in ra-

D tione constitutiui sunt perfectiones tam essentiæ diuinæ sumptæ adæquatè, quàm omnium personarum diuinarum. VIII.

Altera pars propositionis, quæ procedit de perfectione *secundùm rationem conuenientiæ per comparationem ad essentiam diuinam, & absoluta eius attributa vt virtualiter distincta à relationibus originis*, probatur: quidquid quasi complet vltimò naturalem capacitatem alicuius, censetur illud perficere, & ex consequenti esse aliqua eius perfectio, vt patet in nostris potentiis, in modis substantialibus & accidentalibus, item in virtutibus tam acquisitis quàm infusis, quæ communiter dicuntur à Philosophis perficere substantias & accidentia: at diuina essentia, vt præscindit virtualiter à diuinis relationibus, habet capacitatem, vt sit

I. in tribus personis, similiter fœcunditatem, vt communicetur per generationē & processionem, & tam hæc capacitas, quàm fœcunditas completur tantùm per diuinas relationes originis, quia diuina essentia subsistit tantùm tribus subsistentiis relatiuis, soláque relatio multiplicat in diuinis: ergo diuinæ relationes originis sunt perfectiones diuinæ essentiæ, quatenus faciunt, vt illa sese habeat consentaneè suæ capacitati.

Atque inter hunc vtrumque modum perfectionis, hæc est distinctio, quòd iuxta priorem relatio non dicatur propriè loquendo addere aliquam perfectionem diuinæ essentiæ, vel personis diuinis, quia quod propriè additur supponit illud, cui superadditur iam esse constitutum: at diuinæ relationes iuxta priorem modum non supponunt totam essen-
II. tiam diuinam adæquatè sumptam, prout est ens absolutum & relatiuum simul, sed vt sic ingrediuntur illam, tanquam aliquid intrinsecum constitutiuum illius; ideóque vt sic potiùs dicuntur importare in se ipsis aliquam perfectionem, quàm eam superaddere alicui; at iuxta posteriorem modum, quia diuinæ relationes sunt extra præcisum conceptum essentiæ diuinæ, & illam supponunt constitutam in ratione essentiæ, similiter & attributa essentialia; ideò rectè potest dici superaddere diuinæ essentiæ, & attributis essentialibus aliquam perfectionem.

Neque his obstat, quòd Vasquesius hâc parte disputatione centesimâ vigesimâ secundâ capite sexto, obiicit perfectionem sonare, vel duntaxat integritatem, quâ res aliqua constituatur suis omnibus numeris absoluta, & sic
III. cùm diuinæ relationes, & essentia simul quasi integrent vnum totum Deum absolutè & relatiuè consideratum, illas non plures dicere perfectiones in diuinis, sed vnam tantùm, vel perfectionem significare id, quod perficit aliquid tanquam ei consentaneum, & diuinas relationes non esse hoc modo aliquam perfectionem essentiæ diuinæ, cùm talis perfectio debeat distingui realiter ab eo, quod sic perficit, relationes autem diuinæ sint idem realiter cum diuina essentia.

Neutrum inquam eorum obstat: non primum, quia quando dantur duo, vel plura constituentia alicuius, tunc vnumquodque illorum, potest dici perfectio, iuxta hunc priorem modum, cùm hæc denominatio fundetur in ipsa formali ratione constitutionis; at
IV. considerando totum Deum, provt est aliquid relatiuum & absolutum simul, diuinæ relationes sunt aliquod eius constitutiuum, sicut & absolutum eius, & hæc seruant inter se aliquam distinctionem virtualem: ergo quemadmodum possunt dici plura constituentia, poterunt etiam dici plures perfectiones.

Confirmatur ex eo, quòd attributa Dei rectè dicantur esse plura, ob eàm distinctionem, quam seruant inter se. Deinde relationes diuinę non satis propriè dicuntur integrare deitatem, seu diuinam essentiam, quia aliàs vnaquæque diuina persona sumpta seorsim ab aliis, non esset Deus integer, & perfectus, quod est blasphemum, & ea, quæ sortiuntur appellationem partium integrantium, non habent aliquam identitatem verè & propriè dictam inter se, sed seruant distinctionem realem in-
A ter se, qualis nullo modo reperitur inter diuinam essentiam, & diuinas relationes originis. V.

Neque etiam dictum secundum obstat; est enim falsum perfectionem sumptam hoc secundo modo postulare realem distinctionem inter se, & illud, quod perficit; nam singula attributa essentialia sunt, & passim dicuntur à Patribus perfectiones Dei, seu diuinæ essentiæ, à qua tamen non distinguuntur realiter.

ARTICVLVS IV.

Vtrum diuinæ relationes originis dicant perfectionem simpliciter simplicem, an tantùm simplicem.

SIT hæc vnica propositio. *Diuinæ relationes originis non dicunt perfectionem simpliciter* VI.
B *simplicē, sed tantummodo simplicem.* Patet ex dictis quæst. 4. huius partis: ea perfectio dicitur *simpliciter simplex* ex S. Anselmo, *quæ melior est ipsa enti quatenus est ens, quàm nō ipsa,* id est, quā habere est melius alicui quatenus est ens, quàm non ipsa, id est, quàm habere aliam cum illa incompossibilē; ea verò perfectio dicitur tantummodo *simplex,* quæ vel in præciso & formali suo conceptu importat imperfectionem, & quâ proinde vt sic melius est carere, vel quæ habet aliquam incompossibilitatem cum æquali, vel maiori perfectione: at relationes diuinæ sunt quædam perfectiones, vt ostendimus, quarum vna habet incompossibilitatem cum alia in eodem supposito, vt per se patet: ergo diuinæ relationes sunt perfectiones tantummodò simplices.

Sed obiicitur primò: omnes diuinas rela-
C tiones originis esse in singulis personis diuinis per circumincessionem, filiationem in Patre, paternitatem in Filio, spirationem passiuam in Patre & Filio, & actiuam spirationem in Spiritu sancto, sicut per hanc circumincessionem vna persona diuina est in aliis, & aliæ in illa: ergo perfectiones istæ non habent incompossibilitatem in eodem ente: ergo cùm sint eiusmodi relationes formaliter in Deo, nec aliquam includant imperfectionem, vel incompossibilitatem cum alia æquali, vel maiori perfectione, erunt perfectiones simpliciter simplices. VII.

Respondetur, concesso antecedenti negando consequentiam; nam incompossibilitas aliquarum perfectionum inter se requisita in
D perfectione simpliciter simplici, non attenditur præcisè penes quamlibet possessionem, & vt ita dicam, habitionem perfectionum eiusmodi, nudè & simpliciter consideratam, sed penes formalem illam suam rationem, quâ aliqua perfectio sic afficit subiectum, vt illud denominet, eíque tribuat esse formaliter tale, vel per sui inhæsionem, ad modum accidentis, vel per informationem ad modum formæ substantialis, vel per modum alicuius constituentis vnum per se, quemadmodum patet de omnibus & singulis perfectionibus: at paternitas, quæ est in Filio, nullo ex istis modis est in illo, sed prout identificatur cum essentia diuina, quæ formaliter est in illo, & non illum denominat formaliter Patrem, nec illi tribuit, vt sit formaliter Pater; quod idem est dicendum de filiatione comparatione Pa- VIII.

I. tris, de spiratione actiua comparatione Spiritus sancti, & de passiua spiratione comparatione Patris & Filij: & cùm incompossibilitas importet aliquam veluti repugnantiam terminorum inter se, adhoc, vt aliqui termini dicantur sibi incompossibiles, debent considerari præcisè secundùm formalem rationem, cùm vt sibi inuicem identificantur, nullam habeant repugnantiam; item quando vna ex personis diuinis dicitur esse in alia per circumincessionem, dictum istud ita accipitur, quòd vna persona aliam postulet, vel tanquam terminum suæ vitalis & immanentis operationis, quomodo Filius est in Patre, Spiritus sanctus in Patre & Filio, vel tanquam intimum principium vitæ, quam persona producta habet in eadem natura communem,
II. cum ipsa persona producente, quomodo Pater est in Filio, & Pater & Filius in Spiritu sancto, qui modi existendi in alio non faciunt, vt id quod inexistit, tribuat suum formalem effectum ei, cui sic tantùm inexistit, nec facit vt sit vel denominetur formaliter tale.

Obiicitur secundò: vt aliqua perfectio sit simpliciter simplex, sufficit, quòd nullam dicat imperfectionem, & quòd in eo quasi subiecto, cui tribuit effectum suum formalem sit compossibilis cum omni alia æquali, vel maiori perfectione: sed illud, cui tanquam subiecto diuinæ relationes originis tribuunt suum quasi effectum formalem, est ipsa diuina essentia; hic enim earum effectus est terminare diuinam naturam, facere illam subsistere: & eiusmodi diuinæ relationes ita singulæ terminant, & faciunt subsistere vnam & eandem
III. dem omnimodè diuinam essentiam, vt simul & semel sese compatiantur in illa, cùm vnaquæque illarum faciat simul & semel illam subsistere modo sibi proprio & peculiari: ergo diuinæ relationes originis sunt perfectiones simpliciter simplices.

Respondetur aliquam perfectionem posse habere se duobus modis ad aliquod subiectum: primò quatenus solummodò afficit illud, nec hæc eius afficientia tendit vlterius ad constituendum aliquod vnum per se, quomodo perfectiones accidentales sese habent ad sua subiecta: secundò quatenus hæc eius afficientia sui subiecti non ibi sistit, sed ex se tendit ad aliquod vnum per se constituendum, quo modo sese habet in creatura substantiali, forma eius substantialis, vel etiam
IV. propria eius subsistentia, quæ ita primò secundùm ordinem *executionis*, & rationis afficit materiam, & naturam substantialem, vt tamen vlterius tendat, & quoad *intentionem* primò ad vnum aliquod per se constituendum: iam quando aliqua perfectio sese tantùm habet primario modo ad aliquod subiectum, tunc ad rationem perfectionis simpliciter simplicis, sufficit ex parte compossibilitatis, quòd non habeat aliquam repugnantiam, cum alia æquali, vel maiori perfectione in tali subiecto, & quòd ambæ illæ, vel plures possint simul illud afficere; quando autem aliqua perfectio habet se posteriori modo, tunc quia eiusmodi afficientia est ordine *intentionis* ad constituendum aliquod vnum per se, & vnumquodque debet potiùs diiudicari secundùm id, quod respicit per ordinem *intentionis*, quàm secundùm id, quod respicit per

A solum ordinem *executionis*; ideò ipsa compossibilitas perfectionis cum alia æquali, vel maiori perfectione, quæ requiritur ad rationem perfectionis simpliciter simplicis, debet attendi penes ipsum constitutum, quatenus scilicet talis perfectio compatitur secum in ipso constituto aliam æqualem vel maiorem perfectionem. at in præsenti difficultate quælibet personalis relatio ita afficit essentiam diuinam, vt tamen ibi non sistat, sed tendat vlterius ad aliquod vnum per se constituendum, exempli gratiâ, relatio paternitatis ad constituendum personam Patris, & sic de aliis, & ita quoniam filiatio & paternitas habent incompossibilitatem in eodem constituto, seu in vna & eadem persona diuina, spiratio actiua cum spiratione passiua, fit, vt nulla
B eiusmodi personalium relationum sit propriè aliqua perfectio simpliciter simplex. VI.

Tertiò obiicitur: quod est Deus importat perfectioné simpliciter simplicem, quia Deus est perfectissimus simpliciter; sed quælibet diuina relatio originis est Deus ex dictis suprà contra Gilbertum: ergo quælibet diuina relatio originis est perfectio simpliciter simplex.

Respondetur, id, quod est Deus, semper dicere perfectionem, sed id, quod est tantùm Deus identicè non semper dicere perfectionem simpliciter simplicem, sed posse esse interdum aliquam perfectionem duntaxat simplicem, eo quòd conditiones requisitæ in tali perfectione, & explicatæ quæstione quartâ huius partis non reperiuntur in illo: at quælibet personalis diuina relatio originis est tantùm Deus identicè, vt suprà exposuimus.

C VII.

AD QVÆSTIONEM XXIX.

DISPVTATIO VNICA.

De personis diuinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit persona.

QVIA relationes in diuinis multiplicant personas, ideò explicatis processionibus &
D relationibus diuinis, agendum est de personis, & vt illarum explicatio sit facilior, breuem præmittemus expositionem definitionis personæ: nam de illa, supposito, subsistentiâ, & aliis eiusmodi Philosophi agunt ex professo in Metaphysicis, & Theologi tertiâ parte agendo de vnione Verbi diuini. VIII.

Quod spectat ad significationem nominis *persona*, primò certum est apud Latinos idem aliquando sonare, quod *larua*, aliquando significare qualitatem, & repræsentationem status alicuius hominis, quo modo histrio in spectaculis dicitur induere personã huius, vel istius, quem refert in theatro; vnde apud Tertullianum libro *de spectaculis* dicitur *opus personarum* capite vigesimo tertio, sic etiam pro qualitate & conditione hominum videtur accipi capite primo Deut. vbi Deus sic ait, *ita*

I. *parum audietis vt magnum, nec accipietis cuius-
quam personam*, id est, non considerabitis
qualitatem & conditionem eius, qui iudican-
dus est; aliquando etiam significat *imaginem*,
vt apud Tertullianum libro tertio *contra
Marcionem*, vbi vocat Christum Dominum
personam Patris, id est imaginem: aliquando
& communiùs apud Patres tam in suis priua-
tis scriptis, quàm in Conciliis & definitioni-
bus, item apud Philosophos sumitur pro sub-
stantia incommunicabili alicuius naturæ in-
tellectualis; sic passim apud sanctum Hiero-
nymum, sanctum Ambrosium, sanctum Au-
gustinum, & alios profitentes tres esse perso-
nas in diuinis; sic apud Boëtium relatum hîc
à sancto Thoma articulo primo, & apud om-
nes Scholasticos in hac disputatione & aliis ei
similibus: vnde omnes Theologi communi-
II. ter arguunt Laurentium Vallam nimiæ im-
pudentiæ & temeritatis, quòd libro sexto *Ele-
gantiarum* capite vigesimo sexto audeat susti-
nere personam in hac vltima significatione,
non magis reperiri in Deo, quàm in bruto, &
vocabulum istud, *persona*, non significare
subsistentiam incommunicabilem naturæ in-
tellectualis, sed qualitatem tantùm, statum,
& professionem, quódque glorietur se osten-
surum, quòd Boëtius homo Romanus nesciat
Latinè loqui; nam Lactantius, sanctus Hie-
ronymus, & plures alij Patrum norunt longè
meliùs loqui Latinè, quàm Valla, vt constat
ex eorum scriptis, qui tamen hoc nomen, *per-
sona*, vsurpant pro subsistentia incommunica-
bili naturæ intellectualis.

Secundò notandum hoc nomen, *persona*,
III. posse accipi duobus modis: primò in *concreto*,
pro toto constituto ex natura intellectuali, &
actu reddente naturam intellectualem in-
communicabilem: secundò in *abstracto*, pro
solo illo actu, qui naturam intellectualem
reddit incommunicabilem, quo modo signi-
ficantiùs appellatur *personalitas*, & inquiri-
mus definitionem *personæ*, hoc modo consi-
deratæ.

Hæc autem communiter traditur à Theo-
logis, vt sancto Thoma hîc articulo primo, &
aliis ex Boëtio libro *de duabus naturis*, persona
est, *rationalis naturæ indiuidua substantia*: pri-
mò dicitur, *rationalis naturæ*, id est, substantiæ
intelligentis; abstrahendo à modo, quo in-
telligit, siue per discursum, siue absque dis-
cursu, quo modo hæc particula, *rationalis na-
turæ*, sumitur in amplissima significatione,
quia nomen hoc *persona*, importat dignitatem
IV. eius naturæ, cui tribuitur, supra alias; nam
licet ipsum subsistere, esse in seipso, & non in
alio conueniat omnibus substantiis particula-
ribus etiam materialibus, & insensibilibus,
attamen ad denotandum specialem dignita-
tem intellectualis naturæ supra omnes alias,
subsistentia eius hoc nomen tanquam sibi soli
proprium & peculiare retinet; omnes autem
aliæ dicuntur subsistere, esse subsistentes,
esse supposita, habere suas hypostases, nun-
quam tamen dicuntur habere suas personali-
tates, licèt econtrà hæc alia nomina passim
accommodentur etiam naturis intellectuali-
bus. Secundò eadem pars ponitur, vt sub-
stantia seu essentia, & natura singularis de-
notetur, quia personalitas est ad singularem
substantiam intellectualem vltimò complen-
A dam; vnde satis communiter vocatur à Theo- V.
logis & Philosophis, *vltimum complementum
substantiæ*.

Secundo loco ponitur hæc particula, *indi-
uidua*, quò loci non idem sonat, ac *indiui-
duum*, prout indiuiduum opponitur speciei,
vel alicui vniuersali, quasi ratio personæ ex-
cludat tantùm substantiam realiter vniuersa-
lem, & omnis substantia singularis intelle-
ctualis eò præcisè, quò est singularis natura,
substantialis intellectualis, sit propriè perso-
na; hoc enim esse falsum, patet in diuina natu-
ra, vt præscisa à diuinis relationibus persona-
libus, quæ vt sic est maximè singularis, nec ta-
men est persona: item in ipsa humanitate
Christi Domini, quæ præscisa à Verbo diuino
sustentante illam, est singularis; nec tamen
vt sic & pro eo statu dicitur habere personali-
B tatem, vel esse personam; sed hæc particula VI.
in tali definitione *indiuidua*, sumitur pro in-
communicabili, quatenus significat modum
specialem subsistendi, qui primis seu particu-
laribus substantiis conuenit, quatenus exi-
stunt in se, & per se incommunicabiliter: hæc
autem incommunicabilitas in eo consistit,
quòd natura substantialis indiuidua seu sin-
gularis ita existat completè per se, & in se, vt
ratione suæ personalitatis, & ex vi illius red-
datur incommunicabilis alteri, cui actu vel
aptitudine naturali insit, vt toti per se, cuius
ipsa substantia sit pars: quemadmodum Theo-
logi communiter docent tertiâ parte quæstio-
ne secundâ, & nos ibi fusè.

Vltima particula definitionis est hæc, *sub-
stantia*, quæ, si persona definiatur in concreto,
C debet sumi pro prima completa substantia, VII.
vel vt videtur melius sancto Thomæ hîc arti-
culo primo in solutione ad secundum, pro
substantia abstrahente à prima & secunda,
quæ tamen per hanc particulam, *indiuidua*,
trahatur ad standum pro prima substantia; si
autem persona hîc definiatur in abstracto, de-
bet prædicta particula sumi pro subsistentia,
seu existentia in se; vnde sanctus Thomas hîc
articulo tertio in solutione ad quartum, re-
fert quosdam dixisse Richardum à sancto Vi-
ctore emendasse, seu potiùs explicasse hanc
definitionem personæ, sic tradendo illam, li-
bro quarto *de Trinitate* capite decimo octa-
uo, vigesimo primo, & vigesimo tertio, per-
sona est *rationalis naturæ incommunicabilis
existentia seu subsistentia*, quomodo tota coin-
cidit cum ea, quam nunc assignauimus ex Boë-
tio, iuxta eius expositionem nunc etiam tra-
D ditam. VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia & substantia.

ETIAMSI olim bis inter Græcos & Lati-
nos fuerit grauissimè disputatum de istis
vocibus, *hypostasis, substantia*, vtrum idem es-
sent cum *persona*, & cum *essentia*, quam Græ-
ci vocant οὐσίαν: primùm quidem tempore
sancti Athanasij, vt constat ex sancto Grego-
rio Nazianzeno oratione vigesimâ primâ, &
hæc controuersia fuerit sopita eius studio, vt
ibidem sanctus Gregorius refert: deinde tem-
pore sancti Hieronymi eadem controuersia

I. fuerit excitata, vt constat ex eius epistolâ A
quinquagesimâ septimâ, quæ est *ad Damasum*,
& ex sancto Augustino libro quinto *de Trinitate*
capite octauo & nono, Græcis affirmantibus
esse tres hypostases, & vnicam οὐσίαν,
econtrà Latinis renuentibus id admittere,
quia vt inquit sanctus Hieronymus epistolâ
citatâ tota sæcularium litterarum schola nihil
hypostasim nisi οὐσίαν nouit, nihilominus tamen
eò res hæc tandem deuenit, vt ex communi
consensu vniuersalis Ecclesiæ tam Orientalis,
quàm Occidentalis hæc nomina
distinguerentur hoc modo, quòd scilicet οὐσία,
ipsam naturam, essentiam, & deïtatem communem
omnibus diuinis personis significaret:
nomen verò ὑπόστασις significaret personam,
seu id quod vnicuique personæ est proprium;
sic fusè tradunt S. Gregorius Nazianzenus
II. suprà, Basilius epistolâ quinquagesimâ octauâ B
ad fratrem suum, Nicephorus ex Concilio
Alexandrino libro 10. historiæ Ecclesiasticæ
capite 15. Socrates libro 3. capite 7. vnde in
pluribus Conciliis quando agitur de vnione
Verbi diuini cum humanitate, illa dicitur facta
secundùm hypostasim, negatur duas esse
in Christo Domino hypostases, sic in Concilio
Chalcedonensi actione quintâ, in secunda
fidei confessione, sic in Concilio secundo
Constantinop. collatione octaua canone
quarto, sic in Ephes. anathematismo quarto
& quinto, qui habentur epistolâ 10. S. Cyrilli
& alibi sæpiùs: imò & in hac significatione
hoc nomen *hypostasis* fuisse à S. Paulo vsurpatum
ad Hebræos capite primo nonnulli
existimant, quando Filium Dei vocat *characterem
substantiæ Patris*; textus enim Græcus ha-
III. bet hanc particulam ὑποστάσεως, sic sanctus Ba- C
silius suprà, & aliqui alij ex recentioribus: Filius
enim est imago non diuinæ essentiæ, vt
abstractæ à personalitate primæ personæ, sed
Patris: quam tamen expositionem alij reiiciunt,
eo quòd dum sanctus Paulus hæc scriberet,
nondum hæc dictio ὑπόστασις erat vsu
recepta ad significandum personam, vt videtur
colligi ex sancto Hieronymo citatâ epistolâ
ad Damasum: tum etiam quia interpres
Syrus particulam istam sancti Pauli χαρακτὴρ
ὑποστάσεως, reddit imaginem essentiæ, iuxta
quam lectionem Filius dicitur esse imago diuinæ
essentiæ, prout illa est in ipso Patre, qua
de re inferiùs.

Hinc patet nomen hoc ὑπόστασις fuisse ali-
IV. quando vsurpatum ad significandam essen- D
tiam communem tribus personis diuinis; sic
in Concilio Sardicensi, cui Osius interfuit,
statuitur hanc esse fidem Catholicam, vt sit
vna subsistentia Patris, Filij, & Spiritus sancti,
ibi enim in textu Græco habetur ὑπόστασις,
sed hæc significatio est satis rara.

Quod tandem spectat ad hæc duo nomina
(*substantia, subsistentia*) communis vsus Ecclesiæ
obtinuit, vt nomen hoc *substantia* sumatur
pro essentia, & natura communi tribus
personis diuinis, sicut apud Græcos οὐσία,
vt sanctus Augustinus expresè notat libro
quinto *de Trinitate* capite octauo; hoc
verò nomen *subsistentia* pro hypostasi, personalitate
seu suppositalitate; vnde vt sanctus
Augustinus obseruat loco nunc citato, non
audemus dicere tres substantias in Deo, sed
vnam, & qui absolutè diceret in diuinis esse
tres substantias, censeretur hæreticus, ex V.
modo loquendi, nisi adderet aliquam particulam,
quæ denotaret nomen *substantia*, tunc
sumi pro subsistentia, & persona, quo modo
aliqui nonnunquam acceperunt nomen substantiæ,
vt sanctus Hilarius libro *de synodis*,
& aliqui alij, sed acceptio ista est rarior, vt
tam ex antecedentibus quàm consequentibus
potest intelligi, eos ibi accipere nomen substantiæ,
pro hypostasi seu subsistentia, vt sanctus
Augustinus libro septimo *de Trinitate*
capite sexto explicat de ipsis Græcis.

ARTICVLVS III.

Vtrum nomen personæ sit ponendum in diuinis.

SIT hæc propositio. *Nomen personæ admit- VI.
tendum est in diuinis*; ipsa fides docet in definitionibus
Conciliorum, & Patrum relatis
præcedenti articulo, quibus Concilia hæc
Lateranense sub Innocentio tertio, Tolet.
vndecimum, & plurima alia subsequentia addi
possunt: item & omnes Patres, qui dum
agunt de hoc mysterio tribuunt nomen personæ
Patri, Filio & Spiritui sancto.

Fauet ratio: tunc enim aliquod nomen rectè
admittitur in diuinis, quando res significata
per illud reperitur in diuinis; at res significata
per hoc nomen *persona*, *est natura rationalis
indiuidua substantia*, seu *incommunicabilis
subsistentia*, vt primo articulo ostendimus, &
totum istud ibi reperitur. Nam in diuinis est
Pater, est Filius, est Spiritus sanctus, & Pater
non est Filius, nec econtrà, item Pater & Fi- VII.
lius non sunt Spiritus sanctus, nec econtrà,
quia sibi inuicem opponuntur relatiuè, & vnum
relatorum non est aliud: ergo nomen
personæ rectè admittitur in diuinis: deinde
res significata hoc nomine *persona*, reperitur
etiam in sacris litteris loquentibus de Deo, vt
capite vltimo primæ epistolæ sancti Ioannis,
*tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater,
Verbum, & Spiritus sanctus*: cùm enim, vt
sanctus Augustinus notat libro septimo *de
Trinitate* capite quarto, Catholici vrgerentur
ab Arianis, vt explicarent, quid illa particula,
tres, denotaret loco illo sancti Ioannis,
Catholici responderũt denotare tres personas;
hinc quia persona & prima substantia
sunt vnum & idem, vt præcedenti articulo
obseruauimus, rectè dicimus Deum esse pri-
mam substantiam. VIII.

Quæres, an non solùm Deus sumptus
concretè, sed etiam deïtas secundùm se, &
vt est à parte rei secluso quocumque intellectu,
sit verè & propriè persona & prima substantia.

Respondetur primò, quemadmodum deïtas
citra mentis operationem distinguitur
virtualiter à relationibus, deïtatem vt sic
non esse verè & propriè personam, siue absolutam,
siue relatiuam; non absolutam,
quia nulla talis datur in diuinis, vt omnes
Catholici fatentur, & patebit infrà; non
item relatiuam, quia diuina essentia in eo
statu non includit relationes, cùm distinguatur
ab illis virtualiter.

Respondetur secundò, quòd si deïtas considerentur
adæquatè, vt est à parte rei ens abso-

I. lutum simul & relatiuum, tunc esse propriè personam, eámque triplicem, seu trinam relatiuã. Probatur: ei, quod secundùm se, & vt est in se adæquatè, est Pater, Filius, & Spiritus S. cõuenit esse personam propriè dictam, eámq; triplicem, seu trinam relatiuã, vt enim Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres, ita & personalitates illorum, quæ sunt relatiuæ sunt tres; at deïtas vt est in se, & consideratur adæquatè, est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres enim istæ personæ sunt vnus, & trinus Deus: ergo deïtas sumpta secundùm se, & adæquatè est persona triplex, seu trina relatiua.

Sed quæres, an quemadmodũ personalitas in rebus creatis est aliquis modus suæ substantiæ, ita etiam & diuinæ personalitates sunt modi essentiæ diuinæ.

Respondetur primò, quamlibet personalita-
II. tem diuinam esse aliquid positiuum, quia personalitas Verbi diuini supplet personalitatem creatã in humanitate Christi Domini, seu facit humanitatem subsistere, & hoc ratione suæ infinitæ perfectionis, quâ in seipsa continet omnes perfectiones subsistentiarũ creatarum, vt omnes Theologi communiter docent tertiâ parte: at hoc totum arguit personalitatẽ Verbi diuini esse aliquid positiuũ. Deinde si ratio personalitatis diuinę esset formaliter quid negatiuum, tunc totum mysterium Trinitatis, quod formaliter consistit in ista pluralitate personarũ, esset tantùm mera quædam negatio, quod est absurdũ, cùm in diuinis sint realiter tres personæ à se inuicẽ realiter distinctæ, & omnis distinctio realis inter aliqua realia, debeat esse per aliquid reale. Tandem quia
III. personalitas creaturæ est aliquid reale & positiuum, vt habet communior sententia Philosophorum in Metaphysicis, & Theologorum tertiâ parte, vbi istud ex professo probabimus.

Nec obstat, quòd natura & essentia personaliter explicetur, per incommunicabilitatẽ, vt intelligitur ex dictis, & incommunicabilitas videatur esse aliquid negatiuum, vt ipsum nomen sonat: nam non ideò à priori aliqua singularis substantia est persona, quia est incommunicabilis, sed econtrà, ideò aliqua singularis substantia est incommunicabilis, quia est persona, ita vt esse incommunicabile sit propria veluti passio ipsius personalitatis, quæ actuando seipsâ substantiam dat ei hanc incommunicabilitatem, sicut aliquando contingit aliquid positiuum esse causam, vel rationem alicuius negationis: & quia hæc incom-
IV. municabilitas est tam intrinsecè annexa personalitati, vt ne per diuinam quidem potentiam possit esse sine illa, ideò Theologi & Philosophi communiter explicant rationem personæ per prædictam incommunicabilitatem, sicut plerumque solent definire alias res per suas proprias passiones.

Respondetur secundò, personalitates diuinas, non esse aliquos modos propriè dictos essentiæ diuinæ, sed tãtùm concipi à nobis tanquam aliquos modos positiuè constituentes diuinam essentiam incommunicabilem. Prior pars probatur, quia modi propriè dicti dantur tantùm ob imperfectionem eorum, quorum sunt modi, quatenus scilicet, res quas modificant, sunt verè dependentes, vel compositæ, vel limitatæ, vel mutabiles, vel habent quid

A simile, ratione cuius postulent hunc, vel illum V.
modum, vt fusiùs docet Suares *in metaphysicis* disput. 7. sect. 1. num. 18. Deinde quia modus propriè dictus distinguitur actualiter & ex natura rei à re cuius est modus: at diuina essentia caret omni imperfectione tam dependentiæ, quàm compositionis, limitationis, mutabilitatis, vel cuiuscumque alterius, vt ostẽdimus quæstione quartâ huius partis; item diuinæ relationes seu personalitates non distinguuntur ex natura rei ab essentia diuina, sed tantùm virtualiter, vt suprà docuimus.

Addidi huius partis responsioni hanc particulam, *propriè*, quia si iste terminus, *modus*, sumatur in ampliori & propria significatione, secundùm quam generali loquendi formulâ significat omne quasi contrahens determinans, vel actuans aliquid, quo modo rationale potest dici modus animalis, quia contra-
B hit animal ad hominem, tunc quia personali- VI.
tates diuinæ ita quodammodo actuãt & quasi perficiunt diuinã essentiam, scilicet faciendo illam formaliter subsistere, poterunt appellari *modi*.

Posterior pars responsionis probatur: quia intelligimus res diuinas ad modum rerum creatarum, sed in creaturis intellectualibus personalitas dicit modum aliquem positiuum distinctum à substantia, qui ita modificat illam, vt eam reddat incommunicabilem duplici incommunicabilitate superiùs assignatâ: vnde diuina personalitas licet non conueniat in materiali cum personalitate creata, quatenus hæc est verus modus substantialis, cum ea tamen conuenit in formali, quod est face-
C re subsistere; ita enim paternitas constituit in VII.
seipsa & per se diuinam essentiam, vt sit incommunicabilis cuilibet alij ad hoc, vt sic terminetur, similiter filiatio & spiratio passiua, & licet non sola paternitas Patris faciat subsistere diuinam essentiam, cùm hæc subsistat etiam personalitate Filij & Spiritus sancti, non proptereà tamen desinit esse vera personalitas, quia istæ duæ personalitates sunt tam propriæ essentiæ diuinæ, quàm personalitas Patris, cùm diuinitas ratione perfectissimæ suæ fœcunditatis postulet ex naturali, & intrinseca sua ratione subsistere tribus subsistentiis relatiuis, & propria personalitas reddat propriam suam substantiam incommunicabilem alieno tantùm supposito, vt sustentanti illam, & subiecto vt recipienti eam in se ipso inhæsiuè; cuius vtriusque conditionis reliquæ duæ personalitates diuinæ Filij & Spiritus
D sancti non sunt. VIII.

ARTICVLVS IV.

Quid sit personalitas in diuinis, & quid nomen personæ significet, prout Deo competit.

SED ex dictis nascuntur difficultates, nimirũ quòd sit hæc personalitas in diuinis, & prætereà quid nobis significet ipsum nomen personæ, prout Deo competit: fit enim aliquando, vt res secundùm se & in seipsa sit relatiua, quæ tamen suo nomine exprimatur per modum alicuius absoluti, & econtrà, vt id quod verè & propriè est in seipso absolutum, explicetur ad modum relatiui.

I. Quod spectat ad primum: respondetur esse diuinam relationé, tum quia sola relatio multiplicat in diuinis, vt iam notauimus ex Conciliis & Patribus: at multitudo personalitatũ sicut & personarum datur in Deo; tum quia diuina personalitas est formaliter, & præcisè id quod constituit formaliter, & distinguit personas diuinas, quia formale constitutiuum personæ est ipsa eius personalitas: at personæ diuinæ constituuntur formaliter & præcisè; item distinguuntur diuinis relationibus, vt ostendetur ad quæstionem 40. S. Thomæ. Tum denique quia in diuinis personis nihil datur præter essentiam, attributa essentialia, & relationes diuinas, vt patet ex dictis: at personalitas diuina non est præcisè essentia diuina secundùm sensum formalem, vt docuimus,
II. nec item est aliquid absolutum, quia absoluta communia sunt singulis personis, personalitates autem sunt propriæ & singulares suis personis diuinis: ergo in diuinis personalitas propriè vt spectatur secundùm se est quædam diuina relatio.

Quod spectat ad secundum, vt faciliùs explicetur, notandũ ex Dialecticis aliquod nomen posse habere duplex significatum; vnum *formale*, quod directè & in recto seu nominatiuo casu explicatur; alterum *materiale*, quod in obliquo casu & indirectè explicatur, verbi gratiâ, formale significatum huius nominis album est albedo, materiale est eius subiectũ.

Notandum secundò, diuinam personalitatem posse in ordine ad nostrum intellectum fundare duos conceptus; vnum, quo possumus illam concipere, iuxta modum proprium &
III. peculiarem, quo reddit naturã diuinam subsistentem, scilicet quatenus concipitur & exprimitur, vt *relatiua*, sub qua formali ratione diuina personalitas reddit naturam diuinam de facto, & secundùm rei veritatem incommunicabilem: alter conceptus est, quo concipimus diuinam personalitatem, vt reddentem naturam diuinam incõmunicabilem seu subsistentem, non tamen exprimendo apertè peculiaré illum modũ, quo talis personalitas facit subsistere diuinam naturã; hæc enim est vis & efficacia nostri intellectus, vt vbi vna & eadem entitas propter suam eminentiã fundat duos conceptus, vnum magis confusum, & alterum magis distinctum, tunc possit illam apprehendere sub duobus cõceptibus. His prænotatis,

Ad secundum dubium respondetur, nomen
IV. hoc *persona, personalitas*, quatenus eo concipimus aliquam personã diuinam, vel personalitatem, seu prout res significata per hoc nomé, subest nostro conceptui, non significare formaliter relationem sub ratione relationis, & quatenus dicit habitudinem ad aliud, sed tantùm materialiter & veluti *consecutiuè*, seu vt loquitur S. Thom. hîc art. 4. quatenus significat relationé per modum formæ hypostaticæ, non auté, vt exercet habitudiné ad correlatũ, ita S. Thomas hîc & commũniter recentiores.

Prior pars probatur, primò ex S. Augustino lib. 7. *de Trinitate* cap. 6. vbi ait nomen personæ non dici relatiuè, sicut Pater; quod non potest aliter intelligi de persona diuina, quàm quia nomine personæ non exprimitur relatio, vt sic, non enim rectè dicimus de persona Filij, quòd sit persona Patris, sicut rectè dicimus Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Fi-
A lius. Deinde illud per nomen *personæ*, & *personalitatis*, significatur formaliter & expresè, V.
quod formaliter & præcisè explicatur per definitionem talis rei; at per definitionem *personæ* & *personalitatis*, forma hypostatica seu subsistentia reddens naturam incommunicabilem explicatur formaliter & expresè, & non relatio, vt patet ex dictis articulo primo huius quæstionis. Tandem nomen personæ in diuinis sumptum præcisè ita nobis significat personalitatem, ac significaret illam, si vnica tantùm esset persona in Deo: at in tali hypothesi nomen hoc *persona*, non significaret nobis expresè & formaliter relationé, cùm tunc nulla esset, sed tantùm significaret substantiam incommunicabilem: ergo & nunc hoc nomen *persona, personalitas* prout subest nostro con-
B ceptui significat tantùm formaliter, & expresè formam hypostaticam in Deo. VI.

Posterior item pars eiusdem responsionis probatur ex primo notabili: tũc aliquid significatur *materialiter* & *consecutiuè*, seu *in obliquo*, quando est id cui forma significata per tale nomen conuenit: at relatio in diuinis est id cui diuina subsistentia, seu personalitas conuenit; quia diuinæ relationes sunt subsistentes, & essentia diuina subsistit per illas: ergo hoc nomen *persona* in diuinis significat tantùm *materialiter* & *consecutiuè* relationem.

Atque iuxta hæc possunt facilè conciliari sententiæ Theologorum, alioquin contrariæ; nam qui dicunt hoc nomen *persona* in diuinis significare formaliter relationem, loquuntur de re, per hoc nomen significata, vt est à parte rei, & exprimitur distincto cõceptu: qui verò
C negant, loquuntur tantùm de re ipsa significata, prout illa subest nostro conceptui, & apprehenditur à nobis per hoc nomen *persona*. VII.

Quæres, an quemadmodum ex hac responsione ad primum conuenit realiter diuinis personalitatibus, quatenus sunt tales, quòd sint relationes; an inquam pari iure conueniat essentialiter diuinis relationibus, vt sumptæ propriissimè in sensu formali sint personalitates.

Respondetur primò, id non conuenire omnibus & singulis relationibus diuinis, quia spiratio actiua est vera relatio, nec tamen est propriè, & formaliter aliqua personalitas, vt patebit inferiùs, aliàs essent quatuor personæ in diuinis; quod est hæreticum.

Respondetur secundò, non conuenire es-
D sentialiter personalibus relationibus, quòd VIII.
sint personalitas, ex illo suo conceptu præciso, quo sunt diuinæ relationes substantiales; nam totum istud reperitur in spiratione actiua, quæ tamen in sensu formalissimo non est aliqua personalitas.

Respondetur tertiò, essentialiter competere tribus relationibus personalibus, nimirum paternitati, filiationi & spirationi passiuæ; quòd sunt personalitates ex speciali sua ratione, scilicet quatenus vnaquæque est talis secundùm aliquem gradum inferiorem, quo veluti constituitur sub diuina relatione: nam talis relatio primæ personæ, exempli gratiâ, paternitas est essentialiter personalitas, quidquid enim in abstracto prædicatur in quid de subiecto, est de essentia sui subiecti, quia apud Dialecticos prædicari *in quid* est prædicari essentialiter; sed hæc relatio (paternitas diui-

I. na) sumpta in abstracto prædicatur *in quid* de prima personalitate; rectè enim dicimus, prima personalitas in Deo est diuina paternitas: quia est ratio subsistendi diuinæ essentiæ, vt est in Patre & constituit diuinam naturam, hoc modo incommunicabilem, vt suprà animaduertimus: ergo quælibet diuina relatio personalis, quatenus est talis relatio, habet essentialiter, quòd sit personalitas.

AD QVÆSTIONEM XXX.

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine & ratione personæ communis personis diuinis.

II. ### ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum nomen & ratio personæ sit aliquid commune tribus diuinis personis, & quomodo.

PERSONAS diuinas ita esse tres, vt non possint esse plures, vel pauciores, docuimus suprà ad quæst. 27. S. Thomæ; vnde circa eiusmodi pluralitatem restat explicandum, quomodo nomen & ratio *personæ* conueniat tribus personis diuinis: deinde quæ pluralitas reperiatur in diuinis: hoc articulo primum exponemus: itaque

Respondetur primò, personas diuinas non habere eodem modo conuenientiã in ratione, & nomine personæ, quo habẽt illam in nomine & ratione deitatis, seu diuinæ essentiæ; quia omnes & singulæ personæ diuinæ habent aliquam realem communitatẽ vnius, & eiusdem

III. numero deïtatis seu essentiæ diuinæ; at omnes tres personę diuinæ non habent aliquã realem communitatẽ vnius personæ, nõ enim ita sunt vna numero persona, quo modo sunt vnus numero Deus, sed verè & propriè loquendo sunt tres personæ realiter à se inuicem distinctæ, habentque tres relatiuas personalitates à se inuicem realiter distinctas.

Respondetur secundò, personas diuinas habere aliquã cõmunitatem tam in ratione personæ, quàm in nomine; nimirum per considerationẽ nostri intellectus: nam & ratio personalitatis conuenit vnicuiq; personæ, quia vnaquæq; diuina persona est verè & propriè persona, vt patet ex dictis circa definitionẽ perso-

IV. næ, & ipsum etiã nomen personę cõuenit, quia Patres, & Concilia rectè dicunt esse tres personas in diuinis, & aliam esse personam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti; & sicut personalis relatio est de intrinseco cõceptu cuiuscumque personæ diuinæ sumptæ in concreto, quia est aliquid constitutiuum, sic etiam dicitur de illa quidditatiuè & formaliter.

Respondetur tertiò, istam communitatem personæ respectu trium diuinarum personarũ loquendo propriè non esse vniuersalem, vniuocam. Probatur, quia ex S. Thoma hâc quæstione art. 4. & ex Philosophis, ad rationem vniuersalis propriè dicti requiritur, vt dicat gradum aliquẽ distinctum à suis inferioribus, & quòd differentiæ, quæ cõtrahunt illud, sint extra eius conceptum, quia ex Porphyrio differentia est id *quo species superat genus*, & ip-

A sum vniuersale non significat actu sua inferiora; at loquendo propriè non datur aliquis gradus diuinæ personæ distinctus à gradibus inferioribus singularum personarum diuinarum, qui contrahatur per differentias positas extra conceptum diuinæ personæ, quia personæ diuinæ sunt maximè singulares, & si inter se comparentur, quoad rem significatam, videntur esse potiùs quasi dissimiles, eo modo, quo sunt ipsa indiuidua contenta sub indiuiduo vago, quæ quatenus talia, non constituunt aliquam rationem vniuersalis propriè dicti, quia alia & alia specialis ratio indiuidui datur in vnoquoque illorum; sic etiam vnaquæque persona diuina licet sit relatiua, nihilominus tamen singulari ratione est alia & alia persona, in qua, quia ipsa ratio personæ imbibitur, ideò communitas personæ respe- V.

B ctu diuinarum personarum non potest esse propriè vniuersalis, & vniuoca; & hæc est sententia S. Thomæ, hâc quæstione articulo 4. VI.

Respondetur quartò, rationem personæ non esse etiam analogicè vniuersalem ad diuinas personas, quia in omni analogia propriè dicta, vel est aliqua dependentia vnius ab alio tanquam præcipuo analogato, vel saltem vnum sese habet ad alia tanquam principale, quatenus per analogiam proportionalitatis vnum ita sese habet ad aliquid, sicut & aliud sese habet, verbi gratiâ, vt pes hominis sese habet ad corpus, ita pes montis sese habet ad ipsum montem; sed in diuinis loquendo propriè nulla datur dependentia vnius ab alio, nec item datur aliquid principale per proportionem ad quod duæ reliquæ personæ diuinæ dicantur personæ: nam est maxima æqualitas in personis diuinis, ideóq;

C non est potior ratio, cur ista analogia proportionalitatis desumatur per ordinem ad primam vel secundam personam, quàm ad tertiam, præsertim, cùm ratio personæ diuinæ, vt subest nostro conceptui non apprehendatur sub ratione alicuius relatiui, vel relationis, sed sub ratione alicuius absoluti, vt docuimus quæstione præcedenti. VII.

Respondetur quintò, si ratio personæ diuinæ consideretur secundùm modum ipsum significandi, tunc imitari vniuersale vniuocum comparatum ad sua inferiora. Probatur: ratio personæ conuenit omnibus & singulis personis diuinis, vt per se patet, illis applicando sigillatim definitionem personæ, & ex symbolo S. Athanasij: item æquè primò & absq;

D aliqua dependentia vel inæqualitate: ergo diuina persona considerata penes modum significandi, imitatur rationem vniuersalis vniuoci, prout diuina persona comparatur ad omnes diuinas personas. VIII.

Respondetur sextò, istam imitationem vniuersalis, quæ reperitur in persona diuina comparata ad singulas diuinas personas esse quasi alicuius generis ad sua inferiora, quasi distinctæ speciei. Probatur: persona diuina prædicatur essentialiter de vnaquaq; singulari persona diuina, & personalitas diuina in abstracto, de vnaquaque personalitate diuina in particulari: at talis prædicatio non est quasi speciei infimæ de suis indiuiduis, quia vnaquæque persona diuina habet personalitatem alterius quasi speciei ab alia, & personalitas Filij alio modo quasi specifico facit for-

I. maliter subsistere essentiam diuinam, & personalitas Patris alio modo quasi specifico, similiter personalitas Spiritus sancti, alio etiam modo quasi specifico, faciunt illam subsistere, sicut & docuimus processiones diuinas distingui inter se quasi specie, & horum veluti specie distinctorum, quasi genus erit incommunicabile, quod prædicatur de singulis tribus personis diuinis.

Respondetur tandem eodem modo esse philosophandum de relatione diuina, vt sumitur secundùm se, & comparatur ad singulas relationes diuinas.

DISPVTATIO II.

De pluralitate existentiarũ diuinarum.

II.

ARTICVLVS I.

Vtrum detur in diuinis vna existentia absoluta.

DVæ sunt hac de re sententiæ: prima quorumdam apud Suarem tomo 2. ad 3. partem S. Thomę disputatione 11. sectione 1. qui negant dari in diuinis aliquam existentiam absolutã, quæ competat essentiæ diuinæ, quatenus hæc distinguitur virtualiter à relationibus diuinis, sed existimant illam duntaxat existere per existentiam relationum diuinarum.

Communis tamen omnium sententia, quam ponimus loco nostræ propositionis, est, *Vnam absolutam existentiam essentiæ diui-*
III. *næ, vt virtualiter distinctæ à relationibus diuinis, dari in Deo, & hanc existentiam absolutam esse communem omnibus, & singulis personis diuinis, sicut est & ipsa diuina essentia:* sic S. Thomas hâc primâ parte quæstione 13. vbi docet ipsum, *qui est,* quo denotatur existentia, esse nomen Dei maximè proprium; quam sententiam omnes discipuli S. Thomæ docent etiam quæstione tertiâ huius partis, vbi communiter tradunt existentiam actualem esse de præciso formali conceptu diuinæ essentiæ.

Nostra propositio probatur: vnumquodque ens actuale eo modo habet existentiam, quo est ens actuale, quia ex S. Thoma quæstione 3. huius partis articulo 4. esse seu existere est actualitas omnis, & cuiuslibet formæ & naturæ, & aliquid in tantũ significatur esse in actu, in quantũ significamus illud existere, & aliquid cõstituitur in actu per illud, per quod
IV. censetur esse extra suas causas, & quod significatur per verbũ substantiuum *est,* in propositione de secundo adiacente: at essentia diuina, vt distincta virtualiter à relationibus diuinis, est propriè loquendo aliquod ens actu seu actuale, & non merum aliquod possibile: tum quia vt sic est ens intrinsecè necessarium, quod autem est intrinsecè necessarium includit necessariò existentiam: tum quia vt sic est extra statum puræ possibilitatis, & de ea, vt sic, rectè formatur hæc propositio de secundo adiacente, *diuina essentia est,* in qua verbum *est* iuxta omnes Dialecticos idem sonat ac existit: tum etiam quiã vt sic est æterna, æternitas autem cùm sit aliqua duratio rei, importat, vel supponit ipsam eius existentiã: ergo diuina essentia, vt virtualiter distincta à diuinis rela-

A tionibus, debet habere propriam suam existentiam: ergo cùm essentia, vt sic, sit tantùm aliquid absolutum, & commune omnibus, & singulis diuinis personis, erit etiam hæc eius existentia absoluta, & communis singulis personis diuinis, cùm vnumquodque habeat existentiam iuxta propriam suam exigentiam; & proinde quemadmodum essentia diuina, & relationes eius seruant tantùm inter se distinctionem virtualem, & relationes identificantur in essentia diuina, sic etiã & hæc existentia absoluta diuinæ essentiæ distinguetur tantùm virtualiter ab aliis existentiis relatiuis, quæ omnes sibi inuicem identificabuntur in essentia diuina. V.

Obiiciunt auctores contrariæ sententiæ, essentiam diuinam subsistere per subsistentias
B relatiuas tantùm, & non per absolutam: ergo & existere per existentias relatiuas, & non per absolutam. VI.

Respondetur, longè aliam esse conditionem personalitatis seu subsistentiæ, & aliam ipsius existentiæ: possumus apprehendere rem esse actu, licet non apprehendamus illam subsistere, & Deus potest facere, vt aliqua substantia sit actu, & de facto in rerum natura, absque omni, & qualibet subsistentia, cùm possit impedire, ne subsistentia resultet à sua substantia propria, scilicet subtrahendo concursum suum, & conseruando substantiam sic existentem: at implicat aliquid esse ens actu, esse ens necessarium intrinsecè, esse ens intrinsecè æternum, & non habere existentiam, quia sic esset tantùm ens possibile; cùm essentia præcisa ab actuali existentia dicat tantùm merum
C ens possibile. VII.

ARTICVLVS II.

Vtrum præter existentiam absolutam, dentur tres relatiuæ.

DVæ sunt hac de re sententiæ: prima est Capreoli in tertium sentẽtiarum distinctione primâ quæstione primâ, & plurium discipulorum sancti Thomæ ad præsentem eius quæstionem, quos Vasquesius sequitur hâc primâ parte disputatione 126. negans præter existentiam absolutam dari in Deo tres relatiuas existentias.

Melior tamen est affirmans, quam loco nostræ propositionis ponimus. *Præter absolutam existentiam dantur in Deo tres aliæ existentiæ relatiuæ à se inuicem distinctæ realiter, quibus diuinæ personæ existunt in ratione personarum*
D *relatiuarum, quæ tamen existentiæ relatiuæ distinguuntur tantùm ratione, seu virtualiter ab existentia absoluta & communi.* Ita Richardus *à sancto Victore* libro quarto *de Trinitate* capite decimo sexto, vbi expressè ait existentiam in diuinis aliquando designare substantiale esse, & quod est ex communi, aliquando designare illud esse, quod est ex incommunicabili proprietate; at per hoc esse posterius nihil aliud potest intelligi, quàm ipsum esse seu existere personalis relationis: nam siue illud sumatur in concreto, siue in abstracto, cùm dicat illud esse aliud, & sic aliquam ponat distinctionem inter ista duo esse, & propterea non possit esse aliud esse, seu existere etiam in concreto, nisi & alia existentia detur in abstracto, quia nomina substanti- VIII.

I. ua non multiplicantur, nisi & formæ illorum simul multiplicentur, dum dicit dari esse absolutum, seu ex his existere vnum esse essentiale & commune, aliud verò esse seu existere esse incommunicabile, censet præter existentiam absolutam in diuinis aliquando etiam alias existentias relatiuas dari: eandem amplectuntur sententiam Scotus, & plures alij, quos refert, & sequitur Suares libro tertio *de Trinitate* capite quinto, & alibi.

Probatur primò: vbicumque vera, realis, & propriè dicta productio termini realis distincti realiter à reali termino producto per aliam productionem propriè dictam seu processionem reperitur, ibi debet etiam dari vera realis propriè dicta, & realiter distincta existentia terminorum, quia omnis vera simplex productio tendit ad dandum existentiam ei
II. rei, quam producit; at in diuinis dantur duæ veræ & propriè dictæ productiones, vna Filij, alia Spiritus sancti, quarum termini sunt à se inuicem realiter distincti, vt intelligitur ex dictis: ergo duo termini istarum productionum, id est, Filius & Spiritus sanctus debent habere distinctam realiter existentiam, sed non possunt habere illam, vt sic distinctam, nisi hęc vtraque sit relatiua, quia sola relatio multiplicat in diuinis, facitque oppositionem & distinctionem realem: ergo duæ existentiæ istorum terminorum debent esse relatiuæ.

Quòd item Deus Pater habeat aliam existentiam relatiuam, probatur: quia nihil simplici productione producit seipsum: ergo debet habere aliam existentiam ab ea, ad quam realis eius actiua productio terminatur: ergo cùm Deus Pater verè & propriè producat Fi-
III. lium, verè & propriè spiret Spiritum sanctum, debet vt Pater habere aliam existentiā, quàm Filius & Spiritus sanctus, quatenus tales habeant: ergo ob rationem proximè factam talis existentia Patris diuini erit relatiua, sicque tres relatiuæ existentiæ erunt in diuinis.

Neque huic rationi satisfit, si dicatur diuinas productiones tendere quidem ad dandum Filio & Spiritui sancto existentiam, sed duntaxat absolutam & communem, quam essentia diuina habet, & ad distinctionem realem tam eiusmodi productionum, quàm terminorum sufficere, quòd hæc vna & eadem existentia communicetur distinctis quasi specie processionibus, & terminis à se inuicem distinctis realiter, cuiusmodi sunt Filius &
IV. Spiritus sanctus, qui ratione suarum personalitatum terminant eiusmodi processiones, quemadmodum licet sit eadem numero diuina essentia, quam Pater per generationem intendit communicare Filio, & quam etiam Pater & Filius intendunt communicare Spiritui sancto per spirationem, non propterea tamen processio Spiritus sancti desinit esse distincta, tam quoad suum terminum, quàm quoad se à termino & processione ipsius diuini Filij.

Hoc inquam non satisfacit, quia simplex productio distinguitur à productione secundùm quid, seu à reproductione propriè sumpta, in eo, quòd hæc sit iterata eiusdem entis & existentiæ iam actu positæ productio, quæ existentia est extra nihil, seu propriè est in rerum natura, vel saltem aliquando fuit præcisâ aliâ secundâ productione, siue realiter, siue

A per intellectum, vt patet in productione corporis & sanguinis Christi Domini per consecrationem in sacramento altaris, & in resurrectione corporum, simplex autem productio sumpta propriè dicat nouam & distinctam existentiam, sicut & terminus eius est simpliciter nouus & distinctus: at diuinæ processiones sunt simplices productiones, nec vllo modo dici possunt reproductiones: ergo non debent tendere ad dandum duabus personis procedentibus eandem existentiam, sed distinctam. V.

Confirmatur: nunc duæ illæ productiones Filij scilicet, & Spiritus sancti, se alio modo habent, quoad dandum existentiam, quàm sese haberent, si per impossibile Spiritus sanctus esset à solo Patre, quia in hac hypothesi iuxta sententiam sancti Thomæ, & magis receptam apud Scholasticos, Filius & Spiritus
B sanctus, essent vna & eadem persona; at tunc Filius & Spiritus sanctus, haberent eandem omninò existentiam personalem, essentque vna tantùm numero entitas actualis, quia processio Spiritus sancti, tunc esset tantùm iterata productio personæ Filij, sub alia ratione, nimirum amoris, vt explicabitur inferiùs: ergo nunc sicut diuina processio Spiritus sancti tendit ad terminum realiter distinctum à termino primæ productionis, sic etiam debet tendere ad dandum illi aliam & distinctam existentiam realiter, ab existentia termini primæ processionis. VI.

Confirmatur secundò: Filius & Spiritus sanctus, prout sunt duo termini adęquati duarum processionum, dicunt aliquid reale actuale aliquo modo distinctum, ab eo omni, quod in diuinis est absolutum, & essentiale, in quo
C etiam, vt reali actuali distinguuntur realiter à se inuicem, quia sic in eo opponuntur sibi inuicem, & sunt actu personæ realiter distinctæ: ergo sic debet formaliter dicere aliquam existentiam, per quam sint de facto & formaliter reales actuales, illa autem non potest esse nisi relatiua: ergo dantur in diuinis tres existentiæ relatiuæ à se inuicem distinctæ realiter. VII.

Neque contra primam hanc nostram rationem facit pro aduersariis exemplum illud, quod afferunt de diuina essentia, quæ eadem numero communicatur distinctis quasi specie processionibus: nam alia est ratio puræ tantùm communicationis, & alia est ratio veræ & simpliciter dictæ productionis, quia enim communicatio est in genere causæ formalis,
D aut quasi formalis, non postulat, vt, quod cōmunicatur, sit distinctum realiter ab ipso communicante, cùm nihil repugnet aliquid communicare seipsum, & eadem anima rationalis communicetur nouæ parti materiæ per nutritionem acquisitæ, quæ tamen anima simul eadem remanet cum aliis partibus præcedentibus materiæ: at vera propriè, & simpliciter dicta productio, quia est in genere causæ efficientis, aut quasi efficientis, seu originantis, & vera & simpliciter dicta productio est ad dandum existentiam ipsi producto, quia producere nihil est aliud, quàm dare existere, & nihil seipsum producit & generat, sed producens & productum semper distinguuntur realiter, fit, vt talis productio tendat necessariò in existentiam dandam ipsi producto, quæ sit omninò alia, & distincta realiter ab ipsa existentia producentis illud. VIII.

I.

Articvlvs III.

Eadem veritas duabus aliis rationibus probatur.

SECVNDA ratio pro nostra propositione est hæc: vbicumque plures sunt entitates actuales à se inuicem realiter distinctæ, & oppositæ sibi inuicé relatiuè, ibi necessariò sunt plures existentiæ relatiuæ realiter distinctæ, & sibi inuicem oppositæ: at in diuinis tres sunt entitates actuales distinctæ realiter à se inuicem, & relatiuæ sibi inuicem oppositæ, nimirum paternitas, filiatio, & spiratio passiua, & vt sic sunt entitates actuales, quia sunt extra nihil, & aliquid reale; paternitas enim in prima persona est aliquid positiuum, quod tamen non communicat Filio, similiter filiatio in secunda persona; spiratio passiua in ter-
II. tia, cùm sint rationes formaliter constitutiuæ personarum realiter distinctarum à se inuicem, & principium formaliter constitutiuum debeat esse formaliter in constituto: ergo dantur in diuinis plures existentiæ relatiuæ sibi inuicem oppositæ, & à se inuicem realiter distinctæ. Maior probatur: vbicumque constitutum multiplicatur, ibi & ratio constitutiua debet multiplicari, quando constitutum sumitur substantiuè; at constitutiuum entitatis actualis realiter distinctæ ab alia entitate actuali sibi relatiuè opposita, est ipsa existentia relatiua correspondens tali entitati: quia per id aliquid censetur esse formaliter actu, per quod est formaliter extra ipsum nihil; hoc autem est formaliter per existentiam, quandiu enim caret illâ verè & propriè, est
III. nihil, & pura quædam potentia tantùm ad essendum, vt patet in omnibus creaturis, antequam Deus creasset mundum: ergo vbicumque sunt plures entitates actuales à se inuicem realiter distinctæ, & sibi inuicem relatiuè oppositæ, ibi necessariò dantur plures existentiæ relatiuæ, à se inuicem realiter distinctæ.

Dices maiorem huius nostræ propositionis, & confirmationem eius esse tantùm veras de entitatibus actualibus, quæ non sunt modi intrinseci alicuius entitatis actualis, quia etiam ex Suare in Metaphysicis disputatione septimâ sectione primâ numero vigesimo quinto, tales modi non important aliam entitatem distinctam ab entitate rei, quam modificant,
IV. sed tantùm modaliter distinctam, quatenus vnum illorum se habet vt res seu entitas, & alterum, vt modus eius intrinsecus, qui appellatur *intrinsecus*, quia rem ita modificat, vt etiam sine illa non possit concipi, vt patet in existentia, & duratione, quæ sine re aliqua existente vel durante non possunt concipi, vnde sicut alij modi non dicunt aliquam entitatem distinctam ab entitate, quam sic modificant, ita etiam nec debent habere aliam existentiam à propria existentia rei, quam sic modificant; diuinas autem relationes esse aliquos modos intrinsecos essentiæ diuinæ, quatenus eam modificant in existendo & subsistendo, & proinde illas non dicere entitatem distinctam ab entitate diuinæ essentiæ, sed aliquam tantùm modificationem eius, nec consequenter postulare distinctum existere

A seu distinctam existentiam ab existentia diuinæ essentiæ. V.

Verùm hæc responsio refellitur: primò quia ostendimus relationes diuinas non esse propriè aliquos modos diuinæ essentiæ! cui potest addi modos propriè dictos intrinsecos nunquam verè & propriè produci per se, sed tantùm comproduci, seu ad productionem per se rerum, quarum sunt modi, simul produci: at personales relationes, quæ sunt in Deo, sunt subsistentes, & ipsæmet diuinæ personæ producuntur per se, non autem comproducuntur cum essentia diuina: hæc enim nec generat, nec generatur, nec spirat, nec spiratur. Deinde omnis modus propriè dictus sonat aliquam imperfectionem, non tantùm in re, quam modificat, sed & in seipso, iuxta hanc solutionem, quia non dicit propriè aliquam entitatem, nec actualitatem sibi propriam, sed
B tantùm quasi alienam: at personales diuinæ relationes sunt quid perfectissimum, vt ostendimus, & tantùm dicuntur modi, non quòd sint tales, sed quòd concipiantur à nobis per species substantiarum creatarum, quæ sunt aliqui substantiales modi. VI.

Tertiò etiamsi personales illæ relationes essent modi propriè dicti essentiæ diuinæ, adhuc deberent habere aliquam entitatem modalem, ratione cuius sic modificarent essentiam diuinam, eámque distinctam ab actuali entitate diuinæ essentiæ, sicut in nobis personalitas, licet sit modus substantialis, nihilominus tamen habet realem suam modalem entitatem, quæ suâ existentiâ modificet substantiam, vt potest intelligi ex mysterio incarna-tionis, in quo humanitas Christi Domini pro-
C priam non habet subsistentiam, sed Verbum diuinum supplet illam, non accipiendo à natura humana aliquam entitatem & actualitatem, quia hoc repugnat eius perfectioni, sed impertiendo ei aliquam: ergo etsi personales diuinæ relationes essent aliqui modi essentiæ diuinæ, & tales quales sunt personalitates in creaturis intellectualibus seruatâ proportione, adhuc tamen essent actuales aliquæ entitates distinctæ virtualiter ab essentia diuina, & proinde semper adhuc haberent distinctam existentiam ab existentia diuinæ essentiæ. VII.

Nec obstat communis illa loquendi formula Philosophorum, quâ dicunt modos intrinsecos non afferre distinctam entitatem, sed modificare tantùm eam, quam habet res, cu-
D ius sunt modi intrinseci: nam sensus istius formulæ loquendi non est, quòd isti modi careant propriâ suâ modali existentiâ, quasi actualitas formalis illorum sit ipsa existentia, seu formalis actualitas rei, quam sic modificant: hoc enim patet esse falsum, ex eo, quòd quatenus modi præcisè sumpti sint tale quid reale, actuale, quod etiam interdum potest impediri in ipsa re, cuius est modus, eâ tamen re manente, vt suprà animaduertimus in humanitate Christi Domini. Et etiam patet ex eo, quòd tales modi, quatenus tales, habeant locum in categoria, dum ponuntur ad latus in ea categoria, in qua res per illos modificata reponitur, vnde non sunt aliquod nihil; sed hoc tantùm sensu dicuntur non afferre distinctam entitatem ab entitate rei, quam sic modificant, quòd non afferant ei entitatem VIII.

I. alterius rationis, & prædicamenti ab ea entitate, quam res iam habet, sed eiusdem, eam tamen intra eandem rationem, & idem prædicamentum aliquâ ratione modificantem, & se solâ seu extra rem, quam modificat, non sufficientem constituere aliquam entitatem in rerum natura; econtrà verò modi extrinseci afferunt rebus, quas modificant entitates diuersæ rationis & prædicamenti, quæque possint ex se & sine inclusione rerum, quas modificant, constituere aliquam entitatem in rerum natura, vt videre est in accidentibus, quæ substantias modificant.

Tandem probatur nostra propositio: vnumquodque debet actuari iuxta suam exigentiã, & modo sibi proportionato, ita vt si res illa, cuius existentia est actus in se & secundùm se, sit absoluta & propria, eius existentia similiter
II. debeat esse absoluta, si relatiua, relatiua: sic enim verè & propriè est ens absolutum vel relatiuum: at quælibet diuina personalis relatio est entitas propriè & formaliter relatiua, ordinata ad aliud, & existentia est aliquis proprius eius actus, quia facit illam formaliter actualem: ergo illa debet esse relatiua, & sic, quemadmodum tres personales diuinæ relationes sunt formaliter actualitates relatiuæ sibi inuicem oppositæ, & à se inuicem distinctæ realiter, sic etiam debent habere distinctas à se inuicem realiter, & sibi inuicem oppositas relatiuas existentias.

Hinc quantumcumque existentia absoluta diuinæ essentiæ sit infinita, quia tamen non est proportionata diuinæ essentiæ, nec secundùm eius exigentiam, vt hæc est aliquod ens respe-
III. ctiuum, non desinit vltra hanc absolutam existentiam habere tres alias relatiuas, prout illa est ens aliquod relatiuum. Addi etiam potest talem existentiam absolutam esse tantùm infinitam in suo genere, & non in quolibet genere, & proinde non facere, vt diuina essentia existat totaliter, & omnibus modis, quibus potest sola seipsa, sed insuper requirere, quatenus est ens relatiuum, tres prædictas relatiuas existentias.

Articvlvs IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ ab auctoritate petita.

Primvm aduersarij repetunt suæ sententiæ fundamentum ab auctoritate S. Tho-
IV. mæ in plerisque locis, quibus docet esse diuinæ relationis non esse *respectiuum*: imò in quæstionibus disputatis quæstione octauâ *de potentia* articulo secundo ad vndecimum, expresè negat dari duplex esse in Deo, vnum *absolutum*, & alterum *respectiuum*.

Respondetur ad auctoritatem sancti Thomæ, cum aliquibus videri quæstione nonâ *de potentia* articulo quinto in solutione ad decimum septimum, & aliis similibus locis, tantùm agere de esse seu existere absoluto & essentiali, non de respectiuo, vt satis denotat hæc ratio quam subiungit: *omnis forma addens aliquod esse supra esse substantiale, facit compositionem cum substantia, & ipsum esse est accidentale, sicut esse albi & nigri*; nam suprà obseruauimus diuinas relationes, quia tantùm virtualiter distinguuntur ab essentia diuina, nullam

A cum illa facere compositionem: & hæc solutio videtur confirmari ex citata quæstione octauâ *de potentia* articulo secundo, vbi docet relationes esse aliquid verè & propriè inexistens Deo; tum etiam ex eo quòd quæstione tertiâ huius partis expresè dicat vnumquodque habere esse actu seu actualitatem ab ipsa existentia. V.

Secundum repetunt ex auctoritate sancti Augustini libro septimo *de Trinitate* capite quarto sub finem, vbi primùm ex eo quod Deo *esse* est idem ac *esse Deum*, ait esse *tam nefas dicere tres essentias in diuinis, ac dicere tres deos*: ergo censet dari vnicum existere in diuinis; sicut vnus tantùm datur Deus. Deinde ibidem ait illud, *quod est, dici ad se*, id est esse *absolutum*, & non *relatiuum*: ergo ipsum
B esse seu existere non potest iuxta mentem sancti Augustini competere diuinis relationibus, quæ totaliter sunt aliquid merè *respectiuum*: tandem ait ibidem, ab eo *quod est esse appellatur essentia*: at ex omnibus Theologis datur in diuinis vnica tãtùm essentia absoluta, & nullæ relatiuæ propriæ solis relationibus diuinis. VI.

Hæc ratio petita ex sancto Augustino confirmatur primò ex eo quòd in creaturis tot tantùm sint existentiæ, quot sunt essentiæ, item ex eo quòd existentia secundùm communem vsum significet actualitatem essentiæ, sítque proprius & formalissimus actus essentiæ diuinæ: ergo sicut vna tantùm propriè loquendo datur essentia in Deo absoluta, & communis omnibus personis, sic etiam vna tantùm erit in Deo existentia absoluta, nullæ verò relatiuæ.

C Confirmatur secundò ex eo, quòd in creaturis, verbi gratiâ in homine, vt includit personalitatem, duplex existentia non distinguitur, vna solius humanitatis, & altera personalitatis, sicut nec in substantia informata accidente distinguitur vna existentia substantiæ, & altera accidentis inhærentis ei, sed vna tantùm, cùm ista sint tantùm modi, & modi existant solummodò per existentiam rerum, quarum sunt modi: at relationes personales in Deo sese habent ad essentiam diuinam, sicut & nostræ personalitates ad nostram humanam naturam, súntque velut modi ipsius essentiæ diuinæ, vt patet ex eo quòd concipiatur à nobis per species personalitatum creatarum, & tanquam aliqui modi ipsius essentiæ diuinæ: ergo personales diuinæ relationes existent tantùm existentiâ absolutâ diuinæ essentiæ & VII.
D nullis propriè loquendo relatiuis. VIII.

Respõdetur auctor. S. Aug. rectè explicari de vnica existẽtia absoluta, quæ respondeat diuinæ essentiæ, tanquam entitati actuali; quando verò ibidem ait, *quod est, dici ad se*, tantùm intendit ipsum *esse*; seu *existere* significari per modum alicuius absoluti; qui tamen modus significandi non impedit, quin ipsa existentia sit aliquando relatiua, vt in diuinis personalibus relationibus: quemadmodum patet ex dictis de persona & personalitate in diuinis. Denique quando sanctus Augustinus ibidem ait, *ab eo quod est esse appellatur essentia*, id propriè intelligit de ipsa notatione & impositione nominis, vt patet ex istis eius verbis immediatè sequentibus, *ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus*: quibus verbis significat quemadmodum substantia

I. dicitur à subsistendo, sic etiam hoc nomen essentiæ deducitur ab hoc verbo esse: inde tamen non sequitur, quòd sicut vnica tantùm est essentia in diuinis, sic etiam vnica tantùm sit in diuinis existentia absoluta & essentialis, nulla omninò relatiua, fit enim plerumque, vt alia sit impositio nominis, & alia ratio, quæ importatur ipsâ eius significatione, vt etiam patet in ipso nomine *substantia*, de quo sanctus Augustinus ibi agit, & quia nomen hoc *essentia*, *substantia* ex communi vsu Ecclesiæ Patrum & Doctorum significat ipsam naturam & diuinitatem communem omnibus diuinis personis, quæ est vnica simplicissima eadē numero in omnibus, & singulis personis diuinis, non possumus dicere dari in Deo tres essentias; econtrà quia existentia est id, quod dat formaliter esse actualem entitatem,
II. & rectè intelligimus esse in diuinis tres entitates relatiuas actuales, quæ sunt tres personales relationes, ideò cum ista additione (*relatiua*) rectè possumus dicere dari in diuinis præter existentiam absolutam, tres alias relatiuas personales existentias.

Ad primam confirmationem negatur etiam in creaturis tot tantùm esse existentias, quot sunt essentiæ, nam existentia respondet entitati actuali, & est aliquod prædicatum latiùs patens ipsâ essentiâ; sicut entitas actualis latiùs patet essentiâ propriè dictâ, etiam actuali, vt videre est in quolibet singulari homine realiter subsistente, in quo præter essentialia principia constituentia eum intrinsecè in esse hominis, distinguimus plures alias entitates actu ei inexistentes, quæ tamen non sunt de
III. illius essentia præcisè considerata, cùm apud omnes Philosophos & Theologos nomine *essentia*, ea tantùm intelligatur communiter quidditas in substantiis, quæ est illis intrinseca, & de formali conceptu eiusmodi substantiarum. Existentia autem dicitur actus formalissimus essentiæ, quia cùm essentia purè & simpliciter considerata in rebus creatis sonet tantùm potentiam obiectiuam rei, seu non repugnantiam ad existendum, cui actualitas, quæ formaliter est per existentiam, opponitur, & per quam reducitur ad actum, fit, vt ipsa existentia rectè dicatur actus formalissimus, & proprius essentiæ, sed hoc tantùm quatenus transit de esse merè, & purè possibili ad esse actuale; ideóque cùm aliæ etiam dentur entitates, quæ sint actuales, nec tamen ingrediuntur quidditatem seu essentiam huius rei, cuius sunt entitates, fit vt existentia non sit a-
IV. ctus solius essentiæ, sed & cuiuslibet entitatis actualis, siue hæc sit essentia propriè dicta, siue sit aliud quidpiam.

Ad secundam confirmationem negatur maior, nam vt in nobis personalitas est aliqua modalis entitas actualis distincta à nostra humana natura, sic etiam habet propriam suam existentiam modalem proportionaliter distinctam ab existentia nostræ naturæ, quæ etiam modificet existentiam nostræ naturæ, sicut & eius entitas modalis entitatem nostræ humanitatis modificat. Et hoc potest confirmari exemplo desumpto ab humanitate Christi Domini, cuius propriam personalitatem Verbum diuinum ita suppleuit, vt etiam suppleuerit illud existere, quod propria subsistentia dedisset humanitati, & cùm Verbum diuinum
A terminauerit humanitatem Christi Domini, & eius personalitatem suppleuerit per relatiuam, & personalem suam proprietatem, non autem per aliquid absolutum & essentiale, vt docetur tertiâ parte, si personalitas Verbi diuini non habet propriam existentiam relatiuam, quomodo in sententia discipulorum sancti Thomæ dicitur dari vnicum esse, seu existere numero in Christo Domino? & Verbum diuinum suâ existentiâ supplere existentiam humanitatis? an per absolutam existentiam diuinæ essentiæ, quatenus est in Verbo? at hæc ita est in Verbo, vt sit tamen communis omnibus personis diuinis, & quidquid Verbum hypostaticè vnitum suppleuit, illud suppleuit per aliquid sibi proprium; aliàs hæc vnio posset aliquo modo dici facta in aliquo essentiali, quod tamen est falsum: ergo vt dicatur per- V.
B sonalis (qualis est) si discipuli sancti Thomæ velint Verbum diuinum suppleuisse existentiam humanitatis Christi Domini, debent agnoscere in Verbo diuino aliquam existentiam relatiuam, & similiter in nostra personalitate aliquid correspondens entitati eius, quod modificet existentiam nostræ humanitatis. VI.

Similiter falsum est in substantia informata accidente aliam existentiam substantiæ, & aliam accidentis ei inhærentis non distingui; nam fide cognoscimus vi verborum consecrationis accidentia separata à substantia panis & vini, cui antea inhærebant eadem existere: præterea existentia substantiæ panis & vini erat substantialis, accidentium verò merè accidentalis, sicut & ipsa eorum entitas.

C Deinde ad minorem eiusdem secundæ confirmationis respondetur, diuinas relationes VII.
personales in Deo habere sese eodem modo ad diuinam essentiam, quo nostræ personalitates ad nostras naturas; quo ad ipsum subsistere formaliter, quatenus faciunt illam formaliter subsistere incommunicabiliter, non tamen sese habere eodem modo, quo ad suam entitatem, seu secundùm id, quod sunt: nam nostræ sunt aliqui modi propriè dicti, diuinæ verò personalitates minimè, vt suprà ostendimus.

ARTICVLVS V.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ à ratione petita.

PRIMVM est: quòd in relationibus diui-
D nis duo tantùm possumus distinguere, *esse* VIII.
in, & *esse ad*, sed neutro istorum modorum diuinæ relationes habent triplex esse, seu existere: non primo, quia *esse in* vnius diuinæ relationis non habet oppositionem ad aliud *esse in* alterius relationis, ea autem multiplicantur tantùm in diuinis, quæ sibi inuicem relatiuè opponuntur. Deinde quia *esse in* relationum diuinarum identificantur cum essentia diuina, & proinde sicut diuina essentia habet vnicum esse, seu existere, illúdque absolutum & commune omnibus personis diuinis, sic etiam *esse in*, diuinarum relationum habebit vnicum esse seu existere, illúdque absolutum. Nec item relationes diuinæ spectatæ secundo modo, id est, *formaliter*, & penes suum *esse ad* habent triplex existere, quia totum istud *esse ad* relationis est ipsa habitu-

I. do, & respectus ad terminum, & est à termi-
no: at talis habitudo seu respectus non dicit
loquendo propriè aliquam existentiam, quia
existentia relationis potiùs respicit subiectum
relationis, quàm ipsum terminum habitudi-
nis eius, qui quoad suam existentiam est extra
illam: ergo diuinæ relationes personales non
habent existentias relatiuas.

Confirmatur: si tres relationes diuinæ per-
sonales sumptæ *formaliter* secundùm suum
esse ad dicant tres existentias relatiuas, cùm
in diuinis dentur quatuor relationes, prout
spectantur secundùm *esse ad*, oportebit dari
& quartam existentiam correspondentem
quartæ relationi diuinæ, scilicet spirationi a-
ctiuæ, quia non videtur potior ratio, cur aliæ
tres diuinæ relationes spectatæ secundùm
suum *esse ad* habeant suas distinctas relatiuas
II. existentias, quàm hæc quarta relatio, cùm
tam benè habeat suum *esse ad*, quàm tres a-
liæ.

Respondetur diuinas relationes persona-
les, tam prout considerantur secundùm suum
esse in, quàm prout spectantur secundùm
suum *esse ad*, esse entitates actuales, & proin-
de vt sic habere suas existentias relatiuas dis-
tinctas realiter à se inuicem; quod tamen non
est ita accipiendum, quasi secundùm hanc du-
plicem considerationem vnaquæque illarum
habeat duplicem entitatem, & existentiam,
sed quòd vnaquæque illarum vt est vnica sim-
plicissima entitas, quæ licet sit totaliter rela-
tiua (est enim veluti quædam forma intrinse-
cè & formaliter sese tota referens vnum ad a-
liud, & vt sic verè existens in Deo aliquid
idem realiter cum diuina essentia, quódque
realiter est Deus, vt patet ex dictis contra
III. Porretanum) nihilominus tamen considera-
tur à nobis per duplicem ordinem, per pri-
mum ad diuinam essentiam, cum qua nullam
exercet oppositionem, quomodo dicitur
transire in substantiam, quòd sic concipiatur
à nobis ad modum absoluti, quod absolutum
in Deo satis frequenter à sancto Augustino li-
bris *de Trinitate* explicatur nomine *substan-
tia*, per secundum ad terminum sibi relatiuè
oppositum: sic etiam vnicam duntaxat habet
existentiam relatiuam sibi correspondentem,
secundùm quam reipsa opponitur existentiæ
relationis sibi oppositæ, sicut & ipsum *esse in*,
vnius relationis opponitur ipsi *esse in* relatio-
nis sibi oppositæ de facto, & re ipsa, licet ta-
lis oppositio non exprimatur à nobis per istam
particulam eodem modo, quo diuina perso-
IV. nalitas est verè relatiua, licet ipsum eius no-
men id nobis non explicet: nam diuina pa-
ternitas aliâ speciali ratione est in essentia di-
uina, eámque quasi afficit; & aliâ speciali ra-
tione diuina filiatio, similiter & passiua spira-
tio aliâ speciali ratione quasi afficiunt essen-
tiam diuinam, cùm illam faciant alio & alio
speciali modo subsistere relatiuè, & sub a-
lia & alia speciali ratione eam quasi perfi-
ciant.

Neque huic multiplicationi (*esse in*) diui-
narum relationum obstat, quòd omnia *esse in*
diuinarum relationum identificentur in essen-
tia diuina, nam & diuinæ relationes pari iure
sibi inuicem identificantur in essentia, neque
propterea vt comparantur ad se inuicem, de-
sinunt sibi inuicem opponi relatiuè, & distin-

A guì realiter à se inuicem: ergo pari modo licet V.
ipsa *esse in* diuinarum relationum, prout com-
parantur ad essentiam diuinam sibi inuicem
identificentur, vt tamen comparantur ad se
inuicem, non desinent sibi opponi, & quo-
niam ipsum *esse ad* relationum diuinarum in
re & de facto est eadem simplicissima entitas,
ac ipsum *esse in* earumdem relationum, ideò
relationes diuinæ personales etiam secundùm
suum *esse ad* habent existentiam ab existen-
tia relationis sibi oppositæ realiter distin-
ctam.

Nec obstat quòd ipsum *esse ad* sit habitu-
do & respectus ad terminum, si enim velimus
propriè loqui, relatio secundùm suum *esse ad*
est veluti aliqua forma existens, cuius totum
esse est formaliter referre *ad aliud*, vt intel-
ligitur ex definitione relationis, apud Aristo-
B telem in categoriis; vnde sanctus Thomas in VI.
quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione
octauâ articulo secundo, ait nihil prohibere
aliquid esse de facto inhærens, quod tamen
non significetur vt inhærens, & ad aliquid,
seu relationem non significari vt inhærens, at-
tamen oportere, vt sit inhærens, sicque con-
cludit relationes diuinas formaliter sumptas,
licet non significentur vt aliquid inexistens
substantialiter Deo, quia significantur per re-
spectum ad terminum, nihilominus illas se-
cundùm rem & de facto esse diuinam substan-
tiam.

Ad confirmationem respondetur, licet den-
tur in diuinis quatuor relationes reales, inde
tamen non sequi etiam dari quatuor existen-
tias relatiuas correspondentes illis, quia ra-
tio existentiæ fundatur in actuali entitate; vn-
C de cùm diuinæ quatuor relationes non sint VII.
quatuor entitates actuales, vt docuimus, non
erunt etiam in diuinis quatuor relatiuæ exi-
stentiæ.

Obiicitur, nos suprà docuisse actiuam spi-
rationem esse virtualiter distinctam à paterni-
tate & filiatione: ergo cùm vt sic sit quædam
entitas actualis virtualiter distincta ab aliis,
habebit etiam propriam suam existentiam,
sicque quatuor erunt existentiæ relatiuæ.

Respondetur nos hîc tantùm loqui de exi-
stentiis relatiuis distinctis à se inuicem reali-
ter, quo sensu nulla datur quarta existentia
in diuinis relatiua, & si sit loquendum abso-
lutè & simpliciter, quia quaternitas existen-
tiarum relatiuarum in diuinis denotaret qua-
ternitatem actualium entitatum à se inuicem
realiter, aut saltem ex natura rei distinctarum;
D (qualis quaternitas nulla datur in diuinis) VIII.
ideò non est simpliciter admittendum dari in
diuinis quatuor existentias relatiuas, licet
cum aliqua restrictione possit admitti, scilicet
dicendo reperiri in Deo quatuor relatiuas e-
xistentias, quarum tres sunt distinctæ realiter
à se inuicem, & quarta, quæ respondet spira-
tioni actiuæ, est tantùm virtualiter distincta
ab existentiis relatiuis, nimirum paternitate
& filiatione: nam cum hac limitatione euita-
tur assertio quaternitatis in diuinis, simúlque
explicatur relationem spirationis actiuæ esse
actu & de facto, & non tantùm secundùm ra-
tionem alicuius merè possibilis, vel poten-
tialis in duabus primis personis diuinis.

Secundum est: si tres existentiæ relatiuæ
dentur in diuinis, erunt etiam in Deo tres

I. actualitates purissimæ, seu tres purissimi actus, quia vnaquæque relatiua existentia erit vna purissima actualitas in genere entis: at implicat dari plures actualitates in genere entis, quia purissima actualitas in genere entis est infinitè perfectissima, cùm includat omnem rationem entis: at implicat dari plura infinita: ergo etiam implicat dari plures existentias relatiuas.

Respondetur nihil repugnare dari in Deo tres actus relatiuos purissimos, cùm vnaquæque diuina personalis relatio excludat omnem & quamlibet potentialitatem, sicut non repugnat dari in Deo tres relationes personales realiter distinctas, quarum vnaquæque sit actualis entitas perfectissima, & infinita in suo genere, excludens omnem & quamlibet potentialitatem sibi correspondentem, cùm
II. tantùm repugnet plura infinita intra idem genus, & intra eandem planè rationem dari in Deo, eo quòd talis pluralitas est nota quædam alicuius limitationis quoad perfectionem in vnoquoque.

Tertium tandem est eiusmodi: admissis tribus relatiuis existentiis in Deo, debent etiam admitti tres durationes, tres æternitates, contra illud Symboli sancti Athanasij, *non tres æterni, sed vnus æternus*: quia quælibet existentia habet propriam suam durationem & æternitatem, cùm duratio non distinguatur ab existentia, sed solummodò dicat permanentiam in illa, & proinde quemadmodum tres illæ relatiuæ existentiæ permanent, sic habebunt distinctas durationes, quibus formaliter durent, & cùm quælibet illarum durationum
III. sit tota simul, & omninò interminabilis, quælibet illarum erit æternitas contra communem modum loquendi scripturæ & Patrum.

Respondet ad hoc argumentum Suares cum nonnullis aliis, non tantùm tres durationes posse admitti in diuinis, sed & tres æternitates, non quidem absolutè & simpliciter, sed cum hoc addito *relatiuas*; sanctum verò Athanasium & alios Patres esse tantùm loquutos de ea æternitate, quæ sequitur existentiam absolutam deitatis.

Deinde potest responderi, quòd licet vnaquæque diuina personalis relatio habeat veram permanentiam internam in sua existentia relatiua, & sic proinde vnaquæque illarum habeat specialem suam internam durationem, increatam, & infinitam, illam tamen tam
IV. ex communi vsu scripturæ, quàm Patrum, non intelligi nomine æternitatis, sed absolutam duntaxat, sicut licet vnaquæque persona diuina, vel etiam diuina personalitas sit vbique locorum, & habeat suam entitatem vbique locorum præsentem; quia tamen hoc nomen (*immensitas*) ex vsu sacræ Scripturæ & Patrum est tantùm impositū ad denotandam diuinam immensitatem, prout illa est aliquod attributum essentiale, non dicuntur in diuinis esse tres immensitates, sed vnus tantùm immensus: sic etiam & vnus tātùm æternus, & nō tres æterni; vt non tres immēsitates, ita nec tres ęternitates, eodē iure, quo licet in diuinis tres sint entitates actuales relatiuę, non tamē sunt tres essentiæ: quia hoc nomen (*essentia*) est impositum ad significandum naturam duntaxat, vt suprà docuimus: imò licet tres

A diuinæ personales entitates actuales hoc sensu sint increatæ, quia non sunt aliquid per creationem productum, vel quod per creationem possit produci, item hoc sensu sint æternæ, quia sunt totæ simul, & intrinsecè carent qualibet terminabilitate; nihilominus tamen accipiendo istos terminos, prout vsurpantur à Patribus, non possunt dici æternæ, vel increatæ, nec plures admitti æternitates, vel res increatæ: æternitas quidem non potest de illis dici propriè, tum ob rationes iam expositas, tum quia hæc tam iuxta Boëtium, quàm iuxta sanctum Thomam quæstione decimâ huius primæ partis articulo primo, & alios Scholasticos, communiter definitur *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*: at nulla personalis diuina relatio, vt præ- V.
B scindit virtualiter ab essentia diuina, & attributis essentialibus, includit talem & tam perfectam possessionem vitæ, cùm vita Dei sit actualis intellectio per essentiam, & perfecta eius possessio includat etiam perfectiones attributales, quas tamen nulla ex diuinis relationibus sumpta præcisè includit, vt suprà ostendimus. VI.

Item ratio increati non potest competere alicui eiusmodi relationum sumptæ, vt præscindit ab essentia diuina, & eius attributis essentialibus, quia hæc vox (*increatum*) ex communi vsu scripturæ, & Patrum propriè significat entitatem illam, quæ ita habet esse à se, & à nullo alio, vt illa sit prima radix, vnde in aliquo proueniat non posse terminare creationem; ideóque cùm propriè loquendo hoc conueniat soli diuinæ essentiæ, quæ solâ
C ratione suæ perfectionis est veluti radix omnium, quæ sunt in ea, & eorum quæ illis conueniunt, hæcque sit vnica simplicissima in omnibus & singulis personis diuinis, fit, vt rectè tam sanctus Athanasius in suo Symbolo, quàm alij Patres & Scholastici, dicant non dari in diuinis tres increatos, nec tres æternos, sed vnum duntaxat æternum, & vnum duntaxat increatum. VII.

DISPVTATIO III.

De communi & absoluta subsistentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

D *Vtrum communis & absoluta quædam subsistentia detur in diuinis.* VIII.

SENSVS articuli est, an singularis aliqua perfectio absoluta, & proinde communis omnibus personis diuinis sit in Deo, quæ reddat naturam diuinam subsistentem, quatenus diuinitas accipitur præcisè sine personalitatibus.

Duæ sunt hac de re sententiæ: prima affirmans, sed quæ duplici viâ asseritur; primâ ita vt præter illam tres etiam aliæ relatiuæ subsistentiæ dentur in Deo, quibus natura diuina reddatur incommunicabilis; secunda, quâ absoluta & communis subsistentia ita affirmatur in diuinis, vt nulla tamen admittatur rela-

I. tiua, nos præsenti disputatione agimus de illa priori tantùm ratione, acturi de illa secundùm posteriorem considerationem sequenti.

Igitur absolutam subsistentiam isto priori modo dari in Deo Caietanus docet ad articulum quartum quæstionis præcedentis, Suares locis citatis disputat. præcedenti, & plures ex recentioribus ad præsentem & præcedentem quæstionem sancti Thomæ.

Melior videtur sententia negans, cum qua concludimus, quæ est antiquorum Scholasticorum, vt Alensis tertiâ parte quæstione secundâ membro tertio, sancti Bonauenturæ tertio sententiarum distinctione secundâ art. 1. quæstione tertiâ, & plurium recentiorum ad præsentem quæstionem sancti Thomæ.

Probatur: primò ex modo loquendi Patrum & Conciliorum, illi enim agendo de mysterio Trinitatis & Incarnationis, dum vtuntur nomine *hypostasis*, vel *subsistentiæ*, sumunt illud in ea significatione, quâ significat
II. aliquid esse incommunicabile; sic in Concilio Ephesino anathemat. tertio vna tantùm subsistentia dicitur esse in Christo Domino, quia in eo vnica tantùm est personalitas, sic in quinta Synodo generali collatione octauâ anathemate primo diuinitas dicitur esse in tribus subsistentiis, & in omnibus Conciliis congregatis, tam contra Nestorium, quàm contra Eutychen & alios similes hæreticos, imò ex edicto Iustiniani Imperatoris edito de fide, & approbato à Vigilio summo Pontifice epistolâ quartâ & à quinta Synodo generali, in qua refertur, constat apertè nullam absolutam subsistentiam dari in diuinis, ita enim paulò ante anathemata prædictum edictum
III. habet de diuinitate, *quoniam cùm per se absolutè natura dicitur, non adiecta ei speciali cuiusdam personâ, infinitum & non subsistens aliquid significat*, quin imò paulò antè ibidem notat istud discrimen, quod iam obseruauimus articulo secundo quæstione vigesimâ nonâ esse inter naturam & subsistentiam, ita enim habet, *omnes sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam siue substantiam & formam, & aliud subsistentiam, siue personam; & naturam quidem, vel substantiam & formam, hoc quod est commune significare, subsistentiam autem, siue personam hoc quod est speciale:* ergo cùm in diuinis commune distinguatur à speciali, & totum quod diuina essentia includit sit commune, subsistentia verò in diuinis sit aliquid speciale, diuina essentia præcisa à suis personalibus
IV. relationibus, non habebit ex modo loquendi Patrum & Conciliorum aliquam communem absolutam subsistentiam, & Sophronius Hierosolym. epistolâ suâ *ad Sergium*, quæ fuit lecta & approbata à sexta Synodo actione vndecimâ, ait ferè in principio suæ confessionis fidei, *Trinitatem, quatenus est vnus Deus, & tres subsistentiæ, non colligi in vnam subsistentiam, esséque Sabellianum tres diuinas personas in vnam subsistentiam confundere*; quod tamen tenentur facere, qui præter tres substantias relatiuas admittunt quartam absolutam, cùm in diuinis relatiua non distinguantur realiter ab absolutis, sed identificentur cum illis.

Neque eneruat vim huius probationis, quod aliquando etiam in aliquibus Conciliis vna subsistentia dicatur esse in diuinis: nam vt animaduertimus, tunc nomen hoc *subsisten-* A *tia* ponitur loco huius nominis *substantia, essentia:* vnde fit, vt nonnullæ editiones Conciliorum legant *vnam substantiam*, vbi aliæ editiones legunt *vnam trium subsistentiam*, sic apud sanctum Cyrillum anathematismo tertio duæ subsistentiæ dicuntur esse vnitæ in Christo, id est duæ substantiæ, nimirum diuina & humana in Verbo. V.

Neque secundo loco satisfaciet huic probationi, qui dixerit dum citati Patres negant locis illis communem subsistentiam, ibi per subsistentiam intelligere personam, vt colligitur ex eo, quòd plerumque ibi hunc vtrumque terminum *subsistentiam* & *personam* tanquam synonyma coniungant, vt patet ex citata epistola Sophronij, ideóque eos tantùm negare dari in diuinis quartam aliquam personalitatem seu personam propriè absolutam: at illa subsistentia, quæ asseritur ab auctori- B bus præcedentis sententiæ, non est personalitas, nec constituit personam, cùm non reddat naturam diuinam incommunicabilem. VI.

Hæc inquam responsio non satisfacit, quin potiùs confirmat hanc nostram probationem, nimirum ista duo, *subsistentia, personalitas*, secundùm vsum Ecclesiæ & Patrum, vbi affirmantur de substantia intellectuali esse synonyma, vno negato aliud negari, & vno affirmato affirmari & aliud, vnde in quarta & quinta Synodo Eutyches condemnatur hæreseos, quòd negaret vnionem Verbi diuini cum humanitate esse factam secundùm subsistentiam, qui tamen saltem ex tali modo loquendi non fuisset hæreticus, admissâ priori opinione, quod potest esse falsum, ex eo quòd, qui hoc nostro tempore ita simpliciter loque- C retur, censeretur ex tali modo loquendi hæreticus, & negare vnionem Verbi diuini cum humanitate esse factam in personalitate Verbi diuini. VII.

Articvlvs II.

Eadem veritas probatur ratione.

NOSTRA propositio probatur tribus rationibus. Prima: est de formali conceptu subsistentiæ, quòd sit aliquid positiuum, quod seipso formaliter fundet in substantia negationem tam aptitudinalem quàm actualem existendi in alio, sicut in sustentante (id est vt in aliquo toto per se, cuius talis substantia sit pars, aut quasi pars, quæ ex sua con- D ditione postulet compleri ab illo alio, & ita cum eo componere, aut quasi componere seu constituere aliquod totum per se) siue etiam vt in subiecto, cui inhæreat, sícque seipso reddat substantiam, cui formaliter inest completam, & incommunicabilem: at nihil tale datur in essentia diuina, prout hæc præscindit à relationibus personalibus: ergo essentia diuina vt præscindit ab istis relationibus, nullam habet subsistentiam. Minor facilè patet, quia totum quod est in essentia diuina, vt sic considerata, est communicabile, nimirum cuilibet personali relationi, cum qua facit vnum ens completum, & totum quoddam per se, cui repugnat inhærere subiecto. VIII.

Maior probatur ex dictis suprà de propria incommunicabilitate subsistentiæ, seu personalitatis, quæ consistit in formali ratione con-

I. stitutiua istius duplicis negationis ad inexistẽdum. Et potest amplius confirmari ex eo, quòd humanitas, quæ est assumpta à Verbo diuino in illo priori naturæ, quàm assumeretur, habebat negationem aptitudinalem, & actualem existendi in alio, tanquam subiecto, etiam positiuè, quia tunc intrinsecè & formaliter erat substantia, & posse inhærere repugnat substantiæ, quia substantia & accidens condiuidunt ipsum ens, & nihilominus, quia humanitas hæc in tali priori naturæ ita existebat positiuè, vt tamen adhuc non haberet prædictam negationem existendi in alio, vt in toto, & vt in sustentante, modo nunc explicato, non dicebatur habere pro tali statu subsistentiam: ergo quæcumque substantia ita existit positiuè, vt de facto habeat vtramque prędictam negationem, est propriè subsistens: ergo cùm diuina essentia præscisa à relatio-
II. nibus personalibus non habeat carentiam prioris negationis, non censetur vt sic loquendo propriè habere aliquam subsistentiam.

Atque hinc facilè refellitur, quod auctores prioris sententiæ dicunt, scilicet in ipsa subsistentia, seu vt nos confundimus in personalitate, duo posse distingui, vnum est facere formaliter substantiam *esse in se*, alterum est illam reddere formaliter *incommunicabilem*; diuinam verò essentiam antequam diuinæ relationes personales concipiantur aduenire ei, habere primum, & hoc solùm sensu dici habere subsistentiam essentialem; posterius verò accipere à relationibus personalibus, sícque per istam subsistentiam non constitui incommunicabilem, & in ratione personæ.

III. Refellitur inquam exemplo sumpto ab humanitate à Verbo diuino assumpta; hæc enim in priori naturæ, quàm assumeretur, erat, non tantùm per se hoc sensu, quatenus erat vera & propriè dicta substantia, quæ nulli tanquam subiecto inhærebat, sicut accidens, sed etiam erat positiuè in se ipsa, hoc sensu, quòd habebat propriam existentiam, per quam erat formaliter actu & positiuè, cùm existentia sit veluti quædam forma realis communicans effectum formalem positiuè, scilicet actualitatem veram & realem, & nihilominus quia talis substantia etiam existens & singularis non erat in se, tanquam in sustentante, seu cum duplici negatione superiùs explicata, negatur ab omnibus Theologis habuisse pro eo statu aliquam
IV. subsistentiam: ergo ratio subsistentiæ sumpta præcisè non consistit in tali ratione existendi *per se & in se*.

Deinde subsistentia præcisè sumpta in substantiis creatis, est modus aliquis positiuus, distinctus minori distinctione reali à subiecto, cuius est modus, vt patet in humanitate Christi Domini: ergo seruatâ proportione subsistentia in diuinis debet esse aliquid positiuum aliquâ ratione distinctum ab existentia diuinæ essentiæ, at nulla talis distinctio potest afferri, quàm quod substantialis existentia det formaliter substantiæ esse actu in se, & per se hoc sensu, quòd non sit accidens, sed substantia actu & de facto existens in rerum natura, subsistentia verò superaddit ei aliquid positiuum, quo talis substantia ita sit per se & in se, vt non

V. sit in alio, tanquam in sustentante, modo superiùs explicato: ergo cùm illa subsistentia, quam auctores prioris sententiæ fingunt, id non præstet diuinæ essentiæ, non erit in Deo aliqua absoluta propriè dicta subsistentia.

Neque est, quòd quis dicat proprium & formalem quasi effectum existentiæ esse solummodò dare actualitatem, & tribuere esse positiuè, per seipsum autem non inniti alteri ad modum accidentis, esse extra rationem existentiæ, ideóque non posse prouenire ab illa, sed ab aliquo alio, quod in diuina essentia non potest esse aliud, quàm absoluta & communis illa subsistentia.

Non est inquam, quòd quis id dicat, nam licet sit extra rationem existentiæ, quatenus existentia abstrahit ab existentia substantiæ & accidentis, tribuere esse positiuum per se, &
VI. non inniti alteri, ad modum accidentis, totáque præscisa ratio existentiæ, vt sic præscisè consideratæ, sit solummodò dare actualitatem, attamen vt in particulari & de facto est substantialis existentia, seu in genere determinato substantiæ, est illi intrinsecum dare suæ entitati esse, seu existere de facto positiuè per se & non inniti alteri ad modum accidentis, quia vt sic est modus quidam substantialis, & modus substantialis debet communicare entitati, quam afficit, aliquid substantiale: ergo cùm existentia substantialis communicet substantiæ existentiam ei proportionatam, communicabit ei illam, quâ per se existit, quia non est accidens, nec innititur ad modum accidentis.

Nec est, quòd quis dicat tertiò, tunc aliquam subsistentiam esse propriè personalitatem, &
VII. dare substantiæ suæ incommunicabilitatem sibi propriam, quando simul cum natura constituit aliquid ita per se, vt non possit communicari alteri ad componendum aliquod totum per se, vel ad subsistendum in eodem genere: at diuina illa subsistentia absoluta facit subsistere diuinam naturam in alio genere, quàm diuinæ personalitates relatiuæ, cùm faciat illam subsistere absolutâ tantùm subsistentiâ, & communicabili, relatiuæ autem personalitates in alio genere & incommunicabiliter, sícque prior illa non est personalitas propriè dicta, posteriores verò sunt.

Non est inquam, quòd quis hoc respondeat; nam primum ex istis duobus refellitur exemplo superiùs petito ab humanitate Chri-
VIII. sti Domini, secundum item, quia ratio personalitatis sumpta propriè non consistit in faciendo subsistere in alio genere, quàm substantia subsistat, ita vt ideò subsistentia relatiua in diuinis sit personalitas, quia facit subsistere diuinitatem in alio genere, nimirum relatiuo, quàm absoluta subsistentia faciat; nam ratio personalitatis secundùm se considerata abstrahit ab absoluta & relatiua, vt patet ex dictis de illa, cùm in Angelis & nobis sit absoluta, & in Deo sit tantùm relatiua, & licet Pater & Spiritus sanctus facerent subsistere alio speciali modo humanitatem iam assumptam à Verbo, si illam sibi vnirent (quod posse fieri sanctus Thomas, & eius discipuli docent tertiâ parte) non propterea tamen personalitas Verbi diuini negaretur personare illam,

I. sicut licet tres diuinæ personalitates faciant subsistere diuinam essentiam diuersimodè, id tamen non impedit, quin singulæ sint, & dicantur propriè personalitates: ergo ex eo quòd subsistentia illa communis conficta ab auctoribus prioris sententiæ dicitur facere subsistere diuinitatem in alio genere, quàm relatiui, non poterit sibi vendicare vel formalem rationem subsistentiæ vel, effugere veram & propriè dictam rationem personalitatis; sicque quarta quædam persona admittetur in diuinis contra fidem, vel quælibet absoluta communis & essentialis subsistentia purè & simpliciter negabitur in diuinis.

Nostra propositio probatur secundò: quotiescumque aliqua forma, siue actus aliquis positiuus habet sibi annexam intrinsecè negationem alicuius alterius; tunc vbicumque
II. talis forma vel actus reperitur de facto, ibi etiam & negatio alterius ei annexa reperitur necessariò, quia talis formalitas tunc vtrumque præstat, vnum directè, alterum ex consequenti; exempli gratiâ, quia rectitudo in linea importat negationem curuitatis, rationale negationem irrationalis, ea formalitas, quæ dat lineæ vt sit recta, dat ei necessariò negationem curuitatis, similiter formalitas, quæ dat homini, vt sit rationalis, dat ei negationem irrationalis, quia omne positiuum includit formaliter negationem sibi oppositi: at illa communis subsistentia, quæ asseritur in diuinis, est actus aliquis positiuus, quo essentia diuina est in semetipsa ad modum alicuius subsistentis, negatio autem intrinsecè annexa ipsi existere in se per
III. modum subsistentis est ipsa negatio tam aptitudinalis, quàm actualis existentiæ in alio, tanquam in sustentante seu in toto per se tanquam pars illius: ergo talis subsistentia communis debet etiam dare diuinæ essentiæ hanc negationem: sed hæc negatio in subsistentia constituit illam incommunicabilem in ratione personæ: ergo talis subsistentia communis debet constituere diuinam essentiam in ratione personæ, sicque quatuor personæ, scilicet tres relatiuæ & vna absoluta dabuntur in diuinis, quod est hæreticum. Maior propositio satis patet ex exemplis ibi appositis.

Minor duas habet partes. Prior admittitur ab auctoribus prioris sententiæ, dicunt enim diuinam essentiam præscisam à relati-
IV. uis personalitatibus, esse subsistentem, & de facto subsistere. Posterior probatur: negatio intrinsecè annexa alicui modo existendi, aut ei, quod concipitur ad instar modi alicuius existendi, nihil est aliud, quàm ipsamet carentia alterius modi, vel alicuius, quod concipitur adinstar modi, incompossibile isti priori, quasi modo, quia licet res illæ sint aliquid positiuum, nihilominus tamen fundant aliquam mediatam contradictionem, vt patet exemplis allatis pro maiori propositione: at modus, vel quod concipitur ad instar modi incompossibilis cum subsistentia dante ipsi diuinæ essentiæ, tanquam substantiæ existere in se ipsa per modum alicuius subsistentis, est illud, quod explicatur per negationem tam actualis, quàm aptitudinalis existentiæ in alio vt susten-
A tante; quemadmodum patet ex eo, quod isti termini tam sibi inuicem opponantur, quàm isti rationale, irrationale, curuum, rectum; tum etiam quia Scholastici communiter docent tertiâ parte quæstione quartâ repugnare aliquam substantiam creatam propriâ subsistentiâ subsistentem assumi etiam ab aliqua ex personis diuinis; quia isti modi (*esse in se & esse in alio, tanquam sustentante actu vel aptitudine*) sunt sibi incompossibiles: ergo negatio intrinsecè annexa subsistentiæ seu ipsi subsistere in se, est negatio tam aptitudinalis quàm actualis existentiæ in alio, tanquam in sustentante, vel vt in subiecto inhæsionis. V.

Probatur tertiò: de ratione subsistentiæ est loquendo propriè, quòd sit terminus ipsius substantiæ existentis, ita compleat illam, vt remanendo intra limites vnius to-
B tius entis per se, & completi non possit vlteriori termino compleri, & vt quidquid VI.
superadditur illi, faciat cum illa ens aliquod per accidens, vt patet per quascumque subsistentias: at hæc absoluta subsistentia non complet vltimò diuinam essentiam: hæc enim vt præscisa à diuinis personalitatibus, apprehenditur vt vlteriùs terminabilis per relatiuas personalitates, & vt adhuc apta compleri in ratione alicuius totius entis per se completi. Deinde ista subsistentia absoluta nihil quidquam præstat ampliùs, quàm communis & absoluta existentia præstet diuinæ essentiæ; quemadmodum potest facilè intelligi, comparando ea, quæ attribuuntur isti absolutæ subsistentiæ cum iis, quæ diuinæ essentiæ conueniunt ratio-
ne suæ communis absolutæ, & essentialis VII.
C existentiæ: ergo talis absoluta & essentialis subsistentia nullo modo est verè & propriè dicta subsistentia.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta sententiæ aduersariorum ab auctoritate desumpta.

PRIMVM est ex sancto Thoma hâc parte quæstione tertiâ articulo secundo in solutione ad tertium, vbi ait formam illam, *quæ non est receptibilis in materia* esse subsistentem per se, & eiusmodi formam esse Deum. Eadem quæstione articulo tertio in corpore articuli ait, *in iis, quæ non sunt com-
posita ex materia & forma, sed ipsæ formæ per* VIII.
D *se indiuiduantur, oportere, quòd sint supposita subsistentiæ*; at Deus & deitas est talis ex eodem sancto Thoma ibi, vnde eodem articulo in solutione ad primum ait Deum & deitatem ita esse idem, vt tamen quia *de rebus simplicibus non possumus loqui nisi per modum compositorum, à quibus accipimus cognitionem; ideo loquentes de Deo vtimur nominibus concretis, vt significemus subsistentiam eius*; quia apud nos non subsistunt nisi composita; ex quo infert talem diuersitatem prouenire tantùm ex nostro modo considerandi, & proinde censet deitatem in re ipsa & de facto habere subsistentiam, prout illa præscindit à diuinis personalitatibus: vnde libro primo sententiarum distinctione vigesimâ primâ quæstione secundâ articulo

I. primo loquens de natura diuina sic scribit,
quin etiam in se est habens esse subsistens nullâ
personarum distinctione intellectâ, & tertiâ par-
te quæstione tertiâ articulo tertio in solutio-
ne ad primum & tertium, ait naturam diui-
nam adhuc remanere subsistentem persona-
litatibus sublatis per intellectum; & in cor-
pore eiusdem articuli concludit sublatis per
nostram considerationem illis personalitati-
bus, nos adhuc intelligere posse, diuinam
naturam posse assumere, seu sibi vnire ali-
quam substantialem naturam creatam.

Respondetur nihil ex istis locis posse col-
ligi contra nos; nam vt eius interpretes anim-
aduertunt ad illam tertiam quæstionem, du-
bium est, quid sanctus Thomas eò loci in-
telligat nomine *suppositi* & *subsistentis*, & si
primus locus benè expendatur, sanctus Tho-
II. mas videbitur ibi sumpsisse *suppositum* seu
subsistens pro indiuiduo, quatenus ibi vult
hanc esse distinctionem inter res spiritales,
& materiales, quòd istæ indiuiduentur se
ipsis, ideóque sint formæ per se subsistentes,
id est seipsis indiuiduæ; vnde sensus sancti
Thomæ istis omnibus locis erit, quòd diui-
na essentia habet à se ipsa, quòd sit indiui-
dua, maximè singularis, & quòd nos abstra-
ctis per intellectum diuinis personalitatibus
possumus eam adhuc intelligere indiuiduam,
& singularem; quemadmodum ampliùs si-
gnificatur in corpore tertij articuli. Adde
quòd sanctus Thomas ibi non tam agat de
virtuali distinctione attributorum diuino-
rum inter se, quàm de summa earum iden-
III. titate, attendendo duntaxat propriam natu-
ram, vt etiam Bannes annotauit dubio pri-
mo ad articulum primum tertiæ illius quæ-
stionis, quatenus sanctus Thomas vult dei-
tatem seu diuinam essentiam adæquatè sum-
ptam includere in se ipsa omnia illa, de qui-
bus ibi disputat, nec quoad hæc parem esse
conditionem Dei, ac creaturarum, de qua-
rum essentia etiam adæquatè spectata eiusmo-
di rationes non sunt.

Confirmatur ampliùs ex eo quòd sanctus
Thomas nunquam quartum aliquod suppo-
situm admisit in diuinis, & proinde cùm ibi
vtatur termino *suppositi & subsistentis*, vsur-
pat illud pro indiuiduo; qua de re plura pos-
sunt videri apud eius interpretes ad citatam
quæstionem tertiam.

Quando autem tertiâ parte quæstione ter-
IV. tiâ articulo tertio ait, *sublatis per intellectum*
personalitatibus diuinam naturam adhuc rema-
nere subsistentem, & posse à nobis intelligi vt
potentem assumere aliquam substantiam, mens
eius non est, quòd de facto & re ipsa præ-
ter relatiuas personalitates, quas in tali
præscisione non apprehendimus, aliqua alia
subsistentia detur, per quam essentia diuina
subsistat, & in qua vnio possit fieri cum ali-
qua substantia creata; sed quòd tunc appre-
henderemus diuinam essentiam adhuc subsi-
stentem, sicut Iudæi & Gentiles apprehen-
dunt illam, & in tali subsistentia sic appre-
hensa, quæ tunc esset personalitas quædam
absoluta, adhuc intelligeremus posse fieri v-
nionem; & quòd hæc sit mens sancti Tho-

A mæ, patet ex eius solutione ibi ad secundum, V.
quando ait, *circumscriptis per intellectum per-*
sonalitatibus trium personarum, remanere vnam
personalitatem Dei, quemadmodum Iudæi intel-
ligunt; quod etiam patet ex vltima parte
corporis eiusdem articuli.

Secundum est ex auctoritate Patrum, vt
sancti Augustini libro septimo *de Trinitate*
capite quarto circa finem ita loquentis, *om-*
nis res ad se subsistit, quanto magis Deus? san-
cti Hieronymi epistolâ quinquagesimâ septi-
mâ, quæ est *ad Damasum*, vbi licet existimet
nomen hoc *hypostasis* significare οὐσίαν seu es-
sentiam, attamen agnoscit essentiam diuinam
non habere aliunde, quòd subsistat: item A-
gathonis Papæ, qui illâ suâ epistolâ, quæ ha-
betur in sextâ Synodo actione quartâ, fate-
tur in Deo esse *vnam trium personarum subsi-* VI.
B *stentiam*: item sancti Cyrilli & Anastasij in
compendiaria explicatione fidei, quæ ha-
betur tomo 4. Bibliothecæ, vbi loquens de
diuina essentia ita ait: *quid est essentia? res quæ*
per se est, neque altero indiget vt ipsa subsistat,
& aliis similibus loquendi formulis, quibus
Patres interdum vtuntur agentes de mysterio
Trinitatis.

Respondetur primò ad auctoritatem san-
cti Augustini, cum ibi non accipere hoc ver-
bum (*subsistere*) prout solet accipi à Theolo-
gis, & Philosophis, quando agunt de subsi-
stentia & supposito, sed pro *esse substantiam*;
ibi enim probat naturam diuinam verè esse
substantiam, ex eo quòd sicut essentia dici-
tur *ab esse*, ita & substantia *à subsistendo*, quo-
modo etiam dialectici deriuant notationem
C nominis *substantia*: & quòd hoc Verbum *sub-* VII.
sistere sumatur eò loci pro *esse substantiam*,
præterquàm quòd satis clarè intelligitur ex
sequenti capite quinto, notauit etiam ex-
pressè Franciscus Maïeronius suis commen-
tariis in libros *de Trinitate* sancti Augu-
stini.

Simili modo auctoritas Hieronymi expli-
catur, ait enim vnam tantùm & solam esse
Dei naturam, quæ verè est, & quia essentia
Dei est à se, seu non habet esse ab alio, sed in
suo formali conceptu includit existentiam,
ait illam *non habere aliunde, quòd subsistat*,
sed esse suum esse, seu diuinam essentiam non
distingui à sua existentia, quin potiùs in hoc
differre ab omnibus aliis, quòd cætera ali-
quando non fuerunt, at Deus solus semper
D extiterit: de absoluta verò subsistentia nul- VIII.
lum verbum sanctus Hieronymus ibi ha-
bet.

Eadem etiam ratione auctoritas sancti Cy-
rilli ab aduersariis relata potest explicari, vult
enim tantùm essentiam diuinam necessariò e-
xistere, nec vllo sibi extraneo indigere ad e-
xistendum, sicut quælibet res creata indiget
aliquâ causâ tam productiuâ sui, quàm con-
seruatiuâ.

Auctoritas etiam Agathonis Papæ explica-
tur ex ea obseruatione, quá diximus interdum
(rarò tamen) hæc nomina *substantiam*, *subsi-*
stentiam sumi apud Patres, & in Conciliis in
eadem significatione.

I.

Articvlvs IV.

Soluitur primum aduersariorum fundamentum à ratione petitum.

Tale est hoc primum argumentum à ratione desumptum: de ratione perfectissimæ & completæ substantiæ est, quòd sit subsistens, seu habens subsistentiam, tanquam proprium complementum, antequam intelligatur habere suas proprietates, facultates, & operationes illarum: quia primum, quod emanat à substantia, est ipsa eius subsistentia, & subsistentia est id, quo substantia redditur completum & adæquatum principium suarum operationum; at essentia diuina vt distincta virtualiter à relationibus, & antequam diuinæ rela-
II. tiones intelligãtur ei quasi aduenire, vel in ea
existere, est substantia maximè completa & perfectissima in ratione substantiæ, etiam in ordine ad suas operationes ad intra, quia subsistentiæ relatiuæ seu personales fundantur in productionibus diuinis, & proinde supponunt illas: ergo essentia diuina antequam intelligatur habere personales diuinas relationes, verè & propriè subsistit, non per relatiuam subsistentiam, quia vt sic præscindit ab omni relatiuo, & præintelligitur illo: ergo subsistit per absolutam communem & essentialem subsistentiam.

Confirmatur primò: relatiuæ personales subsistentiæ ea tantùm faciunt subsistere, quæ primò per se communicantur vi processionum diuinarum, quia ea tantùm veluti
III. modificant, & subsistentia est veluti modus
essentiæ; at natura diuina communicatur primò per se sub ratione actualis intellectionis per essentiam vi processionis prioris, & eadem natura communicatur tantùm sub ratione amoris ex vi posterioris processionis: ergo relatiuæ illæ personales subsistentiæ facient tantùm subsistere diuinam essentiam, quoad illas perfectiones: sed præter illas aliæ plures dantur, quæ sunt etiam substantiales, cuiusmodi sunt alia singula prædicata & attributa essentialia: ergo debent subsistere aliquâ subsistentiâ: ergo cùm non subsistant primò per se relatiuis subsistentiis, debent subsistere aliquâ aliâ sibi correspondente, quæ sit absoluta & essentialis, sicque quædam subsistentia essentialis datur.

Confirmatur secundò: si diuina essentia
IV. subsistit tãtùm personalitatibus, seu subsisten-
tiis relatiuis, iam est substantia incompleta; illud enim censetur incompletum in genere substantiæ, quod postulat vel aliam substantiam, sicut forma materiam, vel aliquem terminum substantialem, vt cum illo constituat aliquid perfectum & completum, sicut est substantia creata, quæ postulat subsistentiam, cum qua constituat substantiam primam & completam; imò tunc talis substantia censetur emendicare suum complementum ab eiusmodi termino substantiali, & proinde sic spectata indigere aliquo; at dicere essentiam diuinam præcisè spectatam esse substantiam tantùm incompletã, indigere relationibus, & emendicare ab illis complementum, est absurdum, cùm hæc sit ens per essentiam perfectissimum.

Respondetur primam maiorem eius argu-
A menti esse tantùm veram de completis illis V.
substantiis, quarum proprietates & operationes sunt quædam accidentia propriè dicta; tunc enim, quia substantia respectu suarum proprietatum habet rationem subiecti, & proprietates comparatione suarum operationum rationem alicuius principij propriè dicti, quod ad illas præsupponitur, & substantia est priùs in ordine ad se perfecta, quàm in ordine ad aliud, secundùm quam rationem perficitur per suas proprietates, & operationes; tunc inquam oportet tales substantias priùs compleri per proprias suas subsistentias, quàm proprietates illarum dimanent & operentur: at nec prædicata illa, quæ à nobis concipiuntur ad modum quarumdam proprietatum esse in Deo, nec item operationes,
B quæ sunt in Deo, sunt quædam accidentia, VI.
sed aliquid purè simpliciter loquendo substantiale, cùm sit ipsemet Deus, nec inter istas proprietates diuinas, & diuinam essentiam aliqua prioritas naturæ datur, in qua oporteat diuinam essentiam esse prius, deinde proprietates diuinas dimanare ab illa, sicut in substantiis creatis.

Quòd si quis vrgeat istam prioritatem esse duntaxat attendendam penes ordinem illum, quem conceptus illi obiectiui, qui respondent iis, quos formamus de diuina essentia, eius attributis, & operationibus, seruant inter se; hæc verò talem inter se seruare ordinem, vt essentia diuina supponatur completa priùs in ratione substantiæ, quàm proprietates attributales apprehendantur ei inesse, aut quasi adiacere, & ha-
C bere aliquam operationem, sicque semper VII.
essentiam diuinam debere supponi priùs subsistentem.

Respondetur primò, tunc essentiam diuinam in isto priori non posse intelligi constitutam in præscisa ratione diuinæ essentiæ specificè consideratæ, nisi actualis intellectio per essentiam ibi etiam includatur, quia diximus hanc esse veluti differentiam eius, & proinde cùm subsistentia sit nostro modo considerandi aliquid consequens essentiam actuatam suâ existentiâ, omnia prædicata constitutiua diuinæ essentiæ, debere præintelligi cuilibet suæ subsistentiæ, cuiuscumque conditionis talis subsistentia fingatur esse.

Deinde, vt etiam satisfiat ei obiectionis parti, quâ agitur de attributis & perfectioni-
bus quasi adiacentibus diuinæ essentiæ, & se VIII.
D habentibus ad modum quarumdam proprie-
tatum, respondetur, quia diuina essentia est tantùm nata subsistere relatiuis personalitatibus seu subsistentiis, & hic est ordo absolutorum & relatiuorum in Deo, vt hæc sint aliquâ consideratione posteriora, ista priora, quemadmodum inter arguendum notauimus ex sancto Thoma, & aliis Theologis: attributa autem diuina essentialia sunt absoluta, ideò rectè intelligimus ordine quodam rationis perfectiones istas essentiales priùs nostro modo considerandi quasi adiacere diuinæ essentię, quàm intelligamus rationes personales & subsistentias relatiuas ei quasi aduenire; sicque quoad hoc disparem esse rationem essentiæ diuinæ, ac quarumlibet substantiarum creatarum, sicut etiam quoad opera-

I. tiones, nam quia operationes substantiarum creatarum sunt tantùm quædam accidentia, quæ sunt à suis potentiis, vt à principiis propriè dictis, fit, vt oporteat illas substantias priùs compleri per subsistentiam, quàm agant: at illę operationes Dei (*intelligere, velle*) vt sunt essentiales, & præsupponuntur notionalibus, sunt aliquid substantiale in Deo, nec propriè sunt ab aliquo principio, sic enim essent distinctæ ab illo.

Ad minorem primæ eiusdem rationis respondetur negando essentiam diuinam, prout concipitur virtualiter distincta à relatiuis personalitatibus, illásque nondum habere, esse completam in ratione substantiæ, quia prout præcisè subest isti considerationi, nondum intelligitur habere aptitudinalem negationem existendi in toto, ad quod componendum, aut
II. quasi componendum ordinetur ex sua conditione; quam tamen negationem existendi ostendimus suprà requiri in substantia completa, tunc enim diuina essentia sic præscisa à substantiis relatiuis habet, quòd postulet vnamquamque illarum, vt cum illis quasi componat vnum aliquod totum per se, sícque prout apprehenditur esse sine illis, cogitatur tanquam incompleta, & ordinata ad illas, vt sic constituatur quædam substantia completa: vbi verò habet illas, & vt apprehenditur cum illis, tunc existit & apprehenditur tanquam completa quædam substantia, habens vltimum suum complementum, quod est personalitas; imò quando essentia diuina apprehenditur cum vnica tantùm subsistentia relatiua, (puta paternitate) licet vt
III. sic sit substantia completa in ratione talis suppositi, & personæ ex diuina essentia constitutæ, & paternitate, quia tamen considerata specificatiuè & adæquatè secundùm totam illam naturalem suam habitudinem, quâ ex sua summa perfectione & infinitate postulat esse in tribus suppositis, adhuc vt sic non habet aptitudinalem illam superiùs explicatam negationem existendi in duabus reliquis personalitatibus, cum quibus est etiam nata componere aliquod totum per se, tunc quatenus apprehenditur, vt nondum cum illis, ideò consequenter nondum apprehenditur tanquam substantia purè absolutè & simpliciter loquendo completa, & Deus Pater communicando per generationem Filio naturam diuinam, illi eam non communicat, hoc sensu completam, quasi simul etiam ei communicet
IV. suam paternitatem, quâ in illo signo rationis apprehenditur esse completa; nam suprà obseruauimus Deum Patrem omnia quidem cómunicare Filio, sed semper excipi paternitatem: sed hoc sensu communicat completam, quatenus totam essentiam, & omnia item attributa, quæ conueniunt diuinæ essentiæ præcisè spectatæ, communicet ei, similiter Pater & Filius communicant Spiritui sancto essentiam diuinam eodem modo completam.

Ad illud verò quod in eadem minori dicitur, nimirum *diuinas personales subsistentias fundari in diuinis productionibus, & proinde illas supponere*, respondetur illud posse intelligi duobus modis: primò ex parte *rei conceptæ*, secundò *ex nostro tantùm modo concipiendi*; ex parte quidem *rei conceptæ*, ita vt diuina personalis relatio habeat in Deo veram

A aliquam rationem realem, aut saltem virtualem fundandi, à qua talis personalis relatio distinguatur aliquo modo virtualiter, aut realiter eo modo, quo in creatis nostris relationibus ipsa ratio fundandi relationem effectus, aut quasi effectus distinguitur à relatione, quæ resultat ad eius positionem, secundo modo seu *ex nostro tantùm concipiendi modo*, quatenus nimirum relationes diuinę personales cócipiuntur à nobis per species similium perfectionum creatarum, quæ habent rationes fundandi, nimirum productiones: iam si duæ personalitates vel relationes diuinæ subsistentes considerentur priori modo (quo debent considerari vt argumentũ, quod hîc soluimus, sit ad propositum) nullam habent loquendo propriè rationem fundandi, nec fundantur in diuinis productionibus, nec eas supponunt, nam cùm
B suprà ageremus de diuinis processionibus, docuimus personas procedentes, nullo modo in re ipsa, ne virtute quidem distingui à suis processionibus, seu productionibus passiuis, nec item productiones actiuas ab ipsis personis producentibus, sed eiusmodi processiones importare tantùm istos duos respectus (*à quo alius, & qui ab alio*) & proinde cùm isti respectus dicant intrinsecè ipsas relationes diuinas subsistentes & incommunicabiles, nullum habent etiam virtuale fundamentum, quod præsupponant in Deo. VI.

Neque dici potest id quidem esse verum, si tantùm agatur de re ipsa, non tamen si agatur de ea, prout cócipitur à nobis, cum aliquo fundamento in re, quia ita apprehendimus personales diuinas relationes subsistentes, vt ta-
C men habeamus in ipsomet Deo aliquod fundamentum talis conceptus, qui præsupponat productiones ad personalitates diuinas subsistentes, sicut ponimus aliquem ordinem saltem rationis inter quædam attributa Dei, exempli gratiâ inter immutabilitatem, & æternitatem. VII.

Hoc inquam dici non potest; nullum enim tale fundamentum desumptum ex parte rei conceptæ potest assignari in Deo, sicut assignatur quando concipimus immutabilitatem in Deo, vt rationem æternitatis, vtraque enim hæc perfectio est in Deo, & vna est virtualis ratio alterius, seruántque virtualem inter se distinctionem: at processio ita est in diuinis, vt hæc nullo modo etiam virtualiter distinguatur à persona procedente: vnde cùm omnis ratio fundans, & præsupposita alicui de-
D beat distingui saltem virtualiter ab eo, quod præsupponit, & quod est eius ratio fundandi, non potest noster intellectus rectè concipere cum aliquo fundamento ex parte rei conceptæ ipsam productionem in diuinis præsupponi ad personalitates diuinas subsistentes. VIII.

Si autem consideremus personales relationes subsistentes secundùm nostrum modũ eas concipiendi, iam dicimus illas vt sic habere aliquam rationem fundandi, quam præsupponunt, scilicet ipsas productiones; sic enim eas concipimus, ac si ipsæ origines personarum essent rationes fundandi eas in personis, quibus conueniunt; cuius nostræ conceptionis hæc est ratio, quòd tunc concipiamus ipsas relationes personales diuinas per species similium perfectionum, quæ sunt in

I. creaturis; at relationes eiusmodi, vt sunt in creaturis, habent productiones tanquam proprias suas rationes fundandi, vt dialectici communiter docent agendo de relatione: neque modus iste concipiendi est falsus, quia sequitur speciem, per quam apprehenditur, sicut nec conceptus personalitatis in diuinis per modum alicuius absoluti, licet personalitas in Deo sit aliquid purè & simpliciter relatiuum.

Ad primam confirmationem negatur diuinas personales relatiuas subsistentias facere tantùm ea subsistere in Deo, quæ primò per se communicantur vi processionum diuinarum, nam ipsum facere subsistere diuinam essentiam respectu relatiuæ personalitatis sequitur nostro modo concipiendi ipsam actualem & realem communicationem diuinæ essentiæ in re ipsa, & de facto, quia tota essen- II. tia diuina in vnaquaque persona diuina subsistit propriâ & relatiuâ personalitate talis personæ, aliàs non esset persona, & completa substantia; ideóque cùm essentia diuina, quatenus tota, non dicat tantùm eam formalem rationem, secundùm quam intenditur primò per se communicari vi talis processionis, sed etiam omnia alia essentialia, fit, vt vnaquæque relatiua personalitas faciat subsistere totam essentiam diuinam, nec sit opus aliâ speciali subsistentiâ absolutâ, quâ eadem essentia diuina subsistat, prout importat alias essentiales perfectiones, sicut in diuinis non est opus aliâ processione, ab ipsa generatione Verbi diuini, quâ essentia diuina communicetur eidem Verbo, secundum alias & distinctas e- III. tiam virtualiter rationes & perfectiones ab ipsa actuali intellectione per essentiam.

Ad secundam confirmationem respondetur essentiam diuinam tunc apprehendi completam in ratione essentiæ, quando apprehenditur vt nondum subsistens personali relatiuâ subsistentiâ, quia in sua ratione specifica essentiæ nullas eiusmodi rationes subsistendi includit, tunc verò sub tali conceptu apprehensam, non esse propriè incompletam substantiam conceptu negatiuo, sed tantùm præscisiuo, id est, non esse talem, vt de facto careat aliquo vltimo complemento, nam verè & propriè habet illud, cùm sit de facto personata triplici relatiuâ personalitate, sed tantùm apprehenditur à nobis purè & simpliciter, vt est essentia actualis perfectissima omnium essentiarum actualium, quæ possunt apprehendi, non cogitando tamen de aliqua propria eius IV. personalitate, vel affirmando, vel negando illam eas habere, quas tamen habet de facto.

Deinde possumus dicere essentiam diuinam quatenus subest tali nostro conceptui, & prout distinguitur virtualiter à relatiuis personalitatibus non esse vt sic præcisè substantiam completam, eo modo, quo requiritur ad esse personam, vel subsistentem: nec hoc sonare aliquam imperfectionem, sicut essentia diuina, prout præcisè concipitur vt constituta in solis veluti suis gradibus, eam specificè constituentibus in ratione diuinæ essentiæ, non censetur esse imperfecta, licet vt sic non includat volitionem, & alia attributa, nec item in sententia priori essentia diuina censetur esse incompleta, & imperfecta, vel

A saltem hoc sonare imperfectionem, quando in tali suo conceptu nullam includit personalitatem, quâ tamen est vlteriùs complenda. V.

Ad illud, quod dicitur (*nimirum tunc essentiam diuinam emendicare suum complementum à diuinis relationibus, & talem emendicationem, seu indigentiam sonare imperfectionem*) respondetur tunc tantùm loquendo propriè vnum emendicare suum complementum ab aliquo, & eo indigere, quando est omninò aliud ab illo, distinctum reali distinctione saltem minori ab eo, cuius est complementum; & quo dicitur indigere, nec enim loquendo propriè aliquid indiget eo, quod sibi ipsi identificatur, aliàs nihil esset in rerum natura, quod non esset indigens, & in sententia aduersariorum diuina essentia diceretur indigere personalitatibus relatiuis, sed propriè a- B liquid eo tantùm dicitur indigere, quod est a- VI. liud ab eo, vel quod potest ab eo separari realiter: sicut quia nostra substantia potest diuinitus priuari suâ personalitate, rectè dicitur eâ indigere, eâ perfici tanquam aliquo sui complemento, emendicare ab illa suam perfectionem, econtrà licet diuina voluntas & alia attributa essentialia conferant ad perfectionem essentiæ diuinæ, hæc tamen propriè non dicitur illis indigere, cùm hæc identificentur cum illa, nec possint aliquâ ratione separari realiter ab illa.

Articvlvs V.

Soluuntur alia fundamenta à ratione.

C Secvndvm fundamentum à ratione petitum istud est: subsistentia propriè est il- VII. lud, quo substantia formaliter est positiuè per se, nec alteri innititur etiam aptitudine per modum accidentis; at diuina essentia præscisa à relationibus diuinis personalibus habet hoc totum, quia pro eo statu ita existit per se, vt ei repugnet esse inhæsiuè in aliquo subiecto, imò & communicari alieno supposito, quia tunc admittendo suppositum alienum deberet recipere nouum aliquem modum, quo tale suppositum vniretur ei, sicque mutari, quod implicat: ergo diuina essentia pro eo statu, quo præscindit à subsistentiis relatiuis, est subsistens aliquâ absolutâ & essentiali subsistentiâ.

Respondetur maiorem eius argumenti esse falsam, vt patet ex dictis de formali ratione subsistentiæ, & de humanitate Christi Domini, VIII.
D si hæc maior propositio per istam particulam (*esse positiuè per se, nec alteri inniti etiam aptitudine per modum accidentis*) intelligat verè & propriè existere realiter ita per se, vt ne aptitudine quidem postulet inhærere alicui subiecto; si autem per istam particulam intelligat aliam negationem, quatenus substantia ita est positiuè per se, vt neget esse in alio, etiam cum aptitudine, vt in toto & sustentante, sicut requisiuimus ad rationem veræ subsistentiæ, tunc minor propositio est falsa, quia diuina essentia ad talem perseitatem requirit personalitates relatiuas, vt patet ex dictis pro nostra propositione.

Ad id verò quod subiicitur (*scilicet repugnare diuinæ naturæ etiam pro eo statu, quo non cogitatur habere personalitates relatiuas vniri alieni subiecto vel etiam alieno supposito*) re-

I. spondetur id verum esse, sed huius repugnantiæ rationem non esse, quòd essentia diuina iam sit in seipsa, per veram aliquam subsistentiam: sed primum ei repugnat præcisè, quia est formaliter & essentialiter substantia, cui inhærentia etiam aptitudinalis per modum accidentis repugnat, vt iam obseruauimus: secundum verò repugnat essentiæ diuinæ, quia hæc ex se, & summa sua perfectione nulli enti creato est per se ipsam immediatè vnibilis, seu apta vniri ad faciendum totum aliquod vnum per se, vt Theologi docent cum sancto Thoma tertiâ parte quæstione secundâ articulo primo. Deinde est etiam essentia diuina inunibilis cuilibet creato supposito, vt sustentetur ab eo, cùm eius sustentatio quasi passiua sit extra omnem actiuam capacitatem,
II. cuiuscumque suppositi, quod Deus potest creare, cùm hoc semper sit futurum limitatæ perfectionis, illa verò semper infinitæ.

Tertium est: diuina essentia ex se, & antequam concipiamus ipsas relationes aduenire ei, habet omnes perfectiones simpliciter simplices, quia in illo statu est infinita in omni genere entis: at subsistentia est aliqua perfectio simpliciter simplex, quia melius est enti quatenus ens est subsistere, quàm non subsistere: ergo datur subsistentia absoluta.

Respondetur concessâ maiori negando minorem de subsistentia propriè sumpta, prout subsistere idem est ac esse vltimò terminatum, & existere incommunicabiliter; nam tale existere est tantùm simplex quædam perfectio, cùm in diuinis admittat aliquam oppositionem, & incompossibilitatem cum aliqua
III. sibi æquali, vt diximus de diuinis relationibus, & eo planè argumento, quo quis ostendet subsistentiam dicere talem perfectionē, ostendet etiam & ipsam personalitatem propriè sumptam similiter dicere perfectionem simpliciter simplicem, & quâ ratione id negabit de personalitate propriè sumpta, eadem planè ratione ei negandum est de ipsa subsistentia: si autem subsistentia seu subsistere sumatur impropriè prout idem sonat, ac sic existere in se, vt non sit in alio, etiam aptitudine, tanquam in subiecto inhæsionis, sicque non indigeat alio; tunc hoc importat aliquam perfectionem simpliciter simplicem, sed talis perfectio non prouenit formaliter à subsistentia propriè dicta, sed ab existentia substantiali, quam essentia diuina etiam præscisa à relatiuis personalitatibus habet, vt docuimus.

Nec est quòd quis instet in rebus creatis
IV. esse melius subsistere, quàm non subsistere; nam ad rationem talis perfectionis, scilicet simpliciter simplicis, non sufficit, quòd eius ratio sit melior alicui enti; imò & omni enti creato, quàm eius oppositum, sed prætereà requiritur, vt sit compossibilis cum omni alia æquali, vel maiori perfectione, quod hîc non habet locum, si subsistere sumatur propriè, & non solùm pro ipso existere per se absque aptitudine ad inhærendum subiecto.

Vltimum fundamentum: essentialia sunt priora notionalibus, ex sancto Thoma, & omnibus Theologis infrà quæstione trigesimâ tertiâ articulo primo; at *hic Deus* est aliquid absolutum, quia est aliquid commune omnibus & singulis personis diuinis, & *hic Deus* importat subsistentiam; nam *hic Deus*, vel *vnus Deus* non potest intelligi, nisi vt subsistens, V.
& habens deïtatem, sed habens deïtatem est subsistens, tunc enim deïtas significatur non *vt quo*, sed *vt quod*, qui modus significandi est proprius rei subsistentis, vt Dialectici docent.

Respondetur primò, essentialia in Deo posse considerari duobus modis: primò purè, simpliciter secundùm se, & vt seorsim à notionalibus: deinde vt quasi coniuncta illis ad constituendum aliquid ex ipso essentiali & notionali simul, siue istud constitutum dicat magis directè ipsum essentiale, ita inclusum in tali constituto, siue ipsum notionale, & minus directè essentiale: iam quando Theologi dicunt essentialia esse priora notionalibus loquuntur de essentialibus consideratis priori modo, & non de illis consideratis posteriori modo, quia sic essentialia habent, vt sint simul
cum notionalibus, cùm constitutum ex illis, VI.
includat vtrumque, & proinde vt sic, vnum non est prius alio: at *hic Deus* ita est aliquid absolutum ratione deïtatis, vt tamen, quia ex modo suo significandi denotat illam subsistentem, & deïtas non subsistit, nisi subsistentiis relatiuis, tunc etiam notionalia seu subsistentiæ eius relatiuæ includantur; sicque *hic Deus* loquendo propriè etiam nostro modo concipiendi, non est prius in aliquo signo rationis, quàm ipsæ personalitates relatiuæ, quasi insint, vel quasi aduenerint naturæ diuinæ, vnde non sequitur istis personalitatibus relatiuis præsupponi aliquam subsistentiam communem, ratione cuius hoc prædicatum (*hic Deus*, vel *vnus Deus*) intelligatur esse in essentia diuina antequam diuinæ personalitates relatiuæ ei quasi adueniant.

Secundò respondetur ad minorem, hunc VII.
terminum *hic Deus* esse quidem absolutum, non tamen ratione alicuius subsistentiæ communis & absolutæ, sed ratione deitatis, quam directè & de suo formali significat, hæc est enim natura eiusmodi nominum concretorum, vt directum & formale eorum significatum sit ipsa natura, subsistentia verò duntaxat indirectum, seu significetur tantùm in confuso, vt patet in hac voce, *homo*, quæ tam benè significat Christum hominem, quàm Petrum, Paulum conuenientes synonymè in natura humana, licet maximè distinguantur hypostasi, ac proinde *hic Deus*, vel *Deus*, rectè intelligetur esse aliquid absolutum absque subsistentia absoluta, quia ad hoc sufficit, quòd aliqua subsistentia connotetur, non quidem determinatè hæc vel illa, sed abstrahendo ab
hac & illa, & includendo tantùm aliquem in VIII.
confuso, in qua communitate paternitas, filiatio, & spiratio passiua, quæ ex vi processionum intelliguntur aduenire diuinæ naturæ, includuntur. Vnde sequitur hoc prædicatum *hic Deus*, alio modo esse commune ex parte naturæ, quam directè & formaliter significat, & alio modo ex parte subsistentiæ, quam tantùm connotat in confuso; nam ex parte naturæ est commune communitate, & vnitate reali numericâ, quia eadem est numero deïtas in omnibus & singulis personis diuinis; at ex parte subsistentiæ, quæ per illud connotatur, est tantùm commune communitate & vnitate quasi vniuersali, quatenus, *hic Deus*, vt supponit pro Patre, habet veram quidem subsistentiam, sed aliam à subsistentia,

I. quando dicitur de solo Filio, vel de Spiritu sancto.

Tandem ad id, quod vltimo loco dicitur, *Deus non potest intelligi, nisi vt habens deïtatem, at habens deïtatem est subsistens*, respondetur quòd licet *Deus & habens deïtatem* significent vnum & idem, attamen in modo significandi sese alio modo habent, nam *Deus* directè & pro suo formali significat deitatem connotando suppositum aliquod; at *habens deitatem* sicut & ipsum subsistens econtrà significat directè, & de formali ipsum suppositum, deitatem tantùm connotando. Nam *habens deitatem* modo substantiuo enuntiatum, & *persona diuina* sunt synonyma: vnde vt persona significat primo directè & de formali hypostaticam formam, connotando naturam, ita & ipsum habens deitatem & ipsum subsi-
II. stens diuinum: sicque aliqua possunt dici in plurali de ipso habente deitatem, quæ non possunt dici de Deo, sicut possumus dicere esse tres personas in Deo, ita tres subsistentes, tres habentes deitatem, sumendo istos terminos, *habens & subsistens*, substantiuè, quo tamen loquendi modo non possumus dicere esse tres Deos.

DISPVTATIO IV.

De subsistentiis diuinis relatiuis.

ARTICVLVS I.

III. *Vtrum tres subsistentiæ relatiuæ dentur in diuinis.*

SENSVS articuli est, an dentur tres rationes subsistendi relatiuæ, à se inuicem realiter distinctæ, ita vt quælibet persona diuina habeat specialem relatiuam rationem, quâ subsistat; an verò vnica tantùm & communis subsistentia detur, quâ omnes & singulæ personæ diuinæ subsistant, sicut vna tantùm datur essentia in personis diuinis, quâ illæ sunt vnus Deus, ita vt omnes & singulæ personæ habeant ab hac communi subsistentia, quòd subsistant, & à suis personalitatibus incommunicabilitatem.

Durandus in primum sententiarum distin-
IV. ctione decimâ tertiâ quæstione secundâ numero vigesimo secundo & sequentibus, & fusiùs tertio sententiarum distinctione primâ quæstione secundâ numero septimo, Capreolus ibidem quæstione primâ, & alij nonnulli negant dari tres subsistentias relatiuas in Deo, sed vnam duntaxat admittunt absolutam modo nunc explicato.

Melior tamen est affirmans sententia, nimirum *dari in diuinis tres relatiuas subsistentias in abstracto, seu tres rationes subsistendi relatiuas distinctas à se inuicem realiter.* Sic tuentur non modò, qui nobiscum negant subsistentiam absolutam dari, sed & ex his, qui eam admittunt, plurimi, vt Caietanus hâc parte quæstione tertiâ, quæstione vigesimâ nonâ, & trigesimâ nonâ, Suares & alij superiùs citati. Addidi tam in explicatione tituli, quàm in no-

A stra propositione istam particulam, *in abstracto*; nam si subsistentia sumatur in concreto, V.
provt idem est, ac *hypostasis*, est de fide dari tres subsistentias relatiuas in Deo, distinctas à se inuicem realiter ex quinta Synodo generali canone primo, vbi ita habetur: *si quis non confitetur vnam deitatem in tribus subsistentiis, siue personis adorandam, anathema sit*, & ex Conciliis & Patribus superiùs relatis, quando egimus de istis nominibus, *persona, hypostasis subsistentia*, nunc autem nostra propositio procedit tantùm de subsistentia *in abstracto*: quo modo

Probatur primò ex epistola Sophronij superiùs citatâ, in qua Trinitas dicitur *numerabilis tribus subsistentiis personalibus*: quò loci hæc particula, *subsistentiis*, debet necessariò
B accipi in abstracto, cùm terminus ille adie- VI.
ctiuus *personalibus* ei adiungatur, quam loquendi formulam etiam septima Synodus actione tertiâ vsurpat.

Probatur ratione: quia vt ostendimus, personalitas, & subsistentia in abstracto sunt vnum, & idem in natura intellectuali: at in diuinis dantur tres relatiuæ personalitates in abstracto, cùm secundùm fidem tres sint personæ in diuinis.

Confirmatur: subsistentia sumpta in abstracto, nihil est aliud, quàm forma, seu ratio, quâ substantia aliqua existit in se, per se, incommunicabiliter, vt patet ex dictis; at dantur in diuinis tres formæ, seu rationes relatiuæ à se inuicem distinctæ realiter, quibus tres diuinæ personæ sunt in se, & per se incommunicabiliter; quia paternitas, vt est formaliter
C paternitas, est incommunicabilis Filio, simili- VII.
ter filiatio, vt filiatio formaliter est incommunicabilis Patri, & Spiritui sancto: item spiratio passiua est incommunicabilis Patri & Filio, & singulæ istæ relationes sunt per se subsistentes, vt docuimus: ergo tres subsistentiæ relatiuæ dantur in diuinis.

Probatur secundò: terminus numerabilis additus nomini substantiuo, non tantùm numerat supposita, sed etiam formalem rationẽ tali nomine substantiuo significatam directè & formaliter; hâc enim ratione negamus tres Deos, quia tunc deberent esse tres deitates, cùm hoc nomen Deus sit substantiuum, & alioqui dentur tres personæ, seu tria supposita in diuinis; at subsistentia sumpta in abstracto est nomen aliquod substantiuum, vt per
D se patet, sicut & ipsa deitas, & nihilominus
additur ei terminus numerabilis, scilicet *ter-* VIII.
narius, locis superiùs citatis ex Patribus, in quibus deitas dicitur *numerari tribus subsistentiis*: ergo tres subsistentiæ dantur in diuinis.

Quòd autem illæ subsistentiæ diuinæ sint relatiuæ, & distinctæ realiter à se inuicem, probatur: quia sola relatio multiplicat in diuinis, vt ex Conciliis, & Patribus obseruauimus, & ea omnia distinguuntur in Deo à se inuicem realiter, quæ ad se inuicem habent oppositionem realem relatiuam; at ex præcedenti parte præsentis propositionis, subsistentiæ etiam in abstracto multiplicantur in diuinis: ergo illa multitudo debet esse subsistentiarum relatiuarum: ergo & à se inuicem realiter distinctarum.

Confirmatur: personalitates diuinæ sunt

I. formaliter subsistentiæ in abstracto, vt patet A ex dictis de persona & personalitate in diuinis, sed tres diuinæ personalitates sunt formaliter relatiuæ, & à se inuicem distinctæ realiter, vt suprà ostendimus: ergo & tres diuinæ subsistentiæ sunt relatiuæ, & à se inuicem distinctæ realiter.

Fundamentum Durandi est, tum auctoritas sancti Augustini libro septimo *de Trinitate* capite quarto: tum etiam quòd subsistere magna sit perfectio, quæ proinde debeat esse ab essentia, & non à relatione, ne aliqua perfectio detur, quæ sit in vna persona & non in alia. Item quòd nulla perfectio simpliciter simplex multiplicetur in diuinis, vt patet inductione.

Sed vtrumque hoc fundamentum est à nobis solutũ in superioribus; sicut & aliud illud,

II. quòd scilicet personæ diuinæ sufficienter di- B cuntur subsistere per vnicam communem subsistentiam, quódque relatio quatenus relatio non det subsistere, sed tantùm respicere, & opponi relatiuè; hoc enim soluimus cùm ageremus de ratione diuinæ personalitatis, & infinitate diuinæ essentiæ, quâ postulat subsistere tribus subsistentiis relatiuis.

ARTICVLVS II.

Vtrum tres res, tres entitates, tria entia, tria indiuidua, tres vnitates, tres bonitates, & tres veritates, & tria indiuidua sint in Deo.

III. PRIMA sit propositio. *Rectè possumus dicere* C *esse in Deo tres res, tria entia, tres vnitates.* Probatur primò, ex modo loquendi Patrum, vt sancti Augustini libro primo *de doctrina Christiana*, capite quinto, dicentis tres diuinas personas esse *res quibus nobis fruendum est*, sancti Anselmi libro *de Incarnatione Verbi* capite tertio, dicẽtis personas Patris & Filij rectè dici *duas res*: deinde ex communi consensu Magistri sententiarum & scholasticorum libro primo sententiarum distinctione vigesimâ quintâ.

Probatur ratione: tot sunt in Deo res, tot entitates, tot entia, quot sunt actuales entitates & realitates existentes distinctæ à se inuicem realiter, quia quidquid est entitas actualis, seu realitas existens loquendo propriè, illud etiam est res, entitas, ens, eo quòd ens, entitas, & res vel sunt verè synonyma,

IV. vel saltem res, & vnum sunt proprietates en- D tis, quæ vulgò *transcendentia* dicuntur, & propterea conueniunt omni & cuilibet enti, vt Philosophi docent in Metaphysicis: at in Deo tres sunt actuales entitates, tres realitates existentes distinctæ à se inuicem realiter, quia dantur in diuinis tres personæ realiter à se inuicẽ distinctæ, & quarum singulæ habent suam specialem existentiã relatiuã distinctam realiter à speciali relatiua existẽtia alterius personæ diuinæ, vt ostẽdimus, & Pater in diuinis ita est Pater, vt non sit Filius, item paternitas formaliter, vt non sit formaliter filiatio, similiter nec spiratio passiua, quin potiùs exercent inter se mutuam oppositionem; propterea vnaquæque diuina personalitas est realiter distincta ab alia personalitate diuina, sicut & est alia persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, ita vt sit etiam indiuisa in se, & diuisa seu distincta à quacumque alia: ergo cùm illud sit vnum, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio, rectè possumus dicere esse in Deo tres vnitates, tres entitates, tria entia. V.

Deinde probatur: quoties formæ primò & formaliter significatæ per nomina substantiua multiplicantur, & ipsa etiam supposita, quæ connotantur istis nominibus, toties ista nomina multiplicantur, seu possunt etiam enuntiari in plurali numero ex communi regula Dialecticorum de nominibus substantiuis, nimirum illa ad sui multiplicationem requirere multiplicationem & formarum, quas significant, & suppositorum simul: at in præsenti difficultate ipsa supposita multiplicantur, quia tres sunt personæ diuinæ, item & VI. formæ importatæ prædictis nominibus; nam aliâ realitate actuali seu etiam existentiâ relatiuâ paternitas constituitur: item filiatio in suo esse formali aliâ realiter distinctâ realitate actuali seu existentiâ relatiuâ constituitur, & aliâ denique spiratio passiua: ergo hæc nomina, ens, entitas, realitas, & vnitas, quæ importantur prædictis nominibus, poterunt multiplicari vsque ad ternarium numerum; sicque poterimus rectè dicere esse in Deo tres entitates, tria entia, tres res, tres realitates, tres vnitates.

Quæres, quæ, & qualis sit hæc vnitas, secundùm quam vnaquæque diuina persona est, & dicitur vna. Respondetur rectè appellari *personalem*, quia sequitur rationem personæ, quæ multiplicatur in Deo, nec posse appellari *specificam*, ob eam rationem, quâ docuimus conuenientiam illam, quam diuinæ personæ habent in ratione personæ, non esse propriè *specificam*, vel *vniuocam*: nec item potest dici propriè *numerica*, prout vulgò vsurpamus *numericam* vnitatem, pro ea vnitate, quâ vna & eadem specie natura debet reddi particularis; hoc enim non habere locum in mysterio Trinitatis patet ex dictis suprà, cùm diuina essentia ita sit eadem numero in vna persona, vt tamen sit eadem numero in aliis personis diuinis. VII.

Secunda propositio. *Rectè possumus etiam dicere esse in diuinis tres veritates, tres bonitates, & tres aliquos.* Hæc propositio probatur iisdem fundamentis quibus præcedens; deinde in particulari.

Probatur: tres sunt in Deo personalitates realiter distinctæ à se inuicem, quarum vnaquæque est vera per propriam suam veritatem transcendentalem, quia habet conformitatem ad verum iudicium, quod Deus format de illa, & in re est talis, qualis cogitatur à Deo, & iudicatur esse, qua in re ratio veritatis transcendentalis consistit, vt Philosophi docent in Metaphysicis: item prima persona Trinitatis, sicut in quantum Deus est verus Deus verâ deitate, sic etiam in quantum Pater est verus Pater per veram & propriam paternitatem: & quemadmodum Pater est aliò Pater, & aliò est Deus, vt notauimus ex sancto Augustino; sic etiam aliâ transcendentali veritate distinctâ virtualiter est verus Pater, & aliâ veritate transcendentali est verus Deus: item sicut personalitas Patris est alia VIII.

I. realiter à personalitate Filij, & Spiritus sancti, & econtrà, sic etiam & aliâ transcendentali veritate realiter distinctâ est vera ab ea veritate, quâ personalitas Filij, & item paternitas Spiritus sancti est vera.

Quòd item rectè possimus dicere esse in diuinis *tres bonitates*, docuimus ad quæstionem vigesimam octauam, quando ostendimus singulas relationes personales dicere perfectionem; ibi enim notauimus *bonum* & *perfectum*, seu bonitatem & perfectionem transcendentalem esse vnum & idem.

Vltimò idem patet de *aliquo*, imprimis ex eo, quòd Richardus *à sancto Victore* libro 4. *de Trinitate* capite octauo, dicat tres diuinas personas esse *tres aliquos*: item ex eo, quòd ipsum *aliquid* est transcendentale quoddam, & proinde debet esse distinctum in quocumque vero ente distincto,
II. in quacumque vera entitate & realitate actuali, & hâc multiplicatâ debet etiam multiplicari: at suprà ostendimus dari tres entitates actuales relatiuas distinctas realiter à se inuicem in Deo: ergo tres aliqui dantur in diuinis. Deinde ipsum *esse aliquid* in ente nihil est aliud, quàm vel habere aliquam quidditatem, prout ipsum *esse aliquid* opponitur contradictoriè ipsi nihil; quo modo est synonymum cum ente actuali reali, vel nihil est aliud, quàm esse distinctum ab alio, seu habere negationem identitatis cum alio, quatenus *aliquid* dicitur quasi *aliud quid*, quo modo sumptum non est attributum distinctũ ab vno, vel saltẽ includitur in vno, tanquam aliquid consequens illud, vt Philosophi docent in metaphysicis agendo de transcendentibus: at ipsum *aliquid* vtroque modo sumptum multiplicatur vsque ad numerum
III. ternarium, priori quidem modo, quia tres entitates actuales habentes oppositionem contradictoriam cum ipso nihil dantur in Deo, quæ entitates sunt realiter distinctæ à se inuicem, vt patet ex dictis primâ propositione.

Posteriori item modo, vt etiam patet ex dictis, vbi de tribus vnitatibus in Deo distinctis à se inuicem realiter: tum etiam, quia in Deo tres sunt negationes entitatis suo modo realiter à se inuicem distinctæ; nam verè Pater vt Pater non est Filius vt Filius, nec paternitas vt sic est filiatio vt sic, nec filiatio formaliter vt sic est passiua spiratio vt sic, nec econtrà: ergo tres aliqui à se inuicem relatiuè & realiter distincti, rectè dicuntur esse in diuinis.

IV. Obiicitur Boëtium libro secundo *de Trinitate*, sanctum Bernardum *sermone 80. in Cantica Canticorum*, loquentes de tribus personis diuinis dicere eas esse *vnam veritatem*; vnde sanctus Thomas hâc parte quæstione decimâ sextâ articulo sexto, ait, *sicut est vna essentia in tribus personis diuinis, ita etiam esse in illis vnam tantùm veritatem*: & sanctus Augustinus libro octauo *de Trinitate* cap. secundo ait veritatem in Deo esse *idem quod magnitudo*: ergo cùm vna tantùm magnitudo sit in Deo, vna etiam tantùm veritas erit in Deo, sicut etiam vna est tantùm intelligibilitas.

Respondetur, quemadmodum diximus etiam cõformiter ad Patres duplex esse in Deo, vnum *essentiæ*, secundum *relationum*, seu *personalitatũ*, quod posterius est *triplex*, ita similiter aliam distinguimus veritatem correspon-
A dentem diuinæ essentiæ, & aliam correspondentẽ diuinis relationibus seu personalitatibus, maximè cùm veritas transcẽdentalis, de qua nostra propositio procedit, sequatur entitatẽ. Patres citati dum dicunt vnã tantùm esse in Deo veritatem, loquuntur de absoluta, quæ sequitur diuinam essentiam, quemadmodum indicat illa eorum ratio, quâ fundant istam vnitatem veritatis, in vnitate diuinæ essentiæ: at nostra propositio procedit tantùm de veritate, cum isto addito, nimirum *relatiua*; vnde cùm ens, entitas, res & cætera id genus absolutè posita & enuntiata de Deo iuxta communem vsum Patrum & Theologorum, intelligantur de essentia diuina, fit, vt ad tollendum omnem ambiguitatem & æquiuocationem, non debeamus dicere esse in Deo tres res, tria entia, tres entitates, tres realitates, V.
B tres bonitates, tres perfectiones, sed cum hoc VI.
vel alio addito æquipollenti *relatiuas*, *personales*.

Vltima propositio. *Non possumus dicere esse in diuinis tria indiuidua.* Probatur: ibi tantùm plura indiuidua dicuntur esse, vbi plures sunt naturæ numero distinctæ, quæ ipsis proprietatibus singularibus indiuiduentur, vt habet communis vsus, & acceptio huius termini *indiuiduum*: at licet in diuinis tres relatiuæ personalitates dentur, tres personæ, & tria alia id genus recensita superioribus propositionibus; attamen vnica numero tantùm est diuina essẽtia in omnibus & singulis personis diuinis: ergo plura indiuidua non erunt in diuinis. Hinc quando egimus de definitione personæ, obseruauimus hanc particulam *indiuidua* idem ibi sonare ac incommunicabilis.

Sed quæres quomodo possumus dicere,
C *quamlibet personam diuinam esse vnam*, item, VII.
personas esse tres: item, *personalitates in Deo esse tres*, & his similia; cùm hæc importent aliquẽ numerum, & S. Bern. in paruis & variis suis sermonibus, dicat *solum esse Deum in quem numerus non cadat*, & libro quinto *de consideratione ad Eugenium* capite septimo, dicat eum *nil habere, quod ad numerum diuidat, nec etiam quæ colligat ad vnum*, quò loci sanctus Bernardus probat illud Boëtij dicentis *nullum esse in Deo numerum*.

Respondetur primò, sanctum Bernardum capite octauo sequenti agnoscere aliquem numerum in Deo, & aliquam etiam vnitatem: ait enim nos verè & Catholicè dicere vnum Deum, tres personas, & nos aliquam in
D Deo vnitatem, aliquam item pluralitatem de- VIII.
bere credere.

Secundò respondetur, numerum illum quem Philosophi vocant *categoricum*, & qui est aliqua species quantitatis, non reperiri in Deo, hic enim est aliquod accidens, quod nullum est in Deo: & hoc modo sanctus Bernardus nunc relatus intelligitur, & Concilium Toletanum vndecimum, quando in confessione fidei ait Deum *non capi numero*: præter autem hunc numerum categoricum Philosophi admittunt alium, quem vocant *transcendentalem*, qui nihil est aliud, quàm collectio plurium entitatum, quarum quælibet denotat in ipso ente, quod denominatur vnum, duplicem negationem, scilicet identitatis cum alio, & diuisionis seu multitudinis in seipso, & hoc modo est vnitas naturæ in Deo;

I. imò & vnaquæque persona est etiam hoc modo vna, est item & numerus respectu personarum diuinarum, quæ ita sunt tres, vt vnaquæque illarum habeat vtramque prædictam negationem, vt ostendimus & Concilium Toletanum suprà hoc modo ait, *Deum non recedere à numero*, & sanctus Bernardus suprà nos admittere aliquam pluralitatem in diuinis. A

Respondetur tertiò, si esse *vnum numero transcendentali*, vel habere vnam numero essentiam, ita sumatur positiuè, vt etiam tacitus respectus, seu comparatio significetur ad alium Deum, vel aliam diuinam essentiam, quę licet non detur, sit tamen logicè possibilis per non repugnantiam, sicut communiter dicimus solem esse vnum tantùm, & naturam speciei posse saluari in vnico indiuiduo; hoc sensu falsum est, Deum esse vnum numero:

II. item diuinam essentiam esse vnam numero, quia tunc istâ loquendi formulâ significatur non repugnare dari plures Deos, plures diuinas essentias, quod est hæreticum; quo etiam sensu est falsum personas diuinas distingui numero à se inuicem, cùm vnaquæque illarum in ratione talis personæ sit ita vna, verbi gratiâ, Pater ita est vnus, vt repugnet plures Patres dari in diuinis: si autem *esse vnum numero transcendentali*, vel habere vnam numero essentiam, ita sumatur negatiuè, vt significet negationem, & exclusionem cuiuscumque alterius, secundùm quamcumque potentiam etiam logicam, verbi gratiâ, Deum ita esse vnum numero, vt etiam repugnet dari plures Deos, Deum ita habere vnam essentiam, vt repugnet, plures eiusmodi essentias dari; tunc modus ille loquendi est verissimus. B

III.

AD QVÆSTIONEM XXXI.

DISPVTATIO VNICA.

De iis quæ pertinent ad vnitatem, vel pluralitatem in diuinis.

ARTICVLVS VNICVS.

IV. *Vtrum & quomodo hæc dicantur de Deo, vel de aliqua persona diuina, nimirum* Trinitas, trinus, triplex, alius, distinctus, differens, diuersus, diuisus, & solus.

SANCTVS Thomas totâ hâc quæstione agit de modo loquendi in explicando mysterio sanctissimæ Trinitatis, de quo in vniuersũ hæc generalis regula potest statui, ex qua vnusquisq; poterit formare iudiciũ in particulari de singulis quibusque formulis loquendi de hoc mysterio: est autem hæc regula: in explicando mysterio sanctissimæ Trinitatis est solummodò vtendum his vocibus, quæ significant distinctionem suppositorum, quando proferuntur, vel in plurali numero, vel important aliquam pluralitatem: est autem abstinendum ab iis, quæ simul cum distinctione personarum, important etiam vel distinctionem naturarum, vel inæqualitatem inter personas: cuius regulæ hæc est optima ratio, quòd ita debemus loqui de mysteriis nostræ fidei, vt eorum veritatem explicemus, nullâ admixtâ falsitate, & euitando hæreses, prout imbecillitas nostri intellectus potest pati: at loquendo de mysterio Trinitatis, iuxta hanc regulam explicamus eius veritatem, nimirum tres tantùm personas dari in diuinis, distinctas à se inuicem realiter, quæ vnam tantùm simplicissimam habent essentiam: item euitamus hæresim Arij admittentis pluralitatem, & inæqualitatem naturarum, seu essentiarum in diuinis, similiter fugimus hæresim Sabellij vnicam tantùm admittentis essentiam, sed negantis pluralitatem, & realem distinctionem personarum in diuinis. V.

Hinc variæ possunt conclusiones deduci de bonitate plurium loquendi formularum in particulari: quarum hæc sit prima: rectè possumus dicere *esse Trinitatem in diuinis*, *Deum esse trinum*, non tamen dicere possumus propriè *esse in diuinis triplicitatem*, *Deum esse triplicem*; ita sanctus Thomas hîc articulo primo. Et probatur, quia Trinitas propriè significat tantùm multitudinem trium diuinarum personarum, vt habet sanctus Thomas hîc, vel secundùm vsum Patrum satis communem significat prædictam multitudinem cum vnitate eiusdem essentiæ, seu naturæ: at hoc totum reperitur in Deo, vt docuimus; vnde quando Concilium Toletanum secundum negat rectè dici esse Trinitaté in Deo, id tantùm intelligit de Trinitate naturæ seu essentiæ. VI.

C Pari modo rectè dicimus *Deum esse trinum*, & *Deum esse ipsam Trinitatem*: nam priori formulâ explicamus numerum & distinctionem personarum; posteriori asserimus tres diuinas personas, in vna eáque simplicissima essentia esse Deum, & tres personas diuinas sibi inuicé identificari in essentia, & cum essentia; quod esse verissimum patet ex dictis superiùs de diuina essentia adæquatè sumpta, & de distinctione diuinarum relationum ab essentia. VII.

Quòd item Deus non possit dici *triplex*, sanctus Augustinus docet libro sexto *de Trinitate* capite octauo, & sanctus Thomas hîc in solutione ad tertium, quia vox illa *triplex*, in rigore grammaticali significat multitudinem cum proportione inæqualitatis; quod enim est triplex, est maius eo respectu, cuius dicitur triplex: tum etiam quia dicere Deum

D esse triplicem est affirmare Deum habere tres essentias; hæc enim particula, *triplex*, denotans multiplicitatem, cadit supra hunc terminum *Deus*, cuius primarium & formale significatum est ipsa deitas seu essentia diuina: si tamen spectemus vsum satis frequentem huius vocis, *triplex*, qui est denotare aliquam similitudinem formarum significatarum per terminum, cui adiungitur, non connotando aliquem excessum vel inæqualitatem; tunc rectè possumus coniungere hunc terminum alicui alij termino significanti aliquid relatiuum, quod multiplicetur, verbi gratiâ, dicere in diuinis *esse triplicem personam*, *triplicem subsistentiam*, & sic de aliis: nam & sanctus Thomas in quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione decimâ, ait in Deo esse *duplicem processionem*, id est duas, quarũ tamen vna non est imperfectior aliâ, vel ei inæqualis. VIII.

I. Quæres, an possumus dicere Trinitatem esse *trinam*, vel etiam diuinam essentiam seu deitatem esse *trinam*.

Respondetur cum sancto Thoma hîc articulo primo, primum non posse dici, quia significat multiplicationem ipsius Trinitatis per numerum ternarium in se ductum, sicque essent nouem personæ diuinæ, quod est blasphemum & hæreticum, & est lapsus Typographi, quando in Concilio Toletano vndecimo sic de Trinitate dicitur, quæ non tres sed *tria dici & credi debet*, notant enim aliqui ita debere scribi, *quæ Trinitas dici & credi debet*; sicque in codicibus emendatioribus legi.

Secundum verò potest habere aliquem bonum sensum, quatenus essentia diuina seu deitas
II. dicitur *trina*, non quòd in seipsa, seu in ratione deitatis & essentiæ admittat multitudinem, sed quòd sit & existat in tribus personis, per ordinem ad quas tres personas, dicitur *trina*; iuxta quem modum Ecclesia in officio sacro-sancti sacramenti Eucharistiæ sic canit, *te trina deitas, vnáque poscimus*, nec Ecclesia illud aliquo modo immutauit, quando breuiarium Romanum est recognitum auctoritate Clementis octaui, quia sequens hic terminus, *vnáque*, quo vnitas essentiæ significatur, facit, vt alius iste terminus, *trina*, supponat pro personis, & vt per ordinem ad illas dicatur *trina*, & quia in superioribus tres admisimus vnitates in Deo relatiuas, sic rectè potest dici in Deo *vnitas est trina*, intelligendo de relatiua.

Secunda propositio. *Loquendo simpliciter &*
III. *sine addito possumus dicere Filium esse alium à Patre & Spiritu sancto, sumendo hunc terminum*, alium, *masculinè, non tamen possumus dicere Filium esse alium etiam masculinè, prout terminus ille coniungitur alicui termino absoluto & essentiali*; verbi gratiâ, *non possumus dicere, Filius est alius Deus, nec item possumus absolutè dicere Filium esse aliud à Patre, sumendo terminum* (aliud) *in neutro genere, benè tamen cum aliquo addito personali*; verbi gratiâ, *est aliud subsistens, est aliud suppositum*: tota propositio probatur ex præcedenti regula, quia hic terminus sumptus masculinè, & simpliciter tantùm positus dicit alietatem duntaxat personalem, sicut & aliud neutraliter iunctum termino significanti subsistentiam; at est alietas personalis, seu distinctio realis personarum in diuinis, vt expresè profitemur in symbolo
IV. sancti Athanasij, & patet ex dictis, èconträ, *alius*, etiam masculinè, quatenus additur alicui termino significanti aliquid essentiale, verbi gratiâ, isti *Deus*, vel positum absolutè in neutro genere significat alietatem diuinæ essentiæ, vel alicuius attributi essentialis in ipsis diuinis personis distinctis; nam aliud in neutro genere substantiuatum, vt grammatici dicunt, quando simpliciter ponitur, significat omnimodam alietatem in substantia; vnde sequitur conditionem nominum substantiuorum, ac proinde sicut hæc ad sui multiplicationem postulant non solùm multiplicationem suppositorum, sed etiam formarum, quæ illis importantur, & essentia diuina, vel attributa essentialia non multiplicantur: iste terminus, *aliud*, simpliciter positus non poterit dici pluraliter de diuinis; quia verò

A idem terminus, *aliud*, iunctus huic substantiuo, *suppositum*, *subsistens*, restringitur ad suppositum, pro eo quod denotatur hoc nomine *suppositum, subsistens*; iuxta leges grammaticorum de nomine adiectiuo, & in diuinis est alietas & multitudo suppositorum, fit, vt rectè cum hoc addito Filius dicatur est aliud suppositum. V.

Tertia propositio. *Loquendo simpliciter rectè possumus dicere Filium esse distinctum à Patre & Spiritu sancto, vel econtrà, non tamen possumus dicere Filium esse diuersum, discrepantem, differentem, disparem, vel alterum à Patre & Spiritu sancto, nec item possumus simpliciter loquendo dicere personam diuinam esse solitariam, vnicam, vel singularem.*

Probatur quoad singulas partes, & primò
B quoad hunc terminum, *distingui*, *distinctus*, quia significat tantùm distinctionem eius, cui applicatur, ab alio; vnde cùm distinctio personalis detur in diuinis, rectè Filius dicitur esse *distinctus*, vel *distingui à Patre*, & econtrà. VI.

Altera pars, quæ procedit de istis terminis, *diuersus, discrepans, alienus, differens, dispar, separatus, alter*, & aliis similibus, probatur: quia ex communi vsu significat distinctionem in natura, quæ nulla est in personis diuinis; attamen diuinæ personæ possunt dici discretæ sicut & distinctæ, vt patet ex ipsa præfatione Missæ de sanctissima Trinitate.

Vltima pars quæ procedit de istis terminis, *solitaria, vnica, singularis*, probatur: quia istæ formulæ loquendi simpliciter prolatæ in singulari numero significant vnam tantùm dari personam in diuinis, quod est hæreticum: tunc
C enim nullâ afficiuntur particulâ, quæ denotet earum sensum esse solummodo quamlibet personam diuinā sumptam in particulari esse *vnam singularem* in ratione personæ: ideóque si addantur alicui termino personali, tunc rectè vsurpantur, vt si dicamus vnicum esse Filium in diuinis, vnicum Patrem, vnicum Spiritum sanctum, pari modo in eodem sensu Filium in diuinis esse singularem, sic etiā Deum esse singularem, suprà exposuimus. VII.

Cæterùm licet hæc ita sese habeant, si loquendum sit in rigore, attamen Patres, & etiam Theologi non semper id obseruant rigidè; nam sanctus Gregorius Nazianzenus oratione trigesimâ quintâ, Damascenus libro tertio *de fide* capite sexto, & Magister sententiarum libro primo distinctione vigesimâ quartâ, admittunt vnam personam *differre ab alia*, & sanctus Thomas suprà quæstione vi-
D gesimâ octauâ articulo secundo, ait, *personas diuinas differre ratione, ab essentia*, vbi vsurpant *differre* pro *distingui*, ideóque notant aliqui, iam nihil esse periculi in vsurpanda hâc voce *differre*; quia vsus obtinet, vt sit synonymum cum verbo *distingui*. VIII.

Quarta propositio. *Particula* solus, *sumpta syncategorematicè potest addi termino essentiali, sumpta vero categorematicè non potest.* Ita sanctus Thomas hîc articulo tertio. Prior pars probatur: tunc hæc particula *solus* sumitur *syncategorematicè* seu *compredicatiuè*, quādo significat exclusionem omnium aliorum à consortio & communicatione prædicati, quo modo tantùm significat ordinem attributi ad subiectum, quatenus attributum est tale, vt tantùm conueniat subiecto propositionis, exempli

gratiâ

I. gratiâ, *solus Deus est infinitus*, id est, nihil, quod A non sit Deus, est infinitum: at multa sunt attributa, quæ soli Deo, soli diuinæ essentiæ conueniunt, verbi gratiâ, quòd essentia diuina sit communicabilis: hinc rectè possumus dicere in diuinis, *sola essentia* (prout essentia sumitur inadæquatè pro eo omni quod in diuinis non est relatiuum, sed absolutum) *est communicabilis*: item solus Deus est purus actus, solus Deus est simpliciter omnipotens, & sic de pluribus aliis.

Posterior pars probatur: tunc hæc particula *solus* sumitur *categorematicè*, quando absolutè conuenit subiecto, vel etiam quando fungitur vice attributi, exempli causâ *Deus solus est ens, Deus est solus*: at vtroque modo falsum asseritur, priori quidem, quia ratio entis & existentiæ sic Deo tribuitur in istis propositio- B
II. nibus, vt significetur non conuenire aliis, quod est falsum: item posteriori, quia significatur Deum ita esse solitarium, vt nullum habeat cõsortium personarum, quod est hæreticum: vnde quando Deuteronomij trigesimo secundo Deus ait, *videte quòd ego sim solus*, & libro Iob capite 14. dicitur de Deo, *tu qui solus es*, particula *solus* sumitur *syncategorematicè*: priori quidèm loco, quia ibi significat exclusionem aliorum deorum, vt patet ex ipso textu: item posteriori, quia significat illum singularem modum, quo Deus existit per se, & independenter à quocumque alio.

Vltima propositio. *Particula, solus, potest coniungi termino personali, quando prædicatum est personale, & proprium ei soli personæ, quæ est subiectum in propositione: quando verò prædica-*
III. *tum est commune seu essentiale, tunc non potest addi termino personali.* Ita sanctus Thomas hîc C articulo vltimo.

Prior pars probatur: quia tunc sumitur *syncategorematicè*, & attributum in tali propositione ita conuenit personæ, quæ ibi est subiectum, vt conueniat ei soli etiam ad exclusionem aliorum: sic rectè dicimus, solus Pater in diuinis generat, solus Filius in diuinis generatur.

Posterior item pars probatur: quia tunc particula *solus* sumitur *syncategorematicè*, & tamen attributum propositionis est commune aliis: hinc quando vel in sacris literis, vel apud sanctos Patres additur termino personali, & attributum est essentiale, tunc ex regula sancti Augustini relata superiùs inter respondendum ad argumenta Arianorum,
IV. non sumitur *exclusiuè* per comparationem ad D alias personas diuinas, vt ibi fusiùs est explicatum.

AD QVÆSTIONEM XXXII.

DISPVTATIO VNICA.

De cognitione diuinarum personarum.

QVIA sanctus Thomas superiùs docuit tres esse personas, & vnam duntaxat essentiam in diuinis, iam agit de modo, quo hoc mysterium cognoscatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum adorandum mysterium sanctissimæ Trinitatis possit cognosci ratione naturali. V.

IMPRIMIS certissimum est apud omnes Theologos hoc mysterium non esse contra rationé: tum quia verum non repugnat vero, sed assensus, qui est secundùm rectam rationé naturalem, est verus; similiter & assensus fidei, qui est circa hoc mysteriũ, cùm sit specialiter à Deo, qui nec potest fallere, nec falli. Tum etiã, quia illud solummodò censetur esse contra rationem naturalem, quod ita repugnat naturæ totius vniuersi, vt illud dari inuoluat aliquam contradictioné, vel ad cuius dissensum datur positiua inclinatio etiam naturalis intellectus VI.
creati, tanquam ad id, quod est falsum: at non repugnat hoc mysterium dari, cùm detur de facto, vt ipsa fides docet, & quæ contradicũt, sint absolutè impossibilia; & præterea respondendo ad argumenta Arianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, & explicando generationem Filij, & processionem Spiritus S. dissoluerimus argumenta petita à ratione, quę videbantur obsistere veritati huius mysterij.

Nec item datur in homine, vel Angelo consideratõ præcisè secundùm vim naturalem aliqua inclinatio positiua, tanquam ad id, quod est falsum, quia cùm hæc inclinatio esset naturalis, & ei insita deberet esse à Deo; at Deus non inclinat positiuè & per se primò ad falsum, vt Theologi docent agendo de fide.

Tum denique quia Lateranense Concilium sub Leone X. docet in nostra fide, seu religio- VII.
ne, nihil esse contra naturam; ideóque quando aliqui Patrum dicũt in nostra religione aliqua fieri *contra naturam*, non sumunt istam particulam, prout significat falsum aliquem dissensum, oppositum rectæ rationi, sed vel sumũt in ampliori significatione, quatenus quod est *supra naturã* dicitur esse aliquo modo contra illã: vel quod est cõtra specialem inclinationé alicuius naturæ particularis consideratæ secundùm solas suas vires naturales, exempli gratiâ, ferrũ supernatare aquis, & alia his similia, quæ tamen ipsis creaturis, quatenus sunt maximè obedientes Deo, non repugnãt. His præmissis,

Primùm quæri potest, an hoc mysterium ita sit iuxta naturam, vt possit simpliciter probari ratione naturali. Secundò, an saltem supposità fide nõ quidé ratione Theologicâ, sed purè tã- VIII.
tùm & simpliciter naturali efficaciter probari.

Prima propositio. *Trinitas personarũ diuinarũ, vel diuinæ emanationes, vel propria earũ ratio, nimirũ quòd prima sit generatio, secunda minimè, non possunt probari ratione naturali*: ita S. Thomas hîc articulo primo, & communiter omnes contra Remondum Lullum, & aliquos alios.

Probatur primò ex Scripturis, & Patribus, qui docent totum istud haberi tantùm ex diuina reuelatione, vt apud S. Matthæum 16. cap. Christus Dominus ait, *nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare*: quò loci addit, *non carnem & sanguinem*, id est, nullum purum hominem mortalem, sed Deum Patrem per reuelationem istud mysterium docuisse sanctum Petrum: item ex Patribus, vt S. Basilio epistolâ 43. S. Ambrosio, & pluribus aliis, quos

I. Feuardentius suis commentariis ad caput 5. A libri secundi S. Irenæi, aduersus hæreses, & capite 48. refert.

Secundò probatur ratione: nullum datur medium petitum à rebus solùm naturaliter cognitis, quo cognoscamus, vel à priori, vel à posteriori esse in Deo tres personas realiter distinctas, secundam procedere per generationem à prima, & tertiã à duabus primis, non quidem *à priori*, quia sistendo in solo lumine naturali, videmus generationẽ conuenire tantùm viuentibus suâ naturâ corruptibilibus: nam Angeli nec generant, nec generantur: at naturaliter cognoscimus Deum esse incorruptibilẽ, immutabilem, & licet naturaliter cognoscamus cognitionem & amorẽ esse in Deo, non tamen naturaliter cognoscimus personas aliquas diuinas produci ad intra, distinctas B
II. realiter ab intelligente & amante, cùm etiam nos Christiani credamus Filium & Spiritum sanctum cognoscere, item Spiritum sanctum diligere, nec tamen credamus, imò negemus Filium ad intra producere aliquid per suam cognitionem, item Spiritum sanctum producere aliquid per dilectionem: tum etiam quia omnis cognitio *à priori* est per causam: at in Deo ad intra nihil est creatum, & quando vnum est ratio ponendi aliud ad intra, quantũ pertinet ad ea, quæ respiciunt hoc mysterium, ea sunt omninò nobis incognita per rationem naturalem, vt ratio sequentis partis ostendit.

Quòd etiam mysterium hoc non possit probari *à posteriori*, seu *per effectus*, probatur: omnes effectus procedũt à Deo, vt est vnus: vnde vulgare illud axioma, *actiones Dei ad extra sunt indiuisæ*, quia sunt à tribus personis, quantum C
III. vnam tantùm numero habẽt potentiã creandi: & licet tres sint personæ, quæ creant, nec vna persona diuina creet sine aliis duabus, nec econtrà; attamen ipse effectus non id ostendit per seipsum: tum quia suppositũ præcisè sumptum non concurrit efficiẽter ad productionem effectus, sed est solummodò tanquam conditio quædam prærequisita ad agendum, vt patet ex mysterio Incarnationis: tum etiam quia per relationem effectus ad causam ipsa solummodò virtus producendi cognoscitur explicitè, & non ipsum habens vim producendi effectum, quia virtus agendi sese habet ad illum formaliter; suppositum verò duntaxat materialiter, tanquam id quod est habens
IV. talem virtutem in seipso; vnde ad cognoscendum virtutem ex suo effectu, satis est ex parte D suppositi eius cognoscere indeterminatè, & in cõfuso illam esse in supposito, nec est necessariũ scire eam esse in pluribus suppositis, vel in vno tantùm, quãdo ipse effectus non repræsentat illam perfectè, vt est in tribus suppositis.

Nec obstat, quòd vestigium Trinitatis dicatur relucere in creaturis, nec quòd dicamur creati ad imaginẽ Dei. Nam hoc tantùm sensu aliquod vestigium Trinitatis dicitur relucere in creaturis, quia quædam in illis relucẽt, quæ per appropriationem accõmodantur ipsis diuinis personis, quæ tamen à parte rei, & de facto sunt absoluta essentialia, & cõmunia omnibus personis diuinis, quemadmodũ veritas Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto, vel quia potentiæ dantur in nostra anima rationali, quæ seruant aliquam inter se distinctionem, & habent aliquam identitatem cum anima, vel etiam ratione actuum eiusmodi V.
potentiarum; quo pacto homo dicitur etiam factus ad imaginem Dei: sed cùm hæc ratio imaginis sit imperfecta, non potest nos deducere in cognitionem Trinitatis.

Et hæc non tantùm probant hoc mysterium esse de facto inscrutabile solâ naturali ratione, sed etiam possibilitatem eius esse inscrutabilẽ ratione naturali, cùm enim esse & posse in Deo ad intra identificẽtur, qui ratione naturali probaret tres personas posse esse in diuinis, probaret rem de facto ita sese habere.

Obiicitur multa apud Philosophos Gentiles, vt apud Trismegistum, apud Platonem, apud Sibyllas in suis versibus, & apud plerosque alios, (vt Augustinus Eugubinus fusè persequitur libro 1. *de perenni Philosophia* cap. 3. VI.
& sequentibus) haberi de hoc mysterio Trinitatis, quibus constat eos cognouisse illud.

Respõdetur Philosophos Gentiles accepisse istam cognitionem ab Hebræis, cum quibus aliqui eorum sunt conuersati, vel ex lectione librorum Hebræorũ; sicque semper habuisse totum istud ex aliqua reuelatione saltem mediata, quatenus nimirum hoc mysterium fuit per fidem reuelatũ istis Hebræis, qui id docuerunt istos Philosophos, vel saltem reliquerunt scripto, quod deuenit in manus istorum Gentiliũ, vt S. Iustinus Martyr docet oratione parænetica *ad gentes*, Clemens Alexandr. lib. 6. *stromatum*. Et quod ad Sibyllas spectat S. Hieronymus lib. 1. *contra Iouinianum*, S. Augustinus lib. 18. *de Ciuitate Dei* cap. 23. docent eas id accepisse per reuelationem à Deo in præmium suæ virginitatis.

Secunda propositio. *Suppositâ etiam reuelatione huius mysterij, nimirum, quòd detur de facto, adhuc tamen veritas eius non potest probari euidenter aliquâ efficaci ratione purè naturali.* VII.
Propositio est contra Richardum *à S. Victore* lib. 1. *de Trinitate* cap. 4. lib. 3. cap. 5. est tamen communis, & sequitur ex præcedenti propositione.

Probatur: vt aliqua veritas fidei ostendatur euidenter per aliquam rationem efficacem purè naturalem, suppositâ etiam eius reuelatione, requiritur, vt eius medium sit purè naturale, desumptũ ex rebus creatis, vt contentis intra ordinem naturæ, & quòd habeat necessariam claram & euidentẽ connexionẽ, cum existentia huius mysterij; quia omnis nostra cognitio naturalis de Deo desumitur ex creaturis, vt colligitur ex cap. 1. *ad Romanos*: at vt VIII.
patet ex dictis, nullum tale medium datur, quia omnis creatura est à Deo vt vno: ergo veritas huius mysterij etiam suppositâ fide & eius reuelatione non potest clarè, & efficaciter ostendi solâ naturali ratione.

Addidi primùm huic conclusioni hanc particulam, *ratione purè naturali*, quia hæc veritas potest ostendi aliquã ratione Theologicâ, id est, vel ex vna de fide, & altera naturali, vel ex duabus de fide, vt patet ex pluribus, quæ diximus de diuinis processionibus, & personis: sed talis ratio non est propriè loquendo purè naturalis, vt docuimus primâ quæstione huius partis.

Secundo loco addidi hanc particulam *euidenter & efficaci ratione*, certum enim est suppositâ fide quædam motiua etiam naturalia posse excogitari à Theologo, quibus proba-

I. bilis, & prudens assensus ingeneretur, circa A hoc mysterium, quatenus sic ostenditur soluendo omnia argumenta, quæ fiunt contra illud, & petuntur ex rebus naturalibus, vel ex attributis Dei cognitis solo naturæ lumine nihil obstare, quin vna tantùm essentia diuina & tres personæ sint in Deo, & proinde rem ita se habere. Hæc tamen argumenta præcisè sumpta non cogunt intellectum ad necessarium & euidenté assensum, sicut nec medium solummodò probabile, ex vi propria cogit intellectum ad euidenter, & necessariò assentiendum conclusioni veræ quidem & necessariæ, sed tamen solummodò ostensæ per medium probabile.

Hinc patet quid sentiendum sit de omnibus illis rationibus, quas tam Richardus *à sancto Victore*, quàm Remondus Lullus & alij con-
II. gerunt, vel adhuc possunt excogitare pro demonstranda veritate huius mysterij, per rationes euidentes necessarias, purè tamen naturales: scilicet illas habere tantùm speciem probabilitatis, vt suadeant, non tamen vt cogant ad assensum, sed semper restare aliquid Philosopho, quod respondeat, ne cogatur assentiri, vt innotescet discurrenti per eiusmodi rationes; non quòd intellectus per talem assensum, vel dissensum iudicet rem ex parte obiecti sese habere aliter, vel posse se habere; hic enim assensus non reperitur in homine verè Christiano, sed iudicabit tantùm, quòd licet obiectum ita sese habeat de facto, id tamen non iudicari certum ex vi & efficacia talis medij, seu motiui, quod tantùm est probabile.

III. Neque hoc quidquam derogat dignitati huius mysterij, quin potiùs ad illam cófert. Nam quò aliquid est remotius à rebus creatis, eò videtur esse diuinius, & minima etiá de illo cognitio nobilior, vt ipsemet Aristoteles in Metaphysicis censet de ea cognitione, quam habemus de Deo.

An autem aliqua euidés cognitio huius mysterij possit aliter haberi, quàm vel per fidem, vel per claram visioné essentiæ diuinæ, disputatur ex professo à Theologis tertiâ parte, vbi agunt de sciētia infusa animæ Christi Domini.

ARTICVLVS II.

Quid sit notio.

CVM præcedenti artic. docuerimus myste-
IV. rium hoc solâ reuelatione esse cognitum, & tradiderimus in Deo tres esse distinctas personas, habéres vnam, eandémque numero substátiam: nunc videndum est, quibus modis vel signis, illud nobis innotescat, vel etiam aliis nos de hoc interrogantibus explicare possimus: illud autem, quo hanc distinctioné personarũ dignoscimus, vocatur *notio*.

Duplex autem potest distingui *notio, formalis* vna, altera *obiectiua*. Prior nihil est aliud, quàm formalis ille conceptus, quo intelligimus, vel explicamus propriá rationé alicuius personæ, *obiectiua* est obiectiuus ille cóceptus, seu ratio quâ consideramus in reipsa, seu quâ cognoscimus, & explicamus rem cognitam, vt ab aliis distinctam; vnde hæc tenet se ex parte rei cognitæ, eíque inest, illa verò inest tantùm intellectui cognoscenti: hîc agimus tantùm de notione sumpta posteriori modo. V.

Quod ergo spectat ad hâc quæst. in titulo art. propositam, respondetur notioné rectè posse hoc modo definiri: *Notio est propria quædam ratio cognoscendi*, seu *quædam proprietas alicuius personæ diuinæ, quæ per cognitionem apprehensa facit cognoscere eam personam, cuius est notio, esse distinctam ab alia*: hæc definitio colligitur ex S. Thoma, hâc quæstione articulo 3. & omnes Scholastici eam communiter admittunt.

Probatur explicatione singularum eius partium, & primò, loco generis ponitur, *ratio*, quia notio debet esse aliqua forma enũtiata in abstracto, quatenus ita est propria ratio cognoscendi, vt sit magis præcipua, quâ cognoscamus vnam ex personis diuinis, esse distinctam ab alia; si enim attendamus tantùm ad vim, &
B significationem huius nominis, *notio*, non est VI. absolutè requisitum, vt id, quod est notio, sit forma quædam in abstracto; sed sufficit, quòd sit nobis signum cognoscendi vnum, vt distinctum ab alio, quod etiam potest habere locum in quibusdam concretis, vt potest facilè animaduerti etiam in rebus creatis.

Deinde eadem particula, *ratio*, seu *proprietas*, additur, vt intelligamus, quòd inter conditiones notionis requiratur, vt hæc ratio seu proprietas sit in ratione proprietatis adæquata, completa, totalis, & non tantùm aliqua partialis, quia omnes & singulæ partiales eiusmodi rationes includuntur in totali, completa, & adæquata, & sic hâc cognitâ, & illæ simul cognoscuntur; sícque non possunt facere aliquam specialem notionem.

Secundò eadem particula additur, vt signi-
C ficetur requiri ad rationem notionis, quòd sit VII. forma seu proprietas importata per modum formæ permanentis, stabilis, & non per modum duntaxat alicuius tendentis in terminũ, quia persona est stabilis, & forma, & personalitas est forma quædam permanés, & quæ habet significationé ad modum rei permanentis.

Secundo loco in hac definitione notionis, additur hæc particula, *propria*, quoniam illud quod est cómune, non potest esse ratio cognoscendi vnũ, prout distinguitur ab alio: at notio in diuinis debet esse ratio cognoscendi vnam personam, vt distinctam ab alia, vel duabus.

Tertiò hæc particula, *per cognitionem apprehensa*, quia in tantum aliqua proprietas est notio, in quantum connotat cognitionem, quam causat in nobis de re cognita, vt distincta ab aliqua alia: & quia talis notio nihil est aliud in
D re, quàm conceptus aliquis obiectiuus, nobis VIII. notificans eius distinctionem & conditionem; ideò sicut aliquid in tantum dicitur propriè conceptus obiectiuus, in quãtum respondere potest alicui formali cóceptui seu cognitioni, ita etiam in tantum aliquid propriè est notio, in quantum habet ordinem ad cognitionem, quæ possit ab intellectu formari.

Vltima pars additur, vt diuinæ notiones distinguãtur à notionibus aliarũ rerum; nam diuinæ sunt pro distinguendis & dignoscendis personis diuinis, vt distinctis à se inuicem.

Aliqui insuper addunt, vt ratio illa, quæ propriè est notio, importet aliquam dignitatem eius personæ, cui est propria: & sanctus Thomas hâc quæstione articulo tertio, in solutione ad quartum videtur indicare. Secundò, vt hæc ratio, seu forma, quam notio im-

I. portat, sit aliquid reale & positiuum: sed si spectemus præcisam rationem notionis, quatenus notio est, neutrum videtur esse absolutè necessarium ad notionem, quia sufficit ad illam, quòd sit aliqua ratio obiectiua in re, quâ cognoscamus vnum distingui ab alio, & quòd cognoscamus illud, vt tale: at hoc potest competere alicui negationi, quia ipsemet etiam Deus cognoscitur, non tantùm viâ affirmationis, sed etiam negationis, vt post sanctum Dionysium libro *de cœlesti hierarchia* capite primo, post sanctum Augustinum tractatu vigesimo tertio in S. Ioannem, & in Psalmum 85. S. Thomas monet quæstione tertiâ huius partis. Similiter ratio notionis potest conuenire alicui, quòd nullam perfectionem dicat in obiecto cognoscendo, sed potiùs abstrahat ab illa, dummodo noster intellectus per il-
II. lud possit deuenire in cognitionem rei tanquam distinctæ ab alia, & illud sit aliquid proprium obiecti cognoscendi.

Nec obstat, quòd notio debeat esse aliqua ratio obiectiua, nulla autem negatio sit propriè in Deo, cùm Deus sit ens maximè positiuum, & perfectum, nam Deus ita est ens maximè positiuum, vt tamen sint in illo aliquæ rationes positiuæ minus nobis cognitæ, quæ fundent aliquas negationes, vt patet ex dictis de vnitate, per quas negationes deueniamus in cognitionem alicuius perfectionis existentis in illo etiam formaliter, vt per negationẽ materiæ, compositionis, mutationis cognoscimus eum esse maximè simplicem, actum purissimum, & summè spiritalem, & hoc tunc habet locum, quando eiusmodi negationes sunt
III. nobis notiores propriis suis fundamentis, vt sæpè contingit etiam in rebus creatis, sicque ad rationem notionis sumptam præcisè non requiritur absolutè, quòd notio sumpta formaliter sit aliquid reale, positiuum & importans aliquam dignitatem eius, cuius est notio.

ARTICVLVS III.

Vtrum notiones admittendæ sint in diuinis.

QVOD spectat ad difficultatem in titulo propositam, Præpositiuus doctor antiquissimus existimauit, vt est apud S. Thomam, hâc quæstione art. 2. & post illum nonnulli alij, notiones non esse admittendas in diuinis, quòd illæ videantur repugnare simplicitati Dei, cùm notio debeat esse forma quædã abstracta, & proinde distincta ab eo, in quo est; sicque denotare in Deo aliquam compositio-
IV. nem, nimirum ex tali forma, & eo, quod constituitur in tali esse formali: at nulla compositio datur in diuinis, quælibet diuina persona est simplicissima: ergo nullam debet habere notionem in seipsa; vnde Præpositiuus nullum admittebat abstractum in Deo, & vbicumque reperiebat illud dictũ de Deo, explicabat per concretum, exempli gratiâ, paternitas Pater, filiatio Filius, & sic de reliquis.

Communis tamen sententia Theologorum, cum qua concludimus, est, *aliquas notiones esse admittendas in diuinis:* ita S. Thomas hîc art. 2. omnes eius interpretes & alij Scholastici in primum sententiarum ad distinctionem 26. & alias sequentes.

Probatur primò auctoritate Patrum, vt S. Basilij epistolâ quadragesimâ tertiâ, vbi ait, eas

A esse necessarias, vt de Trinitate habeatur inconfusa cognitio: sancti etiam Augustini libro quinto *de Trinitate* capite sexto, vbi ait, aliam esse notionem, *quâ Pater æternus intelligitur, vt genitor, & aliam, quâ ingenitus:* quod testimonium sancti Augustini non soluitur, si quis dicat illud tantùm intelligi de actu intelligendi, seu de notione tantùm formali: nam ex antecedentibus, & consequentibus satis patet eum admittere notionem obiectiuam in diuinis: & prætereà patet ex dictis aliquam obiectiuam notionem ex parte rei, debere correspondere formali nostræ notioni. V.

Probatur ratione fundatâ in necessitate admittendi illas: nam oportet Catholicos ab hæreticis interrogatos, quonam modo vna persona diuina, exempli causâ, Pater con-
B stituatur Pater, & quomodo dignoscatur distinctus à Filio, respondere aliquid, aliàs fides nostra de hoc mysterio videretur esse inanis: at tali quæstioni & aliis similibus rectè respondemus per ipsas notiones, scilicet Patrem constitui paternitate, & per illam cognosci, vt distinctum à Filio, & sic de cæteris notionibus: nam vnicuique illarum est specialis quædam ratio obiectiua, quâ speciali modo vna persona diuina cognoscatur, vt distincta ab aliis. VI.

Neque argumentum Præpositiui obstat quidquam veritati huius propositionis, nam ita admittimus in diuinis abstracta, vt tamen illa non distinguantur formaliter, vel realiter, vel ex natura rei à suis concretis, sed tantùm vel virtualiter ab essentia, vel à suis concretis solummodò penes modum significandi, & vt inclusum, ab includente, quemad-
C dum patet ex dictis: at distinctio virtualis, vel alius solummodò, & alius modus significandi non tollit simplicitatem, nec inducit compositionem, vt suprà obseruauimus. VII.

Vltimò, vtimur tantùm nominibus abstractis, vt significemus maximam simplicitatem eorum, quæ sunt in Deo, vt sanctus Bernardus sermone 80. *in Cantica Canticorum*, & sanctus Thomas hîc articulo secundo docent: dum verò vtimur concretis nominibus significamus ea esse entia completa subsistentia, quod genus loquendi nullam arguit in illis imperfectionem, vel compositionem propriè dictam.

ARTICVLVS IV.

Quot sint notiones in diuinis.

D SIT hæc propositio. *Quinque tantùm notiones dantur in diuinis,* ita S. Thomas hîc articulo tertio, & omnes communiter, nimirum, *innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio actiua, & spiratio passiua.* VIII.

Probatur: tot dantur solummodò notiones in diuinis, quot haberi possunt ex his duobus respectibus *à quo alius, & qui ab alio,* quia penes eos est omnis distinctio personarum in diuinis, sed hi duo respectus dant solummodò quinque notiones, nunc enumeratas; primus quidem respectus tres in Patre, scilicet *innascibilitatem, paternitatem, & spirationem actiuam: innascibilitatem,* quia Pater ita est *à quo alius,* vt ipse à nullo sit, quouis genere processionis, & hoc est proprium & peculiare illi; nam duæ aliæ personæ ema-

I. nant, & habent principium aliquod, vt patet ex dictis de diuinis emanationibus, & ex dicendis proximâ quæstione.

Secundo loco illa eadem habitudo, seu respectus dat aliam specialem notionem distinctam à præcedenti, in ratione notionis, quia est quædam specialis ratio cognoscendi Patrem, quatenus Filius est ab illo, secundùm quam non cognoscitur per innascibilitatem, quia cognoscendo vt Patrem, loquendo præcisè, non cognoscimus eum vt primam personam improductam, quouis genere processionis, cùm & in rebus creatis videamus paternitatem coniunctam cum modo essendi ab alio, tanquam principio, & Pater diuinus his duabus notionibus distinguitur à Filio diuino, & vt talis cognoscitur à nobis.

II. Tertiò, illa eadem habitudo seu respectus dat Patri diuino tertiam aliam notionem, scilicet *actiuam spirationem*, quia est is, à quo est etiam Spiritus sanctus, qui est alius, & ab eo distinctus, & per hanc notionem cognoscimus Patrem esse distinctum à Spiritu sancto: quia verò esse principium Spiritus sancti est commune Patri & Filio, fit, vt hæc notio nimirum actiua spiratio, sit communis notio Patri & Filio; quæ tamen communitas, quia non est respectu omnium personarum diuinarum, sed tantùm respectu duarum, non impedit, quin hæc actiua spiratio maneat vera & propriè dicta notio, cùm per illam duæ illæ personæ innotescant nobis, vt distinctæ realiter à tertia.

III. Ab eo item respectu, quem vocamus, *qui ab alio*, duas adhuc habemus notiones, primò *filiationem*, eo enim ipso, quo Filius est per generationem à Patre, cognoscimus illum esse distinctum à Patre, cùm nihil generet seipsum: deinde habemus & *spirationem passiuam*, quia enim Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, eo ipso, quo ab illis spiratur, satis innotescit nobis distinctus ab aliis duabus personis; sícque dantur in diuinis prædictæ quinque notiones.

Quòd verò nullæ aliæ dentur præter istas quinque, probatur: nam vel illæ essent istæ, nimirum *ingenerabilitas actiua*, & *inspirabilitas passiua in Filio*; item *ingenerabilitas passiua*, & *inspirabilitas actiua in Spiritu sancto*; vel esset *ipsa potentia generandi in Patre*, vel *actus generationis*, vel *ipsa ratio*, & *habitudo principij*, vel *ipsamet origo personarum diuinarum*: at nihil horum auget numerum diuinarum no-

IV. tionum, quia de ratione notionis propriè dictæ est, quòd in ratione notionis, ita sit distincta ab alia, vt vna persona diuina cognoscatur per eam speciali modo distincta ab alia persona diuina, secundùm quam non cognoscitur, per aliam notionem: sícque ad hoc, vt noua detur notio distincta ab enumeratis, debet in nulla illarum includi, in ratione notionis, vt etiam patet ex obseruatis articulo secundo, circa primam particulam definitionis diuinæ notionis: at omnes illæ rationes cognoscendi, quæ istis nominibus nunc enumeratis significãtur, ita quinario illo numero à nobis assignato includuntur, vt vel careant conditionibus requisitis ad notionem, vel vt intelligantur in illis quinque.

Et primò id ostenditur *de ingenerabilitate actiua & inspirabilitate passiua*, respectu Filij,

A quia filiatio illa, quam nos Catholici apprehendimus in secunda persona Trinitatis, non est qualiscumque, sed quæ tam extensiuè, quàm intensiuè adæquet totam vim generandi, quæ est in diuinis, quæque vim spirandi secum aduehat, quia per illam quidquid est in Patre exceptâ solâ paternitate communicatur Filio, & proinde hæc notio facit, vt noster intellectus cognoscat secundam personam Trinitatis etiam carere actiuâ generabilitate, passiuâ spirabilitate, & sic duæ illæ confictæ notiones sunt superuacaneæ. V.

Et quod dicimus de ista *ingenerabilitate*, & *inspirabilitate* respectu Filij, hoc idem accommodari potest tam ingenerabilitati passiuæ Spiritus sancti, quàm actiuæ eius inspirabilitati; nam nomine *spirationis* intelligimus in diuinis vim adæquatam intensiuè & B extensiuè. VI.

Deinde potest addi, quòd licet notio præcisè quatenus notio non debeat necessariò importare, seu denotare aliquam specialem dignitatem in eo cuius est notio, vt ostendimus; attamen quatenus est notio personæ, seu quædam ratio notificans nobis personam diuinam, vt distinctam à quacumque alia persona diuina in ratione personæ, debet significare aliquam excellentiam, & dignitatem in ea, quia vt etiam agendo de ratione personalitatis docuimus, denominatio personæ, & personalitatis tribuitur speciali titulo naturæ intellectuali, ad denotandam eius dignitatem: ergo vt aliquid nobis notificet personam diuinam ab alia distinctam in ratione personæ, & quatenus est talis, debet ex præcisa C sua ratione importare aliquam dignitatem in tali persona: quo modo sanctus Thomas relatus suprà est intelligendus & conciliandus cum iis, quæ diximus: at hæc vtraque ingenerabilitas actiua in Filio, & Spiritu sancto, item passiua in Spiritu sancto, item inspirabilitas passiua in Filio, actiua in Spiritu sancto, nullam important in illis specialem dignitatem, quæ non includatur & intelligatur per filiationem, & spirationem passiuam: vnde non debent augere quinarium numerum diuinarum notionum. VII.

Idem probatur *de potentia generatiua, & actu generationis in Patre*: hæc enim non constituũt alias notiones à paternitate; nam vel sumuntur secundùm illud essentiale, quod includunt præcisè in seipsis, absque eo quod illa constituit in esse notionali, & proprio alicuius per-D sonæ diuinæ, vel sumuntur secundùm illud, quod facit, vt sint notionalia: si considerentur priori modo, non possunt constituere aliquam specialem notionem, quia sic sunt aliquid commune omnibus personis diuinis; nam essentialia sunt communia omnibus: notio autem debet necessariò esse aliquid proprium eius personæ, cuius est notio, vt patet ex dictis circa definitionem notionis: si considerentur secundo modo, iam ita sunt idem cum paternitate, vt nullâ speciali ratione distincta ab assignatis notionibus notificent nobis primam personam Trinitatis; quod idem potest dici *de potentia actiua spiratiua*, & *de actu spirationis*. VIII.

Tertiò, idem ostenditur *de ipsa ratione*, & *habitudine principij*; hæc enim importatur, & explicatur ipsâ relatione paternitatis in Pa-

I. tre, & spirationis actiuæ in Patre & Filio, nec *ratio principij* in diuinis ad intra quidquam ampliùs nobis notificat, quàm duæ illæ notiones diuinæ, *paternitas*, & *spiratio actiua* nobis notificent, sicut nec *ratio principiati* pro cognoscenda distinctione personarum diuinarum à se inuicem, nihil amplius declarat nobis, quàm *filiatio & spiratio passiua* explicent, similiter nec *ratio imaginis*, aut *Verbi*, plus nobis significat de secunda persona Trinitatis, vt specialiter distincta à Patre, vel Spiritu sancto, quàm ipsa eius *filiatio*; sícque defectu secundæ conditionis requisitæ ad notionem, hæc & similia non possunt esse notiones.

Vltimò idem probatur *de ipsis originibus diuinis*, quia notio debet esse aliqua ratio, quæ apprehendatur, vt quasi existens stabilis in persona diuina, cuius est notio: quemadmo-
II. dum patet ex definitione notionis: at ipsæ origines diuinæ non apprehenduntur tanquam aliquid existens in personis, sed per modum cuiusdam viæ, & tendentiæ ad personas diuinas, tanquam ad terminos, vt per se patet: ergo diuinæ origines non possunt sibi vendicare rationem notionis.

Obiicitur ex nunc dictis: licet ad rationem notionis, quâ præcisè est notio, non requiratur, quòd sit aliquid positiuum, vel importans dignitatem; attamen quatenus est notio personæ, debet significare dignitatem, & esse aliquid positiuum, cùm sit aliqua eius proprietas, & obiectiua ratio inexistens ei: at ipsa innascibilitas, quam recensemus inter veras notiones personarum diuinarum, non est formaliter aliquid positiuum, cùm sit mera ne-
III. gatio cuiuscumque processionis passiuæ, seu essendi ab alio, nec importat aliam dignitatem, ab ea, quæ importatur in diuina paternitate: ergo vel innascibilitas nullam constituit notionem in diuinis, vel ad summum non aliam & distinctam à notione paternitatis, sícque non erunt quinque, sed tantùm quatuor diuinæ notiones.

Respondetur notionem innascibilitatis posse considerari duobus modis: primò iuxta suum formale constitutiuum in ratione talis, seu innascibilitatis; deinde secundùm modum significandi, iuxta quem à nobis explicatur: si spectetur posteriori modo, illam esse negationem, quia hæc est ratio primi principij, quam innascibilitas etiam importat, vt non possit explicari nisi per negationem accipiendi suum esse ab alio, quemadmodum patet ex ipsa definitione principiorum, apud Aristote-
IV. lem libro primo *physicorum* capite quinto, principia sunt, *quæ neque ex sese inuicem, nec ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt*, vt sanctus Thomas etiam notat sequenti quæstione articulo quarto in solutione ad primum: si autem innascibilitas consideretur secundùm suum formale, quod est radix negationis illius, per quam explicatur à nobis, tunc illam esse aliquid reale, & positiuum, inclusum quidem in ipsa paternitate, vt est talis primæ personæ in diuinis, quia est vna simplicissima ratio, non tamen completè significata, nec à nobis explicata ex modo nostro significandi, & explicandi solo nomine paternitatis: cùm enim diuinæ notiones admittantur potissimùm propter nostrum modum cognoscendi, & distinguendi personas diuinas, & propter nostrum

A modum loquendi de illis, vt patet ex sancto V.
Augustino libro quinto *de Trinitate* capite sexto, & ex dictis suprà, & prætereà nomina à nobis imposita Deo imponantur ei ex cognitione creaturarum, quatenus cognoscendo aliquam perfectionem in creaturis, vel aliquid esse perfectionem, quod tamen non est in creaturis, transferimus eam ad Deum, & nomen quod eam significat, tribuimus Deo, vt docet sanctus Thomas hâc parte quæstione decimâ tertiâ, per aliquem ordinem, & proportionem perfectionum, quas eiusmodi nomina significant in creaturis; ideò fit, vt, quia paternitas in rebus creatis eam tantùm nobis significat dignitatem personæ, quâ vna procedit ab alia, per generationem, nec simul nobis significat perfectionem essendi à nullo alio; ideò inquam fit, vt præter paternitatem
B debeat etiam admitti à nobis ipsa *innascibilitas* in ratione specialis diuinæ notionis, quæ VI.
significet, & explicet nobis specialem illam dignitatem primæ personæ, quâ per nullam omninò processionem est ab alio; reliquæ verò commemoratæ negationes ingenerabilitatis & inspirabilitatis minimè, cùm illæ nihil explicent speciale, quàm quod filiatio & spiratio diuinæ nobis significent.

Atque ex nunc dictis patet, quid sit respondendum ad id, quod nonnulli obiiciunt, scilicet si paternitas considerata inadæquatè, & incompletè, vt est aliquid positiuum, fundat duas notiones in prima persona Trinitatis, futurum, vt quia possumus considerare alias notiones diuinas etiam incompletè & inadæquatè, nunc sub vna ratione, nunc sub alia,
C vt sint longè plures notiones, quàm quinque, VII.
quod tamen est contra nostram propositionem.

Patet, inquam, quid sit respondendum, scilicet diuinas notiones admitti potissimùm propter nostrum modum distinguendi, & cognoscendi personas diuinas, vt distinctas: iuxta quem nostrum modum diuina paternitas, sub duobus inadæquatis conceptibus intellecta rectè fundat nobis duas prædictas notiones, vt nunc exposuimus: reliquas verò etiam inadæquatè & incompletè conceptas minimè: cùm modus ille noster concipiẽdi fundetur in ea cognitione, quam habemus de creaturis, quæ translata in Deum non subministrat nobis in vnaquaque notione duos, vel plures conceptus inadæquatos, qui per ordinem ad cognitionem, quam habemus de creaturis, fundant nobis duas, vel plures ra-
D tiones perfectas in ratione notionis, quibus VIII.
distinguamus vnam personam diuinã ab aliis, & vt sic distinctam cognoscamus: quomodo autem innascibile seu ingenitum negetur de prima persona Trinitatis ab aliquot sanctis Patribus, & quo etiam sensu possit interdum dici de essentia diuina, explicabitur ad quæstionem sequentem.

ARTICVLVS V.

Respondetur quibusdam dubiis.

QVÆRES primùm quisnam sit ordo inter has quinque notiones.

Respondetur, si notiones comparentur in ratione notionum, *paternitatem* esse primam,

I. secundò *innascibilitatem*, tertiò *filiationem*, quartò *spirationem actiuam*, quintò *spirationem passiuam*. Probatur: modus noster cognoscendi personas diuinas, vt distinctas, petitur, vel ex eo modo, quo aliquâ proportione cognoscimus in creaturis perfectiones, seu dignitates importatas istis notionibus diuinis, vel ex eo, quòd primũ apprehendimus in personis diuinis, & in prima illarum, quatenus nobis innotescit distincta ab aliis: atqui modus ille, quo proportione quâdam ad cognitionem, quam habemus de creaturis, cognoscimus dignitates, quæ importantur diuinis notionibus, est, quòd primo loco apprehendamus *paternitatem* in prima persona: deinde *innascibilitatem*, & posteà reliquas ordine enumerato; primò quidem *paternitatem*, ante *filiationem*, quia Pater est principium Filij: deinde
II. ante reliquas, quia apprehendimus Deum Patrem producere per intellectum, spirare tantùm per voluntatem; sed operatio, vel quasi operatio intellectus præsupponitur, & præintelligitur ad operationem, vel quasi operationem voluntatis, & terminum eius, tam secundùm veritatem rei in priori originis, quàm iuxta nostrum modum cognoscendi: deinde apprehendimus paternitatem ante *innascibilitatem*, quia in rebus creatis ex quarum analogia transferimus paternitatem ad primam personam Trinitatis, priùs intelligimus aliquid esse patrem generando, quàm habere hanc specialem conditionem, in ratione principij, quòd nimirum sit à nullo alio. Deinde si agatur de re ipsa, prius est aliquo modo considerandi esse principium alicuius,
III. quàm esse tale principium carens omni alio principio: at paternitas seu esse Patrem sumptum præcisè dicit solummodò in prima persona Trinitatis esse principium Filij per generationem, innascibilitas verò seu esse innascibilem significat esse tale principium, vt sit improductum omni productione possibili: ergo paternitas est prior ipsâ innascibilitate. Addi potest, quòd ipsa innascibilitas formaliter explicata per negationem sit posterior eo positiuo, quod est veluti fundamentum & radix eius; sed ipsa paternitas primæ personæ diuinæ, quatenus est talis paternitas in particulari, sumpta completè est fundamentum, seu veluti radix istius negationis: ergo paternitas est aliquo modo etiam in ratione notionis prior ipsâ innascibilitate.

Nec obstat, quòd ipsa innascibilitas com-
IV. muniter recenseatur prima omnium inter diuinas notiones; hoc enim ideò fit, quia explicatur per modum cuiusdam absoluti, scilicet esse *à se ipso*, & *à nullo*: reliquæ verò notiones per modum cuiusdam relatiui; at absolutum in diuinis præcedit relatiuum.

Quæres secundò, an, & quomodo diuinæ notiones distinguantur tam à se inuicem, quàm à diuinis relationibus & personis, quibus sunt propriæ.

Respondetur primò, diuinas notiones ex illa ratione præcisa, quâ sunt formaliter notiones, non postulare realem, vel virtualem distinctionem inter seipsas, sed solam distinctionem rationis fundatam in nostro modo apprehendendi aliquam rationem obiectiuam incompletè, vel etiam sub alia, & alia connotatione; cuius responsionis hæc est ratio, quòd

A vt vna notio sit distincta ab alia, in ratione notionis, satis est eam in ratione conceptus obiectiui terminare alio modo vnum conceptum, quem formamus de aliqua re distincta, quàm eadem ratio alium terminet formalem conceptum, quo rem eandem, vt distinctam ab alia cognoscimus: sic enim retinet totam & integram formalem rationem notionis, vt patet ex eius definitione; at vna & eadem ratio obiectiua manens indistincta in se tam virtualiter, quàm formaliter & realiter, potest in ratione conceptus obiectiui terminare alio & alio modo conceptus illos, quos de vna & eadem re cognita formamus, quatenus alio & alio modo eam apprehendimus, vt patet in multis rebus creatis, quarum entitas licet sit omnimodè vnica, quia tamen aliam &
B aliam habet connotationem ad hoc & illud, VI. aliam etiam & aliam nobis ingenerat sui cognitionem, & proinde aliam & aliam distinctionem sui ab aliis rebus: quod idem patet in diuinis notionibus, exempli causâ, in innascibilitate & paternitate, quæ ne virtualem quidem seruant inter se distinctionem: ergo notiones quatenus sunt plures non postulant realem, aut virtualem, seu formalem inter se distinctionem, sed tantùm rationis.

Secundò respondetur, cùm diuinarum notionum aliæ sint *personales*, quæ constituunt personas, scilicet *paternitas*, *filiatio*, *spiratio passiua*, aliæ *relatiuæ*, cuiusmodi sunt quatuor diuinæ relationes, alia denique sit tantummodò *notio*, cuiusmodi est *innascibilitas*, quæ formaliter sumpta nec est relatio, nec proprietas constitutiua personæ: respondetur,
C inquam, quòd quatuor relationes, & qua- VII. tuor illæ notiones relatiuæ, vt considerantur in ratione relationis, & notionis, loquendo præcisè distinguuntur solummodò denominatione quadam extrinsecâ, quòd nempe dicantur *relationes*, prout referunt vnam personam ad aliam, appellantur verò *notiones*, quatenus eædem relationes sunt quædam notæ, quæ nos deducunt in cognitionem vnius, vel duarum personarum diuinarum, vt à se inuicem distinctarum; vocentur denique *proprietates personales*, quòd sint constitutiuæ personarum diuinarum. Si autem notiones istæ diuinæ comparentur inter se, respondetur *personales* eo modo distingui à se inuicem, quo proprietates constitutiuæ personarum diuinarum, *relatiuas* item, eo modo, quo diuinæ relationes distinguuntur à se inuicem, VIII.
D ratione entitatum, quas important; ipsam autem *innascibilitatem* spectatam quoad illud positiuum, quod dicit in Patre, distingui tantùm ratione à paternitate, quatenus licet innascibilitas sit de facto inclusa in ipsa paternitate, eam tamen per conceptum solius paternitatis non explicamus, sed alio: si autem innascibilitas spectetur formaliter, quatenus est quædam negatio, distinguitur ab illo, in quo dicitur fundari, eo modo, quo negationes dicuntur à Philosophis distingui ab eo, in quo fundantur: tandem diuinæ notiones distinguuntur à personis diuinis, quibus sunt propriæ, sicut inclusum ab includente, quemadmodum suprà diximus diuinas relationes distingui à personis, in quibus sunt.

Hinc si hæc tria *notio*, *relatio*, & *proprietas*, in diuinis comparentur ad se inuicem, ita se

I. habent, vt quælibet proprietas constitutiua personæ sit *notio*; quomodo sanctus Basilius citatâ epistolâ quadragesimâ tertiâ est intelligendus, dum dicendo Patrem & Filium non communicare inter se in propriis notionibus, negat spirationem actiuam esse notionem, scilicet *personalem*; quod similiter negatur de ipsa innascibilitate; non tamen econtrà, omnis realis relatio diuina sit aliqua proprietas personalis, seu constitutiua personæ diuinæ, vt patet de spiratione actiua. Secundò ita possunt comparari, vt ipsa relatio in diuinis, pateat latiùs proprietate personali, sicque omnis & quælibet relatio realis diuina sit *notio*; non tamen econtrà, omnis diuina realis relatio sit aliqua proprietas personalis, vt nunc animaduertimus in spiratione actiua; nam plura requiruntur ad proprietatem personalem, quàm
II. ad relationem, & plura ad relationem, quàm ad notionem, quia ad notionem sufficit, quòd notificet personam vt distinctam ab alia; potest autem dari aliqua talis ratio notificans, licet illa non sit, vel relatio realis, vel aliqua proprietas personalis, vt patet de ipsa innascibilitate.

Quæres tertiò, an quemadmodum Deus rectè dicitur *trinus*, propter tres personas, possit etiam rectè dici *quinus* vel *quinarius* propter quinque enumeratas notiones.

Respondetur non posse: & ratio est, quòd nomina eiusmodi numeralia, & alia istis similia, quæ possunt fingi, significant aliquid, *vt rem*; quia enim tres relatiuæ personæ seu personalitates diuinæ sunt tres res relatiuæ, vt
III. docuimus, rectè dicimus Deum esse trinum: item quia essentia diuina est *res*, rectè dicimus Deum esse vnum; & quia diuina essentia cum tribus diuinis personalitatibus non facit quatuor res, ideò non dicimus Deum esse, vt ita loquar, *quadrinum*; pari modo, quia notiones diuinæ non significant aliquid, *vt rem*, sed tantùm vt quasdam rationes, quę nobis notificant personas diuinas, ideò non possumus dicere Deum esse *quinum*, seu *quinarium*, benè tamen possumus dicere esse in diuinis quinque rationes cognoscendi personas diuinas, vt distinctas à se inuicem.

Quæres vltimò, an iste numerus quinarius notionum, ita sit determinatus, vt saluâ fide non liceat aliquid addere vel detrahere.

Respondetur primò, rationes importatas per quinque notiones superiùs explicatas non
IV. posse sine aliquo periculo fidei, negari esse in Deo: nam imprimis est de fide dari relationes in Deo, eásque esse quatuor, vt suprà docuimus ex Conciliis ad quæstionem vigesimam octauam, & Concilium Florentinum docet spirationem actiuam esse in Patre & Filio, vt patebit infrà: deinde quòd ratio significata per innascibilitatem insit soli Patri, non potest negari citra periculum fidei, quia duæ aliæ personæ diuinæ secundùm omnes Patres & Concilia emanant, & solus Pater est à se, hoc speciali modo, ex Patribus referédis quæstione sequenti: ergo quinque istæ notiones hoc modo spectatæ non possunt citra aliquod fidei periculum negari esse in Deo.

Respondetur secundò: si ipsæ notiones spectentur tantùm penes numerum maiorem vel minorem, verbi gratiâ, quatenus aliquæ adduntur istis, aut vna ex istis contenditur esse

A inclusa in alia, tunc citra periculum fidei istud potest disputari in vtramque partem. V.

AD QVÆSTIONEM XXXIII.

DISPVTATIO VNICA.

De persona Patris.

EXPLICATIS iis, quę spectant ad personas diuinas in communi, agendum est de iis, quæ vnicuique in particulari competunt, & quia Pater est prima persona Trinitatis, primùm a-
B gitur de illo, & quæritur quænam ratio principij conueniat illi: pro cuius explicatione sit VI.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Pater sit principium Filij & Spiritus sancti.

NOTANDVM ex Aristotele libro quinto *metaphysicorum* capite primo, principium illud esse *vnde aliquid est*, & propterea cùm aliquid duobus modis sit à Deo, nimirum, vel processione *ad intra*, vt sunt Filius & Spiritus sanctus, vel processione *ad extra*, vt sunt creaturæ; principium sumitur duobus modis, primùm pro *notionali* principio, seu
C *ad intra*, deinde pro *essentiali* seu *ad extra*; VII.
hoc autem loco disputatur tantùm de principio notionali. Hoc præmisso,

Sit hæc propositio. *Pater in diuinis rectè dicitur, & est principium ad intra.* Propositio est de fide ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio decimo, ex Florentino sessione vltimâ, & ex Patribus, vt sancto Augustino libro sexto *de Trinitate* capite secundo, vbi illud sancti Ioannis, *in principio erat Verbum*, sic explicat, id est, *in Patre*.

Probatur etiam ex definitione principij nunc allata: nam principium est illud, *vnde aliquid est*: at Filius & Spiritus sanctus sunt à Patre ex Nicæno Symbolo.

Quòd item hoc sit proprium soli Patri, probatur: quia principium hîc sumitur pro eo,
D quod est ita vniuersale principium, vt omnia VIII.
principiata sint ab eo, in illo ordine, ratione cuius dicitur esse principium, ipsum autem à nullo sit: at eiusmodi ratio principij conuenit soli Patri, vt patet ex dictis de innascibilitate.

Hinc Deus Pater vocatur à sanctis Patribus *principium totius diuinitatis*, à sancto Augustino libro quarto *de Trinitate* capite vigesimo circa finem, non quòd ipsa diuinitas generetur, vel quòd ab aliquo procedat, hoc enim est hæreticum, & damnatum in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur extra de summa Trinitate capite *damnamus*; & fauet ratio: principium debet esse realiter distinctum ab eo, cuius propriè est principium: at Deus Pater non distinguitur realiter ab essentia diuina, vt ostendimus.

Neque item Pater diuinus dicitur hoc sen-

I. ſit *principium totius deitatis*, quia ſimpliciter A
eſt principium duarum perſonarum, in quibus
tota diuinitas eſt; nam & Filius diuinus poſſet
dici hoc ſenſu principium & fons totius diuinitatis, cùm loquendo propriè, vt dicetur inferiùs, ſit principium Spiritus ſancti, in quo eſt tota diuinitas.

Neque tertiò Pater diuinus dicitur hoc tantùm ſenſu principium totius deitatis, quia ſcilicet eſt principium omnis proceſſionis, per quam diuinitas communicatur de facto; nam ſi per hypotheſim impoſſibilem duo innaſcibiles darentur in Deo, neuter illorum propriè diceretur *fons & principium totius deitatis*, ſicut ſi Adam & Eua fuiſſent immediatè creati à Deo, nec Eua formata fuiſſet ex coſta Adæ, & illi ambo propagaſſent genus humanum per generationem, nec ſolus Adam, nec
II. Eua ſola propriè diceretur principium totius B
humani generis, quamuis ambo eſſent principium eorum omnium, qui per generationem producerentur, quia tunc aliqui homines ſcilicet illi duo primi, in quibus natura humana reperiretur, darentur, nec tamen eſſent iſto modo ab aliis.

Sed hoc igitur tantùm ſenſu Pater in diuinis dicitur eſſe *principium* & *fons deitatis*, quatenus eſt principium & fons omnium perſonarum, præter ſe, quæ ſunt in Deo, ſicut nunc communiter Adam dicitur eſſe principium totius humani generis, non quòd ſit principium ſui, ſed quia eſt principium omnium hominum, ſe tantùm excepto, quâ etiam ratione formula illa loquendi, quâ Concilium Vvormacienſe vtitur in confeſſione fidei, Pater eſt *principium totius Trinitatis*, poteſt ex-
III. plicari, quatenus eſt principium omnium per- C
ſonarum, quæ ſunt in Trinitate, præter ſe, ſeu ſe ſolùm excepto.

Quæres primò, an hoc nomen *principium* ita conueniat Patri, primæ perſonæ Trinitatis, vt etiam ſumptum *notionaliter* non conueniat Filio.

Reſpondetur, ſi nomen hoc *principium* ſumatur, prout ſignificat omnem primitatem in originando, eſſe proprium ſoli primæ perſonæ: ſi autem ſumatur ſimpliciter, prout illud dicitur *principium*, quod habet primitatem in aliquo determinato genere, licet non habeat in omni & quolibet, iuxta quem modum priuatio, materia, & forma dicuntur eſſe principia in phyſicis; tunc Filium in diuinis poſſe dici & verè eſſe principium, quia primitas in
IV. originãdo per voluntatem ad intra, conuenit D
Filio, eſt enim ſimul cum Patre vnum principium Spiritus ſancti, & per ordinem ad vnum & eumdem numero terminum, ſcilicet Spiritum ſanctum: attamen ad diſtinguendum hanc rationem principij in Patre & Filio, Pater diuinus rectè poteſt purè abſolutè dici *principium*, Filius autem *principium de principio*, quomodo ſanctus Auguſtinus libro tertio *contra Maximinum* capite decimo ſeptimo loquitur de Filio, & poſt illum Magiſter ſententiarum libro primo diſtinctione vigeſimâ nonâ. Nec tamen Pater & Filius ideò ſunt duo principia in diuinis ad intra, quia ſpiratio actiua, per quam Pater eſt principium Spiritus ſancti, non diſtinguitur realiter à paternitate, ratione cuius Pater eſt principium Spiritus ſancti, vt oſtendimus, & hoc nomen (*principium*) eſt ſubſtantiuum, ad cuius multiplicationem, præter multiplicationem ſuppoſitorum, & ipſa multiplicatio formæ per nomen ſignificatæ requiritur: & quanquam Filius in diuinis poſſit hoc modo dici *principium ad intra*; non poteſt tamen dici *fons & origo diuinitatis*, quia iſti termini (*fons, origo*) denotant primum principium ſimpliciter & abſolutè, in omni genere communicationis, & productionis, quod competit ſoli primæ perſonæ Trinitatis, iuxta quem modum loquendi ſanctus Athanaſius ait de Patre oratione contra *gregales Sabellij*, eum ſolum eſſe *fontem deitatis*. V.

Quæres ſecundò, cùm ratio principij in diuinis dicatur notionaliter & eſſentialiter, an vt abſtrahit dicatur *vniuocè*, an tantùm *analogicè* de illis?

Reſpondetur dici tantùm *analogicè*, quia VI.
modus denominandi extrinſecè, & modus denominandi intrinſecè non poteſt eſſe vniuocus; item nihil poteſt eſſe vniuocum abſoluto & relatiuo, ſed duntaxat analogicum: at prima perſona Trinitatis eſt notionale principium per denominationem intrinſecam, ſcilicet paternitatem, ratione cuius habet reſpectum realem ad Filium, & per ſpirationem actiuam, ratione cuius habet realem reſpectum ad Spiritum ſanctum, & tota Trinitas eſt duntaxat principium ad extra, ſeu creaturarum, per reſpectum rationis, & per ſuam omnipotentiam, quæ eſt aliquid abſolutum, paternitas verò relatiuum: ergo eſſe principium dicitur tantùm *analogicè* de Deo, vt eſt principium notionale, ſeu ad intra, & vt eſt principium eſſentiale, ſeu ad extra.

Quæres tertiò, an Filius & Spiritus ſan- VII.
ctus poſſint per comparationem ad Patrem diuinum, qui propriè eſt principium illorum, ſeu à quo procedunt, poſſint inquam dici *principiata*.

Reſpondetur poſſe, quia principium & principiatum ſunt correlata, & proinde ſicut Pater rectè dicitur *principium*, ſic & aliæ duæ perſonæ rectè poſſunt dici *principiata*. Tum etiam quia ſicut principium abſtrahit à dependentia & imperfectione, & tantùm ſignificat eſſe id, à quo aliquid eſt, ſic etiam principiatum abſtrahit ab ipſa dependentia, minoritate, & ſubiectione: & quemadmodum eſſe principium non ſignificat aliquam durationem antecedentem, in eo, quod dicitur eſſe principium, ſic etiam nec ipſum principiatum ſignificabit aliquam minorita- VIII.
tem, vel diuerſitatem naturæ, quia ſolum ſignificat ordinem vel proceſſionem eius, qui eſt ab alio: atque hoc modò ceſſat illa ratio periculi, ob quam ſanctus Thomas hîc articulo primo non vult, aut potiùs veretur admittere in diuinis principiatum dici de ſecunda & tertia perſona in diuinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Pater ſit cauſa, auctor & initium reſpectu Filij & Spiritus ſancti.

PRIMA propoſitio. *Propriè loquendo iuxta vſum linguæ Latinæ Deus Pater non poteſt dici cauſa Filij & Spiritus ſancti.* Ita ſanctus Thomas hîc articulo primo, & communiter

I. omnes Scholastici: probatur primò ex Concilio Florentino in literis vnionis, vbi habetur Patrem in diuinis apud Latinos, non dici *causam*, sed *principium*; & ratio est, quòd vt Philosophi communiter docent libro secundo Physicorum, & in Metaphysicis, causa definitur *principium per se influens in effectum*, seu vt alij definiunt, causa est *à qua per se pendet effectus*; vnde principium latiùs patet, quàm causa, habétque se ad causam, tanquam superius ad inferius; ideóque plura requiruntur ad esse causam, quàm ad esse principium, vt patet in ipsa priuatione, quæ communiter recensetur ab omnibus Philosophis inter principia rerum naturalium, nunquam tamen reputatur aliqua vera causa illarum, quia nullum influxum habet in illas, & si quando vocetur *causa*, id tantùm est impro-
II. priè, sumpto nomine *causæ* in amplissima significatione, vt secundo Metaphysicorum textu duodecimo ait causam & principium conuerti; at Pater in diuinis non influit in Filium vel Spiritum sanctum, tanquam in effectum, quia ex Concilio Nicæno in Symbolo fidei, ita Filius procedit à Patre per generationem, vt non dicatur *fieri* vel *factus à Patre*; sic enim profitemur *genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt:* nec datur de facto in diuinis influxus aliquis, quo mediante Pater causet Filium, vel Spiritum sanctum, sed mera tantùm origo vnius ab alio, sine aliqua vera & propriè dicta actione, quæ sit causalitas ipsius Patris agentis in genere causæ efficientis propriè dictæ.

Deinde in omni vero effectu est aliud esse
III. ab ipso esse, quod est in eius causa, & dependens ab esse causæ, vt prior definitio causæ explicat: at Filius & Spiritus sanctus in diuinis ita procedunt à Patre, vt tamen habeant idem omninò substantiale & essentiale, quod ipsemet Pater habet, nec aliqua dependentia Filij & Spiritus sancti à Patre diuino datur loquendo propriè; cùm dependentia arguat inæqualitatem cum eo, à quo dicitur dependere, & nulla sit inter personas diuinas inæqualitas, & omne ens dependens sit tantùm ens participatum; at Filius & Spiritus sanctus non sunt entia per participationem, sed Filius est ens per essentiam, similiter & Spiritus sanctus, vt iam obseruauimus.

Nec iis obstat, quòd relationes diuinæ personales habeant distinctum esse relatiuum ab ipso esse, seu existere Patris: hoc inquam non obstat, primùm quia ratio causalitatis propriè
IV. attenditur penes id, quod primò, & per se communicatur, quando scilicet istud est per causalitatem, seu accipit suum existere ab ipso producente, quia causalitas causæ efficientis, ad quam reuocari deberet Pater in diuinis, si propriè esset causa Filij, vel Spiritus sancti, cùm ad nullam aliam causam reuocari possit, est via per quam entitas tribuitur alteri, & proinde, quæ primò & per se intenditur: at, quod per diuinas processiones primò & per se intenditur communicari, est ipsa diuina essentia, per primam sub ratione actualis intellectionis per essentiam, quatenus hæc est veluti vltima eius differentia, per secundam sub ratione volitionis & amoris, & ipsa diuina essentia vt à Patre communicatur Filio non accipit aliud esse, quàm quod habet in Patre,

A quia eadem essentia communicatur omnibus: V.
ergo dum Pater diuinus communicat per generationem Filio diuinam essentiam, non habet propriè loquendo rationem causæ efficientis.

Et hoc explicari potest exemplo sumpto à mysterio incarnationis, in quo, quia ipsa communicatio naturæ humanæ intenditur primò & per se per generationem temporalem Christi Domini, & subsistentia Verbi diuini consequitur illam vt sic in particulari, fit, vt sola natura humana in Christo Domino, non autem ipsa personalitas Verbi diuini dicatur propriè esse creata, & dependens: ergo cùm diuina personalitas consequatur essentiam diuinam, vt primò per se intentam, ad cuius communicationem diuinæ personalitates consequuntur, tanquam aliquot proprie-
B tates Dei, fit, vt licet illæ habeant esse rela- VI.
tiuum à se inuicem realiter distinctum, illud tamen propriè non dicatur causari vel esse dependens, nec proinde prima persona Trinitatis respectu secundæ consideratæ quoad suam personalitatem dicetur propriè causa illius, prout hoc nomen *causa* vsurpatur à Latinis.

Secundo loco responderi potest ad rationem veræ causalitatis, & effectus propriè dicti, requiri, vt tota entitas eius, quod propriè denominatur effectus, & dicitur causari, accipiat esse ab alio, à quo dicitur causari & produci, tam quoad suam entitatem, quàm quoad omnia, quæ identificantur cum illa, nec ab ea distinguuntur ex natura rei, quoniam ipsa causalitas causæ efficientis, nihil aliud est, quàm via, per quam tota entitas tri-
C buitur effectui, seu termino producto: at licet VII.
per primam processionem Filius à Patre accipiat esse, item Spiritus S. per secundam; attamen essentia diuina, quæ ex natura rei est idem cum ipso existere personali secundæ & tertiæ personæ in diuinis, vt docuimus, non procedit, nec producitur, quia ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, *diuina essentia nec generat nec generatur*: ergo licet ipsum esse seu existere relatiuum Filij distinguatur realiter ab esse relatiuo Patris, & Spiritus sancti, & Filius similiter, & Spiritus sanctus emanet à Patre, Pater nunquam poterit dici *causa Filij* in diuinis.

Addidi huic primæ propositioni hanc particulam (*iuxta vsum linguæ Latinæ*) nam Græcum hoc nomen, *αἰτία*, quod Latinè redditur *causa*, apud Græcos latiùs patet, quàm hoc nomen *causa* apud Latinos, quatenus scilicet
D apud Græcos sumitur pro eo omni, quod est VIII.
principium alicuius, abstrahendo à dependentia & simili imperfectione inclusa in propria significatione huius nominis *causa* apud Latinos, vt Cardinalis Bessarion notauit oratione illâ, quam habuit in Concilio Florentino, & refertur sessione vltimâ eiusdem Concilij, vbi postquam sæpè est vsus nomine *causæ* & *causati*, subiungit se fuisse vsum illo, quia loquebatur cum Græcis, apud quos hoc nomen *causa* nihil aliud significat, quàm id, à quo aliquid emanat; sícque ad hunc sensum Græci dicunt Patrem esse causam Filij & Spiritus sancti: addunt etiam aliquando Spiritum sanctum dependere à Filio, vt causâ, sic sanctus Basilius tertio libro contra *Eunomium*, vt refertur in Concilio Florentino sessione de-

I. cimâ nonâ, quam loquendi formulam Ioannes Theologus agens in prædicto Concilio Florentino partes Latinorum, etiam vsurpat sessione vigesimâ primâ, quia ibi disputabat cum Græcis.

Aliquando etiam Latini Patres extendunt hanc formulam loquendi ad denotandum Deum habere à se ipso, & à nullo alio essentialia sua attributa; túncque terminus hic *esse causam*, non sumitur *positiuè*, quasi sensus sit, Deum esse principium, vel caûsam emanationum eiusmodi perfectionum; hoc enim patet ex dictis esse falsum, cùm inter ea distinctio realis nō intercedat, sed sumitur *negatiuè*, quatenus sensus illius tunc est, exempli gratiâ, voluntatis, quæ est in Deo attributum essentiale, nullum dari principium, vel causam, quo modo sanctus Hilarius libro quarto *de Trinitate*, sanctus Augustinus libro se-
II. ptimo *de Trinitate* capite primo dicunt Deo idem esse, esse causam, vt sit, & vt sapiens sit; sic sanctus Augustinus libro 83. quæstionum quæstione decimâ quintâ & decimâ sextâ ait Deum esse *causam sempiternæ suæ sapientiæ*, vbi loquitur de diuina sapientia. Sanctus item Hieronymus suis commentariis ad tertium caput epistolæ *ad Ephesios* ait, Deum esse originem sui, suæque substantiæ causam: sed quando Patres citati dicunt Spiritum sanctum dependere à Filio tanquam causâ, quia ibi accipiunt causam pro principio tantùm originis, absque vera tantùm causalitate; ideò etiam hæc particula *dependet*, ibi tantùm sonat nudam processionem, seu emanationem vnius ab alio tanquam principio.

Secunda propositio. *Hoc nomen* (auctor)
III. *potest in aliquo vero sensu dici de Patre & Filio, potest item in aliquo alio sensu negari de illis:* explicatur, & simul probatur propositio: hoc nomen *auctor* aliquando apud Patres idem sonat, ac esse *principium* simpliciter absque aliqua diuersitate, inferioritate, & inæqualitate ipsius principiati ad suum principium, & tunc quia hæc ratio principij conuenit Patri respectu Filij, item Patri & Filio respectu Spiritus S. Pater rectè dicitur esse *auctor Filij & Spiritus sancti:* sic sanctus Hilarius libro quarto *de Trinitate*, sanctus Augustinus libro tertio *contrà Maximinum* capite decimo quarto: & quemadmodum Pater est principium absque vllo principio à quo emanet, Filius verò ita est principium Spiritus sancti, vt tamen emanet ab alio: ita etiam Pater diuinus appella-
IV. tur *auctor sine auctore*. Econtrà quia Ariani, vt est apud S. Augustinum loco nunc citato, volebant eum duntaxat esse & dici auctorem, qui est maior eo, cuius est auctor, & qui item est diuersæ ab eo naturæ, Pater diuinus non potest ad hunc sensum dici *auctor Filij*, nec Filius Spiritus sancti.

Vltima propositio. *Nomen hoc* (initium) *non potest dici de Patre respectu Filij, nec de Filio respectu Spiritus sancti.* Ita omnes Scholastici communiter post Magistrum sententiarum libro primo distinctione vigesimâ nonâ: & ratio est, quòd initium propriè dicatur de principio durationis, vt Magister sententiarum citatâ nunc distinctione obseruat ex sancto Hilario libro quarto *de Trinitate:* at Filius in diuinis est æternus, nullum habet principium suæ durationis.

A Nec obstat, quòd Ecclesiastici vigesimo quarto Sapientia increata dicat *ab initio & ante sæcula creata sum*. Nam imprimis hæc particula *creata sum*, idem eò loci sonat, ac *sum genita:* est enim idem sensus, ac istius præcedentis in eodem capite *ex ore altissimi prodiui*, quæ significat processionem Verbi diuini ex substantia Patris per intellectionem, quæ sit dictio. Et hoc Verbum *creare* aliquando idem esse, ac *gignere*, in Scripturis, patet ex illo Psalmo centesimo primo *populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, id est qui viâ ordinaria gignetur, ex suis parentibus: secundò ibidem Ecclesiastici vigesimo quarto, additur hæc particula, *ante sæcula*, sicut & capite quinto Michææ dicitur de Filio Dei, *Egressus eius ab initio*, & statim additur terminus iste *à diebus æternitatis*; quæ duæ particulæ satis denotant istam aliam particulam *initium* non denotare
B aliquod principium durationis, sed tantùm explicare æternitatem Filij diuini. VI.

ARTICVLVS III.

Vtrum hoc nomen Pater *sit proprium primæ personæ Trinitatis.*

PARS affirmans est de fide ex pluribus locis scripturæ, in quibus, quando agitur de Patre sumpto *notionaliter*, hoc nomen *Pater* tribuitur soli primæ personæ ex diuinis, vt ad *Ephesios* tertio, & alibi passim: tum etiam ex iis, quibus ostendimus solam secundam personam Trinitatis propriè generari in diuinis. Nam hoc nomen *Pater* sumptum propriè si-
C gnificat eum, qui propriè generat, & à quo quis per veram & propriè dictam generationem procedit. Tum denique hoc nomen *Pater* inest soli primæ personæ Trinitatis proprium, quia formale eius significatum, quod est paternitas soli illi inest, & eam nobis significat, vt distinctam realiter à quauis alia persona diuina. VII.

Quæres primò, cùm paternitas sit ita relatiua proprietas, vt contineatur radicaliter in essentia diuina, quomodo emanet ab illa; non quidem emanatione propriè dictâ, sed tantùm *Metaphysicâ*, quatenus id, quod est proxima ratio alicui vt sit, dicitur esse id, vnde aliud emanat.

Respondetur eam emanare ab essentia diuina, quatenus est actualis intellectio per essen-
D tiam, ita vt essentia diuina constituta sub hac ratione, vbi habet omnia sua attributa essentialia, sit etiam ratio, vt habeat paternitatem, tanquam personalitatem, cùm personalitas, quam habet, sit ei debita propter fœcunditatem, & hæc prima personalitas non possit ei quasi aduenire per aliquam processionem, quia prima persona à nullo procedit: est autem hæc personalitas prior aliis, quia intellectio per essentiam, & fœcunditas per intellectum antecedit aliquo ordine rationis volitionem & fœcunditatem per voluntatem: & licet diuina essentia vt habens rationem actualis intellectionis per essentiam, sit etiam in Filio & Spiritu sancto; quia tamen vt est in Patre, est sine productione, in Verbo autem est vt communicata per productionē, ideò est alio modo fundamentum paternitatis in prima VIII.

I. persona, & alio modo fundamentum filiationis in secunda.

Quod verò aliqui obiiciunt, diuinas personalitates fundari in ipsis processionibus, si sumatur absolutè, & de processionibus, vt sunt à parte rei, patet esse falsum ex dictis, & paternitas in prima persona Trinitatis non supponit illum generasse Filium, sed est in illo, vt generet, & vt sit principium Filij, & secundùm prioritatem originis antecedit ipsum Filium.

Quæres secundò, an tam res significata per hoc nomen *Pater*, quàm ipsum hoc nomen, priùs vel etiam magis propriè conueniat Deo Patri, vt generanti Filium, quàm ipsi Deo vt principio creaturarum, vel quàm conueniat etiam alicui patri creato generanti filium.

Respondeo primò, si agatur de re signifi-
II. cata per hoc nomen *Pater*, eam magis propriè conuenire Deo, vt generanti ad intra, quàm Deo vt producenti creaturas ad extra. Probatur: quia res significata per hoc nomen, nihil est aliud, quàm principium actiuum viuens producens generatione viuentium propriissimè dictâ, & habente omnes conditiones superiùs requisitas ad generationem, dum ageremus de processione Filij: at esse eiusmodi principium magis propriè conuenit primæ personæ diuinæ, vt producenti Filium ad intra, quàm toti Trinitati, vt producenti creaturas ad extra, quia similitudo substantialis inter Filium & Patrem in diuinis maior est etiam vi processionis, inter Filium vt procedentem à Patre, quàm sit inter Trinitatem & creaturas, cùm hæc sit tantùm analoga & per
III. participationem, illa verò per identitatem eiusdem omninò essentiæ.

Ex quo etiam patet rem significatam eiusmodi nomine perfectiori modo conuenire primæ personæ generãti ad intra, quàm cuilibet patri creato producenti filium: quia quò generatio est perfectior in sua formali & propria ratione, eò & ipse generans in ratione Patris est perfectior: at generatio Filij in diuinis est longè perfectior etiam in formali ratione generationis, quàm sit quælibet generatio creaturarum propriè dicta, quia creaturę dum generant, communicant solummodò suam eamdem specie naturam; at Pater diuinus eamdem numero: sícque substantialis similitudo maior est inter Patrem & Filium in diuinis, vi ipsius generationis, quàm sit inter pa-
IV. trem & filium in creaturis.

Respondetur secundò: res significata per hoc nomen *Pater*, conuenit priùs personæ primæ in diuinis ad intra, in ordine ad Filium diuinum, quàm conueniat toti Trinitati in ordine ad creaturas: ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo tertio; & probatur: attributa essentialia Dei, quæ important respectum ad creaturas fundatum in aliqua actione transeunte, sunt posteriora attributis notionalibus Dei, quia vnumquodque habet priùs saltem ratione, quod sibi necessarium est ad sui constitutionem in totali suo esse, quàm quod solummodò requirit sibi ad perficiendum aliud distinctæ naturæ à se ipso: at esse Patrem in Deo ratione rerum creatarum, ita est attributum essentiale Dei conueniens toti Trinitati, vt tamen fundetur in illa a-

A ctione, quâ Deus produxit creaturas ad extra; V.
esse verò Patrem in diuinis ad intra, est aliquid notionale primæ personæ, quod in nulla actione transeunte fundatur, quódque est necessarium ipsi Deo, cùm sit ad intra, & Deus adæquatè consideratus sit ens absolutum, & simul relatiuum; item tres personæ diuinæ, prima generans, secunda genita, & tertia procedens non sint contingenter, vel etiam liberè, sed necessariò, econtrà creaturæ existunt ex summa, eáque liberali gratitudine Dei. Adde quòd prima persona ex diuinis est verè completè & actu formalissimo Pater ab æterno; at Deus est tantùm Pater in tempore respectu creaturarum: licet enim eius omnipotentia sit ab æterno æterna, & essentialis ei; quia tamen hæc non fundat istam denominationem Patris, nisi prout transit ad actum se-
B cundum, ideò, quia Deus creauit mundum
duntaxat in tempore, non propriè denominat VI.
eum ab æterno Patrem.

Respondetur tertiò, si paternitas consideretur tantùm penes modum suum significandi, & penes primam impositionem eiusmodi nominis, tunc illam priùs conuenire patri creato respectu sui filij creati, quàm conueniat primæ personæ diuinæ respectu Filij, vel quàm conueniat toti Trinitati respectu creaturarum, quas producit. Ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo secundo in solutione ad quartum. Probatur: hoc nomen *Pater* priùs habuit suam significationem inter homines, quàm mysterium sanctissimæ Trinitatis & generationis Filij in diuinis innotesceret eis.

C Posterior item pars probatur ex eo, quòd
vt iam obseruauimus ex sancto Thoma quæ- VII.
stione decimâ tertiâ huius partis, nomina, quæ significant nobis Deum, & eius perfectiones, sunt ei imposita ab hominibus ex perfectionibus, quas illi agnouerunt in rebus creatis, & quas tribuendo Deo, vel agnoscendo ex rebus creatis competere illi, simul etiam & nomina eiusmodi perfectionum tribuerunt ei: ergo paternitas considerata penes suum duntaxat significandi modum, & penes primam impositionem priùs competit patri creato respectu filij sui creati, quàm conueniat primæ personæ ex diuinis, respectu Filij sui increati.

ARTICVLVS IV.

D VIII.

Vtrum esse ingenitum sit proprium soli Patri.

QVIA nomen hoc *ingenitum* variè sumitur apud antiquos, tam Orthodoxos, quàm hæreticos, vt constet, quo sensu affirmetur, vel negetur de persona Patris diuini, vel etiam de aliis diuinis, respondebimus sequentibus propositionibus. Sit itaque

Prima propositio. *Si ingenitum sumatur pro eo, quod nullo modo est ab alio, seu nullo processionis genere, siue per creationem, siue per generationem, siue per emanationem, siue per aliquam aliam viam habet propriè esse ab alio, dicitur propriè de sola prima persona Trinitatis.*

Probatur ex sanctis Patribus, sancto Hilario libro quarto *de Trinitate*, sancto-Augu-

stino

I. stino libro 15. *de Trinitate* cap. 26. & aliis, qui Patrem diuinum communiter vocant hoc modo *ingenitum.* Deinde probatur ex iis quæ diximus de numero processionum diuinarum, & de ipsa innascibilitate, quæ in prima persona sanctissimæ Trinitatis negat omnem & quemcumque modum procedendi ab alio.

Secunda propositio. *Si* ingenitum *sumatur pro eo, quod non est ab alio per generationem propriè dictam, ita tamen; vt tantum dicat negationem generationis propriè dictæ, tunc* esse ingenitum *non soli Patri conuenit in diuinis, sed etiam Spiritui sancto.* Probatur ex dictis suprà, vbi ostendimus processionem Spiritus sancti non esse generationem: & Patres aliquando, vt sanctus Gregorius Nazianzenus sermone *de Epiphania*, Spiritum sanctum vocant *ingenitum* iuxta hunc modum.

Tertia propositio. *Si* ingenitum *sumatur pro*
II. *eo quod non est factum, tunc* esse ingenitum *non conuenit soli Patri, sed duabus aliis personis, & diuinæ essentiæ.* Propositio est contra Arianos, vt constat ex sancto Athanasio epistolâ *de decretis* Nicænæ Synodi, sancto Basilio libro primo *contra Eunomium*; nam Ariani, vt colligerent Filium esse distinctum in natura à Patre, dicebant solum Patrem *esse ingenitum*, vnde propter hanc variam acceptionem huius termini, contigit, vt aliqui Patrum dixerint, hoc nomen *ingenitum* esse suspectum, quia Ariani deriuabant illud in suum sensum. Hæc vltima propositio patet ex illo Symboli Nicæni de Filio diuino *genitum non factum*, & ex Symbolo sancti Athanasij.

Cæterùm apud sanctos Patres *ingenitum* sumitur communiter, pro negatione cuiuscum-
III. que processionis, quatenus aliqua persona eiusdem etiam naturæ cum aliis, nullâ ratione procedit ab alia, sed habet omnimodam improcessibilitatem seu improducibilitatem, quo modo Patres docent passim solum Patrem in diuinis *esse ingenitum.*

Obiicitur: omnimoda improcessibilitas conuenit diuinæ essentiæ: hæc enim nec generat, nec generatur, nec spirat, nec spiratur: ergo *esse ingenitum* etiam sumptum hoc modo non est proprium soli Patri, imò quia essentialia sunt communia omnibus personis diuinis erit aliquid commune.

Respondetur *ingenitum* posse dici de aliquo duobus modis; primo *negatiuè*, quatenus dicit meram negationem, seu carentiam processionis in aliquo, nullam habente aptitudinem, vt
IV. producatur: alio modo *priuatiuè* quatenus dicit negationem seu carentiam cuiuscumque processionis, in eo, quod tamen est aptum produci seu procedere: & hoc adhuc duobus modis; primò prout dicit negationem formæ requisitæ in subiecto considerato, secundùm propriam suam & vltimam constitutionem, cuiusmodi est cæcitas in Petro, Paulo, & aliis: deinde prout dicit negationem formæ positiuæ conuenienti subiecto, non quidem considerato secundùm vltimam sui constitutionem, sed secundùm aliam sibi magis communem, quomodo cæcitas in talpa dicitur esse priuatio, quia licet talpa, prout est talis speciei, non sit capax visus, attamen quia secundùm proximum & immediatum suum genus, scilicet animal, est capax illius talis cæcitatis, dicitur *priuatiuè* de talpa.

A Ergo ad obiectionem respondetur, *esse ingenitum* dici simpliciter & absolutè loquendo *negatiuè* de diuina essentia, sed dici *priuatiuè* in V.
diuinis de solo Patre, iuxta hunc secundum modum posteriorem: licet enim Pater diuinus consideratus secundùm vltimam sui constitutionem non possit habere illud positiuum, quod negat *ingenitum* acceptum secundùm primam propositionem; si tamen Pater diuinus spectetur penes rationem tantùm communem diuinæ personæ, in quantum præcisè est diuina, non repugnat procedere ab alia, imò conuenit aliquibus, vt secundæ & tertiæ; tunc ingenitum dicitur *priuatiuè* de solo Patre diuino.

VI.

B AD QVÆSTIONEM XXXIV.

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine Verbi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Verbum in diuinis sit nomen personale.

DVRANDVS primo sententiarum distinctione vigesimâ septimâ quæstione tertiâ, existimat hoc nomen *Verbum* esse essentiale, tantùmque soli Filio tribui per appropriatio-
C nem, sicut ipsum nomen *sapientia*, licet sit VII.
commune toti Trinitati; quia est absolutum, quod appropriatur tamen in diuinis soli Filio: quia solus ille procedit per intellectum, in quo sapientia residet, & à quo sunt ipsi actus sapientiæ.

His tamen non obstantibus prima sit propositio. *Nomen hoc* Verbum *est nomen personale Filij diuini*; ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo primo, & communiter omnes Scholastici: probatur primò ex scripturis, vt ex capite primo Euangelij sancti Ioannis, ex eius Apocalypsi, vt capite decimo nono, eius epistolis, vbi nomen hoc *Verbum* refertur tanquam nomen proprium, & personale secundæ personæ Trinitatis. Deinde probatur ex Patribus, vt sancto Hilario li-
D bro secundo *de Trinitate*, sancto Ambrosio VIII.
libro primo *de fide* contra Arianos capite secundo, sancto Augustino libro sexto *de Trinitate* capite secundo, libro septimo *de Trinitate* capite primo: sancto Cyrillo Alexandrino lib. septimo thesauri cap. 1. & aliis pluribus, quos interpretes S. Ioannis fusè referunt ad citatum primum caput Euangelij eius.

Tandem probatur ratione: Verbum mentis nihil est aliud, quàm expressa similitudo, & imago rei intellectæ producta per intellectũ seu per intellectionem; at Filius in diuinis est propriè Verbum, & est expressa similitudo, & imago Patris diuini producta per intellectionem eius notionalẽ sese ipsum intelligentis, vt patet ex dictis: ergo Filius in diuinis est propriè Verbum. Deinde nomen illud propriè dicitur esse personale in diuinis, quod cõuenit

I. alicui personæ diuinæ in particulari, ratione A
alicuius proprietatis personalis sibi soli pro-
priè conuenientis; at hoc nomen *Verbum*
conuenit secundæ personæ Trinitatis ratio-
ne suæ emanationis, quâ scilicet Filius Dei
procedit speciali modo explicato per præce-
dentem rationem, qui procedendi modus
est ei soli proprius, vt patet ex dictis, tam
de diuinis processionibus, quàm de notio-
nibus: ergo hoc nomen *Verbum* est proprium
Filij Dei.

Quòd item hoc nomen *Verbum* non sit es-
sentiale, probatur: quia est de ratione eius,
quod significatur nomine essentiali, vt non
emanet: nam in diuinis essentia nec generat,
nec generatur, nec spirat, nec spiratur, si-
militer & ipsa essentialia: at de ratione Ver-
bi est, vt emanet à dicente, quemadmodum
II. omnes Philosophi docent libris *de anima*, B
vbi agunt de intellectu & intellectione: ergo
nomen hoc *Verbum* non potest esse essen-
tiale.

Hinc colligitur eos decipi, qui putant *con-
ceptum* dici essentialiter in diuinis, & singulas
personas posse dici formare conceptum de re-
bus, quas intelligunt. Est enim, vt sanctus
Thomas indicat hîc articulo primo, & docet
expresè libro quarto *contra Gentes* capite se-
cundo de ratione conceptus, vt procedat à
concipiente, & quòd sit expressa similitudo
rei intellectæ, quare cùm sola persona secun-
da sanctissimæ Trinitatis sit expressa similitu-
do & imago intelligentis, sic etiam solus Fi-
lius est Verbum, sic solus Filius est expressa si-
militudo, & imago intelligentis se, ob quam
III. rationem ille etiam solus dicetur propriè con- C
ceptus Patris.

Quæres primò, an hæc duo nomina *Verbum*,
Filius sint vnum & idem in diuinis.

Respondetur quoad rem significatam esse
vnum & idem, quia vtrobiq; relatio producti
ad producentem significatur, vnde vtrumque
nomen est personale, & veteres quidam hære-
tici nomine Alogiani, qui apud sanctum Epi-
phanium hæresi quinquagesimâ primâ sic ap-
pellantur, quòd negarent Verbum, & dice-
rent illud nihil esse, & quòd consequenter re-
spuerent totum Euangelium sancti Ioannis, &
eius epistolas, in quibus mentio Verbi diuini
passim fit, refelluntur: de quibus hereticis pos-
sunt videri Patres, sanctus Epiphanius loco
nunc citato, sanctus Augustinus libro *de hære-
sibus* hæresi trigesimâ, item Alphonsus *à Castro*
IV. libro *de hæresibus*, verbo *Deus*, hæresi septimâ: D
distinguuntur autem hæc duo in eo, quòd no-
men *Filius* significet rem vt subsistentem, quia
Filius vt Filius semper dicit aliquid substantia-
le: at hoc nomen *Verbum* quatenus præcisè
Verbum est, & etiam extendit se ad nostrum
verbum mentale, non significat rem vt subsi-
stentem; quemadmodum patet in nostro ver-
bo mentali: & hoc nomen *Verbum* vltra habi-
tudinem producti ad producentem superiùs
explicatam dicit etiam aliquam habitudinem
ad res, per Verbum repræsentatas, quam habi-
tudinem hoc nomen Filius præcisè sumptum
non importat, & hoc nomen *Verbum* ex dua-
bus illis habitudinibus importat principaliùs
habitudinem producti termini ad suum prin-
cipium producens, quia personæ diuinæ, de
quarum numero est Filius seu Verbum diui-
num, constituuntur proprietatibus relatiuis; V.
& talis proprietas in Filio diuino importatur
nomine ipsius Verbi, & relatione eius produ-
cti ad producentem.

Quæres secundò, an Filius diuinus possit di-
ci *sermo*, & vtrum meliùs dicatur *sermo*, quàm
Verbum.

Respondetur rectè dici & *Verbum* & *sermo-
nem*, cùm scripturæ loquendo de secunda per-
sona Trinitatis vtantur vtroque nomine: no-
mine quidem *Verbi* cap. 1. Euangelij S. Ioan-
nis, & in eius epistolis; item nomine *sermonis*
alibi, vt Sapientiæ decimo octauo, vbi sic ha-
betur, *omnipotens sermo tuus*, &c. quem locum
plerique Patres explicant de secunda persona
Trinitatis.

Attamen meliùs dicitur *Verbum*, quàm *ser-
mo* iuxta sanctum Augustinum, quia per Ver-
bum non tantùm respectus ad Patrem signifi- VI.
catur, sed etiam respectus ad illa, quæ facta
sunt per Verbum operatiuâ potentiâ; quem-
admodum sanctus Augustinus loquitur octo-
ginta trium quæstionum quæstione sexage-
simâ tertiâ: ratio autem & *sermo* etiam dici-
tur, licet nihil fiat. Adde quòd nomen Ver-
bi meliùs repræsentat simplicitatem Filij di-
uini, quàm hoc nomen *sermo*: quod inuol-
uit compositionem plurium dictionum. At-
que hinc constat Erasmum Caietanum & Lau-
rentium Vallam rectè fuisse reprehensos, quòd
maluerint dicere, *in principio erat sermo, in
principio erat ratio*, quàm vulgatam editio-
nem sequi, quæ habet capite primo Euan-
gelij sancti Ioannis, *in principio erat Ver-
bum*. VII.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.

OBIICIES primò sanctum Basilium, qui
libro quinto contra *Eunomium* capite
vndecimo Spiritum sanctum appellat *Verbum
Filij*: ergo nomen hoc *Verbum* in diuinis non
est nomen personale.

Respondetur eum non vocare Spiritum
sanctum propriè *Verbum Filij*, sed tantùm
metaphoricè & per aliquam analogiam ad no-
strum verbum externum & vocale, quatenus
nostrum verbum vocale sicut est manifesta-
tiuum interioris conceptus, sic etiam Spiritus
sanctus manifestat nobis Filium diuinum, dum
eius diuinitas, processio & alia & propria in- VIII.
notescunt nobis per fidem infusam, quæ est a-
liquod donum Spiritus sancti.

Obiicies secundò: ad rationem Verbi pro-
priè dicti non est satis, quòd emanet per in-
tellectum, sed præterea requiritur vt per-
sona producens loquatur illud alicui, & per
illud manifestet ei aliquid; sed Filius in di-
uinis non producitur à Patre tanquam ali-
quid significans alicui, & per quod loqua-
tur alicui, quia sic loqui est manifestare, &
Deus Pater nihil per productionem Verbi
manifestat sibi, cùm vi intellectionis essen-
tialis, quæ nostro modo considerandi præ-
supponitur huic productioni, intelligat, & pe-
netret omnia.

Respondetur loquendo absolutè maiorem
eius esse falsam, scilicet in Verbo propriè

I. dicto, vltra eius emanationem ab intellectu A
dicentis, hoc etiam requiri inter alia, vt producens siue dicens loquatur alicui distincto à se, nã aliquis potest, & sibi soli interiùs loqui, iuxta illud Psalmistæ, *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, quod tamen insipiens iste nulli alij à seipso dicit, producendo intra seipsum similitudinem expressam huius obiecti, ita à se apprehensi & iudicati, & verbum vocale & mentale in hoc distinguuntur à se inuicem, quòd mentale sit similitudo rei intellectæ, manens intra ipsum intelligentem ab eo producta, non ex aliqua indigentia, scilicet ad repræsentandum obiectum cognoscendum alioquin absens, & improportionatum intellectui; aliàs enim nec Deus Pater intelligens seipsum, nec Angelus intelligendo suam substantiam deberent producere aliquod Ver-
II. bum, sed tum ex ipsa fœcunditate intelligentis, tum etiam ex eo, quòd nulla actio detur sine B
termino, qui producatur per illam. Vnde cùm Deus Pater habeat fœcunditatem ad producendum ad intra per intellectum, & eius intellectio notionalis sit per modum actionis, vt docuimus suprà, debet ex consequenti habere terminum, quem producat, & quem nos vocamus *Verbum diuinum*: at verbum externum & vocale est tantùm signum aliquod instrumentale, quo explicamus sensa animi aliis, vt Aristoteles & eius interpretes docent libro primo *de interpretatione*, & si talis manifestatio esset intrinseca verbo mentali, quotiescumque aliquid cogitaremus interiùs, quod non explicaremus foris, toties nullum produceremus verbum mentale intelligendo; quod tamen est contra communem sententiam
III. Philosophorum disputantium de verbo mentali. Et totum hoc potest ampliùs cõfirmari ex C
iis, quæ tradidimus de distinctione dictionis ab intellectione, ad quæstionem vigesimam septimam, est autem aliqua distinctio inter ipsum *loqui simpliciter*, & *loqui aliis*: quia hoc secundum importat ipsum loquentem reddere eum, cui loquitur, cognoscentem, quod ipsum loqui positum simpliciter non importat. Vnde aliquis hoc sensu poterit admittere Deũ Patrem producendo Filium loqui Filio, quia Filius in diuinis ex vi suæ processionis accipit primò & per se à Patre diuinam essentiam, sub ratione actualis intellectionis per essentiam, & proinde Pater eum generando reddit eum cognoscentem, quomodo Christus Dominus apud sanctum Ioannem ait, *mea doctrina non est mea*, vt etiam sanctus Augustinus explicat
IV. ad illum locum. D

Obiicies tertiò: eadem est ratio Verbi ac amoris in diuinis, quia vt Filius procedit per intellectum, sic Spiritus sanctus per voluntatem; at amor non est aliquod personale Spiritus sancti, sed tantummodò ei conueniens per aliquam appropriationem: ergo neque hoc nomen *Verbum* erit aliquod nomen personale ipsius secundæ personæ Trinitatis.

Respondetur aliam esse conditionem huius nominis *Verbum* ab hoc nomine *amor*; nam amor, cùm duo significet, nimirum propensionem in rem amatam, & præterea terminum, qui per actum dilectionis producitur, ratione prioris est essentiale nomen, & ratione posterioris est personale nomen; at hoc nomen *Verbum* significat tantummodò ter-
minum productum per intellectionem, vnde cùm solus Filius in diuinis sit terminus V.
productus per intellectionem, fit, vt hoc nomen *Verbum* sit proprium & personale secundæ personæ Trinitatis.

DISPVTATIO II.

De obiecto ex cuius cognitione procedit Verbum diuinum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione diuinæ essentiæ & omnium personarum diuinarum. VI.

SENSVS præsentis difficultatis non est, quemadmodum placet aliquibus, an diuina essentia & diuinæ personæ concurrant ad producendum Verbum diuinum, in ratione obiecti motiui, quatenus essentia diuina continens radicaliter in seipsa diuinas personalitates, vt vnita diuino intellectui, ad instar speciei impressæ determinat intellectum ad intelligendum, quemadmodum contingit in nostra cognitione: talem enim motionem non requiri ex parte obiecti in diuina, & increata cognitione docuimus expressè suprà ad quæstionem decimam quartã, & iterum agendo de generatione Verbi diui-
ni, & id tantùm requiri in eo intelligente, in VII.
quo ipsum intelligere habet rationem veræ potentiæ; quo tamẽ modo se non habet ipsum intelligere in Deo: sed verus sensus huius difficultatis est, an cùm ex dictis priùs ad quæstionem vigesimam septimam Pater diuinus producat Filium per intellectionem, vtrum intellectio hæc, quâ Filius procedit, & generatur, quatenus consideratur reduplicatiuè, respiciat solam diuinam essentiam, tanquam obiectum terminatiuum; an verò iuxta hunc modum respiciat etiam vel omnes personas diuinas, vel saltem aliquas; nam omnes admittunt Deum Patrem eâ cognitione, quâ intelligit suã essentiam simul, seu per concomitantiam intelligere etiam personas diuinas, cùm tamen aliqui negent Verbum diuinum procedere ex tali cognitione, quatenus purè simpliciter
& absolutè est personarum diuinarum, quod VIII.
est considerare eiusmodi cognitionem *reduplicatiuè*.

Secundò repetendum est ex dictis quæst. 14. huius partis, scientiam Dei aliam esse *simplicis intelligentiæ*, quâ scilicet nuda possibilitas rerum cognoscitur absq; actuali earum existẽtia, aliam esse *visionis* seu intuitiuam, quâ nimirum res cognoscitur vt præsens, & aliquâ ratione coexistens cognitioni, quæ habetur de ea, vt ibi explicatum est fusiùs. His præmissis,

Prima sententia, quæ communiter tribuitur Scoto lib. 1. sentẽtiarum, est Verbum diuinum procedere solummodò ex cognitione diuinæ essentiæ & attributorum eius essentialium, non autem à cognitione diuinarum personarum; ad quam opinionem Vasquesius ali-

I. qua ex parte accedit, dum hîc disp. 142. negat Verbum procedere ex cognitione Spiritus sancti.

Vt autem hæc sententia & eius rationes meliùs percipiantur, notandum est duplex ab illa constitui obiectum, diuinæ cognitionis; vnum *primarium*, scilicet diuinam essentiam; alterum *secundarium*, scilicet ipsas personas diuinas, & omnes creaturas, ratione duplicis huius obiecti constituere in actibus processionum diuinarum quatuor instantia, duo ex parte intellectus, duo item ex parte voluntatis; primum instans ex parte intellectus est illud, quo Deus Pater cognoscit solummodò suam essentiam, sicque est beatus, & tale instans respondet cognitioni primarij obiecti; secundum instans est, quo Deus Pater intelligit diuinas personas, & creaturas, quod instans respondet obiecto
II. secundario; primum verò instans ex parte diuinæ voluntatis est illud, quo solùm amat suam essentiam; secundum est, quo amat creaturas, & hæc prima sententia existimat Verbum diuinum produci ex solo primo actu cognitionis diuinæ.

Secunda sententia, cum qua concludimus, est sancti Thomæ hîc articulo primo in solutione ad tertium, & omnium eius discipulorum, quam explicabimus sequentibus propositionibus.

Prima propositio. *Diuinum Verbum procedit ex intuitiua cognitione diuinæ essentiæ, & omnium attributorum eius essentialium.* Ita omnes communiter tam Scoti, quàm sancti Thomæ discipuli suprà: duæ sunt partes propositionis, quæ vt probentur, supponendum quod nos fusè docuimus suprà quęstione vigesimâ septi-
III. mâ, Deum Patrem producere Filium per intellectionem: quo supposito,

Probatur prior pars propositionis: quidquid producitur ex ea scientia, quæ est necessaria, & prima omnium, debet procedere ex illa, prout talis scientia sese terminat ad suum obiectum primarium sibi intrinsecè necessarium: nam quando duo dantur obiecta vnius & eiusdem cognitionis, vnum primarium, & alterum secundarium, tunc primarium est ratio cognoscendi secundarium; at Verbum diuinum producitur ex scientia Dei Patris, vt ostendimus ad quæstionem vigesimam septimam, eáque necessariâ, quia est ad intra; item primâ omnium, quia ante hanc, nullam possumus in
IV. Deo intelligere scientiam productiuam, seu quâ Pater producat Filium, cùm nulla alia antecedens processio detur, & præterea diuina essentia sumpta præcisè, vt condistincta à diuinis personalitatibus est aliquo modo primariũ obiectum eius cognitionis, quæ est in Deo, & diuinæ personalitates aliquo modo secundarium; sicut enim earum entitas radicatur in diuina essentia, sic etiam intelligibilitas illarum: ergo Verbum diuinum procedit ex scientia Dei Patris, vt terminata ad essentiam diuinam.

Posterior pars propositionis probatur, scilicet *hanc cognitionem esse intuitiuam*: tunc cognitio est intuitiua, quando cognitio est obiecti vt præsentis, & coexistentis ipsi cognitioni, vt patet ex secundo notabili, sed hæc scientia Dei Patris, quâ producit Filium, est diuinæ essentię, tanquam obiecti, vt actualissimè existentis, quia est de diuina essẽtia, vt sese habet, forma-

A liter intrinsecè & quidditatiuè; at existentia actualis est de intrinseco conceptu diuinæ essentiæ, vt docuimus agendo de illa: ergo talis scientia Patris diuini est de essentia diuina tanquam de obiecto actu existente & præsente: ergo intuitiua. V.

Secunda propositio. *Deus Pater producit Filium ex cognitione trium diuinarum personarum, eáque intuitiua.*

Probatur prima pars: Deus Pater producit Filium ex cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ, sed hæc cognitio est etiam cognitio trium personarum diuinarum: ergo Pater diuinus producit Filium ex cognitione trium diuinarum personarum. Maior patet, quia Deus Pater producit Filium ex ea cognitione diuinæ essentiæ, quâ eam cognoscit tantum, quantum illa est in se intelligibilis, & quantũ potest VI.
B intelligi à se, cùm talis cognitio sit necessaria; sed diuina essentia est comprehensiuè intelligibilis à Deo Patre, vt ostensum est suprà quæstione decimâ quartâ huius partis: ergo talis cognitio, quâ Pater in diuinis producit Filiũ, est comprehẽsiua diuinæ essentiæ. Minor item eiusdem syllogismi, scilicet *cognitionem comprehensiuam essentiæ diuinæ includere cognitionem trium diuinarum personarum*, probatur: tunc propriè aliquid comprehenditur, quando totum, quod est in illo, cognoscitur cum tanta claritate, cum quanta postulat cognosci ex sua conditione, vt ostendimus suprà: atqui personalitates diuinę continentur radicaliter in diuina essentia, & insuper diuina essentia vt prę cisè talis postulat cõmunicari tribus personis, & vt sic est aliquo modo intelligibilis, quia à
C parte rei est talis, & intelligibilitas sequitur entitatem, & conditionem eius: ergo comprehensiua cognitio diuinæ essentiæ includit cognitionem trium personarum diuinarum. VII.

Secundò eadem pars probatur de singulis personis; & primò, quòd Filius *procedat ex cognitione Patris*, Filius procedit ex cognitione eius personæ, cuius propriè est imago, vt patet ex ratione imaginis; at Filius est imago Patris diuini, vt inferiùs ostendetur: ergo Filius in diuinis procedit ex cognitione primæ personæ Trinitatis seu Patris.

Quòd item Filius in diuinis procedat *ex cognitione sui ipsius*, probatur: quidquid procedit ex comprehensiua cognitione vnius relati, vt formaliter considerati, procedit etiam ex cognitione eius correlati, quia hæc cogni-
D tio est vna & eadem, cùm relatum non possit comprehensiuè cognosci, nisi & correlatum eius cognoscatur: at Pater & Filius in diuinis sunt correlata, & ex præcedenti propositione, Verbum diuinum procedit ex cognitione comprehensiua Patris diuini, quatenus est Pater, quia Verbum diuinum est eius vt sic imago: ergo Verbum diuinum etiam procedit ex cognitione sui ipsius. VIII.

Denique quòd Filius procedat etiam *ex cognitione Spiritus sancti*, eadem ratione applicatâ huic parti, probatur: quidquid procedit ex cognitione comprehensiua Patris, procedit etiam ex cognitione eorum, quæ ratione alicuius in eo existentis dicunt habitudinẽ intrinsecam etiam duntaxat radicalem ad illum; quia totum, quod est in Patre cognito comprehensiuè, & ad quod vt sic aliquem habet ordinem, debet penetrari: at Filius procedit

I. ex cognitione comprehensiua Patris, vt patet ex dictis, & Pater vt spectatus in se & adæquatè habet vim spiratiuam, quâ etiam est fœcundus ad spirandum Spiritum sanctum, & ista vis spiratiua, seu fœcunditas Patris ad spirandum non potest cognosci perfectè, nisi & terminus, quem illa respicit, qui est Spiritus sanctus, cognoscatur, quia omnis habitudo, virtus seu fœcunditas cognoscitur per proprium suum terminum: ergo Filius in diuinis procedit à Patre etiam ex ipsa cognitione Spiritus sancti.

Altera pars propositionis, nimirum quòd *hæc cognitio personarum diuinarum sit intuitiua*, probatur: ea, quæ sunt intrinsecè & formaliter constitutiua Dei tam in esse vnius, quàm in esse trini, possunt solummodò cognosci à Patre diuino, vt existentia, non verò prout
II. abstrahunt ab existentia, & prout nudam tantùm important possibilitatem, quia aliàs cognitio non responderet veritati sui obiecti, quod includit intrinsecè & necessariò existentiam, & quod est ens necessarium tam ab extrinseco quàm ab intrinseco; at tres diuinæ personæ vt actu & formaliter existentes constituunt intrinsecè & formaliter Deum in esse trini, quia Deus est trinus ratione trium personarum diuinarum: ergo diuinæ personæ, dum à Deo Patre cognoscuntur, debent cognosci vt existentes: ergo vt præsentes: ergo & cognitione intuitiuâ. Hæc consequentia vltima patet ex secundo notabili, & ex dictis pro præcedenti propositione.

Deinde probatur: cognitio, quæ est obiecti vt præsentis, & coexistentis, seu vt existentis in illa eadem duratione, in qua hæc eius cog-
III. nitio existit, est propriè loquendo intuitiua: at cognitio, quâ Deus Pater producit Filium in diuinis, est respectu Filij & Spiritus sancti vt obiectorũ tanquam præsentium, & vt existentium in illa eadem duratione, in qua Deus Pater habet de facto cognitionem illam, quâ producit Filium, quia nullum potest fingi instans in æternitate, in quo duæ illæ personæ non sint: ergo hæc cognitio Filij & Spiritus sancti, tanquam obiectorum, quâ Pater diuinus producit Filium, est propriè intuitiua.

Dices, licet æternitas sit formaliter & intrinsecè tota simul, & indiuisibilis, nihilominus ex dictis de illa, ad decimam quæstionem huius partis, illa est diuisibilis virtualiter, & plura signa possunt in illa distingui: ideóque licet omnes & singulæ personæ sint
IV. simul duratione, & in eadem æternitate, posse vnum aliquod signum distingui in illa prius alio, & sic vnam personam posse esse aliâ priorem.

Verùm id non eneruat efficaciam nostræ rationis. Nam æternitas dicitur virtualiter diuisibilis per comparationem ad aliquas alias durationes successiuas, quibus illa vna & eadem simplicissima manens in seipsa, potest coexistere, & tunc plura signa possunt distingui in æternitate, vt sibi in duratione aliquo modo succedentia, quando aliqua variatio potest dari in ipsis rebus, quæ sic dicuntur sibi succedere; aliàs enim cùm æternitas in seipsa sit intrinsecè inuariabilis, & tota simul, non potest aliqua ratio fingi, cur ex pluribus rebus durantibus verâ
A æternitate, vna in aliquo signo æternitatis existat priùs aliâ: at nulla potest fingi duratio intrinseca, per comparationem ad quam, V.
æternitas illa, quâ tres diuinæ personæ durant, & ipsa etiam cognitio Patris diuini producentis Filium ad intra, sit virtualiter diuisibilis, & per comparationem illam, ad quam possumus distinguere vnam quasi partem æternitatis, in qua generatiua cognitio Patris diuini sit, & personæ Filij, & Spiritus sancti non sit; nec item aliqua variatio fieri, aut fingi potest in ipsis personis Filij & Spiritus sancti, cùm sint necessariò & necessariæ & immutabiles tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco. Item Deus Pater nunc cognoscit Filium & Spiritum sanctum eadem cognitione, secundùm quamlibet rationem, quâ cognouit illos in primo signo æternita-
B tis, si quod tale primum signum fingi potest, aliàs vel istæ personæ essent in se ipsis VI.
mutatæ, vel hæc cognitio Dei Patris mutata & variata, quod vtrumque est absurdum: ergo sicut illa cognitio, quam Deus Pater nunc habet de illis duabus personis diuinis est intuitiua, sic etiam & hæc, quam in quolibet primo signo æternitatis habuit de illis, & quâ generat Filium, est intuitiua.

Tandem ibi tantùm dari potest cognitio abstractiua, & non intuitiua alicuius obiecti, vbi vel ipsum obiectum non includit intrinsecè, & essentialiter existentiam, vel vbi intellectus cognoscentis potest pro sua libertate, vel pro sua imbecillitate apprehendere nudam eius possibilitatem, non terminando suam
C cognitionem ad existentiam, & præsentiam VII.
obiecti etiam tunc existentis, quatenus abstrahit ab existentia & præsentia eius; sed Filius & Spiritus sanctus in diuinis includunt intrinsecè suas existentias, & intellectus Patris diuini licet quamperfectissimus necessitatur in tali cognitione, quia hæc est ad intra, & omnia ad intra sunt necessariò & necessaria: ergo hæc cognitio Patris de Filio & Spiritu sancto non potest esse abstractiua, sed est necessariò intuitiua.

Neque potest responderi omnes istas rationes probare hanc cognitionem Patris diuini esse *intuitiuam*, prout illæ personæ diuinæ considerantur vt sunt in produci, non autem vt sunt termini iam producti. Nam agendo superiùs de diuina generatione Filij animaduertimus, in instantaneis immanentibus & æternis idem esse produci & esse productum, VIII.
D nullum signum posse intelligi, in quo res eiusmodi sint in via, & non in termino, in quo habeant futuritionem & nondum existentiam: aliàs enim possent intelligi, quatenus procedunt de potentia ad actum, quod importat aliquam imperfectionem, puta mutabilitatem: sed personæ Filij & Spiritus S. producuntur productione æternâ, immanente, & instantaneâ, vt patet ex dictis de processionibus diuinis: ergo diuina illa cognitio, quâ Pater generat Filium, debet esse intuitiua Filij, & Spiritus sancti, vt sunt producti; nec talis cognitio etiam vt productiua respicit Verbum diuinum tanquam posterius seipsâ, nisi secundùm originem, non autem secundùm durationem, cuius simultas rectè potest consistere in posterioritate originis.

I. Tertia propositio. *Verbum diuinum procedit per se & non tantùm concomitanter ex cognitione omnium singularum personarum diuinarum*, id est, *diuinæ personæ Patris, Filij, & Spiritus sancti, vt existentes in seipsis requiruntur per se ad productionem Verbi diuini, tanquam obiecta per se terminantia cognitionem intuitiuam, quâ Filius procedit à Patre.* Hæc propositio est expresse contra Vasquesium loco superiùs citato, & nonnullos ex recentioribus, est tamen valde communis inter discipulos sancti Thomæ, & rationes allatæ pro præcedentibus propositionibus facilè possunt ei probandæ accommodari: nam Verbum diuinum ex illo tanquam obiecto per se terminante cognitionem ex qua procedit, oritur, quod necessariò intrinsecè & essentialiter requiritur, vt hæc cognitio productiua sit talis, qua-
II. tenus formaliter est productiua talis termini considerati in se, & secundùm proprias suas rationes, sed cognitio Patris diuini vt productiua Verbi diuini est formaliter, & ex præcisa sua ratione comprehensiua, quia vt sic est omnium perfectissima ex dictis, pro præcedentibus propositionibus, & diuina cognitio Patris diuini vt comprehensiua est etiam per se de singulis personis diuinis Patre, Filio & Spiritu sancto, vt per se terminantibus talem cognitionem, vt satis intelligitur ex ipsa ratione cognitionis comprehensiuæ, & ex dictis: ergo Verbum diuinum procedit per se, & non tantùm concomitanter ex cognitione omnium & singularum personarum diuinarum, vt illæ sunt existentes in seipsis.

Deinde obiectum illud est per se, & non solùm concomitanter requisitum in ratione
III. terminantis, ad illam cognitionem, ex qua Verbum diuinum procedit, quo ablato vel præciso Verbum diuinum non procedit tale intrinsecè & essentialiter, quale nunc est, nec cum illa perfectione, quam nunc habet: at datâ hypothesi, quòd per impossibile Verbum diuinum non procederet ex cognitione Spiritus sancti, tanquam obiecti terminãtis talem cognitionem producentem, Filius Dei seu Verbum diuinum non esset formaliter & intrinsecè tale, quale nunc est, quia tunc non esset expressiuum Spiritus sancti, nec item esset spirator; quæ tamen duo nunc sunt illi intrinseca & essentialia: ergo Verbum diuinum procedit per se & non tantùm concomitanter ex Spiritu sancto, vt obiecto terminante cognitionem illam Patris diuini, ex qua producitur.

IV. Nec obstat, quòd quamuis diuinum Verbum nunc non procedat ex cognitione creaturarum, vt existentium, adhuc tamen sit expressiuum illarum; est enim dispar ratio, quia in prædicta hypothesi Spiritus sanctus nõ esset possibilis, cùm quidquid est ad intra possibile, sit re vera, & de facto, & actu, & sic in tali hypothesi Verbum diuinum secũdùm nullam rationem esset expressiuum Spiritus sancti: at creaturæ licet non existant, habent possibilitatem, & ipsum illarum esse possibile, quod est suo modo reale, nihil amplius habet vt redactum ad existentiam, quàm quod includitur in tali esse possibili, & tantùm addit, vt quod erat solummodò in potentia logica, transeat ad actum, & habeat aliquam connotationem ad tempus, & durationem realem; sicque licet de facto non ponatur in rerum natura, & in aliqua temporis differentia, non desinit habere aliquod esse, quod est expressibile, imò & quod exprimatur de facto per Verbum cognoscentis, dicentis, & intelligentis notionaliter: at in prædicta hypothesi impossibili Spiritus sanctus nullum haberet esse, quod exprimi posset per Verbum, cùm esset intrinsecè impossibilis, & sic in tali suppositione Verbum diuinum deberet esse aliud omninò, & distinctum ab eo Verbo diuino, quod nunc est. V.

Articvlvs II.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

Primvm est: Pater in diuinis priùs intelligit primarium obiectum suæ cognitionis, & quæ in diuinis sunt aliquo modo priora aliis: at primarium obiectum diuinæ cognitionis est essentia eius, & attributa eius essentialia sunt priora notionalibus, seu ipsis personalitatibus diuinis: ergo diuinus Pater priùs intelligit suam essentiam, & attributa sua essentialia, quàm cognoscat personas diuinas: at talis intellectio non est infœcunda, cùm sit infinita, nec aliquo careat, quo sit insufficiens ad producendum Filium: ergo cùm talis productio sit ad intra, vbi omnia sunt necessaria & necessariò, talis cognitio producet Filium, sicque Verbum diuinum producetur ex cognitione solius essentiæ, & attributorum eius essentialium. VI.

Confirmatur: Deus Pater est generans Filium, eâ cognitione, quâ est perfectè beatus, vt illud eius verbum de suo Filio apud S. Matthæum cap. 3. indicat, *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; at Deus Pater est perfectè beatus ex cognitione solius diuinę essentiæ, cùm hæc sola sit bonum infinitum in omni genere entis. VII.

Respondetur maiorem esse falsam, quando procedit de obiecto comprehensiuè cognito; tunc enim propter intrinsecam habitudinem vnius ad alterum, vtrumque debet simul cognosci: vnde licet diuina essentia cum suis attributis essentialibus sit primarium obiectum paternæ cognitionis, & personalitates diuinæ sint obiectum secundarium; quia tamen Deus Pater producit Filium ex comprehẽsiua cognitione suæ essentiæ, debet etiam illum producere ex cognitione trium personarum diuinarum; quòd si Deus Pater haberet duas cognitiones suæ essentiæ, vnam quidem solummodò *quidditatiuam*, non tamen comprehensiuam, & alteram comprehensiuam illius, tunc hoc argumentum posset habere aliquam vim; at duplex illa cognitio non potest admitti in Deo, cùm actualis existentia sit etiam de quidditate diuinæ essentiæ, & esse comprehensiuũ sui obiecti sit de ratione illius veræ scientiæ, quæ necessariò reperitur in intelligente perfectissimo, cuiusmodi est Pater diuinus producens Filium diuinum. VIII.

Ad confirmationem huius argumenti respondetur admisâ maiore, negando Deum Patrem esse perfectè beatum cognitione solius suæ essentiæ, quia eius beatitudo debet consistere in cognitione perfectissima diuinæ essentiæ, cuiusmodi est sola comprehensiua.

Nec obstat, quòd beatitudo alicuius creaturæ intellectualis possit per absolutã potentiam

I. Dei consistere in clara visione solius diuinæ es-
sétiæ; est enim quoad hoc dispar ratio beatitu-
dinis creaturarũ, ac ipsius Dei, nam Deo debe-
tur cognitio, & beatitudo omniũ perfectissima,
quæ potest excogitari, correspondens actiui-
tati & perfectioni intellectionis diuinæ, ac
proinde comprehensiua; ipsis verò creaturis
solummodò proportionata ad merita illa-
rum, & ad efficaciam luminis gloriæ, quod
illis confertur: vnde quia Deus posset infun-
dere alicui creaturæ intellectuali lumen glo-
riæ, quod tantùm haberet habitudinem ad vi-
dendum clarè & intuitiuè diuinam essentiam;
cuius tamen merita postularent claram visio-
nem diuinarum personalitatum, defectu or-
dinationis tam ex parte merentis, quàm ex
parte ipsius Dei constituentis præmia, posset
Deus solâ suâ essentiâ ostensâ intuitiuè beare
II. eiusmodi creaturam, vt ampliùs diximus ad
quæstionem duodecimam huius partis.

Secundum est: omne obiectum illius scien-
tiæ, quâ diuinum Verbum procedit, est ali-
quod principium ipsius Verbi producti, per
talem scientiam, quia talis cognitio produci-
tur tam ab obiecto, quàm à potentia cogno-
scente, & ex consequenti cùm cognitio sit ali-
quod principium termini producti, à se, &
quod est principium principij sit etiam prin-
cipium principiati ab illo, tale obiectum erit
etiam aliquod principium ipsius producti, ex
sua cognitione: at Verbum in diuinis non est
aliquod principium sui ipsius, cùm non ema-
net à se, sed solus Pater à quo emanat: ergo
Verbum diuinum non est etiam obiectum
eius scientiæ, & cognitionis, per quam pro-
ducitur à Deo Patre.

III. Respondetur duplicem posse distingui ra-
tionem in obiectis cognitis ab intellectu crea-
to, vnam *mouentis*, seu *motiui*, quatenus est
id, quod determinat potentiam, & quod con-
currit cum illa ad hîc, & nunc cognoscen-
dum; aliam *terminatiui*, quatenus est id, ad
quod ipsa cognitio sese terminat, iam illa ra-
tio principij respectu cognitionis reperitur
tantùm in eo, quod propriè habet rationem
obiecti motiui, & determinantis, & in quo
cognitio obiecti habet rationem alicuius a-
ctionis elicitæ à potentia propriè dicta, sed di-
uina essentia respectu cognitionis illius, quæ
est in Deo Patre, non habet rationem motiui,
cùm hæc intellectio nullo modo sit potentia-
lis, sed actualis duntaxat, & necessaria; vt ob-
seruauimus initio præcedentis articuli: vnde
IV. etiamsi ita mouere Patrem ad intelligendum
competeret ipsi diuinæ essentiæ, adhuc tamen
non sequeretur personas Filij, & Spiritus san-
cti esse aliquod principium ipsius Filij, quia
tunc tantùm mouerent Patrem, quatenus re-
præsentantur & continentur in essentia diui-
na: ideóque cùm istud esse repræsentatiuum
non sit formaliter ipsum esse personalitatum,
eiusmodi personæ diuinæ non possunt dici
esse aliquod principium Verbi diuini.

Tertium est: Verbum diuinum procedit
ex cognitione illius tantùm obiecti, cuius
propriè est imago, quia sicut nostrum verbum
mentis est imago rei intellectæ, sic & Verbum
diuinum est imago rei intellectæ à Deo Patre:
at Verbum diuinum non est imago, vel sui
ipsius, vel etiam Spiritus sancti, sed solius di-
uini Patris, vt infrà ostendetur: ergo Ver-
A bum diuinum non potest procedere ex cogni- V.
tione sui ipsius & Spiritus sancti.

Respondetur, terminum productum ex
cognitione esse tantùm propriè imaginé eius,
quod sese tantùm habet in tali productione
vt principium *quod* producẽdi, nec esse imagi-
nem eorum omniũ, quæ percipiuntur tali no-
titiâ; vt patet in nostro verbo mentali, quod
propriè dicitur intentionalis imago nostri in-
tellectus, vt informati specie impressâ, quia
ab illo vt sic informata procedit; licet enim
sit etiam expressio, & similitudo repræsentans
ea, quæ percipiuntur tali cognitione, quia
tamen ad rationem imaginis requiritur, vt
sit tanquam à principio *quod*, ab eo cuius est
imago, vt etiam videre est in imagine substan-
tiali & naturali, nimirum in filio, qui est ima-
go sui patris, ideò fit, vt licet Filius diuinus
B procedat ex cognitione Filij ipsius & Spiri- VI.
tus sancti, attamen non sit propriè imago sui
& Spiritus sancti.

Quartum est: aut Verbum diuinum pro-
cedit ex cognitione *simplicis intelligentiæ*, seu
abstractiua ipsiusmet Verbi diuini, & Spiritus
sancti, quatenus nimirum habent tantùm ra-
tionem entis cuiusdam possibilis, aut *ex intui-
tiua*, seu rei tanquam existentis præsentis, &
habentis existentiam actualem simul, & quan-
do est ipsa cognitio; at Verbum diuinum ex
neutra cognitione sui ipsius, & Spiritus sancti
procedit à Patre; non ex prima, quia talis
cognitio connotat imperfectionem in obiecto
sic cognito, quatenus est indeterminatum seu
indifferens ad non esse, & actualis existentia
non est de intrinseca ratione illius; sicque non
C est aliquod ens necessarium, tam ab extrinse- VII.
co, quàm ab intrinseco, quod affirmari non
potest de personis diuinis, cùm illæ sint ali-
quid ad intra, & omnia ad intra sint absolutè
& simpliciter necessaria; item Verbum diui-
num non potest produci ex intuitiua cogni-
tione sui ipsius, & Spiritus sancti, quia in illo
signo rationis, quo talis cognitio apprehen-
ditur, Spiritus sanctus nondum est; nam eius
processio est posterior totâ processione Filij,
nec item Verbum in isto signo rationis appre-
henditur existẽs, quia omne principium præ-
supponitur etiam existens rei, cuius est prin-
cipium; at illa cognitio, quâ Pater producit
Filium, est aliquod principium Filij, cùm Fi-
lius ex illa procedit: ergo talis cognitio præ-
supponitur existens ipsi Verbo diuino, sicque
quatenus est cognitio de Filio & Spiritu san-
D cto, non potest esse intuitiua. VIII.

Confirmatur: priùs has duas personas, scili-
cet Filium & Spiritum sanctum cognosci à Pa-
tre, quàm Filium produci à Patre, quia Deus
Pater in aliquo priori cognoscit Filium, quàm
producat illum, cùm talis cognitio sit quæ-
dam via ad ipsum eius produci: ergo cùm in-
tuitiua cognitio sit illius tantùm obiecti,
quod simul existit cum ipsa cognitione sui,
diuinus Pater non dicetur producere Filium,
ex cognitione intuitiua personarum Filij &
Spiritus sancti.

Respondetur, Filium in diuinis procedere
ex intuitiua cognitione personarum diuina-
rum, vt ostendimus. Ad illud quod in contra-
rium affertur, scilicet in eo signo rationis,
quo talis cognitio apprehenditur, nondum
esse Spiritum sanctum, respondetur id posse

I. intelligi duobus modis: primò ita vt in re, & de facto aliqua prioritas detur, in qua talis cognitio diuini Patris generantis existat, nec tamen persona Spiritus sancti adhuc existat: secundò potest intelligi, vt sensus sit, quòd respectu modi nostri considerandi, quo per ordinem ad res creatas apprehendimus actualem cognitionem Dei Patris per modum cuiusdam viæ & tendentiæ in Verbum producendum tanquam terminum, & intelligimus cognitionem eiúsque terminum productum, antequam apprehendamus operationem voluntatis, & terminum eius productum; si illud dictum intelligatur priori modo, est omninò falsum, cùm enim illa notitia sit æterna & ab æterno, æternitate quomodocumque consideratâ, & intellectio actualis sit tota simul, non potest esse, imò nec apprehendi vt
II. actualis sine termino à se producto, etiam tunc ab æterno existente; similiter, quia diuina notionalis volitio est æterna eodem planè modo, & actualis non potest fieri, quin tam illa, quàm eius terminus sint æquè ab æterno & æterni, quàm ipsa notionalis cognitio diuini Patris & Verbum eius.

Nec obstat, quòd Filius procedat à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio: nam ad hoc sufficit prioritas, *à quo*, seu *originis*, quâ scilicet vnum est ab alio, licet non existat priùs illo, in aliquo instanti durationis, vel etiam naturæ; hæc enim prioritas *à quo* seu *originis* non tollit compræsentiam, & coexistentiam rerum, sed ponit tantùm inter illas ordinem & explicat vnam esse ab alia. Vnde hæc consequentia est mala,
III. *Pater priùs origine intelligit, quàm diuinæ personæ procedant ab illo: ergo in illo priori personæ productæ non existunt:* est inquam consequentia mala, quoniam est ab instanti *à quo*, ad instans *in quo*, vt dialectici loquuntur: nam hæc particula *prius* in antecedenti intelligitur tantùm de prioritate *originis*; at in consequenti accipitur de prioritate *durationis*, seu in existendo, & de instanti *in quo*, qui modus argumentandi est falsus, propter variationem terminorum, & ex primo non sequitur hoc secundum.

Si autem eiusmodi dictum intelligatur modo posteriori, respondetur adhuc posse intelligi duobus modis. Primò ita vt intellectus noster apprehendat quidem cognitionem notionalem Patris diuini, antequam apprehendat volitionem & terminum eius, propter ordinem originis, quem isti termini seruant in-
IV. ter se, non tamen iudicet intellectionem notionalem esse priorem in existendo seu duratione, seu in aliquo instanti, *in quo*, quàm sit notionalis volitio producta, & terminus eius productus. Secundò ita vt iudicet in re ipsa priùs in aliquo instanti *in quo* generationem Verbi esse, & existere, quàm sit processio Spiritus sancti: iam si hoc dictum affirmetur posteriori modo, est omninò falsum, vt patet ex dictis; si autem affirmetur tantùm priori modo, est quidem verum, sed tunc nullo modo obstat veritati nostræ propositionis, quia processiones diuinarum personarum, & intuitiua cognitio Dei, cùm sint à parte rei, secluso quocumque intellectu creato, non debent æstimari vel mensurari ex imperfecto nostro modo concipiendi, sed ex suo modo perfectissimo, quem habent independenter à
A quocumque intellectu creato. V.

Atque ex his solutio patet ad confirmationem huius argumenti, scilicet Deum Patrem priùs tantùm origine cognoscere personas diuinas, non tamen priùs aliquâ prioritate *in quo*, quàm illæ diuinæ personæ existant, quod tamen obiectio intendit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione omnium creaturarum purè possibilium.

PRIMA sententia, quæ tribuitur Scoto, & nonnullis aliis etiam ex recentioribus, negat
B Filium diuinum produci à Patre, ex cognitione creaturarum purè possibilium. VI.

Melior tamen est opposita sententia, cum qua concludimus, *Verbum in diuinis procedere formaliter ex cognitione omnium creaturarum possibilium, vt purè sunt possibiles.* Ita Caietanus hîc quæstione trigesimâ quartâ articulo tertio, Bannes & alij Scholastici communiter, & habet efficacissimum fundamentum in sancto Thoma hâc quæstione artic. 1. in solutione ad primum, ex quo formatur hæc ratio: Verbum diuinum procedit ex his omnibus, quæ sunt in ipso Patre diuino: at omnes creaturæ possibiles sunt & continentur in diuina essentia, ex communi Patrum, & Theologorum doctrina, ad quæstionem quartam huius partis: ergo Verbum diuinum procedit à Patre ex cognitione omnium creaturarum
C possibilium. VII.

Probatur secundò ratione articuli primi huius disputationis applicatâ huic propositioni: Deus Pater producit Filium ex cognitione comprehensiua suæ omnipotentiæ, quia cum producit ex comprehensiua cognitione, non tantùm suæ essentiæ, sed etiam suorum essentialium attributorum, de quorum numero est omnipotentia: at omnipotentia Dei cognita comprehensiuè includit cognitionem omnium creaturarum possibilium: ergo Deus Pater producit Filium ex cognitione omnium creaturarum possibilium.

Minor probatur: quicumque perfectè cognoscit rem aliquam, cognoscit omnia, quæ verè possunt dici de illa, & quæ ei conueniunt secundùm suam naturam, ex sancto Thoma libro primo *contra Gentes* capite quadragesimo
D nono; at omnipotentia Dei est causa omnium rerum possibilium, quatenus possibilitas illarum potest tantùm reduci ad actum per omnipotentiam Dei, quia sine Deo nihil potest fieri, & quæcumque non implicant, (cuiusmodi sunt omnes creaturæ possibiles) possunt à Deo fieri per suam omnipotentiam, iuxta illud Angeli apud sanctum Lucam capite primo, *non erit impossibile apud Deum omne Verbum*; & item Deus Pater cognoscendo comprehensiuè suam omnipotentiam cognoscit illam perfectissimè, quia nulla cognitio potest dari perfectior comprehensiuâ, & præterea intrinsecè & essentialiter conuenit diuinæ omnipotentiæ, vt sit talis conditionis, & tam perfectissima, vt res omnes possibiles dependeant ab illa in suo fieri, seu vt reducantur ad actum secundum: ergo quicumque cogno- VIII.

I. scit comprehensiuè omnipotentiam Dei, debet etiam cognoscere omnes creaturas possibiles, & ex consequenti quidquid producitur formaliter ex cognitione comprehensiua diuinæ omnipotentiæ, producitur etiam formaliter ex cognitione omnium creaturarum possibilium.

Atque ex hac ratione sic explicata, primùm via præcluditur ei solutioni, quâ aliqui respódent cognitionem omnium possibilium non includi in comprehensiua cognitione Dei, sed tantùm consequi ex illa secundariò, quatenus Deus ita perfectè cognoscit suam essentiam, vt ex eius vi cognitio creaturarum posteà sequatur; hæc enim nostra ratio præcisè fundatur in ipsa comprehensione diuinæ omnipotentiæ, vt hæc est aliquod attributum virtualiter distinctum ab essentia diuina, vel
II. si velint illud intelligere de diuina omnipotentia, radicaliter considerata, iam cùm illa sit aliquod prædicatum intrinsecum, & constitutiuum essentiæ diuinæ, spectatæ quasi genericè, quemadmodum docuimus ad quæstionem decimam quartam sancti Thomæ, Deus non poterit comprehendere suam essentiam, nisi simul comprehendat omnes creaturas possibiles, quæ intrinsecè respiciunt illam.

Nec quidquam iuuat in contrarium, quòd scilicet si nullæ essent creaturæ possibiles eadem esset, & eodé modo comprehensiua cognitio Dei. Id enim patet esse falsum, quia tunc non esset idem omninò Deus, qui nunc est, cùm tunc ex necessaria consecutione careret omnipotentiâ tam radicali, quàm formali,
III. quæ tamen est perfectio intrinseca & essentialis ipsi Deo.

Secundò via præcluditur ei solutioni, quâ responderi potest ad comprehensionem relati *secundùm dici* (quale est omnipotentia Dei) non esse necessarium cognoscere omnes & singulas habitudines in particulari; nec item omnes illius effectus in particulari, vt patet in comprehensione oculi, vel alterius potentiæ creatæ. Nam id duntaxat est verum, quando effectus ille est talis, vt non includat intrinsecè & essentialiter dependentiam à tali numero potentia, & non pertinet ad perfectionem talis potentiæ, vel causæ, quòd hic numero effectus dicat essentialiter & intrinsecè dependentiam à tali causa; tunc enim ad comprehensionem causæ posset sufficere eam cognoscere cum habitudine ad producendum
IV. plures effectus, intra eandem speciem sibi similes: at quando talis dependentia, & habitudo effectus arguit summam aliquam perfectionem in causa, eámque singularem, vt in præsenti casu, tunc cognitio comprehensiua talis causæ etiam postulat cognitionem omnium eius effectuum in particulari, vt videre est in cognitione principij, in quo aliquæ conclusiones ita speciali modo continentur, vt ab illo dependeant essentialiter.

Cæterùm, quia creaturæ purè possibiles nullam habent actualem existentiam, cùm vt sic præscindant ab illa, certum est illam cognitionem earum, ex qua Deus Pater producit Filium, esse tantùm *simplicis intelligentiæ*, seu tantummodò *abstractiuam*.

Quæres, an Verbum diuinum æqualiter, & eodem modo procedat, ex cognitione om-

A nium personarum diuinarum & creaturarum possibilium. V.

Respondetur negatiuè: primò enim principaliter procedit ex cognitione Patris, & essentiæ eius, & minus verò principaliter ex cognitione aliarum duarum personarum diuinarum, quod idem dicendum de cognitione creaturarum possibilium, quia Pater ipse diuinus intrinsecè, & in recto est obiectum eius cognitionis, quâ ipsum Verbum producitur, est enim id, quod per eam intelligit, & repræsentat; reliquæ verò personæ diuinę (idem dicendum est de creaturis possibilibus) sunt obiecta illius velut in obliquo, quatenus sunt quidam termini, quos Pater & essentia diuina respiciunt, sine quorum cognitione Pater ipse diuinus, & eius essentia non potest comprehendi.

B Probatur: Verbum primariò & principaliter est terminus cognitionis illius obiecti, cuius est per se primò viua & intellectualis imago, vt patet ex natura verbi mentalis: at Verbum diuinum est per se primò imago Patris, non autem Spiritus sancti, vel creaturarum, vt inferiùs patebit. Confirmatur: eadem formali ratione Verbũ diuinum est Verbum, quâ est Filius & genitus, sed vt sic, seu quòd sit Filius Patris, habet ex eo, quòd procedat ab illo per cognitionem, vt hæc est actualis intellectio per essentiam: ergo magis principaliter Verbum diuinum procedit ex cognitione diuini Patris, quàm ex cognitione aliarum diuinarum personarum, vel etiam creaturarum; & hoc est, quod sanctus Thomas in quæstionibus disputatis *de veritate*, ait quæ- VI.
C stione quartâ articulo quinto, quando docet Patrem in diuinis principaliter dicere Verbum producendo illud, & quasi consequenter dicere creaturas. VII.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRIMVM est: cognitio obiecti, per quam diuinum Verbum formaliter procedit, debet esse tam necessaria in existendo, quàm Verbum est necessarium in existendo, quia aliàs talis cognitio sese tantùm habebit per accidens ad productionem Verbi; at cognitio possibilium, item & ipsæ creaturæ possibiles, non habent tantam necessitatem in existendo etiam secundùm suum esse possibile, quàm
D ipsummet Verbum diuinum: tum quia ex sancto Anselmo *in Monologio* capite trigesimo, Deus nullâ essentiâ creatâ indiget ad suam existentiam, quâ tamen tunc indigeret, si eius Verbum postularet necessariò cognitionem creaturarum possibilium, ad sui productionem. Tum etiam quia aliàs dependeret aliquo modo ab illis, cùm sine illis cognitis implicaret illud esse & produci. VIII.

Respondetur, maiorem sumptam purè simpliciter & absolutè esse falsam, supponit enim rationem, propter quam aliqua obiecta terminant per se & formaliter cognitionem illam notionalem Patris, esse, quia habent æqualem, vel similem necessitatem in existendo, qualem habet ipse Filius, quod tamen est falsum; cùm hæc conditio in obiecto talis paternæ diuinæ cognitionis habeat se quasi per

I. accidens ad hoc, vt aliquid sit per se, & formaliter obiectum terminans illam, tota enim fundamentalis ratio, ob quam aliquid sit formaliter & per se requisitum, vt obiectum terminans hanc cognitionem, est, quòd hæc diuina cognitio productiua Filij est formaliter intrinsecè, & essentialiter comprehensiua, vt superiùs deduximus: ergo eo ipso, quo aliquod obiectum vt terminans illam est intrinsecè & formaliter requisitum ad cognitionem comprehensiuam diuinæ essentiæ & attributorum eius propriè dictam, cuiuscumque illud sit necessitatis in existendo, est formaliter & per se requisitum, vt terminet hanc cognitionem, & ex consequenti Verbum diuinum procedit per se, & formaliter ex cognitione illius, sícque cùm creaturæ possibiles spectatæ secun-
II. dùm suum esse possibile, & sub illo, sint aliquod obiectum essentialiter requisitum ad cognitionem comprehensiuam diuinæ essentiæ, cùm intrinsecè respiciant omnipotentiam Dei, & hæc non possit comprehendi à Deo Patre, nisi & illis cognitis, fit, vt non attentâ illarum necessitate in existendo debeant terminare per se, & formaliter hanc cognitionem notionalem, quâ Deus Pater generat Filium.

Ad id autem quod dicitur in secunda parte minoris, scilicet, *creaturas possibiles & earum cognitionem non habere tantam necessitatem in existendo, quantam habet Verbum diuinum*, posset responderi suppositâ omnipotentiâ in Deo, & comprehensiuâ cognitione eorum, quæ sunt in illo, & ad quæ hæc eius
III. cognitio comprehensiua, quatenus talis, debet sese extendere, creaturas possibiles habere aliquam necessitatem in existendo, non quidem positiuè, sed tantummodò correspondentem suæ naturæ, quatenus scilicet dicunt intrinsecam non repugnantiam ad existendum, si Deus eas voluerit creare; quæ necessitas existendi comparata cum necessitate existendi, quam habet Verbum diuinum, est longè minor, non tantùm, quia hæc posterior est positiua, prior autem est tantùm negatiua, & per nudam non repugnantiam, sed etiam, quia omnis causa prout comparatur cum suo effectu est aliquâ ratione maioris necessitatis, quàm sit quilibet proprius eius effectus, cùm hic ab ista dependeat, non econtrà; at Verbum diuinum, quatenus iden-
IV. tificatur cum essentia diuina, vel vt est idem cum subsistente tribus personalitatibus, est causa eiusmodi creaturarum, quatenus potest illas reducere ad actum existentię, seu de facto producere.

Ad auctoritatem sancti Anselmi allatam in isto argumento, respondetur eum isto loco per essentiam creatam, quâ dicit Deum non indigere, intelligere solummodò creaturam existentem, ita vt loquatur tantùm de creaturis existentibus in aliqua differentia temporis, quemadmodum patet ex ipsamet lectione totius istius capitis & sequentium.

Neque item obstat, quod dicitur ibi de dependentia Verbi diuini à creaturis possibilibus, nam talis necessitas cognitionis non prouenit ex eo, quòd Verbum diuinum dicat aliquam dependentiam à creaturis possi-

A bilibus, sed oritur ab ipsa cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ, quæ intrinsecè & essentialiter postulat, vt, quia omnes creaturæ possibiles dependent ab illa in sui productione essentialiter, & intrinsecè, etiam in tali cognitione ipsæ possibiles creaturæ includantur: & quòd postulare obiectum terminatiuum suæ cognitionis non arguat imperfectionem in Deo cognoscente, docuimus suprà expresè ad quæstionem decimam quartam sancti Thomæ. V.

Secundum est: diuina essentia priùs videtur à Deo Patre, quàm ille videat creaturas in illa, hæ enim sunt tantùm obiectum secundarium: ergo Pater diuinus producit suum Verbum, priusquam illas cognoscat.

B Respondetur negando maiorem, quia aliàs hæc cognitio in Deo Patre non esset comprehensiua. VI.

Tertium est: si per impossibile nullæ creaturæ essent possibiles, adhuc tamen Verbum diuinum procederet à Deo Patre per cognitionem notionalem eiusdem rationis, ac nunc est; quia nec Deus, nec vlla ex personis diuinis habet necessariam connexionem cum aliquo extra Deum, possibiles verò creaturæ sunt extra Deum, cùm non sint aliquid ipsius Dei, prout possibilitas illarum præcisè consideratur.

Respondetur negando Deum in ista hypothesi fore eum & talem, qui nunc est, quia sublatâ possibilitate creaturarum, Deus non esset omnipotens, & sic Verbum diuinum, quod tunc procederet ex cognitione
C comprehensiua ipsius Dei, prout tunc talis esset in se, non procederet ex tam perfectissima, & tam perfectè comprehensiua cognitione, ac nunc; & tunc Deus Pater non esset tam perfectè intelligens, quàm nunc est, & tunc Verbum diuinum minus exprimeret, seu pauciora, quàm nunc de facto exprimat. VII.

Neque ex hac nostra sententia & responsione sequitur Deum habere necessariam connexionem cum aliquo, quod sit extra ipsummet Deum, & sic dependere. Nam primò res merè possibiles, vt sic præcisè, non habent aliquod existere extra Deum, sed dicunt nudam duntaxat non repugnantiam ad existendum, si Deus voluerit eas producere, & totum illud esse, quod tunc
D & vt sic habent, est solummodò ipsum esse in Deo eminenter, secundùm quod sunt ipsemet Deus, vt patet ex capite primo sancti Ioannis, & ex dictis suprà ad quæstionem quartam huius partis. Deinde hæc connexio omnipotentiæ & creaturarum possibilium in ratione dependentiæ sumptæ lato modo, (quia hæc propriè potest tantùm reperiri in rebus actualibus) tenet se potiùs ex parte creaturarum, quæ necessariò postulant Deum, vt causam totius sui esse actualis, & proinde indigent eo ad consequendum illud, quàm econtrà; est enim dependentia potiùs ipsius effectus à sua causa necessaria, quàm causæ necessariæ à suo effectu: at creaturæ possibiles quatenus accipiunt existentiam seu fiunt actuales, sunt propriè loquendo quidam effectus diuinæ omnipotentiæ. VIII.

I. Quartum est: Filius in diuinis eo modo procedit ex cognitione, quo Spiritus sanctus ex amore in diuinis procedit, quia vt Filius procedit ex perfectissima cognitione, ita Spiritus sanctus ex perfectissimo amore; at Spiritus sanctus non procedit ex amore creaturarum possibilium: ergo nec Filius ex cognitione creaturarum possibilium.

Respondetur disparem esse rationem amoris creaturarum in Deo, & cognitionis illarum; hæc enim est necessaria, hic verò liber; & cùm, vt ostendimus ad quæstionem decimam nonam huius partis, Deus nullum habeat propriè amorem circa res possibiles, non potest etiam spirare Spiritum sanctum ex aliquo amore illarum.

Articvlvs V.

II. *Vtrum Verbum diuinum formaliter procedat ex cognitione omnium creaturarum existentium in aliqua temporis differentia.*

Affirmat Gregorius à *Valentia* hâc parte disputatione secundâ *de Trinitate* quæstione octauâ puncto secundo in responsione ad quartum, & alij quidam recentiores.

Verùm melior est negans sententia, cum qua concludimus, *Verbum diuinum non procedere formaliter ex cognitione intuitiua creaturarum vt existentium in aliqua temporis differentia*: sic Bannes hâc quæstione, & alij communiter interpretes sancti Thomæ.

Probatur: eâ tantùm cognitione Verbum
III. diuinum formaliter procedit, quam tam implicet absolutè loquendo non esse, vel non fuisse in Deo, ac implicat simpliciter & absolutè loquendo ipsum diuinum Verbum non esse: quia aliàs talis cognitio sese tantùm habebit per accidens, vel concomitanter ad talem productionem, cùm Verbum diuinum potuerit sine illa produci, imò semper fuisset producendum: at cognitio intuitiua creaturarum, vt in aliqua temporis differentia existentium, non est talis, quòd implicet simpliciter & absolutè loquendo eam non fuisse in Deo, prout illa spectatur secundùm suam terminationem, quia vt sic est libera, quemadmodum docuimus suprà ad quæstionem decimam quartam huius partis; econtrà implicat Verbum diuinum non esse, seu non pro-
IV. duci simpliciter absolutè loquendo, quia omnis communicatio ad intra in diuinis est simpliciter necessaria.

Deinde Verbum diuinum non procedit formaliter ex ea cognitione, quæ præsupponit suam productionem, seu ex cognitione eius obiecti, quod præsupponitur productum: at cognitio creaturarum vt existentium in aliqua differentia temporis, præsupponit productionem Verbi diuini, nam præsupponit liberum decretum Dei de producendis creaturis, quod decretum est totius Trinitatis, cùm respiciat res ad extra: tum etiam, quia attributa illa absoluta, quæ conueniunt Deo, important aliquem respectum ad creaturas, vt futuras, vel existentes in tempore, sunt posteriora notionalibus in Deo, vt iam obser-

A uauimus circa omnipotentiam Dei: at scientia intuitiua creaturarum vt existentium in aliqua differentia temporis, est aliquod attributum absolutum Dei per ordinem ad creaturas futuras, vel existentes in tempore, vt dictum est agendo de scientia libera & intuitiua Dei: ergo Verbum diuinum procedit formaliter ex intuitiua cognitione creaturarum existentium in aliqua temporis differentia. V.

Hinc quando Filius diuinus dicitur in scripturis nihil facere, nisi quod Patrem videat facientem, nihil scire à se, sed à Patre, etiam de rebus existentibus in tempore, vt apud sanctum Ioannem capite quinto, sensus non est hanc scientiam intuitiuam creaturarum, vt est formaliter intuitiua, præsupponi in Patre, & ab eo vt talem formaliter communicari Filio per generationem, sed quòd
B quemadmodum Deus Pater generando Filium, dicitur ei communicasse spirationem actiuam, non quòd in illo signo originis, quo generabat eum, actiua spiratio formaliter considerata esset, quatenus in actu exercito est productiua Spiritus sancti, sed quòd communicando ei totam suam essentiam, ei etiam ex consequenti communicabat ea, quæ talem eius generationem & diuinam essentiam consequebantur, inter quæ erat esse principium Spiritus sancti; ita etiam, quia cognitio creaturarum vt existentium in aliqua differentia temporis consequitur ad generationem Filij, per quam accepit à Deo Patre totam essentiam diuinam, fit, vt Filius dicatur istam scientiam accepisse à Deo Patre, item didicisse ab illo, facere creaturas, item nihil facere, nisi quod eum facientem viderit. Hoc ampliùs confirmatur ex eo, VI.
C quòd Christus Dominus capite quinto eiusdem Euangelistæ probans suam cum Patre æqualitatem & consubstantialitatem ita ait: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*, quo significat illam scientiam, quæ in Deo est causa rerum producendarum ad extra, fuisse in seipso in ratione talis veræ suæ scientiæ practicæ, in eodem signo rationis, quo fuit in Deo Patre suo, quod idem similiter est dicendum de Spiritu sancto, & pro hac re sanctus Augustinus videri potest libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo quarto & decimo quinto. VII.

Articvlvs VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ. VIII.

D Primvm est ex Patribus desumptum, sancto Augustino libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo quarto & decimo quinto: sancto Anselmo *in Monologio* capite vigesimo octauo & sequentibus: sancto Thoma præsenti quæstione articulo primo in solutione ad tertium, docentibus creaturas dici & exprimi Verbo diuino, vbi nomine creaturarum, intelligunt etiam eas, quæ habent existentiam in aliqua temporis differentia; & sanctus Thomas ait expresè Deum Patrem intelligendo *se Filium & Spiritum sanctum, item & omnia alia, quæ eius scientiâ continentur, producere Verbum*: at inter ea, quæ continentur scientiâ Dei sunt &

I. ipsæ creaturæ, vt existentes, quemadmodum patet ex dictis suprà ad quæstionem decimam quartam: ex quibus auctoritatibus hæc ratio formatur pro illa opinione: Filius procedit ex cognitione eorum omnium, quæ ipso dicuntur, seu exprimuntur, & declarantur: at ipsæ etiam res creatæ, & contingentia, quæ habent suam existentiam in aliqua temporis differentia dicuntur, exprimuntur ipso Verbo diuino, quia Pater diuinus loquitur Filio etiam de rebus contingentibus habentibus suam existentiam in aliqua differētia temporis: ergo.

Respondetur, in illis auctoritatibus nomine *creaturarum* creaturas etiam existentes intelligi quidem, quatenus nimirum diuinum Verbum est etiam expressiuum, & repræsentatiuū illarum, non tamen intelligi, quatenus sunt formaliter existentes, quasi sensus Patrum

II. istorum sit, Verbum diuinum procedere à Deo Patre formaliter ex cognitione creaturarum vt existentium; imò sanctus Anselmus id negat expresè capite trigesimo sequēti vt iam animaduertimus, & sanctus Thomas hîc articulo tertio in corpore indicat se tantùm loqui de creaturis, vt cognitis per scientiam *simplicis intelligentiæ*, quæ explicatio sancti Thomæ ampliùs confirmatur ex eo, quòd in quæstionibus disputatis *de veritate* quæstione quartâ articulo quinto in fine corporis, ait esse accidentarium ipsi Verbo diuino procedere ex cognitione creaturarum, vnde hæc cognitio creaturarum vt existentium habet tantùm se concomitanter, & non formaliter etiam iuxta illum ad processionem Verbi diuini.

III. Ad rationem fundatam in prædictis auctoritatibus Patrum, respondetur hæc duo distingui inter se, Verbum diuinum esse expressiuū omnium etiam creaturarum, vt existentium, & Verbum diuinum formaliter procedere à Deo Patre ex tali creaturarum cognitione; primum duntaxat asseri à Patribus relatis, & esse verum; secundum verò minimè, ad quod plura requiruntur, quàm ad primum: quia ad primū sufficit, vt tantùm consequatur ad generationem Filij, & radicetur in aliquo, quod communicatur Verbo immediatè, formaliter & vi suæ processionis, sítque aliquid omninò necessarium, & sic, quia cognitio omnium creaturarum possibilium communicatur formaliter ex vi processionis, & est absolutè necessaria in Deo, Verbum diuinum procedit formaliter ex diuina cognitione *simplicis intelligentiæ* sese terminante ad creaturas: quia verò scientia *visionis* creaturarum, vt existentium in tem-

IV. pore radicatur in tali scientia *simplicis intelligentiæ*, fit, vt Verbum diuinum sit etiam expressiuum eiusmodi creaturarum, vt existentium in aliqua differentia temporis, & sic Verbum diuinum potest dici procedere formaliter ex radicali scientia omnium rerum existentium in aliqua differentia temporis, non autem ex formali, nimirum quatenus procedit formaliter ex cognitione *simplicis intelligentiæ*, quæ est radix cognitionis visionis creaturarum seu vt existentium in aliqua differentia temporis.

A Secundum est: Filius in diuinis procedit ex comprehensiua cognitione diuinæ essentiæ, sed cognitio comprehensiua diuinæ essentiæ includit cognitionem creaturarum etiam vt existentium in aliqua temporis differentia; quia determinata illarum futuritio proueniēs à libera voluntate est aliquis effectus illius, & aliquid, quod non includitur in ipsa re cognita, tantùm vt possibili, & ad quod essentia diuina habet aliquam habitudinem distinctam ab illa, quâ respicit illas vt tantùm possibiles, & proinde diuina essentia est etiam hoc modo specialiter cognoscibilis: ergo Filius in diuinis procedit à Patre diuino ex intuitiua cognitione creaturarum existentium in aliqua temporis differentia. V.

B Confirmatur: Filius in diuinis procedit formaliter à Patre ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo, sed decretum, quo Deus decernit futuritionem creaturarum in aliqua temporis differentia, est formaliter in Deo: ergo Filius debet procedere formaliter ex cognitione talis decreti; at cognitio talis decreti includit cognitionem creaturæ vt existentis in aliquo tempore: ergo Filius procedit à Patre ex cognitione creaturarum existentium. VI.

C Respondetur concessâ maiore negando minorem, hoc sensu, quòd ad comprehensiuam cognitionem essentiæ diuinæ requiratur cognitio effectus, vt iam ex diuino decreto determinati ad existendum, hoc vel illo tempore, nam sufficit, quòd essentia diuina comprehendatur etiam vt causa potens producere hunc & hunc effectum, & ita omnes in particulari creaturas, quódque, si eius voluntas accesserit, illæ creaturæ sint futuræ infallibiliter hoc & illo modo, hoc & illo tempore, sícq; penetrare omnia, quæ contingerent in illis, aut circa illas, si hæ & istæ conditiones etiam apponerentur, quod Deum benè nouisse scientiâ *simplicis intelligentiæ* docuimus suprà ad decimam quartam quæstionem sancti Thomæ, vnde effectus ille, quem illa futuritio creaturæ proueniens ex libera voluntate Dei, dicit, est etiam cognitus ipsi Deo per talem scientiam, cùm nihil speciale habeat, quod non cognoscatur à Deo per scientiam *simplicis intelligentiæ* præter connotationem obiecti extrinseci existentis in seipso. VII.

D Ad confirmationem respondetur, liberum decretum Dei posse considerari duobus modis; primò secundùm illud, quod dicit formaliter in Deo, & quod exposuimus ad quæstionem decimam nonam sancti Thomæ: deinde quoad suam terminationem ad hoc & illud obiectum in particulari, Verbum diuinum procedere ex cognitione liberi decreti diuini, spectati priori modo, non autem posteriori, cùm vt sic non plus habeat in re, quàm fuerit cognitum de illa per scientiam *simplicis intelligentiæ*, sícque ista terminatio non impedit, quin Deus solâ scientiâ *simplicis intelligentiæ* sese totum & totaliter comprehendat. VIII.

AD

I.

AD QVÆSTIONEM XXXV.

DISPVTATIO VNICA.

De imagine.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit imago.

NOTANDVM est primò, ex S. Augustino lib. octoginta trium quæstionum quæstione septuagesimâ quartâ relato hîc arti-
II. culo primo à sancto Thoma, tam in corpore primi articuli, quàm in solutione ad primum, & infrà quæstione nonagesimâ tertiâ articulo primo, imaginem nihil esse aliud, quàm *similitudinem in specie infima*, vel *saltem in aliquo signo speciei infimæ expressam ad repræsentandum.*

Imprimis dicitur *similitudo*, quia debet esse aliqua conuenientia inter imaginem & imaginatum, seu id cuius est imago.

Deinde additur *in specie infima*, aut *saltem in aliquo signo infimæ speciei*, id est, vt infima natura obiecti, vel aliquod eius signum repræsentetur, quia eiusmodi repræsentatio est alicuius singularis, res autē singularis propriè non repræsentatur solummodò secūdum gradum communē, quia conuenit in eo cum aliis,
III. sic videmus homines repræsentari in imagine per colorem & figuram externam; si tamen res aliqua repræsentanda habeat tantùm aliquem gradum communem, tunc eius repræsentatio poterit dici *imago*, quia factâ cōparatione ad rem repræsentandam, exprimit illam iuxta gradum infimum, qui est in tali re.

Tertio loco hæc particula ponitur, *expressa*, quæ significat requiri in imagine, vt oriatur & procedat ab eo, cuius est imago, quemadmodum sancti Augustinus, & Thomas suprà notant: ideóque licet duo oua sint sibi inuicem quàm simillima, quia tamen neutrum illorum ab alio procedit, non vnum propriè dicitur imago alterius, & inter homines, si duo dentur simillimi, quorum tamen neuter sit ab alio per generationem, neuter etiam eorum dicetur imago alterius.

Quartò additur, *ad repræsentandum*, quam
IV. particulam licet sanctus Thomas hîc in corpore non exprimat distinctè; attamen satis innuit illam in solutione ad primum, quando ait illud propriè dici imaginem, *quod procedit in similitudinem alterius*; nam modus ille loquendi *in similitudinem* per casum accusandi, denotat proprium finem productionis imaginis, vt facilè intelligitur ex simili formula loquendi superiùs explicata circa definitionem generationis ad quæstionem vigesimam septimam sancti Thomæ: & prætereà sanctus Thomas eam expresè habet infrà quæstione nonagesimâ tertiâ articulo primo, dum ait imaginem *dici ex eo, quod agitur ad imitationem alterius*, quod est desumptum ex Aristotele libro sexto *topicorum* capite secundo definiente imaginem esse id, *cuius generatio est*
A *per imitationem*, scilicet quatenus ita est à prin- V.
cipio actiuo, vt possit facere cognitionem eius, ad cuius imitationem est producta. Hinc sequitur imaginem posse habere locum in solis cognoscentibus, cùm sola illa possint vti aliquo exemplari, quod imitentur: ideóque licet vnus ignis producat alium, quia tamen ignis ille producens caret omni cognitione, ignis ab eo productus non dicetur propriè esse imago ignis producentis.

Notandum secundò, triplicem distingui imaginem, scilicet *artificialem*, quæ est per artem depicta, vel effecta ab artifice, iuxta exemplar, quod habet in mente, cuiusmodi est imago, vel statua Cæsaris; secundam esse *intentionalem*, cuiusmodi sunt species impressæ & expressæ, quæ referunt obiectum cognoscendum, vel cognitum: tertia imago est *na-*
B *turalis*, & est similitudo naturalis ab alio pro- VI.
ducta ad ipsum realiter repræsentandum in eadem natura specie vel numero, vt patet in omni vero filio, qui est naturalis imago patris, cùm enim in eo sit aliquid substantiæ patris communicatum per generationem, filius seipso genito reddit patrem præsentem, quo modo illud Ecclesiastici trigesimo potest explicari, *mortuus est pater eius: & quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit post se*, & sanctus Augustinus epistolâ sexagesimâ sextâ, dum ait Patrem æternum gignere alterum se, quia scilicet producit Filium de sua substantia, vt exprimat in eo vnicam suam, & veram similitudinem.

ARTICVLVS II.

C *Vtrum Filius in diuinis sit imago, ratione* VII.
cuius, & an solus ex personis diuinis.

PRIMA propositio. *Filius in diuinis non est propriè artificialis imago cuiusquam, nec item Spiritus sanctus.* Probatur: quia neuter illorum est propriè aliquid artefactum; nam artefacta ita procedunt ad imitationem, vt tamen sint ex libera voluntate artificum: at Filius & Spiritus sanctus procedunt necessariò: & prætereà cùm essentia diuina in æterna generatione Filij non habeat rationem obiecti mouentis, seu motiui, vt sæpè animaduertimus, sed duntaxat terminatiui, Filius procedens per intellectum in similitudinem Patris non potest dici eius imago artificialis, nec etiam cuiusquam alterius.

Secunda propositio. *Filius in diuinis est*
D *propriè substantialis seu naturalis imago Patris* VIII.
diuini, & hoc ei soli conuenit: hæc propositio est contra Durandum primo sententiarum distinctione vigesimâ octauâ quæstione tertiâ; est tamen communis inter Theologos. Et primò quòd Filius diuinus sit *imago Patris diuini.*

Probatur ex Scripturis, quæ illum vocant *figuram, characterem*, & *imaginem Patris*, vt *ad Colossenses* primo, & *ad Hebræos* primo, & ex Patribus tam ad ista testimonia scripturæ, quàm alibi istud exponentibus de naturali & substantiali imagine, vt sancto Hilario libro septimo *de Trinitate*, sancto Ambrosio libro primo *de fide* capite quarto, cùm inde probent contra Arianos, Filium in diuinis esse consubstantialem & æqualem suo Patri &

I. probatur tam ex definitione imaginis nunc A
allata, & conditionibus ad eam requisitis, quàm ex dictis suprà de processione Filij, quòd nimirum sit verè & propriè dicta generatio, formaliter in perfectam similitudinem naturæ Patris diuini generantis, vbi etiam ostendimus rationem naturalis & substantialis imaginis fundari propriè in ipsa communicatione substantiæ acceptæ per generationem.

Neque his obstat quod Durandus obiicit, nimirum similitudinem postulare distinctionem illius formæ, ratione cuius est similitudo: at in diuinis formam illam esse diuinam essentiam, quæ est eadem numero in Patre & Filio.

Hoc inquam non obstat, nam ratio imaginis naturalis non fundatur in similitudine, quæ propriè sit aliqua relatio realis, sed tan-
II. tùm in ipsa conuenientia, & vnitate specifica, B
vel numerica substantiæ acceptæ per generationem, ita vt, quo ipsa vnitas formæ est maior, eo etiam maior sit similitudo, & perfectior ratio imaginis.

Deinde, quòd Filius sit imago solius Patris, probatur: quia hæc ratio imaginis naturalis fundatur in ipsa substantiali natura per generationem accepta, ita vt talis imago sit tantùm imago eius, à quo procedit per veram generationem: at Filius in diuinis procedit à solo Patre per generationem: ergo Filius in diuinis est imago solius Patris diuini; & hoc etiam probat sanctus Augustinus libro septimo *de Trinitate* capite vltimo circa finem, & patet ex eo quòd scripturæ dum tribuunt Filio hoc nomen, semper aliquam adhibent
III. particulam, quæ denotet ei tantùm conueni- C
re per ordinem ad Patrem.

Tandem hanc rationem imaginis competere soli Filio, non autem Patri, vel Spiritui sancto, probatur iis omnibus, quibus ostendimus ad quæstionem vigesimam septimam solum eum generari, & diuinam essentiam sub ratione vltimæ quasi differentiæ soli ei à Patre communicari; vnde licet Pater & Filius communicent Spiritui sancto eandem substantiam, quam habent, quia tamen talis communicatio non est per veram generationem, & naturalis imago fundatur tantùm in identitate naturæ acceptæ per veram generationem, fit, vt Spiritus sanctus nullo modo possit propriè appellari imago Patris, aut Filij, vel vtriusque.

IV. Hinc quando aliqui Patrum vocant Spiri- D
tum sanctum imaginem Filij, sumunt nomen hoc in amplissima significatione, nimirum pro similitudine; est enim inter personas diuinas vera similitudo ratione substantiæ, vt infrà dicetur: plura autem requiri ad imaginem propriè dictam, quàm ad similitudinem, patet ex dictis, & aliqui notant hunc modum loquendi non tam esse natum ex Græcis Patribus, quàm ex Latinis eorum interpretibus, qui loco dictionis Græcæ, quæ *similitudinem*, & *imaginem* significat, posuerunt tantùm nomen *imaginis*, quod apud Latinos significat id, quod originatur ab alio per imitationem, ex quibus constat hoc nomen *imago*, esse tantùm personale, & nullo modo essentiale.

Tertia propositio. *Filio in diuinis competit esse naturalem imaginem sui Patris, tum ratione*
suæ personalitatis, tum ratione diuinæ essentiæ, V.
vt sibi communicatæ sub ratione vltimæ quasi differentiæ diuinitatis. Prior pars probatur: quia de ratione imaginis est, vt procedat ab eo, cuius est imago: at Filius in diuinis, non procedit à Patre præcisè ratione suæ essentiæ, quia hæc nec generat nec generatur, sed ratione suæ personalitatis; nam solæ personæ procedunt in diuinis: ergo ipsa ratio imaginis naturalis conueniens Filio diuino debet ei competere etiam ratione suæ personalitatis.

Probatur posterior pars, quia Filius eo est substantialis, & naturalis imago sui Patris, quo propriè & formaliter est Filius, vt patet ex dictis: at secunda persona Trinitatis habet, quòd sit propriè Filius ab eo, quòd accipiat à Patre diuinam essentiam sub ratione vltimæ quasi differentiæ ipsius deitatis, vt docuimus: ergo & ratio imaginis etiam ei com-
petit ratione diuinæ essentiæ sibi communi- VI.
catæ, hoc speciali modo. Vnde quemadmodum secundariò accipit à Patre diuinam rationem sub aliis specialibus rationibus, sic etiam diuina essentia sub istis consequentibus rationibus est ei aliqua ratio non potissima, sed tantùm consequens, vt sit etiam imago Patris sui, cùm eum planè referat, & accipiat totam diuinam essentiam ab illo.

Cæterùm hæc ratio imaginis ita conuenit Filio in diuinis, tam ratione suæ personalitatis, quàm ratione diuinæ essentiæ, vt tamen conferendo istas rationes inter se, ratio imaginis principaliùs ei conueniat ratione diuinæ essentiæ, prædicto speciali modo communicatæ, quàm ratione suæ personalitatis; nam ratio imaginis petitur principaliùs ab eo, in
quo conuenit cum imaginato, seu repræsen- VII.
tato; dicitur enim *imago* ab *imitando*, & imago naturalis imitatur suum prototypum in natura; at id, in quo Filius in diuinis conuenit cum Deo Patre, vt formaliter sic ab illo procedit, est quòd ab eo accipiat diuinam essentiam sub speciali ratione actualis intellectionis, per essentiam, vt suprà docuimus: ergo ratio imaginis principaliùs conuenit Filio in diuinis, ob diuinam essentiam sibi communicatam, prædicto speciali modo, quàm ob personalitatem, secundùm quam procedit à Patre diuino.

Dices, totam & adæquatam rationem imaginis videri prouenire à sola diuina essentia, quia imago est assimilatiua prototypo: at personalitas est potiùs dissimilatiua, cùm dicat
non tantùm distinctionem, sed & oppositio- VIII.
nem ad Patrem.

Respondetur, rationem imaginis sumptam adæquatè coalescere ex ratione formaliter assimilatiua, & ex ratione originata ab ipso prototypo, vt patet ex præmissa definitione imaginis, Filium in diuinis habere duntaxat primum à diuina essentia, secundum verò habere à propria sua personalitate; vnde sicut Filius, & filiatio in diuinis dicuntur relatiuè, sic & ipsa etiam imago dicitur relatiuè, vt sanctus Augustinus expressè notat libro quinto *de Trinitate* capite decimo tertio, sed cum hâc distinctione, quòd filiatio ob distinctionem tam proximi fundamenti, quàm extremorum sit quædam realis relatio, posterior autem sit tantùm rationis, ob eam causam, quâ inferiùs docebimus relationes æqualitatis,

I. A ſimilitudinis, & id genus alias eſſe tantùm rationis inter perſonas diuinas.

Hinc intelligitur non tantùm ſolum Filium in diuinis eſſe imaginem Patris diuini, ſed etiam rationem imaginis ei tantùm competere, per reſpectum ad Patrem diuinum, quatenus ſcilicet ſolus ille ita originatur à Deo Patre, vt vi ſuæ proceſſionis accipiat ab illo diuinam eſſentiam ſub ratione vltimæ quaſi differentiæ, penes quam illa ſimilitudo requiſita ad rationem imaginis naturalis attenditur.

Quòd autem ſimilitudo in perſonalitate non requiratur ad imaginem, patet ex eo, quòd ſuprà animaduertimus ex ſancto Thoma, ſimilitudinem (quæ tamen præcipuè requiritur in imagine) inter diuinas perſonas non attendi penes ipſas perſonalitates.

II. B Vltima propoſitio. *Filius in diuinis eſt etiam intentionalis imago ipſius Dei Patris, & hoc ei ſoli conuenit.*

Probatur: quidquid propriè eſt verbum mentis, illud etiam propriè eſt intentionalis imago ipſius intelligentis, ſeu repræſentatiua & expreſſiua eorum omnium, quæ cognoſcuntur per intellectionem ipſius intelligentis, vnde vocatur *imago expreſſa:* at ſolus Filius inter perſonas diuinas eſt propriè verbum mentale ipſius Patris diuini comprehendentis ſeipſum, quia ſolus Pater dicit, ſeu intelligendo producit in diuinis: ergo ſolus Filius in diuinis eſt propriè intentionalis imago ipſius Patris diuini: quòd autem verbum quatenus verbum præcisè abſtrahendo à verbo increato & creato dicat aliquam relationem,
III. C quam Filius quâ præcisè Filius non dicit, animaduertimus ſuprà agendo de nomine verbi, & de generatione Filij in diuinis.

Obiicitur contra vltimam propoſitionem: eſt de ratione imaginis intentionalis, quòd procedat à principio vt intentionaliter moto, excitato, & determinato, vel per ſeipſum, vel per propriam ſpeciem ad productionem talis & talis Verbi in particulari; ſed ex dictis ſuprà Deus Pater quando producit Filium non mouetur à ſua eſſentia, vel etiam ab ipſo Verbo, ſeu Filio, vel tanquã obiecto, vel ſeſe habente ad inſtar ſpeciei impreſſæ, quoad tale munus mouentis, & determinantis intellectum ad talem & talis obiecti intellectionẽ & cognitionem: ergo Filius in diuinis non eſt propriè etiam intentionalis imago ipſius Patris diuini.

IV. D Reſpondetur ſimpliciter & abſolutè loquendo non eſſe de formali ratione imaginis intentionalis, quòd procedat ab exemplari, per aliquam intentionalem eius motionem, & determinationem, ſed ſufficere, quòd ſit ſimilitudo expreſſa ad intentionaliter repræſentandum ipſum exemplar, quia intentionalis ſimilitudo ſumpta in ſuo formali & præciſo cõceptu importat ſolummodò intentionalem ſimilitudinem procedentem ab ipſo exemplari præcognito ad repræſentandum illud, quia præciſa ratio imaginis præſcindit à modo, ſecundùm quem quidquid eſt imago, procedit ab imaginato: quare cùm ſublatâ illâ motione intentionali ex parte diuinæ eſſentiæ, vt hæc comparatur ad intellectum Patris diuini, ratio imaginis ſemper maneat integra, & in præſenti caſu ſit à ſuo principio vt præcognito, & ad illud repræſentandum intentionaliter, fit, vt Filius in diuinis non deſinat etiam eſſe intentionalis imago Patris diuini: & quia ſolus Pater in diuinis format conceptum, & exprimit ſe, & omnia, quæ intelligit; hoc enim eſt aliquid dicere, & habet ſe per modum actionis, quod vtrumque ſoli Patri conuenit in diuinis, ideò fit, vt ſolus etiam Filius in diuinis ſit intentionalis imago ſolius Patris. V.

AD QVÆSTIONEM XXXVI.

DISPVTATIO VNICA.

De perſona Spiritus ſancti.

ARTICVLVS I. VI.

Vtrum nomen hoc Spiritus ſanctus, *ſit proprium alicuius perſonæ diuinæ.*

HOc nomen poteſt duobus modis conſiderari: primò ſecundùm vim ſuæ ſignificationis; deinde ſecundùm accõmodationem factam ab Eccleſia: ſi conſideretur priori modo, ſiue vt eſt nomẽ compoſitum ex duabus dictionibus, ſiue vt ſunt duo nomina, eſt nomen eſſentiale conueniens toti Trinitati, vt S. Auguſtinus docet lib. 5. *de Trinitate* cap. 11. nam tota Trinitas eſt Deus, Spiritus, & ſancta, imò & ipſa ſanctitas, per eſſentiam, & ſumpta etiam ſeparatim ſignificat ſingulas perſonas, cùm vna-
quæque perſona diuina ſit Spiritus, & ſancta; ideóque cùm vt S. Auguſtinus ibidem notat, VII.
hoc nomen non denotet propriè relationem tertiæ perſonæ ex vi ſuæ ſignificationis, non poteſt eſſe nomen proprium, ſeu perſonale Spiritus ſancti.

Si verò conſideretur poſteriori modo, vt eſt vnicum nomen, tunc eſt propriũ tertiæ perſonæ. Probatur ex Scripturis, Patribus & Conciliis, quæ dum enumerant diuinas perſonas, deſignant tertiam hoc nomine, *Spiritus ſanctus;* cuius rei ratio eſt ex S. Auguſtino ſuprà, vt coniunctio Patris & Filij, per Spiritum ſanctum ſignificetur, procedit enim ab vtroque, & dicitur *vinculum ſpiritale* vtriuſque. Deinde quòd ſpiritus, vt dicitur de rebus corporeis, ſignificet impulſum & motionem; vnde cùm tertia perſona in diuinis procedat per im-
pulſum, quia amor eſt quidam impulſus, & VIII.
ſanctitas maximè eſt in voluntate, fit, vt cùm tertia perſona Trinitatis procedat per voluntatem & amorem, dicatur *Spiritus ſanctus.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio.

VVLGARIS eſt illa Græcorum hæreſis, quâ putant Spiritum ſanctum procedere à ſolo Patre: hæc autem hæreſis cœpit à tempore Neſtorij, vt S. Thomas hîc notat articulo 2. & patet ex Theodoreto, qui dum adhuc eſſet Neſtorianus, habuit hanc hæreſim, vt patet ex impugnatione eius ad nonum anathematiſmum ſancti Cyrilli: hæc autem hæ-

I. resis non fuit aperta nisi tempore Leonis no- A
ni, quando Michaël Patriarcha Constantino-
politanus cœpit affirmare Pontificem Roma-
num, & omnes Latinos esse excommunica-
tos, quòd addidissent symbolo Nicæno hanc
particulam, *filióque procedit*.

Contra hanc hæresim sit nostra propositio.
*Est de fide Spiritum sanctum procedere à Patre
& Filio:* ita definitum habemus ex Concilio
Florentino sub Eugenio IV. in quo Græci re-
sipuerunt ab hæresi, in quam tamen lapsi sunt
iterum, & adhuc perseuerant; idem fuit defi-
nitum in Concilio Lugdunensi sub Gregorio
decimo, in Concilio Lateranensi sub Innocen-
tio tertio, & aliis ferè omnibus sequentibus;
imò Andreas Colossensis in Concilio Floren-
tino sessione septimâ dicit se habere librum
antiquissimum manu scriptum septimæ syno-
II. di, in qua definiebatur Spiritum sanctum pro-
cedere à Patre & Filio. B

Probatur primò ex scriptura: S. Ioan. 16.
*Omnia quæcumque habet Pater meus mea sunt,
propterea dixi: quia ex meo accipiet, & annun-
tiabit vobis*, vbi Christus Dominus loquitur
de Spiritu sancto: at non potest intelligi quid-
nam Spiritus S. accipiat à Filio præter ori-
ginem: nam in Filio distinguimus tantùm duo,
essentiam, & personalem proprietatem; at
Spiritus sanctus non accipit à Filio persona-
lem proprietatem Filij, quia proprietates eius-
modi sunt incommunicabiles: ergo necesse
est istam particulam, *de meo accipiet*, denotare
essentiam diuinam, quam Filius communicat
Spiritui sancto, producendo illum per spira-
III. tionem actiuam. Ita Ioannes Theologus ar-
gumentatur pro Latinis contra Græcos in C
Concilio Florentino sessione decimâ octauâ,
vbi vrget contra illos testimonium sancti Epi-
phanij explicantis hunc locum sancti Ioannis.

Confirmatur ex iis omnibus, quibus osten-
dimus suprà Filium *discere à Patre, loqui à Pa-
tre, facere quod vidit Patrem facientem*, nihil
esse aliud, quàm Filium in diuinis procedere
à Patre, & eandem simul, quam habet Pater
scientiam, & potentiam accipere, proceden-
do ab illo; at Spiritus sanctus citato loco scri-
pturæ dicitur *loqui à Filio*: ergo procedit et-
iam à Filio.

Nec iis obstat, quòd in futuro dicatur, *ac-
cipiet*, quia æterna processio Spiritus sancti
non est ita elapsa, quin etiam adhuc duret, &
sit duratura in æternum. Vnde ad id signifi-
candum, scriptura vtitur ibi futuro, vt san-
IV. ctus Augustinus notat ad istum locum. Nec D
satisfaciet aliquis respondendo istam particu-
lam, *de meo accipiet*, idem sonare, ac Spiritus
sanctus loquetur ea, quæ sunt consentanea
meis dictis, quod potest esse verum, etiamsi
Spiritus sanctus non procederet à Filio. Hoc
inquam non satisfacit; nam Christus Dominus
simpliciter & absolutè dicit, *de meo accipiet*,
nimirum thesauro scientiæ, qui thesaurus ni-
hil est aliud, quàm eius essentia & substantia.

Deinde probatur ex capite 15. S. Ioannis
vbi Filius dicitur *mitti*, & missio in diuinis v-
nius personæ est ab ea, à qua procedit, vt am-
pliùs ostendetur agendo de missione diuina-
rum personarum: at Spiritus sanctus etiam
mittitur à Filio, vt patet ex eodem Euangelio
sancti Ioannis: ergo Spiritus sanctus proce-
dit etiam à Filio.

Probatur ex Conciliis celebratis ante hoc V.
apertum schisma & hæresim diuulgatam, vt
ex Toletano octauo celebrato anno Christi
Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio,
quod in definitione fidei habet expressè Spi-
ritum sanctum procedere à Filio; item ex E-
phesino, vbi lectio anathematismorum sancti
Cyrilli est facta, in quibus asserebat etiam
Spiritum sanctum procedere à Filio.

Probatur item ex Patribus Græcis: sancto
Athanasio in suo symbolo, quod tam Græci,
quàm Latini recipiunt, quanquam Græci ex-
cipiant illam particulam, quâ Spiritus sanctus
dicitur procedere à Filio, quia putant illam
esse additam à Latinis, sed malè, cùm Toleta-
num Concilium nunc citatum videatur id de-
sumpsisse ex sancto Athanasio, cùm illam ex-
plicet iisdem penè verbis, quibus sanctus
Athanasius, & ita fuisse scriptum à S. Atha-
nasio Legati Gregorij noni in definitione Ca- VI.
tholicæ fidei significarunt Græcis, vt Baro-
nius notat in Annalibus ad annum Christi
Domini trecẽtesimum quadragesimum: item
ex symbolo sancti Gregorij Thaumaturgi ei
diuinitus traditi, quod sanctus Gregorius
Nyssenus refert in eius vita, quódque fuit
approbatum in quinta synodo, vt notat Ba-
ronius ad annum Christi Domini ducentesi-
mum trigesimum tertium; nam Filius ibi di-
citur *apparere per Spiritum sanctum*, item Spi-
ritus sanctus appellatur *imago Filij* licet mi-
nus propriè, & ratio imaginis denotat pro-
cessionem eius à Filio, vt suprà notauimus;
item ex sancto Basilio libro *contra Eunomium*,
vbi apertè ait Spiritum sanctum esse à Filio,
Spiritum sanctum dependere à Filio, Filium VII.
esse principium Spiritus sancti, quem locum
Ioannes Theologus vrget in Florentino ses-
sione decimâ nonâ; item ex sancto Epipha-
nio *in anchorato*, vt fusè docet idem Ioannes
sessione decimâ octauâ eiusdem Concilij:
item ex omnibus Græcis Patribus, qui di-
cunt Spiritum sanctum procedere à Patre per
Filium, hæc enim particula, *per*, denotat ra-
tionem principij in Filio ex mente Patrum
Græcorum, vt Cardinalis Bessarion Græcus
ostendit in oratione illa, quam habuit in
Concilio Florentino. Omnes Patres Lati-
ni docent eandem conclusionem, nec Græci
id negant.

Vltimò probatur ratione desumptâ ex sub-
ordinatione intellectionis & volitionis: vo-
litio præsupponit intellectionem, quia nihil
volitum, quin præcognitum; at Spiritus san- VIII.
ctus procedit vt amor, & vt terminus voli-
tionis, Filius seu Verbum diuinum, vt termi-
nus intellectionis: ergo Verbum diuinum
præsupponitur productum ad productionem
Spiritus sancti, sed in illo signo originis, quo
Filius præsupponitur ad productionem Spi-
ritus S. habet à Patre essentiam diuinam, vt
fœcundam, ad productionem Spiritus sancti,
quia habet eandem essentiam, eandem vo-
luntatem, & æquè perfectam cum Patre: er-
go per eandem omninò voluntatem spirabit
cum Patre Spiritum sanctum.

Hæc ratio confirmatur aliâ ratione Scoti:
id quod habet principium in actu primo per-
fectum ad producendum priùs origine, quàm
terminus ex necessitate producendus produ-
catur, producit illum; at Filius in illo priori

I. originis habet eandem voluntatem, & æquè perfectam, quam habet Pater, vt patet ex illo Christi Domini apud sanctum Ioannem, *omnia tua mea sunt*, & voluntas diuina est principium producendi Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus producitur necessariò, quia talis productio est ad intra, vbi omnia sunt necessaria: ergo & Filius etiam producet, seu spirabit Spiritum sanctum.

Verùm contra hanc rationem aliquis obiiciet, quando dicimus actum voluntatis præsupponere actum intellectus, nos id intelligere vel de actu proportionato ipsi actui voluntatis, qui sit eiusdem ordinis, & de eodem obiecto, vel id intelligere de actu intellectus non proportionato, nec eiusdem ordinis, qui tamen sit circa idem obiectum, saltem materialiter consideratum: si primum
II. dicatur, sequitur Filium non spirare Spiritum sanctum, quia talis spiratio est actus notionalis, & Filius non habet intellectionem notionalem: si secundum dicatur: ergo cùm Deus Pater ante intellectionem notionalem, quâ generat Filium habuerit intellectionem essentialem, cùm essentialia sint priora notionalibus, Pater ex sola illa essentiali intellectione, fuit in statu accommodato ad Spiritum sanctum, & proinde cùm omnia in diuinis ad intra sint necessaria, produxit ex sola illa intellectione essentiali præsupposita Spiritum sanctum solus sine Filio.

Respondetur, nostram rationem intelligi de intellectione proportionata ipsi volitioni, & etiã de eodem obiecto; ad absurdum, quod infertur inde ex minori, respondetur conces-
III. so, quòd Filius non habeat intellectionem notionalem, non sequi eum non spirare, seu non velle notionaliter Spiritum sanctum, quia ad hoc, vt Filius possit amare, seu producere Spiritum sanctum amore notionali satis est, quòd intellectus diuinus, qui est idem numero in omnibus personis diuinis, cognoscat hæc obiecta, prout est in alia persona, scilicet quatenus est in Patre; nam si verbi gratiâ, per diuinam potentiam anima alicuius actu intelligentis poneretur in alio homine, ille alius homo posset ex vi eiusdem intellectionis elicita ab alio per eandem animam, posteà elicere amorem, quia sic non ferretur in incognitum, cùm eiusmodi obiectum amabile esset cognitum ab ipsa anima.

Deinde obiicitur: dum Deus Pater gene-
IV. rat, vel essentia diuina est æquè in actu proximo pro spiratione Spiritus sancti, ac pro generatione Filij, aut non est æquè in actu proximo, sed debet expectare generationem Filij perfectam, & completam: si primum: ergo cùm Deus Pater agat necessariò, Filius & Spiritus sanctus erunt simul, etiam origine, & sic Spiritus sanctus non erit à Filio: si secundum dicatur: ergo diuina essentia non est fœcunda ex se ad producendum Spiritum sanctum, sed mutuatur suam fœcunditatẽ saltem completiuè à Filio, quod est absurdum.

Respondetur, essentiam diuinam dum Pater generat, si consideretur quantum est ex se, & in se, esse æquè in actu proximo ad spirandum, ac est ad generandum, non tamen esse æquè proximè ex parte ipsorum actuum, propter necessariam subordinationem, quam habent ad se inuicem; vndè licet diuina essen-

A tia in illo priori sit ex se in actu proximo ad spirandum, quia tamen prius exigit intellectionem, ideò priùs origine Filius nascitur, quàm Spiritus sanctus procedat; vnde vt in nobis actus voluntatis prærequirens intellectionem non dicitur accipere suam perfectionem ab intellectione, quia eiusmodi illuminatio obiecti est tantùm conditio prærequisita in obiecto volito, fit, vt etiam Pater non dicatur perfici, quoad vim spiratiuam per Filium, quem generat, vel accipere ab illo spirationem actiuam, aut aliquod complementum illius. V.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta Græcorum.

B PRIMVM repetunt ex scripturis, in quibus Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre, nullâ factâ mentione Filij, vt apud sanctum Ioannem capite decimo quarto, *qui à Patre procedit*, & alibi. VI.

Respondetur, scripturas dicendo Spiritum sanctum procedere à Patre, non excludere Filium; quemadmodum ex eo, quòd Christus Dominus in Euangelio dicit S. Petro, *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*, Filius & Spiritus sanctus non excluduntur; Christus verò Dominus loquendo de processione Spiritus sancti nominauit solum Patrem, quia ille est origo & fons aliarum personarum, & quia qui dicit Spiritum sanctum procedere à Patre, dicit implicitè etiam procedere à Filio, cùm non procedat ni-
C si per volitionem, quæ est tam à Filio, quàm à Patre. VII.

Secundum est ex Conciliis: nam in primis quatuor Conciliis generalibus traditur quidem Spiritum sanctum procedere à Patre; at nunquam dicitur procedere à Filio: imò symbolum Nestorianum est in Concilio Ephesino publicè recitatum, & refutatio noni anathematismi S. Cyrilli facta à Theodoreto est ibidem perlecta, & Spiritus sanctus vtrobique dicebatur esse à solo Patre, quem modum dicendi Concilium non reprobauit.

Confirmatur: quia Concilium Ephesinum definiuit sub anathemate nihil esse addendum symbolo Nicæno & Constantinopolitano, & Leo tertius, vt Magister sententiarum refert lib. 1. distinctione 11. curauit symbolum Constantinopolitanũ describi in lamina argẽ-
D tea, & reponi in altari, iuxta corpus S. Pauli, in quo tamen symbolo sic descripto tantùm habetur *Spiritum sanctum procedere à Patre*. VIII.

Ad auctoritates Concilij respondetur, quòd olim S. Basilius epistolâ 78. S. Hieronymus epistolâ 65. responderunt cùm illis obiiceretur nihil fuisse definitum in Concilio Nicæno de diuinitate Spiritus sancti, nimirum id tunc fuisse omissum seu non factum, quia ista quæstio nondum fuerat mota.

Ad confirmationem, quæ petitur ex Ephesina synodo, in qua symbolum Nestorij est lectum, respondetur ex parte secundâ actorum istius Concilij, symbolum Nestorij, & ea omnia peruersa dogmata, quæ Nestorius inseruit suæ expositioni de incarnatione Filij Dei, fuisse condemnata; vnde cùm istud de processione Spiritus sancti à solo Patre conti-

I. neretur, ibi Nestorius etiam, quoad hanc partem simul etiam fuit condemnatus, præsertim cùm S. Cyrillus epist. synod. *ad Nestoriũ*, quæ est *de excommunicatione*, & quæ habetur I. parte cap. 26. Conc. Ephes. dicat omnes illas epistolas, quas Alexandrina Ecclesia misit ad Nestorium, fuisse à synodo iudicatas immunes ab omni errore, in quarum tamen vna habetur Spiritum sanctum *procedere à Patre & Filio.*

Ad id, quod affertur de additione illius particulæ, *filióque*, respondetur, vt Patres Concilij Florentini iam responderunt, propriè loquendo non esse additionẽ, sed maiorem tantùm explicationem, cùm in illa parte symboli, *qui à Patre procedit, filióque*, contineatur implicitè, & plerumque Patres fecerunt similes additiones symbolo Apostolorum, quę tamen non condemnantur, quia additiones ad sym-
II. bolum eo tantùm modo condemnantur, quo tam in veteri Testamẽto, quàm in Apocalypsi vetatur aliquid addi, & quo modo Apostolus vult, vt non admittamus aliud, quàm quod ipse prædicauit & docuit: at ista omnia tãtùm intelliguntur de doctrina contraria doctrinæ iam traditæ, aliàs enim oporteret reiicere nouum Testamentum, & ea omnia, quæ vel S. Paulus post hoc suum dictum, vel reliqui Apostoli, aut Concilia tradiderunt, & docuerunt, quod asserere est hæreticum.

Quod verò spectat ad tempus, quo hæc additio fuit facta, Baronius in Annalibus ad annum Christi Domini 407. docet fuisse factam tempore Benedicti VII. ad postulationem Imperatoris Henrici; cùm enim in Concilio Toletano primo, ex litteris sancti Leonis Patres
III. Concilij introduxissent in symbolum prædictam particulam, aduersus Priscilianistas, qui non rectè sentiebant de Spiritu sancto, & Imperator Henricus postularet à summo Pontifice, vt symbolum Nicænum decantaretur inter solemnia Missarum in Ecclesia Occidentali, ne videremur etiã verbis profiteri aliam fidem ab iis Occidentalibus, qui in Concilio Toletano receperant eiusmodi additionem, Benedictus septimus voluit illud decantari in Ecclesia cum ista additione.

Ad factum Leonis tertij, respondetur fecisse id, non quòd negaret Spiritum sanctum etiam procedere à Filio, sed ad perpetuam memoriam antiquitatis, vt ostenderet non quibuslibet, nec ex quacumque occasione licere facere additionem symbolo.

IV. Tertium est ex Patribus Græcis, vt S. Cyrillo, qui respondens prædictæ refutationi noni sui anathematismi, in qua refutatione Theodoretus negabat Spiritum sanctum procedere à Filio, nihil respondit ad hanc partem; item S. Gregorio Nazianzeno oratione *ad Episcopos Ægypti*, dicente Filium habere omnia, quæ Pater habet, *exceptâ causalitate*, quo nomine nihil aliud potest intelligi, quàm virtus productiua ad intra, vt patet ex dictis suprà de nomine causæ, & Theophylactus in caput tertium sancti Ioannis reprehendit apertè Latinos schismatis & hæresis, quòd prędictam additionem fecerint symbolo, & credant Spiritum sanctum etiam procedere à Filio, & sanctus Damascenus ex sancto Thoma hîc articulo secundo videtur fuisse in eadem opinione.

Respondetur ad sanctum Cyrillum ex dictis
A suprà. Ad sanctum Gregorium Nazianzenum, illum nomine *causalitatis* intelligere vim generatiuam, quam Pater non communicat Filio. Ad Theophylactum non desunt, qui existiment hæc eius operibus fuisse addita à quibusdam Græcis schismaticis. Ad sanctum Damascenum potest responderi, eum tantùm dubitasse de nostro modo loquendi, quia etiam alibi dicit Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, & Filium habere omnia, quæ Pater habet, hoc solo excepto, quòd non sit ingenitus. V.

Quartum est à ratione: vnius duntaxat personæ vnicum solummodò debet esse principium, sed Pater & Filius sunt duo, Spiritus sanctus vnica tantùm persona: ergo Spiritus sanctus vnicum duntaxat debet habere principium: ergo cùm in scripturis Pater dicatur
B esse principium Spiritus sancti, Spiritus sanctus est à solo Patre. VI.

Respondetur Patrem & Filium esse vnicum principium Spiritus sancti, vt paulò pòst explicabitur.

Quintum est: vel solus Pater est sufficiens principium Spiritus sancti, vel non sufficiens, sed prætereà requirit concursum Filij: si primum: ergo Spiritus sanctus frustrà dicitur procedere à Filio, cùm in diuinis omnia ad intra sint necessaria: si secundum dicatur: ergo Pater est imperfectus, & accipit aliquid à Filio, quod est contra omnes Theologos.

Respondetur, id non prouenire ex insufficientia virtutis in Patre, sed tum ex identitate virtutis spiratiuæ in vtroque, sicut ex identitate potentiæ in omnibus personis diuinis, fit,
C vt omnes simul creent; tum etiam ex præcisa & formali ratione Spiritus sancti, qui intrinsecè postulat esse à duobus, vt posteà explicabitur. VII.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo.

HÆc quæstio mouetur à Scholasticis, vt aduersus Græcos ostendant tantam ab intrinseco inesse necessitatem Spiritui sancto procedendi à Filio, vt sublatâ tali processione, & per hypothesim impossibilem, apprehẽsam tamen ab intellectu, non foret ampliùs realis distinctio Filij à Spiritu sancto, & proin-
D inde cùm scripturæ doceãt tres esse personas in diuinis à se inuicem realiter distinctas, oportere absolutè, & per locum intrinsecum, vt Dialectici loquuntur, Spiritum sanctum procedere etiam à Filio. Vnde sensus præsentis difficultatis non est, vtrum factâ prædictâ hypothesi Filius & Spiritus sanctus manerent iidem planè qui nunc sunt: est enim certũ non fore eosdem, cùm tam intrinsecum sit Spiritui sancto, qui nunc est, procedere etiam à Filio, & Filio, qui nunc est, & vt nunc est, spirare Spiritum sanctum, quàm sit intrinsecum homini esse rationale; quia est de ratione Patris diuini, qui nunc est, dare per generationem Filio diuinam naturam talem, qualem habet illam in seipso, & omnia sua ei communicare exceptâ paternitate: ergo cùm Deus Pater in illo signo originis, quo producit Filium, habeat vim spirandi, quæ tantùm in alio VIII.

I. sequēti signo originis habet suum terminum,
illam necessariò & intrinsecè communicat Fi-
lio, & ex consequenti Filius dat per illam esse
ipsi Spiritui sancto: sed sensus præsentis diffi-
cultatis est tantùm iste, an supposito per hypo-
thesim impossibilem, quòd solus Pater in diui-
nis esset fœcundus per voluntatem; termi-
nus correspondens huic fœcunditati esset rea-
liter distinctus à termino correspondente fœ-
cunditati per intellectionem; an verò radix
distinctionis realis inter personas diuinas sit
ipsa origo vnius personæ ab alia: quo sensu
hæc difficultas est scitu vtilissima, ad proban-
dum contra Græcos processionem Spiritus
sancti à Filio, quos tamen Græci agnoscunt
distinctos à se inuicem realiter.

Duæ sunt sententiæ: prima est Henrici Gan-
dauensis quodlibeto quinto, quem Scotus &
II. eius discipuli sequuntur lib. 1. sententiarum
distinctione 11. quæstione 2.

Secunda sententia, cum qua concludimus,
est S. Thomæ hîc, discipulorum eius, & com-
munis, *nullam in tali casu fore distinctionem
realem inter Filium & Spiritum sanctum.*

Probatur imprimis ex Concilio Florentino
sessione 16. vbi habetur personas diuinas hoc
tantùm nomine distingui, quòd vna sit ab alia;
& ex hoc fundamento ibi concluditur Spiri-
tum sanctum etiam procedere à Filio.

Deinde probatur ex Patribus Græcis, vt S.
Gregorio Nazianzeno oratione quintâ *de
Theologia*, vbi agnoscit tantùm distinctionem
in diuinis ob relationem originis; S. Gregorio
Nysseno *ad Ablabium*, vbi docet personas di-
uinas solùm distingui per *esse causam*, & *esse
causatum*, id est, principium & principiatum,
III. vt exposuimus: item ex sanctis Patribus Lati-
nis, vt ex sancto Augustino libro quinto *de
Trinitate* cap. octauo, vbi docet absoluta dici
de singulis personis, relatiua verò minimè.

Præcipua ratio nostræ conclusionis desu-
mitur ex hoc axiomate, quod Patres citati
habent, *omnia in diuinis sunt vnum & idem, v-
bi relationis oppositio non obuiat*, ex quo argu-
mento sic nostra sententia facilè probatur: in
diuinis interea tantùm est distinctio realis, in-
ter quæ est oppositio relationis, & in diuinis
oppositio relationis est tantùm inter ea, quo-
rum vnum est per originem ab alio: at in hy-
pothesi præsentis difficultatis Spiritus sanctus
non esset à Filio: ergo inter illum & Filium
non esset oppositio relationis: ergo neque
realis distinctio. Minor & consequentia facilè
patent, tota difficultas argumenti est in maio-
IV. ri, quam probamus quoad partes singulas.

Quoad primam sic: vbi summa vnitas est
in identitate reali, & summa simplicitas in di-
uinis, ibi non est repugnantia, vt patet in om-
nibus attributis absolutis, & in ipsis relatio-
nibus diuinis comparatis cum diuina essentia,
in qua, & cum qua identificantur, quia ei nul-
lo modo opponuntur: ergo à contrario ali-
qua realis distinctio erit tantùm in diuinis,
vbi repugnantia erit: sed oppositio relationis
significat repugnantiam terminorum inter se,
vt Dialectici docent, quia tales termini sese
mutuò excludunt, & ex omnibus speciebus
oppositionis sola relatiua habent locum in
Deo, vt ostendimus: ergo realis distinctio
ibi tantùm erit in diuinis, vbi relationis op-
positio erit.

A Secunda pars eiusdem maioris, scilicet, *ea V.
tantùm relatiuè opponi in diuinis, quorum vnum
est ab alio*, sic probatur: omnis relatiua oppo-
sitio, quæ reperitur in diuinis, fundatur in his
duobus respectibus *à quo alius*, & *qui ab alio*,
vt etiam Ioannes ille, qui pro Latinis disputa-
uit in Concilio Florentino significat sessione
18. vbi docet oportere proprietates persona-
les esse incommunicabiles, & hanc incommu-
nicabilitatē prouenire ex his duobus respecti-
bus; sed illi duo respectus ex omnibus Theo-
logis, vt idē Ioannes ibi docet significant, ha-
bitudinē principij, & principiati, seu ipsas ori-
gines tā actiuas, quā passiuas: ergo omnis rela-
tiua oppositio in diuinis fundatur in origine.

Tandem conclusio probatur: in casu præ-
sentis difficultatis, vel erit ordo originis, vel
tantùm rationis, inter Filium & Spiritum san-
B ctum: non primum, quia ordo originis nihil VI.
est aliud, quàm vnum esse ab alio, quod præ-
sens hypothesis negat: ergo erit tantùm ordo
rationis; sed ordo ille in diuinis non includit
distinctionem realem, sed solummodò ratio-
nis, seu virtualem, vt patet inter intellectionē
& volitionem: ergo neque in præsenti hypo-
thesi ordo iste dicet realem distinctionem in-
ter Filium & Spiritum sanctum, tanquam ter-
minos diuinæ intellectionis & volitionis.

Atque ex his sequitur in tali casu personam
Filij & Spiritus sancti fore duntaxat vnicam,
quia, vt est ostensum, inter eas tantùm perso-
nas diuinas est distinctio realis, quarum vna
est ab alia: at in hac hypothesi nec Filius esset
à Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus à Filio:
ergo inter personam Filij, & personam Spiri-
tus sancti realis distinctio non esset, sed vni-
C ca tantùm esset persona, nec ex consequenti VII.
duæ processiones passiuæ à se inuicem realiter
distinctæ essent in diuinis, cùm hæ nihil sint
aliud, quàm ipsæmet personæ procedentes, vt
docuimus: sed quemadmodum actiua genera-
tio & spiratio actiua non distinguuntur reali-
ter, sed virtualiter duntaxat, quia vna illarum
non originatur propriè ab alia, sic & in præsē-
ti hypothesi generatio passiua, & spiratio pas-
siua non distinguerentur realiter à se inuicē,
essétque de facto, & secundùm veritatem rei
vnica tantùm numero processio in diuinis ad
intra, sicut non dicūtur duæ actiuæ processio-
nes esse in Deo, sed vna tantū virtute duplex;
& quemadmodum hæc identitas actiuæ gene-
rationis cum actiua spiratione non inducit in
Deo Patre aliquā compositionem, vt ostendi-
mus, sic etiā ex eo, quòd in præsenti hypothesi
D quædam distinctio rationis & virtualis reperi- VIII.
retur inter filiationem & spirationem passiuā,
illa persona diuina, quæ, quatenus per intelle-
ctionem procederet, esset, & diceretur Filius,
quatenus per volitionem procederet, esset &
diceretur amor, & Spiritus S. non poneret ali-
quam compositionē in tali persona; & quem-
admodum ordo rationis & non originis verè,
propriè, & simpliciter dictus datur tantùm
inter generationem actiuam, & spirationem
actiuam, sic etiam & in hac hypothesi ordo
tantùm quidam rationis, & non originis da-
retur inter filiationem & spirationem passi-
uam: sícque vnica tantùm esset in diuinis pro-
priè loquendo processio, & duæ tantùm per-
sonæ, quod est destruere totum mysterium
sanctissimæ Trinitatis.

I.

ARTICVLVS V.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRIMVM est, ex auctoritate S. Anselmi libro *de processione Spiritus sancti* capite primo dicentis, Filium & Spiritum sanctum distingui propter diuersum modum procedendi, quòd scilicet Filius procedat nascendo, Spiritus sanctus procedendo, quæ ratio vrget adhuc factâ hypothesi præsentis quæstionis.

Respondetur ad hanc auctoritatem sancti Anselmi cum sancto Thoma, hîc articulo secundo in solutione ad septimum, eum ibi per natiuitatem & processionem intelligere reales processiones, & realiter distinctas, vt ex
II. verbis antecedentibus, & consequentibus potest animaduerti, & proinde eum velle Filium distingui à Spiritu sancto, natiuitate non quacumque, & quomodocumque considerata, sed eâ tantùm, quæ nunc est, & vt nunc est, quo modo importat originem Spiritus sancti à Filio: sanctus enim Anselmus ibi ait totum illud prouenire ex eo, quòd Filius sit Deus de Deo, item Spiritus sanctus Deus de Deo Patre & Filio, & hoc totum esse relatiuum: ergo S. Anselmus ibi censet sublatâ eiusmodi relatiuâ oppositione, & origine Spiritus sancti à Filio, nullam fore distinctionem realem personæ Filij à persona Spiritus sancti.

Secundum: idem est principium constitutiuum rei, & eius distinctiuum, & proinde isto eodem principio manente eodem in aliqua re, debet res illa etiam omnibus aliis sublatis
III. manere distincta ab omnibus aliis; at filiatio præcisè sumpta, item spiratio passiua sumpta præcisè, sunt principia constitutiua Filij & Spiritus sancti, & in casu præsentis difficultatis filiatio & spiratio passiua remanerent: ergo & in casu præsentis difficultatis realis distinctio Filij à Spiritu sancto debet remanere.

Respondetur concessâ maiori, quam sanctus Thomas suprà quæstione 33. articulo 2. & infrà quæstione 40. articulo 2. docet, ad minorem, diuinam filiationem posse considerari duobus modis; primò præcisè, prout importat tantùm acceptionem naturæ, sub ratione quasi vltimæ differentiæ diuinitatis, non includendo id, quod est in ea, vt talis est in particulari, & quod intrinsecè inchoatur: secundò prout importat totum, quod nunc habet, & quatenus est talis filiatio; spectata prio-
IV. ri modo non inuoluit, quod constitutum per illam sit principium spirationis passiuæ, quia vt sic non includit vim spirandi, & esse aptum ad spirandum tertiam personam sanctissimæ Trinitatis: posteriori modo considerata includit vim spirandi, & quòd constitutum per illam sit idoneum ad spirandum, & proinde quòd sit principium spirationis passiuæ, quod ei opponatur relatiuè, & ex consequenti quòd distinguatur ab illa realiter: iam filiatio diuina spectata hoc posteriori modo, nunc constituit secundam personam Trinitatis, quam tamen in hypothesi præsentis quæstionis constitueret tantùm, vt considerata priori modo, & proinde non distingueret illam realiter à Spiritu sancto, sed solummodò ratione; vnde in tali hypothesi eadem filiatio diuina, & eiusdem rationis non remaneret, quæ nunc est de

A facto in secunda persona sanctissimæ Trinitatis, nec etiam omninò idem Filius. V.

Tertium est: distinctarum specie emanationum termini debēt esse distincti à se inuicem; at in casu præsentis difficultatis emanatio per intellectum, & emanatio per voluntatem essent æquè distinctæ, sicut intellectio & volitio distinguuntur à se inuicem specie, & emanatio per intellectionem haberet pro suo termino Filium, emanatio per volitionem haberet Spiritum sanctum: ergo tunc Filius & Spiritus sanctus distinguerentur realiter à se inuicem.

Respondetur maiorem eius esse falsam absolutè & simpliciter loquendo, quatenus procedit de distinctione reali terminorū, vt patet in homine, qui idem planè numero resurget, qui per generationem habet esse à parentibus,
B cùm tamē generatio & resuscitatio sint actiones specie distinctæ, & item emanationes & VI.
actiones specificentur & distinguantur à modo & formali ratione sub qua tendunt in suos terminos, & non à reali distinctione suorum terminorum; vnde cùm modus ille tendendi in aliquem eundem entitatiuè & realiter terminum, possit esse alius, atque alius, etiam in specie, vt patet in exemplo nunc allato; ideò aliquæ duæ emanationes, siue sint distinctæ à se inuicem realiter, siue sint idem, possunt habere distinctionem specificam, aut quasi specificam inter se, cum identitate essentiali & entitatiua suorum terminorum; & sic in præsenti hypothesi licet diuina intellectio notionalis & diuina volitio notionalis distinguantur quasi specie, non propterea tamen earum termini erunt entitatiuè & realiter distincti à
C se inuicem. VII

Quartum est: si Spiritus sanctus non procederet à Patre, sed tantùm à Filio, adhuc distinctio realis esset inter Patrem & Spiritum sanctum, per proprias relationes eorum, paternitatem scilicet, & spirationem passiuam, quæ tamen relationes loquendo præcisè sunt tantùm disparatæ: ergo si per impossibile Spiritus sanctus procederet à solo Patre, distingueretur realiter ab ipso Filio per spirationem passiuam, quæ vt comparatur cum filiatione, est tantùm relatio disparata.

Respondetur tunc personas Patris & Spiritus sancti fore quidem realiter distinctas, non tamen præcisè ob disparatas relationes, quas habent, sed propter ordinem originis, & ex consequēti propter mediatam oppositionem relatiuam, quam haberent ad se inuicem; nam
D in tali casu Filius haberet esse à Patre, & pro- VIII
inde haberet ab illo vim spiratiuam, saltem in actu primo. Vnde cùm in tali hypothesi Spiritus sanctus procederet à solo Filio, procederet ab illo per virtutem acceptam à Patre: & ita sicut nepos licet non sit ab auo nisi mediante patre, habet tamen ordinem originis ad auum; sic etiam cùm in præsenti hypothesi ordo originis seruaretur inter Patrem & Spiritum sanctum, realis distinctio semper esset inter illos: at si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, nullus esset ordo originis inter Filium & Spiritum sanctum, nec disparatæ relationes loquendo præcisè habent, quòd faciant realem distinctionē in supposito, vel subiecto, ex eo, quòd præcisè sunt disparatæ, quemadmodum videre est in Deo Patre, in quo duæ illæ relationes paternitas & spiratio actiua

I. sunt disparatę, quia sunt diuersi ordinis, & tamen reperiuntur in eodem supposito; sed tantùm vt & quando fundantur in origine.

Quintum est: in omnibus naturis intellectualibus aliis ab ipso Deo, realis distinctio plurium personarum à se inuicem reperitur, etiamsi illæ plures personæ sint ab aliqua eadem tertia, nec à se inuicem, vt duo fratres ab eodem patre, quorum tamen neuter est ab alio suo fratre per originem, & distinguuntur tantùm seipsis, nec hoc ex aliqua imperfectione, cùm ibi nulla possit notari: ergo quidni etiam in Deo positâ hypothesi superiùs explicatâ tunc realis distinctio daretur inter personam Filij, & personam Spiritus sancti, etiamsi Spiritus sanctus à solo Patre procederet.

Respondetur id quidem esse verum in personis creatis, sed rationem diuinarum personarum esse disparem; primò quòd diuinæ sint

II. formaliter & intrinsecè relatiuæ, & proinde cùm ex omnibus relationibus propriè realibus, ea sola, quæ est originis vnius ab alio, & econtrà possit habere locum in Deo, vt patebit inferiùs, fit, vt absolutè sit necessarium vnam personam ex diuinis esse per originem ab ea alia, à qua distinguitur realiter. Secundò est etiam dispar ratio, quòd personæ creatæ, quia ex sua conditione intrinseca sunt limitatæ, possunt distingui realiter à se inuicem, licet vna illarum non sit ab alia; quia verò personæ diuinæ habent tantam perfectionem, vt sint vnũ quid entitatiuè & reali identitate perfectissimâ in iis omnibus, in quibus non opponũtur relatiuè, & illæ nequeunt opponi aliâ reali relatione nisi originis, ideò

III. fit, vt licet personæ creatæ seruent realem inter se distinctionem sine processione vnius ab alia, attamen personæ diuinæ non possint inter se retinere illam sine tali origine.

Quæres, cùm nostra sententia nitatur Conciliis, & eorum axiomatibus, an opposita sententia sit erronea.

Respondetur non esse: primò quia tuetur eandem conclusionem, quam Concilia ibi profitentur, dissentit tantùm à nobis, in modo probandi, & in assignanda efficacissima ratione, quâ nostra conclusio probetur: at rationes Conciliorum, vt tales non sunt de fide, sed solæ definitiones. Deinde quia prima sententia respondebit se conformiter loqui ad Concilia distinguentia personas diuinas per relationes, quatenus in tali hypothesi Filius & Spiritus sanctus distinguerentur per relationes disparatas, & quando Concilia tra-

IV. dunt distinctionem personarum diuinarum per relationes, non explicant speciatim de quibusnam relationibus loquãtur; vnde semper restat locus disputationi, & prima illa sententia explicaret prædicta axiomata de relationibus disparatis. Tertiò, quia reliqua omnia, quæ proferuntur à Patribus, & Conciliis, dicũtur tantùm inter disputãdum: at quæ proferuntur hoc tantùm modo, non faciunt aliquid de fide. Tandem, quia datâ primâ sententiâ diuina essentia tam erit indiuisa, quàm nũc sit, quando vis generatiua ita est soli Patri propria, vt communicando suam substantiam Filio, hanc tamen vim ei non communicet, absque aliqua diuisione substantiæ suę diuinę, pari iure prima sententia dicet, quamuis Deus Pater non communicet Filio vim spirandi,

A quia in tali suppositione est quædam proprietas solius Patris, substantia diuina non dicetur diuidi, ex eo quòd Filius tunc non accipiat vim illam spiratiuam à Patre. V.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Spiritus sanctus ex se postulet, & necessariò esse à duabus personis, Patre nimirum & Filio.

IMPRIMIS notandum duobus modis posse contingere aliquid esse à pluribus suppositis; primò per accidens, nimirum ex eo, quòd virtus requisita ad producendum illud sit in pluribus, quæ tamen si in vnico tantùm esset supposito, non desineret producere suum terminum: secundò per se, vel ex parte ter-

B mini, vel ex parte ipsius virtutis, vel ex parte vtriusque simul; ex parte quidem termini, quando datur in illo aliquid, ratione cuius postulat necessariò esse, seu procedere à pluribus suppositis; ex parte verò virtutis, quando illa est talis conditionis, vt vel requirat duo supposita adhoc, vt sit completa in ratione principij, vel licet sit in seipsa in actu primo completa, nihilominus vt sit in statu accommodato ad operandum, requirit esse in pluribus suppositis. VI.

Notandum secundò, hanc difficultatem solùm moueri de Spiritu sancto, vt nunc est, & non vt esset iuxta hypothesim impossibilem articuli 4. præcedentis, cùm datâ tali hypothesi, duæ tantùm forent personæ in diuinis, Pater nimirum, & Filius, qui idem esset personaliter Spiritus sanctus; tunc sicut persona

C Filij est à solo Patre, nec postulat esse à duobus suppositis, ita & in tali casu persona istius Spiritus sancti, qui tunc futurus fingitur, non postularet esse à duobus suppositis. His prænotatis, VII.

Duæ sunt de re proposita sententiæ: prima Scoti in primum sententiarum distinctione duodecimâ quæstione primâ, & quorumdam aliorum, qui existimant pluralitatem suppositorum requiri tantùm per accidens, ad spirandum Spiritum sanctum.

Secunda sententia, cum qua concludimus, est sancti Thomæ, hîc articulo quarto in solutione ad primum, & communis omnium eius discipulorum, quam explicamus duplici propositione: quarum sit

Prima propositio. *Spiritus sanctus postulat per se necessariò esse à duabus personis, nimirum*

D *Patre & Filio*; probatur: quidquid in diuinis postulat per se & necessariò distingui realiter à duabus diuinis personis, illud idem postulat per se, & necessariò procedere ab illis duabus personis, quia omnis distinctio realis personarum in diuinis fundatur in origine, vt etiam animaduertimus articulo quarto præcedenti: at Spiritus sanctus postulat per se & necessariò esse personam realiter distinctam à persona Filij, & persona Patris, vt docuimus ibidem, aliàs enim non esset idem Spiritus sanctus, qui nunc est, nec mysterium Trinitatis loquendo propriè subsisteret ampliùs: ergo Spiritus sanctus per se & necessariò postulat procedere à duabus personis, Patre nimirum & Filio. VIII.

Deinde quidquid procedit, vt amor subsistẽs,

I. mutuus,& vnitiuus duorũ etiam subsistentiũ, & tanquam nexus quidam, & quoddam subsistens vinculum duorum subsistentium, illud per se necessariò, & ex intrinseca conditione propriæ suæ entitatis, postulat esse, & procedere à duobus illis subsistentibus, quæ inter se coniungit, quia aliàs non esset amor reciprocus perfectæ amicitiæ, & concordiæ inter illa duo subsistentia: at Spiritus sanctus procedit vt amor subsistens, quia procedit vt persona; item vt mutuus & reciprocus Patris ad Filium, & econtrà, quæ duæ personæ subsistunt, quas Spiritus sanctus tanquam vinculum quoddã subsistens cõnectit inter se in ratione perfectæ mutuæ amicitiæ & cõcordiæ, quemadmodum S. August. docet lib. 6. *de Trinitate* cap. 5. ergo Spiritus S. postulat per se & necessariò esse à
II. duabus personis, Patre nimirum & Filio.

Secunda propositio. *Diuina virtus spiratiua non quidem adhoc, vt sit completa, sed vt sit in statu accommodato ad operandum seu spirandum, postulat per se & necessariò tanquam aliquam conditionem, quòd sit in duabus personis diuinis, Patre nimirũ & Filio.* Duę sunt partes propositionis.

Prior probatur: tota virtus spirandi, quoad suam vim præcisè spectata est æquè perfecta in vna persona Patris vel Filij, quàm sit in vtraque simul; tum quia est indiuisibilis & eadem numero simplicissima tã in persona Filij, quàm Patris; tum etiam quia ostendimus ex S. Augustino vnam personam ex diuinis esse æquè perfectam, ac omnes tres simul sunt; tum denique quia vis agendi propria alicui potentiæ non est à supposito, cùm illa sit principium reale & physicum termini, quem producit,
III. personalitas verò seu subsistentia quædam tantùm conditio requisita ad operandum: ergo virtus illa spirandi, quæ est in Deo, non idcirco exigit esse in duobus suppositis, Patre nimirum & Filio, quia aliàs existens in vnica tantùm persona esset virtus tantùm incompleta.

Posterior item pars probatur: tunc aliquid censetur requiri, tantùm vt conditio, & ad hoc vt virtus sit in suo statu accommodato ad operandum, quando virtus illa operandi spectata præcisè secundùm se habet totam & adæquatam suam vim operandi in actu primo perfectam; & nihilominus, vt reducatur ad actum secundum, adhuc requirit aliquid positum extra præcisam suam rationem, quemadmodum patet in voluntate, quæ sola est virtus volen-
IV. di, quia tamen non fertur in incognitum, dicitur requirere intellectionem tanquam aliquam conditionem, vt sit in statu accommodato ad volendum actu: at ex prima parte huius secundæ propositionis diuina virtus spirandi spectata præcisè & secundùm se est perfecta, habétque adæquatam suam vim operãdi, in ratione principij actiui, quo vt existens in vnica tantùm persona Patris, quia tamen proprius eius terminus postulat intrinsecè esse à duobus suppositis, sese reciprocè actu notionali amantibus, potest tantùm operari, vt existens in illis duobus: aliàs enim talis actus notionalis idem numero manens non esset amoris reciproci, vt patet etiam ex dictis pro prima propositione: ergo virtus spirandi in Deo postulat existere in duobus suppositis, nimirum Patre & Filio tanquam aliquam conditionem sibi requisitam, vt sit in suo statu accommodato ad operandum; vnde quemad-

A modum diximus, quòd si Spiritus sanctus esset à solo Patre, esset etiam futurus omninò alius ab eo, qui nunc est; ita etiam, si per impossibile virtus illa spirandi esset in vnica tantùm persona Patris, illa esset omninò alia. & alterius planè conditionis ab ea, quæ nunc est; tunc enim esset omninò incommunicabilis intrinsecè & quidditatiuè, nunc verò econtrà intrinsecè est communicabilis, postulat esse in duobus suppositis, habétque relatiuam oppositionem relatione reali, realiter distinctam à relatione filiationis, quam tunc non haberet. V.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

B PRIMVM desumitur ex auctoritate S. Augustini lib. 5. *de Trinitate* cap. 14. dicentis, VI. quòd sicut *Deus Pater & Filius sunt vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus, sic relatiuè ad Spiritum sanctum vnum principium:* at creatura quatenus creatura non postulat per se & necessariò esse à tribus diuinis suppositis realiter distinctis à se inuicẽ, sed tantùm per accidens, scilicet ex eo, quòd potentia sit vna & eadem in illis omnibus personis, ita vt si per impossibile ista potentia esset in vna tantùm persona, vel vnica tantùm daretur persona in diuinis, adhuc creaturæ possent esse eiusdem rationis, ac sunt nunc: ergo dualitas suppositorum erit tantùm requisita per accidens ad processionem Spiritus sancti, qui nunc est.

Respondent aliqui S. Augustinum ibi fa-
C cere tantùm comparationẽ in eo, quòd quem- VII.
admodum in Deo est vna tantùm potentia, & vnus creator, sic etiam in Patre & Filio vnica tantùm est virtus spiratiua, & vnus tantùm est spirator in diuinis, non autem comparare ista penes necessitatem plurium suppositorum requisitorum ad spirandum, & creandum, quasi Trinitas personarum sit æquè intrinseca Deo, vt creanti, ac dualitas personarum est intrinseca Deo, vt spiranti seu spiratori.

Nihilominus potest responderi admissâ auctoritate S. Augustini quoad vtramque comparationem, negando minorem: nam creatio rerum ad extra potest considerari duobus modis, vel vt de facto creaturæ procedũt à Deo, vel vt tantùm à nobis naturaliter cognoscuntur procedere à Deo: si spectentur priori mo-
D do, postulant intrinsecè & necessariò esse à VIII.
Deo tanquam trino, quia quidquid procedit per se ab aliqua virtute producendi, procedit etiam per se, à supposito naturali talis virtutis, vt patet inductione factâ per omnes effectus comparatos ad proprias suas causas: at quælibet creatura procedit de facto ab omnipotentia Dei, tanquam à propria virtute creandi res ad extra, & suppositum naturale diuinæ omnipotentiæ non est de facto vnicũ, sed triplex, quia illud est omninò idem suppositum naturale diuinorum attributorum, & essentię diuinæ; sed suppositum naturale diuinæ essentiæ non est de facto vnicũ, sed triplex, nam deitas postulat esse ex se & necessariò in tribus suppositis seu personis, vt ostendimus: ergo quælibet creatura procedit etiã per se à Deo vt trino in ratione suppositi, licet ab illo procedat vt vno in ratione virtutis & principij *quo*.

I. Confirmatur ex eo, quòd homo de facto per se, & non per accidens sit creatus ad imaginem Dei, quódque aliæ creaturæ sint aliquod vestigium sanctissimæ Trinitatis, vt Patres & Scholastici communiter docent: at homo est creatus ad imaginem Dei, etiam ratione sanctissimæ Trinitatis, vt docuimus ex Patribus, & quidquid est factum, est factum per Verbum Dei, ex capite primo sancti Ioannis, & ex omnibus Patribus ibi: at omnia non sunt ita facta per Verbum solummodò per accidens, sed per se; vnde sicut diximus de Spiritu sancto, sic etiam nunc dicimus de creaturis, nimirum quòd si diuina omnipotentia non esset per hypothesim impossibilem necessariò & intrinsecè in tribus personis, sed in vnica tantùm, tunc creaturas etiam futuras alias, & alio modo, quàm nunc sint.

II. Si autem creaturæ spectentur tantùm posteriori modo, tunc non postulant cognosci, vt procedentes à tribus personis, quia ad cognoscendum relationem producti ad producentem, sufficit cognoscere explicitè eius virtutem; & cognoscere tantùm confusè eius suppositum, scilicet cognoscere hanc virtutẽ esse in supposito, abstrahendo ab hoc, quòd sit in vno tantùm, vel in multis, sicut rectè cognoscimus naturaliter creaturas esse à Deo vt subsistente, licet naturaliter ignoremus eas esse à Deo vt subsistente relatiuè, sed abstrahendo tantùm à subsistente absoluto & relatiuo, & sicut naturaliter cognoscimus Deum esse & subsistere, licet naturaliter non sciamus eum subsistere in tribus personis.

Secundum est: virtus spirandi est tam per-
III. fecta in vnica persona, quàm in vtraque simul, aliàs esset imperfecta, & Pater acciperet aliquid perfectionis à Filio, & prætereà suppositum Patris tam est in se ipso perfectum in ordine ad spirationem, quàm ad generationem: ergo ex se tam benè poterit spirare Spiritum sanctum, quàm ex se solo generet Filium, & in hoc erit tantùm distinctio, quòd Pater ideò solus generet, quia in illo signo originis solus ille habet vim generandi, & ideò spiret cum Filio, & non solus, quia in tali signo Filius habet eandem vim spirandi, & proinde hæc dualitas suppositorum erit tantùm requisita per accidens ad processionem Spiritus sancti.

Respondetur concesso antecedente negando consequentiam, quia licet hæc virtus sit æquè perfecta in solo Patre, attamen defe-
IV. ctu conditionis requisitæ ad operandum, quæ est, vt sit in duabus personis, tunc nondum intelligitur esse in statu accommodato ad spirandum, vt exposuimus secundâ propositione præcedentis articuli; ex quo patet disparem esse rationem potentiæ generatiuæ à potentia spiratiua, quòd hæc postulet per se & necessariò dualitatem suppositorum, illa verò minimè.

Tertium est: Spiritus sanctus procedit vt amor, vt patebit ampliùs sequenti quæstione: at amor non postulat ex sua natura procedere à pluribus suppositis distinctis realiter à se inuicem, neque item postulat ex sua natura produci realiter à cognitione seu notitia etiam genita, sed tantùm ostendi & manifestari voluntati per cognitionem, vt patet in nobis, in quibus amor producitur à voluntate, vt est

A in vnico duntaxat supposito, nec Verbum productum ex cognitione rei amabilis concurrit realiter ad productionẽ rei amabilis, sed tantùm simpliciter præsupponitur: ergo pari iure Spiritus sanctus, qui est amor, non postulabit intrinsecè & ex propria sua natura, sed tantùm per accidens procedere à duabus personis, nimirum ex eo, quòd Verbum productum ex cognitione rei amabilis, & præsuppositum ad productionem amoris, sit subsistens, & habeat in se ipso eandem numero vim spirandi, quam ipse Pater habet. V.

Respondetur ad primam partem argumenti, duplicem distingui amorem; vnum *simplicis beneuolentiæ* quo prosequimur aliquid amore, eique benè volumus, licet nos non redamet: alterum *mutuum & reciprocum*, quo ita prosequimur aliquem amore, vt etiam ille
B nos redamet: primus amor non postulat intrinsecè produci à duobus, vt per se patet, & docet experientia; at posterior amor id postulat, vt etiam eius explicatio significat: vnde cùm Spiritus sanctus procedat, non vt quidam simplex amor beneuolentiæ, sed absolutè & simpliciter, vt amor reciprocus, & mutuus nexus, seu vinculum, quo Pater & Filius sese diligunt inuicem, exigit necessariò procedere à duobus suppositis realiter à se inuicem distinctis. VI.

Ad secundam partem argumenti, quâ dicitur *amorem non postulare produci realiter à cognitione, seu notitia etiam genita, sed tantùm manifestari voluntati*, respondetur primò, amorem *simplicis beneuolentiæ* tantùm postulare produci ab vno; at quando est reciprocus,
C qualis est Spiritus sanctus, postulare intrinsecè procedere à duobus, vt nunc est explicatũ: & licet in creaturis intellectualibus amor ille reciprocus sit entitatiuè distinctus ab actione dilectionis, & termino producto per illam, pro distinctione, quam actus illi, quibus creaturæ sese mutuò diligunt, seruant inter se; quia tamen in personis diuinis tota realis distinctio prouenit à relatiua oppositione fundata in origine vnius ab alio, vt ostendimus, nec Pater & Filius sibi inuicem relatiuè opponuntur, siue in actu dilectionis notionalis, siue in eius termino, seu in habitudine, quâ illum respiciunt, quin potiùs sunt concordes, & quid vnum, fit, vt ratione istius disparitatis actus dilectionis reciprocæ Patris ad Filium ambæ illæ personæ producant eundem numero simplicissimum terminum suæ
D dilectionis reciprocæ. VII. VIII.

Nec obstat, quòd Verbum productum ex cognitione rei amabilis, non concurrat realiter & physicè ad productionem eius amoris, qui subsequitur ad cognitionem; nam possumus duo distinguere in Verbo diuino; primùm, quòd præcisè sit Verbum, & Filius productus per actum cognitionis notionalis; deinde quòd ita sit productum à Deo Patre, vt etiam per suam generationem ab illo acceperit vim spiratiuam, nondum habentem suum terminum, ex defectu conditionis sibi necessariæ, nimirum existentiæ in duobus suppositis, quam conditionem consequitur eo ipso, quo communicatur Verbo: iam Verbum diuinum spectatum priori modo præcisè & vt sic, non est principium Spiritus sancti, nec vt sic præcisè concurrit actiuè ad

I. eius productionem; sed tantùm posteriori
modo, quatenus habet eandem cum Patre
vim spirandi existentem in duobus suppositis;
tanquam in suo statu accommodato ad spi-
randum.

Quæres, cùm Spiritus sanctus sit à Patre &
Filio, vt ostendimus, an tamen æquè imme-
diatè, æquè principaliter, & eodem modo
procedat à Filio ac Patre.

Respondetur affirmatiuè: nam omnis im-
mediatio agentis est aut *virtutis*, vel *suppositi*,
aut *vtriusque simul*: at Pater & Filius spirant
per eandem numero virtutem: ergo æquè
immediatione *virtutis* Pater & Filius spirant
immediatè Spiritum sanctum, item æquè im-
mediatè spirant illum immediatione *suppositi*,
quia tam Filius, quàm Pater habent in se to-
tam illam virtutem spirandi, & est princi-
II. pium necessarium, nec suppositum Patris
mediat inter Spiritum sanctum & Filium vt
spirantem, nec econtrà suppositum Filij inter
Spiritum sanctum & Patrem vt spirantem il-
lum: ergo nostro duntaxat modo concipien-
di virtus illa spirandi priùs est, quoad actum
primum in illis personis, quàm de facto &
actu spirent. Et hoc potest vtcumque expli-
cari exemplo creationis, quæ est æquè imme-
diatè à Spiritu sancto & Filio, ac est à Patre;
vnde quando aliqui, vt sanctus Augustinus
libro decimoquinto *de Trinitate* capite decimo
septimo, sanctus Hieronymus *in expositione
symboli*, dicant Spiritum sanctum procedere
principaliter à Patre, vel Spiritum sanctum
magis propriè procedere à Patre, sensus eo-
rum est tantùm iste, Spiritum sanctum sic pro-
III. cedere à Filio, vt tamen Filius habeat à Patre
hanc virtutem spirandi: & ad id ostendendum
dicunt Spiritum sanctum procedere principa-
liter à Patre, vt patet ex ipsomet textu sancti
Augustini suprà, vbi ita subiungit, *sed hoc quo-
que illi Pater dedit*; & ob eandem rationem
Patres Græci dicunt Spiritum sanctum pro-
cedere à Patre per Filium, vt scilicet signifi-
cent ita Spiritum sanctum procedere à Patre
& Filio, vt tamen Filius habeat à Patre virtu-
tem spirandi, vt etiam Cardinalis Bessarion
ostendit illâ oratione, quam habuit in Con-
cilio Florentino; hinc à contrario non possu-
mus dicere Spiritum sanctum procedere à Fi-
lio per Patrem, quia Pater non habet à Filio
virtutem spirandi, quod tamen hæc particula,
per, significat in eiusmodi propositione.

IV. ## ARTICVLVS VIII.

Vtrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

DVPLEX distingui potest principium, v-
num *quo*, alterum *quod*: principium *quo*
nihil est aliud, quàm ipsa virtus, & ratio ope-
randi: principium autem *quod* est ipsum con-
stitutum ex tali virtute, & ex habente istam
virtutem. Si quæstio moueatur de principio
quo, est de fide illud esse omninò idem in Pa-
tre, & Filio, nimirum eandem numero vim
spiratiuam in Patre & Filio; sic enim habe-
mus definitum in Concilio Florentino sessio-
ne vltimâ in litteris vnionis, vbi definitur Spi-
ritum sanctum procedere à Patre & Filio,
tanquam ab vnico principio, per vnicam spi-

A rationem, & in Concilio Lugdunensi, & re- V.
fertur capite *fideli* de summa Trinitate in sex-
to: & facilè probatur ex dictis: nam in diui-
nis omnia sunt vnum & idem, vbi relatio op-
positionis non obuiat; at inter Patrem & Fi-
lium comparatione spirationis actiuæ, nulla
oppositio relationis obuiat.

Quid autem sit vis illa seu virtus spiratiua
commodiùs explicabitur infrà, vbi agetur de
potentia, & actibus notionalibus.

Quæres, an licet in Patre & Filio sit eadem
spiratio, Pater & Filius rectè dicantur esse v-
num principium Spiritus sancti; an verò me-
liùs dicatur vnum esse duntaxat principium
spirandi in Patre & Filio?

Respondetur contra Durandum, & alios
nonnullos in primum sententiarum distin-
B ctione vigesimâ nonâ quæstione secundâ, me- VI.
liùs dici Patrem & Filium esse vnum princi-
pium Spiritus sancti: quia alter loquendi mo-
dus, vel tantùm significat rationem forma-
lem spirandi, non significando etiam perso-
nas Patris & Filij, vel simul etiam significat
illas: si primum, licet verum sit principium
istud esse vnum & idem in Patre & Filio; at-
tamen iste modus loquendi non satis explicat
identitatem istius principij cum ipsis personis
Patris & Filij, sed per modum cuiusdam com-
positi, in quo forma distinguitur ab ipso ha-
bente illam: vnde cùm Pater & Filius quate-
nus considerantur, vt habentes vim spirati-
uam, sint quid maximè vnum & idem, quia in
eo nullo modo distinguuntur, & ipse Deus
sit hoc, quod habet, meliùs dicemus Patrem
& Filium esse vnum principium Spiritus san-
C cti etiam loquendo de formali virtute spiran- VII.
di, quàm vnum esse tantùm principiũ sp ran-
di in Patre & Filio: si autem modus ille lo-
quendi simul etiam significet personas, duæ
illæ personæ debent dici vnum tantùm prin-
cipium Spiritus sancti, sicut personæ diuinæ,
licet sint tres, quia tamen vnam tantùm &
eandem habent diuinitatem, rectè dicuntur
vnus solummodò Deus, & non tres dij, ita
sanctus Thomas hîc articulo quarto, & alij
omnes communiter.

Probatur ex Concilio Florentino, & Lug-
dunensi superiùs relatis, quæ Græcis obiicien-
tibus, si Spiritus sanctus sit à Patre & Filio,
eum habiturum duo principia, id expresè ne-
gant, quia inquiunt procedit ab illis, vt ab
vno principio; quò loci istæ particulæ, *vt*, *tan-
quam*, & similes, non ponuntur ad diminuen-
D dam veritatem rei, sed ad emolliendum hunc VIII.
loquendi modum, & ad maiorem explicatio-
nem ipsius rei, sicut quando sancti Ioannis
primo dicitur de Filio *quasi vnigeniti à Patre*,
vt animaduertimus ex Patribus disputando
contra Arianos.

Probatur item hæc responsio ex communi
regula Dialecticorum de nominibus substan-
tiuis & adiectiuis, quòd hæc ad sui multipli-
cationem postulent multiplicationem solum-
modò suppositorum, illa verò insuper & mul-
tiplicationem formarum; at hoc nomen *prin-
cipium* est substantiuum, vt per se constat,
forma per illud significata est vis spiratiua,
quæ non multiplicatur, sed est vna & eadem
numero in Patre & Filio: ergo Pater & Filius
non possunt dici duo principia Spiritus san-
cti, sed vnum tantùm.

I. Quæres secundò, quid denotet & pro quo supponat in præsenti difficultate hæc particula *vnum principium* sumptum pro principio *quod*, an suppositum virtutis spiratiuæ, an virtutem illam spirandi communem Patri & Filio.

Respondetur supponere pro concreto spirationis actiuæ, quod significat directè vim spirãdi, & indirectè ipsam eius suppositalitatẽ; quemadmodum nomen hoc *Deus* significat concretum deitatis, ita vt directum eius significatum sit ipsa deitas, indirectum autem sit ipsa eius suppositalitas. Ideóque sicut non dicimus esse tres deos, licet tres sint personalitates, quibus ipsa diuinitas subsistit, sed vnum tantùm dicimus Deum: sic etiam, quia in Patre & Filio est vnica vis spirandi, licet sint duo supposita, non dicemus duo esse principia Spi- II. ritus sancti, cùm nomen numerale additum huic termino *principia* multiplicet rationem principij, & proinde spirationis actiuæ, non autem suppositi, vt videre est in illa simili propositione *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres dij*; quę propositio est hæretica: sed quemadmodum rectè dicimus esse tres personas in diuinis, quia hic terminus numeralis *(tres)* cadit super hunc terminum *(personas)* & personalitas multiplicatur in diuinis vsque ad numerum ternarium, rectè dicimus Deum esse trinũ, tres personas esse Deum; sic etiam quia in hac propositione, *Pater & Filius sũt duo supposita spiratiua*, hæc dictio numeralis *(duo)* cadit supra istam *(supposita)* & tantùm significat dualitatem suppositorum spirantium Spiritum sanctum, quæ intrinsecè requiritur ad processionem Spiritus sancti, vt ostendimus, fit, vt III. hæc posterior propositio sit vera, sicut & hæc *Pater & Filius sunt duo spirantes*, cùm spirans sit adiectiuum, non tamen hæc propositio *sunt duo spiratores*, quia spirator ita est nomen substantiuum vt de suo formali significet ipsam spirationem, quæ tamen est vnica in Patre & Filio: pari etiam iure quamuis in Deo Patre sit vis generatiua, eáque aliquo modo saltem virtualiter distincta à vi spiratiua, non possumus dicere Patrem esse duo principia re, & de facto, sed vnum tantùm principium, virtute tamen duplex, cùm inter hanc vtramque virtutem actiuam gignendi & spirandi sit realis identitas, vnúmque sit numero Patri suppositum: & tandem hoc nomen *principium* sit substantiuum, cuius realis multiplicatio non attenditur penes terminum, quem producit, vel respicit, sicut ipsa processio & relatio, vt IV. suprà notauimus, sed potiùs significet ad modum cuiusdam absoluti.

A V.

AD QVÆST. XXXVII.

DISPVTATIO VNICA.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

ARTICVLVS I.

Vtrùm amor sit proprium nomen Spiritus sancti, & ex cuius obiecti amore Spiritus sanctus procedat.

B NOTANDVM est autem hoc nomẽ *(amor)* aliquando sumi *essentialiter*, quomodo dicitur de tota Trinitate, & importat habitudinem amantis ad rem amatam, sic primæ sancti Ioannis capite quarto dicitur, *Deus charitas est*, & sic docet sanctus Augustinus libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo septimo; item aliquando sumi *notionaliter*, pro termino producto per volitionem, quomodo significat habitudinem termini procedentis per voluntatem, ad suum principium. Hoc præmisso sit VI.

Prima propositio. *Nomen hoc* amor *sumptum notionaliter est proprium nomen Spiritus sancti.* Ita sanctus Thomas hîc articulo primo & omnes communiter. Sanctus Augustinus citato nunc capite & sequenti fusè probat hanc C propositionem, quæ etiam hâc ratione confirmatur: illud propriè dicitur *amor*, quod VII. procedit immediatè per actum amandi, vt etiam videre est in nobis: at Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio per actum amandi, seu per volitionem, vt docuimus, & mox adhuc patebit, & hoc est soli Spiritui sancto proprium ad intra, cùm nulla alia persona procedat per voluntatem: ergo Spiritus sanctus est propriè *amor*, & *amor* est nomen eius proprium.

Secunda propositio. *Spiritus sanctus procedit ex amore necessario, quo Pater & Filius diligunt diuinam essentiam, sese, suásque perfectiones tam relatiuas siue notionales, quàm essentiales.* Ita omnes communiter hâc quæstione.

Probatur facilè similibus ferè argumentis, quibus suprà ostendimus Verbum diuinum D procedere ex cognitione necessaria diuinæ es- VIII. sentiæ, personarum diuinarum, & attributorum tam relatiuorum, quàm absolutorum. Nam imprimis quidquid procedit per volitionem, debet necessariò procedere per illam, vt terminatam ad aliquod obiectum, cùm omnis volitio sit alicuius obiecti, ad quod illa sese terminet, & cùm sit per modum actionis, debet esse productiua alicuius termini.

Deinde quòd ille amor seu volitio, per quam Spiritus S. procedit, debeat *esse necessaria*; probatur ex eo, quod est ad intra, & omnia ad intra in diuinis sunt necessaria.

Secundò, *quòd amor ille debeat esse is, quo Pater & Filius sese diligunt*, probatur: quia Spiritus sanctus procedit, vt amor mutuus, & reciprocus Patris & Filij, vt nexus illo-

I. rum, & ideò Pater & Filius dicuntur à Patribus, citandis articulo sequenti, sese diligere Spiritu sancto, scilicet tanquam termino suæ dilectionis mutuæ.

Quartò *Spiritum sanctum etiam procedere ex aliis diuinis obiectis suprà enumeratis* patet: Spiritus sanctus procedit per amorem Dei perfectissimum necessarium, & comprehensiuum omnis & cuiuslibet obiecti necessariò amabilis, quod est in ipso Deo, sicut Verbum diuinum procedit per cognitionem necessariam & comprehensiuã omnis & cuiuslibet obiecti à Deo, & in Deo necessariò cognoscibilis, quia volitio, per quam Spiritus S. procedit, debet esse tam perfecta in suo genere, quàm cognitio per quam Verbum diuinum procedit, est perfecta: at amor perfectissimus, necessarius & cõprehensiuus omnis & cuiuslibet obiecti necessa-
II. riò amabilis in Deo sese terminat ad essentiam diuinam, quia illa est formaliter summum bonum, item ad personas diuinas, quia vt personæ etiam constituuntur illâ, sic etiam habent & amabilitatem, & præterea diuinæ personalitates sunt verè entitates actuales ex dictis suprà: ergo habent & bonitatem actualem sibi correspondentem: ergo & amabilitatem: ergo & amor ille Patris & Filij, cùm sit comprehensiuus, sese etiam terminat ad illas, & eodem modo seruatâ proportione dicendum est de aliis perfectionibus absolutis.

Quæres, an quemadmodum in diuinis Verbum procedit ex intuitiua cognitione omniũ, nunc enumeratorum, & ex abstractiua tantùm rerum possibilium, an etiam Spiritus S. procedat ex amore diuinæ essentiæ personarum di-
III. uinarum, & perfectionum tam notionalium, quàm essentialium, vt præsentium, & possessarum; item & ex aliquo amore *simplicis cuiusdam complacentiæ* ad res possibiles.

Respondetur primò Spiritum S. procedere ex *amore gaudij*, quo Pater & Filius gaudent de essentia diuina, & aliis nunc enumeratis, in prima parte difficultatis vt præsentibus & possessis, quia seruatâ proportione, eadẽ est quoad hoc ratio processionis ipsius Spiritus S. ac Verbi diuini, & difficultates, quæ possunt hîc moueri, veniunt eodem planè modo dissoluendę, quo dissoluimus eas, quæ mouentur circa modum, quo Filius procedit ex intuitiua cognitione istorum obiectorum.

Respondetur secundò Spiritum S. nullo modo procedere *ex amore rerum possibilium*; cuius
IV. optima ratio est, quòd Deus loquendo propriè nullum amorem habeat erga res purè possibiles, vt ex professo docuimus agendo de voluntate Dei.

ARTICVLVS II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

SIT vnica propositio. *Pater & Filius sese diligunt Spiritu sancto, non quòd Pater & Filius accipiant suam dilectionem à Spiritu sancto, sed quatenus Patrem & Filium sese diligere nihil est aliud, quàm Patrem & Filium sese mutuò diligendo producere Spiritum sanctum, & ipso Spiritu sancto tanquam in termino notionalis suæ dilectionis, vniri inter se affectiuâ vnione.*

Vt hæc conclusio explicetur, & simul probe-
A tur, imprimis notandum est, ipsum diligere V.
sumptum *notionaliter* posse accipi duobus modis; primò prout tantùm significat producere amorem, sicut etiam ipsum dicere, idem est ac generare; secundo modo prout significat inclinari in obiectum amandum, seu tendere, & ferri in ipsum obiectum: iam quando dicimus Patrem & Filium sese diligere Spiritu S. non accipimus eiusmodi diligere priori modo, quasi sensus sit Spiritum sanctum esse rationem, vt Pater & Filius sese spirent; hoc enim est falsum, cùm duæ illæ personæ sint inspirabiles; sed sumimus eiusmodi *diligere* posteriori tantùm modo.

Deinde notandum, nomina & verba, quibus actus notionales exprimuntur, esse in duplici differentia: nam alia sunt, quæ tantùm significant habitudinem principij ad terminũ,
B quem producunt, cuiusmodi sunt *generare, spirare*, & actus illi notionales, qui significantur VI.
istis nominibus & verbis, non possunt reflecti supra personas à quibus sunt, exempli gratiâ, non rectè dicimus *Pater generat se, Pater & Filius spirant seipsos*; sed dicendum est, *Pater generat Filium, Pater & Filius spirant Spiritum S.* alia verò sunt nomina & verba, quæ præter habitudinem principij ad suum terminum, dicunt etiam aliquam habitudinem rationis principij ad obiecta, circa quæ ille actus notionalis versatur, & ex quorum cognitione, vel inclinatione ad quæ, ipsum principium attingit productionem sui termini, eiusmodi sunt *dicere, diligere*, quæ præter productionem Verbi, & Amoris, significant aliquem respectum rationis ipsius Patris dicentis, ad
C res, quas dum Pater generat Verbum, cog- VII.
noscit, & quas Pater & Filius, dum spirant Spiritum sanctum, amant; actus notionales, qui significantur nominibus & verbis huius secundi generis, ratione huius respectus rationis, qui etiam cadit supra ipsum principium actus notionalis, tanquam aliquod eius obiectum, reflectuntur & cadunt supra personam, quæ est principium eiusmodi actus, quia tantùm significant ipsum principium producere etiam terminum, ex cognitione sui ipsius, tanquam obiecti, vel ex propensione ad seipsum, tanquam obiectum suæ dilectionis.

Ex quibus omnibus nostra conclusio probatur: sicut ipsum dicere sese habet ad Verbum, sic & ipsum diligere sese habet ad Spiritum sanctum, ex secundo notabili: at hæc
D propositio, *Pater diuinus sese & omnia dicit* VIII.
Verbo, est verissima, quia sensus eius tantùm est producere Filium ex cognitione sui & omnium rerum, quatenus sunt obiectum terminatiuum suæ cognitionis, & Filium generari tanquam terminum talis cognitionis: ergo à pari hæc propositio, *Pater & Filius sese diligunt Spiritu sancto*, erit verissima, quia sensus illius est tantùm iste, *Pater & Filius spirant Spiritum sanctum sese mutuò diligendo*, ita vt ambæ illę personæ sint obiectum aliquod illius amoris, seu volitionis, quã tertia persona Trinitatis producitur, seu spiratur à Patre & Filio.

Atque hinc Spiritus sanctus dicitur à Patribus *nexus Patris & Filij, osculum Patris, & Filij*, vt à sancto Bernardo sermone tertio *in cantica*. Item *amor indiuiduus, vnitas indi-*

I. *uisibilis*, quia scilicet Pater & Filius vniuntur
A in Spiritu S. tanquam in termino, sicut qui sese osculantur mutuò vniuntur sibi inuicem in ipso osculo, tanquam in termino.

Ex quibus omnibus facilè intelligitur disparem esse rationem istarum propositionum, *Pater est sapiens sapientiâ genitâ*, & *Pater generat se Verbo, vel Filio*, ab illa propositione *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto*; prima enim non significat aliquid notionale, sed essentiale, & denotat Patrem accipere talem perfectionem à suo Filio, quod est falsum, ideóque sanctus Augustinus lib. 1. retractationum cap. 26. retractauit illam; secunda verò propositio, licet significet actum notionalem, quia tamen hoc verbum (*generat*) tantùm significat habitudinem principij ad suum terminum, est falsa, vt notauimus, sícque sol-
II. uuntur facilè quæcumque Durandus primo
B sententiarum distinctione trigesimâ secundâ quæstione primâ profert contra nostram propositionem.

AD QVÆST. XXXVIII.

DISPVTATIO VNICA.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum.

ARTICVLVS PRIMVS.

III. *Quid sit donum.*

HOc nomen *donum* sumitur duobus modis, vno *propriè*, alio *minus propriè*; donum *propriè* sumptum definitur ab Arist. l. 4. *topicorum* c. 4. *datio irredibilis*, id est gratuita & liberalis, seu donum est *res, quæ datur liberaliter absque vllo debito, & necessitate, vel etiam absque vllo titulo oneroso, seu sine onere alicuius solutionis seu retributionis*.

Primùm dicitur *datio*, vbi *datio* non sumitur actiuè pro actione, quâ aliquid datur, vel potest dari, sed passiuè pro ipsa re, quæ datur, vt patet ex communi modo loquendi, quo munera, seu res, quæ dantur, solemus appellare *dona*; deinde *datio* non ita ibi su-
IV. mitur passiuè, seu pro ipsa re, vt tamen essentialiter & in suo formali conceptu importet, quòd sit res actu & de facto data, quasi quandiu de facto non datur, tandiu careat ratione doni propriè dicti; sed ita sumitur passiuè, vt significet tantùm ipsam donabilitatem rei, ita vt ad hoc, vt aliqua res sit propriè donum, sufficiat, quòd talis sit conditionis, vt possit dari alteri; nam ex sancto Augustino libro quinto *de Trinitate* capite decimo quinto, donum & donatum differunt, quòd aliquid possit esse donum, antequam de facto detur, quatenus est aptum dari, non possit verò esse donatum, nisi sit de facto datum, quod etiam intelligitur ex illo modo loquendi, quo dicimus regem habere in suis thesauris multa dona, quatenus illæ res pretiosæ sunt talis conditionis, vt rex possit illas V.
liberaliter dare, quibus voluerit.

Tertiò dicitur *gratuita* & *liberalis*, quia donum & debitum opponuntur; merces enim debita operario non propriè appellatur *donum*, sed *debitum*, & quod ex necessitate confertur alicui, non dicitur propriè inter homines esse *donum*.

Quartò, quia donum definitur res, quæ datur saltem aptitudine, importantur duæ personæ in dono, prima *donantis*, secunda *donatarij*, & præterea res, quæ datur, est aliquâ ratione ipsius donantis: iam quia ad rationem doni saltem in communi sufficit, quòd res, quæ est donum, sit ipsius donantis, & fiat ipsius donatarij, & aliquid potest esse alicuius, non tantùm per proprietatem, vel dominium, vel per VI.
originem, sed etiam per identitatem, vt sanctus Thomas hîc articulo primo in solutione ad primum expresè notat; ideò ad rationem doni in communi, non est absolutè necessariũ, quòd distinguatur à donante, seu donatore, vel etiam donatario, sed interdum potest esse idem cum donante, & etiam interdũ idem cum ipso donatario: cuius conditionis hæc est ratio; donum nihil est aliud, quàm res, quæ datur liberaliter, sed aliquis potest dare seipsum alteri liberaliter, cùm sese ipsum possideat, & sit sui ipsius; vnde illud sancti Augustini tractatu vigesimo nono in sanctum Ioannem, *quid tam tuum, quàm tu*, & qui seipsum vouet Deo, dicitur communiter dare seipsum Deo: potest etiam donum esse idem cum donatario, seu accipiente, verbi gratiâ, ipsum esse, quod creatu-
C ræ habent à Deo, potest rectè dici *donum Dei*, VII.
licet non distinguatur ab ipsis creaturis, cùm Deus dederit illud merè liberaliter: ideóque ex consequenti non est absolutè necessarium ad rationem doni, vt dicat realem habitudinem seu relationem ad ipsum donantem, cùm hæc habitudo postulet distinctionem realem vnius relati à suo correlato, quę tunc ibi nulla interuenit.

Quintò, quia donum definitur *liberalis & gratuita datio*, prima radix doni propriissimè dicti debet esse *amor*, ita vt donum quatenus tale connotet primam radicem donandi esse ipsum amorem donantis erga donatarium: sic enim nullus interuenit titulus onerosus, vel etiam necessitas ex parte donantis, cùm tale donum procedat ex sola eius voluntate.

Tandem, quia donum per donationem est VIII.
D eius, cui donatur, & eo fine confertur donatario à donante, vt fruatur illo, & fruitio propriè sumpta est actus quidam voluntatis, ideò fit, vt donum possit tantùm propriè dari naturæ intellectuali, & volenti, quia hæc sola est capax fruitionis, vt Philosophi docent in ethicis, & Theologi cum sancto Thoma primâ secundæ agendo de actibus voluntatis: hinc sanctus Augustinus libro quarto *contra Iulianum* capite tertio, ait creaturas irrationales non esse capaces donationis gratuitæ.

Donum autem sumptum *lato modo*, & *impropriè*, est res omnis, quæ ita alicui datur ab alio, vt tamen careat vnâ vel pluribus conditionibus requisitis ad donum propriè sumptum.

I. ### ARTICVLVS II.

Vtrum donum sit nomen personale & propriu m Spiritus sancti.

NOTANDVM est, quòd, quia donum est inter duos, qui etiam sint intellectualis naturæ, dum quæritur an donum sit nomen personale & proprium Spiritus S. quæstionem posse esse de Spiritu S. per comparationem ad personas diuinas, & de personis diuinis, quatenus vna ad aliam, vel duæ ad tertiam comparantur, deinde quæstionem posse esse tam de diuina essentia, quàm de singulis personis diuinis per comparationem ad creaturas rationales. Hoc præmisso sit

Prima propositio. *Essentia diuina communi-*
II. *cata Filio à Patre per generationem, & à Patre & Filio Spiritui S. per spirationem non est propriè donum, sed solùm impropriè, similiter Filius respectu Patris ad intra, & Spiritus S. respectu Patris & Fily etiam ad intra.* Duæ sunt partes propositionis.

Prior probatur ex conditionibus requisitis ad donum propriè dictum, quæ hîc deficiunt, exempli gratiâ, quòd donum debeat esse *datio liberalis & gratuita*, non autem ex necessitate; at Deus Pater communicat Filio essentiam diuinam ex necessitate naturæ, cùm hæc cõmunicatio sit ad intra, vbi omnia sunt necessaria & necessariò procedunt, & hæc ratio idem probat de Spiritu S. vt procedente à Patre & Filio, & de ipso Filio vt procedente à Patre.

Posterior item pars probatur ex illo Christi Dom. apud S. Ioan. cap. 10. *Pater meus quod mihi dedit, maius omnibus est,* quemadmodum Latini Patres communiter legunt, & explicant
III. de diuina essentia, S. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, S. Ambrosius lib. 3. *de Spiritu S.* cap. 18. S. Augustinus tractatu 48. *in S. Ioannem,* & Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, & refertur capite *damnamus* extra de summa Trinitate & fide Catholica, vbi diuina essentia Filio communicata per generationem dicitur ei dari à Patre, & ex consequenti appellatur *donum,* quomodo eadem diuinitas communicata Spiritui S. per processionem, potest etiam appellari *donum,* sed solummodò impropriè.

Secunda propositio. *Ratio doni conuenit essentiæ diuinæ, item vnicuique personarum diuinarum tam coniunctim, quàm seorsim per comparationem ad creaturas rationales, ideóque hoc nomen*
IV. donum *iuxta aliquam acceptionem est nomen essentiale.*

Prior pars probatur: primò ex citata sententia Christi Domini, nam essentia diuina rectè potest ibi intelligi per hanc particulam, (*quod dedit mihi*) & proinde potest dici *donum,* quatenus Deus seu tota Trinitas vniuit in identitate suppositi Verbi diuini essentiam diuinam humanitati. Deinde probatur ex S. Thoma hîc articulo primo in solutione ad secundum.

Tertiò ratione petitâ ex conditionibus doni superiùs explicatis; nam primò Deus liberè coniunxit diuinitatem humanitati in eadem Verbi diuini subsistentia, quia hoc opus est ad extra, vt per se patet, & summæ Dei erga nos misericordiæ & clementiæ, vt scripturæ passim tradunt, quódque nemo hominum vel Ange-
A lorum promeruit de condigno, vt Theologi V.
communiter docent cum S. Thoma tertiâ parte, & proinde non est fundatum in aliquo titulo oneroso. Deinde per vnionem hypostaticam essentia diuina est etiam ipsius Christi Domini, & hic illam possidet, imò & fruitur eâ, nam vi talis vnionis est beatus à primo instanti suæ conceptionis, vt Theologi docent eadem parte, & in illo manet in perpetuum, quia hæc vnio nũquam est dissoluenda. Nec obstat quòd diuina essentia non distinguatur realiter à diuinis personis eã donantibus, sic vniendo, nam obseruauimus non esse de intrinseca ratione doni, vt illud, seu vt res, quę datur, distinguatur realiter à dante.

Idem probatur de omnibus personis diuinis coniunctim sumptis ex illo Christi Domini apud S. Ioannem cap. 14. sic loquentis de tri-
B bus personis diuinis, quæ in iustificatione donantur ei, qui iustificatur, *apud eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* item seorsim de Filio Isaię primo, *Filius datus est nobis,* sancti Ioannis tertio capite, *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:* & Spiritum sanctum esse etiam *donum* hoc modo docet sanctus Augustinus libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo nono. VI.

Posterior pars, scilicet *donum iuxta hanc acceptionem & applicationem esse nomen essentiale,* probatur: illud censetur esse nomen essentiale, quod conuenit Deo, vel essentiæ eius, vel aliquibus personis diuinis ratione alicuius cõmunis omnibus & singulis personis diuinis: at hæc ratio doni conuenit diuinæ essentiæ, item personis diuinis ratione alicuius, quod conuenit omnibus & singulis personis diuinis, & item essentię diuinæ, vt patet ex dictis pro pię-
C cedenti parte huius propositionis: ergo hoc nomen *donum* iuxta hanc acceptionem est nomen essentiale. VII.

Tertia propositio. *Ratio doni vt illud est alterius per originem conuenit Filio & Spiritui S. respectu creaturarum.* Probatũr: quia ambæ illæ personæ procedũt à Patre, sunt realiter distinctæ ab illo, dantur etiam à Patre creaturis rationalibus, Filius quidem ex citatis locis Isaiæ, S. Ioannis, & *ad Romanos,* nam Deus effecit, vt hypostasis diuini Verbi esset hypostasis humanitatis Christi D. & hoc ex mera gratitudine; idem patet de Spiritu S. quia ita est à Patre, & Filio per originẽ, & distinctus realiter ab illis, & à creaturis rationalibus, vt tamen possit vniri hypostaticè eiusmodi creaturis, quemadmodum Theologi docent tertiâ parte de sin-
D gulis personis diuinis, & proinde cùm ratio VIII.
doni consistat in aptitudine, & Spiritus S. possit ab Angelis & hominibus possideri, erit etiã *donum* hoc modo. Est autem inter hanc rationem *doni* explicatam præsenti propositione, & rationem *doni* explicatam primâ & secundâ propositione, distinctio, quòd duæ posteriores sint *notionales*, quatenus fundantur in aliquo proprio & notionali istarum personarum, sicut & missio personarum diuinarum; ea verò, quæ primâ propositione explicatur, in aliquo tantùm essentiali fundetur.

Quarta propositio. *Ratio doni, quod ita est alterius, seu dantis per originem, vt sit ab eo formaliter per amorem, tanquam primam radicem & rationem donandi, conuenit soli Spiritui sancto, & ita hoc nomen (* donum*) est personale &*

I. *proprium soli Spiritui sancto*. Ita sanctus Tho-
mas hîc articulo secundo, & omnes Scholasti-
ci communiter. Quod etiam sanctus Augusti-
nus docet lib. 4. *de Trinitate* capite vigesimo,
libro quinto capite vndecimo, & sequentibus,
libro decimo quinto capite decimo nono.

Probatur ex illo Christi Domini apud san-
ctum Ioannem capite quarto, *mulier si scires do-
num Dei*, id est Spiritum sanctum, vt explicant
sanctus Athanasius libro de *incarnatione Chri-
sti Domini*, sanctus Augustinus tractatu decimo
quinto *in sanctum Ioannem*, item ex cap. octa-
uo Actuum, vbi cùm Simon Magus obtulisset
Apostolis pecunias, pro accipienda potestate
dandi Spiritum S. S. Petrus ita ei respondit,
*pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam do-
num Dei existimasti pecuniâ possideri*, quò loci
quod Simon Magus nominauerat Spiritum
II. sanctum, sanctus Petrus vocat *donum Dei*.

Probatur item ex vsu Ecclesiæ, quæ in so-
lemni hymno Pentecostes, Spiritum S. vocat
donum Dei altissimi. Tandem ex eo, quòd totum
hoc quartâ propositione explicatum conuenit
soli Spiritui S. quia prima radix donandi est a-
mor, vt patet ex citato loco Aristotelis, sed so-
lus Spiritus S. procedit vt amor ex dictis, imò
amor ipse est donũ per seipsum, quia ita datur
ex beneuolentia, vt sit ratio dandi cætera, &
solus Spiritus S. est primus amor procedens, &
radix dãdi ipsum, & cætera creaturis rationali-
bus, cùm quęcumque dantur creaturis à Deo,
dentur illis ex gratuita voluntate: ergo hoc
nomen ita acceptum est personale, & pro-
prium soli Spiritui sancto.

Neque obstat, quod quidam dicunt reperi-
ri in dono, vt est nomẽ proprium solius Spiri-
III. tus S. quòd aliquis respectus ad creaturas, qui-
bus donatur, importetur, & etiã aliquis effe-
ctus, qui sit à tota Trinitate, & fit in tempore;
verbi gratia, cùm Spiritus sanctus datur homi-
ni in iustificatione, gratia producitur à tota
Trinitate, ratione cuius gratiæ, Spiritus san-
ctus habet aliquem respectum specialem ra-
tionis ad iustificatum, & propter hoc, quod est
commune toti Trinitati, non videtur esse posse
proprium soli Spiritui sancto.

Hoc inquam non obstat, quin semper tale
nomen remaneat ei proprium; nam ea nomi-
na, quæ important aliquem respectum ad
creaturas, & præter illum, adhuc significant a-
liquid speciale & proprium alicui personæ di-
uinæ, non desinunt esse personalia, & propria
ei diuinæ personæ, cui illud speciale, quod si-
IV. gnificant, est propriũ, vt videre est in hoc no-
mine *redemptor*; vnde licet donum in ratione
actualis communicationis sit aliquid commu-
ne omnibus personis diuinis, quatenus hæc
communicatio est effectiuè à sola Trinitate,
cùm sit quædam actio ad extra, quia tamen di-
cit amorem, vt radicem eiusmodi communi-
cationis, & solus Spiritus sanctus procedit vt
amor, fit, vt ratione huius specialis nomen hoc
donum sit nomen personale, & proprium Spi-
ritus sancti.

Quinta propositio. *Rationes doni superiùs
explicatæ conueniunt suis subiectis ab æterno*.
Probatur: ad rationem doni sufficit, quòd
sit aptum donari; vt obseruauimus; at tam
diuina essentia, quàm omnes & singulæ per-
sonæ diuinæ fuerunt ab æterno, quantum re-
quiritur ex parte illarum, aptæ donari: & si

A quid obstitit, totum illud sese tenet ex parte V.
creaturarum rationalium, quæ vel non po-
tuerunt creari ab æterno, vel si tunc creari
potuerunt, ex sola Dei voluntate nolentis,
nisi hoc & illo tempore, hoc & illo modo es-
sentiam diuinam, omnes personas diuinas vel
aliquam earum dare.

Obiicitur: nomina, quæ significant actio-
nem transeuntem, conueniunt Deo solùm ex
tempore, quo creaturę cœperunt esse, vt osten-
ditur quæstione decimâ tertiâ huius partis: at
hoc nomen *donum* significat actionem tran-
seuntem, cùm significet collationem rei, quæ
datur.

Respondetur alia esse nomina, quæ inclu-
dunt actionem transeuntem actu existentẽ, vel
quæ fuerit, vt sunt creator, gubernator, alia
quæ denotant solam aptitudinem; priora con-
B ueniunt tantùm Deo ex tempore, quia actio VI.
illa transiens, quam connotant, est tantùm
in tempore; posteriora verò conueniunt ab
æterno, quia fundantur in sola aptitudine,
quæ ab æterno conuenit Deo, & personis
diuinis, & de hoc genere est hoc nomen *do-
num*.

Aduertendum tamen est hæc duo distingui,
Spiritum sanctum esse *donum simpliciter*, &
esse *nostrum donum*; primum enim conuenit ei
ab æterno, secundum tantùm in tempore,
quo actu & de facto datur creaturis rationali-
bus, vt S. Thomas tradit hîc articulo secundo
in solutione ad tertium. Nam *esse nostrum*, est
possideri à nobis, vnde cùm tunc tantùm possi-
deatur, quando datur de facto, & obtinetur a-
ctu, tunc tantùm Spiritus S. potest dici *donum
nostrum*; sed quia ab æterno est ipsius dantis,
C cùm procedat ab illo per originem, & ab æter- VII.
no sit aptus donari nobis à Patre & Filio, à qui-
bus procedit vt amor, fit, vt semper sit *donum*
ab æterno. Et quamuis dum possidetur, rectè
dicatur *donum nostrum*, non potest tamen dici
noster Spiritus, sicut nec secunda persona Tri-
nitatis *noster Filius*, quia hæc nomina signifi-
cant habitudinem, seu relationem personæ
procedentis ad personam producentem,
vnde Spiritus S. potest dici tantùm Spiritus il-
lius, à quo procedit, sicut Filius est tantùm sui
Patris Filius.

Vltima propositio. *Esse donum speciali modo
superiùs explicato conuenit Spiritui sancto, ratio-
ne diuini amoris essentialis, vt formaliter prima-
riò & ex vi suæ processionis accepti, & proinde vt
per propriam relationem determinati.*

D Probatur: Spiritus S. eo præcisè est donum VIII.
illo speciali modo, quo est à Patre & Filio per
originem sub ratione amoris, & habet, quòd
sit aptus dari liberaliter à Patre & Filio crea-
turis rationalibus; sed Spiritus sanctus est for-
maliter à Patre & Filio, sub ratione amoris
essentialis, sibi per processionem communi-
cati, prout amor ille constituitur in esse sub-
sistentis, per suam propriam relationem; &
eo ipso, quo est amor Patris & Filij procedens
ab illis per voluntatem, est aptus ab illis dari
liberaliter creaturis intellectualibus, & hoc
dicit solummodò amorem diuinum essentia-
lem, vt subsistentem & determinatum per spi-
rationem passiuam.

Hinc licet hoc donum dicat realem relatio-
nem ad dantem, quia tamen hæc relatio est
per originem Spiritus sancti, sub ratione amo-

I. ris per volitionem, & hæc relatio reipsa coincidit cum relatione spirati ad spiratorem, fit, vt talis relatio non augeat numerum diuinarum relationum, & hæc donabilitas, quæ constituit Spiritum sanctum formaliter & realiter donum, ita est aliquid reale in illo, vt sit ipsemet Spiritus sanctus prout procedit à Patre & Filio, sub ratione primi amoris, & prout etiam est aptus per illos nobis & Angelis dari.

AD QVÆSTIONEM XXXIX.

DISPVTATIO VNICA.

De personis diuinis ad essentiam
II. ### *relatis.*

QVIA docuimus cum sancto Thoma esse tres personas in Deo, & vnicam essentiam, à qua relationes originis non distinguuntur realiter, sicque tres personas diuinas esse & rectè dici vnius & eiusdem essentiæ, vt sanctus Thomas docet hâc quæstione articulo secundo; ideò nunc explicatis, quæ spectant ad vnamquamque personam diuinam in particulari, videndum est, quâ ratione tam diuina essentia, quàm perfectiones eius essentiales possint cum vnitate & multitudine prædicari de personis diuinis.

III. ARTICVLVS I.

Vtrum nomina essentialia prædicentur singulariter de personis diuinis.

EST notandũ primò, ea nomina, quibus diuina essentia, vel aliquod attributum commune toti Trinitati exprimitur, appellari à Theologis *essentialia*, cuiusmodi sunt bonitas, iustitia, & id genus cætera.

Notandum secundò, eiusmodi nomina alia esse abstracta *essentialia*, quæ aliquid significant, vt formam, vel actum seiunctum à subiecto, vel supposito, vt sapientia, bonitas, deitas; ea verò dicuntur *concreta*, quæ significant aliquid vt perfectum, constitutum, actuatum formâ, seu quæ significant formam ipsam, vt in supposito, exempli gratiâ, bonus, sapiens,
IV. Deus.

Notandum tertiò, eiusmodi nomina alia esse *substantiua*, vel *substantiuè vsurpata*, vt Deus, Dominus, alia esse *adiectiua*, vt bonus, sapiens. Itaque sensus articuli est, an ista nomina seu potiùs res per illa significatæ debeant prædicari, cum vnitate, vel multitudine de personis diuinis, id est, an terminus significans numerum possit adiungi illis, an verò solus numerus importans vnitatem, verbi gratiâ, an sit dicendum Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres dij, sunt tres sapientes. His prænotatis,

Sit hæc propositio. *Nomina concreta essentialia substantiua vel etiam adiectiua substantiuè tamen accepta, prædicantur singulariter de tribus personis diuinis; nomina verò essentialia*
A *adiectiua, vel substantiua adiectiuè sumpta, prædicantur pluraliter de personis diuinis.* Ita sanctus Thomas hîc. Et prior pars propositionis V.

Probatur ex ipsa fide Catholica, quâ credimus vnum tantùm esse Deum, licet tres sint personæ diuinæ, vt scripturæ passim docent, vt primæ *ad Corinthios* capite octauo, & alibi, & illud sancti Athanasij in Symbolo, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, & tamen non tres dij, sed vnus Deus*, & passim in Conciliis & Patribus, qui dicunt plures esse deos, damnantur; at huius assertionis fidei nulla potest esse alia ratio, quàm, quòd hoc nomen *Deus* sit nomen substantiuum essentiale, cuius significatum primarium & directum, scilicet *deitas*, non multiplicatur in diuinis, vt expresse tradunt Sophronius in sua
B epistolâ, & Iustinianus Imperator in edicto VI.
fidei approbato per Vigilium summum Pontificem: ergo sola vnitas formæ significatæ per tale nomen sufficit, vt nomen essentiale substantiuum concretum dicatur tunc in numero singulari de pluribus personis diuinis, in quibus talis forma est vna & eadem simplicissima.

Addidi in conclusione hanc particulam (*vel adiectiua substantiuè tamen sumpta*) fit enim aliquando, vt nomen, quod est adiectiuum, sumatur substantiuè, & tunc in significando, & prædicando sequitur conditionem nominum substantiuorum; sic sanctus Athanasius in Symbolo ait, in diuinis esse vnum omnipotentem, vnum æternum, cùm tamen ibidem dicat tres personas diuinas, esse sibi coæternas, cuius loquendi formulæ ratio est,
C quòd ibi accipiat istos terminos (*æternus, omnipotens*) substantiuè, vt patet ex eo, quòd masculinè vsurpet illos. VII.

Probatur etiam ratione fundatâ in modo, quo nomen substantiuum significat: nam modus prædicandi sequitur modum essendi, prout ille subest nostro modo concipiendi & explicandi, iuxta communem regulam dialecticorum: at nomen substantiuum concretum essentiale significat primò per se, & directè formam, quam importat, & hæc forma est vna simplicissima in omnibus personis diuinis: ergo nomen illud substantiuum concretum essentiale debet prædicari singulariter de omnibus personis diuinis.

Altera pars propositionis, quæ est *de adiectiuis cõcretis* probatur: nomen adiectiuũ significat formam, vt adiacentem alteri, & primariò VIII.
D aliquid subsistens, seu vt habens talem formam: dum enim significatio eius resoluitur, ita explicatur, verbi gratia, *omnipotens*, qui habet omnipotentiam; sed in diuinis tres sunt, qui habent omnipotentiam, qui habent iustitiam, &c. ergo nomen essentiale adiectiuum concretum rectè prædicatur pluraliter de personis diuinis.

Deinde nomina substantiua in eo distinguuntur ab adiectiuis, quòd ad sui multiplicationem postulent multiplicationem formarum, quas significant, & suppositorum simul in quibus sunt, verbi gratiâ, licet vnus & idem homo nouerit multas, & diuersas realiter artes, vel scientias, habeat plura dominia realiter distincta, non tamen dicitur plures artifices, plures doctores, plures domini,

I. & sic de cæteris, vt patet ex Symbolo sancti Athanasij, in quo tres personæ dicuntur vnus Deus.

Huius vtriusque conditionis requisitæ ad multiplicationem nominis substantiui hæc est ratio, quòd terminus concretus substantiuus significet formam, & ipsum eam habens, ad modum stantis per se, seu subsistentis; vnde quando enuntiatur in plurali numero, significatur tam ipsum habens, quàm ipsam formam esse plura, seu multiplicari, sícque cùm suppositum sit ipsum habens, fit, vt nomen substantiuum concretum ad sui multiplicationem postulet, non tantùm multiplicationem suppositorum, sed etiam formarum, maximè cùm ipsa pluralitas significet aliquam negationem in his, quæ dicuntur plura, quæ negatio tunc reperitur, cùm dicat diuisionem seu distinctionem vnius ab alio; at econtrà

II. terminus concretus adiectiuus significat tantùm formam, vt adiacentem ipsi supposito, ideóque primariè significat suppositum, seu habens formam, vt sic denotetur in quibusnam ipsa forma reperiatur, & proinde cùm, vt vna talis numero forma repetiatur in pluribus numero tanquam habentibus, sufficiat pluralitas suppositorum, quæ etiam importatur adiectiuo nomine, pluraliter enuntiato, fit, vt ad multiplicationem nominis adiectiui, satis sit, quòd plura sint supposita; at nomina illa essentialia Dei concreta contenta priori parte conclusionis, sunt propriè substantiua, quæ verò explicantur posteriori sunt adiectiua: ergo priora possunt tantùm dici singulariter de omnibus personis diuinis, posteriora verò pluraliter.

III. Neque obstat, quòd Deus & habens deitatem sint idem, vt rectè notat sanctus Thomas hîc articulo tertio in solutione ad primum; nam licet habens deitatem sit Deus, attamen hæc vox (*Deus*) considerata secundùm modum significandi proprium, non significat ipsum habens deitatem, sed ipsum existens & subsistens per se, at habens deitatem tantùm adiectiuè; sícque propter varium significandi modum, verum est in diuinis esse tres habentes deitatem, & falsum esse tres deos.

Cæterùm ea substantiua nomina, quæ sunt *transcendentia*, aut quasi *transcendentia*, quia conueniunt personis, tum ratione essentiæ, tū ratione personalitatum, tūc ex hac nostra propositione, & eius rationibus, debent prædicari *singulariter* de omnibus personis diuinis, quādo illis conueniunt ratione essentiæ, & tunc

IV. *pluraliter*, quando illis conueniunt ratione personalitatum, vt ampliùs patet ex eo, quod docuimus posse rectè dici esse in diuinis tria entia, tres entitates, tres bonitates, & sic de cæteris, quatenus illa intelliguntur de relatiuis & personalibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum nomina concreta possint supponere pro personis diuinis.

SVPPONERE accipitur hîc ad sensum dialecticorum, apud quos suppositio termini idem est, ac acceptio termini pro suo significato; vnde sensus huius articuli est, an diuina nomina essentialia, seu res per illa significatæ

A possint prædicari de personis diuinis. V.

Prima propositio. *Nomina essentialia abstracta non possunt supponere pro personis diuinis.* Ita sanctus Thomas hîc articulo quinto. Probatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur capite *damnamus* extra de fide Catholica, vbi istæ propositiones declarantur falsæ, *essentia generat*, *essentia generatur*, quæ tamen non essent falsę, si nomen essentiale abstractum posset supponere pro personis.

Probatur ratione: aliquis terminus non potest supponere pro persona, nisi illam aliquo modo includat in suo significatu, seu nisi saltem confusè connotet illam, quia vnus terminus prædicatur de alio, prout subest nostro conceptui, & modo explicandi, vt dialectici tradunt; at nomen essentiale Dei prolatum in abstracto est talis terminus, vt sic enuntiatus

B nullum connotet suppositum, vt patet ex ipsâ eius propria significatione: ergo nomen essentiale in abstracto non potest supponere pro aliqua persona diuina. VI.

Vnde quando Patres interdum vsurpant abstracta nomina essentialia pro personis, vt sanctus Augustinus libro decimo quinto *de Trinitate* capite decimo quarto, vbi ait Filium esse *sapientiam de sapientia*, tunc vtuntur illis abstractis, loco concretorum, vt sanctus Thomas notat citato articulo quinto in solutione ad primum, & colligitur ex iis, quæ Patres dicunt in antecedentibus & consequentibus.

Illa autem propositio (*res, quæ est essentia, generat*, & hæc *essentia est Deus generans*) quas sanctus Thomas ibi admittit articulo citato,

C sunt veræ, quia faciunt sensum duntaxat identicum, non formalem, seu illarum sensus est tantùm iste, res quæ vt principium *quod* generat, est idem realiter cum ipsa essentia; quod est verissimum ex dictis suprà: inde tamen non licet hoc modo colligere: ergo cùm diuina essentia sit idem cum Patre, essentia diuina generat, quia vt dialectici docent *à sensu identico ad sensum formalem non valet consequentia.* Neque item ex eo, quòd rectè dicamus, *diuinam essentiam communicari*, licet inferre illam *generari*, quia inter *generare* & *communicare* hoc est discrimen, quòd generare præter communicationē substantiæ, dicat realē distinctionē principij generantis à termino producto, & ex consequenti relationem realem inter principium & terminum: at communicari sumptum præcisè significat tantùm relationem VII.

D rationis inter communicantem, & rem communicatam, & possumus intelligere aliquid communicare seipsum. VIII.

Notandum tamen est dari quædam nomina abstracta essentialia, quæ in suo formali conceptu includunt operationem, nec tantùm significant aliquid per modum puræ & simplicis formæ, vnde tunc possunt vsurpari per modum nominis concreti, & actio potest illis tribui, sic rectè dicimus iustitiam punire, sapientiam disponere, & sic de similibus.

Secunda propositio. *Nomina essentialia concreta si non restringantur per aliquod attributum notionale, vel per aliquid simile ad vnam vel duas ex diuinis personis, sed ponantur duntaxat secundùm se in aliqua propositione, tunc supponunt pro diuina essentia, vt existente & subsistente in omnibus personis diuinis: si autem re-*

I. *stringantur seu determinentur per aliquid notionale, vel per quid simile notionali, tunc supponunt pro ea tantùm persona, cui talis actus notionalis competit, vel pro duabus, si actus ille competat duabus personis diuinis.* Ita sanctus Thomas hîc articulo quarto.

Prior pars probatur: nomen illud concretum dicitur de essentia diuina vt subsistente in omnibus personis diuinis, cuius significatum formale & proprium est commune omnibus illis personis, & in quo nullam habent inter se oppositionem, sed formale & proprium significatum omnium & singulorum concretorum nominum essentialium diuinorum, quatenus non sunt restricta per aliquid notionale est aliquid commune omnibus personis diuinis conueniens, & in quo illæ nullam habent in-
II. ter se oppositionem, aliàs hęc nomina ineptè & falsò appellarentur essentialia: ergo hæc nomina dicuntur de omnibus personis diuinis.

Probatur etiam ex dictis suprà de subsistentia absolutè, vbi exposuimus, pro quo supponat hic terminus, *Deus*, in hac vel simili propositione, *Deus creat.*

Posterior pars probatur ex hoc vulgari Dialecticorum, *attributum trahit ad se subiectum* seu *determinat significationem sui subiecti*: at terminus notionalis seu personalis, aut aliquis alius ei similis additus termino essentiali tanquam subiecto habet se ad instar attributi, verbi gratiâ, si quis ita dicat, *Deus generat, Deus spirat, Deus generatur, Deus spiratur*, termini isti *generat, spirat, generatur, spiratur*, sunt ibi attributa, & res per illa significata, est notionalis, quia solus Pater generat, solus Filius ge-
III. neratur, soli Pater & Filius spirant, solus Spiritus sanctus spiratur: ergo eiusmodi attributa notionalia, & alia eis similia faciunt, vt nomen essentiale concretum tunc supponat pro tali tantùm persona diuina, vel pro istis tantùm duabus personis,

Hinc propositio illa, *Deus generans est Deus genitus* est falsa, nam licet eadem sit numero deitas in Patre & Filio, quia tamen isti termini *generans* & *genitus* determinãt hunc terminum *Deus* ad supponendum in prima parte propositionis pro persona Patris, & in secunda eius parte pro persona Filij, sicque ad significandum in sensu formali personam Patris esse personam Filij, quod est hæreticum, fit, vt ista propositio sit omninò falsa.

Similiter hæc propositio, *Deus non generat*,
IV. est ob eandem planè rationem falsa in rigore & proprietate sermonis, vt etiam patet ex hac eius contradictoria (*Deus generat*) quæ est vera, & vna duarum contradictoriarum semper est vera, & altera falsa ex cõmuni regula Dialecticorum, & in propositionibus contradictoriis subiectum vtriusque propositionis contradictoriæ debet supponere pro eodem, aliàs hæ propositiones non essent contradictorię, vt patet ex earum definitione.

Neque potest dici, quòd iste terminus (*Deus*) cùm sit aliquid essentiale, cuius significatum formale & directum conuenit etiam Filio & Spiritui sancto, possit supponere pro Filio, vel Spiritu sancto, quorum tamen neuter generat, & proinde istam propositionem tunc esse veram, nec contradictoriè oppositam isti, *Deus generat*, cùm Deus, quod in vtraque est subie-

A ctum, aliter supponat in affirmante, nimirum V.
pro Patre, & aliter in negante, nimirum pro Filio, vel Spiritu sancto: duo autem opposita posse simul affirmari & negari de vno & eodem subiecto, considerato sub diuersa ratione, sicut rectè dicebatur de Christo Domino ante passionem, quòd erat mortalis, & quòd non erat mortalis; primum ratione naturæ humanæ, secundum ratione diuinæ: ergo cùm Deus habeat tres personas, vnam generantem, & duas alias non generantes, rectè poterimus dicere *Deus generat*, & *Deus non generat*, ita vt in prima (*Deus*) supponat pro Patre, in secunda propositione pro Filio vel Spiritu sancto.

Hoc inquam dici non potest, nam licet iste terminus *Deus* & res significata per illum scilicet *deitas*, sit communis omnibus & singulis
B personis diuinis, & ratione istius cõmunitatis VI.
quidquid est proprium alicui personæ diuinæ possit rectè affirmari de hoc termino. attamen est dispar ratio ipsius negationis, quòd nimirum, quæ de aliqua persona negantur, & affirmantur de alia, non possint purè & simpliciter negari de hoc termino, *Deus*, & eius significato; cuius disparitatis hæc est ratio, quòd quando termini istarum propositionum non sumũtur contradictoriè, tunc subiectum hoc *Deus* ibi sumitur distributiuè, id est, pro omni eo, quod est Deus, cuius subiecti attributum est ipsum *non generat*, & proinde negat aliquid quod verè & propriè est Deus, generare, quod est falsum, cùm Pater sit propriè Deus, & verè generet; at in propositione affirmante hic terminus *Deus* ratione prædicati sibi adiuncti,
C non distribuitur, sed sumitur determinatè pro VII.
hac vel ista persona diuina, cui attributum eiusmodi notionale est proprium, & negatio, cùm sit naturæ malignantis, vt Dialectici loquuntur, plus tollit, quàm affirmatio ponat: & quemadmodum ista propositio *Petrus non currit*, purè & simpliciter enuntiata facit hunc sensum, nihil, quod est Petrus, currit; ita etiam prædicta negans propositio *Deus non generat*, facit hunc sensum, nihil, quod est Deus, generat, quod est falsum, vt animaduertimus. Et hoc potest ampliùs illustrari isto exemplo, possumus dicere de eodem singulari homine, quod potest mouere, & potest moueri, quæ duo sunt distincta, & affirmatiua, non tamen possumus ita eorum vnum affirmare, vt etiam simpliciter negemus alterum, quia tunc talis
D propositio negans esset falsa, cùm purè & sim- VIII.
pliciter sic prolata neget mobilitatem de illo, quæ tamen ei inest, cùm sit ens propriè physicum. Nec exemplũ desumptum à Christo Domino, & propositum inter obiiciendum, fauet parti contrariæ: nam hæc propositio purè & simpliciter prolata tali tempore, scilicet ante passionem, *Christus Dominus non est mortalis*, est falsa, quia facit hunc sensum, Christus Dominus nullo modo est mortalis.

Cæterùm quando aliqua videtur esse ambiguitas in istis omnibus, & similibus propositionibus, tunc ad euitandũ contentiones, & ad discernendum quo sensu sint veræ, quo falsæ, sunt omninò distinguendæ, vt ex tali distinctione, & explicatione veritas vel falsitas illarum pateat.

I. ### ARTICVLVS III.

Vtrum personæ seu nomina personalia possint prædicari de nominibus essentialibus.

PARS affirmans est de fide, ex sæpiùs citato capite *damnamus*, extra de summa Trinitate & fide Catholica, cùm enim personæ omnes diuinæ tam coniunctim, quàm seorsim sumptæ habeant summam identitatem cum essentia, fit, vt vnaquæque persona diuina in concreto, item & omnes simul etiã in concreto possint prædicari de essentialibus, sic rectè dicimus, *essentia est Pater, essentia est Filius, essentia est Spiritus sanctus, essentia est Deus*, ita vt supponat pro subsistente, & quando dicimus *Deus est Trinitas*, supponat pro
II. omnibus tribus personis simul, nam subiectum hoc *Deus* trahitur ab hoc attributo *Trinitas*, vt significet tres diuinas personas simul.

Neque tamen inde sequitur bonam esse istam argumentationem, *Deus est Pater. Deus est Filius: ergo Pater est Filius*; neque similiter istam, *Pater non est Filius, Deus est Pater: ergo Deus non est Filius.*

Non sequitur inquam has argumentationes esse legitimas: non primam, quia terminus ille medius *Deus* non distribuitur, nec sumitur *completè*, seu pro omni eo, quod est Deus, vt per se patet: at in omni legitima argumentatione medium debet sumi *distributiuè* iuxta communem regulam Dialecticorum; nec item sequitur secundam esse legitimam,
III quia in ipsa eius cóclusione hic terminus *Deus* sumitur completè seu distributiuè, quatenus absolutè & simpliciter hoc attributum *Filius* negatur de hoc subiecto *Deus*, sumpto absolutè, simpliciter, & completè, facítque hunc sensum, nihil est in Deo, quod sit Filius, qui tamen terminus *Deus* non fuit distributus, seu completè sumptus in aliqua ex præmissis istius argumentationis, vt per se constat; vnde cùm in legitima argumentatione nullus terminus debeat aliter sumi in conclusione, quàm fuerit in præmissis, fit, vt talis argumentatio non sit legitima.

Quæres qualis sit ista prædicatio, & aliæ quælibet ei similes.

Respondetur, si in iis iste terminus sumatur pro toto suo constituto ex essentia & paterni-
IV. tate, esse quidditatiuas, & in primo modo dicendi per se, quia *deitas*, quod est formale & directum significatum istius termini *Deus*, est de conceptu intrinseco ipsius Patris, sic considerati; si verò consideretur, quatenus paternitas & personalitas est quædam veluti proprietas, & attributum aliquod notionale diuinæ essentiæ, iam persona quælibet ita prædicatur directè de Deo, vt tamé tales prædicationes sint duntaxat in secũdo modo dicendi per se, vt patet ex eius explicatione, quam Dialectici tradunt communiter cum Aristotele in libris *posteriorum*, & licet hoc sensu loquendo propriè & strictè non sint essentiales, cùm non desumantur à natura, quę sola in mysterio Trinitatis vocatur *essentia*, non propterea tamen statim sequitur eas esse accidentales, sed tantùm substantiales, quia quidquid est in Deo, est
A substantiale, & nullum accidens, vel quidquam accidentale propriè dictum reperitur in Deo, vt patet ex dictis suprà de diuinis relationibus. V.

ARTICVLVS IV.

Vtrum nomina essentialia sint approprianda personis diuinis, & an id fiat conuenienter.

NOMEN essentiale appropriari alicui personæ, nihil est aliud, quàm attributum aliquod essentiale remanendo commune toti Trinitati, accommodari diuinæ alicui personæ, propter peculiarem aliquam rationem. Hoc posito,

Respondetur affirmatiuè, & ratio est, quòd
B per eiusmodi essentialia sic appropriata possumus aliquâ ratione deuenire in cognitionem personarum diuinarum, exempli gratiâ, ex eo quòd sapientia tribuitur & accommodatur Filio, cognoscimus eum procedere per intellectum, item ex eo, quòd potentia accommodatur Patri, cognoscimus eum esse primum principium, & longè differre ab aliis patribus, qui propter senectutem solent esse infirmi; item ex eo, quòd bonitas accommodatur Spiritui S. cognoscimus eum procedere per volitionem, & huius appropriationis conuenienter factæ sanctus Thomas profert multa exempla articulo octauo huius quæstionis. VI.

C ## AD QVÆSTIONEM XL. VII.

DISPVTATIO VNICA.

De personis comparatis ad relationes seu proprietates.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum personæ diuinæ habeant proprietates nomine abstracto significatas, quibus constituantur & distinguantur.

NOMINE *proprietatis* hoc loco nihil aliud intelligitur, quàm forma quædam, quæ ita
D insit cuilibet personæ diuinæ, VIII.
tanquam aliquid illius, vt eam constituat, & distinguat ab aliis personis diuinis, cum quibus tamen conuenit in essentia. Hoc prænotato,

Gregorius Ariminensis primo *sententiarum* distinctione vigesimâ sextâ quæstione primâ, & secundo distinctione vigesimâ septimâ sequutus Præpositiuum relatum à sancto Thoma hîc, docet nullas esse hoc modo proprietates in personis diuinis, sed personas diuinas seipsis tantùm, & non aliquo sui distingui.

Melior tamen est opposita sententia, pro qua sit prima propositio. *In qualibet persona diuina datur personalis quædam proprietas, quæ rectè concipitur & significatur nomine abstracto.*

I. Exempli gratiâ, *in prima persona paternitas, in secunda filiatio*, &c. *quæ proprietates sunt ipsæmet diuinæ relationes personales. Dictæ* relationes, *quòd referunt personas*, proprietates *verò quatenus sunt propria suis personis, & non communes diuinis omnibus personis.* Ita omnes Scholastici communiter, tam primo sententiarum distinctione vigesimâ septimâ, quàm hâc quæstione sancti Thomæ.

Probatur primò ex Conciliis, quæ testantur personales relationes esse in diuinis personis, vt patet ex dictis ad quæstionem vigesimam octauam. Item ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur capite *damnamus* extra de summa Trinitate, vbi Trinitas dicitur *discreta secundùm personales proprietates*, quo nomine ipsæ diuinæ personæ secundùm se totas non possunt intelligi, quem-
II. admodum Gregorius Ariminensis vult hanc, & similes auctoritates Patrum explicare, primò, quia persona est nomen concretum; at nomen concretum non significat per modum formæ cuiusdam simplicis, tantùm in abstracto, quomodo Concilium hîc loquitur. Deinde quia Sophronius in sua epistola sæpiùs à nobis citata, & approbata à sexta Synodo ait, *personas diuinas figurari proprietatibus, & proprietates alterificare diuinas personas*, id est distinguere ab aliis, sicut figura exprimit & distinguit rem, cuius est figura: item quia Ecclesia ita canit in præfatione missæ de sanctissima Trinitate, *vt in personis proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas:* at omnes isti modi loquendi faciunt sensum longè alium ab isto,
III. quem Ariminensis prætendit, scilicet, quia illæ proprietates non dicuntur personæ, sed esse in personis, nec item diuinæ personæ dicuntur seipsas figurare, & facere alteras, sed figurari & alterificari proprietatibus, prout illæ exprimuntur nomine abstracto. Vnde multi recentiorum reprehendunt opinionem Ariminensis tanquam erroneam, aut saltem temerariam, eo quòd dissentiat ab Ecclesia, à Conciliis & Patribus, ad minus in modo loquendi circa rem tam grauem, cuiusmodi est mysterium sanctissimæ Trinitatis; & pro hac nostra propositione plura testimonia Patrum videri possunt apud Magistrum sententiarum loco nunc citato.

Probatur ratione: ad veritatem alicuius propositionis sufficit eius conformitas ad modum significandi, quo loquimur de re si-
IV. gnificata, per propositionem, seu prout res illa subest nostro conceptui etiam inadæquato, quia propositiones sunt pro declarandis nostris conceptibus, ita vt non sit semper necesse rem ita esse in seipsa de facto, vt explicamus eam, quatenus explicamus vnum duntaxat non explicando aliud, cum quo est omninò idem, vel vt est in seipsa adæquatè considerata: at dum dicimus proprietates quasdam personales inesse personis diuinis, significamus tantùm esse in illis speciales aliquas rationes, quibus constituantur & distinguantur à seinuicem, non autem intendimus facere aliquam realem vel formalem distinctionem eiusmodi proprietatum ab ipsis personis diuinis.

Confirmatur: rectè dicimus diuinam essentiam seu deitatem esse in tribus subsi-
A stentiis, vt patet ex auctoritatibus Patrum V.
& Conciliorum citatis contra absolutam subsistentiam, nec tamen Patres dum ita loquuntur, intendunt significare aliquam esse realem, vel formalem distinctionem deitatis ab ipsis relatiuis subsistentiis, sed tantùm exprimere nomine abstracto ipsam essentiam, quatenus à nobis apprehenditur, vt forma constituens diuinas tres personas in esse vnius Dei propriè & essentialiter dicti; nec ille modus loquendi destruit summam simplicitatem Dei, vel essentiæ eius, sicut nec virtualis distinctio, quæ est inter diuinam essentiam, & eius attributa, tam essentialia, quàm relatiua, vt ostendimus: ergo pari modo non obstante summâ simplicitate Dei, & eius essentiæ, rectè dicemus proprietates personales esse in diuinis
B personis, eásque exprimemus nominibus abs- VI.
tractis, tanquam rationes constituentes præcisè, & distinguentes personas diuinas à se inuicem.

Secunda propositio. *Diuinæ personæ constant essentiâ, tanquam aliquo communi, & suis proprietatibus personalibus tanquam ratione constitutiuâ & distinctiuâ illarum, ita vt persona prima constet diuinâ essentiâ & paternitate, secunda essentiâ diuinâ & filiatione, tertia denique essentiâ diuinâ & spiratione passiuâ.* Ita omnes Theologi communiter cum sancto Thoma hîc: probatur primò ex Concilio Florentino sessione decimâ nonâ, vbi Ioannes Theologus agens partes Latinorum ait personam diuinam constare ex substantia & proprietate. Item ex citatis au-
C ctoritatibus Sophronij & aliorum Patrum, VII.
vt sancti Augustini dicentis primam personam Trinitatis non eò esse Deum, quò est Pater, esse Deum deitate, & Patrem paternitate.

Probatur ratione: quando res aliqua secundùm se, & in seipsa est talis, vt à parte rei habeat aliquid sibi commune cum aliis, & item aliquid sibi soli proprium, & quatenus habet hoc vtrumque, est quid vnum, tunc dicitur constare illis, & eo, quod est sibi soli proprium constitui & distingui, vt patet inductione factâ per res omnes, tunc enim non potest dici constitui & distingui tantùm seipsâ, quia quæ distinguuntur tantùm seipsis, nihil habent sibi cum aliis commune: at quælibet diuina persona est eiusmodi; omnes enim diuinæ
D personæ habent vnam & eandem numero VIII.
essentiam diuinam, in qua conueniunt, imò in qua sunt maximè idem, & præterea prima persona habet paternitatem, quam non communicat Filio, secunda filiationem, quæ nec Patri, nec Spiritui sancto inest; tertia spirationem passiuam sibi soli propriam: imò singulæ personæ diuinæ quoad istas proprietates distinguuntur à se inuicem realiter, & præterea quælibet istarum personarum est maximè vna, quia esse personam propriissimè est esse quid vnum, vt patet ex dictis de ratione personæ, & personis diuinis: ergo personæ diuinæ constant essentiâ diuinâ tanquam aliquo communi, & suâ proprietate peculiari tanquam constitutiuo & distinctiuo sui ab aliis personis.

I. Deinde vbi aliquid includit in suo formali & intrinseco conceptu duo quasi sibi inuicem vnita, sese tamen inuicem excludentia, tunc censetur istis duobus vt sic inter se vnitis constare, vt patet in quolibet composito naturali. At quælibet persona diuina vt sic, & quatenus formaliter est tota, & perfecta persona includit intrinsecè diuinam essentiam, & propriam suam seu personalem relationem, vt patet ex dictis, & præterea quælibet personalis relatio seu proprietas & essentia diuina ita sese habent, vt essentia sit extra conceptum diuinarum relationum, & item relationes diuinæ extra conceptum diuinæ essentiæ, vt ostendimus, & insuper vniuntur ad constituendum perfectam aliquam personam: ergo quælibet persona constat essentiâ diuinâ, & propriâ
II. suâ relatione, seu proprietate tanquam constitutiuo & distinctiuo: hinc qui volunt essentiam diuinam esse de formali conceptu relationum diuinarum, non possunt nisi impropriè admittere quamlibet personam diuinam constare essentiâ, & solâ proprietate, cùm omnia constituentia debeant sese excludere.

Tertia propositio. *Hæc constitutio vniuscuiusque personæ diuinæ ex essentia & sua proprietate non est realis actualis, nec item formalis; sed est tantùm virtualis realis, eo planè modo, quo diximus distinctionem attributorum ab essentia diuina esse realem.*

Probatur: talis est vniuscuiusque rei ex pluribus constitutio, qualiter sese habent ad inuicem plura constituentia rem eiusmodi: at diuina essentia & proprietates personales
III. ita sese habent, vt nec *realis*, nec *actualis*, nec *formalis* propriè dicta distinctio detur inter illas, sed *virtualis* tantùm, vt explicatum est agendo de distinctione attributorum ab essentia: ergo constitutio vniuscuiusque personæ diuinæ ex essentia & sua proprietate est tantùm *virtualis*. Explicatur, &

Confirmatur: tunc constitutio est *realis actualis*, quando aliquid est ita intrinsecum constituto, vt non sit totum illud, sed propriè est actualis pars eius, & aliquid eius quidditatiuum: item tunc est *formalis* constitutio, quando partes constituentes totum distinguuntur à se inuicem propriè formaliter: tum denique *virtualis*, quando aliquid intrinsecum constituto ita se gerit, vt licet sit idem realiter formaliter cum illo, nihilominus tamen ita se habet in illo, ac si
IV. esset pars eius, cùm tamen propriè non sit pars, sed totum ipsum constitutum inadæquatè sumptum: at nec essentia diuina est propriè pars alicuius personæ diuinæ, nec item personalis eius proprietas, quia nihil est in Deo, quod propriè habeat rationem partis: aliàs enim Deus non esset maximè simplex & indiuisibilis, nec item diuina essentia & relationes eius distinguuntur à se inuicem formaliter, vt ostendimus: & nihilominus diuina essentia & relationes eius ita sese habent ad vnamquamque personam, ac si essentia esset aliqua eius pars; similiter & proprietas personalis, quia nec essentia diuina sub præciso conceptu essentiæ est vna persona diuina, nec item sola pro-
A prietas personalis sub solo præciso conceptu proprietatis; sed solùm prout illa duo V.
simul quasi vniuntur, quæ tamen seruant tantùm distinctionem virtualem inter se: ergo constitutio personæ diuinæ ex essentia & sua proprietate non est *realis actualis*, nec *formalis*, sed *virtualis* tantùm realis.

Quòd autem ista constitutio *virtualis realis insit vnicuique personæ diuinæ realiter; absque vllo ordine ad creaturas*, patet iisdem rationibus, quibus suprà ostendimus virtualem distinctionem attributorum Dei ab essentia diuina inesse Deo, absque vllo ordine ad creaturas, & quo sensu ibi diximus hanc distinctionem virtualem esse rationis, eodem tantùm sensu hæc constitutio debet esse rationis, quomodo plerique Scholasticorum
B eam appellant. VI.

Quòd denique *talis constitutio non importet veram aliquam compositionem in qualibet persona diuina*, patet ex dictis suprà de distinctione attributorum ab essentia.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRIMVM est: illud, quod est simplicissimum, nullam potest habere constitutionem, quia iam non esset simplex, sed constaret pluribus; atqui diuina quælibet persona est simplicissima: ergo.

Respondetur maiorem esse tantùm veram de ea constitutione, quæ propriè sit
C realis actualis, vel saltem formalis, qualem VII.
negamus esse in personis diuinis, esse verò falsam de ea, quæ est tantùm virtualis realis, cùm multiplicitas virtualis non pugnet cum summa simplicitate, vt citatâ quæstione vigesimâ octauâ ostendimus.

Secundum: quælibet persona est tam simplex, quàm sit quælibet diuina relatio, vel etiam diuina essentia: at nulla ex diuinis relationibus constituitur aliquo alio, sed seipsâ, similiter & diuina essentia: ergo.

Respondetur, posse duplicem distingui simplicitatem: vnam *realem*, vel *formalem*, quâ aliquid ita est simplex, vt nullam patiatur sui diuisionem & distinctionem realem, vel formalem, quâ in duas vel plures partes quasi diuidatur: aliam *virtualem* etiam, quatenus aliquid ita est vnum quid
D simplicissimum, vt ne virtualem quidem VIII.
patiatur sui diuisionem, & distinctionem: iam quælibet persona diuina est æquè simplex simplicitate reali & formali, quàm sit diuina essentia, vel aliqua relatio diuina, seu proprietas personalis, vt patet ex dictis; non tamen, si sermo sit de simplicitate, non tantùm reali formali, sed etiam virtuali, nam plura virtute tantùm distincta reperiuntur in qualibet persona diuina, vt est persona, quàm in essentia diuina, præcisè sumpta in ratione essentiæ, & in qualibet proprietate personali etiam præcisè sumpta, in qua nihil præter eius formale virtualiter distinctum ab essentia reperitur, & nullo modo est quid commune pluribus,

I. ideóque non postulat constare aliquo alio, A
tanquam sui constitutiuo, & distinctiuo, persona verò quatenus persona includit essentiam diuinam, tanquam aliquid sibi & aliis commune, & insuper proprietatem relatiuam, tanquam aliquid sibi proprium, & peculiare.

Tertium est: si quælibet persona diuina constituatur aliquâ proprietate, vel talis constitutio est realis, vel formalis, vel rationis tantùm: sed non est realis, vel formalis, quia talis constitutio postulat realem vel formalem distinctionem constitutiui à constituto, nam nihil seipsum constituit, sicut nec includit, sed aliquid à se distinctum; at non datur realis, vel formalis distinctio inter essentiam & paternitatem, verbi gratiâ, vel inter ea, quæ sunt in ali- B
II. qua eadem persona diuina, quia agendo de distinctione attributorum exclusimus realem & formalem etiam distinctionem essentiæ ab attributis absolutis & relatiuis; non est etiam talis constitutio solius rationis, tunc enim esset aliquid solummodò fictum ab intellectu creato, cuiusmodi non sunt personæ diuinæ.

Respondetur patere solutionem ex vltima propositione, quâ explicamus, quo sensu hæc constitutio personarum diuinarum sit realis & independens à nostra conceptione.

Articvlvs III.

Vtrum proprietates personales, quibus diui-
III. *na personæ constituuntur, sunt absoluta,* C
an relatiua.

Sensvs articuli est, an quemadmodum in creatis homo generans constituitur, & distinguitur ab homine genito, per aliquam absolutam differentiam, quæ tam ipsam generationem actiuam, & passiuam, quàm paternitatem & filiationem præcedit: an inquam pari modo proprietas illa personalis, quâ diximus personas diuinas constitui & distingui sit absoluta, & in prima persona antequam generet, & sic in qualibet persona seruatâ proportione, ita vt in qualibet persona diuina, præter essentiam, quæ est communis omnibus personis diuinis, & ipsam relationem, quæ est propria vnicuique personæ, adhuc detur aliqua
IV. entitas absoluta incommunicabilis, per quam D
vnaquæque persona diuina constituatur formaliter in suo esse personali, & per quam distinguatur à qualibet alia persona diuina.

Ioannes *de Ripa*, libro primo sententiarum distinctione vigesimâ sextâ sequitur partem affirmantem, quam Scotus ibidem & alij nonnulli censent probabilem. Quòd si obiicias auctoribus huius sententiæ, scripturam, Patres, & Concilia satis declarare diuinas personas satis constitui & distingui relationibus, dum ipsas personas diuinas exprimunt nominibus tantùm relatiuis, & dum tradunt solam relationem multiplicare in diuinis: respondent relationes esse quidem rationem distinctionis & constitutionis

personarum diuinarum, quoad nos, non au- V.
tem esse quoad ipsas personas diuinas, id est, esse quidem nobis signum, quo cognoscimus vnam personam diuinam esse distinctam ab alia, non autem esse intrinsecum principium, quo constituantur in seipsis, & distinguantur ab aliis, sed tale principium esse aliquam absolutam proprietatem vnicuique personæ diuinæ propriam.

His tamen non obstantibus partem negantem statuimus loco propositionis, quæ est tam certa apud omnes Scholasticos, vt opposita iudicetur à nonnullis temeraria, ab aliis erronea, à quibusdam hæretica, vt videre est apud interpretes Magistri sententiarum loco citato, & sancti Thomæ hâc quæstione.

Probatur primò ex scripturis, in quibus
Christus Dominus, qui probè nouerat pro- VI.
pria nomina personarum diuinarum, expressit illas istis nominibus relatiuis *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, & iussit Apostolos sub expressa inuocatione sanctissimæ Trinitatis per ista nomina relatiua baptisare homines, apud sanctum Matthæum capite vltimo: Concilia non tantùm appellant istis nominibus relatiuis personas diuinas, sed expresè dicunt eas distingui solis relationibus, vt Concilium Toletanum vndecimum in professione fidei loquens de tribus personis diuinis vt distinctis, ait hoc solum insinuare numerum, quòd relatiuè opponantur, & in eo carere numero, quod in se sunt, id est, sunt quid absolutum. Sic etiam Concilium Florentinum in litteris vnionis ait, Patrem dedisse Filio omnia
quæ habet *præter esse Patrem*: ergo cùm VII.
esse Patrem dicat formaliter & intrinsecè proprietatem relatiuam, Deus Pater non potest habere aliquam proprietatem absolutam incommunicabilem; & in eodem Concilio prædictus Ioannes sessione decimâ octauâ ait verbis expressis solam relationem apud Græcos & Latinos Doctores multiplicare personas in diuinis, ita vt nullâ aliâ ratione, quàm vi relationis Pater distinguatur à Filio, & vna persona ex diuinis ab alia, quod idem repetit sequenti sessione decimâ nonâ.

Deinde probatur ex Patribus, vt sancto Augustino libro quinto *de Trinitate* capite quinto & sequentibus, vbi duo tantùm distinguit in Deo substantiam, seu essentiam, & relationem, aitque quidquid ad se dicitur,
pertinere ad essentiam: sancto Cyrillo Ale- VIII.
xandrino libro secundo thesauri capite tertio: sancto Damasceno libro primo *de fide Orthodoxa* capite tertio, & pluribus aliis.

Probatur ratione fundatâ in istis auctoritatibus Patrum: diuinæ personæ non constituuntur formaliter, nec à se inuicem formaliter distinguuntur in eo, in quo quatenus illud est tale, conueniunt, ex dictis articulis præcedentibus. At omnes personæ diuinæ conueniunt in omnibus & singulis perfectionibus absolutis, quemadmodum Patres nunc citati docent: & patet ampliùs tunc inductione factâ per omnes & singulas perfectiones diuinas absolutas, tum etiam ex illo axiomate receptissimo in Concilio Florentino, & apud Patres agentes

I. de mysterio Trinitatis, *in diuinis omnia sunt vnum & idem, vbi non obuiat relationis oppositio:* at personæ diuinæ non sibi opponuntur relatiuè ratione quarumdam proprietatũ absolutarum; iam enim proprietates istæ desinerent esse absolutæ: & prætereà daretur aliqua perfectio absoluta in vna persona, quæ non esset in alia; quod tamen Patres suprà negant. Et hoc totum confirmatur iis omnibus, quibus ostendimus suprà Spiritum sanctum non distinctum iri à Filio, si ab eo non procederet.

Deinde, quod est alicui intrinsecum, & quidditatiuum, non potest ei iam constituto aduenire, quia sic desineret esse ei quidditatiuum & intrinsecum; at vnaquæque personalis relatio est intrinseca & quidditatiua suæ personæ diuinæ, vt intelligitur ex dictis, & ex
II. Conciliis & Patribus relatis: ergo personalis relatio non potest aduenire diuinæ personæ iam constitutæ, sed ingreditur eius constitutionem: ergo cùm in persona diuina duo tantùm distinguantur, primum, quod est commune omnibus personis, alterum, quod est ei proprium, debet ipsa personalis relatio constituere suam personam diuinam, & ex consequenti eam distinguere ab alia persona diuina.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est desumptum ex Scripturis, quòd Prouerbiorum trigesimo Salomon
III. loquens de Deo ita interrogatiuè dicat, *quodnam est nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti*, vbi ita inquirit nomen proprium Filij Dei, vt præsupponat & significet hoc nomen relatiuum, *Filius*, non esse nomen eius proprium, sed aliud nobis incognitum, & proinde cùm res significata proprio nomine sit forma eius constitutiua, & distinctiua ab omni alio, secunda persona Trinitatis debet constitui & distingui aliquo alio, quàm ipsâ filiatione, quod non potest esse aliud, quàm absoluta quædam proprietas.

Respondetur locum illum Prouerbiorum intelligi non de quocumque nomine secundæ personæ Trinitatis, sed tantùm de eo nomine, quod quidditatiuè, comprehensiuè, & perfectissimè significet nobis in hac vita secundam personam Trinitatis, quale nomen nul-
IV. lum dari nobis in hac vita ostendimus; licet enim hoc nomen *Filius*, significet nobis hanc secundam personam, non tamen eam significat nisi eo modo, quo apprehendi potest in hac vita: & quòd locus ille Prouerbiorum intelligatur tantùm de tali nomine, patet ex eo, quòd auctor libri immediatè antè ita admiretur, & extollat magnitudinem, & potentiam Dei, vt insinuet eam esse sibi ineffabilem, sicut & nomen Dei est ineffabile, nimirum considerando illud adæquatè, seu quoad totum illud, quod est in re significata, etiam prout spectatur totaliter.

Secundum est ex auctoritate sancti Augustini libro septimo *de Trinitate* capite sexto, dicentis personam in diuinis *esse ad se*, & apud sanctum Augustinum, quando agit de hoc mysterio, *esse ad se* nihil est aliud, quàm esse aliquid formaliter absolutum. V.

Respondetur patere solutionem ex dictis ad quæstionem vigesimam nonam.

Tertium est: omne quod refertur, priùs est constitutum in suo esse, quàm referatur, sed vnaquæque diuina persona refertur per suam propriam relationem: ergo vnaquæque diuina persona est priùs constituta in suo esse, quàm referatur: ergo cùm quidquid in illo priori est in personis, vel in ipso Deo sit tantùm absolutum, personæ diuinæ debent in se ipsis constitui, & ab aliis distingui, per aliquid absolutum, quod potest esse tantùm quædam proprietas specialis vnicuique personæ diuinæ.

Respondetur maiorem esse tantùm veram in relationibus creatis, & non in diuinis: cuius disparitatis hæc est ratio, quòd relationes creatæ sint accidentales; vndè sicut omne ac- VI.
cidens supponit suum subiectum, nec illud constituit, ita & relationes creatæ supponunt illud, quod referunt constitutum in suo esse priùs, quàm illud de facto referant: at personales diuinæ relationes sunt substantiales, & vnaquæque illarum est quidditatiua propriæ suæ personæ, cùm illam intrinsecè constituat; & prætereà vnaquæque diuina personalis relatio subsistit per se, & non per aliquod subiectum, cui inhæreat, sicut relatio creata; item per se intenditur, quia generatio & processio in diuinis ad illam terminatur; cùm tamen relatio creata nec per se subsistat, sed per suppositum, cui inest, nec primò per se intendatur, sed tantùm resultet ad positionem aliorum: ideóque personalis diuina relatio non supponit personam, quam refert constitutam, quin potiùs constituit illam. VII.

Quartum est: omne relatum est constitutum ex re absoluta, quæ refertur, quia omnis relatio est ad aliquid absolutum, & ex ipsa relatione: at vnaquæque persona est quoddam relatum ex dictis: ergo debet esse constituta aliquo absoluto, quod relatio eius referat, sed illud non est diuina essentia, quia hæc non refertur, cùm relatio sequatur processionem, & diuinitas nullo modo procedat, & præterea relatio dicat oppositionem vnius extremi ad aliud; diuina autem essentia nullam habeat oppositionem, siue ad Patrem, siue ad Filium, siue ad Spiritum sanctum, cùm sit communis illis omnibus.

Respondetur maiorem esse falsam in relationibus increatis, esto sit, vt videtur nonnul-
lis, vera de omnibus creatis relationibus, cu- VIII.
ius dispar ratio est eadem, ac superiùs. Nimirum quòd relatio creata, quia est accidentalis, & cum suo subiecto facit compositũ quoddam accidentarium, præsupponit subiectum in quo sit, iam constitutum, quódque referat ad aliud extremum: vnde cùm illud sit absolutum, refert aliquid absolutum, & totum relatum constat aliquo absoluto, & ipsâ ratione referendi seu relatione: at relationes diuinæ sunt substantiales, subsistentes, & relatum diuinum ita est constitutum ex diuina essentia & relatione, vt tamen, quod refertur, non sit ipsa natura diuina, sed ipsamet persona, vt est aliquid formaliter relatiuum: nam omne relatum eo præcisè debet referri ad suum correlatum, quo distinguitur ab eo, & opponitur ei: aliàs enim talis relatio non esset realis,

I. nec ad terminos realiter distinctos; at vna A persona diuina ita includit essentiam diuinam, vt tamen hæc eadem sit in alia persona diuina sibi relatiuè opposita: & hæ duæ personæ distinguuntur tantùm realiter, & sibi inuicem opponuntur ratione ipsius relationis personalis: ergo persona, vt est quoddam relatum, non refertur ratione diuinæ essentiæ; nec ipsa diuina essentia est, quæ refertur, sed ipsa persona vt formaliter est quoddam relatum. An autem saltem in creatis oporteat relationem semper terminari ad aliquid absolutum, est quæstio propria Philosophis, dum agunt de prædicamento relationis, & pars negans satis facilè probatur ex eo, quòd potest dari quædam relatio similitudinis inter duas relationes, & proinde, quæ terminetur ad aliquid relatiuum.

II. Quintum est: omnis relatio fundata in actione, aut quasi actione & passione, præ- B supponit istam actionem, & passionem, cùm ad relationem non sit per se motus ex Aristotele, actio autē præsupponit suppositum, iam constitutum, quia actiones sunt tātùm suppositorum, etiam in diuinis ad intra, vt docet Ioannes Theologus in Concilio Florentino sessione decimâ octauâ, & decimâ nonâ: ergo paternitas debet supponere generationem actiuam Patris, & hæc personam Patris in esse personæ, & suppositi constitutam: ergo hæc propria eius relatio scilicet paternitas non cōstituit illam, sed aliquid aliud prius illâ, illud autem potest tantùm esse aliquid absolutum: ergo persona Patris constituitur per aliquid absolutum, & similiter duæ aliæ personæ, cùm sit eadem ratio omnium.

III. Respondetur ad primam partem, quæ pro- C cedit de fundamento relationum diuinarum, loquendo propriè diuinas relationes nullum habere fundamentum, nullam etiam habere rationem fundandi ex parte ipsius rei conceptæ: non quidem fundamentum, cui insunt, cùm non sint accidentia, nec se gerant tanquam accidentia, sed tanquam actus simplicissimos & subsistentias constituentes actus purissimos, & completas substantias: nec item habent ex parte rei conceptæ aliquam rationem fundandi, quia omnis ratio fundandi debet esse distincta saltem virtualiter à relatione quam fundat, cùm ipsa relatio resultet ad eius positionem; at nihil tale datur in Deo, comparatione suarum relationum personalium, nam si quid daretur, esset ipsa productio ter-

IV. mini, nimirum generatio actiua pro paterni- D tate, & passiua pro filiatione, & ita de Spiritu sancto seruatâ proportione: at actiua generatio est ita idem cum paternitate, vt ne virtualiter quidem distinguatur ab illa, est enim realis tantùm respectus producentis ad productum, & sicut ipsæ processiones passiuæ ne virtualiter quidem distinguuntur à personis procedentibus, nec à propriis earum relationibus, similiter etiam nec productiones actiuæ distinguuntur virtualiter ex parte rei conceptæ ab ipsis propriis relationibus personarum producentium, sed sunt ipsæmet relationes subsistentes: ideóque in præsenti difficultate relationes diuinæ non præsupponent ex parte rei cōceptæ productionem, siue actiuam siue passiuam: illud autem Aristotelis (*ad relationem non est per se motus*) debet intelligi de ea relatione, quæ propriè resultat, & habet V. veram aliquam rationem fundandi; cuiusmodi non sunt diuinæ relationes, quæ per se subsistunt.

Dixi inter respondendum (*si diuinæ relationes considerentur ex parte rei conceptæ*) nam si considerentur iuxta modum, quo illas concipimus per species similium perfectionum, quas cognoscimus in creaturis, quia videmus illas habere productiones pro sua ratione fundandi, iam concipiemus ita relationes diuinas, ac si haberent ipsas productiones, & origines personarum, pro sua ratione fundandi, sed loquimur hîc de ipsa constitutione & distinctione personarum diuinarum, vt hæc est in seipsa, & ex parte rei conceptæ, non verò vt tantùm à nobis apprehenditur per ordinem ad res creatas.

Ad alteram partem argumenti, quæ procedit de antecessione suppositi ad productio- VI. nem, quia actiones sunt suppositorum, respondetur illam esse tantùm veram de ea productione actiua, quæ sit distincta ab ipso suo supposito: nam si actiua productio sit quid omninò idem etiam virtualiter indistinctum ab ipso supposito seu persona producente, tunc nulla datur eiusmodi antecessio suppositi producentis in existendo ad productionem actiuam, sed potiùs talis productio actualis secum adducit suppositum; cùm tunc non sit propriè actio, seu aliquid intermedium inter principium proximum & ipsum eius terminum, sed tantùm grammaticalis actio, quæ tantùm consistit in istis duobus respectibus *à quo alius*, & *qui ab alio*, vt exposuimus suprà: qui respectus nihil sunt aliud, quàm ipsæmet relationes formaliter sumptæ, quâ VII. ratione tale suppositum producentis, non est prius supposito terminante hanc productionem, nisi prioritate *à quo*, vt docuimus, sícque hoc axioma *actiones sunt suppositorum*, rectè intelligitur retinere suam veritatem in diuinis: quòd verò concipiamus Patrem priùs vt subsistentem, quàm vt producentem, vel priùs vt producentem, quàm terminum productionis eius; prouenit tantùm ex imperfecto modo concipiendi, quo apprehendimus illum per species rerum creatarum, & per similitudinem ad patres creatos, in quibus non tantùm prioritas *à quo*, sed etiam *in quo* reperitur, pro vt comparatur ad suas productiones & earum terminos.

ARTICVLVS V. VIII.

Præmittuntur notanda, & variæ sententiæ Theologorum de ratione sub qua relationes diuinæ constituunt personas diuinas.

REPETENDVM ex dictis, *personales relationes originis*, item *origines personarum*, & *formas hypostaticas personarum diuinarum*, seu *personalitates* esse vnum & idem, etiam virtualiter indistinctum: ideóque in re & de facto quidquid vni conuenit, & de vno dicitur, illud idem in re & de facto conuenire alij, dicique de illo, & munus, quod per vnum de facto exercetur, illud idem exerceri per alterum, etiam per eandem planè formalitatem, sese tenentem ex parte ipsius rei, aliàs deberet admitti in tali re aliqua virtualis dis-

I. A tinctio, sese tenens ex parte rei: quæ virtualis distinctio efficeret, vt talis formalitas remanens vna & eadem formaliter præstaret vnum sub vna ratione, & aliud sub alia, sicque non esset ampliùs vna etiam virtualiter indistincta, contra dicta superiùs: vnde si quæstio sit de virtuali constitutione personarum diuinarum ex natura rei independenter ab intellectu, tunc quælibet persona diuina constituitur & distinguitur propriâ origine & relatione simul, & etiam suâ personalitate, nec magis vnâ quàm aliâ, sed eodem modo, & æquè primò, cùm vt sic sint prorsus idem.

Hinc quando hîc quærimus, sub qua formali ratione relationes diuinæ constituant & distinguant personas diuinas à se inuicem, sensus difficultatis non est de ipsa ratione formali tenente se ex parte rei conceptæ, sed so- II. B lummodò de ratione formali tenente se tantùm ex parte modi, quo concipimus earum constitutionem, & distinctionem per species rerum creatarum, & quo propter imbecillitatem nostri intellectus, vnicam formalitatem diuinæ personalitatis etiam virtualiter indiuisam diuidimus in plures quasi conceptus inadæquatos: nimirum primò concipiendo illam sub ratione originis actiuæ, vel passiuæ, quatenus est veluti quædam via ad personam, seu quædam forma fluens, sicut in rebus creatis productio est via ad producendum terminum. Deinde quatenus potest considerari, vt apprehenditur à nostro intellectu sub ratione formæ hypostaticæ seu subsistentiæ & personalitatis, non explicando, quòd talis personalitas sit relatiua. Tertiò III. C quatenus potest concipi sub ratione formæ cuiusdam completæ, in ratione relationis referentis vnum extremum ad aliud: præsens inquam difficultas est tantùm, sub qua istarum rationum sese tenentium ex sola parte nostri modi considerandi personales relationes constituant & distinguant personas diuinas.

Notandum secundò, formam aliquam relatiuam posse considerari duobus modis, vel præcisè quatenus est tantùm hoc modo relatiua, quòd quamuis actu & de facto non referat, potest tamen referre, & est relatio tantùm *in actu signato*, & non *in actu exercito*. Deinde quatenus est forma de facto seu in actu exercito referens.

Notandum tertiò, duobus adhuc modis posse intelligi diuinam personam constitui IV. D relatione, vel vt est *forma hypostatica*, seu secundùm communem rationem personæ à nobis apprehensam ex analogia & comparatione ad personas creatas. Deinde vt est relatio, seu considerando personas diuinas non tantùm iuxta communem rationem personæ, sed etiam considerando illas secundùm vltimam suam rationem in esse talis personæ diuinæ.

Notandum vltimò, duplicem conceptum diuinæ personæ posse à nobis efformari, vnum *confusum*, quo tantùm apprehendimus hanc vel illam substantiam esse existentem in se, & per se, seu subsistentem, ita tamen vt non attendamus ad formale principium, quo constituitur in esse talis personæ, nec explicamus illud in tali conceptu, sed tantùm apprehendimus secundùm communem rationem subsistentiæ: alter verò conceptus personæ est distinctus, quo scilicet apprehendimus hanc, V. vel illam substantiam ita esse in se, & per se existentem seu subsistentem, vt etiam concipiamus specialem eius rationem subsistendi secundùm propriam suam conditionem, vt potest à nobis apprehendi in via, tanquam constituens suam substantiam completam, in gradu infimo talis personæ. His prænotatis,

Variæ sunt sententiæ de re proposita: prima S. Bonauenturæ primo sententiarũ distinctione vigesimâ sextâ, & vigesimâ septimâ, diuinas personas distingui *origine*, & non *relatione*, quia nostro modo concipiendi origo supponitur ad relationem, & principium formale constitutiuum rei alicuius est illud, quod est primum in illa.

Secunda sententia est Capreoli eadem distinctione vigesimâ sextâ, item Ferrariensis VI. libro quarto *contra Gentes* capite vigesimo septimo, & plurium recentiorum, diuinas relationes constituere personas diuinas, easque distinguere à se inuicem sub illo præciso conceptu, quo sunt formæ hypostaticæ: quæ sententia videtur esse sancti Thomæ in quæstionibus disputatis quæstione octauâ *de potentia* articulo tertio, dum ait diuinas relationes constituere personas, vt habent rationem formæ hypostaticæ, quod idem significat superiùs quæstione vigesimâ nonâ articulo quarto: & ratio est, quòd persona constituatur propriissimè ipsâ personalitate, quatenus est personalitas: at diuina relatio non est nostro concipiendi modo personalitas, vt respicit terminum, sed solummodò quatenus cum essentia diuina constituit personam, & eam reddit incommunicabilem. VII.

Tertia sententia est Caietani, relationes diuinas tanquam formas quasdam aptas referre personas ad se inuicem, esse formale constitutiuum & distinctiuum illarum, non autem vt de facto, & in actu exercito sunt relationes: cuius sententiæ fundamentum est, quòd nostro modo considerandi, & concipiendi relatio priùs insit, vt forma apta referre, quàm vt actu referens, & proinde relatio diuina censetur nostro modo cõcipiendi constituere, & distinguere personas diuinas, sub primâ illâ ratione.

Vltima sententia est, personas diuinas constitui & distingui per relationes personales, prout sunt relationes in actu exercito.

ARTICVLVS VI. VIII.

Ostenditur sub qua ratione formali relationes constituant personas diuinas.

PRIMA propositio. *Diuinæ personæ vt considerantur constitutæ in suo gradu vltimo, vel quasi vltima differentia in ratione personæ conceptu distincto licet non adæquato, distinguuntur & constituuntur formaliter etiam nostro modo considerandi per suas relationes personales, vt sunt formaliter relationes in actu exercito, seu vt vnam personam de facto referunt ad aliam:* sic Durandus in primum sententiarum distinctione vigesimâ sextâ quæstione primâ numero decimo sexto & sequentibus; Gabriël eadem distinctione quæstione secundâ conclusione quartâ, & plures ex recentioribus.

I. Probatur: illud tantùm constituit, & distinguit personas diuinas in sua speciali, & vltima ratione talis personæ, prout illæ concipiuntur à nobis conceptu aliquâ ratione distincto, quod illas vt à nobis intellectas reddit formaliter incommunicabiles suâ speciali ratione; quia vt incommunicabilitas est formalis ratio personalitatis, ita etiam talis incommunicabilitas in particulari ratio est formalis talis personalitatis constitutæ in suo gradu vltimo, & ab aliis distinctæ, cùm hæc posterior contrahat priorem ad talem numero personam: at dum concipimus aliquam ex personis diuinis conceptu aliquâ ratione distincto, sola eius personalis relatio, quatenus est talis relatio, & quatenus eam refert talem de facto ad aliam talem personam, nobis illam constituit,
II. & distinguit ab alia, vt incommunicabilem: ergo sola personalis relatio, quatenus est talis relatio in actu exercito, nobis constituit & distinguit personas diuinas, vt nostro modo considerandi cognitas in vltima quasi differentia talis personalitatis conceptu aliquâ ratione distincto.

Minor probatur: quidquid possumus tali conceptu apprehendere in persona, vt est talis persona incommunicabilis, & vt talis constituitur & distinguitur ab alia persona, exempli gratiâ, prima à secunda, est, vel absolutum, & vt formaliter tale apprehensum, & cognitum à nobis, vel est relatiuum vt relatiuum, & vt tale formaliter cognitum à nobis, quia cùm talis conceptus sit aliquâ ratione distinctus, & non confusus, non potest apprehendere hanc numero
III. personam in ratione talis numero personæ constitutam, abstrahendo à personalitate relatiua & absoluta: hæc enim particula, *talis numero*, indicat specialem eius rationem restringere communem rationem personæ ad talem numero personàm, eámque vt sic cognosci: at quod tunc apprehendimus tali conceptu distincto, non est aliquid absolutum vt formaliter absolutum, quia cognoscimus & apprehendimus omnes personas diuinas conuenire in omni & quolibet absoluto, vt formaliter est absolutum, & proinde non posse constituere vnam personam diuinam incommunicabilem alteri, & eam distinguere realiter ab alia, sed potiùs solam relationem, quatenus formaliter est relatio, multiplicare in diuinis: ergo illud,
IV. quod, concipiendo vnam personam ex diuinis, apprehendimus conceptu aliquâ ratione distincto tanquam constitutiuum & distinctiuum illius ab aliqua persona diuina, est ipsa eius relatio personalis, vt formaliter est relatio, seu vt exercet de facto ipsum munus referendi.

Deinde probatur: quotiescumque aliquid re ipsa vnum simplicissimum apprehenditur nostro modo considerandi per modum duorum, si vnum eorum sese habeat tanquam superius, & alterum vt inferius, tunc si sit constitutiuum & distinctiuum alicuius vt cogniti conceptu aliquâ ratione distincto, erit eius constitutiuum & distinctiuum sub formali ratione, quâ præcisè sese habet, vel apprehenditur, vt quoddam inferius, quia vt sic apprehenditur tanquam vltimum, quod
V. A est in constituto, quatenus est tale constitutum: at diuina personalis relatio est ita aliquid reipsa vnum simplicissimum, & virtualiter indistinctum, vt tamen concipiatur à nobis tanquam forma quædam hypostatica, faciens subsistere formaliter personas diuinas, simúlque eadem formalitate referens eas ad se inuicem: & prætereà relatio personalis, vt apprehensa tanquam forma hypostatica est quædam veluti ratio superior ad eandem seipsam, vt est relatio in actu exercito: quemadmodum patet ex dictis articulo vltimo ad quæstionem vigesimam nonam: ergo personales diuinæ relationes vt sunt formaliter, & in actu exercito relationes, sunt formale principium constitutiuum & distinctiuum singularum personarum diuinarum, quatenus sunt tales, & prout cognoscuntur nostro modo concipiendi con-
VI. B ceptu aliquâ ratione distincto constitutæ in tali quasi vltima sua differentia personæ.

Quòd verò personæ diuinæ constituantur per eiusmodi relationes, vt in actu exercito referentes, probatur: vbi aliqua forma conceptu aliquo distincto apprehenditur inesse alicui, simul etiam apprehenditur communicare ei suum proprium, & formalem effectum, cùm hic sit ab illa inseparabilis, & sit ipsa eius communicatio actualis: at proprius & formalis effectus relationis est actu referre relatum, cui inest, ad suum correlatum, vt patet ex definitione relatorum apud Aristotelem in categoria *de relatis*, vbi relata definiuntur esse ea *quorum totum esse est ad aliud*, seu respicere aliud, quod non po-
VII. C test explicari de sola aptitudine ad referendum, vel ad respiciendum, tum quia talis aptitudo inest subiecto ante resultantiam relationis, quatenus habet fundamentum & rationem fundandi, nec tamen adhuc censetur esse propriè & formaliter relatum; tum quia si hæc aptitudo sufficeret ad constituendum aliquod ens in esse relati formaliter, posset vera relatio, eáque realis dari absque suo termino, & extremo correlato realiter existente, cùm talis aptitudo possit esse, vel poni in vno, licet non ponatur in aliquo alio: at omnes Philosophi cum Aristotele loco nunc citato negant veram & realem relationem posse dari sine reali coexistentia extremorum relatorum, ideóque illa sese mutuò ponere & tol-
VIII. D lere: ergo cùm in præsenti difficultate persona diuina apprehendatur conceptu aliquâ ratione distincto constituta in suo esse personali, & distincta à quocumque alio per suam relationem personalem, vt relatio est, debet etiam tunc concipi constituta per istam relationem, vt in actu exercito referentem.

Secunda propositio. *Vnaquæque persona diuina à nobis apprehensa per analogiam ad res creatas, constituitur in suo esse personali per suam relationem personalem, quatenus est quædam forma hypostatica, & per eam, vt sic distinguatur ab alia persona diuina:* hæc propositio est sancti Thomæ suprà quæstione vigesimâ nonâ articulo quarto, dum ait personam in Deo significare relationem, per modum hypostasis & subsistentis.

I. Probatur primò ex sancto Augustino libro septimo *de Trinitate* capite sexto, dicente personam in diuinis dici *ad se, & non ad aliud.*

Probatur ratione: eo formaliter personæ diuinæ apprehenduntur à nobis constitui in esse personæ quoad rationem communem personæ, & à se inuicem distingui, quo apprehendimus illas per ordinem ad res creatas reddi incommunicabiles, vt patet ex ipsa formali ratione personalitatis; at apprehendimus personas diuinas quoad communem rationem personæ cognitas per analogiam ad personas creatas constitui incommunicabiles sibi inuicem, & aliis substantiis completis, per suas personales relationes, prout illæ habent rationem formæ cuiusdam hypostaticæ, vt docuimus ad quæstionem
II. vigesimam nonam articulo vltimo: ergo vnaquæque persona diuina secundùm communem rationem personæ apprehensam per analogiam ad res creatas constituitur in suo esse personali per propriam relationem personalem, quatenus hæc eius relatio est forma quædam hypostatica.

Tertia propositio. *Personæ diuinæ iuxta aliquem nostrum considerandi modum per analogiam ad res creatas constituuntur & distinguuntur per origines, nimirum præsuppositiuè, & minus principaliter.*

Probatur primò ex Patribus, qui satis frequenter explicant constitutionem & distinctionem personarum diuinarum per voces, & terminos spectantes ad originem, vt sancto Hilario libro quarto *de Trinitate* dicente Filium esse *natiuitate Filium*: sancto
III. Ambrosio libro primo *de fide* capite secundo dicente inter Patrem & Filium esse expressam generationis distinctionem: sancto Augustino libro quinto *de Trinitate* capite septimo: sancto Fulgentio libro primo *de fide* ad Petrum capite primo: sancto Damasceno libro tertio *de fide Orthodoxa* capite septimo, & ex Bessarione Cardinali oratione illâ, quam habuit in Concilio Florentino.

Probatur etiam ratione, quando in aliquo apprehendimus plura, vt aliquo nostro concipiendi modo distincta à se inuicem, & aliquem inter se ordinem seruantia; tunc si quid illorum constituat personam, illud quod nostro modo concipiendi est primum omnium, debet constituere illam maximè, quan-
IV. do alia fundantur in isto: at dum apprehendimus, exempli gratiâ, Patrem diuinum, per analogiam ad res creatas, apprehendimus originem esse priorem relatione, cùm origo sit ratio fundandi relationem, & priùs intelligimus primam personam esse generantem, quàm esse relatiuam ad Filium: ergo prima illa etiam persona Trinitatis intelligitur constituta in suo esse personali, & distincta à quauis alia persona per suam originem, maximè cùm nihil sit positiua origo sui ipsius.

Confirmatur: ideò prima persona Trinitatis vt cognita per analogiam ad patres creatos est Pater, quia genuit, & non econtrà ideò genuit, quia est Pater: quemadmodum videre est in patribus creatis: ergo generatio hoc nostro modo apprehen-

A V. sa est prior in ipsa persona, quàm sit ipsa paternitas: ergo priùs etiam constituit & distinguit primam personam Trinitatis à secunda.

Vltima propositio. *Personæ diuinæ magis principaliter constituuntur & distinguuntur per relationes suas personales etiam vt relationes nostro modo considerandi per analogiam ad res creatas, quàm constituantur & distinguantur per ipsas suas origines.*

Probatur: vnumquodque censetur principalius constitui in suo formali esse, & distingui ab alio per id, quod apprehenditur primum vt inexistens illi, & etiam permanens in facto esse, quàm per illud, quod tantùm apprehenditur per modum formæ cuiusdam fluentis, & per modum viæ & tendentiæ ad aliud, quia vt persona est aliquod
B VI. ens permanens, ita etiam debet apprehendi constituta in se & distincta ab omni alio per aliquid ei intrinsecum & apprehensum, vt permanens in illa: sed personales diuinæ relationes apprehenduntur à nobis, tanquam formæ quædam permanentes & existentes intrinsecè in suis propriis personis, ita vt ante illas nihil apprehendamus permanens, quod sit proprium ipsis personis diuinis; ipsæ verò origines apprehenduntur solummodò, vt sunt quoddam producere, quoddam produci, & quædam tendentia in terminum: ergo personales diuinæ relationes principaliùs constituunt, & distinguunt personas diuinas secundùm nostrum modum considerandi, quàm ipsæ earum origines.

Ex his omnibus intelligitur, quo sensu sententiæ superiùs relatæ habeant aliquid ve-
C VII. ritatis, & quid sit respondendum ad illarum fundamenta, in quantum pugnant cum nostris propositionibus.

ARTICVLVS VII.

Corollarium ex doctrina præcedenti.

EX dictis articulo præcedenti intelligitur, quo modo & quo ordine personæ diuinæ concipiantur à nobis etiam per analogiam ad personas creatas, scilicet primam personam primò à nobis concipi aliquo conceptu confuso, secundùm rationem personæ alicuius improductæ, non exprimendo, seu non cognoscendo vi talis conceptus, hanc personalitatem vt propriam tali personæ esse
D VIII. relatiuam.

Deinde accedendo ad conceptum magis expressum eiusdem personæ, concipimus illam vt generantem; hæc enim ratio est magis propria, & nostro considerandi modo supponit priorem, sicut omne proprium & particulare supponit commune; sicque illo conceptu adhuc confuso, & non omnimodè distincto apprehendimus per comparationem ad res creatas, primam illam personam Trinitatis priùs constitutam in ratione personæ, quàm vt constitutam in tali ratione personæ, per talem propriam rationem.

Tertiò, quia videmus in personis creatis relationes paternitatis, & filiationis, resultare ad generationem, tunc apprehendimus istas personas vt se inuicem respi-

I. cientes, & proinde vt formaliter intrinsecè, & maximè principaliter constitutas per eiusmodi relationes.

Veruntamen concipiendo secundam & tertiam personam per analogiam ad personas creatas, procedendum est aliâ ratione: quia enim res, quæ producitur, priùs apprehenditur in suo produci, quàm in suo esse producto; ideò persona procedens debet priùs concipi secundùm suam originem passiuam; deinde secundùm suum esse productum, quatenus accepit esse ab alio, & tandem sub ratione personæ respicientis aliam per relationem fundatam in sua processione concepta per modum viæ, & tendentiæ ad se tanquam ad terminum: sicque distincto conceptu debent apprehendi, vt constitutæ in seipsis, & distinctæ ab aliis, per relationes suas per-
II. sonales, vt in actu exercito, tanquam per aliquod principium sibi internum, & permanens, & per origines duntaxat minus principaliter, & non per aliquid vt in illis perseuerans.

AD QVÆSTIONEM XLI.

DISPVTATIO VNICA.

De personis diuinis comparatis ad actus notionales.

ARTICVLVS PRIMVS.

III. *Vtrum dentur actus notionales, quot & quid sint.*

NOTANDVM nomine *actuum notionalium* nihil aliud intelligi à Theologis, quàm ipsas productiones diuinas tam actiuas, quàm passiuas: vocantur autem *notionales*, quia pertinent ad notiones, & iuuant nostrum intellectum ad dignoscendas personas diuinas, vt distinctas à se inuicem, sicut & ipsæ notiones, de quibus suprà egimus. Hoc prænotato sit

Prima propositio. *Actus notionales dantur in Deo.* Ita communiter omnes Theologi hîc, & est de fide. Probatur primò ex illis verbis Patris diuini ad Filium, Psalmo
IV. centesimo nono, *ex vtero ante Luciferum*, &c. item ex Concilio Lateranensi, Florentino, & aliis superiùs à nobis citatis pro generatione Filij, & spiratione Spiritus sancti; quæ Concilia passim tradunt Patrem generare Filium, Filium generari à Patre, Patrem & Filium spirare Spiritum sanctum, Spiritum sanctum spirari à Patre & Filio.

Secunda propositio. *Actus notionales sunt tantùm quatuor.* Ita communiter omnes. Probatur: actus notionales sunt idem, ac ipsæ productiones tam passiuæ, quàm actiuæ ex præmisso notabili: at productiones actiuæ sunt duæ, item passiuæ sunt duæ illis correspondentes, quia cuilibet producere respondet aliquod produci: ergo sicut datur notio-

A nalis actus, qui est actiua generatio, item alius, qui est actiua spiratio, ita etiam dabuntur passiua generatio, & passiua spiratio. V.

Vltima propositio. *Quoad quidditatem eiusmodi actuum notionalium, idem planè debet esse iudicium, ac de quidditate, distinctione vel identitate dictionis, & spirationis cum ipsa intellectione & volitione.* Probatur, quia dictio & spiratio actiua sunt actus notionales, non alij, quàm ipsa actiua generatio & spiratio actiua: ergo quâ ratione dictio & spiratio sunt ipsa intellectio & volitio, vel distinguuntur ab illis, eadem etiam & actus notionales: quo autem modo dictio & intellectio, spiratio & volitio distinguantur, vel sint idem; explicatum est à nobis quæstione vigesimâ septimâ huius partis.

B ARTICVLVS II. VI.

Vtrum actus notionales sint voluntarij.

NOTANDVM, aliquem actum seu processionem posse dici quatuor modis *voluntarium*: primò quatenus voluntas est principium illius, quo modo actus amoris est à voluntate: secundò quatenus voluntas imperat eiusmodi actum, quo modo actus aliarum potentiarum, quæ sunt in nobis, & subiiciuntur imperio voluntatis, dicuntur esse à voluntate, quia fiunt ex eius impulsu seu imperio: tertiò, ita vt actus voluntatis sese habeat tantùm concomitanter ad ipsam processionem; quo sensu dum viuimus, dicimur velle viuere: postremò actus dicitur *voluntarius*, quatenus
C voluntas ita illum liberè exercet, vel quoad VII.
exercitium, vel quoad specificationem, vt tamen possit illum pro sua libertate non exercere, vel purè & simpliciter, vel saltem tali modo. Hoc prænotato sit

Prima propositio. *Generatio Filij in diuinis est tantummodò voluntaria tertio modo.* Propositio est de fide: probatur ex Concilio Toletano vndecimo in confessione fidei, vbi Pater diuinus dicitur producere Filium *non voluntate, nec necessitate*, id est coactione, quatenus necessitas significat ipsum agens cogi ab aliquo extrinseco contra propriam inclinationem ad agendum: item ex Patribus, vt sancto Athanasio sermone quarto *contra Arianos*, sancto Gregorio Nazianzeno oratione tertiâ *de Theologia*, sancto Ambrosio libro
D quarto *de fide* capite quarto, dum ait gene- VIII.
rationem non esse posteriorem voluntate Dei; ideóque quando ibidem vocat generationem Filij *liberam*, hæc dictio *libera* idem tantùm ibi sonat, ac non coacta: item ex sancto Augustino libro quinto *de Trinitate* capite vigesimo.

Deinde probatur ratione: de primo quidem modo, quia solus Spiritus sanctus procedit per voluntatem, Filius enim procedit per intellectum.

De secundo probatur: prius non potest imperari à posteriori, quia imperium præsupponitur ad actum imperatum: at actus ille notionalis, quo diuinus Pater generat Filium, vel Filius generatur à Patre, est prior actu ipso voluntatis, quia actus intellectus

I. præſupponitur actui voluntatis : ergo actus notionalis, quo Filius generatur, non poteſt eſſe hoc modo voluntarius.

De quarto modo patet, quia omnes actiones ad intra ſunt neceſſariæ, non liberæ; at actus notionales ſunt ad intra: ergo non poſſunt eſſe hoc ſenſu voluntarij. Hinc Toletanum vndecimum Concilium ſuprà dicit in generatione Filij voluntatem non præuenire ſapientiam.

De tertio denique modo idem probatur ex capite decimo ſeptimo ſancti Matthæi, vbi Pater diuinus ita loquitur de Filio diuino, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* : quem locum ſanctus Leo ſermone *de Transfiguratione Domini*, explicat de filiatione & generatione æterna: & clariùs ſanctus Thomas tertiâ par-
II. te quæſtione quadrageſimâ quintâ articulo quarto : at complacentia & dilectio ſunt actus voluntatis, & ipſa complacentia ſignificat coexiſtentiam eius, in quo ipſa voluntas dicitur ſibi complacere, quæ complacentia nihil contulit intrinſecè ad generationem filij, quia nihil tale aſſignari poteſt: ergo talis voluntas fuit tantùm concomitans.

Confirmatur : vbi aliquid ad intra in diuinis habet rationem boni infiniti, voluntas diuina non poteſt non ferri aliquo modo circa ipſum : at generatio Filij in diuinis eſt quædam communicatio boni infiniti : ergo voluntas diuina non poteſt non ferri aliquo modo circa illam; at nullus poteſt alius actus aſſignari ipſius voluntatis, quàm actus complacentiæ à voluntate
III. concomitante: ergo generatio Filij in diuinis eſt tantùm voluntaria voluntate concomitante.

Quæres, an hæc voluntas concomitans ſit noſtro modo concipiendi prior ipſâ generatione Filij, ita vt noſtro modo concipiendi Deus Pater voluerit generare Filium, deinde genuerit.

Reſpondetur contra Caietanum hâc quæſtione articulo ſecundo, & nonnullos alios, eſſe tantùm poſteriorem. Probatur: eſſentialia, vt contracta ad aliquod ſingulare ſuppoſitum, non priùs etiam noſtro modo conſiderandi de facto ei inſunt, quàm ipſa notionalia, quia tale ſuppoſitum conſtituitur adæquatè ex eſſentiali & notionali; ſícque ſimul & ſemel etiam ratione ſunt, & eſſentialia dicuntur priora notionali-
IV. bus abſolutè, & ſecundùm ſe conſideratis : ſed ipſum intelligere, quod voluntas concomitans generationem præſupponit, conſideratur vt contractum ad ſuppoſitum Patris, quia aliàs non eſſet quid notionale: ergo ipſa eiuſmodi volitio non erit prior ipſâ generatione Filij. Deinde omne volitum præſupponit cognitum : ergo prius erit produci Filium per intellectionem, quàm talem voluntatis actum dari.

Nec obſtat, quòd Pater diuinus in formula fidei Concilij Sirmienſis dicatur ſtatim vbi voluit, produxiſſe Filium : nam præterquàm quòd Concilium iſtud dicitur eſſe dubiæ fidei, vt eſt apud Baronium ad annum Chriſti Domini trecenteſimum quinquageſimum ſeptimum; attamen admitten-

A do illud, vt ſanctus Hilarius facit libro *de Synodis*, reſpondetur iſtas & ſimiles particulas *(vbi, ſtatim)* frequenter apud prophanos auctores ſignificare tantùm ſimultatem rerum, & non anteceſſionem vnius ad aliam, quo modo hîc vſurpantur. V.

Secunda propoſitio. *Spiratio Spiritus ſancti eſt voluntaria, voluntate principiante, vt voluntas eſt natura, & non vt libera*: id eſt, *Spiritus ſanctus procedit per voluntatem vt producentem neceſſariò, non autem liberè.* Tota propoſitio eſt de fide.

Prior pars patet ex dictis, tam de ipſa eius proceſſione, quàm de ipſis nominibus Spiritus ſancti, nimirum *amore*, & *dono*.

Poſterior pars probatur: actus ille eſt ne-
B ceſſarius, cuius terminus in ſuo conceptu formali includit neceſſitatem eſſendi, ſed Spiritus ſanctus eſt eiuſmodi terminus, quia eſt eſſentialiter & formaliter Deus, & Deus includit hanc neceſſitatem eſſendi. Deinde illud dicitur à philoſophis neceſſarium, cuius principium eſt omninò determinatum ad vnum, nec habet libertatem contradictionis, vel contrarietatis reſpectu ſui termini: at diuina voluntas Patris & Filij eſt determinata ad amandum diuinam eſſentiam & diuinas perſonas, quia bonum infinitum comprehenſiuè cognitum non poteſt non amari, & terminus productus per eiuſmodi amorem, eſt Spiritus ſanctus, qui habet neceſſitatem eſſendi & exiſtendi: ergo Spiritus ſanctus producitur neceſſariò. VI.

Nec eſt, quòd quis obiiciat pertinere ad
C perfectionem voluntatis, vt agat liberè: nam tunc tantùm libertas ad agendum eſt perfectio in agente, quando terminus productus, vel producendus habet aliquam indifferentiam, quando verò propter ſummam ſuam perfectionem nullam habet indifferentiam ad exiſtendum, non eſt perfectio in voluntate, quòd velit illud liberè, quia de perfectione voluntatis eſt, vt velit & amet vnumquodque obiectum, pro vt natura eius poſtulat; ideóque cùm diuina eſſentia, item perſonæ diuinæ ſint ſummum bonum & neceſſarium, perfectio diuinæ voluntatis eſt, quòd neceſſariò feratur in illas. VII.

ARTICVLVS III.

D *Vtrum actus notionales ſint de aliquo.* VIII.

SENSVS articuli eſt, an Filius & Spiritus ſanctus ſint producti de nihilo, an verò de ſubſtantia Patris, cùm enim omnis productio rei ſumptæ generaliter ſit, vel de nullo præſuppoſito, & proinde ex nihilo, ſicut eſt creatio propriè dicta, aut de aliquo, quod conſideratum ſecundùm ſe ita præſupponitur, vt tamen per productionem communicetur ipſi termino; quæritur an actus illi notionales ſint puræ quædam creationes, an verò productiones de aliquo.

Deinde quæritur, ſi actus illi ſint de aliquo, quidnam illa particula, *de*, ſignificet, & quam habitudinem importet. His prænotatis, ſit

I. Prima propositio. *Actus notionales sunt de aliquo, scilicet de tota substantia producentis.* Propositio est de fide contra Arianos, definita in pluribus Conciliis, vt Nicæno, in cuius symbolo profitemur Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero,* & in pluribus aliis, in quibus est definitum Filium & Spiritum sanctum procedere à Patre consubstantiales ei, vt docuimus ad quæstionem vigesimam septimam, quatenus Deus Pater eos producendo communicauit illis propriam suam substantiam, seu essentiam, quod hæc particula, *de*, tantùm significat in tali loquendi formula, vt etiam patet ex communi modo loquendi de patribus creatis, & eorum filiis; nam rectè dicimus filium in creatis, esse de suo patre, quia pater generando eum

II. ei communicauit aliquid suæ substantiæ: ergo cùm Deus Pater communicet Filio non aliquam partem suæ essentiæ, sed totam, cùm hæc sit indiuisibilis, vt definitur in Concilio Lateranensi, sub Innocentio tertio, & refertur capite *damnamus* extra de summa Trinitate, & fide Catholica; Filius rectè dicitur esse *de aliquo,* seu de substantia Patris: similiter, quia Pater & Filius communicant Spiritui sancto totam essentiam diuinam, rectè Spiritus sanctus dicitur esse de aliquo, seu de substantia Patris & Filij.

Probatur ex Patribus sic explicantibus hanc locutionem, vt sancto Hilario libro octauo *de Trinitate,* & Ioanne Theologo in Concilio Florentino sessione decimâ octauâ, dicentibus eam significare personas pro-

III. cedentes esse consubstantiales suo principio producenti.

Secunda propositio. *Hæc particula,* de, *in prædicta formula loquendi importat habitudinem ad essentiam diuinam, vt ad quoddam principium intrinsecum constitutionis personæ productæ, non tamen quasi materiale etiam virtualiter, vel nostro concipiendi modo, sed tantùm quasi formale.* Hæc propositio est contra Durandum primo sententiarum distinctione quintâ, quæstione secundâ, est tamen sancti Thomæ hîc articulo tertio, & communis. Et primò, quòd *hæc particula,* de, *importet habitudinem ad essentiam diuinam, denotando consubstantialitatem termini producti ad suum principium producens,* probatur ex dictis primâ propositione, & proinde denotat habitudinem ad id, ratio-

IV. ne cuius terminus est consubstantialis suo principio: at consubstantialitas Patris ad Filium, & Spiritus sancti ad Patrem & Filium, attenditur penes essentiam diuinam, vt docuimus quæstione vigesimâ septimâ: ergo hæc particula, *de,* in tali formula loquendi importat habitudinem ad essentiam diuinam, vt ad aliquod principium intrinsecum termino producto.

Deinde quòd *hæc habitudo non sit ad essentiam diuinam, vt ad principium quasi materiale,* probatur: præcisa ratio materiæ in ratione principij materialis consistit in eo, quòd sit id, ex quo tanquam sustinente formam præcipuam aliquid sit, seu quatenus est principium sustinens aliud comprincipium formale, ad constituendum aliquod tertium,

A non autem consistit præcisè in eo, quòd præexistat formæ, vel toti producto; nam in creatione alicuius totius materia non præexistit formæ, nec ipsi toti creato, & tamen est propriè principium materiale: item anima rationalis præexistit genito, & remanet in eo, nec implicat illam produci à Deo ante materiam; nec tamen est aliquod principium materiale hominis: at diuina essentia non se habet in persona diuina, quasi quoddam sustinens personalitatem eius, tanquam formam præcipuam ipsius personæ diuinæ; tum quia deitas est forma eius præcipua; tum quia personalitas diuina non est magis propriè præcipua suæ personæ per analogiam ad personas creatas, quàm creata personalitas sit forma præcipua humanæ personæ: at forma præcipua hominis in ratione personæ est V.

B ipsa eius humanitas, hæc enim cum ipsa humanitate componit compositione metaphysicâ totam personam humanam: ergo diuina essentia non habet rationem principij quasi materialis, prout comparatur ad personam diuinam, quam constituit. VI.

Tandem quòd *hæc habitudo sit ad diuinam essentiam, quatenus est principium quasi formale totale personæ diuinæ,* probatur primò ex hoc loquendi modo Apostoli *ad Philippenses* secundo sic loquentis de Filio, *qui cùm in forma Dei esset,* id est, in natura, essentia, & substantia diuina, vt sanctus Chrysostomus ostendit ad illum locum, & satis patet ex illis sequentibus verbis, *formam serui accipiens,* vbi nomine *formæ serui* intelligitur humana natura, quam Filius Dei assumpsit.

C Probatur ratione: diuina essentia eo modo significatur in tali locutione per istam particulam, *de,* quo modo illa est principium consubstantialitatis inter terminos productos, & principium producens, quia ex dictis primâ propositione hæc consubstantialitas explicatur per istam loquendi formulam: at essentia diuina est quasi formale totale principium consubstantialitatis inter diuinas personas, sunt enim per illam formaliter consubstantiales: ergo hæc habitudo per talem loquendi formulam importata ad essentiam diuinam est ad illam, quasi ad principium formale totale ipsius personæ. VII.

Vltima propositio. *Hæc particula,* de, *in prædicta loquutione ita importat habitudinem ad essentiam diuinam, vt eam non importet ad es-*

D *sentiam nudè & absolutè sumptam, sed ad personam producentem, vt habentem diuinam essentiam, quam communicat termino à se producto.* Ita colligitur ex sancto Thoma hîc articulo tertio in solutione ad tertium, & probatur: quia si sola habitudo ad essentiam diuinam sumptam absolutè, & secundùm se significaretur per istam formulam loquendi, cùm omnes personæ diuinæ habeant illam eandem essentiam diuinam, quasi formam suam principalem, omnes diuinæ personæ possent dici esse de essentia, & Pater item simpliciter dici esse de essentia: at hoc non potest dici, vt sanctus Thomas loco citato, & ante illum sanctus Augustinus libro septimo *de Trinitate* capite sexto docent. Deinde hæc particula ibi non significat quamcum- VIII.

I. que habitudinem termini producti ad suum principium productiuum, quia significat originem vnius ab alio: at Filius & Spiritus sanctus non sunt per originem ab essentia, sed Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio: ergo habitudo, quam hæc particula denotat, non est ad essentiam diuinam vt absolutam, sed ad personam producentem, vt habentem diuinam essentiam, & illam communicantem totam termino producto.

Hinc sanctus Thomas citato loco notat Filium non dici simpliciter *esse de substantia*, sed addi terminum personalem, ad id denotandum hoc modo, *de substantia Patris*.

Ex quibus omnibus facilè refellitur Autotheanorum hæresis, quam nonnulli tribuunt Caluino, quâ dicunt Filium esse Deum à seipso; nam esse Deum *à se ipso*, idem est,
II. ac habere deitatem à seipso, & non ab alio: sed Filius habet deitatem à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio, vt patet ex dictis: ergo Filius & Spiritus sanctus non sunt Deus à seipso, sed Deus de Deo, vt profitemur in symbolo Nicæno.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in diuinis sit potentia comparatione actuum notionalium.

NOTANDVM primò, *duplicem* distingui potentiam, *vnam logicam*, quæ consistit tantùm in nuda & simplici *non repugnantia* terminorum, quatenus illi habent non repugnantiam ad existendum, seu vt de facto
III. coniungantur inter se: *alteram physicam*, quæ est vera & realis, & significat esse in principio virtutem ad producendum aliquid.

Notandum secundò, ad præcisam rationem *potentiæ physicæ* seu realis, quâ præcisè est *potentia realis*, non requiri, quòd dicat nudam tantùm vim producendi, cum carentia productionis, ita vt eo ipso, quo alicui inest aliquid ratione cuius est reipsa & de facto principium termini realis ab eo verè & realiter producti, tunc ei repugnet esse propriè vera & realis *potentia* producendi; nam tota ratio *potentiæ* consistit præcisè in vi & efficacia ad aliquid producendum, vt etiam eius nomen sonat: & ad hanc vim, vt *præcisè* spectatam sese habet *per accidens*, quòd carentia productionis sit ei annexa: nam & in illa hæretica opinione, quâ
IV. nonnulli veteres philosophi putabant mundum esse ab æterno, & Deum *ad extra* agere ex necessitate naturæ, vera & realis potentia admittebatur in Deo, absque carentia alicuius productionis: ergo si quid detur, quod agat seu operetur ex necessitate naturæ, cuius terminus totus simul & semel producatur, habeat omnimodam necessitatem existendi, nec egeat aliquibus præuiis dispositionibus, siue ex parte principij, siue ex parte sui tanquam termini: tunc cùm tale principium nequeat cessare à productione, ad hoc, vt sortiatur appellationem veræ & realis *potentiæ*, non requiret carentiam productionis; imò si concipiatur, vt est *tale* principium *talis* termini (quia repugnat tali principio non producere, seu non esse
A in actuali productione) non poterit concipi- V.
pi cum carentia productionis: hinc quia quilibet terminus creatus caret necessitate existendi, & omnis creata potentia sic agit, vt licet sit determinata ad vnum, possit tamen impediri, vel per suam voluntatem, si sit libera, vel, si non sit libera, ab aliquo agente extrinseco; fit, vt quælibet potentia creata possit concipi sub ratione potentiæ, cum carentia productionis: econtrà virtus producendi *ad intra* in Deo, quia nihil habet, quo possit impediri, vel retardari agere, & eius termini habent omnimodam necessitatem existendi, non potest concipi vt productiua (qualis est) nisi simul etiam concipiatur *vt actu* producens, & si quando aliter concipiatur à nobis, id tantùm fit, quatenus illam concipimus per spe-
B cies similium perfectionum creatarum, & VI.
per analogiam ad res creatas. His præmissis,

Prima propositio. *Verè & propriè loquendo datur in diuinis realis potentia, comparatione actuum notionalium*, id est, *in Patre est vera realis potentia, quâ generat Filium, in Patre & Filio vera realis potentia, quâ producunt Spiritum sanctum.* Ita communiter omnes.

Probatur ex Patribus, vt sancto Augustino libro tertio *contra Maximinum* capite decimo tertio, libro decimo quinto *de Trinitate* capite vigesimo & aliis: item *ex Concilio Florentino, sessione vltimâ*, vbi Latini in *sua confessione de Spiritu sancto* missa ad Græcos, profitentur Patrem & Filium ita duas
C esse personas, vt tamen *eorum vna sit ope-* VII.
ratio, & vnica potestas mittendi, id est, producendi Spiritum sanctum: quò loci hæc particula *potestas*, idem sonat ac potentia spirandi. Item ratione: ibi est vera & realis potentia, vbi verus & realis terminus realiter emanat & producitur, & ad *realem potentiam* propriè sufficit, vt sit *principium* alicuius realiter distincti ab ipsa potentia, vt patet ex secundo notabili: at Pater diuinus habet aliquid reale, ratione cuius est principium Filij, similiter Pater & Filius comparatione Spiritus sancti, quia in diuinis dantur veræ & reales processiones, vt docuimus: ergo datur etiam in Patre & Filio vera & realis potentia productiua.

Secunda propositio. *Ratio realis potentiæ productiuæ in personis producentibus, loquendò propriè, est tantùm comparatione processionum*
D *passiuarum, seu personarum procedentium, & non* VIII.
comparatione productionum actiuarum, nisi nostro tantùm considerandi modo. Prior pars probatur: inter *potentiam* essentialiter productiuam, & *terminum* eius productum, absolutè requiritur emanatio vnius ab alio, cum reali distinctione procedentis à producente: nihil enim propriè loquendo producit seipsum, *primâ & simplici* productione: at, iuxta veritatem rei, realis emanatio cum reali distinctione termini producti à producente in diuinis, est tantùm comparatione *processionum passiuarum*, seu personarum procedentium, scilicet Filij à Patre, Spiritus sancti à Patre & Filio; nam vt docuimus actiuæ processiones non distinguuntur realiter à personis producentibus: ergo secundùm veritatem rei phy-

I. sica potentia in ordine ad actus notionales est tantùm in diuinis comparatione diuinarum personarum procedentium.

Posterior pars probatur, & prior simul confirmatur ex sancto Thoma hîc articulo quarto *in solutione ad tertium*, dicente *duplicem* considerari distinctionem eorum, quæ dicuntur de Deo, *realem vnam, aliam secundùm rationem tantùm*; comparatione *priorum* dari potentiam secundùm *propriam* rationem principij; comparatione verò *posteriorum*, posse tantùm dari potentiam *secundùm rationem*, quatenus scilicet apprehendimus res diuinas *per analogiam* ad res creatas. Et confirmatur ex eo, quòd inter potentiam propriè dictam & eius terminum, realis distinctio debet dari, vt etiam sanctus Thomas ibi expressè tradit: at inter processiones actiuas &
II. personas producentes nulla datur realis distinctio, sicut nec oppositio.

Articvlvs V.

Quid sit potentia notionalis producendi in Deo ad intra.

Sit hæc nostra propositio. *Notionalis potentia producendi ad intra in Deo, sumpta præcisè pro principio solùm productiuo propriè dicto, non est diuina essentia, siue vt sola, siue vt habet relationem speciali suæ productioni correspondentem, sibi quasi coniunctam, vel in ratione comprincipij inadæquati, vel etiam in ratione puræ alicuius conditionis aut modi, sed est ipsa sola relatio:* (puta generationis, paternitas, & spirationis passiuæ actiua vis spirandi) *si au-*
III. *tem hæc potentia producendi sumatur adæquatè prout includit tam principium communicatiuum, quàm productiuum simul, tunc hæc potentia notionalis sic adæquatè & integrè sumpta, est diuina essentia, vt intellectio & volitio, & simul relatiua proprietas correspondens, ita vt ratio principij communicatiui conueniat soli diuinæ essentiæ sic considerata, & ratio principij productiui soli relatiuæ proprietati.* Quatuor sunt partes propositionis, de quarum prima facilè conuenit inter omnes Theologos, nam hæc potentia debet esse aliquid *notionale*, non commune omnibus personis diuinis: at diuina essentia, sumpta præcisè & solummodò secundùm se, est aliquid *purè absolutum*, & commune omnibus & singulis personis sanctissimæ Trinitatis: igitur notionalis potentia producendi *ad intra* in Deo non est diuina essentia
IV. sola præcisè sumpta.

Secunda pars videtur esse contra sanctum Thomam in solutione ad tertium, & plures alios ex recentioribus, est tamen sancti Bonauenturæ in primum sententiarum distinctione septimâ articulo primo, quæstione primâ: Durandi eadem distinctione quæstione secundâ numero vigesimo nono: Ariminensis ibidem quæstione vnicâ articulo secundo, & aliquorum etiam ex recentioribus. Vt autem omnes istæ partes, & etiam vltima huius propositionis intelligantur, & simul probentur, duo præmittimus notanda.

Primum est, *proximum principium* producendi sumptum *adæquatè*, coalescere essentialiter ex duabus formalitatibus. *Prima* est *esse communicatiuum sui*, seu esse principium

A sese aliquo modo communicandi alicui: *secunda* est *esse productiuum* termini illius, cui V.
seipsum communicat, vt etiam patet in generationibus creatis & aliis productionibus: & quamquam hæ duæ formalitates non distinguantur realiter, sed simul & semel reperiantur in vno & eodem, non propterea tamen desinunt habere aliquam inter se distinctionem, vt secundùm se *seorsim*, & in se ipsis præcisè considerantur; nam *productio*, cùm sit in genere, vel *causæ efficientis, aut quasi efficientis*, tendit formaliter ad terminum realiter distinctum à producente, quia nihil, loquendo propriè, producit seipsum *simplici* productione, sed aliquid distinctum à se realiter, ex quo resultat realis relatio producti ad producens: producens enim separat à se terminum, facitque
B vt ille egrediatur seu emanet à producente; VI.
communicatio autem est in genere *causæ formalis*, aut quasi formalis, quia est ad assimilandum communicanti eum, cui fit communicatio, *in eo esse*, quod communicans habet; quare vbi illud idem *esse*, quod realiter, formaliter est in communicante, potest esse non tantùm idem specie, sed etiam numero in eo, cui fit communicatio (nam aliquid potest idem numero seipsum communicare, vt patet in anima, quæ manens eadem, seipsam nouæ parti materiæ per nutritionem acquisitæ communicat) non desinit esse vera generatio, vbi & quando producens suam eandem numero naturam communicat ei, quem generat.

Notandum secundò, distingui *duplex principium proximum* producendi aliquid, *vnum*
C *quo, alterum quod*; principium *proximum quo*, VII.
nihil est aliud, quàm virtus, quâ producens ponit extra se terminum, quem producit, seu quâ terminus, qui producitur, emanat à producente: principium verò *quod*, est suppositum, quod, velut *quædam conditio*, complet productum principium *proximum quo*, quatenus illud non exiret in actum, nisi haberet hypostasim & subsistentiam; vnde sicut *pura conditio* propriè non agit, seu operatur, sic nec subsistentia est principium physicum, & reale producendi, vt patet in omnibus creaturis, & in Deo respectu actionum *ad extra*: sed actiones & operationes ei tantùm *denominatiuè* tribuuntur; & ideò principium *illud, quod*, dicitur tantùm *denominatiuè* reale principium producendi, hâc denominatione sumptâ à proximo & formali
D principio *quo*, quod subsistentia, tanquam VIII.
quædam conditio complet & perficit in ordine ad operandum: & de hoc *principio quod* nulla hîc est difficultas; omnes enim facilè conueniunt Patrem respectu Filij, esse tale principium; Patrem & Filium, vt sunt *vnus spirator* esse *principium quod* productiuum respectu Spiritus sancti. His præmissis,

Secunda pars nostræ propositionis probatur: omne principium producens *quo*, siue partiale seu inadæquatum, siue adæquatum, debet secundùm eam formalitatem, & vim illam, quâ formaliter actiuè aut quasi actiuè *principiat*, esse distinctum realiter à termino producto, vt iam obseruauimus: at essentia diuina non tantùm sumpta *solitariè*, sed vt ha-

I. bet paternitatem & spirationem actiuam, seu vim spirandi sibi *quasi vnitas* & coniunctas, vel in ratione *modi*, vel in ratione *pura cuiusdam conditionis*, non est aliquid *in se*, & formaliter *vt sic*, distinctum realiter à personis diuinis procedentibus, quæ sunt termini diuinarum processionum: ergo essentia diuina nullo ex his modis potest esse *principium quo*, seu proxima potentia generandi Filium, & spirandi Spiritum sanctum.

Neque responderi potest ad maiorem huius fundamenti, sufficere ad eius veritatem, vt principium producens *vt quod* distinguatur realiter à termino producto per relationem eius, quæ tanquam *conditio*, vel *modus* eius requiritur; Patrem & paternitatem distingui realiter à Filio, & eius filiatione, similiter spiratorem distingui à Spiritu sancto.

II. Hoc inquam non potest responderi, quia nec *principium quod*, loquendo propriè, nec *pura conditio*, nec *modus*, etiam propriè producit, loquendo in rigore philosophico, ratione eius, quod superaddit proximo *principio quo*; sic enim, vt obseruauimus, principiat tantùm *denominatiuè*, & solummodò ratione *principij quo* sibi adiuncti, aut inclusi in seipso producit & *principiat* realiter: ergo cùm *terminus*, loquendo propriè, emanet realiter à *principio quo*, & propter quod vnumquodque est tale, & illud magis, longè fortiori ratione hoc *principium quo* propriè productiuū, debet esse realiter distinctum à suo termino producto.

Nec obstat, quòd hæc diuina productio sit *infinita*; non enim ideò debet destruere in-
III. trinsecam naturam productionis, quæ postulat *essentialiter*, vt productum sit *realiter* distinctum à principio producente.

Secundò probatur: *actus notionalis* potest prædicari de principio à quo realiter emanat, vel actus notionalis *actiuè* sumptus potest prædicari seu tribui ei, à quo est *principiatiuè*, seu ipsi suo principio & potentiæ: sed hic terminus *generat*, importat actum *notionalem*, & iuxta sententiam oppositam huic parti præsentis propositionis, diuina essentia est *principium quo* producendi ad intra: ergo illa propositio in diuinis, *essentia generat*, erit vera, quæ tamen damnatur in Concilio Lateranensi, tam quia per illam diuina essentia importatur, vt *terminus* generationis, quàm quia per illam realis *distinctio* inter essentiam genitam, & generantem significatur, cùm isti
IV. duo sensus nunc explicati sese concomitentur, & veritas vnius non possit saluari sine veritate alterius.

Istæ autem rationes tam benè concludunt de essentia diuina, vt *quasi affecta* paternitate, & vt spiratiua seu spiratione, tanquam *conditionibus*, vel *modis*, quàm de ipsa eadem diuina essentia, vt *præscindit* ab illis, quia iuxta sentētiam, quā hîc refellimus, essentia diuina nō accipit ab istis vim producendi, sed hæc vis supponitur in illa, non tamē simpliciter & absolutè *expedita*, nisi prout est istis cōiuncta; vel si hæc opinio velit essentiā diuinā in se spectatā habere talem potentiam *inadæquatè*, quæ tamen compleatur per ista, nostræ rationes semper retinebunt suam efficaciam, quatenus reale principium producendi debet distingui realiter à suo termino producto, secundùm

A id, quo producit realiter: quare si hæc opinio ponat essentiam diuinam, vt verum & reale principium *inadæquatum* producendi *ad intra*, debebit diuina essentia etiam secundùm istam rationem *inadæquatam* sui, esse distincta realiter à termino producto; quod tamen est falsum. V.

Tertia pars propositionis probatur: illud solum propriè est *adæquatum principium productiuum quo* in diuinis, cui soli in diuinis competit multiplicare; nam ibi tantùm datur multiplicatio per productiones *ad intra*: at ipsum *multiplicare* in diuinis *ad intra*, competit tantùm relationi, quia iuxta sanctos Patres & Concilia sæpiùs relata istud est receptissimum, *in diuinis sola relatio multiplicat*: paternitas autem & spiratio actiua sunt veræ relationes,
B quibus ratio multiplicandi competit *paternitati* respectu generationis Filij, *actiuæ spirationi* comparatione spirationis passiuæ: ergo solę VI.
illæ duæ relationes sunt totum & adæquatum *principium quo* producendi ad intra in diuinis.

Deinde probatur hæc pars rationibus allatis pro præcedenti: nam illud tantùm potest esse præcisè *principium quo* producendi in diuinis, quod distinguitur realiter à termino producto, & quod habet relationem realem ad illum: sed hæc & similia reperiuntur tantùm inter has relationes, & prædictos illarum terminos: ergo illæ tantùm relationes sunt proximum *principium quo* producendi *ad intra* in diuinis.

Tandem per illud, tanquam *principium quo* Pater diuinus producit Filium, quo non ex-
C istente in Filio, Filius semper remanet æquè VII.
potens, ac est Pater in diuinis, (quod similiter est dicendum de principio quo producendi Spiritum sanctum) quia Patres disputando contra Arianos pro æqualitate Filij quoad potentiam cum Patre, negant Filium esse in illa æqualem in eo præcisè, quòd *non generet*, vel possit generare: sed illud quod est in Patre, nec tamen est in Filio, & quo non obstante Filius semper est æqualis potentiæ cum Patre, est ipsa *paternitas*; similiter in Patre & Filio *actiua spiratio*: ergo Pater producit Filium paternitate vt *principio quo* productiuo. Hinc sanctus Ambrosius libro quarto *de fide* capite quarto sic ait, *generatio paternæ proprietatis est, non potentiæ*.

Quarta pars propositionis probatur ex præmisso notabili: ad totam & *adæquatam* ratio-
D nem principij productiui hæc *duo* requirūtur, VIII.
primò vt sibi aliquo modo *assimilet* terminum, qui producitur, *secundò* vt terminus productus distinguatur ab illo realiter: sed Pater communicando diuinam essentiam Filio, eum sibi assimilat, & huius communicationis principium est ipsamet essentia diuina, sicut anima est principium cōmunicationis sui ipsius, quæ reperitur in nutritione, quæ *potentia communicans* non postulat ex præcisa ratione communicationis, vel etiam *principij communicatiui*, vt distinguatur realiter à termino, quemadmodum obseruauimus: principium autem *productiuum* præcisè sumptum, quatenus tale, est prædicta relatio, paternitas respectu generationis, spiratio respectu Spiritus sancti, vt probatum est tertiā parte nostræ propositionis: ergo *principium quo* producendi

I. *ad intra* in diuinis, seu potentia productiua *adæquatè* sumpta, est diuina essentia *vt est intellectio* pro generatione Filij, & *vt est volitio* pro passiua processione Spiritus sancti, & simul relatiua proprietas eis correspondens, paternitas scilicet pro generatione, & vis spiratiua pro passiua processione Spiritus sancti. A

Atque per hanc vltimam partem præsentis propositionis facilè conciliantur variæ Theologorum hac de re sententiæ, & satisfit eorum fundamentis: nam cùm alij vrgent de ratione *principij quo* esse, vt *assimilet* sibi productum, id explicatur de principio illo, prout etiam includit *principium communicatiuum*: prout verò opposita vrget *tale principium* debere esse *realiter* distinctum à termino producto,
II. intelligitur id verum esse de eodem principio, B quatenus præcisè dicit *formalitatem productiui*, sic enim habet hypostasim diuinam pro suo termino, quæ in Filio distinguitur realiter à paternitate, & in Spiritu sancto distinguitur realiter ab actiua spiratione.

Similiter etiam Patres explicantur, quando ita loquuntur de essentia diuina, vt significent eam esse *principium productiuum quo*; id enim duntaxat intelligunt *quoad denominationem*, & non quoad præcisam rationem *& formalem* productionis: nam sicut in opinione contraria secundæ parti præsentis propositionis proprietas relatiua dicitur esse proximum principium productiuum *ad intra*, non *formaliter* sed tantùm *denominatiuè*, quatenus integrat tale principium: sic & in præsenti nostra opinione diuina essentia dicetur principium pro-
III. ductiuum solummodò *denominatiuè* à proprie- C tate relatiua, cum qua integrat vnum principium *adæquatum quo producendi ad intra*, prout illud includit *essentialiter* vtrumque prædictum principium.

Similiter per hanc eandem partem nostræ propositionis intelligitur, Filium semper procedere, *vt Verbum Patris, vt terminum intellectionis paternæ, & sub ratione vltimæ quasi differentiæ naturæ diuinæ*, Spiritum sanctum *sub ratione amoris*, quatenus ad hæc omnia sufficit, quòd Filius & Spiritus sanctus, *vt tales*, procedant *vi & efficaciâ principij communicatiui*, quod essentialiter in principio productiuo adæquatè sumpto includitur, & cùm eadem diuina essentia communicetur Filio & Spiritui sancto, processiones diuinas passiuè
IV. sumptas esse *vniuocas*, vt expresse docuimus D ad quæstionem trigesimam septimam, quippe cùm *vniuocatio terminorum* petatur tantùm *ab identitate formæ communicatæ*, & non *à modo communicandi* illam, nec etiam *à specifica identitate subsistentiæ* principij productiui cum subsistentia producti, vt patet in Christo Domino, cuius passiua processio à beatissima Virgine Maria est ipsi eius matri *vniuoca*; Christus enim Dominus, vt homo, verè est ei *consubstantialis*, licet eius suppositum (vt pote increatum & diuinum) sit altioris longè ordinis à supposito beatissimæ Virginis Deiparæ.

ARTICVLVS VI. V.

Soluuntur quædam dubia.

QVÆRES primò, cùm agendo de diuinis relationibus varias rationes distinxerimus in illis, *sub qua* illarum, paternitas, & actiua spiratio sint *proximum principium* producendi *ad intra*.

Respondetur id eis competere, non quà simpliciter dicunt *purum aliquem respectum prædicamentalem* vnius extremi ad aliud: nam relatio vt sic non est productiua, & cùm hæc ratio referendi sit communis aliis relationibus diuinis, imò & creatis, illæ deberent esse similiter productiuæ; non item præcisè id eis conuenit, quatenus *constituunt suppositum*, & habent pro suo formali effectu dare incommunicabilitatem, quo modo nostræ creatæ VI. subsistentiæ illis respondent; sic enim & hæc virtus producendi deberet inesse subsistentiis creatis; sed virtus illa producendi conuenit eis præcisè, & formaliter *quatenus sunt speciales quædam proprietates constituentes suppositum proximè fœcundum* ad verè, & realiter producendum aliud distinctum suppositum, cui eadem natura, quæ est in tali subsistente, communicetur, quo pacto assimilantur *relationi transcendentali*, & respondent potentiæ productiuæ cum ordine transcendentali ad producendum terminum.

Quæres secundò: cur illæ relationes diuinæ non sint *principium quo* producendi ad extra, sicut sunt *ad intra*.

Respondetur relationes diuinas ideò non VII. esse productiuas *ad extra*, quia vt *virtualiter* distinguuntur ab essentia, non in se continent *virtute* res possibiles, sicut diuina paternitas *virtute* continet in se hypostasim Filij, & actiua spiratio hypostasim Spiritus sancti: & licet istæ hypostases sint termini longè perfectiores quibuslibet rebus possibilibus, non propterea tamen ex eo, quòd possunt priùs, licet inferre eas etiam posse posterius, cùm eiusmodi termini & illorum producibilitas sint *diuersi* planè ordinis, & axioma istud *qui potest maius, potest & minus*, sit duntaxat verum de iis, quæ sunt *intra eundem ordinem*, & eundem habent modum suæ productionis; nam vbi aliqua potentia habet naturâ determinatum modum operandi, tunc illa non potest VIII. eum transgredi.

Quæres tertiò: cur in rebus creatis ratio principij productiui *quo* conueniat etiam naturæ producentis, non item diuinæ.

Respondetur, ideò in rebus creatis rationem *principij productiui quo* conuenire etiam naturæ producentis, quia hæc est realiter distincta, & saltem numero ab ea, quam terminus productus accipit, & sic saluatur in illa sufficiens ratio *principij quo etiam productiui*, quoad hanc conditionem (puta distinctionem realem inter principium productiuum & terminum productum) requisitam essentialiter, quæ conditio non habet locum in diuina productione, per quam eadem simplicissima numero natura, quæ est in producente communicatur producto.

Quæres quartò: cur subsistentiæ creatæ non sibi etiam vindicent rationem huius prin-

I. cipij proximè productiui, cùm sint quædam personalitatum diuinarum seu subsistentiarum participationes.

Respondetur subsistentias creatas loquendo propriè esse quasdam participationes diuinæ essentiæ, sicut sunt omnes creaturæ, in eo tamen solo *quòd vltimò terminent substantias, & eas reddant incommunicabiles,* correspondere diuinis relationibus, vt sunt loquendo propriè, *subsistentiæ*, sub qua consideratione relationes diuinæ superiùs recensitæ non sunt principium proximum producendi *ad intra*.

ARTICVLVS VII.

Quid sit formalis terminus potentiæ notionalis.

II. SIt hæc nostra propositio. *Formalis terminus communicationis in diuina productione est, pro generatione diuina, essentia communicata sub ratione actualis intellectionis, per essentiam; pro processione Spiritus sancti est eadem essentia diuina communicata sub ratione volitionis & amoris: formalis autem terminus productionis, vt hæc condistinguitur à communicatione, est pro prima processione, hypostasis Filij; pro secunda, hypostasis Spiritus sancti.*

Probatur: illud est *formalis terminus* communicationis inclusæ in productione considerata *adæquatè*, quod formaliter ex *primaria intentione* productionis & producentis cõmunicatur termino producto: sed essentia diuina sub ratione *actualis intellectionis per essentiam*, & vt est *vltima quasi differentia diuinitatis*, communicatur ex vi generationis & *primaria* intentione eius & generantis ipsi Filio: & eadem diuina essentia sub ratione *volitionis*, seu amoris similiter communicatur Spiritui sancto, vt ostendimus agendo de diuinis processionibus: ergo diuina essentia sub hac vtraque ratione est *formalis* terminus communicationis in productione diuinarum personarum Filij & Spiritus sancti.

Item is est *formalis* terminus alicuius productionis, ad quem ipsa productio ex propria sua ratione tendit, & cui dat existere: sed actiua generatio Patris diuini, *vt formaliter* est *productio*, tendit ad hypostasim Filij, eique dat existere: item spiratio actiua tendit ad hypostasim Spiritus sancti, & dat ei existere: ergo hypostases Filij & Spiritus sancti sunt formales termini ipsius vtriusque diuinæ productionis.

Hinc quia nostro modo considerandi, illud, cui aliquid communicatur, supponitur communicationi; priùs etiam, nostro modo considerandi, hypostasis Filij & hypostasis Spiritus sancti sunt productæ, tanquam *termini* suæ productionis, quàm diuina essentia illis communicetur, seruatâ inter illas proportione, quam intellectio & volitio habent inter se.

A V.

AD QVÆSTIONEM XLII.

DISPVTATIO VNICA.

De æqualitate & similitudine personarum diuinarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum diuinæ personæ sint sibi æquales in substantia, duratione, potentia & perfectione.

NOTANDVM est duo esse necessaria *ad æqualitatem*, & *similitudinem*; primum est, vt personæ, quæ dicuntur sibi inuicem æquales, & similes, sint realiter distinctæ à se inuicem: nam loquendo propriè vnum & idem non est sibi ipsi simile, sed idem, vt etiam S. Hilarius notat lib. 3. *de Trinitate*: alterum est, vt habeant veram qualitatem, seu formam & quãtitatem, in qua eiusmodi similitudo & æqualitas fundetur. Duplex autem à Philosophis distinguitur quantitas, vna *molis*, quæ solis rebus corporeis conuenit; altera *virtutis*, quæ attenditur penes perfectionem rei. Duplex item qualitas distinguitur, vna propriè dicta, quæ est verum quoddam accidens, à quo quidam dicuntur *quales*, vt Aristoteles definit in prædicamento *qualitatis*, & quâ substantia perficitur accidentariò, alia lato modo dicta, C secundùm quam appellationem quælibet VII. forma etiam substantialis nonnunquam à Philosophis appellatur *qualitas*: iam hîc est tantùm quæstio de æqualitate & similitudine fundata in *quantitate virtutis*, & in *qualitate* sumpta posteriori modo. His præmissis sit

Hæc propositio. *Personæ omnes diuinæ sunt æquales, & sibi similes in substantia, duratione, perfectione, & potentia:* tota propositio est de fide: nam habetur in symbolo sancti Athanasij, & passim in scripturis. Probatur *de similitudine*, iis omnibus, quibus suprà docuimus omnes diuinas personas ita esse consubstantiales, vt habeant vnam & eandem numero diuinam essentiam: similitudo enim attenditur penes conueniẽtiam in aliqua forma possessa à pluribus secundùm eandem suam rationem; at omnes tres personæ diuinæ habent D eandem formam substantialem seu deitatem, VIII. quæ vocatur ab Apostolo *forma*, vt animaduertimus; habent item & omnia eadem singula attributa essentialia: ergo omnes personæ diuinæ sunt sibi similes similitudine vnitatis numericæ, sicut etiam Pater & Filius, prout distinguuntur à Spiritu sancto, sunt sibi inuicẽ similes in eadem numero spiratione actiua: vnde cùm hæc forma sit in paucioribus personis, quàm diuina essentia, & attributa essentialia, fit, vt licet omnes diuinæ personæ sint æquè similes intensiuè similitudine vnitatis numericæ, non tamen æquè extensiuè, cùm hæc posterior similitudo sit tantùm inter duas personas, vt etiam intelligitur ex dictis suprà de illa perfectione, quam diuinæ relationes important.

I. Quòd autem præter hanc vtramque similitudinem vnitatis numericæ, personæ diuinæ aliam non habeant vnitatis specificæ, vel genericæ, ratione suarum personalitatum, & relationum, patet ex dictis suprà ad quæstionem trigesimam, vbi ostendimus communitatem personæ respectu trium personarum diuinarum, non esse propriè vniuersalem, sed potiùs diuinas personas, quoad hoc esse sibi quasi dissimiles.

Probatur item conclusio *de æqualitate perfectionis*, quia perfectio sequitur essentiam: ergo vt eadem numero essentia est in omnibus personis diuinis, sic etiam in illis omnibus est eadem numero perfectio, & sic omnes sunt coæquales.

Nec iis obstat primò, quòd eorum, quæ specie differunt, vnum sit alio perfectius, &
II. personæ diuinæ, earúmque relationes, sint quasi specie distinctæ.

Hoc inquam non obstat, quia quidquid sit de veritate antecedentis eius, quam aliqui reuocant in dubium, eâ tamen admissâ personæ diuinæ non desinēt esse coæquales: nam istud intelligitur tantùm de his specie, aut quasi specie differentibus, quæ non conueniunt in aliquo communi incluso continente omnes omnium rerum perfectiones, cuiusmodi est diuina essentia: ideóque cùm omnes personę diuinæ habeant illam eandem numero essentiam continentem omnes perfectiones, licet illæ personæ supponantur *quasi specie* differre ratione suarum personalitatum & relationum, non desinent esse coæquales.

Nec obstat secundò, quòd in prima persona sit potentia notionalis generatiua, quæ non
III. est in aliis: item in prima & secunda potentia notionalis spiratiua, quæ non est in Spiritu S.

Hoc etiam non obstat, quia omnipotentia propriè sumpta sese tantùm extendit ad res, quæ non habent absolutam intrinsecam necessitatem: cuiusmodi sunt omnes creaturæ, vt Theologi docent cum S. Thoma, agendo de potentia Dei; vnde est aliquid absolutum: & quando potentia generatiua Patris dicitur à S. August. lib. 3. *contra Maximinum* cap. 12. pertinere ad omnipotentiam, & Filius dicitur non generare, non quia *non potuit, sed quia non oportuit*: ibi nomine *omnipotentiæ* intelligitur tantùm perfecta virtus generandi Filium, quæ primæ personæ conuenit, quatenus est Pater: ideóque licet Filius careat illâ, vt est formaliter notionalis, non propterea tamen est impotens, quia vt sic nullo modo requiritur in
IV. illo. Hinc quòd Filius in diuinis non generet, non prouenit ex impotentia, vel aliquo defectu, qui sit in illo, sed quia non cōueniebat ei: quē sensum relata Augustini sententia tantùm facit, sicut non possumus dicere de lapide, eum non videre, non quia non potest, sed quia non oportet, id est eius naturæ non conuenit.

Nec est, quòd instet aliquis, quòd Patres interdum dicant Filium quidem esse æqualem Patri, Patrem tamen non esse æqualem Filio, vt S. Chrysost. in cap. 1. epist. *ad Hebræos*, S. August. lib. 1. *de doctrina Christiana* capite 5.

Tertium hoc inquam nihil facit, quia aliquid dicitur dupliciter esse æquale alicui; primò quatenus habet eandem omninò naturam, potentiam, & perfectionem cum illo: deinde quatenus producitur ad æqualitatem
A alterius, siue vt sit ei æqualis; priorem modum, penes quem perfecta æqualitas attenditur, Patres citati admittunt, solúmque negant Patrem esse posteriori modo æqualem Filio, quia est Pater improducibilis. V.

Tandem conclusio probatur *de duratione*, quia prioritas *à quo* principij, respectu sui termini, non inducit antecessionem durationis, cùm non tollat coexistentiam principij & termini, sed tantùm inducat prioritatē originis, quâ non obstante omnes personæ sunt sibi inuicem coæternæ. Hæc autem æqualitas & similitudo personarum diuinarum, licet sit realis, non est tamen relatio realis, sed rationis tantùm: quia proxima ratio non est distincta realiter in ipsis extremis à se inuicem realiter distinctis, quæ conditio ex communi doctrina Theologorum requiritur ad realem relatio-
B nem inter duo realiter distincta. VI.

ARTICVLVS II.

Vtrum inter diuinas personas aliquis realis ordo naturæ detur.

NOTANDVM est ordinem naturæ posse sumi duobus modis: primò quatenus est idem, ac ordo naturalis, prout scilicet naturale est alicui principio communicare aliis suam naturam, cum aliqua habitudine producti ad producentē: iste autem ordo vocatur *naturæ*, ex eo, quòd nō ponatur liberè, sed ex eo, quòd natura & conditio rei exigat illum. Deinde ordo naturæ sumi potest, quatenus significat vnum præsupponi alteri in existendo, seu habere suam existentiam, antequam aliud ha-
C beat suam. Hoc præmisso sit VII.

Prima propositio. *Ordo naturæ sumptus priori modo reperitur inter personas diuinas.* Ita S. Thomas hîc art. 3. Probatur: ordo iste dicit tantùm vnam personam esse ab alia, & non econtrà: at Filius est à Patre, & non Pater à Filio, Spiritus sanctus à Patre & Filio, & non Pater & Filius à Spiritu sancto. Hinc rectè dicimus Patrem esse *primam personam*, Filium *secundam*, Spiritum sanctum *tertiam*, quatenus diuinæ personæ seruant istum ordinem *originis*, qui si nullus esset, possemus indifferenter recensere numerum illarum, inchoando à Spiritu sancto, & eum vocare *primam personam*; sicut in magno numero possumus incipere enumerationem à quacumque vnitate voluerimus, eámque appellare primam, quod non licet facere nobis eodem modo in personis di-
D uinis, & ordo ille seu prioritas *originis* vocatur etiam à S. August. lib. 3. *contra Maximinum* ordo *naturæ*, iuxta modum à nobis explicatū. VIII.

Secunda propositio. *Ordo iste datur etiā realis inter quamlibet actiuam originem diuinam & passiuam sibi correspondentem.* Probatur: actiuæ origines sunt idem cum personis producentibus; item origines passiuæ sunt idem cum procedentibus; at personæ producētes sunt priores origine realiter personis procedētibus, vt patet ex dictis: vna autem actiua origo est tantùm prior secundùm rationem aliâ actiuâ, verbi gratiâ, quæ est per intellectionem, est tantùm ratione prior eâ, quæ est per volitionem.

Tertia propositio. *Posterioritas originis etiā datur inter personas diuinas.* Probatur ex S. Basilio lib. 1. *contra Eunomium*, vbi loquens de

I. personis diuinis, ita ait *in his causam priorem esse dicimus, posterius autem quod ab illa est.* Item ex Richardo *à S.Victore* lib.*6.de Trinit.*cap.*6.*

Probatur ratione: vbi ordo est talis, vt prima, secunda & tertia detur, ibi etiam posterioritas reperitur, quia omne secundum est posterius primo, & prius & posterius dicuntur *relatiuè:* at rectè dicimus Filium esse secundam personam Trinitatis, Spiritum sanctum tertiã.

Nec obstat, quòd correlata sint simul. Hoc enim intelligitur tantùm de simultate durationis, quæ non impedit prioritatem & posterioritatem originis.

Vltima propositio. *Ordo naturæ sumptus posteriori modo non datur inter diuinas personas:* est de fide ex symbolo S. Athanasij, *& in hac Trinitate nihil prius aut posterius:* vnde subiungit, *sed omnes personæ sunt sibi coæternæ,* quo signifi-
II. cat prioritatem, & posterioritatem istam, quam negat, esse tantùm durationis.

Probatur ratione: correlata sunt simul *naturâ*, vnum non est alio posterius aut prius: sed diuinæ personæ sunt formaliter sibi inuicem correlatæ: ergo vna non est aliâ prior in existendo, nec ex consequenti datur ordo naturæ inter personas diuinas, posteriori modo sumptus.

ARTICVLVS III.

Vtrum circumincessio personarum detur in diuinis.

NOTANDVM est nomine *circumincessionis* nihil aliud intelligi apud Theologos, hoc loco, quàm existentiam vnius personæ di-
III. uinæ in alia diuina persona, & quasi intimam & perfectissimam habitationem vnius diuinæ personæ in alia, quam Græci vocant περιχώρησιν, quatenus tres diuinæ personæ absque vlla diuisione substantiæ, & confusione personarum habitant in sese inuicem, seu reciprocè: de qua duo possunt quæri, primum an de facto detur, alterum, in quonam præcisè consistat. Hoc prænotato sit

Prima propositio. *Circumincessio, seu mutua & veluti circularis existentia vnius diuinæ personæ in alia datur in diuinis:* hæc propositio est de fide; S. Ioan. 10. cap. & 14. ait Christus Dominus *ego in Patre*, &c. item ex Patribus S. Hilario lib. 3. *de Trinitate*, S. Ambrosio lib. 1. *de fide* cap. 2. S. Augustino lib. 1. *de Trinitate* cap. 8. & epist. 174. S. Damasceno lib. 1. *de fide orthodoxa* capite vltimo, & aliis ad
IV. citata testimonia scripturæ, & veritas huius propositionis patebit ampliùs explicatione eius formalis rationis, quam hæc circumincessio importat. Pro qua sit hæc

Secunda propositio. *Hæc circumincessio propriè loquendo non consistit in mutua præsentia, vel etiam cognitione diuinarum personarum, quatenus diuinæ personæ sunt correlatæ, & vnum relatorum non cognoscitur nisi & alterum cognoscatur, vel vnum non est, nisi vbi est & alterum: nec item consistit in eo, quòd personæ procedentes sint per actus immanentes, & tam terminus actus immanentis, quàm ipse actus immanens sint in suo principio: sed hæc circumincessio propriè & præcisè loquendo consistit in eo, quòd personæ diuinæ ita inter se distinguantur realiter quoad personalitates, vt tamen sint omninò idem secundùm diuinam es-*

A *sentiam, quæ diuina essentia sibi identificat omnes diuinas personalitates, & est tota in qualibet diuina persona.* V.

Probatur quoad singulas partes: quoad primam, quia hæc distinguũtur vnum *esse in alio*, & vnum *simul cognosci cum alio*, vel etiam esse illi præsens: nam vnum *esse in alio* est esse intra illum, & Deus potest ponere duo corpora simul in eodem loco, sine aliqua sui penetratione, vel etiam plures Angelos, ita vt habeant mutuam ad se præsentiam, item ponere duo correlata, vel in eodem loco, vel in diuersis locis, nec tamen vnum eorum erit propriè intra aliud, nec econtrà: ergo cùm ex Patribus citatis primâ propositione hæc circumincessio sit perfectissima habitatio vnius personæ in alia, & econtrà, illa præcisè non consistet in tali mutua præsentia diuinarum personarum,
B vel in earum connexione, quoad habendum VI.
cognitionem illarum.

Confirmatur: vnum correlatum est tantùm quoad præsentiam intellectus, vbi est alterum, quatenus non potest cognosci, quin & alterum cognoscatur, vt patet factâ inductione per omnia correlata: at hæc circumincessio dicit existentiam actualem vnius personæ diuinæ habitantis intra aliam.

Deinde, quòd talis circumincessio non consistat præcisè in eo, quòd duæ personæ procedentes sint per actus immanentes, quorũ termini sunt etiam intra ipsum suum principium, probatur: hæc circumincessio est mutua, & reciproca, comparatione singularum personarũ diuinarum, quatenus diuina quælibet persona est realiter in aliis: & econtrà vnaquæque aliarũ in illa, vt patet ex modo loquendi Chri-
C sti Domini suprà, *ego in Patre & Pater in me est,* VII.
& ex Patribus citatis: at actus immanens & eius terminus ita sunt, & habitant in ipso producente principio, vt tamen ipsum principiũ non sit, nec existat, seu habitet realiter in ipso actu, & suo termino, sed tantùm quoad tendentiam, vt patet ex propria eorum conditione: ergo circumincessio personarum diuinarum non consistit præcisè in eo, quòd duæ personæ procedentes sint per actus immanentes, & tam actus immanentes, quàm eorum termini maneant in suo principio.

Vltima pars probatur ex eo, quòd Christus Dominus suprà ita explicet hanc circumincessionem diuinarũ personarũ, vt dicat se esse in Patre, quia habet essentiam diuinam, & econtrà Patrem esse in seipso Filio, quia eandẽ habet diuinitatem, cùm enim S. Philippus dixis-
D set ei, *ostende nobis Patrem*, respondit, *qui videt* VIII.
me, videt & Patrem, nimirum quatenus qui nouit diuinitatem Filij, nouit etiam diuinitatem Patris, cùm hæc sit vna & eadem vtriusque: quæ expositio verborum Christi Domini probatur, tum ex eo, quòd ibidem eodem modo probet Patrem esse in se, ac probat se esse Deum, seu habere diuinam essentiam, nimirũ ex operibus miraculosis, *non creditis, nisi quia ego in Patre, & Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite:* tum quia Christus Dominus ait ibi Patrem manentẽ in seipso Filio operari, quæ Christus D. facit: at Patrem in Christo manentem operari, quæ Christus Dominus facit, est eum ita habere eandem cum Christo Domino omnipotentiam, & ex consequenti diuinitatem, vt simul cum illo sit causa mira-

I. culorum eius. Tertiò, quia Christus Dominus cap. 10. S. Ioan. sumpsit hæc duo (*se esse vnum cum Patre, & Patrem esse in se, & se esse in Patre*) pro vno & eodem, cùm enim dixisset Iudæis, *ego & Pater vnum sumus*, quo se asserebat Deum, & se eandem cum Patre habere diuinitatem, vt ostenderet se verum dixisse, addidit, *vos dicitis: quia blasphemas; quia dixi Filius Dei sum, si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si non mihi vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*: ergo cùm Christus Dominus ibi probet quod Iudæi negabant de illo, Iudæi autem negarent eius consubstantialitatem cum Patre, & Christus D. illis probet se esse in Patre, Patrem esse in se ipso Christo, sumit ibi pro vno & eodem *Patrem esse in Filio, Filium in Patre, & Patrem*
II. *& Filium habere vnam & eandem essentiam.*

Confirmatur ex Patribus, quorum alij docent Christum Dominum ibi tradere se esse consubstantialem suo Patri, ex eo, quòd Filius est in Patre, & Pater in Filio, sic S. Hilarius lib. 7. *de Trinitate*: alij Christum Dominum ibi docere distinctionem personarum diuinarum cum vnitate essentiæ, sic S. Basilius hom. 27. *contra Sabellianos*: alij ideò Patrem non posse ostendi sine Filio, nec econtrà, quia vnum sunt, sic S. Augustinus lib. 1. *de Trinitate* cap. 8. ergo tam ex modo loquẽdi Christi D. quàm ex ipsa explicatione Patrum, circumincessio personarum diuinarũ consistit in eo, quòd omnes personæ habeant vnã & eandem numero essentiam, saluâ personali earum distinctione.

Explicatur etiã ratione: vnam personam esse in alia est esse intra illã saluâ personali suâ dis-
III. tinctione: quia nihil dicitur esse in seipso, & alietas importat distinctionem: at vna persona diuina saluâ personali suâ distinctione non potest esse in alia, nisi ratione diuinæ essentię, quæ ei est eadem & communis cum aliis personis diuinis, quatenus eo ipso, quo ratione istius eiusdem essentiæ est in alia persona, est etiam secundùm illud omne, quod habet in seipsa identificatum cum diuina essentia, ac proinde cùm propria eius personalitas sit idẽ realiter cum sua essentia diuina, vbicumque diuina essentia erit, ibi etiam erit & propria eius personalitas: ergo cùm essentia diuina Filij sit in Patre, quia est eadem, etiam personalitas Filij erit in Patre, & econtrà: & similiter philosophandum est de Spiritu sancto; sicque totus Pater est in Filio, & in Spiritu sancto, totus Filius in Patre & Spiritu sancto,
IV. & totus Spiritus sanctus in Patre & Filio, vt etiam S. Fulgentius ait libro *de fide* ad Petrum capite primo, & Ecclesia canit in hymno *ad Laudes feriæ secunda.*

Relatio autem, quam hæc circumincessio importat, est tantùm rationis, siue attendatur penes essentiam, cùm hæc sit vna & eadem in omnibus extremis correlatis, siue attendatur penes relationes personales, quia licet illę sint distinctæ realiter à se inuicem, non tamen vt per circumincessionem sunt in extremis correlatis; non enim filiatio, quæ est in secunda persona, quatenus est in illa, potest dici alia essentialiter ab ea, quæ est in Patre per circumincessionem, sed eadem, cùm sit in illo ratione identitatis, quam habet cum essentia diuina, & aliàs tot essent filiationes realiter dis-
A tinctæ, quot sunt diuinæ personæ, & sic de aliis relationibus personalibus, quod asserere est hæreticum: ergo relatio, quam importat circumincessio, est tantùm rationis. V.

AD QVÆSTIONEM XLIII.

DISPVTATIO VNICA.

De missione personarum diuinarum.

Articvlvs Primvs.

Quid sit missio, an æterna, vel temporalis, & quibus personis diuinis competat.

B QVIA missio personarum diuinarum est aliquid medium inter ea, quæ in diuinis sunt *ad intra*, & ea quæ sunt *ad extra*, quatenus importat emanationem vnius personæ ab alia, & habitudinẽ ad aliquem effectum productum in tempore, vt patebit ex definitione eius: ideò sanctus Thomas explicatis iis, quæ tantùm pertinent *ad intra* in mysterio Trinitatis, antequam agat de iis, quæ sunt purè ad extra, & spectant ad creaturas, agit de missione personarum diuinarum. VI.

Missio autem definitur, *vnius personæ diuinæ ab alia persona diuina, vel ab aliis duabus processio, cum habitudine ad aliquem effectum temporalem, ratione cuius persona missa incipit esse noua quodam modo, quo anteà non erat in crea-*
C *turis.* Ita S. Thomas hîc & alij communiter. VII.

Probatur ex Scripturis, in quibus Christus Dominus sic explicat suam missionem: S. Ioan. 16. cap. *exiui à Patre & veni in mundum*, priori parte explicat se processisse à Patre, posteriori significat se per incarnationem factam in tempore venisse in mundum, ratione cuius incarnationis fuit in mundo, nouo & speciali modo, scilicet per vnionem hypostaticam, secundùm quam anteà non erat: sic tradunt S. Hilarius lib. 8. *de Trinitate*, S. Augustinus lib. 1. *de Trinit.* cap. 10. lib. 2. cap. 5. lib. 4. cap. 20:

Probatur etiam ratione: missio importat aliquem exitum missi à mittente, vt etiam ipsum nomẽ sonat; sed in diuinis nullus alius exitus vnius personę ab alia potest admitti, quàm per emanationem vnius ab alia; non enim potest esse exitus *per imperium*, cùm ille sit inferio-
D ris respectu superioris, & omnes personæ diuinæ sint æquales; nec item potest esse exitus per modum *consilij*, & directionis, cùm nulla persona diuina indigeat consilio & directione, quia habet omnimodam scientiam, bonitatem, & sapientiam; non est item hic exitus per modum *obsecrationis*, hic enim modus derogat æqualitati personarum diuinarum, cùm deprecatio denotet inferioritatem in deprecante, vel egestatem & dependentiam ab illo, quem rogat: non item hæc missio est ad aliquem locum, in quo non erat qui mittitur, sicut sagitta mittitur à sagittario, quia omnes & singulæ personæ diuinæ sunt vbique locorum: ergo restat, vt hic exitus sit per processionem, & originem ab eo, à quo mittitur: & hoc aptè; nam & apud prophanos auctores VIII.

I. verbum *mittere* sæpè idem sonat, ac producere, sic dicunt arborem *mittere radices, ramos, folia, flores & fructus*, nimirum illa omnia producendo.

Deinde, quòd hæc missio præter hunc exitũ importet aliquid factum in tempore, ratione cuius missus sese habeat nouo modo, patet ex Apostolo *ad Galatas* 4. sic dicente: *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*, id est incarnatum: item ex eo, quòd cap. 2. Actuum, vbi agitur de missione Spiritus sancti, multi noui effectus describuntur, ratione quorum Spiritus sanctus nouo & alio modo quàm anteà, sese habuit circa Apostolos, & alios ibi congregatos.

Hinc ratione prioris conditionis, Pater, quia à nullo procedit, non potest propriè mitti, sed Filius à solo Patre, & Spiritus sanctus
II. à Patre & Filio; vnde quando Christus Dominus, Isaiæ 48. dicitur *missus à Spiritu sancto*, id non intelligitur de Christo vt Deo, sed vt homine, quatenus est missus à tota Trinitate ad prædicandum Euangelium, quæ missio est per imperium: & quando aliqui Patres, vt S. Gregorius Nyssenus oratione *de deitate Filij & Spiritus sancti*, S. Chrysostomus homiliâ *de Spiritu sancto*, negant Filium & Spiritum sanctum mitti, id tantùm intelligunt de ea missione, quæ fit, vel per imperium, vel cum aliqua ex enumeratis imperfectionibus, quas superiùs exclusimus à diuina missione, vt facilè intelligitur ex iis, quæ iidem Patres ibi subiiciunt. Ratione verò posterioris conditionis, quia illa ponitur tantùm in tempore, fit, vt hæc missio dicatur simpliciter *temporalis*, cùm sola præordinatio missi non dicat realem mis-
III. sionem, sed quando habet talem suum exitum à mittente, qualem ratio missionis postulat, ideóque, cùm hæc missio non sit quicumque exitus ab alio per originem, sed exitus cum habitudine ad aliquid factum in tempore, ratione cuius persona missa habet se nouo quodam modo, fit, vt hæc missio sit simpliciter dicenda *temporalis*, & si Patres dicant aliquando missionem esse æternam, id tantùm intelligunt ratione prioris habitudinis, quam missus habet ad mittentem, quatenus procedit ab eo per originem, quod ei ab æterno conuenit.

Ita autem æterna processio & temporalis operatio intrinsecè includuntur in diuina missione, vt tamen, si inter se comparentur, ita sese habeant, quòd æterna processio, quia ex se est indifferens, vt contrahatur, vel non contrahatur per operationem temporalem, ma-
IV. nifestatiuam personæ missæ, habeat se veluti *materialiter*: temporalis autem operatio quatenus illam determinat *quasi formaliter*, quia determinatiuum, vt comparatur cum determinabili, sese habet apud Philosophos tanquam formale & determinabile materialiter & præsuppositiuè, vt patet in composito physico.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit missio.

PRIMA propositio. *Missio alia est visibilis, alia inuisibilis, illa est visibilis, quæ fit cum signo visibili, seu cuius effectus temporalis manifestatur aliquo sensibili signo; talis fuit missio Spiritus sancti supra Christum Dominum in for-*
A *ma columbæ; item missio Spiritus sancti supra Apostolos in die Pentecostes: ea censetur inuisibilis, cuius temporalis effectus nullo sensibili signo manifestatur.* Ita omnes communiter, & probatur: missio rectè diuiditur ex parte effectus, quem connotat: ergo cùm omnis effectus, quem potest connotare, sit visibilis, aut inuisibilis, rectè diuiditur in visibilem & inuisibilem. V.

Secunda propositio. *Visibilis missio potest subdiuidi in eam, quæ tantùm est ad apparendum in signo sensibili, & in eam, quæ est etiam ad subsistendum in illo.*

Probatur: missio etiã rectè diuiditur ex modo, quo persona missa sese habet ad signũ sensibile in ordine ad missionem, sed persona missa aliquando, & ferè semper, sese tantùm habet vt apparens sub tali signo, vt videre est in
B missionibus enumeratis; aliquando verò vt etiam faciat formaliter subsistere signum illud sensibile, vt in missione Verbi diuini per Incarnationem, quatenus sibi vniuit hypostaticè totam humanitatem. VI.

Tertia propositio. *Quando visibilis missio est tantùm ad apparendum, tunc res illæ, sub quibus persona missa apparet, sunt tales de facto, quales apparent, scilicet quando res illæ sunt valdè imperfectæ, quando autem sunt magis perfectæ, tunc licet sint aliquæ res veræ, & non tantùm per imaginem, attamen non sunt tales secundùm veritatem rei, sed tantùm quoad apparentiam.*

Prior pars probatur: corpora apparentia solent componi ex rebus valdè imperfectis, verbi gratiâ, ex vaporibus, ex variis partibus aëris condensatis inter se: ergo cùm res illæ, sub quibus persona missa apparet, sint valdè
C imperfectæ, erunt tales, quales apparent. VII.

Posterior pars probatur ex eo, quòd tale signum est tantùm ad apparendum: ergo cùm finis iste tam benè obtineatur, quando signum sensibile est tantùm apparenter tale, nec est vlla necessitas creandi aliquid de nouo, vel afferendi aliunde res istas, & præterea earum disparitio facilè posteà agnoscatur; fit, vt res illæ non sint tales in veritate, quales exteriùs apparent.

Hinc nubes, sub qua Spiritus sanctus apparuit in Transfiguratione, fuit vera nubes, & sic de aliis similibus; econtrà columba apparens in baptismo Christi Domini, item ignis & linguæ apparentes supra Apostolos in die Pentecostes, non fuerunt veræ linguæ, vt sanctus Augustinus docet epistolâ centesimâ secundâ. Neque propterea aliqua ibi interue-
D nit deceptio, cùm eiusmodi repræsentatio non ordinetur à Deo, vt res, sub quibus fit, cognoscantur esse tales in se, quales apparent exteriùs, sed tantùm, vt aliquid significent, quemadmodum Patres explicãt interpretando singulas partes eiusmodi apparitionum. VIII.

Et licet hæc visibilis missio aliquando fiat secundùm aliquod donum *gratiæ gratum facientis*, quod tunc conferatur, id tamen non est absolutè necessarium: certum enim est Christum Dominum, non tunc accepisse gratiam sanctificantem, vel aliquod eius augmentum, quando Spiritus sanctus descendit supra illum, in specie columbæ, sed significabat illam plenitudinem gratiæ, quam habebat à primo instanti suæ conceptionis; vnde rectè intelligitur, quòd sanctus Thomas

I. ait hâc quæstione visibilem missionem referri ad eum finem, vt inuisibilis manifestetur; nam potest fieri manifestatio missionis inuisibilis iam peractæ.

Articvlvs Vltimvs.

Vtrum effectus missionis inuisibilis debeat esse necessariò gratia sanctificans, vel eius augmentum.

SENSVS articuli est, an tunc tantùm fiat missio inuisibilis, quando datur gratia sanctificans, vel aliquod eius augmentum. Negat Gregorius Ariminensis primo sentent. dist. 14. negat item Caietanus hîc articulo tertio cum nonnullis aliis; contra quos

Sit hæc propositio. *Inuisibilis missio personæ*
II. *fit tantùm, quando datur gratia sanctificans, vel aliquod eius augmentum.* Ita sanctus Thomas hîc articulo tertio, & probatur primùm ex sacris Scripturis, quæ dum loquuntur de missione inuisibili alicuius diuinæ personæ, semper dicunt personam missam habitare per gratiam sanctificantem in eo, ad quem fit missio, vt S. Ioannis 14.

Deinde ratione: ad formalem rationem missionis requiritur, vt persona missa sit in eo, ad quem mittitur, nouo speciali quodam modo, ita spectante ad supernaturalem ordinem gratiæ, vt ratione talis effectus dicatur manere, & habitare in illo, vt in templo, tanquam res possessa, & quâ is, ad quem fit ista missio, fruatur, vt patet ex citato loco S. Ioan. ex cap. 5. ad Romanos, ex cap. 3. 1. *ad Corinthios: nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat*
III. *in vobis:* atqui nulla ex personis diuinis est hoc speciali modo in aliquo homine, nisi quatenus gratia sanctificans ei infunditur, vel augetur. Non enim est in illo per iustificationem solâ extrinsecâ Dei beneuolentiâ peractam, vt vult Gregorius Ariminensis loco citato, quia in tali hypothesi persona missa nihil reale & intrinsecè existens in iustificato operatur, nec est aliter in illo, quàm eo modo, quo iuxta ordinem naturalem est in omnibus rebus, scilicet per *essentiam, & præsentiam, & potentiam,* & talis iustificatio habet potiùs rationem cuiusdam remissionis, quàm collationis alicuius doni. Non item aliqua ex personis diuinis est hoc speciali modo per fidem informem, vt vult Caietan. loco citato, quin potiùs sacræ Litteræ negant Deum habitare in hominibus fidem tantùm informem habentibus, Sap. 1.
IV. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Non item per solas gratias gratis datas, vt est etiam prophetia, donum linguarum, miraculorum, Christus enim Matth. 7. ita ait, *multi in illa die dicent, in nomine tuo prophetauimus, & quibus confitebor, quia non noui vos, discedite à me.* Nec denique aliqua persona diuina est nouo modo in beatis, quando Deus eis reuelat aliquid de nouo, vt volunt nonnulli, quia eiusmodi reuelationes censentur eis, vt in tali statu constitutis connaturales, fiúntque ex vi illius præsentiæ, quam Deus iam habet in illis, vt suis amicis, & seipso clarè viso iam planè fruentibus.

Econtrà quando datur habitualis gratia san-
A ctificans, persona, quæ tunc dicitur mitti, habitat speciali modo perfectiori, quo anteà non erat, vt patet ex locis Scripturæ citatis, quatenus non tantùm est in illo, vel per habitum *gratiæ, & fidei,* vel per *affectum,* quomodo res amata & cognita est in amante & cognoscente, sed etiam per specialem realem præsentiam rei amatæ cum amante, quæ specialis realis præsentia consistit in eo, quòd si per impossibile Deus, vel aliqua ex eius personis non esset præsens substantialiter ratione suæ immensitatis animæ eius, ad quem mittitur, attamen ratione habitualis gratiæ, quæ tunc confertur, fieret ei realiter & substantialiter præsens; amor enim Dei per hanc gratiam est perfectissimus, & proinde cùm ex S. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 1. amor perfectissimus requirat perfectissimam coniunctionem amantium in-
B ter se, persona missa erit speciali modo realiter & substantialiter in eo, ad quem mittitur. VI.
Similiter quando datur augmentum gratiæ, Deus ex vi talis augmenti incipit esse de nouo in iusto, quia ille gradus gratiæ ita est ex se efficax, vt si homo non esset iustus, tunc illum faceret iustum, & ex consequenti Deum modo illo speciali nunc explicato substantialiter præsentem: faceret pari modo, dum quis post mortem accipit gloriam, cùm enim gloria sit consummatio gratiæ sanctificantis, & Deus incipiat esse in beato per claram visionem, & amorem beatificum, quomodo non erat anteà in illo, hæcque gloria sit aliquod augmentum extrinsecum sanctificantis gratiæ, fit, vt tunc missio inuisibilis rectè dicatur ad illum fieri.

Ex his sequitur nunquam *inuisibiliter* vnam personam mitti, quin & alia, quæ potest mit-
C ti, mittatur, & personas, quæ possunt mitti, nunquam mitti, quin etiam simul prima persona detur. Prior pars patet: diuinæ personæ, quæ possunt mitti, ita sunt in ratione missionis connexæ, sicut sunt dona & effecta, ratione quorum dicuntur mitti, vt intelligitur ex definitione missionis; atqui gratia sanctificans, ratione cuius Spiritus sanctus mittitur, habet in viatoribus necessariam connexionem cum dono fidei infusæ, ratione cuius Filius dicitur mitti *inuisibiliter:* ergo &c. quia tamen hæc missio Filij ordinatur ad stabiliendam amicitiam creaturæ intellectualis cum Deo, & amor & donum conueniunt Spiritui sancto; ideò hæc missio soli Spiritui sancto tribuitur. Posterior item pars patet ex illo Ioan. 14. *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* & Patribus ibi. Deinde ratione: donatio hæc
D & aduentus diuinarum personarum fit ratione alicuius doni supernaturalis ipsi iusto inhærentis, & ratione intimæ amicitiæ, quæ est inter personam missam, & eam, ad quam mittitur: atqui donum eiusmodi est ab omnibus personis diuinis, quia est opus ad extra, & repugnat aliquem esse amicum vni personæ diuinæ, & non aliis: igitur dum aliqua persona diuina inuisibiliter mittitur, donatur simul & prima persona Trinitatis, sicque tota Trinitas illo speciali modo superiùs explicato habitat in iustis hominibus.

Et hæc de tremendo sacrosanctæ Trinitatis mysterio dicta sufficiant.

V. (right margin beside the opening line of A), VII. (beside C), VIII. (beside D)

DE ANGELIS.

I. CVM in Deo duplex distinguatur fœcunditas, vna *ad intra*, comparatione diuinarum personarum, altera *ad extra*, quæ ipsas creaturas, tanquam proprium suum terminum, respicit; ideò sanctus Thomas priori explicatâ, exorditur posteriorem à consideratione substantiarum Angelicarum, quippe quæ ex omnibus creaturis ad ordinem naturæ spectantibus, sunt ipsi Deo similiores: & licet priùs agat de earum substantia, existentia in loco, motu, cognitione, & nonnullis aliis eiusmodi, quàm de earum productione, cùm eam solùm discutiat quæstione sexagesimâ primâ; quia tamen primum, quod quæritur de re, est ipsum eius nomen, & existentia rei, si re-
II. B uocetur in dubium, priùs est probanda, ne aliàs frustrà suscipiatur disputatio: eapropter nos & significationem huius nominis *Angelus*, item quàm sit certum dari Angelos, vbi & quando sint creati, priùs expendemus; deinde eorum naturam & perfectiones cum eodem Doctore inuestigabimus.

AD QVÆSTIONEM L.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia Angelorum.

ARTICVLVS I.

III. C
Varia huius nominis Angelus *acceptio.*

DVÆ sunt generales huius nominis *Angelus* significationes, prior, quâ iuxta suam notationem à verbo Græco ἀγγέλλω, quod est *nuntio*, deriuatâ, idem est, ac *nuncius, legatus*, quomodo est potiùs nomen officij, quàm naturæ, vt docent sanctus Hilarius libro quinto *de Trinitate*, sanctus Augustinus in Psalmum 103. & alij plures, dum hunc istius Psalmi versiculum, etiam ab Apostolo *ad Hebræos* primo capite explicatum exponunt, *qui facis Angelos tuos spiritus*, ita vt ordo verborum sit inuersus, & sensus sit iste, qui eos, quorum natura & substantia est spiritalis, facis tuos nuntios, & man-
A datorum tuorum exequutores, vt etiam explicat Apostolus loco nunc citato, dum inter Christum & Angelos id ponit discriminis, quòd illi sint tantùm spiritus administratorij, Christus verò Filius Dei; hinc quicumque ex parte Dei nuntiant aliquid hominibus, satis frequenter in sacris Litteris appellantur *Angeli*, sic Christus Dominus, & S. Ioan. Baptista 3. cap. Malach. vocantur *Angeli*, sic Episcopi cap. 2. Apocalyp. sic sacerdotes Malach. 2. & plures alij: econtrà qui mouentur à diabolo, vt fructum prædicationis & Euangelij impediant, aut quid simile boni supernaturalis, dicuntur etiam *Angeli diaboli*, vt Matth. 25. *qui paratus est diabolo & angelis eius*. IV.

Posterior generalis significatio huius nominis est, quâ significat substantiam spiritalem, siue illa sit de numero beatarum, quæ
B nunquam peccauerunt, siue sit de numerò damnatarum, & cuiuscumque sit hierarchiæ, sic Psalmo octauo, *minuisti eum paulo minus ab Angelis*, id est, hominem fecisti paulò inferiorem ipsâ substantiâ immateriali, seu intelligentiâ; & hæc acceptio est aliâ communior in sacris Litteris, immò aliquando magis strictè sumitur pro ea tantùm substantia spiritali, quæ est vltimæ Hierarchiæ, & adeò vel ad nostram custodiam deputatur, vel ad alia circa homines, & alias creaturas facienda, sic Matth. 18. ait Christus Dominus, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, id est, substantiæ illæ spiritales, quibus custodia infantium est commissa; (vt ad illum locum Patres explicant) & hæc significatio extenditur etiam ad malos illos spiritus, quibus superiores spiritus maligni vtuntur ad nos pertrahendos ad pec- V.
C catum. Quando verò hoc nomen sumitur pro maligno spiritu, habet vt plurimùm aliquam particulam sibi annexam, quæ denotet tunc illud accipi pro damnatis illis spiritibus, vt citato loco S. Matthæi, & alibi. VI.

Habet & hæc spiritalis substantia alia quædam nomina, etiam apud prophanos auctores, vt quòd vocetur *intelligentia* ab Aristotele, & aliis pluribus, ex eo, quòd sit purè intellectualis, vel etiam in intelligendo sit superior homine: item vocatur *dæmon*, id est sciens, dæmones enim, inquit sanctus Augustinus libro nono *de Ciuitate Dei* capite vigesimo, dicti sunt *quasi scientes*: & quamquam apud veteres prophanos hoc nomen sumatur promiscuè, tam pro bonis spiritibus, quàm pro malis, vt ex Porphyrio notat Eusebius Cæsa-

I. riensis lib. 4. *de præparatione Euangelica* cap. 6. A
& 11. attamen in sacris Litteris, Patribus, & Catholicis scriptoribus semper sumitur pro malo spiritu, vt eodem lib. cap. 3. notat Eusebius & S. Aug. lib. 9. *de Ciuitate Dei* cap. 19. vnde sequenti cap. 23. ait nomen *dæmon*, ita esse detestabile, vt hoc modis omnibus à sanctis Angelis nos remouere debeamus.

Cæterum in præsenti tractatu vsurpamus hoc nomen *Angelus* in posteriori sua significatione, scilicet pro substantia spiritali, seu intelligentia, cuiuscumque illa sit ordinis, siue hierarchiæ, siue etiam sit damnata, siue beata, quatenus hoc nomen *Angelus* est nomen naturæ & substantiæ spiritalis secundùm vsum Scripturæ & Patrum, éstque commune tam malis, quàm bonis Angelis.

II.

ARTICVLVS II.

Quàm certum sit dari Angelos.

DVPLEX distinguitur certitudo cognitionis, quantum spectat ad præsentem difficultatem, vna *fidei*, altera *rationis purè naturalis*, siue à priori, siue à posteriori, & de hac vtraque mouetur præsens quæstio.

Sadducæi inter Iudæos cùm omnem spiritum negarent, vt intelligitur ex capite 23. Actuum, negarunt consequenter dari Angelos, quia vt inquit S. Thomas hîc art. 3. non distinguẽtes inter sensum & intellectum, existimarunt nihil esse in mundo, nisi quod sensu & imaginatione potest percipi, nec frequẽs illa mentio Angelorum in Pentateucho vt Genes. 16. 19. 24. Exod. 22. 23. & alibi, eos
III. dimouit ab ista hæresi, ita enim admittebant
Pentateuchum, vt istis locis, & aliis similibus non intelligerẽt nomine *Angeli* aliquam substantiam spiritalem, sed vel occultas quasdam inspirationes, quibus quasi nunciis Dei homines admonerentur diuinæ voluntatis, vel vim aliquam naturalem, vel supernaturalem, quâ Deus vtitur ad aliquid efficiendum, quà in significatione aliquando sumi in sacris Litteris notat S. Iustinus Martyr *in Tryphone*. Eandem hæresim circa annum Christi Domini 52. sequutus est quidam Dosithæus nomine, vt ex Philastrio refert Prateolus lib. 4. *de hæres.* hæresi 16.

His tamen non obstantibus, sit ista nostra prima propositio. *De facto dantur Angeli seu substantiæ aliquæ intellectuales, siue illæ sint aliquomodo corporeæ, siue non*, qua de re posteà.
IV. Propositio est de fide ex pluribus Scripturæ
locis, in quibus fit mentio Angelorum, tanquam personarum, quarum dicta & facta describuntur, vt locis suprà citatis ex Genes. Exodo, lib. Tobiæ, Danielis, & nouo Testamento, vt quando dicuntur apparuisse mulieribus, eísque loquuti in resurrectione Domini: item ex Conciliis, vt Lateranensi sub Innocentio III. & refertur extra de summa Trinit. cap. *firmiter*, vbi definit Concilium substantiam spiritalem fuisse à Deo creatam, quam ibi distinguit ab homine.

Neque Sadducæi, vel alij eorum fautores debent vim facere in eo, quòd Moyses in Genesi, explicando creationem vniuersi non meminerit Angelorum. Nam eius intentio fuit explicare tantùm creationem rerum sensibi-
lium, vt doceret eas esse creaturas, & Iudæos V.
ad idololatriá valde propensos ab earum cultu ad cultum veri Dei retraheret, vt docent S. Basilius lib. *de Spiritu sancto*, S. Chrysost. hom. 3. *in Genes.* S. Hieron. epist. 109. Tandem probatur nostra conclusio ex Patribus, quorum testimonia fusè refert Coccius tomo 1. *Thesauri Catholici* lib. 4. art. 1. & sequentibus.

Secunda propositio. *Angeli secundùm suam naturam considerati sunt in gradu intellectuali perfectiores ipso homine secundùm suam naturam considerato.* Propositio hæc videtur esse de fide, tum propter illud Iob. 41. de diabolo, *non est super terram potestas, quæ comparetur ei*, vnde cùm hoc intelligatur de virtute naturali Angeli, & hæc sit proportionata naturæ eius, debet illa esse longè perfectior humanâ naturâ: tum etiam propter illud Psal. 8. *minuisti*
B *eum paulò minus ab Angelis*, quod etiamsi S. VI.
Paulus *ad Hebræos* 2. cap. explicet de Christo Domino, ita tamen illud de eo intelligit, vt velit Christum fuisse paulò minorem Angelis, propter conditionem naturæ humanæ, quam Verbum assumpsit: & quòd hæc comparatio hominis non fiat ad Deum, vt volunt nonnulli, legentes loco particulæ, *ab Angelis, à Deo*, sed ad ipsas substantias, quas vocamus Angelos, patet ex eo, quòd Psalmista dicat hominem illum fuisse *paulò minus, minoratum*: at homo quoad perfectionem non paulò, sed longè minor est Deo, & docet Genebrardus ad illum versiculum, Hebraïcam particulam huic nostræ Latinæ *Angelis* ibi correspondentem significare Angelos.

Patrum item testimonia pro hac nostra conclusione congerit Ioannes Arboreus libro
C primo *Theosophiæ* capite 3. & etiam Coccius VII.
suprà: & quamquam nonnulla ex istis testimoniis procedant de donis supernaturalibus gratuitò concessis Angelis, non propterea tamen obstant veritati nostræ propositionis, quia ex S. Thom. infrà quæst. 62. art. 6. & ex Patribus ibi citandis, Angeli liberaliter consequuti sunt à Deo gratiam, iuxta perfectionem suorum naturalium, homines verò non item: ergo quemadmodum maior gratia fuit collata sancto Michaëli, & nonnullis aliis Angelis, quàm vlli puro homini, exceptâ beatissimâ Virgine, ita etiam illorum natura longè excedit in perfectione naturam hominis. Adde quòd pleraque istorum testimoniorum procedunt de sola naturali conditione vtriusque naturæ.

Tertia propositio. *Licet probari non possit*
D *aliquâ efficaci ratione naturali à priori dari An-* VIII.
gelos, potest tamen ostendi congruum esse illos dari; & cuilibet sapienti & cordato homini potest probari sufficienter dari Angelos, ratione desumptâ à quibusdam magorum & energumenorum operibus. Tres sunt partes propositionis. Prima probatur: omnis ratio à priori est per causam: at nulla potest excogitari causa, quæ necessariò causet ipsum Angelum. Non Deus, quia Angelus est aliquod opus ad extra, in quo producendo Deus est maximè liber, multáque potest, quæ tamen non facit. Non item potest existentia Angeli assignari, quia existentia est soli Deo intrinseca, seu solus Deus habet intrinsecam necessitatem existendi. Nec potest etiam probari ex ipso fine vniuersi, qui est communicatio perfectionum, quæ sunt in

I. Deo. Nam quando communicatio perfectionum, quæ sunt in agente, fit ex plena eius libertate, & penes similitudinem quandam, solummodò analogam, tunc non est necesse, vt aliqui effectus dentur, qui habeāt omnes perfectiones possibiles, secundùm gradum perfectissimum, quo possunt cōmunicari, aliàs enim agens istud non esset ampliùs liberum, & positā in Deo volitione de sese cōmunicando *ad extra*, omnes possibiles rerum species necessariò deberent actu dari, quod est falsum; cùm possit nouas rerum species producere, vt patebit infrà agendo de distinctione specifica Angelorum; atqui communicatio illa, quam Deus facit suarū perfectionum per creationem Angelorum, est maximè libera, & tantùm secundùm aliquam similitudinem analogam, vt per se patet.

II. Neque potest dici ordinem vniuersi ad suā perfectionem postulare habere de facto substantiam purè spiritalem animâ hominum superiorem, & inferiorem Deo. Nam responderi posset, gradum intelligendi sufficienter contineri in homine ad perfectionem vniuersi, & si modus ille imperfectior, quo gradus iste est in nobis postulet necessariò esse in aliqua alia creatura secundùm gradum eminentiorem, vt sic non intercedat tanta distantia inter Deum & hominem, & reliquas partes vniuersi; pari modo dicetur, cùm inter supremum Angelum & ipsum Deum infinita distantia perfectionis secundùm gradum intelligēdi adhuc remaneat, sequi debere necessariò dari de facto alium Angelum ab eo specie distinctum, & ita in infinitum, quod admittere est absurdum: ergo ex eo, quòd gradus intel-
III. ligendi est modo aliquo imperfecto in homine, non sequitur vniuersum necessariò postulare, vt sint aliqui Angeli, in quibus gradus intelligendi sit completus.

Multo minus efficaciter potest probari ex ipso motu cælorum, cùm secundùm fidem Catholicam plures dentur Angeli, quàm cæli, & prætereà multi ex Christianis Philosophis negent cælos moueri ab intelligentiis.

Secunda pars propositionis probatur eâdem ratione: perfectio vniuersi postulat dari aliquam substantiam perfectè spiritalem, independentem tam in suo esse, quàm in suo cōseruari & operari à materia; cùm enim dentur quatuor gradus essendi, scilicet *esse, viuere, sentire, & intelligere*, dentúrque aliquot creaturæ, quæ ita habent suum esse, vt careant omni vitâ, cuiusmodi sunt lapides, aliæ, quæ
IV. insuper habent animam vegetantem, vt sunt plantæ & arbores, aliæ, quæ insuper habent animam sensitiuam, cuiusmodi sunt animalia, aliæ, quæ habent ipsum intelligere immersum materiæ, vt sunt homines; ita etiam est congruum dari substantias quasdam creatas, quæ habeant purum intelligere, & esse eius intellectuale, omninò independens à materia, tam in suo esse, quàm in suo operari: talis autem creatura est ipsemet Angelus, vt patet ex dictis articulo primo: igitur congruum est pro perfectione vniuersi dari de facto Angelos, seu substantias purè spirituales & intellectuales.

Vltima denique pars propositionis probatur ratione desumptâ ex S. Thom. lib. 3. *contra gentes* cap. 706. & in quæst. disp. *de po-*
A *tentia* quæst. 6. art. 10. quando aliquis effectus liberè productus est talis, vt naturaliter cognoscatur esse à causa libera, nec posse esse à Deo propter malitiam, quam naturaliter cognoscitur includere, & prætereà cognoscitur etiā naturaliter excedere naturales vires animæ rationalis, siue corpore inclusę, siue extra corpus positæ; tunc talis effectus cognoscitur esse ab aliqua causa libera ipso homine superiore, cùm sic cognoscatur esse potentior, & simul etiam Deo inferior, quia cognoscitur malitia in eam cadere, quâ tamen Deum carere etiam naturaliter cognoscimus, cùm eum naturaliter cognoscamus esse bonum essentialiter: atqui dantur quidam effectus magici, & dęmoniacorum, quos quilibet prudens & cordatus homo naturaliter cognoscit esse ab aliqua causa libera, eo quòd ad volunta- V.
B tem magorum hic & ibi reperiantur, incipiant esse & desinant, vt constat Exod. 7. de signis factis per magos Pharaonis, & ipsa experientia docet; & horum multa exempla recenset Tertullianus *in Apologetico* capite 23. & etiam videri possunt apud Delrium libro primo *disquisitionum magicarum* capite 4. VI.

Quòd verò effectus illi cognoscantur esse mali, & à causa aliqua libera, probatur ex eo, quòd leges ciuiles magos, incantatores, circulatores, & alios eiusmodi puniant, etiam apud Gentiles, ante susceptam fidem Christianam, vt patet ex prophanis historiis. Quòd item effectus illi naturaliter cognoscantur esse à causa, quæ sit superior ipso homine, patet, quia anima potest tantùm duobus modis considerari, scilicet, vt informat corpus suum, aut vt est extra illud; at effectus illi naturali-
C ter cognoscuntur esse extra vim, & facultatem animæ in suo corpore inclusæ, quatenus pro tali statu non potest tam citò, & in locis tam dissitis breuissimo temporis spatio sese præsentem exhibere; in quibus tamen vnus idémque magus statim reperiebatur constitutus, vt legitur de Apollonio Thyanæo apud Philostratum. VII.

Nec item possunt esse ab anima, vt à suo corpore separata, hæc enim non plus habet virtutis naturalis ad mouendum, aut immutandum aliquod corpus, dum est extra corpus proprium, quàm dum illud informat; naturalis enim virtus agendi sequitur conditionem naturalem agentis: atqui naturalis conditio animæ rationalis est, quòd sit forma corporis, ad cuius reunionem etiam extra illud posita semper habet aliquem appetitum: er-
D go virtus animæ rationalis separatæ à suo corpore non est maior, quàm dum est in corpore, & si esset maior, reuera ei melius esset sine vllo corpore esse, quàm proprium corpus informare, sicque ei reuniri non appeteret, quod tamen dicitur esse falsum. VIII.

Neque est, quòd quis refundat productionē istorum effectuum in aliquas causas naturales magis cognitas, & aliis ignotas; nam sæpè euenit, vt media quibus vtuntur in producendis suis magicis effectibus, cognoscantur etiā naturaliter nullam habere vim eos producendi; sunt enim plerumque verba barbara, nihil significantia, vel si quid significent, illud naturaliter intelligitur esse improportionatū producēdo tali effectui, cùm verba tantùm significent ex impositione hominum, qui non po-

I. fuerunt istis vocibus conferre vim producendi, & proinde rectè infertur dari aliquam causam ipso homine superiorem, quæ ad præsentiam signorum magicorum hæc & illa præstet, quæ magi pollicentur. A

Addidi isti tertiæ parti nostræ conclusionis primò hanc particulam, *quibusdam operibus*, quatenus mens nostra non est, quòd quodlibet opus magicum probet istam partē nostræ propositionis, dātur enim quædam opera peracta à magis, quæ tamen ab aliis hominibus in cognitione rerum naturalium versatissimis possunt naturaliter fieri per applicationem actiuorum ad passiua; sed sensus noster est tantùm, quòd de facto dantur quędam opera magica, quæ probant sufficienter dari dæmones, cuiusmodi sunt nigromantica, & quæ per speculum repræsentant quædam futura, vel etiā

II. præterita, vel etiā quæ tunc quidem fuerint, sed in loco maximè distanti, & à quo non possunt prouenire species, vsque ad eum locum, in quo res istæ repræsentantur; tum etiam ex eo, quòd res sciuntur, quæ fiunt in longissimis partibus mundi & breuissimo tempore. B

Addidi secundo loco hanc particulam, *cuilibet sapienti & cordato*; nam licet non desint, vt Cardanus lib. 16. *de rerum varietate* cap. 93. & aliqui alij, qui istos effectus, vel etiā dæmoniacorum reuocent in quasdam causas naturales corporeas, vel in humores melācholicos; qui tamen prudenter & attentè istos effectus considerauerit, videbit eos in tales causas nō posse refundi, vt patebit ex eorū natura, & ex conditione magorum, vel eorum qui à dæmone possidentur; vnde & inter gētiles Philosophos Socrates, Plato & plures alij eorum sectatores

III. admiserunt dari Angelos, & dæmones, vt expressè notauit Tertul. in Apologetico cap. 22. S. Cyprianus *de idolorum vanitate*, & pro hac re videri possunt Plato in suo symposio, vbi eos etiam appellat *Angelos*. C

Quæres primò: cùm Angeli sint longè infra Deum, & nos cognoscamus eum dari ratione naturali, eáque efficacissimâ, quare non cognoscimus de facto dari Angelos.

Respondetur, nostram naturalem cognitionem esse à rebus sensibilibus & creatis: quare cùm res eiusmodi multa, eáque efficacissima argumenta nobis subministrent, quibus existentia Dei demonstretur à posteriori, & certitudo cognitionis non innitatur excellentiæ obiecti, sed infallibilitati sui medij & euidentiæ necessariæ connexionis subiecti cum attributo, econtrà verò res creatæ nobis præbeant

IV. pauciora, eáque minus certa & euidentia argumenta, quibus Angelorum existentia probetur; sit, vt etiam si sint minus perfecti ipso Deo, nihilominus certiùs & euidentiùs naturaliter cognoscamus Deum existere, quàm dari Angelos. D

Quæres secundò: quomodo veritas nostræ propositionis stet cum illa sententia S. Aug. lib. 83. qq. q. 54. *quod autem est melius omni animâ, Deum dicimus*.

Respondetur S. Aug. locis citatis pro nostra propositione agnouisse dari Angelos, dictum autem eius hîc relatum fuisse retractatum, vt habetur expressè libro primo retractationum capite vigesimo sexto.

ARTICVLVS III.

Quando creati sint Angeli.

SVPPONENDVM est primò tanquam fide Catholicâ certissimum, Angelos esse à Deo creatos, cùm enim ens omne sit increatum, independens à se ipso, vel creatum, & dependens ab alio, & suprà ostenderimus solum Deum esse tale ens independens, & increatum, restat, vt Angeli sint à Deo creati; vnde passim in sacris Litteris recensentur tanquam creaturæ quoad naturalia omnium perfectissimæ, & in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur capite *firmiter*, vbi definitur in confessione fidei Deum vtramque creaturam *Angelicam & mundanam* de nihilo condidisse. V.

Secundò supponendum est eadem fide certum esse Angelos non esse de facto creatos ab æterno; est enim certum apud omnes Patres Ecclesiæ primitiuæ disputantes contra Arianos, solum Deum verè, & à parte ante esse æternum, quia enim sacræ Scripturæ prædicant Christum esse æternum seu ab æterno, Patres prædicti colligunt contra Arianos Christum de facto esse Deum propriè dictum: ergo cùm inter nos & philosophos etiam gentiles admittentes Angelos, constet illos non esse Deum, sed creaturas propriè dictas, debet etiam esse constans Angelos non esse de facto creatos ab æterno: præsens ergo difficultas est tantùm an Angeli fuerint creati, paulò ante mundum corporeum, vel simul cum illo, vel post mundum conditum; multi ex Patribus tam Græcis, quàm Latinis, quos Sixtus Senensis libro quinto Bibliothecæ annotatione quintâ fusè refert, existimarunt eos fuisse creatos ante mundum corporeum. VI.

VII.

Verior tamen est sententia, quam loco conclusionis ponimus, *Angelos nec ante mundum corporeum, nec post, sed simul cum hoc mundo sensibili fuisse creatos*. Ita S. Thom. infrà quæst. 61. art. 2. & 3. Probatur primò antecedens ex sacris Litteris quoad primam partem ex illis verbis 1. cap. Genes. *in principio creauit Deus cælum & terram*: quò loci particula *in principio* idem sonat, ac antequam quicquam faceret, quemadmodum sumitur Prouerb. 8. cap. vbi Sapientia ita loquitur, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio*: quomodo eandem particulam explicat S. Augustinus lib. 11. *de Ciuitate Dei* cap. 6. deinde ex 20. capite Exodi, *sex diebus fecit Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt*, quæ postrema particula more loquendi sacræ Scripturæ comprehendit & ipsos Angelos, nam Psal. 148. Angeli annumerantur iis, quæ sunt in cælis. VIII.

Secunda item pars eiusdem propositionis probatur Iob. 38. Angeli dicuntur laudasse Deum, *quando fundabat terram*: ergo non post creationem mundi corporei fuerunt Angeli creati.

Tertia denique pars probatur: primò ex cap. 3. 1. S. Ioannis, vbi diabolus dicitur ab initio peccauisse, & non stetisse diu in gratia: at peccauit ante primos parentes, vt patet ex tentatione, quam illis iniecit; item Iob. 40. cap. dicitur de diabolo, *ecce Behemoth, quē feci tecum.*

I. Probatur secundò ex Patribus, S. Augusti-
no lib. 11. *de Ciuitate Dei* cap. 9. & 32. S. Greg.
lib. 32. *Moralium* cap. 10. ex Magistro senten-
tiarum lib. 2. dist. 2. quem omnes Scholastici
communiter hac in re sequuntur.

Tertiò ex Conciliis, vt Constantinopolita-
no VI. actione 11. vbi lecta & approbata fuit
epistola Sophronij, in qua Deus dicitur omnia
inuisibilia & visibilia condidisse, creaturam
spiritalem & corporalem, omnibus temporale
constituisse principium, & ex Lateranensi, &
refertur citato capite *firmiter*, vbi definitur
Deum simul ab initio temporis vtramque de
nihilo condidisse creaturam, *spiritalem, & cor-
poralem, Angelicam, & mundanam.* Accedit con-
gruentia, quam S. Thomas citatâ quæstione
articulo tertio habet; non fuit conueniens
partem nobilissimam vniuersi separari à suo
II. toto, atqui natura Angelica est pars nobilissi-
ma vniuersi, & fuisset ab illo separata, nisi si-
mul cum illo fuisset: igitur fuit conueniens
substantiam Angelicam creari simul cum
mundo visibili.

Obiicitur primò: Moyses describens crea-
tionem vniuersi non meminit Angelorum:
igitur debuerunt esse priùs creati.

Respondetur ex dictis non meminisse illo-
rum creationis explicitè, sed tantùm implici-
tè, (vt notant interpretes ad illum locum)
quòd mens eius fuit tantùm explicare crea-
tionem rerum sensibilium, & ne daret Iudæis
valdè propensis ad idololatriam, occasionem
incidendi in tale peccatum.

Obiicitur secundò, Iob. 40. Behemoth, per
quem intelligitur *diabolus*, dicitur *initium via-
rum Domini*; & *ad Titum* 1. cap. Incarnatio di-
III. citur promissa *ante tempora secularia*: ergo de-
buerunt esse aliqui, quibus fieret talis promis-
sio: at nulli alij possunt assignari præter An-
gelos: ergo Angeli fuerunt creati ante mun-
dum corporeum.

Respondetur Behemoth seu diabolum, ap-
pellari *initium viarum Domini*, non ratione
durationis, sed *dignitatis naturalis*, quam ha-
bet supra alias puras creaturas, sicut sapien-
tia incarnata dicitur *initium viarum Domini*,
cùm tamen mysterium Incarnationis sit longè
post creationem vniuersi peractum.

Ad auctoritatẽ Apostoli respondetur ibi, no-
mine *promissionis* tantùm intelligi firmum de-
cretum Dei, de futura incarnatione, vt docet
S. August. lib. 12. *de Ciuitate Dei* cap. 16.

Quæres, an hæc nostra conclusio sit de fide:
aliqui affirmant, vt Ariminensis secundo
IV. sententiarum distinctione secundâ, Ferra-
riensis libro 2. *contra gentes* cap. 83.

Melior tamen est opinio negans, quæ est S.
Thom. quæst. 61. art. 2. vbi expressè ait con-
trarium nostræ sententiæ, non esse reputan-
dum erroneum, & facilè probatur: nam non
potest primò colligi ex citato textu primo
cap. Genes. nam S. August. citato lib. 11. *de
Ciuitate Dei* cap. 32. licet admittat nostram
explicationem, attamen cognoscit hanc par-
ticulam *in principio* posse ibi aliam habere si-
gnificationem, ideòque ait se nolle ea de re
contendere.

Nec item ex decimo octauo Ecclesiastici,
vbi Deus dicitur *creauisse omnia simul*: nam
hæc eius particula, *simul*, potest explicari, vt
significet idem, ac hic terminus *pariter*; sicut

A ad illum locum notat Iansenius, quo modo V.
sæpè vsurpatur in sacris Litteris, vt Psal. 13.
omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.

Nec item ex aliis Scripturæ locis, vt Exodi
20. nam respondebitur eò loci tantùm agi de
creatione rerum sensibilium; & ad locum Iobi,
& ait ecce Behemoth, quem feci tecum: at cer-
tum est Iob non fuisse creatum statim in initio
temporis, sed multò post. Neque item id con-
uincitur ex testimonio S. Ioan. nam dici pos-
set Angelum fuisse creatum paulò ante cæ-
lum, deinde post creationem cæli fuisse in eo
positum, & ibi peccasse, sicut Genes. 2. cap.
Deus significatur priùs creasse hominem, de-
inde illum posuisse in paradiso terrestri, quem
antè plantauerat.

Non denique id colligitur efficaciter ex
Conciliis citatis; nam ad Constantinopolita-
B num respondebitur id tantùm haberi in epi- VI.
stolâ Sophronij, non autem in definitionibus
Concilij, nec approbatio huius epistolæ ita
facta est, quasi Concilium voluerit admittere
omnes & singulas eius partes, tanquam de fi-
de, quod requiritur, vt sit res de fide. Ad Con-
cilium Lateranense dici potest particulam, *si-
mul*, eodem modo sumi ac citato loco Eccles.
Deinde si quis velit facere vim in istis verbis
Concilij *simul ab initio temporis*, quæ non pa-
ritatem conditionis, sed durationis simulta-
tem in sui creatione indicant; respondetur
prædictam particulam non significare idem
instans durationis vtriusque substantiæ, sed
idem tempus, habens tamen aliquam latitudi-
nem, quomodo ea, quæ eodem die vel etiam
interdum eodem anno fiunt, dicuntur à scri-
ptoribus simul & eodem tempore fieri. Et
C hæc responsio confirmatur ex eo, quòd Pa- VII.
tres Concilij Lateranensis non disputabant
de instanti creationis Angelorum, compara-
tione creationis mundi corporei, sed tantùm
intendebant excludere errorem Origenis as-
serentis Angelos, & animas multis sæculis
ante hunc mundum fuisse creatos.

ARTICVLVS IV.

Vbi creati sint Angeli.

QVOD spectat ad hanc difficultatem, va-
riæ sunt auctorum sententiæ; alij enim
vt S. Thom. cit. quæst. & plures Scholastici
volunt creatos fuisse in cælo empyreo, quod
est sedes beatorum, ita tamen vt eorum aliqui
fuerint tantùm creati in partibus inferiori-
D bus, alij sub omnibus cælis; alij bonos fuisse
creatos in cælis, malos autem in aëre inferiori. VIII.
Pro explicatione huius difficultatis sit hæc.

Prima propositio. *Omnes quotquot sunt An-
geli, siue boni, siue mali fuerunt à Deo creati
intra hunc mundum corporeum, & omnes in eo-
dem loco.* Prior pars probatur: vbi aliquod
totum producitur, vt constans substantiâ cor-
poreâ & spiritali, tanquam suis partibus, pars
quæ est purè spiritalis, & tantùm habet esse
per creationem, producitur, vbi est altera
pars sui totius, vt patet in creatione animæ ra-
tionalis; atqui hoc vniuersum fuit productum
à Deo, vt totum aliquod constans substantiâ
Angelicâ tanquam principaliori & nobiliori
sui parte, & aliis rebus sensibilibus, vt parti-
bus minus præcipuis: ergo quemadmodum

I. substantiæ illæ corporeæ sunt intra hunc mundum corporeum creatæ, ita & substantiæ Angelicæ.

Posterior pars probatur: vbi plura entia creantur ad componendum totum aliquod, ibi eorum vnumquodque creatur, vbi naturalis eius conditio postulat, in quantum est pars eiusmodi totius: atqui omnes Angeli sunt à Deo creati ad componendum hoc vniuersum, & nullus eorum ex sua conditione naturali postulat potiùs esse creatus propter malitiam posteà perpetrandam in hoc loco inferiori, quàm ob bonum opus posteà exercendum, quia Deus non est priùs vltor, quàm homo, vel Angelus peccator: igitur Deus non creauit Angelos, qui futuri erant beati in vno loco, & eos, qui futuri erant damnati in alio loco.

II. Nec obstat, quòd aliqui Angeli sint ad cælos mouendos destinati: nam sicut primus parens priùs creatus est, deinde videtur positus in paradiso terestri ad illum colendum; ita Deus creauit priùs Angelos, deinde nonnullos ex illis destinauit ad regulandum motum cælorum, maximè cùm eorum creatio præcesserit aliquo modo ipsum motum cæli.

Secunda propositio. *Omnes Angeli non videntur primum fuisse creati in aëre.* Probatur: quia cùm Angeli sint planè incorporei, vt posteà docebimus, nulla occurrit sufficiens ratio id asserendi. Deinde Angeli sunt partes nobilissimæ ipsius vniuersi: ergo debuerunt creari in nobilissimo loco vniuersi, qualis non est aër.

Nec obstat, quòd passim in scripturis sacris & Patribus quidam dæmones dicantur habi-
III. tare in aëre, appellentúrque *aëreæ potestates*, id enim contigit post eorum creationem, quatenus per peccatum deiecti sunt de cælo eo, in quo fuerant creati, & sese collocarunt in aëre ad nocendum hominibus, iísque insidiandum ex permissione Dei, vsque ad finem mundi, quo omnes dæmones simul detrudentur ad inferos, cum iis, qui iam ibi sunt.

Tertia propositio. *Nulli Angelorum fuerunt creati in cælo empyreo:* propositio est contra S. Thom. citatâ quæst. 61. est tamen Ruperti lib. 1. *in Genes.* cap. 11. Eugubini lib. 7. *de perenni Philosophia* cap. 38. quam aliqui recentiorum probant, vt Suares lib. 1. de Angelis. Probatur: locus debet correspondere statui & dignitati locati; atqui cælum empyreum est locus beatorum æternâ vitâ fruentium, in quo nullus Angelorum creatus est: deinde multi
IV. Angelorum eò loci peccauerunt, in quo sunt creati, atqui non est verisimile aliquem peccare in cælo empyreo, quia hoc dedecet eius excellentiam.

Nec obstat, quòd Patres aliqui dicant eos fuisse creatos in cælo, id enim ita affirmant, vt tamen speciatim id non explicent de cælo empyreo.

Neque secundò obstat, quòd Isaiæ decimo quarto Lucifer dicatur *cecidisse de cælo:* nam quando peccauit, simul etiam dixit, *in cælum*
A *ascendam, & ero similis Altissimo:* ergo signum est, quòd tunc non erat in cælo empyreo, in quo Deus est secundùm maiestatem suam & gloriam. Deinde quòd nomen *cæli* sumatur ibi metaphoricè, docebitur infrà agendo de peccato Luciferi. V.

Nec tertiò obstat, quòd Apocalyps. 12. magnum prælium dicatur factum in cælo inter sanctum Michaëlem & draconem, húncque traxisse de cælo *tertiam partem stellarum*, id est, *Angelorum*; quódque dicatur ibidem, *& non est inuentus locus eorum amplius in cælo.* Nam ex antecedentibus & consequentibus rectè colligitur totum istud non intelligi de primo lapsu Angeli, verbi gratiâ, ex eo, quòd vocetur *serpens antiquus*, cùm tamen, quando primùm lapsus est, recens creatus esset; item ex eo, quòd vocetur *accusator fratrum ante con-*
B *spectum Dei die, ac nocte*, quod tunc ei non competebat, & pluribus aliis, quæ fusiùs prosequûtur interpretes ad illum locum, vbi docent prælium istud intelligi de victoria Christi Domini contra diabolum, quâ in cruce destruxit regnum diaboli. VI.

Vltima propositio. *Omnes Angeli fuerunt creati in eo cælo, quod proximè collocatur sub cælo empyreo:* hæc sententia videtur esse sancti Hieronymi in caput decimum quartum Isaiæ, & Innocentij III. in Psalmum 5. pœnitentialem, éstque aliquorum recentiorum. Probatur: quia hic locus videtur esse omnium accommodatissimus naturæ, & dignitati, quâ Angeli ex sua conditione naturali præeminent cæteris, sic enim vt sunt partes nobiliores vniuersi, ita etiam sunt in nobiliori parte illius. Probatur item ex eo, quòd iuxta illam
C omnes sacræ Scripturæ loquentes de casu Luciferi, & eius deiectione de cælo, facilè concilientur inter se; nam si illud Luciferi apud Isai. 14. cap. *in cælum conscendam & similis ero Altissimo*, velimus ad litteram intelligere de primo peccato Angeli, cùm verbis istis actus ille superbiæ, quo primùm peccauit, explicetur, & Angelus in eo loco peccauerit, in quo fuit à Deo creatus, ibi nomine *cæli*, empyreum cælum non potest intelligi, quia hæc eius formula loquendi significat dari adhuc aliud cælum superius illo, in quo peccans ita loquitur, *conscendam in cælum:* atqui nullum cælum datur superius empyreo: ergo debuit in alio cælo inferiori peccare, & ex consequenti creari, à quo tamen loco per suum peccatum deiectus est. VII.

Nec obstat, quòd omnes cæli excepto em-
D pyreo sint mobiles; nam in tali momento, quo Angeli fuerunt creati primo die, cæli nondum mouebantur, tunc enim fuerunt tantùm creati quoad suam substantiam, & non cum proprio suo motu, & aliis id genus, quæ ad maiorem cælorum distinctionem faciunt, & præterea Angelus ita est liber in suo motu, vt licet sit intra cælum, quod actu mouetur, possit tamen ipse pro sua libertate manere immobilis, vt patebit infrà de motu Angelorum. VIII.

DISPV-

I.

DISPVTATIO II.

De essentia Angelorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli sint omninò incorporei.

SENSVS articuli est, vtrum Angeli nullâ suæ entitatis parte sint corporei, sed sint substantiæ purè absolutè & simpliciter spiritales, an verò aliquid materiæ habeant, seu aliqua corpora, licet subtilissima & non crassa, sicut nostra, & aliarum rerum corpo-
II. rearum.

Fuit Platonicorum sententia, quos nonnulli Patrum hac in re videntur sequi, Angelos habere corpora valde subtilia, ratione cuius subtilitatis passim in sacris Scripturis *spiritus* appellantur; sic sanctus Augustinus tribuit Angelis corpora æthera & lucidissima, libro octoginta trium quæstionum quadragesimâ septimâ, libro tertio *de Trinitate* capite decimo, epistolâ III. tribuit Angelis oculos corporeos, & aliqui alij Patrum, vnde S. Bern. serm. 5. *in Cantica* videns diuersitatem Patrum circa hanc difficultatem, non vult ferre sententiam. Ex recentioribus eandem sententiam sunt sequuti, Eugubinus lib. 8. *de perenni Philosophia* capite vigesimo septimo & sequent. Caietanus ad caput secundum epistolæ *ad Ephesios*, vbi putat dæmonem ap-
III. pellari à sancto Paulo *principem tenebrarum & aëris*, quia eiusmodi habet corpus tenue & subtile. His tamen non obstantibus,

Sit hæc propositio. *Angeli ita sunt substantiæ intellectuales, vt nullâ sui parte sint corporeæ, nec ex naturali sua conditione habeant corpora quantumuis subtilia.* Ita communiter Scholastici ad hanc quæstionem sancti Thomæ, & libro secundo sententiarum distinctione octauâ. Probatur primò ex modo loquendi sacræ Scripturæ de Angelis, eo modo sacra Scriptura vocat Angelos *spiritus*, quo animæ nostræ rationales sunt spiritus, & quo Sadducæi actuum vigesimo tertio negabant dari spiritus, vt videre est isto capite actuum, & primæ *ad Corinthios* primo & quarto, item Iacobi secundo: atqui animæ nostræ rationales eo sensu sunt spiritus, quòd
IV. sunt substantiæ purè spiritales, vt patet ex locis citatis: item Tobiæ duodecimo, sanctus Raphaël Angelus ita ait se esse vnum de septem spiritibus, qui adstant ante Dominum, vt etiam dicat se inuisibili cibo & potu, qui ab hominibus videri non potest, vti: ergo cùm omne corpus nutriatur sibi simili, quemadmodum cibus ille sancti Raphaëlis est purè spiritalis, ita etiam & tota eius entitas. Item ex capite quinto sancti Marci, vbi habetur legionem dæmonum possedisse quemdam hominem; legio autem continet sex millia sexcenta sexaginta sex, vt notat sanctus Hieronymus ad caput vigesimum sextum S. Matthæi; at in vnico homine tot millia dæmonum non possent naturaliter constitui intra ipsum hominem sicut se ipsos constituerunt, si essent

A corporei, quantumcumque minimæ quantitatis & subtilitatis esse fingantur, quia sese V.
mutuò excluderent ab eodem loco, cùm penetratio dimensionum naturaliter dari nequeat.

Neque est, quòd quis respondeat corpora Angelorum ita esse subtilia, vt sint minutiora atomis, & proinde totam istam legionem dæmonum potuisse contineri intra corpus vnius hominis sine aliqua penetratione dimensionum.

Hoc inquam dici non potest; nam vnaquæque anima postulat corpus proportionatum suæ naturali virtuti, & actioni, ita vt omnia instrumenta corporea, quibus anima vtitur in propriis suis operibus exercendis, possint in illo reperiri; vnde secundùm Aristotelem libro secundo *de anima* textu quadragesimo
B primo, & communem Philosophorum sen- VI.
tentiam dantur quidam termini magnitudinis & paruitatis, extra quos anima non potest suas operationes exercere, nec etiam conseruari; immò quò animalia sunt validiora, eò corpora illorum sunt neruosiora, & solidioris materiæ, quia in neruis ipsæ vires continentur, vt docet Aristoteles libro quinto *de generatione animalium* capite septimo: atqui naturalis virtus Angeli superat omnem & quamlibet alterius entis creati purè naturalis virtutem, vt intelligitur ex illo Iob quadragesimo primo de Diabolo; *non est super terram potestas, quæ comparetur ei:* est etiam eius motio velocissima & vehementissima, vt patet ex cap. 1. lib. Iob, vbi *derepente concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit omnes liberos Iob*, & in breui corpusculo, cuiusmodi est qui-
C libet atomus, non possunt reperiri nerui suf- VII.
ficientes ad efficiendam motionem tam validam, nec item possent reperiri organa ritè disposita, nec item tam spiritus animales, quàm id genus alia requisita ad motionem faciendam per proprium corpus; & præterea spiritalis substantia Angeli est longè perfectior, & nobilior animâ rationali, quæ tamen non potest naturaliter existere in quocumque minimo corpore, ibíque naturales suas functiones exercere: ergo nec ipse Angelus habebit pro suo naturali & vero corpore atomû: ergo cùm fide Catholicâ constet totam aliquam dæmonum legionem fuisse contentam in corpore vnius, nec possit naturaliter dari penetratio dimensionum, dæmones istam legionem componentes non erunt corporei.

Deinde probatur ex Concilio Lateranensi
D superiùs citato, quando ait Deum *ab initio* VIII.
temporis vtrâque condidisse naturam, corporalem & spiritalem, Angelicam scilicet & *mundanam*, quò loci opponit *spiritalem* (per quam intelligit *Angelum*) *corporali:* ergo censet Angelos substantias esse purè spiritales.

Probatur tertiò ex Patribus, vt S. Greg. Nazianz. orat. 2. *de Theologia*, S. Basil. hom. 9. *quòd Deus non sit auctor malorum*, S. Chrysost. hom. 22. *in Genesim:* item ex Latinis Patribus, vt S. Hil. lib. 8. *de Trinitate* sub finem, sancto Hieronymo ad cap. 49. Isaiæ, & pluribus aliis.

Tandem probatur ratione: ea tantùm natura intellectualis indiget naturaliter aliquo corpore, tanquam alterâ parte totius suæ substantiæ completæ, cui pro exercendis propriis & naturalibus suis operationibus corpus est

I. necessarium, vt indicat Aristoteles lib. 1. *de anima* textu 13. & patet in nobis, qui quia videre, audire, immò & quamdiu sumus in hac mortali vita, non possumus intelligere, nisi res cognoscendo priùs incurrerint aliquo modo in sensum aliquem exteriorem, iuxta vulgare illud, *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, indigemus naturaliter corpore: econtrà quia anima rationalis posita per mortem extra corpus, potest proprias aliquas actiones exercere, tunc etiam potest esse sine illo: atqui Angelus est quædam natura intellectualis, vocatur enim à Philosophis *intelligentia, dæmon*, id est, *sciens*, quia pollet magno & excellenti intellectu, operationes eius sunt intelligere, velle, & mouere, & ad exercendas eas corpus aliquod non est ei necessarium: de duabus prioribus facilè patet ex eo, quòd cùm Ange-
II. lus sit ipso homine perfectior, sicut anima separata à corpore intelligit & vult, ita & Angelus: quòd item motio Angelica non postulet corpus, patet ex eo, quòd motus per instrumēta corporea factus non potest tam breui tempore & quasi momēto ferri ab vna parte distātissima ad aliam maximè longinquam, nam sicut interdum dæmones sese mouent, quemadmodum expresè notat Tertullianus *in Apologetico* cap. 22. verbi gratiâ, quando referunt homicidia, eo ferè momento, quo in alio loco valde distanti perpetrantur, sicut contigit in interfectione Domitiani Imperatoris, quam dæmon eodem ferè momento, quo Romæ peragebatur renūtiauit Apollonio Thyanæo existenti apud Ephesios, vt est apud Philostratum: igitur Angelus nullum naturaliter habet corpus, tanquam alteram partem sui compo-
III. nentem.

Nec potest dici corpus Angeli esse aëreum: primò, quia in eo organa, nerui & alia id genus necessaria ad peragēdum motum non possent reperiri, hæc enim postulant commixtionem quatuor primarum qualitatum, sícque habere aliquod temperamentum, quo corpus aëreum careat.

Deinde, quia si Angelus habeat aliquod corpus, illud debet esse nobilius humano corpore, sicut & Angelus præstat homine; at corpus purè aëreum est imperfectius humano, sicut omne corpus elementare est imperfectius corpore mixto.

Tertiò, quia si Angelus habeat aliquod corpus sibi naturaliter vnitum eo modo, quo forma vnitur materiæ, oportet illud esse solidum, cùm turres etiam vastissimas & validas
IV. facili negotio euertat; oportet etiam, vt sit indissolubile, aliàs dæmon esset obnoxius vulneri, & morti, sicut est homo; atqui corpus aëreum qualecumque fingatur esse, non potest esse solidum & indissolubile, cùm aër facilè cedat: ergo nec Angelus habet naturaliter aliquod corpus aëreum.

Articvlvs II.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRimvm est petitum ex auctoritatibus Patrum, de quibus nos superiori articulo proponendo sententiam aduersariorum.

Respondetur, eos, aut saltem aliquos illorū, non tam asseruisse Angelos esse corporeos,
A quàm noluisse certam de hac re sententiā ferre; sic sæpè S. Aug. ita ait Angelos habere corpora, vt tamen significet se non loqui assertiuè, sed vel ex opinione Platonicorum, vt obseruat S. Thom. q. 51. art. 1. in solutione ad 1. sic lib. 20. de *ciu. Dei* cap. 10. vbi dixit ipsis dæmonibus sua esse corpora, ex aëre conflata, significat se nolle definire, an dæmones habeant corpora, quę crucientur igne inferni, an verò sint tantùm puri spiritus, cùm alterutro horum posito semper rectè sequatur ignem inferni posse illos torquere; sic etiam loquitur S. Bernardus relatus suprà. Vel secundò potest respondere aliquos veterum Patrum hanc doctrinam accepisse à Platone, cuius tunc temporis plures erant sectatores. V.

Tertiò respondetur, hoc nomen *corpus*, non semper sumi pro substantia corporea, sed in-
B terdum accipi pro vero & reali ente, ita vt corpus & ens reale seu verum sint synonyma, quomodo Apostolus in epistola *ad Colossenses* ait diuinitatem habitare *corporaliter*, id est verè, realiter, non fictitiè, vel imaginariè in Christo, sícque dum dicunt Angelos esse *corporeos*, volunt tantùm eos esse veras & reales substantias. VI.

Quartò respondetur, illud omne apud Patres aliquando dici *corporeum*, quod non est tam simplex, ac est ipse Deus; sic S. Hilarius in Matth. can. 5. ait esse proprium solius Dei subsistere sine corpore; vnde cùm Angeli constent compositione ex actu & potentia, & aliis id genus metaphysicis, quemadmodum docent cōmuniter omnes Philosophi, fit, vt interdum dicantur à Patribus esse *corporei*: quo verò sensu dæmones vocentur *potestates aëreæ* ab Apo-
C stolo superiùs est explicatum, cui addi potest eos sic appellari, quòd tota eorum potestas sit coarctata ad has res terrenas. VII.

Secundum est desumptum ex sacris litteris, quæ generationem sensibilem tribuunt Angelis in Genesi, *videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores, ex omnibus quas elegerant*, quò loci vbi nostra versio habet hanc particulam *filij Dei*, septuaginta Interpretes istam habent *Angeli*, & multi Patres exponunt locum hunc de Angelis, qui ex congressu mulierum genuerunt gigantes, quos Patres fusè recenset Pamelius Paradoxo primo Tertulliani.

Respondetur caput sextum Genesis non posse intelligi de Angelis siue malis, siue bonis; non de bonis, cuiuscumque illi sint ordinis, quia Christus Dom. Matth. 22. docet eos nec
D nubere, nec etiam nubi; nam interrogatus de coniunctione vxoris cum marito in futura vita, ita ait, *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. Secundò, quia hoc repugnat summæ fælicitati, & impeccabilitati beatorū, quales iam erant boni Angeli, quando contigerunt hæc, quæ referūtur isto cap. 6. nec item potest intelligi de malis Angelis, quia dæmones nunquam vocantur in sacris literis *filij Dei*, sed *aduersarij, inimici*. VIII.

Nec obstat, quòd 70. Interpretes ibi legant Angeli Dei, non enim omnes codices ita habere notat expresè S. Augušt. lib. 15. *de ciuitate Dei* cap. 23. & præterea nomen *Angeli* tribui interdū bonis & sanctis hominibus. Nec item obstat, quòd plures ex Patribus istud intelligant de veris Angelis, nam & hanc eorum ex-

I. plicationem refellunt S.Chrysost. hom.21. in *Genesim.* Aug. loco nunc citato, vbi etiam reiicit librũ Enoch citatum à Tertulliano suprà, pro hac sua interpretatione tanquam apocryphum; vnde locus ille Genes. intelligitur de filiis Seth & Enoch, qui, quia erant cultores veri Dei, & eorum etiam filij appellantur ibi *filij Dei* in vulgata editione, & à 70. Interpretibus *Angeli*, quia hoc nomen *Angelus* etiam iustis hominibus aliquando tribuitur, vt citato loco notat S. Augustinus, *filiæ* autem *hominum* ibidem dicuntur illæ, quæ descendebant ab ipso Cain.

Tertium est, quod Patres, vt S.Aug. lib.8. *de ciuit. Dei* c.16. & alij dicunt dæmones delectari rebus quibusdam sensibilibus, v.g. odoribus: at hæc delectatio sensitiua non potest esse nisi alicuius sentientis, & proinde corporei.

II. Respondetur negando dæmones propriè delectari rebus sensibilibus, percipiendo ex illis voluptatem corporalem, quia carent qualibet sensitiuâ potentiâ, & in his tantùm & illis rebus sensibilibus dicuntur delectari, quatenus illis facilius alliciunt homines ad peccatũ.

Vltimum petitur ex VII. Synod. act. 5. vbi sermo Catholicus Ioannis Thessalonicensis recitatur, in quo ita loquitur de Angelis & Archangelis: *sic sentit Ecclesia esse quidem intelligibiles, sed non omninò corporis expertes & inuisibiles, sicut vos gentiles dicitis; verùm tenui, corpore præditos & aëreo*, & paulò pòst finitâ lectione huius sermonis Tarasius subiungit, *Pater ostendit, quòd & Angelos pingere oporteat, quandoquidem circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt*, & statim respondet Synodus *etiam Domine*. Ex quo testimonio duplex habe-
III. tur confirmatio pro contraria sententia; prior in verbis illis prædicti sermonis *de Angelis & Archangelis, ipsa Ecclesia sic sentit esse quidem intelligibiles, sed non corporis expertes*, quibus verbis explicatur hunc esse communem consensum Ecclesiæ, quod ibidem confirmat auctor istius sermonis auctoritatibus sanctorum Patrum, Basil. Athan. & aliorum: nec potest hæc auctoritas explicari de corpore, prout corpus aliquando opponitur inani, & sumitur pro ente vero & reali; nam in eodem loco istius sermonis Angeli dicuntur *imitabiles picturâ, in loco existere, circumferentiam habere*, quod est proprium corpori quantitatiuo. Posterior confirmatio habetur in istis verbis totius VII. Synodi approbantis hanc sententiam prædicti sermonis ibi lecti, *etiam Domine*.

IV. Respondetur ad hoc fundamentum desumptum ex VII. Synodo, omissâ respõsione eorũ, qui dicunt Concilium ibi tantùm approbasse conclusionem prædicti Ioannis Thessalonicensis, quâ dicebat Angelos esse depingendos, non rationem eius, quæ hæc erat, *quia sunt corporei*, quatenus hæc solutio, licet contineat veram doctrinam, attamen non est ad mentem Concilij, eo quòd nondum definiebat hanc propositionem, sed solummodò mentem Patrum inquirebat ex eorum scriptis, vt eam posteà definiret, quemadmodũ ibi videre est.

Respondetur Patres Concilij ibi istâ suâ formulâ loquendi, quam subiecerunt istis verbis *etiam Domine*, solummodò approbasse collectionem sic factam à Tarasio, ex isto sermone Ioannis Thessalonicensis, scilicet Tarasium rectè fuisse ibi assequutum mentem prædicti

A Ioannis; nam ibi finitâ lectione istius sermonis, V.
ita Tarasius intentionem prædicti Ioannis istis verbis explicauit, *ostendit Pater quòd & Angelos pingere oporteat, quandoquidem circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt*, statim Synodus sacra acclamat *etiam Domine*, id est, ea est sententia Ioannis, cuius liber nunc est lectus, Angelos scilicet esse depingendos; si enim sensus istius acclamationis Patrum fuisset definitio totius controuersiæ ibi propositæ, non ampliùs erat necesse Patrum scripta discutere, & iterum postea in eodem Concilio rem totam definire, sicut facit in sequentibus actionibus, nec Patres Concilij appositè responderent Tarasio ibi loquenti.

Ad id verò, quod ibidem ex hoc eodem testimonio obiicitur, scilicet ita haberi eò loci, *Ecclesia Catholica sic sentit de Angelis, & Ar-*
B *changelis, esse quidẽ intelligibiles, sed non omninò corporis expertes*: respondetur, quia Ioannes VI.
ille auctor istius sermonis vidit plures Patres ita loqui de Angelis, ac si haberent quædam corpora, putauit hanc esse mentem Ecclesiæ, sed in eo deceptus est, vt patet ex dictis; quem tamen eius lapsum tunc non curauit corrigere sancta septima Synodus, quia hoc vnũ quærebatur, an essent Sanctorum imagines depingendæ, habendæ, colendę, non autem an Angeli essent incorporei, necne.

Quod spectat ad alias compositiones metaphysicas, an illæ reperiantur in Angelis, verbi gratiâ, compositio ex genere & differentia, ex substantia & supposito, tractantur ex professo à Philosophis in Metaphysica, sicut vtrum etiam reponantur in categoria.

C

ARTICVLVS III. VII.

Vtrum Angeli sint incorruptibiles.

NOTANDVM est aliquid posse dici duobus modis *corruptibile*: primo à principio aliquo sibi intrinseco, quatenus scilicet habet aliquid in se, ratione cuius potest corrumpi, & eius existentia destrui, vt sunt omnia sublunaria, quæ habent materiam capacem formarum contrariarum: secundo modo potest aliquid dici *corruptibile* à principio extrinseco, quatenus scilicet ita subditur potestati alterius, vt ab eo possit destrui, & ex solo illius beneplacito habet esse, non autem ex se, nec à se, nec necessariò, sed liberè, licet aliàs secundùm se consideratum præcisè nihil positiuum habeat in se, quod ei possit afferre interitum;
D cuiusmodi est anima rationalis, quę ita esse ha- VIII.
bet à Deo liberè, vt tamen ab eo possit annihilari. Vnde inter hunc vtrumque modum corruptibilitatis illud est discrimen, quòd primus dicat in ipsa re aliquid positiuum, & propensionem aliquam ad hoc, vt corrumpatur, realémque passiuam potentiam ad recipiendũ actionem corruptiuam, esto per absolutam Dei potentiam possit conseruari in æternum, scilicet impediendo mutuam contrariorum actionem, vel præstando aliquid aliud simile: secundus verò modus dicat in ipsa re, quæ hoc tantùm modo est corruptibilis, positiuam inclinationem ad essendum, seu existendum perpetuò, & tantùm non repugnantiam ad non existendum, si comparetur cum supremo agente modo extraordinario, ex cuius libera

I. voluntate res habet, vt sit de facto creata: secundò differunt, quòd prior corruptio fiat verâ aliquâ & positiuâ actione vnius contrarij in aliud, ex quibus res, quæ corrumpitur, est composita; posterior verò solâ substractione diuini concursus ordinarij rem in suo esse naturali conseruantis, ex qua substractione res omninò desinit esse, seu annihilatur, ibi enim nullum potest fingi subiectum, quod actionem corruptiuam, vel aliquid contrarium existentiæ talis rei in se ipso recipiat; vnde vocatur *annihilatio*. His positis,

Sit vnica ista propositio. *Angeli sunt incorruptibiles & immortales priori modo, non autem posteriori.* Tota propositio videtur esse de fide, prior quidem pars de bonis Angelis, quia Lucæ 20. homines beati dicuntur futuri æquales beatis Angelis; at ibidem dicitur de beatis hominibus,
II. quòd non poterunt ampliùs mori. Deinde beata vita dicitur in Scripturis sacris *æterna*, & in iisdem dicitur aliquos Angelos eam obtinere, vt apud sanctum Matthæum, *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

Idem patet de damnatis Angelis, quia Matt. 25. ignis inferni dicitur præparatus illis, & eos cruciaturus in æternum, & Iudas in epistola sua Canonica dicit dæmones esse reseruatos vinculis æternis. Deinde in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. definitur animam rationalem esse immortalem, & incorruptibilem: & quòd hæc incorruptibilitas & immortalitas sit talis, vt nullâ vi agentis creati operantis naturaliter possit tolli ab anima, patet ex illo Christi Domini apud S. Matth. 10. capite, *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, quo signifi-
III. cat nullum esse agens creatum tantæ virtutis, vt animam possit destruere, vel annihilare; ex quo etiam testimonio prædictum Concilium probat immortalitatem animæ rationalis: at Angeli sunt entitatis & conditionis longè perfectioris, quàm sit anima rationalis: ergo sicut anima rationalis est incorruptibilis & immortalis priori modo, ita etiam & Angeli sunt priori modo incorruptibiles.

Probatur ex Patribus, vt S. Dionys. lib. *de diuinis nominibus* capite quarto, S. Greg. Nysseno, libro secundo *de opificio hominis* capite 18. S. August. libro duodecimo *de ciuitate Dei* capite decimo quinto, vocante Angelos *creaturas immortales.*

Probatur denique ratione. Prima est: omnis substantia ex suis principiis intrinsecis independens à materia est ab intrinseco incorru-
IV. ptibilis; atqui Angeli ex suis principiis intrinsecis sunt substantiæ independentes à materia; suprà enim ostendimus eos esse substantias omnimodè spiritales: ergo Angeli sunt ab intrinseco incorruptibiles. Maior probatur ex eo, quòd Philosophi communiter docent materiam esse principium corruptionis, quatenus habet propensionem ad omnes formas, potest admittere contrarias qualitates, & actionem corrumpentis, ratione quorum omnium forma separetur à suo subiecto, sicque ipsum totum ex tali materia & forma compositum corrumpatur, & destruatur.

Secunda est: illud omne, quod nihil habet in se, ratione cuius postulet destrui, nihilque potest accipere, quod eius existentiam destruat, est incorruptibile ab intrinseco; at-

A qui Angeli nihil habent in se ipsis, ratione V.
cuius postulent destrui, quia non constant aliquibus contrariis, vel subiecto admittente qualitates contrarias suæ substantiæ corruptiuas, cùm sint purè immateriales, nec possunt quicquam recipere, quod destruat eorum existentiam, quia nullam possunt recipere qualitatem disponentem ad formam aliquam substantialem suæ existentiæ, & etiam formæ Angelicæ incompatibilem; sic enim deberent constare aliquâ materiâ, quæ esset commune subiectum istius vtriusque formæ & existentiæ: igitur omnes Angeli sunt ab intrinseco incorruptibiles. Maior patet inductione factâ per omnes res corruptibiles, quæ ab his tantùm duobus totam suam habent corruptibilitatem.

Atque ob has rationes, qui admittunt An-
B gelos esse corporeos, vix possunt asserere illos VI.
esse incorruptibiles ab intrinseco, nisi velint simul asserere illos vel constare aliâ materiâ à materia rerum sublunarium, vel appetitum talis materię esse determinatum ad tales tantùm numero formas, nec generalem aliquem appetitum ad plures formas habere.

Secunda item pars propositionis nostræ probatur primò ex sancto Paulo primæ *ad Timotheum* sexto capite, dicente solum Deum habere immortalitatem; quod sanctus Hieronymus in caput primum epistolæ *ad Titum*, & sanctus Augustinus libro *de natura boni* capite trigesimo nono explicant de immortalitate tam *ab extrinseco*, quàm *ab intrinseco*, dum dicunt Deum ibi eodem modo dici *solum immortalem*, quo alibi in sacris literis dicitur *solus verax*, *solus bonus*, *solus æternus*, scilicet
C per essentiam, cùm creaturæ ista tantùm ha- VII.
beant per participationem, ita vt etiam absolutâ Dei potentiâ possint ab illis auelli; quæ expositio confirmatur ampliùs ex eo, quòd idem Apostolus eadem primâ epistolâ *ad Timotheum* capite primo, sic iuxta vulgatam editioné dicit Deum esse immortalem, vt tamen tam Græca editio, quàm Syriaca loco huius particulæ *immortali*, legat *incorruptibili*.

Probatur item ex Patribus, vt sancto Ambrosio libro tertio *de fide* capite secundo, ita dicente, *nec Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas est in voluntate creatoris*, sancto item Cyrillo Alexandrino libro octauo *thesauri*, vbi verbis expressis ait Angelum ita esse immortalem, vt tamen sit talis per voluntatem & gratiam Dei, & solum Deum propriè esse immortalem, quia naturaliter id
D habet: cætera, sicut creaturæ, *per gratiam*: VIII.
item ex Sophronio Hierosol. in sua epistola à sextâ Synodo actione tertiâ approbata, dicente animas hominum, & Angelos esse consequutos immortalitatem, & incorruptionem non *naturâ*, sed *gratiâ*: sancto Damasceno libro secundo *de fide Orthodoxa* capite tertio: sancto Bernardo libro quinto *de consideratione ad Eugenium* capite quarto.

Tandem probatur ratione: illud omne quod tam in suo fieri, quàm conseruari ita pendet à libera voluntate superioris, vt ex absoluta, eáque libera eius voluntate possit omninò desinere esse, & redigi in nihil, est corruptibile, saltem ab extrinseco, quia sic non habet omnimodam necessitatem essendi, cùm loquendo absolutè possit non existere, & ip-

I. sam suam existentiam amittere, quemadmodum patet ex nostro notabili; atqui omnes quotquot sunt, & possunt esse Angeli, pendent tam in suo creari, quàm in suo conseruari à libera voluntate Dei, eos creãtis & conseruantis liberè, quia hæc sunt ad extra, & Deus est maximè liber in iis, quæ sunt ad extra, *& omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra*, vt ait Psaltes Regius Psalmo centesimo trigesimo quarto, id est omnia creauit ex liberrima sua voluntate, vt fusè explicat sanctus Augustinus *suâ enarratione* ad illum Psalmum: igitur omnes Angeli quotquot sunt de facto, & possunt esse, sunt mortales & corruptibiles ab extrinseco.

ARTICVLVS IV.

II. *Satisfit cuidam difficultati ex præcedenti doctrina exortæ.*

QVÆRES, cùm Patres nunc citati dicant Angelos esse incorruptibiles *ex dono* & *gratia Dei*, nos verò primâ parte nostræ propositionis dicamus illos esse incorruptibiles ab *intrinseco*, an Angeli meliùs dicantur esse *naturâ suâ incorruptibiles*, quàm *ex gratia* & *dono Dei*.

Respondetur, quòd licet vocabulo *gratiæ* nonnunquam significetur donum naturale pendens à libera voluntate Dei, vt patet ex citatis locis Patrum pro secundâ parte nostræ propositionis, nihilominus absolutè & simpliciter loquendo meliùs Angelos dici esse *incorruptibiles ex sua natura*; cuius rei hæc est
III. ratio, quòd quando dicimus aliquid dari *ex gratia*, significamus illud ei conferri per aliquod speciale auxilium, quod ei non conuenit ex suis naturalibus principiis, quin potiùs est ei gratuitò superadditum: sic dicimus nos *ex gratia Dei* fuisse redemptos; quia illud fit ex speciali gratia, & vltra debitum nostræ naturæ, quomodo passim in sacris Literis, & Patribus disputantibus contra Pelagianos nomen *gratiæ* accipitur, vt rectè obseruant Patres Concilij Mileuitani in sua epistola *ad Innocentium primum*, quæ inter epistolas sancti August. est 95. quo etiam modo gratia est propriissimè gratia, cùm tunc nulla interueniat ratio debiti, cui iuxta Apostolum opponitur gratia; & Angeli secundùm sua naturalia considerati habent realem intrinsecam potentiam, vt semper sint, quia cum solo generali concursu durabunt, & nihil datur in illis,
IV. quod ex se inducat, vel causet amissionem existentiæ, quam per creationem sunt consequuti.

Nec obstat, quòd concursus ille generalis sit gratuitus, cùm sit liber, nam ita est gratuitus, vt tamen sit debitus naturæ Angelicæ, quatenus eo ipso, quo aliquid est productum à Deo ordine naturali, Deus ex regula suæ prouidentiæ tenetur ei conferre, quæ sunt ei naturalia, cuiusmodi est incorruptibilitas, & immortalitas in Angelo: & si per impossibi-

A le Deus ageret necessariò ad extra, Angeli secundùm naturam suam præcisam considerati V. essent eiusdem conditionis purè naturalis, saltem genericè in ratione substantiæ intellectualis completæ, ac nunc sunt, & nihilominus rectè dicerentur immortales, & incorruptibiles ex sua natura; & naturale maximè attenditur penes ea, quæ conueniunt ipsis rebus consideratis tantùm cum generali concursu, & penes ea, quæ ita conferuntur eis secundùm quod continentur intra solum ordinem naturæ; supernaturale verò attenditur penes ea, quæ communem hunc ordinem naturæ transcendunt, & aliquid longè superius superaddunt ei.

A Vnde licet Angeli ita subsint omnipotentiæ diuinæ, vt possint ab illa in nihilum redigi, pro summa libertate, & dominio, quod habet
B Deus; nihilominus tamen propriè loquendo VI. non dicentur naturâ suâ, seu naturaliter *annihilabiles*, quia vt rectè ait S. Thom. hâc quæst. articulo quinto in solutione ad tertium: *aliquid non dicitur esse corruptibile per hoc, quòd Deus possit illud in non esse redigere, substrahendo suam conseruationem; sed per hoc, quod in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ*: quorum omnium nullum reperitur in Angelis, quin potiùs conseruatio in suo esse est illis connaturalis, quia est eorum naturæ & appetitui conformis; annihilatio verò est illis præternaturalis, quæque solummodò potest fieri per aliquod miraculum. Hinc loquendo in rigore Philosophico, hęc propositio, *illud naturâ suâ est annihilabile à Deo, cuius natura intimè pendet à Deo liberè eam conseruante in suo es-*
C *se*, est falsa, quia hæc eius particula, *naturâ* VII. *suâ*, idé sonat, ac habere in seipso aliquod principium suæ corruptionis, vel contrarietatem, vel potentiam materiæ, vt iam ex S. Thom. notauimus, quæ non reperiuntur in Angelo; sed potentia illa, quam Angeli habent ad non existendum per substractionem diuinæ conseruationis est potiùs non repugnantia, quàm vera potentia, vel ad summum est obedientialis potentia, quatenus omnis & quælibet creatura ita subest diuinæ voluntati, vt ei ad nutum obediat: quæ autem sic conueniunt creaturis ratione talis potentiæ, non dicuntur propriè eis naturaliter conuenire, nec res illæ propriè dicuntur esse naturâ suâ tales, ex eo, quòd talem habent obedientiam respectu absolutissimæ diuinæ volũtatis, aliàs enim ablutio, aquę in baptismo, & quando per suam obedientia-
D lem potentiam conferunt gratiam sanctificantem suscipientibus sacramenta, dicerentur illam ex sua natura, seu etiam naturaliter conferre, & homines eam naturaliter recipere, VIII. quod tamen communiter negant omnes Theologi, & potentiam naturalem in rebus creatis distingui aliquâ formalitate à potentia obedientiali docent ex professo Theologi tertiâ parte, quando agunt de efficientia sacramentorum nouæ legis, & causalitate respectu gratiæ sanctificantis.

I.

DISPVTATIO III.

De numero Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli sint in magno numero.

PRIMA propositio. *Angeli sunt in magno numero:* propositio est de fide Danielis septimo: *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant*, vbi numerus certus pro incerto ibi ponitur, vt ad illum locum obseruant interpretes, ideóque parum refert, quod Septuaginta ad
II. hunc locum Danielis aliter exprimant hunc numerum, & vulgata editio aliter, quia vtraque editio semper exprimit numerum Angelorum esse maximum, quod solummodò ibi intendit Propheta. Item Matthæi vigesimo sexto, *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*, & alibi passim.

Fauet etiam ratio: spectat ad honorem & gloriam regis habere innumerabilem populum, & maximam multitudinem ministrorum, vt patet ex capite 14. Prouerbiorum: *in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis:* atqui Deus est rex regum, Dominus dominantium, vt passim vocatur in sacris literis, & Angeli sunt illius ministri ex scripturis superiùs citatis: igitur Angeli sunt in magno numero.

III. Neque obstat, quòd Tob. 12. sanctus Raphaël dicat se esse vnum ex septem spiritibus, qui adstant ante Deum, & Apocalyps. quinto septem spiritus dicantur esse missi in omnem terram, nec denique Matth. 18. & Lucæ 15. per 99. oues intelligantur Angeli, quibus relictis Christus Dominus venit in mundum, vt *ouem perditam*, id est genus humanum, redimeret. Hæc, inquam, non obstant, nam hoc tantùm sensu dicuntur esse *septem spiritus*, quòd septem illi habeant superiorem, & vniuersaliorem gubernationem totius vniuersi, cùm reliqui minorem habeant sub illis; vterque autem locus Euangelicus de 99. ouibus est tantùm parabolicus, ex quo validum argumentum non potest desumi, vt ad primam quæstionem huius partis docuimus.

IV. Secunda propositio. *Numerus Angelorum licet sit magnus, non tamen de facto est infinitus:* ita S. Thom. hîc articulo tertio, & probatur ex capite decimo Sapientiæ, vbi Deus dicitur *fecisse omnia in numero, pondere & mensura:* deinde ex communi sententia Philosophorum, & Theologorum, qui negant dari de facto infinitum actu secundùm multitudinem.

Tertia propositio. *Quantus sit numerus Angelorum, nescitur à nobis:* probatur ex capite 25. Iob, *nunquid est numerus militum eius?* quasi dicat non saltem quoad nostram cognitionem. Deinde omnis nostra cognitio de Angelis est aut per fidem, aut ex aliquibus effectibus Angelorum, vel vniuersi: at fides ipsa nobis non reuelat, quantus sit numerus Angelorum determinatè, & quæcumque apparent in hoc vniuerso, nequeunt nobis insinuare,
A quantus sit numerus Angelorum: ergo numerus Angelorum est nobis ignotus. V.

ARTICVLVS II.

Vtrum numerus Angelorum sit maior numero reliquarum creaturarum.

PRIMA propositio. *Numerus Angelorum excedit numerum omnium hominum tam præteritorum, quàm præsentium & futurorum.* Probatur ex Patribus, qui ita expressè tradunt, vt sunt sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* decimâ quintâ, sanctus Hilarius in Matthæum canone octauo, sanctus Ambrosius libro septimo in sanctum Lucam *ad parabolam de ouibus*, vbi per vnam ouem intelligit totum genus humanum, & per nona-
B ginta nouem intelligit totam multitudinem Angelorum. VI.

Probatur deinde ex illa communi doctrina de Angelo custode vnicuique hominum assignato, quam tradunt sanctus Basil. concione secundâ *in Psal.* 33. & libro tertio contra *Eunomium*, sanctus Gregorius Nyssenus libro *de vita Moysis*, S. Ambrosius libro secundo *in S. Lucam*, S. August. libro 83. quæst. 29. & etiam colligitur ex illo Christi Domini apud sanctum Matthæũ capite decimo octauo: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei;* & præterea vnumquodque regnum habet Angelum ad suam custodiam deputatum, vt patet ex Angelo Persarum, cuius fit mentio apud Danielem capite decimo, immò & sunt Angeli custodes ipsarum specierum rerum, vt colligitur ex 14. & 16. capite Apocalyps. ergo
C plures sunt Angeli, quàm homines. Confirmatur: VII. Angeli, qui deputantur in custodiam, sunt ex infimo ordine, vt notat sanctus Thomas infrà quæst. 103. articulo tertio: ergo cùm adhuc restent octo ordines Angelorum, numerus Angelorum est maior numero hominum.

Tandem probatur ratione sancti Thomæ: quanto aliqua sunt perfectiora, per se & propter se intenta, tanquam potissimæ partes vniuersi, tanto sunt plura à Deo creata, & in maiori excessu, quia talis multitudo facit ad perfectionem vniuersi: sed Angeli sunt entia inter omnes creaturas perfectissima, per se, & propter se intenti, sunt enim nobilissimæ partes vniuersi: ergo sunt in numero longè maiori, quàm sint aliæ creaturæ.

Addidi in maiori has particulas, *per se, pro-*
D *pter se intenta tanquam potissimæ partes vniuersi*, VIII vt significetur non posse per hanc rationem colligi debere esse plures deos, vel plures gēmas, quàm sint alia entia, quia Deus non est pars vniuersi, & gemmæ & alia id genus non intenduntur à Deo per se, & propter se, sed propter homines, & ob excellentiam vniuersi.

Nec obstat huic conclusioni, quòd Deuteron. capite 32. iuxta versionem 70. interpretum, Deus dicatur *constituisse terminos gentium iuxta numerum Angelorum;* nam vel id tantùm intelligitur de Angelis custodibus populorum, & non absolutè de omnibus Angelis: vel sensus est, quòd quando Deus distribuit regiones mundi gentibus, ita illas diuisit, vt optimam terræ partem reseruauerit Iudæis, quæ sufficeret pro numero & multitudine fi-

I. liorum Israël, quos 70. interpretes vocant ibi *Angelos*, ob peculiarem amorem Dei erga illos; quæ explicatio confirmatur ex eo, quòd Moyses eò loci enumeret specialia beneficia, quæ populus Israëliticus à Deo accepit.

Quæres, an sit de fide Angelos quoad numerum superare ipsos homines ob citatum locum sancti Matthæi decimo octauo, & consensum Patrum, qui docent vnumquemque nostrûm habere Angelum suum custodem.

Respondetur non videri esse de fide, quia potest intelligi vnum & eundem Angelum diuersis temporibus deputari ad custodiam plurium hominum successiuè, & ex communi doctrina Patrum colligitur tantùm assignari vnum Angelum singulis hominibus, quod non requirit necessariò, vt tot sint custodes Angeli, quot fuerunt, sunt, & erunt homi-
II. nes vsque ad finem mundi. Deinde non est de fide omnes Angelos custodes esse tantùm ex infimo ordine Angelorum, præsertim cùm sanctus Bernardus epist. 77. dicat beatum Archangelum Gabrielem fuisse assignatum Beatissimæ Virgini Deiparæ ad custodiam, & ex officio Ecclesiæ in festo Michaëlis constet montem Garganum esse in custodia sancti Michaëlis; quod etiam patet ex alia apparitione eiusdem sancti Michaëlis, quam refert Sosomenus libro secundo historiæ tripartitæ capite 19. ergo cùm S. Michaël sit Archangelus, posset aliquis dicere Angelos deputari ex omnibus ordinibus ad custodiam hominũ, & proinde nostra conclusio non est de fide.

Vltima propositio. *Non sunt de facto tot numero Angeli, quot sunt numero indiuidua imperfectorum entium corporeorum.* Probatur ex per-
III. fectione vniuersi, quæ non maiorem postulat multitudinem Angelorum, quàm sit multitudo eiusmodi entium imperfectorum. Deinde quia licet non sit impossibile tot dari Angelos, non tamen videtur credibile, tot de facto esse, quot sunt, verbi gratiâ, grana arenarum in omnibus aquis, & earum littoribus, vel quot sunt folia arborum, quia nulla potest congruentia afferri pro tanto numero, cùm non conferat ad ornamentum vniuersi, vel ad ostendendam maiestatem Dei.

DISPVTATIO IV.

De distinctione specifica Angelorum.

IV. ARTICVLVS I.

Vtrum de facto detur specifica distinctio in Angelis.

NOTANDVM primò est totam multitudinem Angelorum componi ex tribus hierarchiis, & vnamquamq; hierarchiam tribus ordinibus constare, ita vt quotquot sunt Angeli nouem ordinibus comprehendantur: nomine *hierarchiæ* nihil aliud intelligunt Patres & Theologi, quàm collectionem personarum aliquo modo sacrarum sub aliquo principe, nomine autem *ordinis* seu *chori* intelligunt collectionem seu multitudinem magis specialem contentam
A intra hierarchiam personarum sacrarum habentium peculiarem similitudinem in exercendo aliquo munere gratiæ, ad quod sunt à Deo deputatæ. V.
Infima verò omnium hierarchia constat his tribus ordinibus, *Angelorum, Archangelorũ, principatuum:* secunda his tribus ordinibus, scilicet, *potestatibus, dominationibus, & virtutibus;* tertia, & omnium suprema, *Thronis, Cherubinis, & Seraphinis,* qui omnes nouem ordines colliguntur ex sacris literis, quæ illorum tantùm, & non plurium meminerunt, vt ad *Rom.* 8. 1. ad *Corinth.* 15. ad *Colossenses* 7. ad *Hebræos* tertio, & alibi. Ordo *Angelorum* his constat beatis spiritibus, qui deputantur ad exequenda infima ministeria, cuiusmodi est hominum priuatorum custodia; ordo *Archangelorum* iis, qui maiorem dignitatem & aliquam habent excellentiam in opere mini-
B strandi, verbi gratiâ, iis, qui deputantur cu- VI.
stodiendis regibus, principibus, & aliis id genus: ordo *principatuum* eos continet beatos spiritus, qui duobus Angelorum ordinibus nunc explicatis præsunt in iis, quæ spectãt tam ad salutem communitatum, regnorum, personarum publicarum, quàm priuatorum hominum, siue instruendo, siue mouendo, siue illuminando, siue præcipiendo, iuxta dispositionem diuinæ voluntatis sibi declaratam: ordo *potestatum* his constat beatis spiritibus, qui, quæ per Angelos primæ hierarchiæ sunt exequutioni mandanda, ordinant, & præcipiunt: ordo *virtutum* iis, per quos signa & miracula fiunt extra communem cursum causarum vniuersi, habéntque in se ipsis aliquid diuinum, & supernaturale: ordo *dominationum* iis constat beatis spiritibus, qui præsunt aliis
C omnibus suprà enumeratis Angelorum ordi- VII.
nibus ad mundi, vel hominum gubernationem deputatis: vnde dici possunt esse supra omnes ordines exequentes; & cùm hactenus ordines enumerati explicentur à nobis, & distinguantur per habitudinem ad res creatas, & excellentiam, quam supra illas habent, tres tamen reliqui ordines, quibus suprema hierarchia constat, explicantur & distinguuntur per habitudinem ad Deum, seu penes excellentiam, quam speciali modo habent in ordine ad Deũ, ita vt beati illi spiritus dicantur *throni*, qui ex speciali aliqua perfectione habẽt, vt sint altissima sedes ipsius Dei, illi verò Cherubim, qui peculiarem perfectionem diuinæ scientiæ habent, illi denique *Seraphim*, qui peculiari diuini amoris excessu relucent.

Notandum secundò, etiam si constet ex scri-
D pturis & Patribus dari hierarchiam, & quos- VIII.
dam ordines Angelorum, vt nunc exposuimus, attamen non esse de fide, quòd eorum aliqui distinguantur specie ab aliis, vel non distinguantur: nam S. Aug. *in Enchiridio* cap. 58. ingenuè fatetur se ignorare, quo pacto distent inter se *dominationes, throni* & cæteri ordines Angelorũ, & lib. cõtra *Priscillianistas* cap. vlt. ait se ex tali ignorantia nullum pati detrimentum, nec quicquam potest afferri, vel ex sacris literis, vel ex definitionibus Conciliorũ, quod nos cogat aliquam ponere distinctionem specificam inter Angelos, cùm sine tali distinctione specifica ipsa hierarchiarum, & ordinum Angelicorum distinctio & subordinatio rectè possit intelligi, sicut talis aliqua subordinatio in politia tam ciuili, quàm Ecclesiastica de

I. facto reperitur inter ipsos homines absque ali-
qua specifica inter illos distinctione.
Sensus itaque præsentis articuli est, an in hac
tota multitudine Angelorum nunc enumera-
ta aliqui saltem dentur distincti specie ab a-
liis, an verò omnes & singuli sint eiusdem spe-
ciei, solóque numero distincti: qua de re duæ
sunt sententiæ. Prima Alberti magni secundâ
parte suæ summæ quæstione octauâ, S. Bon. 2.
sententiarum distinctione nonâ, nullam de fa-
cto dari distinctionem specificam inter Ange-
los, sed eos omnes tantùm distingui acciden-
tariò penes dona gratuita à Deo illis concessa.
Melior est aliorum sententia, cum qua con-
cludimus, *in tota multitudine Angelorum dari a-
liquos, qui specie distinguantur ab aliis.* Ita S.
Thom. hâc quæstione, omnes eius discipuli, &
communiter alij, ad distinctionem nonam li-
II. bro vigesimo primo sententiarum.
Et primò quòd non implicet aliquos Ange-
los distingui specie probatur: maior est distan-
tia inter Deum & substantiam creatam purè
spiritalem, quàm sit inter substantiam creatam
corporalem genericè consideratam, & quam-
libet substantiam corporalem infimam specta-
tam in particulari; hæc enim, semper est limita-
ta, & eius excessus est tantùm finitus, cùm om-
nia, quæ illam constituunt, semper sint finita;
atqui datur quædam specifica distinctio inter
substantias corporeas, vt patet ex diuersis spe-
ciebus animalium, arborum & aliorum eius-
modi entium: ergo etiam non repugnabit da-
ri specificam distinctionem multiplicem inter
substantiam purè spiritalem increatam, & alias
substantias spiritales creatas.
Quòd verò talis distinctio specifica detur de
III. facto, probatur: dona gratuita fuerunt à Deo
concessa Angelis iuxta mensuram suorum na-
turalium, vt ostendemus infrà cum sancto
Thoma: atqui dona concessa à Deo gratuitò
Angelis omnibus sunt distincta specie, vt faci-
lè intelligetur ex dicendis: igitur datur aliqui
de facto Angeli distincti à se inuicem specie.
Secundò probatur ex comparatione mundi
visibilis, ad mundum intelligibilem, quia pul-
chritudo vniuersi consurgit ex diuersitate
specierum, ideò hic mundus visibilis constat
ex pluribus rebus specie inter se distinctis: er-
go pari ratione mundus intelligibilis debet
constare pluribus rebus specie distinctis inter
se; sed omnes Angeli simul sumpti faciunt
mundum inuisibilem seu intelligibilem, vt ait
sanctus Gregorius Nazianzenus oratione *de
natiuitate Domini*, & alij Patres: igitur omnes
IV. Angeli simul sumpti debent aliquam admitte-
re distinctionem inter se specificam.
Atque tota hæc difficultas est potiùs à nobis
diiudicanda ex aliquibus rationibus politicis,
seu desumptis ex fine & pulchritudine vniuer-
si, quàm ex ipsa intrinseca natura Angeli, cùm
hæc præcisè considerata sit ex se indifferens,
vt sit tantùm in vnico indiuiduo, vel pluribus;
eo enim ipso, quo est purè spiritalis, est etiam
incorruptibilis, nec proinde ad sui conserua-
tionem postulat aliquam indiuiduorum mul-
tiplicationem.

A

ARTICVLVS II. V.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est ex Patribus repetitum, S. Atha-
nasio in librum quæstionum *ad Antiochū*
quæst. 4. S. Basil. lib. 3. *contra Eunomium*, cuius
auctoritas etiam refertur in Conc. Florentino
sess. 20. à Ioan. Theologo agente partes Lati-
norum, quâ probat tres personas sanctissimæ
Trinitatis esse eiusdem naturæ, exemplo sum-
pto ab Angelis, qui sicut sunt eiusdem appel-
lationis, sic etiam sunt eiusdem naturæ inter se:
item S. Greg. Nysseno *libro de homine* cap. 18.
& pluribus aliis; vnde Albertus suprà ait hanc
sententiam magis congruere SS. PP. eósque
videri magis in illam consentire.
B Respondetur ad primam auctoritatem S. VI.
Athanasij, illam non esse S. Athanasij, cùm au-
ctor istius operis quæstione vigesimâ tertiâ ci-
tet & commendet S. Athanasium tanquam
alium ab auctore istius operis.
Ad auctoritatem S. Basil. respondetur eum
ibi tantùm velle ostendere posse reperiri or-
dinem inter eos, qui sunt eiusdem naturæ, &
in hunc finem proferre exemplum desumptum
ab Angelis; mentem tamen S. Basil. & Ioan. e-
tiam illum referentis sess. 20. Conc. Florent.
non esse, quòd omnes Angeli sint eiusdem om-
ninò speciei infimæ, sed solummodò, quòd a-
liqua vnitas eiusdem naturæ existentis in plu-
ribus possit saluari, cum aliquo inter illos plu-
res ordine: & proinde cùm ordo personarum
diuinarum inter se arguat emanationem,
seu processionem vnius ab alia, S. Basil. velle
C Spiritum S. quem dicebat esse 3. ordinem, pro- VII.
cedere etiam à Filio: non est autem necesse, vt
in exemplis omnimoda paritas reperiatur, sed
sufficit, quòd conueniant in eo, in quo fit ipsa
comparatio; vnde cùm hoc loco comparatio
tantùm fiat in eo, quòd detur vnitas eiusdem
naturæ, & substantiæ cum aliquo ordine inter
eos, qui habent talem eandem naturam, & hæc
conueniētia possit sufficienter explicari exem-
plo identitatis etiam genericæ, cùm hęc aliquē
possit admittere ordinem; fit, vt S. Basil. parum
curauerit explicare an hæc identitas naturæ
Angelicæ, quam proferebat in exemplum, sit
tantùm generica, vel propriè sit specifica: imò
si habeatur ratio exemplorū, quæ S. Basil. ibi
profert, locus ille intelligendus erit de sola v-
nitate, & conuenientia generica, ibi enim etiā
affert in exemplum omnes beatos, & dicit eos
D omnes esse vnius naturæ, cùm tamen beatorū VIII.
alij sint Angeli, alij homines: item profert in
exemplum omnes stellas, seu astra, quæ dicit
esse eiusdem naturæ, cùm tamen alia ab aliis
distinguantur specie.
Ad reliquos Patres potest ita responderi,
eos admisisse omnes Angelos esse eiusdem na-
turæ, vt tamen non expresserint vnitatem ge-
nericam, aut specificam, quomodo nihil
obstant nostræ propositioni. Potest etiam addi
ex S. Thom. in secundum sententiarum dist. 14.
quæst. 1. art. 2. auctoritates Patrum in Philo-
sophicis, de quorum genere videtur esse præ-
sens quæstio, non esse maioris ponderis, quàm
dicta Philosophorum, quos in his sequun-
tur, nisi in hoc, quòd sint ab omni suspicio-
ne infidelitatis separati.

I. Secundum fundamentum est eiusmodi: omnes substantiæ spirituales informandis corporibus coniunctæ sunt eiusdem omninò speciei inter se, omnes enim animæ rationales, omnes quotquot sunt homines, sunt eiusdem speciei infimæ: ergo & omnes substantiæ creatæ spirituales, quæ naturâ suâ sunt completæ, nec ordinatæ ad informandum corpora, erunt etiam eiusdem omninò speciei inter se. Nec potest responderi disparem esse rationem, scilicet animas rationales ideò esse eiusdem speciei, quia corpora, quæ informant, sunt eiusdẽ speciei infimæ, & proinde cùm substãtiæ creatæ spirituales completæ ad nullũ corpus informandũ ordinentur, posse ex suis principiis intrinsecis habere distinctionem specificam: hoc inquam non potest responderi, nam animæ rationales non sunt propter corpora, sed potiùs
II. corpora sunt propter animas: ergo animæ rationales non habebunt præcisè specificam distinctionem à suis corporibus, sed potiùs à principiis suis intrinsecis: ergo sicut omnes animæ rationales sunt eiusdem omninò speciei, ita etiam & quotquot sunt Angeli.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam; cuius disparitatis ratio hæc est, quòd animæ rationales ex propria sua & naturali conditione sint actus corporis organici, seu formæ naturâ suâ ordinatæ ad informandum corpus, vt cum eo componant vnum hominem, ens quoddam per se completum, qui homo, cùm naturâ suâ sit mortalis, vtpotè compositus ex contrariis, ne ipsum vniuersum vnius aut alterius interitu priuaretur totâ aliquâ specie, vel pluribus, debuit tota hominum multitudo esse vnius, & eiusdem speciei;
III. at vnusquisque Angelus est ex sua natura incorruptibilis, immortalis, vt patebit infrà, nec ad conseruationem sui indiget multiplicatione, aut aliquâ propagatione indiuiduorũ in sua specie infima, ideóque aliquis Angelorum rectè potest intelligi habere distinctionem specificam ab alio Angelo, licet vnus homo alteri comparatus eam non habeat.

Tertium est: tota distinctio, quæ est inter Angelos, nobis tantùm innotescit ex donis à Deo illis gratuitò concessis, & ex muneribus, ad quæ deputantur à Deo; atqui hæc omnia rectè saluantur, omnibus quotquot sunt Angelis in vna & eadem specie constitutis, vt iam animaduertimus in secundo nostro notabili.

Respondeo distinctionem Angelorum nobis quidem innotescere à posteriori ex illis
IV. donis, quæ Angeli gratuitò acceperunt à Deo, & ex muneribus, ad quæ sunt deputati: quæ distinctio munerum & donorum, licet absolutè & simpliciter loquendo possit consistere cum identitate specifica eiusdem naturæ in omnibus Angelis, vt animaduertimus nostro secundo notabili; quia tamen ex Patribus infrà citandis Deus contulit dona gratuita Angelis iuxta mensuram, & proportionem perfectionum naturalium, & videmus aliquã specificam distinctionem inter dona illa gratuita à Deo aliquibus Angelis concessa, ideò rectè inferimus dari aliquam specificam distinctionem inter quosdam Angelos: ratione verò quasi à priori idem probamus, argumento sumpto à fine, & pulchritudine mundi intelligibilis, qui non minus postulat hanc

A varietatem specificam entium, quibus constat, quàm hic noster mundus visibilis eam requirat. V.

ARTICVLVS III.

Vtrum plures Angeli possint esse eiusdem speciei infimæ.

PARTEM negantem sequuntur plures S. Thom. discipuli, vt Ferrariensis libro secundo *contra Gentes* cap. 93. Caiet. *ad librũ de ente & essentia* quæst. 9. & nonnulli alij ad 4. art. præsentis quæstionis S. Thom. imò si modus loquendi S. Thom. quarto isto articulo attendatur, videtur hæc eius opinio.

Melior tamen est sententia affirmans, cum qua concludimus *plures Angelos posse esse eius-*
B *dem speciei infimæ.* Hæc propositio est communis, sancti Bonauenturæ, Richardi, Durandi, Gabrielis, & plurium aliorum ad distinctionem octauam & nonam libri secundi sententiarum, immò & S. Thomæ, vt ipsemet Capreolus citatâ distinctione colligit ex eius opusculo decimo sexto cap. vltimo, vbi sanctus Thomas ait, *rudis esse ingenij dicere Deum de absoluta sua potentia non posse producere plures intellectus separatos in eadem specie.* Deinde eadẽ sententia colligitur ex eiusdem S. Thom. verbis expressis lib. 1. sententiarum dist. 34. q. 1. art. 1. vbi expressè docet in iis, in quibus datur distinctio inter naturam & subsistentiam, posse dari aliquam communem naturam, quæ per differentiam indiuidualem contrahatur ad plura singularia; vnde quia in Deo essentia & subsistentia nullâ distinctione reali etiam
C minori distinguuntur, ibi negat diuinam naturam esse vniuersalem, & posse contrahi ad aliqua singularia: atqui in ipsis creaturis, de quarum numero sunt omnes & singuli Angeli, datur minor realis distinctio inter eorum essentiam & subsistentiam ex eodem S. Thoma ibi, quia talis distinctio reperitur in omnibus substantiis creatis: igitur ex eiusdem sancti Thomæ doctrinâ datur in Angelis aliqua communis natura, quæ contrahatur ad plura indiuidua, sicque ex sancto Thoma non repugnat dari plures Angelos eiusdem speciei infimæ: & hanc nostram sententiam inter recentiores discipulos sancti Thomæ Bannes ipse hâc quæstione articulo quarto amplectitur, ideóque iuxta illos sanctus Thomas hîc & alibi, hoc tantùm sensu dicit esse impossibile dari plures Angelos eiusdẽ speciei infimæ, quòd,
D quæ non solent fieri, vel quæ non fiunt secundùm dispositionem rerum nobis notam, dicũtur esse impossibilia, quomodo dicimus esse impossibile solem crastino die non oriri, quatenus iuxta ea, quæ nobis innotescunt de Angelis, intellectus humanus non potest adinuenire aliquã rationem, quę nos cogat admittere dari de facto plures Angelos eiusdẽ speciei infimæ, quia quæcumq; nouimus de illis, possunt rectè intelligi sine multiplicatione indiuiduorum in eadem specie infima; non autem eo sensu, quo strictè loquendo dicimus illud esse impossibile, cuius prædicatum est absolutè & simpliciter repugnans subiecto, & ex consequenti implicare contradictionem illud posse fieri.

VI. VII. VIII.

Probatur autem hęc nostra propositio primò: quidquid præcisè & secundùm se sumptum est

I. vniuersale, potest habere plura inferiora, quibus insit, quia ex Porphyrio & omnibus Philosophis vniuersale est, *quod est aptum inesse multis:* atqui natura, quæ, verbi gratiâ, est in sancto Michaële, aut aliquo alio Angelo secundùm se spectata est vniuersalis, quia iuxta priorem sententiam singuli Angeli distinguũtur à se inuicem specie: ergo talis natura secundùm se spectata debet posse habere plura inferiora, sícque possunt plures Angeli esse eiusdem speciei infimæ.

Confirmatur hæc ratio primùm ex eo, quòd si plura indiuidua eiusdem naturæ Angelicæ secundùm speciem infimam non possent absolutè & simpliciter dari, sequeretur Deum volentem conseruare speciem infimam, in qua est talis numero Angelus, necessitari conseruare, vel reproducere hoc numero indiuiduum
II. Angeli, ad quod talis species est contracta, nec posse eum annihilare, & postea alium eiusdem speciei creare; at hoc videtur absurdum, quia hoc est nimium restringere omnipotentiam diuinam, cui absurdo non potest responderi id prouenire ex ipsa repugnantia terminorum, nam in sequentibus ostendetur id nullo modo repugnare.

Confirmatur deinde ex S. Aug. qui lib. 3. *de libero arbitrio* cap. 11. loquens de Angelis, qui per peccatum ceciderunt, ait omnipotentiam Dei non deficere difficultate *ad creandos alios Angelos, quos in eis sedibus collocaret, quas alij peccando deseruissent*; quò loci S. August. nomine *sedium*, quas Angeli *peccando deseruissent*, non intelligit sedes illas beatorum, seu fruitionem visionis beatificæ in hoc & illo gradu, sed tantùm intelligit dona quædam gra-
III. tuita, quibus etiam existentes in via præficiebantur directioni, & regimini huius vniuersi, quemadmodum patet ex toto ipso capite: ergo cùm ex communi doctrina Scholasticorum Deus dederit Angelis dona gratuita secundùm mensuram naturalium, sicut ex S. Aug. hîc relato potest creare alios Angelos, quibus conferat hæc eadem secundùm speciem infimam dona, poterit etiam ex eodem sancto Augustino creare alios Angelos in eadem infima specie, in qua sunt illi Angeli, qui de facto peccauerunt.

Neque huic nostræ rationi satisfacit, quod aliqui dicunt primùm duobus modis aliquid esse *vniuersale*; primò tam ex parte rei intellectæ, quàm ex parte modi intelligendi illam; deinde ex parte nostri modi intelligendi, scilicet quando noster intellectus appre-
IV. hendit aliquid secundùm communes conditiones, quas fingit posse inesse multis, cùm tamen de facto repugnet sic dari in rerum natura: iam ad rationem vniuersalis hunc secundum modum sufficere, nec priorem requiri, ideóque licet plures Angeli non possint dari de facto in eadem specie, quia tamen natura illa potest apprehendi secundùm communes quasdam rationes, illam semper remanere vniuersalem, & specificam. Nec item, quod secundò respondent, scilicet duplicem distingui speciem apud dialecticos, vnam *subiicibilem*, alteram *prædicabilem*, hanc postulare vt possit habere plura indiuidua, illam verò minimè, naturam vniuscuiusque Angeli esse speciem tantùm *subiicibilem*, ideóque semper remanere speciem,
A licet ei repugnet habere multa indiuidua, quibus insit. V.

Neutra inquam istarum responsionum satisfacit: non prima, quia ad rationem *vniuersalis* non sufficit sola fictio intellectus, vel apprehensio alicuius naturæ secundùm communes conditiones, sed insuper requiritur, vt talis apprehensio habeat aliquod fundamentum in re, quod aliud non est, quàm quòd talis natura, quæ sic apprehenditur, possit per sui diuisionem communicari pluribus saltem secundùm potentiam logicam: nam vniuersale definitur, non quod *apprehenditur*, sed quod *est aptum natum inesse multis*; & hæc duo scilicet *apprehendi ad modum talis* vel talis entis, seu per speciem talis, & talis entis, *& esse de facto tale ens* longè differunt: à priori res non denominatur talis, sed tantùm à posteriori, sæpè
B enim per species rerum creatarum apprehendimus perfectiones Dei, quas tamen non propterea dicimus esse creatas. Deinde si sola hæc apprehensio, & fictio intellectus sufficeret ad denominandum aliquid vniuersale, iam rectè possemus dicere diuinam naturam esse vniuersalem, seu communem communitate vniuersalitatis, quod tamen est contra S. Thom. hâc primâ parte quæst. 13. art. 9. & contra omnes Philosophos & Theologos. VI.

Neque item secunda responsio satisfacit: nã in ipsa specie infima subiicibili duo possunt distingui; primum est ipsum ens materiale, scilicet natura quædam communis, & abstracta à conditionibus indiuiduantibus, per quod distinguitur ab indiuiduo; alterum est ipsum ens formale, quo constituitur in tali esse, seu gene-
C re entis, scilicet ipsa eius subiicibilitas, per quã constituitur alia species à specie prædicabili: VII.
inter quæ duo illud est discriminis, quòd licet species subiicibilis non denominetur, nec sit formaliter vniuersalis per ipsum suum subiici generi, quia sic potiùs respicit superius, cùm vniuersale debeat respicere inferiora, nihilominus tamen ipsum materiale talis speciei subiicibilis, quatenus est tale materiale, scilicet natura quædam cõmunis & abstracta à conditionibus indiuiduantibus est essentialiter vniuersalis eo modo, quo aliæ communes naturæ sunt vniuersales; aliàs nulla esset distinctio inter speciem subiicibilem, & ipsum indiuiduũ, possétque indiuiduum rectè dici subiici immediatè generi, quod tamen negant communiter dialectici: ergo cùm natura vniuscuiusque Angeli secundùm se spectata sit iuxta priorẽ sententiam species subiicibilis, hæc vniuscuiusq;
D Angeli natura prout importat ipsum materiale talis speciei subiicibilis, habebit essentialiter, vt sit vniuersalis, & ex consequenti, vt ei non repugnet esse in pluribus indiuiduis. VIII.

ARTICVLVS IV.

Eadem veritas aliâ ratione probatur.

SECVNDÒ probatur eadem nostra propositio: ei tantùm naturæ repugnat posse esse in pluribus indiuiduis, de cuius essentia formaliter sumpta est ipsa singularitas, & ratio indiuidua; atqui ipsa singularitas seu ratio indiuidua non est de essentia naturæ Angelicæ, quæ, verbi gratiâ, est in S. Michaële, & sic de aliis singulis: igitur istis naturis Angelicis non repugnat esse in pluribus indiuiduis.

I. Maior probatur auctoritate sancti Thomæ tam hâc primâ parte quæst. 11. articulo tertio, quàm libro primo *contra Gentes* cap. 42. ratione 11. vbi probat Deum esse necessariò vnum, nec posse dari plures deos, ex eo, quòd ipsa eius ratio indiuidua seu singularitas pertineat essentialiter ad ipsam diuinitatem; quod explicat exemplo sumpto ab homine singulari. Si Socrates inquit per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, sic etiam non possent esse plures homines.

Confirmatur, simúlque probatur hæc vltima maior nostra propositio: esse vniuersale & esse singulare ita sibi inuicem opponuntur, vt aliquid esse singulare, seu indiuiduum, sit ita esse vltimò contractum, & determinatum, vt ei repugnet vlterius contrahi, & cum aliqua
II. sui diuisione participari ab aliquo sibi inferiori: nam ob hanc rationem singulare appellatur *indiuiduum*; esse verò vniuersale sit esse talis naturæ, & conditionis, vt sit aptitudine logicâ aptum vlteriùs contrahi, & cum aliqua sui diuisione participari ab aliquo sibi inferiori, vt patet ex ipsa eius definitione: ergo vbi aliqua natura erit huius conditionis, vt ipsa singularitas pertineat ad eius essentiam, repugnabit ei posse esse in pluribus, & è contrario ei naturę non repugnabit sic esse in pluribus, ad cuius essentiam ipsa singularitas non pertinet; quia vt affirmatio est causa affirmationis, ita & negatio negationis, & proinde ei tantùm naturæ repugnabit esse in pluribus indiuiduis, de cuius essentia formaliter sumpta est ipsa singularitas.

III. Minor verò eiusdem nostræ rationis probatur facilè ex communi doctrina Philosophorum, qui in Metaphys. docent ipsum indiuiduum seu singularitatem & rationem indiuiduam addere aliquid naturę specificæ, per quod contrahatur ad aliquod indiuiduum, illúdque superadditum non includi intrinsecè in ipsa ratione naturæ specificæ secundùm se consideratæ. Et quòd hoc habeat etiam locum in qualibet specifica natura Angelica, patet ex eo, quòd sola essentialia ponantur in definitione rei, quæ verò sunt ei extrinseca, minimè, cùm illa constet tantùm suo genere & differentiâ; atqui ipsa singularitas S. Gabriëlis, verbi gratiâ, non est genus illius, vt per se constat, nec eius item propria differentia, nam omnis ratio indiuiduans propriè dicta distinguitur à differentia propriè dicta eius naturæ, quam indiuiduat: cùm omnis dif-
IV. ferentia propriè dicta latiùs pateat, sítque aliquid superius comparatione singularitatis, quæ sibi subiicitur, & talis natura etiam in sua ratione specifica possit apprehendi sine tali ratione indiuiduante.

Neque est, quòd quis dicat eiusmodi singularitatem non esse quidem propriam differentiam Angeli, sed aliquid ab eo dimanans necessariò, quod totam capacitatem extensiuam talis naturæ Angelicæ specificæ expleat, & adæquet, ideóque vnicum tantùm posse dari indiuiduum talis speciei, & sic non esse totum quoddam potentiale, cuiusmodi est infima species prædicabilis.

Hoc inquam dici non potest: nam vbi aliquid dimanat necessariò à sua natura, tunc talis natura, cùm iam sit determinata saltem

A in sua radice non potest ampliùs apprehendi, & concipi, vt indifferens in aliquo priori etiā rationis, ad illud habendum, & non habendum, quia talis conceptus esset falsus; atqui quæuis specifica natura Angelica potest à nobis rectè apprehendi & concipi, vt in aliquo priori indifferens, & indeterminata, quia potest apprehendi à nobis sine hac & ista singularitate, item cum alia & alia singularitate, sicut subiectum aliquod sine hoc & illo communi accidente, & cum hoc & alio accidente: igitur talis numero singularitas non dimanat necessariò ex natura specifica Angeli. V.

Quòd item hæc singularitas non adæquet totam potentialitatem extensiuam specificæ naturæ Angelicæ, patet ex nunc dictis, omnis enim differentia infimæ speciei latiùs patet
B indiuiduali suâ differentiâ: tum quia est aliquod superius, tum etiam quia est id, quod contrahitur, & singularitas seu differentia indiuidualis est ipsum contrahens; at omne superius latiùs patet eo, quod contrahitur: ergo ipsa singularitas Angeli seu differentia eius indiuidualis non potest dici adæquare, & explere totam potentialitatem extensiuam alicuius naturæ specificæ Angelicæ. VI.

ARTICVLVS V.

Tertiâ ratione probatur eadem propositio.

TANDEM nostra propositio probatur ex eo, quòd nulla possit afferri contradictio, ratione cuius repugnet dari plures Angelos in eadem infima specie; non ex ipsa *in-*
C *finitate naturæ Angelicæ*, sicut in natura diuina, nam omnis Angelus, cùm sit creatura, est limitatæ naturæ; non item ex *propria eius differentia* vel *ratione indiuiduante*, vt nunc ostēdimus. Nec item ex eius *immaterialitate*: primò quia sanctus Thomas citato opusculo 16. disputans contra Auerroïstas asserentes vnum tantùm numero esse intellectum, id est, vnam numero substantiam immaterialem per se subsistentem, quâ tanquam formâ sibi assistente omnes homines intelligerent, sic enim nomen *intellectus* sumi ab Auerroïstis, contra quos ibi disputat, patet ex ipsomet sancto Thoma tam hâc primâ parte infrà quæst. 79. art. 5. quàm libro secundo *contra Gentes* cap. 76. & seq. quia repugnat talem intellectum multiplicari: hanc Auerroïstarum opinionem reprobat refellendo hoc eorum fundamentum,
D quia, inquit, etiamsi daretur talem intellectum non habere aliquam naturalem causam suæ multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis: quibus verbis satis clarè ostendit ipsam immaterialitatem non impedire multiplicationem indiuiduorum in eadem specifica natura spiritali. Deinde ex eodem S. Thoma hâc primâ parte quæst. 76. articulo secundo in solutione ad 1um, *est idem iudicium de multiplicatione rei, & esse ipsius*; vnde sicut anima habet suum esse independens à materia, ita etiam destructo omni corpore animæ remanent adhuc multiplicatæ in suo esse; atqui Angeli considerati secundùm suum esse sunt independentes ab omni materia propriè dicta, VII. VIII.

I. cùm sint purè simpliciter loquendo incorporei.

Nec est, quòd quis dicat, licet animæ rationales maneant de facto multiplicatæ post actualem separationem ab omni materia, nihilominus habere ordinem intrinsecum ad illas, sicque semper multiplicari per habitudinem ad materiam.

Hoc inquam dici non potest: nam quamuis anima habeat ordinem ad aliquam materiam, quia est forma corporis organici, attamen non habet intrinsecum ordinem ad determinatam numero materiam, cùm non minus sit connaturaliter in ea portione materiæ determinatæ, quam casu (est enim per accidens huic animæ, quòd eius corpus nutriatur potiùs hoc cibo, quàm alio) acquirit, quàm in alia: ergo quemadmodum anima est hæc &
II. singularis, non per intrinsecum ordinem ad hanc portionem materiæ, per nutritionem acquisitæ, sed ex se & propria sua intrinseca entitate; ita etiam non erit hæc, & singularis, seu indiuidua per ordinem intrinsecum ad determinatam aliquam materiam, quin potiùs cùm vnum sit proprietas entis, vt docent Metaphysici, sicut quælibet substantia spiritalis creata est hæc actualis entitas, & non alia, ita etiam ex sua propria & peculiari entitate erit singularis & indiuidua.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est: quòd sola materia, vel intrinsecus ordo ad illam est principium in-
III. diuiduationis & multiplicationis indiuiduorum ex Arist. lib. 12. Metaph. textu 49. vbi probat non esse plures mundos, in quorum singulis plures sint cæli, solo numero distincti à nostris, quia sic oporteret plures esse substantias spiritales, solo numero distinctas, à quibus mouerẽtur; quod tamen ait esse impossibile, eo quòd in rebus expertibus materiæ, distinctio numeralis non possit reperiri; atqui in Angelis nulla est materia, quia vt ostendimus sunt substantiæ simpliciter & absolutè incorporeæ, non tantùm quoad intrinsecam suam entitatem, cuiusmodi sunt nostræ animæ rationales, sed etiam quoad ordinem & habitudinem, quatenus Angeli nullum dicunt ordinem ad aliquam substantiam corpoream, sicut animæ rationales, quæ intrinsecè & formaliter sunt actus corporum organicorum:
IV. igitur Angeli nullo modo quoad indiuidua possunt multiplicari intra eandem speciem infimam.

Respondeo ex dictis patere maiorem eius propositionem esse falsam, vt etiam fusiùs docent Philosophi in Metaph. Nec auctoritas Aristotelis ibi relata obstat, nam primò potest responderi cum Scoto in secundum sententiarum distinctione tertiâ quæstione septimâ ad primum, cum Fonseca in caput sextũ libri quinti Metaphys. quæstione tertiâ sectione quartâ, & pluribus recentioribus, Aristotelem ibi fuisse deceptum.

Vel secundò si quis voluerit eum excusare, potest responderi eum loqui tantùm de multiplicatione, quæ fiat vel possit fieri per generationem; hæc enim fit ex subiecto præsuppo-
A sito, quod subiectum est materia prima; non V.
autem loqui de ea multiplicatione, quæ fiat, vel possit fieri per creationem, qualis est illa Angelorum in eadem specie, & ita quia Angeli sunt ingenerabiles, non sunt etiam hoc modo multiplicabiles in eadem specie infima.

Quod verò spectat ad auctoritatẽ S. Thom. concludentis non esse plures Angelos eiusdem speciei, ex eo, quòd Angeli non sint compositi ex materia & forma; primò potest responderi eum isto tantùm sensu dicere non posse esse plures Angelos in eadem specie, quòd id, quod communiter non fit, dicitur impossibile; non autem eo sensu, quo quod implicat, est, & dicitur impossibile, quia vt iam suprà animaduertimus alio loco, admittit id non repugnare, sicut etiam & nonnulli ex
B eius discipulis. VI.

Deinde, si quis faciat vim in eo, quòd S. Thom. pro ratione huius suæ opinionis afferat, quòd Angeli non sint compositi ex materia, quæ est principium indiuiduationis; respondetur communiorem Philosophorum & Theologorum sententiam id non admittere, imò nec ipsum S. Thom. cùm hâc primâ parte suprà quæst. 47. articulo primo reprehendat quosdam veteres Philosophos, quòd asserent res sortiri suam distinctionem à materia, & in primum librũ sententiarum distinctione 34. quæst. primâ articulo primo verbis expressis dicat naturam communem indiuiduari & determinari ad hoc singulare per materiam, vel per aliquid, quod loco materiæ sese habet in creaturis, vbi addendo hanc postremam particulam disiunctiuam, apertè significat se
C nolle materiam communi modo loquendi VII.
Philosophorum acceptam esse principium indiuiduationis in omnibus rebus, sed tantùm aliquid ei correspondens, cuiusmodi est potentia in rebus spiritalibus, quæ ex actu & potentia componuntur; immò nec etiam esse materiam in hac vltima significatione acceptam; nam ipsemet agnoscit Deum esse maximè indiuiduum, personas item diuinas indiuiduas esse, in quibus tamen nulla reperitur compositio ex actu & potentia, vt hâc primâ parte cit. quæst. 11. articulo secundo, & in quæstionibus disputatis *de potentia* quæstione secundâ articulo primo in solutione ad tertium & decimum.

Secundum est: omnis substantia, quæ necessariò constituitur per formalem differentiam sibi propriam, differt necessariò specie à
D quacumque alia substantia, quia formalis dif- VIII.
ferentia propria alicuius naturæ eam constituit in sua specie, & eam distinguit à cæteris: vnde quia mas & fæmina non constituuntur in esse maris, & fæminæ per formalem differentiam sibi propriam, sed tantùm per materialem, non dicuntur differre specie, vt etiam docet Aristoteles libro decimo Metaphys. textu vigesimo octauo: atqui quilibet Angelus est talis substantiæ, vt necessariò constituatur per formalem differentiam sibi propriam, quia est forma valde simplex, & est ipsemet Angelus: ergo omnis & quilibet Angelus differt necessariò specie à quocumque alio Angelo, nec proinde plures Angeli possunt dari eiusdem speciei infimæ.

Respondetur, maiorem huius fundamenti

esse

I. esse veram, si sensus illius sit iste, differentiam essentialem & constitutiuam speciei ita esse propriam substantiæ constitutæ, vt nulli alteri indiuiduo possit communicari, & tunc minorē eius hoc eodem sensu esse falsam, quia vnusquisque Angelus ita per suam formam & essentiam constituitur, vt tamen hæc eadem forma specie possit alteri indiuiduo communicari, & hoc solo sensu est ei propria, quatenus fortassis est vnicus tantùm Angelus de facto in tali specie, licet non repugnet dari plures.

Ad rationem verò istius minoris, quæ est Angelum esse formam valdè simplicem, & ideò ex sua essentiali ratione esse indiuiduam, respondetur istam simplicitatem non obstare, quin indiuiduetur per aliquid sibi superadditum, non quidem ab illa realiter, aut ex natu-
II. ra rei, sed ex sola ratione distinctum, quo scilicet natura constituitur in esse vltimatè completo, cùm per differentiam essentialem & specificam constituatur tantùm in quadam ratione non vltimatè contracta, seu singulari, sed communi tantùm, quemadmodum citato loco docent Philosophi, & patet in anima rationali, quæ licet sit quædam entitas spiritalis valdè simplex, non tamen desinit habere aliquid supra suam essentialem, & specificam rationem, quo indiuiduetur: imò & punctum est aliquid valdè simplex, cùm sit omninò indiuisibile, & nihilominus in illo rectè distinguitur specifica ratio puncti in communi, & indiuidualis seu singularis ratio talis puncti, ita etiam & in Angelo quantumuis simplicissimo ente rectè distinguitur essentialis, & specifica ratio Angeli in tali specie, & eius singu-
III. laris & indiuidualis ratio in esse talis numero Angeli.

Ad id verò, quod affertur ex Aristotele, marem scilicet & fœminam distingui tantùm *materialiter*, quia non constituuntur in tali esse per suam formalem differentiam: respondetur illud *differre materialiter*, eò loci idem esse, ac ex varia dispositione materiæ, non autem significare esse præcisè indiuidua distincta: nam indiuidualis distinctio latiùs patet ipsâ distinctione materiali hoc stricto modo sumptâ, cùm cadat etiam in res purè spiritales, quæ quando sunt plures in eadem specie, non dicuntur propriè distingui *formaliter*, quia ipsum formale dicit præcisam rationem essentialem, in qua res omnes eiusmodi conueniunt, sed tantùm hoc sensu dicuntur distingui *materialiter*, quatenus singulæ habent
IV. aliam & aliam entitatem numero; vnde dicuntur à nonnullis distingui *entitatiuè*.

Tertium est: omnis forma separata à materia habet in se totam perfectionem illius speciei, quam includit in se ipsa, quia sic est forma subsistens, quæ necessariò debet habere totam essentiam, & ea omnia, quæ deriuantur ab ipsa essentia: atqui quilibet Angelus est forma separata à materia, quia est substantia purè spiritalis, nullum habens ordinem ad corpus tanquam ad compartem, cum quo totum aliquod per se componat, vt patet ex dictis: ergo quilibet Angelus debet necessariò habere totam perfectionem suæ speciei, & proinde cùm omnis ratio indiuiduans consequatur speciem, quilibet Angelus debet in seipso vnico habere totam illam rationem in-
A diuiduantem, quæ tali suæ speciei potest competere; V.
sicque extra illum nullus poterit dari Angelus, qui sit eiusdem speciei cum illo.

Respondetur duplicem posse distingui perfectionem speciei, vnam *intensiuam*, *extensiuam* alteram, illam attendi penes omnia essentialia, & propria ipsius speciei, hanc penes multitudinem subiectorum, in quibus talis perfectio potest reperiri, iam omnem formam à materia separatam habere omnem perfectionem intensiuam suæ speciei, quatenus habet totam eius essentiam, seu omnia eius prædicata essentialia, non tamen habere omnem perfectionem eius *extensiuam*, quatenus licet illam totam habeat, non tamen habet totaliter, seu omnibus illis singulis modis, quibus potest haberi à pluribus indiuiduis, ad quæ potest vltimatè contrahi per differentiam in-
B diuidualem; & sic licet quilibet Angelus etiam existens vnicus in sua specie totam habeat VI.
intensiuam perfectionem essentialem suæ speciei, attamen non habet totam *extensiuam*, nec proinde ei repugnat habere plura indiuidua eiusdem secum speciei.

Ad id verò, quòd additur rationem indiuidualem consequi necessariò ipsam speciem, immò ab illa deriuari, & proinde Angelum, qui habet totam perfectionem suæ speciei debere consequenter habere necessariò omnem rationem indiuidualem tali speciei possibilē; respondetur primò falsum esse differentiam indiuidualem necessariò sequi essentiam, si essentia spectetur præcisè, quia sic ex se est indifferens, & indeterminata. Deinde differentia indiuidualis ad summum dici potest necessariò sequi essentiam tantùm existentem,
C quatenus essentia non potest reponi in rerum VII.
natura, & extra suas causas, nisi singularis & indiuidua, quia existentia est tantùm singularium, & omnis productio terminatur ad aliquid singulare. Tertiò etiam si aliqua differentia indiuidualis hoc sensu sequatur essentiam, non omnis tamen & quælibet differentia indiuidualis, per quam talis essentia potest contrahi, sequitur illam necessariò in quolibet subiecto, cui inexistit, sed manet semper apta adhuc inesse pluribus, & ipsa indiuidualis differentia resultat, seu intelligitur esse, & poni eo ipso, quo natura est hæc & vltimatè talis entitas, vt fusiùs docent Philosophi disputantes de principio indiuiduationis.

ARTICVLVS VII.

D *Vtrum de facto sint plures Angeli in eadem* VIII.
specie.

NEGANT sanctus Thomas & eius discipuli hâc quæst. art. 4. & 2. sent. dist. 8. & 9. his tamen non obstantibus,

Sit prima propositio. *Dantur de facto plures Angeli solo numero differentes in omnibus speciebus Angelorum.* Ita Alensis secundâ parte quæst. 20. membro vltimo art. 2. Scotus, Durandus 2. sententiarum dist. 3. & plures etiam ex recentioribus. Probatur primò ex Patribus articulo secundo citatis, qui distinctionem tantùm numericam constituerunt inter Angelos; item ex sancto Augustino *in Enchiridio* cap. 29. vbi ait ideò naturam humanam fuisse reparatam, quia tota naturæ humanæ species

I. perierat: ergo cùm Christus Dominus non redemerit Angelos, ne integræ aliquæ species Angelorum dicantur periisse, oportet dari de facto plures Angelos eiusdem speciei.

Confirmatur: quia ad perfectionem status beatifici videtur requiri, vt sint in illo aliqui ex quauis specie eorum, qui ad beatitudinem sunt creati: nam beatitudo debet esse status omnium bonorũ aggregatione perfectus; atqui omnes species Angelorum sunt creatæ ad beatitudinem: igitur ex quauis specie illorum aliqui sunt in beatitudine: hoc autem non esset, si omnes quotquot sunt Angeli distinguerentur inter se specie, quia multi de facto sunt damnati: igitur ne incidamus in hoc incommodum, dicendum est dari aliquos Angelos eiusdem speciei.

II. Nec satisfacit, quod dici potest homines assumi ad beatitudinem, vt ruinæ Angelorum reparentur; nam esto sedes sic repleantur, attamen regnum cæleste videtur hâc parte esse minus perfectum, quòd non habeat entia æquè perfecta in naturalibus.

Probatur secundò: in republica ordo debet esse talis, vt licet alij aliis sint superiores, attamen aliqui debeant esse sibi inuicem similes, quia societas, quæ requiritur in republica, fundatur in similitudine, & amor maximè reperitur inter similes, reuerentia verò inter dissimiles; atqui Angeli constituunt aliquam rempublicam: ergo præter distinctionem illam specificam, quæ datur inter aliquos, debet etiam tantùm dari inter nonnullos alios differentia indiuidualis.

III. Secunda propositio. *Non omnes Angeli eiusdem hierarchiæ sunt de facto eiusdem speciei inter se.* Probatur hæc propositio: distinctio non tantùm hierarchiarum Angelicarum, sed etiam ordinum in vna, & eadem hierarchia, desumitur inchoatiuè à natura Angelorum, licet in illis consummetur per gratiam, vt docet S. Thom. infrà quæst. 108. art. 8. atqui in vna & eadem hierarchia Angelorum dantur distincti ordines, vt suprà docuimus: ergo & distincti specie Angeli dantur in eadem hierarchia.

Postremò: dona gratuita & ministeria concessa Angelis intra eandem hierarchiam contentis, sub alio tamẽ & alio ordine sunt specie morali distincta inter se, vt patet explicatione illorum superiùs traditâ: ergo cùm hæc dona fuerint Angelis concessa iuxta proportionem naturalium, omnes etiam illi Angeli eiusdem quidem hierarchiæ, sed diuersi tamen ordinis, erunt distinctæ speciei inter se,

IV. prout considerantur secundùm naturalem suam conditionem.

Tertia propositio. *Licet intra eundem ordinem eiusdem hierarchiæ dentur de facto plures Angeli eiusdem speciei infimæ, non omnes tamen quotquot sunt Angeli eiusdem ordinis, sunt etiam eiusdem speciei infimæ.* Duæ sunt partes propositionis: prior probatur iis omnibus rationibus, quibus suprà ostendimus dari de facto plures Angelos eiusdem speciei; nam si hæc conuenientia quoad speciem infimam debet reperiri inter aliquos Angelos, maximè inter aliquos eorũ, qui intra eandem hierarchiam sunt etiam eiusdem inter se ordinis, quia vt alij non ita cum illis conueniunt in donis gratuitis & ministeriis sibi à Deo impositis, sic etiam non ita conueniunt cum illis in ipsa spe-

A cifica natura, ad cuius proportionem dona ista & ministeria sunt eis à Deo collocata. V.

Posterior item pars eiusdem propositionis probatur primò, quia sanctus Dionysius distinguit in eodem ordine Angelorum alios *infimos*, alios *medios*, alios *superiores*: ergo significat illos omnes non esse eiusdem speciei inter se, cùm talis dispositio fundetur in ipsa natura Angelorum.

Deinde: si omnes Angeli eiusdem ordinis intra eandem hierarchiam essent eiusdem speciei infimæ, tota multitudo Angelorum nouem tantùm constaret speciebus, cùm tres tantùm sint hierarchiæ, & in vnaquaque hierarchia tres tantùm ordines Angelorum; at plures dantur species Angelorum, quàm nouem, vt probant omnes illæ rationes, quas suprà attulimus pro excessu Angelorum supra

B multitudinem non tantùm hominum, sed etiã omniũ specierum, quę facilè possunt applicari ad probandum hanc partem nostræ propositionis, verbi gratiâ, quòd detur maior distantia inter Deum & infimum Angelum, quàm inter supremam substantiam corpoream, & infimam: ergo sicut de facto ad pulchritudinem vniuersi non tantùm nouem, sed infinitæ propemodum dantur eiusmodi species, quæ habent sub se multa indiuidua, ita etiam ad ornamentum mundi intelligibilis, quem omnes Angeli componunt, dabuntur plures species Angelorum, quàm nouem, & sic species Angelorum rectè intelligẽtur excedere, quoad multitudinem, omnes rerum materialium simul sumptarum species, quatenus licet quilibet ordo cuiusque hierarchiæ rectè distribuatur immediatè in tres gradus, scilicet *supremorum, mediorum, & infimorum*, vnusquisque VI.

C tamen gradus eiusmodi adhuc multiplices contineat species, sub quibus plura Angelorum indiuidua dentur de facto. VII.

Nec obstat, quòd omnes Angeli eiusdem ordinis deputentur ad idem officium, verbi gratiâ, totus vltimus ordo Angelorum ad custodiam hominum priuatorum; nam vt in politia ciuili sæpè contingit aliquos ita deputari ad eadem officia, vt tamen ex his officiis alia aliis sint nobiliora; ita similiter, licet omnes Angeli vltimi ordinis sint deputati ad custodiam priuatorum hominum, fieri potest, vt sicut vnus homo priuatus alium priuatum hominem potest excedere, ita etiam habeat & Angelum Angelo alterius priuati superiorem specie intra eundem ordinem, & sic de aliis.

Ex his omnibus sequitur posse abstrahi cõ-

D ceptum aliquem communem genericum, in quo omnes omnium hierarchiarum & ordinum Angeli conueniunt, quemadmodum cõmunis & genericus aliquis conceptus potest abstrahi ab omnibus animalibus, in quo singula animalia conueniunt. Deinde quemadmodum animal irrationale ita sub isto animali generalissimè sumpto est subalterna species, vt adhuc tamen habeat multas sub se species etiam subalternas, quæ iterũ diuidantur in alias sibi inferiores, subalternas tamen species aliorum animalium, & tandem in infimas, quæ sub se immediatè habent indiuidua; ita etiam singulæ hierarchiæ Angelorum, sic constituẽt species subalternas sub isto vniuersalissimo genere Angeli, vt tamen illæ adhuc habeant alias sub se species subalternas, quæ alias ad- VIII.

I. huc habeāt, & istę adhuc alias etiam subalternas, & ita vsque ad infimas species, & indiuidua, quæ reperiuntur in ipsis gradibus omnium infimis vniuscuiusque ordinis singularum hierarchiarum.

Articvlvs VIII.

Soluuntur fundamenta aduersariorum contra primam propositionem præcedentis articuli.

PRimvm est ex eo, quòd multiplicatio indiuiduorum in eadem specie fiat tantùm ad conseruationem eius speciei, cuius indiuidua sunt corruptibilia; sícque non primò & per se, sed tantùm per accidens intenditur, vt docet Aristoteles lib. 2. *de anima* cap. 4. at Angeli sunt incorruptibiles, & primò per se
II. intenti in creatione vniuersi, cùm sint entia perfectissima.

Confirmatur hæc ratio ex eo, quòd, vt etiam obseruat S. Thom. lib. 2. *contra gentes* cap. 39. Deus in hoc mundo visibili vnum tantùm in qualibet specie indiuiduum produxit, vbi eiusmodi indiuidua sunt incorruptibilia, verbi gratiâ, vnicum solem, vnam lunam, & sic de pluribus aliis, quia scilicet superuacaneum ęst plura eiusmodi procreare indiuidua.

Respondetur negando simpliciter maiorem acceptam *vniuersaliter*, & cum ista sua particula, *tantùm*; nam & talis multiplicatio fit etiam ad ornamentum vniuersi, & manifestationem diuinæ sapientiæ, bonitatis, & misericordiæ, dum Deus plures habet eiusdem naturæ specificæ ministros: ex quo tamen non benè infertur inde sequi omnes quotquot sũt
III. Angeli debere esse de facto eiusdem speciei, quia non quæcumque pluralitas ministrorum eiusdem speciei facit ad ornamentum vniuersi, & manifestationem attributorum Dei, sed ea maximè, quæ aliquam habet sibi admixtam multitudinem specierum, vt ex vtraque hac multitudine commixta & contemperata resultet aliqua varietas, quæ ipsum vniuersum collustret.

Nec obstat relata Aristotelis auctoritas, illa enim vt ibi patet ex antecedentibus & consequentibus procedit tantùm de speciebus rerum corruptibilium, quæ per generationẽ & emanationem vnius indiuidui ab alio conseruantur in perpetuũ, & vbi dantur plures causæ propter quas aliquid ponitur in rerum natura, vnâ illarum cessante, proptereà tamen non sequitur rem illam poni non debere, cùm
IV. adhuc causæ aliæ subsint, propter quas possit poni; & si multitudo hominum ad nullum alium finem esset intenta, quàm ad conseruationem vniuersi, oporteret pauciores esse homines, quàm sint de facto, cùm tota humana species possit in paucioribus conseruari, quàm nunc sint homines.

Ad id autem, quod obiicitur, scilicet multitudinem indiuiduorũ intendi tantùm per accidens, respondetur non tantùm ipsas species Angelorum, sed etiam Angelorum indiuidua esse intẽta per se à Deo, quatenus conferũt ad ornamentũ vniuersi, & prædictam manifestationẽ attributorũ diuinorũ, quemadmodum S. Thom. etiã ait hîc 1. p. q. 23. art. 7. homines prædestinatos fuisse per se intentos à Deo.

Ad confirmationem respondetur Deum in
A istis speciebus vnicum tantùm produxisse indiuiduum, quia ista non sunt per se intenta, sed propter integritatem vniuersi, & necessitatẽ influentiæ illorum ad generationẽ & conseruationem hominum inferiorum, ideóque cùm vnum indiuiduum istorum in sua specie, ad id fuerit sufficientissimum, Deus noluit plura eiusmodi indiuidua eiusdem speciei producere: at indiuidua Angelorum fuerunt intenta per se, & ad æternam gloriam, & prædictorum diuinorum attributorum manifestationem ordinata, ideóque intra eandem speciem multi creati sunt Angeli. V.

Secundum est: quòd ordo constans solũ multis speciebus inter se distinctis sit pulchrior ordine constãte etiam pluribus indiuiduis eiusdem speciei, quia, quò multitudo specierũ est maior, eò etiam maior est distinctio, & diuersi-
B tas, ex qua ritè disposita nascitur pulchritudo. VI.

Respondetur ordinem ita constantem multis speciebus, vt multæ illæ species constent etiam multis indiuiduis esse longè pulchriorem eo ordine, qui constat solâ multitudine specierum; sic enim magis apparet vniuscuiusque speciei pulchritudo, & omnium simul specierum complementum, cum aliqua sufficientia indiuiduorum ad perficiendam societatem inter ciues eiusdem reipublicæ.

AD QVÆSTIONEM LI.

CVm præcedenti quæstione ostenderimus Angelos esse planè incorporeos, nunc videndũ
C est quomodo sese habeant ad VII.
corpora, quid circa illa, & quid in illis possint, quò loci nomine *corporis*, intelligimus substantiam verè & propriè loquẽdo corpoream, quæ non tantùm talis exterius appareat, vel existimetur, sed quæ in se ipsa & entitatiuè seu substantialiter sit corporea.

DISPVTATIO I.

De ratione assumptionis corporis factæ per Angelum.

Articvlvs Primvs.

Quot modis possit intelligi Angelum corpus assumere.

D QVia *assumere* aliquid idem est, ac VIII.
ad se sumere, si spectemus vim & significationem terminorum, (vt expressè notat S. Thom. 3. part. quæst. 3. art. 1.) in assumptione corporis, quæ fit per Angelum, aliqua necessariò importatur vnio, seu coniunctio Angeli assumentis ad corpus illud, quod dicitur assumere, vt potest intelligi ex mysterio Incarnationis, in quo sola secunda persona Trinitatis, quia sola fuit hypostaticè vnita humanitati, dicitur assumpsisse humanitatem, licèt omnes tres diuinæ personę simul concurrerint ad faciendam vnitionem humanitatis cum Verbo diuino, vt eadem citata quæst. 3. omnes Scholastici docent communiter; ideóque talis assumptio corpo-

I. ris facta per Angelum debet formaliter consistere in aliqua eius vnione ad illud corpus, quod dicitur assumere.

Duplex autem potest intelligi vnio Angeli cum corpore: prima est *substantialis*, secunda *accidentalis*; *substantialis* ea est, quæ vel est in natura, scilicet, quando aliquid tanquam forma informans vnitur alicui tanquam materiæ, sicut anima rationalis vnitur suo corpori, vel talis substantialis vnio est in supposito, seu personalitate, cuiusmodi est vnio Verbi diuini cum humanitate Christi Domini.

Vnio *accidentalis* quantum ad Angelos est, quâ Angelus ita intimam propinquitatem habet ad corpus, quod dicitur assumere, vt aliquam specialem habeat cum illo coniunctionem, quæ tamen non est *substantialis*, cuiusmodi est coniunctio motoris cum corpore, II. quod mouet: quæ *accidentalis* coniunctio potest esse multiplex, pro multiplici speciali ratione, quam potest habere; nam præter hunc modum, qui est per assistentiam Angeli ad corpus tanquam motoris ad mobile, quomodo Matth. 4. cap. diabolus dicitur assumpsisse Christum Dominum, quando illum transtulit, & statuit supra pinaculum Templi, datur alius modus, quo scilicet Angelus existit realiter in corpore viuo, vt ipsum, cuius est corpus hoc, diuexet, & torqueat, quomodo diabolus est in energumenis, & à dæmone possessis; datur etiam alius, quo scilicet Angelus existit realiter, & substantialiter in eo corpore, eo fine, vt se per eiusmodi corpus tanquam per instrumentum repræsentet hominibus, vel aliquam suam proprietatem, aut conceptum.

III. ARTICVLVS II.

Vtrum assumptio corporis facta ab Angelo sit vnio substantialis.

PRIMA sit nostra propositio. *Assumptio corporis facta ab Angelo non est vnio substantialis tanquam veræ formæ informantis corpus.* Ita S. Thomas hîc, & vltimo art. præcedentis quæstionis, & omnes Scholastici communiter.

Probatur: est tantùm substantiæ incompletæ vniri alteri per modum formę informantis, vt simul cum illo faciat vnam substantiam completam, quia ex forma & materia fit vnum *per se*, vna substantia completa, vt docent omnes Philosophi; atqui Angelus est substantia quædam completa: ergo non potest vniri corpori tanquam forma illud informãs: ergo assumptio alicuius corporis facta per An-
IV. gelum non est eius vnio ad corpus illud informando.

Confirmatur: quidquid vnitur alteri tanquam forma, informat illud: atqui ne diuinâ quidem potentiâ Angelus potest informare aliquod corpus; est enim informatio formalis effectus alicuius formæ substãtialis, qui essentialiter postulat esse à propria sua causa formali tantùm: Angelus autem non est aliqua forma substantialis, sed totum aliquod ens perfectum.

Tandem posset addi per ipsam informationem, & actionem vnitiuam produci aliquem modum substantialem, iuxta plerosque Philosophos, quia actualis informatio non consistit in nuda coëxistétia formę ad ipsum corpus in eodem loco; Deus enim posset ponere ani- A mam Petri in corpore Pauli, absque eo tamen, quòd anima Petri informaret corpus Pauli: V. sed Angelus nihil potest producere substantiale, sed solum motum localem, vt Theologi communiter docent, & patebit infrà: igitur talis assumptio corporis facta per Angelum est vnio Angeli ad ipsum corpus, tanquam formæ informantis.

Secunda propositio. *Talis assumptio corporis non fit per vnionem hypostaticam.* Ita S. Thom. hîc & cõmuniter omnes contra Tertullianum lib. *de carne Christi*; itẽ contra Origenem, qui vt refert S. Hieron. *præfatione ad Malachiam*, & in primum cap. *Aggæi* Prophetæ existimauit Malachiam, Ioannem Baptistam, Aggæum & Iacob fuisse Angelos diuinâ dispensatione incarnatos, vt cum hominibus cõuersarentur, & ideò Iacob supplantasse Esaü, S. Ioannem B exultasse, cùm adhuc esset in vtero matris. VI.

Probatur hæc nostra propositio: quia hæc assumptio corporis fit ab Angelis solis suæ naturæ viribus, cùm etiam fiat à dæmonibus: at assumptio corporis per vnionem hypostaticam fit tantùm per opus quoddam miraculosum, & virtute supernaturali, vt docent omnes Patres agendo de mysterio Incarnationis, dum dicunt illud esse mirabile, & singulare, vt S. August. epistolâ *ad Volusianum*, quale non esset, si Angeli, qui frequentissimè assumunt corpora, vnirent sibi hypostaticè corpora, quæ assumunt.

Deinde, quidquid sit de absoluta potentia Dei, an scilicet per illam suppositum creatum possit sibi vnire substantiam aliam creatam, attamen naturaliter id præstare non potest, quia oportet ad id propriam subsistentiam se- C parare à sua substantia, si iam illi insit, vel si VII. nondum insit, impedire emanationem illius à propria sua substantia, eiúsque loco supponere subsistentiam assumentis, vt factum est in mysterio Incarnationis: atqui Angelus non potest suis naturæ viribus separare subsistentiam à propria sua substantia, quia illa nihil est aliud, quàm modus quidam substantialis, idem realiter cum illa; modum verò substantialem separare à sua substantia non potest aliqua creatura, nec etiam impedire eius emanationem, quia ad illam opus tantùm est concursu generali ipsius Dei, emanat enim naturaliter & necessariò: ergo sicut nulla creatura, etiam Angelica potest impedire generalem concursum Dei, ita nec Angelus potest impedire emanationem subsistentiæ à propria sua substantia.

D VIII.

ARTICVLVS III.

Vtrum assumptio corporis facta ab Angelo fiat per nudam assistentiam Angeli ad corpus tanquam motoris in mobili, aut torquentis, & vexantis illud.

PRIMA propositio. *Assumptio corporum per Angelos non fit per nudam assistentiam Angeli ad corpus, tanquam motoris ad mobile.* Propositio probatur, quia Daniel 14. cap. Angelus assumpsit hoc modo Habacuc, Matth. 4. Christum Dominũ; at ista omnia loquendo propriè dicunt potiùs motum aliquem impressum, quàm assumptionem corporis, vt verba Daniel cit. cap. & S. Matth. satis clarè exprimunt.

I. Confirmatur: quia mouere loquendo vniuersaliter, solum dicit motorem efficere impulsum, & mouere *localiter*, vt patet ex communi vsu loquendi, non includit ipsum mouentem sumere mobile ad se ipsum, quod tamen verbum hoc *assumere* significat, & Angeli non dicuntur propriè assumere cælos in eorum sententia, qui putant tantùm cælos moueri ab intelligentiis.

Secunda propositio. *Assumptio corporum per Angelos non fit per realem tantùm Angeli existentiam in corpore illius, quem torquet, & vexat.* Probatur ex communi modo loquendi, quo Energumeni dicũtur quidem possideri à dæmone, eorum tamen corpora non dicuntur assumi à dæmone. Deinde possessio corporis Energumeni fit à dæmone intentione nocendi, nec potest dæmon quomodocumque voluerit

II. vti corpore Energumeni, quia corpus Energumeni resistit ei ratione animę rationalis: at assumptio corporis ab Angelo, fit, vt vtatur tantùm corpore tanquam instrumento ad aliquid aliud, quàm simpliciter ad nocendum ei, cuius corpus assumitur, vt patebit ex mox dicendis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum assumptio corporis facta ab Angelo fiat per substantialem ipsius positionem in eo, vt tanquam instrumento vtatur.

SIT hæc propositio. *Assumptio corporis ab Angelo fit per realem & substantialem ipsius Angeli positionẽ in corpore, vt vtatur eo tanquam instrumento ad se repræsentandum, & manife-*

III. *standum, vel aliquam suam proprietatem, aut conceptum, aut aliquid aliud:* ita S. Thom. hîc art. 2. in solutione ad 1. & 2. & in quæst. disput. *de potentia* quæst. 6. art. 7. ad 1. & communiter alij Theologi.

Probatur primò, ex omnibus apparitionibus Angelorum, quæ in sacris Litteris referũtur, in quibus hæ omnes conditiones præsenti propositione explicatæ reperiuntur, nec potest alius modus vnionis proprius ipsi eiusmodi assumptioni distinctus assignari ab obsessione, possessione, motione, & aliis eiusmodi vnionibus accidentalibus Angelorum ad corpora, quas tamen omnes negant esse assumptiones propriè dictas.

Deinde probatur ex S. Dionysio lib. *de cælesti hierarchia* cap. 15. qui ibi agit de apparitionibus Angelorum, & modum illarum ex-

IV. plicat, iuxta totum id, quod constituimus in hac nostra propositione.

Probatur etiam hæc ratio assumptionis corporum ex eo, quòd rectè per illam exponatur, tam eius ratio generica, quàm propria illius differentia, quâ ab omnibus aliis coniunctionibus, quas Angelus potest habere cum corporibus, distinguitur; nam imprimis, quia assumptio importat aliquam vnionem, vt ex S. Thom notauimus, & hæc vnio Angeli cum assumpto corpore non potest esse substantialis, vt docuimus, habet, quòd sit accidentalis; sicque conuenit genericè cum variis coniunctionibus accidentalibus, quas Angelus potest habere cum aliquo corpore.

Deinde, vt hæc generica ratio contrahatur, fiátque genus proximum huius assumptionis

A corporũ, additur hæc particula in eius explicatione, *per realem & substantialem ipsius Angeli positionẽ in corpore*, quæ significat non sufficere ad illam, quòd Angelus sit iuxta corpus, illúdque moueat, sicut quando dæmon assumpsit Christum Dominum, & bonus Angelus Habacuc, aut quando Angeli mouent cælos, quorum tamen omnium corpora Angelos tunc assumpsisse nemo dixerit. V.

Tertiò, quia illę & aliæ id genus vniones sunt tantùm per propinquitatẽ Angeli ad mobile, & non per realem, & substantialem eius existentiam intra ipsum corpus, quod tunc Angelus mouet, ideò ad distinctionem huius assumptionis corporum factæ per Angelum à prædictis illis accidẽtalibus vnionibus, additur hæc particula, *per realem positionem Angeli in corpore*, quâ etiam particulâ hæc assumptio cor-

B porum distinguitur ab obsessione. VI.

Vltimò, quia hæc assumptio corporum est hoc sensu actio moralis, quòd fiat ex speciali quadam intentione assumentis, actiones autem morales specificantur & distinguuntur à suo fine, datúrque aliqua realis existentia Angeli in corpore humano, etiam tanquam motoris coniuncti alicui mobili, vt quando dæmon est in Energumeno, cuius tamen corpus licet possideat, non tamen propriè dicitur assumere; ideò vt explicetur proprius finis specificans, & distinguens assumptionem corporis factã per Angelum, à prædicta possessione, & aliis accidentalibus coniunctionibus Angeli, tanquam motoris ad aliquod corpus, vt mobile, additur hæc vltima nostræ propositionis particula, *quo vtitur tanquã instrumento ad sese, aut suum conceptum, vel aliquam suam proprie-*

C *tatem repræsentandum, vel aliquid aliud*, quæ VII. significat proximũ finem huius assumptionis corporum esse, vt ipse Angelus in tali corpore eo modo suam personam, vel functionem, vel aliquam proprietatem suam repræsentet hominibus, quo res intelligibiles possunt repræsentari per res sensibiles, vel vt cum illis loquatur, ita vt tunc totum compositum ex Angelo, & corpore assumpto sustineat, & referat personam Angeli: & actiones illæ, quas Angelus, vt in tali corpore existens, & eo vtens tanquam instrumẽto exercet, rectè possint attribui eiusmodi toti composito ex Angelo, & corpore assumpto, quatenus vtraque eius pars concurrit ad exercitium istarum actionum; Angelus quidem vt causa principalis, corpus verò assumptum tanquam instrumẽtum eius, sicut in nobis actiones ita sunt ab anima, vt ta-

D men sint ab illa, quatenus vtitur corpore tanquã instrumẽto; vnde non soli animæ, sed toti tribuuntur ab Arist. lib. 1. *de anima* textu 64. VIII.

Hinc quia Numerorum 22. asina Balaam dicitur loquuta & diuinitus aperuisse os eius, licet hęc loquutio fieret ad nutum Angeli assistentis ei, Angelus ille non dicitur assumpsisse corpus, vel linguam istius asinæ; econtrà, quia in pluribus aliis Scripturæ locis dicitur Angelus loqui, vel esse loquutus, item cõtrectatus, item sedisse, & alia id genus fecisse, quando sub forma visibili apparuit vt Genes. 19. & passim in veteri Testamento, vbi apparitiones Angelorum referuntur, item & in nouo, vt Lucæ 2. cap. quando Angeli apparent pastoribus, eísque annuntiant natiuitatem Christi Domini, item resurrectionem eius vt Matth.

I. 28. & Ioan. 20. tunc dicuntur assumpsisse corpora, vt sic apparerent & loquerentur.

Hinc in tali assumptione Angelus videtur imitari animam operantem in suo corpore, quatenus ita cum illo apparet esse vna persona, vt videatur in illo operari tanquam intrinsecum principium, sicut anima operatur suas actiones dependenter à corpore, dum illi est vnita, sicque vnio Angeli ad corpus assumptum aliquam habet similitudinem cum vnione animæ ad corpus, quatenus vt hæc duo vnita faciunt vnum suppositum, & vnum totale principium, ita etiam Angelus & corpus ab illo assumptum apparent esse vnum tantùm suppositum operans.

Ex his omnibus intelligitur frustrà requiri à nonnullis inter conditiones assumptionis, vt corpus assumptum sit formatum ab Angelo;
II. item quòd Angelus sit in tali corpore assumpto *definitiuè*, id est, ita sit in illo, vt etiam non sit alibi; item vt Angelus moueatur per accidens ad motum corporis assumpti: nam sine istis omnibus intelligimus assumptionem corporis factam ab Angelo, sine prima conditione, quia est per accidens ad assumptionem corporis, quòd corpus assumptum sit formatum ab Angelo, cùm possit assumere cadauer, vt omnes fatentur: & si Deus per infinitam suam potentiam faceret, vt Angelus sibi hypostaticè vniret animam rationalem, quod aliqui putant non implicare; attamen non esset necesse, quòd talis substantia spiritalis esset creata ab Angelo: item sine secunda conditione; nam rectè intelligimus Verbum diuinum verè assumpsisse corpus humanum per incarnationem, in quo tamen nullo modo moue-
III. batur: denique sine tertia conditione, quia potest Angelus mouere corpus assumptum intra sphæram suę actiuitatis, seu intra ambitum loci sui adæquati, sicut econtrà rectè intelligimus Verbum diuinum ita fuisse in humanitate assumpta, vt etiam esset extra illam.

DISPVTATIO II.

De corporibus assumptis ab Angelis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli assumant vera corpora.

SENSVS articuli est, an Angeli quando apparent homini-
IV. bus, assumāt vera corpora, id est, quæ propriè sint substantialia materialia, quæque realiter & verè percipiantur sensibus; an verò solùm imaginentur apparere, cùm tamē nullum corpus obiiciatur exterius, quod de facto possit videri, sicut solet contingere in somniis per aliquam immutationem factam in imaginatione, scilicet vel mouendo phantasmata, quæ resident in ipsa imaginatione, vel ita disponendo organum visus, vt homo existimet se videre, quæ tamen de facto non videt; quomodo apparitiones dicuntur tantùm esse imaginariæ.

Est autē notandum sensum huius quæstionis nō esse, an omnes & singulæ apparitiones Angelorum sint hoc modo reales; an verò omnes

A sint tantùm imaginariæ: nam constat apud omnes, vt etiam docet S. Greg. 28. *Moralium* cap. 2. & satis patet ex sacris Litteris, aliquas interdum esse tantùm imaginarias, cuiusmodi sunt, quæ dicuntur factæ in spiritu, vt sunt visiones Ezechieli, & S. Ioan. Euangelistæ factę, item quæ dicuntur fieri in somniis, vt illa apparitio Angeli admonentis S. Ioseph. ne derelinquat Beatiss. Virginem Deiparam vxorem suam, item vt proficiscatur in Ægyptum, item ipsis Magis de mutando suo itinere apud S. Matth. 1. & 2. cap. sed sensus præsentis quæstionis est tantùm iste, an saltem aliquādo Angeli, siue mali, siue boni appareant in veris & realibus corporibus, ita vt illa corpora, quibus Angeli sese nostris sensibus ingerant, sint verè materialia & substantialia. V.

Prima sententia, cuius meminit S. Thom.
B hâc quæst. art. 2. est, omnes Angelorum apparitiones esse imaginarias. VI.

Communis est tamen sententia, cum qua concludimus, *multas Angelorum apparitiones, fuisse factas exteriùs verè, & realiter in veris substantialibus, & etiam visibilibus corporibus.* Nostra propositio ita hoc tempore est certa, vt opposita censeatur esse vel hæretica, vel saltem hæresi proxima: nam S. Thom. in 2. sent. dist. 8. quæst. 1. art. 2. ait eius oppositum esse erroneum, Ægidius ibidem discordare multum à veritate sacræ Scripturæ; Gabriel ibidem ait nostram sententiam esse manifestam ex Scripturis vtriusque Testamenti.

Probatur nostra conclusio, quia in Scripturis multæ referuntur apparitiones Angelorū, quæ nō possunt satis explicari vel intelligi nisi de apparitione, quæ fuerit facta exteriùs in
C corpore visibili, vt Genes. 18. cap. apparitio trium Angelorum facta Abrahæ, quibus ipse pedes lauit, & exhibuit conuiuium, quique sunt visi à familia ipsius Abrahæ, & maximè ab eius vxore Sara, vt ibidem notatur. VII.

Nec obstat, quòd ibidem dicātur *viri*. Nam S. Paulus *ad Hebræos* 13. cap. significat illos fuisse Angelos, & Patres, vt S. Chrysost. hom. 2. *de Lazaro*, S. Ambr. lib. 1. *de Abraham* cap. 5. & alij communiter; & isti iidem Angeli postea visi sunt à Sodomitis, & ab ipso Loth inuitati hospitio, & excepti cap. 19. Genes.

Idem patet de apparitione sancti Raphaëlis facta iuniori Tobię, quē toto suo itinere comitatus est, & incolumem reddidit parētibus, à quib. etiā est visus, vt patet ex toto lib. Tobiæ.

Item ex apparitione illa diaboli, qui Christum Dominum tentauit in deserto, quem fuis-
D se in corporea forma visibilem, ipsum Euangelium indicat, dum refert diabolum multa Christo D. loquutum, petiisse ab eo, vt cadens in terram adoraret illum, ei ostendisse omnia regna mundi; hancque apparitionem fuisse visibilem notant ibi omnes interpretes. VIII.

Item ex Angelis, qui in forma iuuenum apparuerūt mulieribus in resurrectione Christi Domini, Matth. 28. & ex plerisque aliis similibus, quæ passim habentur in sacris Scripturis.

Neque potest responderi istas apparitiones dici *visibiles*, quia illi quibus fiebant, ita eas apprehendebant; in quo tamen fallebantur: nam licet dæmon possit alicui nostrûm imponere, non tamē Christo Domino, cui apparuit in forma visibili: nec item S. Gabriel beatiss. Virgini, hoc enim repugnat perfectioni, di-

I. gnitatiq; vtriusque, sicut & statui S.Raphaëlis vtrumque Tobiam decipere: ergo cùm omnes istæ apparitiones, tam ex singulis earum partibus diligenter descriptis in sacra Scriptura, quàm ex communi sententia Patrum illas explicātium, intelliguntur esse verè & propriè *visibiles*, dantur de facto aliquæ Angelorum apparitiones veræ, nec omnes quotquot dantur solùm imaginariæ sunt putandæ. A

Et hæc tota ratio potest ampliùs confirmari ex illa vulgari regula S. August. apud omnes recepta, sacram Scripturam tunc debere intelligi ad litteram, quando ex tali explicatione nullum sequitur incommodum, vel in fide, vel in moribus, neque aliquod absurdum: at nihil tale potest colligi explicando prædictas apparitiones de apparitionibus realiter factis exteriùs in veris corporibus; imò fuisse
II. valdè congruum apparitiones factas in veteri Testamento esse veras, docet S. August. libro 3. *de Trinitate* cap. 11. & 12. quia scilicet significabant coniunctionem Verbi cum humanitate futuram in nouo Testamento; tum etiam quia significabant familiaritatem, quam homines cum Angelis erant habituri per gratiam Christi Domini; & ex solutionibus argumentorum prioris sententiæ patebit apparitiones factas sic nihil absurditatis continere. B

Probatur item propositio ex Patribus, qui illam communiter docent, S. Athanasio serm. 4. *contra Arianos*, S. August. lib. 2. *de Trinitate* cap. 6. lib. 3. *de Trinitate* cap. 11. & 12. lib. 4. *de Trinitate* cap. vltimo, lib. 15. *de Ciuitate Dei* cap. 13. S. Gregor. homilia 24. in Euangelia, & ex omnibus ferè interpretibus sacræ Scripturæ, vbi citata pro nostra conclusione
III. testimonia Scripturæ explicant. C

Tandem probatur etiam ratione, quam habet S. Thom. hîc art. 2. quæ indifferenter ab omnibus percipiūtur oculis corporeis, debito modo applicatis, illa verè & propriè sunt corporea, licet enim in vno & altero sensus possit falli, non tamen indifferenter in omnibus & singulis, vbi sufficientem rationis aduertentiā adhibent, maximè quando experiuntur se habere liberum vsum sensuum exteriorū, quia, vt inquit S. Thom. lib. 3. *contra gentes* cap. 104. *formæ imaginatæ seu imaginariæ non apparent alicui quasi res veræ, nisi fiat alienatio ab exterioribus sensibus, non enim potest esse, quòd similitudinibus attendatur, tanquam rebus, nisi ligato naturali iudicio sensus*; atqui in sacris Litteris dantur quædam apparitiones Angelorum, quibus homines quilibet indifferenter, siue
IV. boni, siue mali cum plena aduertentia rationis, liberóque sensuum exteriorum exercitio percipiebant oculis corporeis benè dispositis, & obiecto suo debitè applicatis Angelos tanquam habentes vera & propriè dicta corpora: ergo dantur aliquæ veræ apparitiones Angelorum in corporibus assumptis propriè dictis. D

Maior confirmatur ampliùs ex Aristotele libro 2. *de anima* cap. 6. docente sensum non posse errare circa proprium suum obiectum, si, vt ad illum locum notant communiter interpretes, organum potentiæ sit rectè dispositum, medium per quod obiectum percipitur non sit vitiatum, & si obiectum sit in debita distantia; quæ omnes conditiones circa idem obiectum omnibus indifferenter pro-

positum non possunt in omnibus hominibus V.
deficere, maximè vbi sensus exteriores vigent cum aduertentia rationis, vt expresè notat S. Thomas à nobis relatus.

Minor verò probatur ex singulis particulis apparitionum Angelicarum superiùs relatarum, quæ gesta, verba, accessus, contactus, & recessus tanquam veros & reales, & corporum verè realium exprimunt, & tam manifestè euincunt eiusmodi apparitiones esse reales, vt S. August. lib. 15. *de ciuitate Dei* cap. 23. ita dicat, *apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non solùm videri, sed etiam tangi possent verissima Scriptura testatur.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ. VI.

PRIMVM est: auctoritas Patrum quorumdam, qui videntur ita censere, vt S. Epiphanius dum ita loquitur hæresi 26. *quomodo potest dæmon, qui spiritus est immundus, & incorporeus, corpora assumere*, quasi dicat, *non potest.* S. Damasc. lib. 2. *de fide orthodoxa* cap. 4. dum ait, omnes apparitiones Angelorum *fieri secundùm imaginationem*, S. Hieron. in cap. 2. *Habacuc*, dum ait *dæmones præsidere quidem exteriùs simulacris, at non posse esse intus*: ad quos Patres videntur accedere S. Bern. serm. 5. *in Cantica*, Guillelmus Parisiensis lib. *de vniuerso* 2. parte cap. 37. & 38. & 3. parte eiusdem 2. partis cap. 4. & inter hos recensetur etiam à nonnullis Albertus Magnus.

Respondetur S. Epiphanium ibi non agere de nuda assumptione corporum facta per An-
gelos, sed de ea tantùm, quæ talis sit, vt dæ- VII.
mon ipse per illam ad modum succubi verè & propriè generet filios; ibi enim agit contra gnosticos, qui credebant vnum ex dæmonibus procreasse liberos ex suscepto semine ab Elia Propheta, quod impugnat S. Epiph. ibi ex eo, quòd hæc actio talis est, vt ei, qui est spiritus, cuiusmodi est diabolus, non possit communicari à corpore, vt infrà ostendemus; vnde in recentiori editione S. Epiph. non habetur hoc verbum *assumere corpus*, sed hæc particula, *de corporibus participare quidpiam*, & item dæmoni, qui spiritus est, non posse à corporibus communicari aliquid, vt pariat, quæ postrema verba ostendunt sensum S. Epiph. ibi eum esse, quem nunc tradidimus.

Ad auctoritatem S. Damasc. respondetur pro eo, quod ibi legitur à nonnullis *secundùm*
imaginationē, ita legi debere, *secundùm apparē-* VIII.
tiam, vel *sicut apparet*, quemadmodū legit recentior editio; nam & hoc vocabulum *phantasia*, quo S. Damasc. ibi vtitur, id etiā significat, cùm deriuetur à verbo φαίνω, quod est *appareo*; vnde S. Damasc. vult tātùm dæmones apparere in corporibus, quod potest rectè intelligi sine aliqua delusione sensus; & hanc esse ibi istius particulæ significationē patet ex ipsomet textu, in eo enim agitur de potestate dæmonis, quæ sese etiam extendit ad assumptionem corporum, in quibus appareat hominibus.

Ad auctoritatem S. Hieron. respondetur eum tantùm negare dæmonem posse esse intra simulachra, per modum formæ, seu animæ informantis illa, & non negare posse esse intus per modum motoris; nam ibi explicat

I. illud Prophetæ de idolo & simulachro, & *omnis spiritus non est in visceribus eius*, atque ibi nomine *spiritus* intelligi, vel *ventum*, vel *animam*, vt ibi docet exemplis è sacra scriptura peritis, ideóque, quia simulachra sunt inanimata, nec aliquid est in illis, quod spiret, ait Prophetam loquentem de simulachro dicere, & *omnis spiritus est in visceribus eius*.

Ad auctoritatem S. Bernardi respondetur, eum non dubitasse de apparitione Angelorũ in corporibus, quin imò ibi ex professo docet Angelos visibiliter apparuisse hominibus, sed tantùm dubitare, an hæc corpora, in quibus apparent, sunt illis naturaliter vnita, an solummodò ab illis assumpta, quod propriè loquendo spectat ad præced. quæstionem.

Ad auctoritatem Guillelmi Parisiensis respondetur, eum ita quidem cẽsuisse, sed videri excusandum, cùm suo tempore hæc nostra II. conclusio non tam clara & aperta pateret, ac posterioribus sæculis.

Ad Albertum respondetur eum esse eiusdẽ nobiscum opinionis, eam enim docet expressè primâ parte suæ summæ Theologicæ tract. 18. quæst. 5. membro 1. & 2. vt etiam Carthusianus notauit in lib. 2. sent. dist. 8. quæst. 1.

Secundum fundamentum est auctoritas capitis *Episcopi* 26. quæst. 5. quo definitur mulieres, quę dicebant se transferri in longissimas regiones super bestias, & se portare onera grauissima, fuisse deceptas ex imaginatione, quod in simili casu anteà dixerat S. August. lib. 18. *de Ciuitate Dei* cap. 18. vbi multis docet hæc & illis similia fuisse tãtùm in imaginatione, non autẽ contigisse secundùm veritatem.

Respondetur sensum nostræ propositionis III. non esse omnes, & quascumque apparitiones Angelorum ita esse veras, & reales, vt nullæ sint imaginariæ tantùm, quemadmodum præmonuimus nostro notabili, & significamus in nostra propositione per additionem istius particulæ, *multa*, quæ denotat illam non procedere de omnibus: vnde respondemus citatum caput *Episcopi* nullo modo militare contra nos, quia tantùm agit de singulari facto quarundam magarum, quæ putabant se verè & de facto noctu equitare cum Diana paganorum dea, vel cum Herodiade, & se super quasdam bestias pertransire multarũ terrarum spatia, in quo tamen fallebantur, cùm hæc illis tantùm contingerent in imaginatione, ex dispositione phantasmatum per dæmonem facta earum phantasiæ, quemadmodum rectè ostendit caput illud ex eo, quòd nulla vnquã extiterit, IV. vel extet Diana, cui insit aliquid diuinitatis; vnde ait debere Parœcos prædicare populo hæc omnia falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata, id est, quibus istæ magæ apprehendunt se equitare cum Diana paganorum dea, vel Herodiade, & in longinquas regiones transferri super bestias; hæc enim particula, *talia phantasmata*, id tantùm ostendit, quod fuit verbis immediatè præcedentibus enarratũ, vt etiam docet ipsa dispositio textus *mentibus fidelium irrogari*: ergo caput istud tantùm agit de quodam singulari facto, ex quo proinde vt nec ex propositione particulari licet vniuersalem inferre, non potest colligi omnes, quotquot sunt Angelorum apparitiones esse tantùm imaginarias.

Neque huic responsioni obstat, quòd idem A caput extendat istam suam censuram ad alias V. etiam visiones in his verbis, *omnibus itaque publicè annuntiandum est, quòd qui talia, & his similia credit, fidem perdit*, hoc enim tantùm intelligitur de similibus visionibus, quibus scilicet aliquid diuinitatis credebatur inesse istis phantasmatibus, sicut prædictæ mulieres credebant Dianam illam imaginariam esse veram deam: item quibus asserebatur aliquam creaturam operâ dæmonum trãsformari in aliam: tum quia hæc particula, *talia & his similia*, habet significationem aliquam veluti correlati ad suum antecedens, & significat propositionem esse tantùm intelligendam de apparitionibus, quæ sunt eiusdem conditionis, ac eæ visiones, de quibus verbis antecedentibus mota fuit quæstio. Tum etiam quia conclusio istius capitis id totum satis apertè declarat, ita enim B habet: *quisquis ergo aliquid credit posse fieri*, scilicet ex nihilo, seu creari, vt indicant sequen- VI. tes particulæ, in quibus ita accipitur & ipsa gradatio, *aut aliquam creaturam in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem*, scilicet per veram & realem aliquam conuersionem, *nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior*: ex quibus omnibus patet ita hoc capite istud singulare factum eiusmodi mulierũ condemnari, vt nihilominus alia tantùm iis similia, vel quibus aliquid diuinitatis, vel omnipotentiæ tribuitur puris creaturis tanquam veris & præcipuis caussis, dicantur tantùm videri talia, & ex sola delusione dæmonum facta in imaginatione hominum contingere.

Tertium fundamentum est, quòd frustrà C admittantur eiusmodi apparitiones, cùm quę- VII. cumque dicuntur per illas fieri, apparere, vel declarari hominibus, possint tam benè præstari; imò faciliùs per imaginarias tãtùm apparitiones, quàm per veras, & videatur ibi esse quædam deceptio, quæ in bonos Angelos non potest cadere, quatenus si assumant corpora, verbi gratiâ, humana, apparent tanquam veri homines, & vt habẽtes humana corpora, quorum tamẽ vmbrã & repræsentationẽ habent.

Respondetur negando istas apparitiones frustrà admitti, quia licet quæcumque per illas fiunt, vel dicuntur, possint per eas, quæ solùm sunt imaginariæ, vel intellectuales, fieri, non tamen ita connaturaliter & conuenienter, vt S. Thom. docet in quæstionibus disputatis *de potentia* quæst. 6. art. 7. in corpore, & S. August. lib. 3. *de Trinitate* cap. 11. & D 12. docet apparitiones veteris Testamenti de- VIII. buisse esse visibiles, quia ordinabantur ad significandum Filium Dei esse assumpturum verum corpus; vnde sicut Filius Dei assumpsit verum, & non imaginarium corpus, apparitiones Angelorum tunc factæ debuerunt fieri in veris corporibus: deinde quia apparitiones Angelorum factæ in veris corporibus cedunt in dignitatem nostræ naturæ, quatenus denotant maiorem familiaritatem Angelorum cum hominibus: tum etiam per illas homines conuenientiùs suæ naturæ instruuntur ab Angelis de his, quæ volunt illos docere; quia verò dæmones, quantum possunt sese transfigurant in Angelos lucis, vt homines faciliùs decipiant, cum illis familiariter conuersando, apparent eis in veris propriè dictis corpori-

I. bus visibilibus assumptis à se, & in finem à se intentum magis accommodatis.

Ad illud verò, quod ibidem additur de deceptione, respondetur ex eodem S. Thom. art. proximè citato in solutione ad 9. in tali assumptione corporum facta à bono Angelo nullam interuenire deceptionem propriè loquendo ex parte illius, quia corpus illud assumptū est verum, reale, substantiale, coloratum, figuratum, habet condensationem, & proinde potest videri, tangi; sicque sensus non fallitur propriè: & licèt corpus illud non sit reuera talis speciei, verbi gratiâ, humanum, quale apparet; quia tamē bonus Angelus non assumit illud, vt ostendat se esse verum hominem, vel corpus istud esse tale in sua specie, sed tantùm vt manifestet aliquam ex suis proprietatibus, vel conceptū suum, vel sese repræsentet modo

II. explicato in 1. art. disput. præced. quod rectè fit per eiusmodi corpus, ideò bonus Angelus assumens tale corpus, nullo modo decipit eum, cui ita visibiliter apparet, sicut, quod est exemplum S. Thom. suprà, metaphoricæ illæ loquutiones, in quibus ex aliorum similitudinibus res aliæ significantur, non sunt falsæ.

ARTICVLVS III.

Vnde diiudicantur apparitiones esse tantùm imaginariæ, vel in reali corpore, item bonorum, & non malorum Angelorum.

QVANTVM ad primum, quo quæritur vnde apparitiones diiudicentur tantùm *imaginariæ*, vel *in vero aliquo corpore*.

III. Respondeo primò, quòd si quæstio procedat tantùm de apparitionibus, quæ recensentur in sacris Litteris, id esse diiudicandum ex illo speciali modo, quo ibi describuntur, vt rectè obseruat S. Thom. in quæst. disp. quæst. 6. art. 7. cit. nam quando apparitiones illæ sunt tantùm imaginariæ in ipsa earum descriptione hæc particula, vel alia ei similis, *in spiritu*, apponitur, quæ id significat, vt Ezech. 8. & alibi passim: quando verò apparitiones istæ fiunt in veris corporibus, apponuntur aliæ particulæ, & circumstantiæ, quæ indicant corpus illud, in quo Angelus apparet, esse verum & reale, vt patet ex iis omnibus, quæ protulimus ex Genesi, lib. Tob. & ca. vltimo S. Math.

Secundò, si hæc quæstio moueatur de aliis apparitionibus Angelorum, non descriptis in nouo, vel veteri Testamento, sed quæ tantùm alibi referuntur, respondetur posse diiudicari

IV. esse veras, si corpora in quibus apparent Angeli, videantur indifferenter ab omnibus, vt probat ratio S. Thomæ à nobis confirmata ex Aristotele: deinde ex regula eiusdē S. Thom. lib. 3. *contra gentes* cap. 104. scilicet si is, cui fit talis apparitio, experiatur se habere liberum exercitium exteriorum sensuum, & nihilominus corpus istud assumptum ab Angelo sibi apparere, tunc propter rationem ex S. Thom. ibi relatam, talis apparitio debet censeri vera, & realis: quòd si hæ duæ conditiones deficiant, poterunt æstimari solùm imaginariæ.

Confirmatur istud de vera & reali apparitione, ex eo, quòd tunc adhibito prudenti iudicio nulla appareat ratio, propter quam sensus exteriores tunc dicantur falli, quia Deus ex illa suaui prouidentia, quâ hoc vniuersum gubernat, solet adesse homini prudenter agenti, ne vel decipiatur à dæmone, vel etiam ne sensus eius exteriores maneant sine aliquo impediente eos, ne peccent circa proprium suum obiectū, si velint diligenter attendere. V.

Quantum ad alterum, in quo quæritur, vnde, & quomodo apparitiones visibiles bonorum Angelorum dignoscantur ab apparitionibus visibilibus spirituum malignorum, seu dæmonum.

Respondetur id esse valdè laboriosum, quia vt rectè ait S. Paulus 2. *ad Corinthios* 11. cap. *ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis:* possunt tamen aliquæ notæ assignari, quæ reperiuntur in corporibus assumptis à dæmone, vt quòd appareat sub aliqua forma belluina, & horrenda: item quòd in tali corpore assumpto aliquid inhonestum, & indecens appareat, vt si ostendat nuditatem: formæ enim VI. eiusmodi maximè conueniunt dæmonibus: nam dæmones intendunt horrorem incutere, deinde studiosè curant salacitatem, superbiam, & alias id genus imperfectiones, ad quæ omnia maximè faciūt animalia eiusmodi horrenda, & salacissima, sic apud S. Athanas. *in vita sancti Antonij*, assumunt corpora ad terrendos homines: cuius rei multa congerunt exempla Tirræus part. 2. *de locis infestis*, & Delrio lib. 2. *disquisitionum magicarum* cap. 28. sectione 3.

Deinde solent boni Angeli ex ipso habitu & apparenti specie indicare mysterium, ad quod peragendum venerunt, vt patet ex lib. Iosue, vbi Angelus allaturus opem Israëlitis apparuit stricto gladio, & professus est se principem exercitus Dei: item lib. 2. Machab. cap. 14. Angelus apparet in forma equitis candidâ VII. veste induti, auream hastam vibrantis, qui tanquam dux exercitus præcedit.

Possunt item mali Angeli dignosci à bonis, ex effectibus, qui consequuntur eorum apparitionem; si enim habeant aliquid in se admixtum inhonestatis, vel peccati, diiudicantur mali, qua de re fusiùs Tirræus suprà.

Atque ex iis potest facilè intelligi, quid sit sentiendum de præstigiis dæmonum, & quâ ratione opera magica realia possint discerni à solis præstigiis.

An autem Deus assumpserit aliquod corpus in quo apparuerit, quando passim dicitur in veteri Testamento apparuisse, an verò Angelus loco illius, spectat potiùs ad interpretes sacræ Scripturæ, quàm ad præsentem quæstionem Scholasticam. VIII.

ARTICVLVS IV.

Quanam corpora Angeli possint assumere, qualia illa sint, & ex qua materia.

NOTANDVM primò est, corpora, quæ dicuntur assumi ab Angelis, posse esse in duplici differentia; quædam præexistunt, & sunt in toto suo esse formata, & perfecta à natura, antequam assumantur ab Angelis, cuiusmodi sunt cadauera; alia non sunt formata à natura, sed efformantur ab Angelis, à quibus deinde assumuntur.

Notandum secundò, corpora formata à natura esse in duplici differentia; alia enim sunt animalium imperfectorum, vt sunt muscæ

I. rum, vermium, & id genus cætera, alia sunt animalium perfectorum, vt sunt corpora hominis, leonis, & alia eiusmodi.

Notandum tertiò, omnia ista corpora posse adhuc duobus modis considerari, primò vt acta & formaliter viua: deinde vt vel iam mortua, vel paulò antequam incipiant viuere, & quatenus sunt ferè vltimò disposita ad recipiendam animam, seu formam viuentem.

Notandum vltimò, de corporibus formatis per Angelos, & ab illis assumptis posse quæri non tantùm an sint verè & propriè dicta, quod ostendimus, sed etiam an secundùm rei veritatem sint talis speciei, qualis apparent exteriùs, id est, an sint carnea, organisata, & humana, quando Angeli apparent in forma hominis. His ita prænotatis, sit

II. Prima propositio. *Angeli propriè loquendo non possunt assumere aliquod corpus viuens:* ita significat S. Thom. tam hîc art. 2. quàm cit. quæst. 6. art. 7. in responsione ad 9. & potest probari ex requisitis ad veram assumptionem corporum, quòd scilicet ad illam requiratur, vt Angelus vniatur corpori, tanquam motor substantialiter existés intra mobile ad sese repræsentandum personaliter, ita vt operationes ei tanquam causæ principali tribuantur, & corpori assumpto tanquam instrumento, & prætereà sic, vt totum illud ex Angelo & corpore assumpto compositũ possit aliquâ ratione Angelus dici; atqui corpus viuens repræsentat potiùs certum & determinatum aliquod suæ speciei indiuiduum, quàm Angelum in illo existentem; item operationes isti indiuiduo potiùs tribuuntur vt agenti principali, quàm
III. Angelo existenti in illo, vt patet ex eo, quòd asina Balaam dicatur esse loquuta, non autem Angelus ministerio eius; item Energumeni licet à dæmone moti dicantur propriè loqui, & non ipse dæmon, si consideremus præcisam rationem loquutionis: igitur propriè loquendo Angeli non possunt assumere aliquod corpus viuum.

Addidi nostræ propositioni hanc particulã, *propriè loquendo;* nam fatemur dæmones, cùm sint quouis animali fortiores, posse quidem mouere viua corpora, eorum membris vti, etiam contra appetitum viuentium, vt patet in dæmoniacis; sed quia hæc fiunt alio fine, quàm eo, qui est proprius ipsius assumptionis corporum, cùm sint vel ad nocendum, vel ad aliquid simile, & non ad repræsentandum Angelum intus existentem, ideò non sunt propriè
IV. loquendo assumptiones corporum.

Secunda propositio. *Angeli possunt assumere vera & realia corpora mortua, tam animalium perfectorum, iam à natura formata, quàm imperfectorum, quæ erunt talia, saltem ex parte materiæ, qualia apparent.* Probatur propositio quoad singulas partes: quoad primã, quia potest dæmon suam substantiam constituere in cadauere hominis, vt de facto aliquando constituit, quemadmodum patet pluribus exemplis, quæ videri possunt apud Delrium lib. 2. *disquis. magicarum* quæst. 28. sect. 1. potéstque tale cadauer mouere localiter, ornare quibusdam coloribus superinductis, & se ibi manifestare; atqui eiusmodi cadauera ex parte materiæ sunt vera corpora, & animalium perfectorum, vt per se patet.

A Confirmatur: quia non desunt, qui explicent illud S. Raphaëlis ad Tobiam cap. 5. *ego sum Azarias filius Ananiæ,* hoc sensu verè dictũ fuisse tunc à S. Raphaële, quia tunc assumpserat corpus Asariæ; quod licet sit falsũ, quia eiusmodi assumptio dedecet bonũ Angelum, attamen ostendit id esse Angelo possibile. V.

Probatur item eadem propositio de corporibus animalium imperfectorum; nam Angeli applicando actiua passiuis possunt aliquâ ratione producere eiusmodi animalia imperfecta, vt docet S. Aug. lib. 3. *de Trinit.* cap. 7. & 8. item S. Thom. infrà quæst. 114. art. 4. quia possũt applicare causas naturales actiuas passiuis, quæ ad illorum productionem requiruntur, vt patet in Magis Pharaonis, qui operâ dæmonum fecerunt imperfecta eiusmodi animalia, vt loco nunc citato docet S. Aug. &
B eo instanti, quo forma debet educi è materia, potest tandem intra illam ponere suam substantiam, illam mouere, sese alteri ita manifestare, & tamẽ tunc ista corpora sunt vera, id est talia, qualia apparent: ergo Angeli possunt assumere vera & realia corpora iam formata à natura, tam perfectorum, quàm imperfectorum animalium. VI.

Tertia propositio. *Quandò Angeli assumunt corpora à se efformata, illa sunt quidem vera corpora, sed non talia, qualia apparent,* id est, *non sunt carnea, organisata, humana, sed tantùm ita apparent.* Prior pars propositionis probatur: vnumquodque est tale, qualia sunt ea, ex quibus componitur; at corpora efformata & assumpta ab Angelis sunt ex aëre admixtis vaporibus, vel exhalationibus, vel ex mixtione elementorum, vt patebit infrà, sed ista omnia
C sunt verè corpora, habéntq; locũ in categoria substantiæ: igitur corpora ab Angelis efformata, & assumpta sunt verè & propriè corpora. VII.

Posterior pars propositionis etiam probatur, quia corpus verè carneum, organisatum & humanum non potest formari, nisi vi, & efficaciâ seminis, & potentiæ generatricis, vt docent omnes Physici: at Angeli carent eiusmodi potentiâ, nec possunt actus vitales exercere, vt patebit infrà: igitur corpora efformata, & assumpta ab Angelis non possunt esse vera, seu talia qualia apparent.

Quarta propositio. *Corpora assumpta ab Angelis nec tamen à natura efformata, conficiuntur ex aëre condensato, admixtis quibusdam aliorũ elementorũ particulis.* Ita S. Thom. hîc art. 2. in resp. ad tertium, & omnes cõmuniter. Probatur: corpora ab Angelis efformata, & assum-
D pta debent confici ex ea materia, quæ potest facilè transmutari, quæ est ipsis Angelis obuia, & in promptu, item aptissima ad varios colores, & figuras suscipiendas, vt hominis, vel alicuius alterius animalis formam, & figuram imitetur, & quæ etiam facilè euanescat: patet ex eo quòd Angeli sint in componendis istis corporibus diligentissimi: item ex eo, quòd eiusmodi illorũ corpora quàm citissimè euanescunt, vt ex apparitionibus superiùs relatis patet: atqui hæ omnes conditiones nulli alteri materiæ magis conueniunt, quàm ipsi aëri habenti aliquot partes aliorum elementorum sibi admixtas: igitur corpora assumpta ab Angelis, nec tamen à natura efformata, cõficiuntur ex ipso aëre aliquas elementorum aliorum partes sibi admixtas habente. VIII.

I. Maior confirmatur ampliùs ex eo, quòd A ista omnia appareant in corporibus assumptis, ideóque eorum materia debet esse capax eiusmodi conditionum.

Minor verò probatur argumento sumpto à rebus Meteorologicis, quæ ex Aristotele lib. 2. *Meteororum* cap. 1. fiunt tanquam ex materia, ex vapore, & exhalatione, quæ vi solis extrahuntur, & commiscentur aëri: ergo sicut hæc Meteorologica fiunt ex condensatione, rarefactione, & commixtione aëris cum vaporibus, exhalationibus, & aliquibus terræ partibus; sic etiam corpora assumpta ab Angelis poterunt componi ex aëre habente aliquot partes alterius elementi sibi admixtas.

Explicatur: aër potest condensari, item partes aliquæ terrestres ita possunt illi admisceri, vt tale compositum aliquam habeat solidita-
II. tem, sicut videre est in aliquibus meteorolo- B gicis, quæ hoc modo composita aliquid habent soliditatis: deinde partes illæ aëris condensati habentis aliquid terrestre sibi admixtum, ita possunt inter sese disponi, vt ex illarum concursu, aliquis color appareat, sicut ex dispositione nubium ad solem apparent varij colores Iridis, qui tamen non sunt veri, vt docent Philosophi; & vt sculptores detractione partium materiæ, & pictores additione colorum exprimunt lineamenta, & figuram corporis eius, quem volunt repræsentare, ita etiam detractione, & additione aliquarum partium istius aëris aliquibus terrestribus partibus admixti, poterunt lineamenta & figura eius hominis, sub cuius forma Angelus vult sese repræsentare in corpore assumpto, exprimi, vt patet ex eo, quòd Angeli illi, qui appa-
III. ruerũt Abrahæ, talia habebant corpora, vt eo- C rum pedes tangerentur & lauarentur ab Abraham; item ex eo, quòd Angelus, qui apparuit Iacob, & cum eo luctatus est, ei restiterit, etiam ratione corporis à se assumpti: ergo corpus illud habet aliquam soliditatem, item & diuersa humani corporis lineamenta, cùm ob talem repræsentationem putentur esse homines, vt patet in sancto Raphaële, & pluribus aliis.

Confirmatur tota hæc ratio ex eo, quòd corpora, quæ assumuntur ab Angelis, sunt vera corpora, vt anteà docuimus: ergo composita ex aliqua vera materia, quia non creantur, cùm fiant virtute naturali Angelorum, vt ostendemus, quâ tamen virtute nulla creatura potest creare; sed non sunt composita ex cælesti materia, quasi aliquæ partes detrahan-
IV. tur ab aliquo cælo, ex quibus hæc corpora D componantur, quia sic cæli essent obnoxij alicui corruptioni & diuisioni, quod tamen negant communiter Philosophi: nec item hæc corpora ab Angelis assumpta sunt eiusdem planè speciei cum nostris, quia vt ostendimus non sunt animata, organisata: ergo constant aliquâ aliâ materiâ; sed nulla alia occurrit opportunior & aptior, & communior, quàm ipse aër admixtus modo supradicto, quia vbique locorum existit, facilè condensatur, facilè dissoluitur: ergo corpora ab Angelis assumpta fiunt ex ipso aëre habente terrestres aliquot partes sibi admixtas.

Addidi in propositione hanc particulam, *admixtis quibusdam aliorum elementorum particulis*, vt significarem ista corpora non posse fieri ex puro tantùm aëre, quemadmodum V. animaduertunt etiam S. Bonauentura, Richardus, & Gabriël ad citatam octauam distinctionem secundi sententiarum; quia purus aër sine alia admixtione non esset aptus ad tantam opacitatem, quanta requiritur, vt corpus appareat humanum, cùm ex se & naturâ suâ sit rarus, & æquabiliter perlucidus ad transpectum; vnde, vt notat S. Thom. infrà quæst. 68. artic. 3. non defuerunt, qui, quia aër non videtur ab omnibus, negauerint illum esse aliquid reale, sed solummodò quoddam vacuum.

Nec est, quòd quis dicat aërem posse maximè comprimi, & valde condensari, proindéque posse corpus aliquod tanquam solidum confici ex puro aëre: non est, inquam, quòd quis dicat hoc; nam licet aër possit maximè condensari, non ita tamen, vt non obsi- VI. stat, si plus comprimatur, quàm eius natura ferat; vnde cùm videamus corpora ab Angelis assumpta diutissimè perseuerare in suo esse, vt patet ex toto itinere Tobiæ iunioris longissimo, quem tamen S. Raphaël semper est comitatus in corpore assumpto eodem, & hæc corpora formentur virtute tantùm naturali, vt mox ostendemus, fit, vt conficiantur ex aëre quidem potissimùm, quemadmodum probat velocissima eorum confectio, & subita dissolutio, admixtis tamen aliquot terrestribus partibus.

ARTICVLVS V.

Soluuntur duo dubia.

QVÆRES primò, an boni & mali An- VII. geli assumant corpora, ex eadem, & simili materia.

Respondetur affirmatiuè, quia nulla est necessitas, vt sint distinctæ specie materiæ, cùm eadẽ specie corpora valeant ad obtinendos diuersos fines, & experientià constet malos Angelos satis frequenter assumere corpora pulchra, & eleganter formata, lucida, & maiestatis plena, vt docent Patrum historiæ.

Quæres secundò, an corpus assumptum ab Angelo sit vnum specie.

Respondetur loquendo propriè esse plurium, & diuersarum specierum, sicut partes ex quibus componitur. Nec obstat, quòd corpora physica, vt sunt humana, & brutorum, sint eiusdem speciei; hoc enim prouenit, quòd ita conueniant in eadem specie materia, & omnes eorum partes ita disponantur inter se, VIII. vt tamen ordinentur ad eandem formam, à qua eodem modo informantur in ratione partis alicuius animalis, & præterea quòd elementa, quæ sunt in eiusmodi corporibus sint tantùm virtute, non formaliter & secundùm eam entitatem, quâ sunt in propria ratione elementi; at corpus assumptum ab Angelo cõpactum ex aëre condensato, & admixtis quibusdam terræ partibus est eiusmodi, vt omnes eius partes non ordinentur ad eandem formam, sed vnaquæque pars talis compositi retinet propriè & formaliter formam suam naturalem, nec in tali composito aër, & terra sunt tantùm virtute, sed formaliter & secundum propriam suam entitatem, ideóque quemadmodum aër & terra sunt distinctæ spe-

I. ciei, ita etiam corpus ex illis compositum est diuersarum specierum, pro diuersitate specifica earum partium, quibus constat.

ARTICVLVS VI.

Quâ virtute, & à quibus efformentur corpora ab Angelis assumpta.

HIc non loquimur de corporibus à natura efformatis antequam assumantur, cuiusmodi sunt cadauera, quæ interdum dæmones assumũt, vel etiam corpus imperfectorum animalium, nondum vltimam dispositionem ad formæ suæ introductionem habentium, quæ tamen posse assumi à dæmonibus docuimus suprà; sed hîc tantùm loquimur de iis corporibus, quæ ex aëre condensato aliquot
II. terræ partibus, vel aliis similibus admixto componuntur, & quærimus, quam habeant proximam principalem causam efficientem, an solum Deum, an verò Angelum suâ tantùm virtute naturali, an verò diuinâ solùm operantem.

Alensis primâ parte quæst. 34. memb. 5. existimat vltimam formationem corporis ab Angelo assumpti esse à Deo, & solam eius præparationem esse ab Angelo. S. Thom. art. 2. in solutione ad secundum & tertium videtur existimare formationem istorum corporum esse quidem ab Angelis, sed diuinâ virtute operantibus. His tamen non obstantibus,

Sit hæc prima propositio. *Deus non est specialis causa principalis, & immediata efformationis eiusmodi corporum ab Angelis assumptorum, sed generalis tantùm causa, sicut & quorumlibet*
III. *effectuum naturalium.* Ita sanctus Bonauentura, Scotus, & alij communiter Scholastici, tam recentes, quàm antiqui ad cit. dist. 8. lib. 2. sententiarum, & ad præsentem quæst. sancti Thomæ.

Probatur: effectus illi, qui ita ex se & sua conditione sunt communes malis ac bonis Angelis, & tam præparantur in malum finem, quàm in bonum, non sunt tribuendi Deo tanquam speciali causæ principali & immediatæ, quia repugnat bonitati ipsius Dei, ita se solo, vt & tanquam specialis causa immediata, & modo ordinem naturæ excedente, cooperari malo: atqui corpus, quod assumitur ab Angelo, est talis effectus, vt ex se & propria sua conditione sit cõmunis bonis & malis Angelis; bonis vt prosint, malis vt noceãt; nam tam mali Angeli, quàm boni possunt assume-
IV. re corpora, vt patet Matth. 4. cap. vbi diabolus apparuit Christo Domino in corpore assumpto, & boni Angeli viris piis, vt patet ex citatis locis sacræ scripturæ.

Deinde effectus, qui communiter seu ordinariè fit & continetur intra limites virtutis naturalis puræ alicuius creaturæ, non habet solum Deum pro sua speciali principali & immediata causa toties, quoties fit, quia aliàs Deus frustrà dedisset creaturę humanæ naturalem vim agẽdi, & Deus non solet per semetipsum solum facere communiter & ordinariè, quæ causę secũdæ solis suis viribus possunt facere: atqui vt infrà patebit efformatio corporum ab Angelis assumptorum continetur intra limites naturalis virtutis Angelorum: igitur talis efformatio corporum ab Angelis as-

A sumptorum non habet solum Deum pro sua speciali & immediata causa. V.

Addidi in propositione hanc particulam, *sed causa tantùm generalis*, quia congruum est; imò supposita creatione rerum, earum conseruatione & virtute naturali ad operandum, est quoddam debitum fundatum in tacito quodam pacto, quòd Deus det generalem suum concursum causis secundis volentibus operari, iuxta virtutem sibi à natura insitam; nec in præsenti casu, est magis inconueniens Deum tanquam causam primam, & vniuersalem cooperari confectioni, & formationi eiusmodi corporum, quàm per modum causæ vniuersalis concurrere ad omnem illam entitatem positiuam, quæ reperitur in peccatis, ad quam tamen Deum concurrere omnes Theologi admittunt.

B Secunda propositio. *Angelus suâ virtute tantùm naturali agens est specialis causa principalis, immediata efformationis eiusmodi corporum ex aëre & partibus terrestribus confectorum, & ab Angelis assumptorum.* Ita S. Bonauentura suprà & communiter interpretes S. Thom. ad præsentem quæst. Probatur primò secundo argumento facto pro præcedenti propositione, hæc enim corpora sæpè efformantur, & assumuntur à dæmonibus in vsus obscænos, verbi gratiâ, quando diaboli induunt conditionem incubi, vel succubi, aut in alium turpem finem, qui intendi non potest à Deo; vnde cùm in nullam aliam causam priorem efficientem possint reuocari, quàm in Angelum, Angelus debet esse illorum causa efficiens. VI.

Et quòd Angelus possit ea efformare virtute naturali probatur: quæcumque formantur
C tantùm in suo esse per nudam coniunctionem artificiosam quarumdam rerum particularium, retinentium propriam & formalem suam entitatem, & per certam illarum inter se dispositionem, ea possunt fieri ab habente perfectam earum cognitionem, & potestatem mouendi illas ab vno loco ad alium, prout voluerit, vt videre est in ipsis artificibus fabrilibus, & aliis id genus hominibus, dum è ligno, auro, argento, & luto, mira opera, adiectione, detractione materiæ, imò & ex diuerso situ, & oppositione ad lumen solis, efficiunt: atqui hæc corpora, quæ assumuntur ab Angelis, hoc modo efformantur, vt docuimus, & singulæ partes componentes eiusmodi corpora retinent formaliter propriam suam formam, vt articulo 15. præcedenti quæsito 2. ostendimus; item Angelus, naturali suâ cogni- VII.
D tione cognoscit perfectissimè omnia & singula elementa, quæ sint naturales illorum virtutes, quo vsque sese extendant, & longè perfectiùs, quàm quilibet hominum, vt patebit infrà agendo de cognitione Angelorum, & indicat hoc illorum nomen *dæmon*, vt quæst. primâ articulo primo animaduertimus ex S. August. Tertiò Angelus quilibet habet naturaliter potestatem mouendi de loco in locum, aliquot partes elementorum, & rerum inanimatarum prout voluerit, quemadmodum docet S. August. libro tertio *de Trinitate* capite 8. & 9. igitur possunt Angeli efformare ista corpora, quæ assumunt. VIII.

Confirmatur tota hæc ratio ex eo, quòd iuxta S. August. nunc citatum & lib. 83. quæst. quæst. 79. S. Thomas infrà quæst. 110. art. 2.

I. in solutione ad tertium & omnes Theologos, dæmon potest, quidquid solo motu locali, soláque applicatione actiuorum ad passiua causatur, atqui tota ista efformatio corporum fit solo motu locali, quo scilicet plures partes aëris condensantur, item aliæ partes terræ eis adduntur, & hoc vel tali modo artificioso disponuntur, imò hæc corporum efformatio est longè facilior dæmoni, quàm sit productio animalium imperfectorum, per solam applicationem actiuorum ad passiua, quia ad hanc sequitur vita per veram formam substantialem informantem verum corpus carneum organisatum; at ad istorum corporum efformationem nihil horum sequitur, vt patet ex dictis, & nihilominus sanctus Augustinus locis nunc citatis agens de operibus factis per Magos Pharaonis, ait dæmonem tunc pro-
II. duxisse ista animalia imperfecta per solam applicationem actiuorum ad passiua, & hæc omnia, Deo ita permittente fuisse facta naturaliter à dæmonibus: igitur dæmones multò magis poterunt efformare solâ virtute naturali eiusmodi corpora, quæ assumunt.

Dices beatum Augustinum libro secundo *de Trinitate* capite septimo, dicere Angelos aptare sibi hæc corpora, *secundùm attributam sibi à creatore potentiam.*

Respondetur eum ibi per *potentiam attributam Angelis à creatore* tantùm intelligere permissionem diuinam, quæ Angelis est necessaria, vt efforment hæc corpora, & cuius defectu, euenit, vt quæ aliàs dæmones possunt facere virtute suâ naturali, non tamen faciant, & sic diuinam potentiam accipi à sancto Au-
III. gustino, dum agit de hac potestate tam bonorum, quàm malorum Angelorum, patet expressè citatis capitibus 8. & 9. lib. 31. *de Trinitate*, vbi ait ideò Magos Pharaonis, qui serpentes & ranas fecerunt, non potuisse facere minutissimas muscas, quas Scriptura sacra vocat *sciniphes*, quia non erat illis permissum à Deo, quas tamen positâ permissione Dei, potuissent applicatione actiuorum ad passiua producere, sicut ranas produxerant, ideóque Magos tunc exclamasse, *digitus Dei est hic.*

Quod autem spectat ad sanctum Thomam, quem diximus initio præsentis articuli videri existimare formationem istorum corporum esse quidem ab Angelis, sed diuinâ virtute operantibus.

Respondetur eum ibi per *virtutem diuinam* non intelligere supernaturalem, quia ipsemet
IV. secundo sententiarum dist. 8. quæst. vnicâ art. 3. expressè docet Angelos posse efformare hæc corpora per motum localem, congregando partes, sicque cùm agere hoc modo sit virtutis Angelicæ purè & simpliciter naturalis, sanctus Thomas non putauit hæc corpora formari ab Angelis, virtute tantùm supernaturali, maximè cùm hæc potestas efformandi corpora sit etiam communis dæmonibus, vt patet ex eorum apparitionibus, nec sit verisimile Deum conferre virtutem supernaturalem dæmonibus, vt efforment eiusmodi corpora in malum finem, & vsum, sicut solent: sed hæc particula sancti Thomæ *diuinâ virtute*, debet ibi accipi in ampliori significatione, quatenus illud, quod excedit vires humanas, & virtutem agentis corporei, censetur communi mo-
A do loquendi fieri *diuinâ virtute.* V.

Secundò respondetur eum ibi non dicere purè, & simpliciter Angelos efformare ista corpora *virtute diuinâ*, sed cum hoc addito in solutione ad secundum, *vt congruant repræsentationi*, & cum isto in solutione ad tertium, *quantum necesse est ad corporis assumendi efformationem*, quo denotet aliquando euenire, vt hæc efformatio corporum superet virtutem naturalem agendi Angelorum, proindéque tunc requiri diuinam seu supernaturalem potentiã, quâ Angeli confortati talem perficiant corporum efformationem. Sic docent aliqui ad cap. 33. Exodi, corpus illud, in quo assumpto Angelus Deum repræsentans apparuit Moysi, eique postulanti videre faciem Dei, seu Angeli, Deum in tali specie referentis dixit, *non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet,*
B fuisse à solo Deo immediatè formatum, & tan- VI.
tùm ab Angelo Deum in illo repræsentante assumptum, quia nullus Angelorum solâ suâ naturali virtute potest efformare aliquod corpus, tam perfectè luminosum, vt solâ clarâ & apertâ suâ visione interficiat videntem, & respicientem illud, sicut hoc corpus assumptum ab Angelo Deum tunc repræsentante, poterat facere, quemadmodum relatus textus scripturæ significat. Sic dicunt alij interdum contingere assumptionem istorũ corporum ordinari à Deo ad tam perfectum mysteriũ gratię peragendum, vt illi exprimendo per corpus assumptum, sicut debet, Angelus naturali suæ virtuti relictus non sit sufficiens; ideóque requiri in illo aliquam supernaturalẽ virtutem, quâ munitus possit corpus ad id repræsentandũ conueniens efformare ex aëre, & aliis terræ parti-
C bus sibi admixtis, vt in annuntiatione diuinæ VII.
incarnationis facta per sanctum Gabriëlem in corpore assumpto, & propter apparitiones eiusmodi S. Thom. adhibuisse istam particulam *diuinâ virtute*, vt illius additione cũ particulis superiùs relatis importantibus aliquam restrictionem tacitè occurreret istis & similibus obiectionibus: quo etiam modo sententia Alensis potest explicari.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Angeli ita efformare possint corpora, vt habeant veram mollitiem, & duritiem humani corporis.

SENSVS difficultatis est, an Angeli suâ virtute naturali, ita possint efformare corpo-
D ra, vt habeant veram mollitiem, & duritiem, VIII.
quam habent corpora humana, quæque adhibitâ etiam diligenti consideratione non possit per tactum discerni ab ea mollitie & duritie, quæ est in corpore humano verè & propriè dicto. Quo posito,

Sit hæc nostra propositio. *Angeli efformando ista corpora possunt quidem ita imitari mollitiem & duritiem, quæ est in corpore verè humano, vt corpus ab illis efformatum & assumptum appareat durum, vel molle hominibus de tali assumptione corporum nihil suspicantibus, non possunt tamen dare istis corporibus talem mollitiem & duritiem, quæ sit eiusdem rationis cum ea, quæ est in corpore verè humano, & quæ subortâ ratione dubitandi non possit discerni esse tantùm apparens per contactum peculiari reflexione & attentione intellectus*

I. A *applicatum eiusmodi corporibus*. Tota propositio est Caietani 2.2.q.95.art.3. vbi id probat ex ipsa confessione dæmonis, ea de re interrogati, est etiam Cardani lib. 16. *de varietate rerum* cap. 93. qui ait se id fuisse expertum, item Pererij lib. 8. *in Genes.* ad 2. v.6. capite, item Suarij lib. 4. *de Angelis* cap. 35. & plurium aliorum ad hanc quæstionem sancti Thomæ.

Prior pars patet ex eo, quòd dæmon potest detinere partes corporis ex aëre per condensationem, & admixtioné partium terrestrium confecti, ne facilè cedant, & diuidantur, & ita continendo illas eodem modo, & in eodem loco, corpus ex illis confectum apparebit durũ, & solidum, & econtrà dæmon potest partes illas ita continere, vt tamen sinat aliquas illarũ paulatim cedere, quatenus non ita resistit, ac anteà, ac proinde facere, vt corpus quod as-
II. B sumpsit, appareat homini illud, sine magna rationis aduertentia & reflexione, tangenti, esse molle; sic Abraham, quando in Genesi excepit hospitio tres Angelos, quia putabat illos esse homines lauando & contrectando pedes eorum, non diiudicabat, quòd non essent veri pedes humani, sic etiam vterque Tobias tangendo S. Raphaëlem.

Posterior pars probatur efficaciter ex verbis illis Christi Domini Lucæ 24. *palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*, quò loci notandũ est Apostolos in ista apparitione Christi Domini putasse se videre spiritum in assumpto corpore, vt indicant hæc verba Euangelistæ, *existimabãt se spiritum videre*, hæc enim particula, *spiritum*, ibi supponit pro substantia spiritali, & Angelica; & cùm substantia spiritalis seu spiritus non possit in
III. C se ipso cerni oculis corporeis, hęc sequens particula *videre*, denotat talem spiritum fuisse existimatum ab Apostolis esse in corpore phantastico apparenti, seu assumpto, Christum auté Dominum voluisse amouere hanc opinionem, & ostendere se habere verum corpus humanum illud opponens spiritui, dicẽdo hunc non habere carnem & ossa, istud habere; quod vt Apostoli dignoscerent, sumpsisse pro medio ad id probandum, palpationem, seu contactum, non quemcumque, sed eum, qui fit magnâ attentione animi, & inquisitione veritatis, ad discernendum verum corpus ab imaginario in istis verbis, *palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, id est tactu diligenti, magna cum attentione facto, explorate, perspicite me habere corpus verè & propriè humanum,
IV. D quia *spiritus*, id est Angelus etiam in assumpto corpore, (nam ibi sumitur, prout apprehendebatur ab Apostolis) *carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere*, id est sicut ipso sensu tactus diligenti inquisitione ad discernendum applicato, cognoscitis me habere, quo etiam modo Ioannis 2. cap. Christus Dominus dixit S. Thomæ dubitanti de sua resurrectione in eo corpore vero, in quo passus fuerat pro nobis, *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.*

Atque huius certitudinis per tactum ita applicatum hæc est ratio, quòd visus & auditus indigeant aliquâ dispositione medij, & debitâ distantiâ, vt benè percipiant sua obiecta, & de illis suo modo iudicent: ideóque cùm sæpè cõtingat defectus, vel in ipsa dispositione medij,
V. vel in distantia obiecti ad potentiã, fit, vt sensus isti facile errent, tactus verò fit sine vlla dispositione medij interiecti, imò sine vllo medio, vt etiam significat nomen eius, ex Aristotele lib. 2. *de anima* textu 17. propterea applicatus cum diligenti attentione non errat circa suum obiectum: hinc cùm sensus tactus sit perfectior in homine, quàm in quouis alio animali, vt post Aristotelem lib. 2. *de anima* textu 94. S. Thom. docet infrà quæst. 93. art. 3 in solutione ad primum, & natura prouiderit, vt si sensus aliquis erret circa proprium obiectum, possit per alium corrigi, ne ei deficiat in necessarijs, si quis benè sensatus attrectet corpus aliquod ab Angelis efformatum & assumptum, cum diligenti perquisitione, an sit verè carneum, humanũ, necne, statim certò & infallibiliter deprehendet illud non esse verè humanum, quia
VI. vel nimis est frigidum, aut nimis calidum, vel in aliquo alio peccat, vt etiam dæmon fatetur apud Caietanum suprà, & Cardanus relatus suprà est expertus.

Ex hoc vtroque Christi Domini testimonio ita explicato hæc ratio potest formari pro secunda parte nostræ propositionis: vbi Christus Dominus asserit aliquid verè, & propriè esse corpus carneum, & humanum, & prout est tale, discerni à corpore phantastico per contactum hominis diligenti & curiosâ inquisitione applicatum tali corpori phantastico, ibi significat Angelos solis suæ naturæ viribus non posse efformare aliquod corpus phantasticum, seu apparens, quod sit ita palpabile, ac est corpus verè & propriè carneũ & humanum; atqui Christus Dominus locis citatis S. Lucæ 24. S. Ioan. 20. asserit suum corpus post resurrectio-
VII. nem verè & propriè esse carneum, & humanum corpus, phantasticum minimè, & hoc discerni per tactum hominis diligenti & curiosâ inquisitione applicatum tali corpori: igitur Christus Dominus locis illis scripturæ citatis significat Angelos, solis suæ naturæ viribus, nõ posse efformare aliquod corpus apparens ita palpabile, ac est corpus verè carneũ & humanum, & quod proinde talem habeat mollitiem & duritiem, quæ sunt qualitates palpabiles, vt docent omnes Philosophi, qualem habet corpus verè carneum & humanum.

Maior probatur: quia aliàs tunc Christus Dominus falsum diceret, afferret non causam discernendi verum corpus ab apparenti pro vera & legitima causa, & ineptè eos, quibus ita loquitur, remitteret ad tactum cum dicta diligentia factum, nec item ibi nouam suæ resurre-
VIII. ctionis confirmationem daret; possent enim respondere, hanc corporis efformationem non excedere naturalem virtutem dæmonis.

Minor item satis probatur ex annotatis suprà ad citata scripturæ testimonia, vbi notandæ sunt illæ particulæ, *palpate, videte*, quarum vltima est *causalis*, seu *rationalis*, importans palpationem, seu tactum tali modo factum causare in homine sic palpante cognitionem distinctionis corporis verè carnei & humani, à corpore tantùm phantastico.

Probatur etiam hæc posterior pars ratione: vt aliquid producat per se ipsum molle, & durum, tale quale est in homine, debet esse subiectum capax caloris & frigoris, quæ sunt causæ mollitiei, & duritiei, & prętereà debet hanc vtramque secundam qualitatem introducere

I. in materiam capacem qualitatum carnis & ossium; atqui Angelus secundùm se ipsum consideratus, non est subiectum capax caloris & frigoris, nec item corpus ab illo formatum ex aëre, & aliquot terræ vel aliorum elementorum partibus secundùm suam propriam entitatem in tali composito remanentibus: ergo Angelus non potest per se ipsum producere tale molle & durum, quale est in homine, nec proinde veram mollitiem, & veram duritiem, qualem habent corpora humana.

Maior probatur: quia quod agit per se ipsum, agit per virtutem sibi inexistentem, vel inhærentem, & quidquid naturaliter producitur in subiecto, producitur in subiecto disposito; nam actus actiuorum sunt in patiente disposito ex Aristotele *libro de causis*, & communi doctrina Philosophorum: ergo cùm causæ proximæ & immediatæ duritiei & mollitiei sint
II. calor & frigus, duæ illæ primæ qualitates debent posse esse, non tantùm in re emollienda & obduranda, sed etiam in emolliente & obdurante; & quia mollities & durities, quæ sunt propriè hominis per se, & suâ naturali conditione ordinantur ad carnem & ossa humana, materia in quam hæ duæ qualitates vt sic introducuntur, debet esse capax qualitatum carnis & ossium.

Minor verò probatur quoad priorem partem, quia accidentia corporea, cuiusmodi sunt calor & frigus, non recipiuntur saltem naturaliter in subiecto spiritali, & incorporeo, quale est Angelus. Probatur item quoad partem posteriorem, quia illud est tantùm capax proximarum qualitatum ad aliquam formam, quod est capax talis formæ, cùm ad hanc intro-
III. ducendam istæ ponantur: atqui aër & terra propriè & formaliter vt sic quomodo remanent in corpore phantastico, non sunt subiectum capax formæ ossium, & carnis, vt omnes norunt tam Philosophi, quàm Medici, igitur neque proximarum qualitatum carnis & ossium.

Dices: licet Angelus non possit hoc modo producere primas, vel etiam secundas qualitates, nec ex consequenti duritiem, & mollitiem, quæ ad illas sequuntur, posse tamen, per motum localem, & applicatione actiuorum ad passiua, facere, vt effectus ille perueniat ad eam mollitiem, & duritiem, quæ reperitur in corpore verè humano.

Verùm id refellitur, primò, quia hæc corpora, quæ producuntur ab Angelis, applicatione
IV. actiuorum ad passiua, propriè loquendo formantur à natura, vt supra animaduertimus, súntque vera realia corpora, qualia apparent exteriùs, etiam secundùm suam speciem, vt suprà diximus de ranis productis per Magos Pharaonis: hîc autem loquimur tantùm de corporibus illis phantasticis, seu apparentibus, quæ diximus Angelos posse conficere ex aëre, & aliquot terræ partibus simul mixtis, intra suam propriam specificam rationem remanentibus, & hæc corpora non posse habere talem duritiem, & mollitiem, qualem habet corpus verè humanum, vt probat nostra ratio.

Deinde, esto admittamus Angelos posse ita disponere omnes partes aëris & terræ componentes hoc corpus, vt suppositæ influxui astrorum recipiant aliquem calorem, & frigus, & ex

A consequenti aliquam duritiem & mollitiem, sicut experimur plerumque aliqua emolliri, vel indurescere ad calorem solis; demus præterea omnes calores, scilicet, *cælestem, igneum, vitalem*, & quemcunque alium, esse eiusdem speciei inter se; adhuc tamen Angelus non posset naturaliter solâ applicatione actiuorum ad passiua talem mollitiem & duritiem inducere in prædictum corpus, qualis est in corpore verè humano. V.

Primùm, quia produci tali applicatione, & suppositione ad influxum astrorum, conuenit tantummodò imperfectis animalibus ex eo, quòd ex putrefactione tantùm nascantur, quale animal non est homo, cùm sit perfectum, postulans produci ex prolifico semine parentum, quem tamen hominem Angelus posset hoc modo producere, si posset inducere talem
B duritiem, & mollitiem, qualis est in corpore verè humano, cùm ad illas vt in tali perfectione positas in subiecto, animæ infusio sequatur, quam Deus subiecto ritè disposito non denegat. VI.

Deinde refellitur, quia quando aliquis effectus ita pendet à causa, vt ad sui productionem postulet causam suam, tali singulari materiæ ita singulariter dispositæ esse coniunctam, tunc quantumcunque hæc causa sit eiusdem speciei in pluribus, si tamen in illis omnibus non sit coniuncta materiæ, ita singulariter dispositæ, suum effectum non producet, quia actus actiuorum sunt etiam ab agente conuenienter disposito, vt videre est in calore struthionis, qui dicitur esse eiusdem speci
C cum calore natiuo hominis, in quo tamen ferrum non excoquit, sicut in struthiocamelo; quod idem videre est in luce, quæ apud nos generat calorem, quem tamen Philosophi docent non generare in sphæris cælestibus: qua de re videri possunt Conimbricenses ad capite. 3. lib. 2. de *generatione* quæst. 7. art. 3. atqui durities & mollities ita inducuntur à calore cum propria sua temperie, quòd scilicet habent speciales aliquot alias qualitates sibi admixtas, quas viuens inducit in materiam seminis, & alimenti, vt ibidem docent Conimbricenses; quas quidem qualitates calor ille cælestis, vel productus per collisionem corporum, vel alius non habet sibi coniunctas, nec item ipsum corpus ex aëre & aliquot terræ partibus confectum ab Angelis, vt per se constat: igitur quantumcunque calor ille siue cælestis, siue igneus applicetur ab Angelo corpori ex aëre efformato, nunquam producet VII.
D talem duritiem, & mollitiem, qualem habet corpus verè humanum. VIII.

Atque ex hac nostra ratione sic explicata soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ; hæc enim tantùm procedunt ex eo, quòd omnes calores sint eiusdem speciei, similiter omnes raritates & densitates: nam hoc concesso, quia tamen tam in agente, quàm in ipso patiente coniunguntur aliis peculiaribus qualitatibus, & sunt in peculiari materia, alio modo disposita in corpore humano, quàm in phantastico, fit, vt remanente prædictorum specificâ vnitate, producant tamen diuersos, & maximè inæquales effectus, diuersam mollitiem & duritiem in istis apparentibus corporibus, ab ea, quæ est in corporibus verè humanis.

I. # DISPVTATIO III.

De operationibus Angelorum in corporibus assumptis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli possint exercere opera vitæ in corporibus assumptis secundum quod vitæ opera sunt.

NOTANDVM est primò, præsentem disputationem de his tantùm vitæ operibus procedere, II. quæ nequeunt exerceri absque corpore, cuiusmodi sunt motus progressiuus, seu deambulatio, respiratio, loquutio, comestio, generatio, & id genus alia; nam Angelum in corpore assumpto posse eodem modo actus vitales sibi proprios, vt sunt intelligere & velle, exercere, quo extra corpus, nemo ambigit: sed sensus difficultatis est, an possit enumeratas actiones, & alias eis similes exercere ministerio corporis à se assumpti, sicut exercentur ab anima, ministerio corporis, quod informat.

Notandum secundò, opus vitæ, seu actionem vitalem, eam dici à Philosophis, *quæ fit à principio vitæ coniuncto per vitales potentias*, & quando hæc actio est talis, vt nequeat III. exerceri sine corpore, tunc ita debet fieri per potentias vitales, vt tamen potentiæ illæ inhæreant materiæ, & insint corpori; vnde eiusmodi actiones habent aliquem specialem respectum, & ordinem ad internum principium à quo exercentur, verbi gratiâ, *motus progressiuus*, quòd fiat per virtutem residentem in tendonibus, imaginatione, & appetitu eam ad motum excitantibus; *manducatio*, quòd sit contritio cibi, & eius traiectio per instrumenta vitalia animalis, in eius stomachum; *generatio* quòd fiat ex proprio deciso semine viuentis, & ex eius superfluo alimento; *loquutio*, quòd sit sonus, cum imaginatione & voluntate significandi aliquid, editus ab anima tanquam forma informante corpus, & mouente instrumenta corporea concessa ad formandam loquutionem, & sic de reli- IV. quis, quemadmodum potest intelligi ex iis, quæ communiter docent Philosophi libris *de generatione & anima*.

Notandum tertiò ex sancto Thoma hîc articulo vltimo, actiones vitales corporeas esse in duplici differentia; aliæ sunt, quarum substantia & entitas consistit in motu, vt sunt *loquutio, manducatio, progressio*, aliæ sunt quarum entitas non consistit in motu, cùm sint immanentes, vt sunt sensationes omnium facultatum animæ, tam internarum, quàm externarum, vt sunt *imaginari, videre, gustare, olfacere*: iam sensus præsentis difficultatis est, an Angelus possit in assumpto corpore exercere actiones illas vitales, secundùm præcisam rationem suæ vitalitatis. His positis,

Sit hæc nostra propositio. *Angeli actio-* A *nes illas, quæ nequeunt exerceri sine corpore, non possunt in assumptis corporibus exercere secundùm illud, quod sunt vitales, siue illud sit earum entitas, siue solummodò modus.* Propositio est sancti Thomæ hîc articulo vltimo, & communis omnium eius interpretum. V.

Probatur primò ex sancto Raphaële capite 12. libri Tob. ita dicente, *cùm essem vobiscum videbar quidem comedere & bibere, sed ego cibo & potu inuisibili vtor:* quibus verbis declarat se verè non manducasse nec bibisse, item ex facto Christi Domini Lucæ 24. qui ex manducatione probauit suam resurrectionem; licet enim cibus ille non fuerit in substantiam corporis Christi Domini conuersus, quemadmodum malè censet Durandus in primum sententiarum dist. 11. quæst. 4 cùm corpus Christi B Domini iam esset gloriosum & impassibile, vt VI. rectè notat sanctus Gregorius libro 14. Moral. capite 31. ideòque fuerit vel resolutus in præiacentem materiam, vel pro arbitrio, & voluntate Christi Domini translatus ab eius stomacho in alium locum; verè tamen fuit comestus, cùm ab ore Christi Domini traiectus fuerit per instrumenta vitalia, modo vitali agentia, in eius stomachum, in qua traiectione sic facta, tota ratio comestionis formaliter, & præcisè sumpta, vt distinguitur à digestione & nutritione, consistit, quemadmodum patet in ægrotantibus debilitatem stomachi patientibus, qui, quia sic traiiciunt cibum, quem tamen non digerunt, nec in suam substantiam conuertunt, dicuntur propriè comedere.

Confirmatur ampliùs ex capite decimo A- C ctuum, vbi sanctus Petrus testificans Chri- VII. stum Dominum resurrexisse in vero suo corpore, se & Apostolos esse huius rei verissimos testes, ita ait, *Deus dedit eum*, scilicet Christum, *manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis à Deo nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Et hanc Christi Domini manducationem ita fuisse verissimam, vt fides Christiana non possit de ea dubitare, expressè tradit sanctus Augustinus libro decimo tertio *de ciuitate Dei* capite vigesimo secundo, vbi etiam addit, *non esse credendum Angelos in phantasmate edisse, quando eos homines hospitio susceperunt*, Genesis decimo octauo.

Neque huic probationi obstat, quòd san- D ctus Thomas tertiâ parte quæstione quinquage- VIII. simâ sextâ articulo sexto in solutione ad primum, insinuet hanc comestionem seorsim sumptam ab aliis testimoniis non esse efficax argumentum probandæ resurrectionis Dominicæ in vero & naturali suo corpore. Nam hæc comestio potest duobus modis considerari, vel nudè & simpliciter in se, vel in ordine ad faciendam fidem huic vel isti, quòd corpus illam exercens sit corpus verum, & non solùm apparens: si spectetur priori modo, reuera est efficax argumentum, quia talis actus non potest vt sic esse à corpore nisi informato animâ, & à principio vitæ coniuncto, vt dicetur posteà; quòd si spectetur posteriori modo, fatemur manducationem, prout tantùm apparet exteriùs, non esse efficax argumentum

I. ad probandam veritatem alicuius corporis; A
quia totum illud manducationis, quod apparet exteriùs, nobis tantùm innotescit sub aliqua communi ratione motus, quæ ratio vt infrà patebit, potest etiam reperiri in assumpto corpore, & moto ab Angelo; at si hæc manducatio Christi Domini sumatur vt adiuncta contrectationi eius corporis, factæ cum diligenti inquisitione, ad discernendum an sit verum corpus, necne, quemadmodum Lucæ vigesimo-quarto capite fuit exercita, tunc est argumentum efficax.

Probatur propositio ratione: actus intrinsecè & essentialiter pendens à principio vt verè & realiter informante verum & reale corpus, & pendens à corpore vt vitaliter moto à principio vitæ, tanquam
II. forma informante, non potest exerceri nisi à tali principio & corpore ita disposito, & moto; quia aliàs à neutro penderet essentialiter: atqui opera illa vitæ de quibus hîc agimus, pendent essentialiter ab anima vt formâ actu, & de facto informante verum reale corpus, illúdque vitaliter mouente. Angeli verò nec sunt formæ informantes verè & propriè corpora, quæ assumunt: nec ea corpora, quæ assumunt, sunt verè carnea, organisata, nec ab illis mouentur vitaliter per potentias istis corporibus inhærentes: igitur Angeli non possunt in assumptis corporibus exercere opera vitæ. Maior satis patet ex se. Minor ex secundo notabili, & ex iis, quæ suprà diximus de Angelorum vnione ad corpora, quæ assumunt.

III. Confirmatur tota hæc ratio iis omnibus, quibus suprà quæstione duodecimâ huius partis ostendimus oculum corporeum non posse etiam per absolutam Dei potentiam eleuari ad Deum clarè videndum, quia actus vitalis habet intrinsecam dependentiam à principio suo vitali; vnde cùm actiones, de quibus hîc agimus, sint vitales, & vt tales considerentur à nobis, non possunt ab Angelis exerceri in corporibus assumptis.

Secundò probatur ex Aristotele libro *de somno & vigilia* capite primo eius est actus, cuius est potentia, atqui Angeli existentes in corporibus assumptis non habent potentias actuum vitalium vt sic, quia illis non insunt tanquam formæ actuantes, nec
IV. potentiæ illæ vitales corporeæ, quarum ministerio anima exercet tales actus, insunt verè & propriè corporibus per Angelos assumptis, cùm vt suprà docuimus sint composita substantialiter ex aëre, terra, & nonnullis eiusmodi inter se commixtis, sine aliqua sui substantiali mutatione: igitur Angeli non possunt in corporibus assumptis exercere vitales istas actiones, quatenus sunt vitales.

ARTICVLVS II. V.

Proponuntur quædam corollaria ex doctrina præcedentis articuli.

EX dictis primò sequitur, Angelos in corporibus assumptis non posse propriè loqui, comedere, generare, & similes actiones exercere, cùm, vt patet, hæc omnia vt sic sint opera vitalia.

Secundò sequitur, etiamsi Angelus habeat cognitionem intellectiuam verè & propriè dictam, eum tamen non posse intelligere, & cognoscere in corpore assumpto, sicut nos intelligimus & cognoscimus; anima enim nostra, quamdiu est in corpore, intelligit per conuersionem ad phantas-
B mata, vtitúrque ministerio sensuum tam exteriorum, quàm interiorum, tanquam forma informans, vt docent communiter Philosophi libris *de anima*; quo pacto Angelus in assumpto corpore exercens actum cognitionis istis omnibus, vel aliquo horum non vtitur, sed eodem planè modo cognoscit per eiusmodi corpus assumptum, quo homo vestitus intelligit per suas vestes. VI.

Tertiò sequitur, dæmonem in assumpto cadauere hominis, etiam quamrecentissimè demortui, non posse propriè loqui, videre, audire, & cæteras enumeratas vitæ actiones exercere: primò quia actiones illæ, vt formaliter tales non possunt exerceri nisi intermedio proprio suo organo sentiendi, vt patet ex secundo nostro notabili articuli su-
C perioris, & libris *de anima*: at in cadauere etiam recentissimo non sunt ampliùs propriè organa sensuum, quibus anima ad sentiendum vtitur; tunc enim tantùm dicitur propriè *organum*, quādo habet vim & facultatem sentiendi, id est, quando est talis conditionis, vt adhuc retineat vim, ad hoc vt primarium agens, seu anima, quæ est principium vitæ, illo tanquam instrumento possit vti ad productionem suæ actionis sensitiuæ, vt intelligitur ex Aristotele libro secundo *de anima* textu nono, & libro quarto Meteororum capite vltimo, dicente de oculo hominis iam mortui, eum non magis esse oculum, quàm sit oculus depictus, vel lapideus, quia caret facultate, & virtute sentiendi: quando verò anima est separata à corpore, organum externum, quod VII.
D remanet, non est ampliùs talis conditionis, vt anima possit eo vti tanquam instrumento, cùm organum sit instrumentum coniunctum, & anima eo vt coniuncto vtatur, at Angelus existens in assumpto cadauere non informat illud. VIII.

Deinde per separationem animæ à corpore deperditur temperamentum illud, quod organa corporea postulant, vt possint suas actiones exercere, nec temperamentum istud potest de nouo per Angelum introduci in ipsum corpus recens mortuum, etiam applicatione actiuorum ad passiua, quia dispositiones præuiæ ad illud efficiendum, pendent ab ipso semine prolifico, proindeque non potest solâ applicatione actiuorum ad passiua producere, quia talis modus passiuæ productionis competit solummodò imperfe-

I. ctis animalibus: immò etiam si daremus posse dæmonem assumere aliquod corpus viuum humanum, adhuc tamen non posset in illo sic assumpto prædictos actus sensuum exteriorum, nec item alios dependentes à corpore exercere, quia istæ actiones sunt tantùm à suis organis, vt instrumentis, quando his intermediis sunt ab ipso interno & formali principio vitæ, aliàs non essent ampliùs vitales; dæmon autem in vno corpore assumpto non esset internum & formale principium vitæ istius corporis, cùm non esset eius forma informans, sed assistens tantùm, & velut motor in mobili.

Postremò sequitur, nec per absolutam Dei potentiam Angelos in assumptis corporibus siue à se, siue à natura formatis posse exercere prædictas actiones vitales, quà vitales

II. sunt, & essentialiter pendent à corpore, vt probat prima nostra ratio cum sua confirmatione.

Obiicies cum Scoto secundo sentent. distinctione octauâ, sanctum Augustinum libro decimo tertio *de ciuitate Dei* capite vigesimo secundo, & epistolâ nonagesimâ nonâ quæstione primâ, dicere Christum Dominum post suam resurrectionem eodem modo comedisse, quo Angeli leguntur in sacris literis comedisse; atqui nos suprà fatemur Christum Dominum verè & propriè comedisse, & actum hunc vitalem vitaliter exercuisse: ergo cùm Angeli locis superiùs citatis legantur comedisse, exercuerunt actum illum vitalem vitaliter in corporibus assumptis.

Respondetur duo distingui in comestione; primum enim est motus localis, realis, & sen-

III. sibilis, quo cibus mouetur ab ore ad stomachum; alterum est modus ille specialis, quo motus iste perficitur, scilicet vitaliter, & per instrumenta vitaliter mota; iam quando sanctus Augustinus ait Christum Dominum *post resurrectionem comedisse eodem modo, quo Angeli* leguntur comedisse in sacris literis, facit tantùm comparationem in primo, vt in ipso motu præcisè sumpto, quòd scilicet Angeli cibos illos non tantùm imaginario, sed vero sensibili motu deiecerint ab vna parte superiori ad inferiorem; nam vbi dixit Angelos sumpsisse cibos eodem modo, quo Christus Dominus, ita statim subiungit, *non fuco & inani phantasmate*, id est verè & non per illusionem factam sensibus hominum, non autem facit istam comparationem in ipso modo, à quo talis motus habet, vt sit vitalis: deinde

IV. comparat sanctus Augustinus hanc vtramque manducationem in eo, quòd neutra fiat ex indigentia, sed tantùm ex potestate, quatenus scilicet nec Christus D. post suam resurrectionem, nec Angelus indiget cibo, quem tamen vterque potest sumere, & ab vno loco ad alium depellere, cum hoc tantùm discrimine, quòd Christus Dominus hunc motum faciat per instrumenta vitalia vitaliter mota, Angelus verò minimè.

A

ARTICVLVS III.

Vtrum Angeli in assumptis corporibus possint opera vitæ exercere, quæ consistunt in motu. V.

PRÆSENS difficultas est de operationibus vitalibus, quarum substantia & entitas consistit in motu, iuxta alterum modum tertij nostri notabilis articuli primi huius disputationis: pro qua sit hæc

Nostra propositio. *Angeli in assumptis corporibus possunt producere entitatem illam actionis vitalis, quæ tota consistit in motu.* Ita sanctus Thomas hîc articulo vltimo, quando ait Angelos in assumptis corporibus posse ef-

B

ficere illud quod est commune operibus vitalibus, & non vitalibus, proferétque exemplum à loquutione, quæ est sonus, & à progressione, quæ est motus. VI.

Probatur: quando aliqua entitas tota consistit præcisè in motu, & vt sic non habet necessariam connexionem cum aliquo modo, ratione cuius productio eius impediatur fieri ab aliquo quouis agente, tunc quicumque potest producere quemlibet motum in ratione motus, potest & istam entitatem in ratione motus tantùm consideratam producere, quia qui potest totam speciem, potest & quodlibet eius indiuiduum: atqui Angeli etiam in assumptis corporibus, possunt quemlibet motum producere, in ratione motus, ex communi sententia Theologorum, locis superiùs citatis, & omnes illæ actiones, de

C

quibus hîc agimus, spectatæ secundùm suam entitatem consistunt in motu, vt patet inductione factâ per illas: igitur Angeli in corporibus assumptis possunt producere entitatem eiusmodi actionum vitalium, quæ actiones licet vt tales ex defectu specialis modi, quo constituuntur formaliter vitales, non sint vt sic eiusdem rationis cum aliis, quæ à viuentibus exercentur, communi tamen loquendi modo tales denominantur, *similitudinariè* tantùm: sic passim in sacris literis tam mali Angeli, quàm boni leguntur loquuti in corporibus assumptis, item & comedisse, & motum progressiuum exercuisse; boni quidem, vt qui apparuerunt Loth, & Abraham locis Genes. suprà citatis; S. Raphaël passim lib. Tobiæ & alij Lucæ 24. capite; mali, vt Matth. 4. & alibi: nam VII.

D

hæc loquutio similitudinaria pendet tantùm ab illo motu locali, quo certâ quâdam ratione, aër inter linguam & palatum interceptus sæpè sæpiùs percutitur; at dæmon potest certâ quâdam ratione ita percutere aërem inter os verum, vel phantasticum hominis interceptũ, vt imitetur vocem, & loquutionem hominis, cùm etiam experientia doceat homines suis instrumentis musicis secundùm artem contrectatis edere sonos, qui videantur esse humani, quemadmodum videre est in percussione illius instrumenti, quod vulgò vocant *organum*. Imò quia totum istud pendet à motu locali, & certâ seu artificiosâ percussione aëris, Angelus etiam sine corpore assumpto potest eiusmodi voces efformare in aëre, vel in nube, vel etiam intra os alicuius animalis, ita peritè mouendo linguam eius, vt imitetur signum articulatum VIII.

I. hominis, quomodo Asina Balaam est loquuta; pari modo licet progressio propriè dicta non possit fieri ab Angelo in corpore assumpto, attamen quia hæc, præter vitalitatem, dicit motum localem ad vbi, dæmon potest hoc secundum præstare in corpore assumpto, & sic de aliis debemus philosophari.

Hæc autem entitas loquutionis, manducationis, progressionis est quoad suam physicam rationem eiusdem planè conditionis cum entitate loquutionis, manducationis, & progressionis vitaliter productę, quia effectus entitatiuè & in se ipsis considerati non distinguuntur specie à se inuicem penes modum illum diuersum, quo vitaliter vel non vitaliter à suis causis procedunt, vt videre est in primo parente, Abele, Christo Domino, & aliis hominibus: tum etiam quia motus non specificatur à mouente, II. sed ab ipso termino *ad quem*, siue enim rota moueatur à baculo, siue à manu, semper motus eius est idem specie; ideóque cùm lingua & corpus moueatur ad easdem partes aëris, siue moueatur à propria lingua hominis, vt mota ab anima informante, siue à dæmone, fiátque ad idem vbi, hæc etiam entitas motus spectata physicè ab Angelo producta, siue in corpore assumpto, siue extra illud, erit eiusdem planè speciei cum illa, quæ producitur ab homine viuo, per suam loquutionem, manducationem, & progressionem.

Ex hac nostra propositione sequitur, quòd licet dæmones in corporibus assumptis non possint propriè generare, quia generatio est actus animę vegetantis, & generatio animalium fit per semen à patre decisum, quemadmodum docent Philosophi; Angeli autem etiam in as- III. sumpto corpore nullum semen habent, cùm nullum alimentum propriè accipiant, nihilominus tamen illos posse in assumptis corporibus sub specie fæminarum abuti viris, & similiter in assumptis corporibus sub specie virorũ abuti fæminis, has sibi subiicere, & istis sese substernere, semen aliunde acceptum afferre, & naturalem illius emissionem imitari; quâ ratione dicuntur *Incubi*, & *Succubi*; *Incubi* quando semen aliunde assumptum, & adsportatum transfundunt in mulierem, *succubi* quando in specie feminæ sese viris substernunt, & semen excipiunt.

Atque hoc totum posse fieri docent S. Aug. lib. 15. *de ciuitate Dei* cap. 23. vbi verbis expressis ait, *famam esse creberrimam multósque expertos esse, vel ab iis qui experti essent, de quorum fide non est dubitandum, audiuisse, syluanos & faunos,* IV. *quos vulgò vocant* incubos *mulierum appetiuisse & peregisse concubitus*, additque id negare *esse impudentiæ*: S. Isid. lib. 8. *originum* cap. vlt. S. Thom. hîc art. 8. in solut. ad 5. & 2. sent. dist. 8. quæst. 1. art. 4. Abulensis in cap. 7. Exodi quæst. 12. & communiter omnes scholastici ad cit. 8. dist. & præsentem quæst. S. Thom. vbi plura huius rei proferunt exépla, vt cuiusdam mulieris Nannetensis, quæ per sex annos istam turpissimam libidinem cum dæmone experta, tandem resipuit, & ab incubo dæmone postea illam grauiter diuexante est per S. Bernardum liberata, vt fusè refertur libro secundo vitæ sancti Bernardi capite sexto: atque hoc totum potest ampliùs confirmari ex decretali Innocentij VIII. quâ præcipit inquisitoribus, vt animaduertant in mulieres,

A quæ exercerent istam turpitudinem cum dæmonibus. V.

Tandem confirmatur ratione: quod solo motu locali potest perfici, illud etiam possunt dæmones, vt iam obseruauimus: atqui congressus iste dæmonum in assumptis corporibus, qualiscumque ille sit, perficitur totus solo motu locali, vt patet explicatione illius antè allatâ: igitur dæmones possunt in corporibus assumptis exercere concubitum, cum veris mulieribus, vel cum veris hominibus.

An autem ex tali congressu & transfusione alieni seminis in vterum mulieris, generatio vera possit sequi, quæstio est problematica; aliis affirmantibus, vt sancto Bonauentura distinctione octauâ, secundo sentent. secundâ parte articulo tertio quæstione primâ in solu- B tione ad vltimum, VI. Richardo eadem distinctione art. 2. quæst. 6. Durando ibidem quæst. 2. Gabriele ibidem quæst. 1. art. 3. & pluribus aliis antiquos Patres pro hac parte referentibus, vt videre est apud Sixtum Senensem lib. 5. Bibliothecæ annotatione 73. & 77. eo quòd dæmon possit breuissimo tempore transferre semen eiusmodi, illúdque cum calore natiuo aliquantulum conseruare, adhibendo alia remedia virtutum naturalium, quas probè nouit: aliis contrà negantibus, quos referunt Delrio libro secundo *disquisitionum magicarum*, quæstione decimâ quintâ, Conimbricenses libro secundo *de generatione* quæstione decimâ articulo tertio, Pererius libro octauo *in Genesim* capite sexto disputatione tertiâ eo quòd virtus seminalis resideat in ipsis tenuissimis partibus seminis, id est spiritibus subtilis- C simis, qui non possunt transferri, quin euanescant; VII. sed quidquid sit hac de re, siue ex tali immissione seminis generatio possit sequi, siue non, quia istud discutere potiùs spectat ad Medicos, quàm ad Theologos, si tamen generatio inde sequatur, is, qui ex tali concubitu nascetur, non habebit ipsum dæmonem pro patre, sed hominem illum, ex cuius semine per dæmonem delato, proles eiusmodi est procreata, cùm diabolus ibi tantùm sit tanquam applicans actiua passiuis; vnde sicut agricola seminans terram non dicitur propriè fructum producere, vel pater fructus, ita nec diabolus, qui applicat semen, dicetur pater eius, qui ex tali semine procreatur.

Cæterùm etiam si dæmon incubus possit modo nunc explicato generare, non tamen dęmon succubus; licet enim possit excipere se- D men à vero homine, VIII. illúdque transferre cum natiuo calore, quia tamen hoc non sufficit ad generationem ex parte mulieris, sed præterea requiritur semen illud recipi in organo apto, item fœtum formari, foueri & ali tractu longissimi temporis; quæ omnia necessariò postulant vitalem operationem animæ vegetantis, & matricem mulieris propriè dictam, vt docét Philosophi & Medici; ideò quantumcumque diabolus in corpore assumpto fiat alicui viro succubus, nunquam ex tali cõgressu aliqua poterit sequi generatio, & si quæ referantur hoc modo factæ, sunt ementitæ, ita quod vel dæmon veram prolem à vera muliere de nouo enixam, aliunde adsportauerit, & supposuerit, sicut quando ad instãtiam Magorum Pharaonis producebat quædam animalia, iis, quæ per

I. Moysem producebantur, similia, ea scilicet ex aliis terræ partibus motu velocissimo afferendo, vt locis à nobis superiùs citatis explicat S. August. vel quòd dæmon aliquis in assumpto corpore sub forma infantis recens nati fingat se infantem; qui etiam videatur lacte, vel cibo vti, item adolere, & tandiu ita durare, vel perseuerare, quamdiu, Deo ita permittente, illi placuerit.

AD QVÆSTIONEM LII.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia Angelorum in loco.

II. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli sint in loco.

NOTANDVM est, aliquid posse duobus modis intelligi esse in loco; primò ita vt esse in loco, nihil sit aliud, quàm contineri, & circumscribi à loco, sicut aqua continetur in vase, quod Philosophi sic aliter dicunt *circumscriptiuè in loco*; deinde aliquid dicitur esse in loco, quatenus est intra quoddam spatium, extra quod naturaliter non reperitur, licet non ita circumscribatur ab illo, quasi habeat partes correspódentes partibus eiusmodi spatij, quod Philosophi vocant *esse definitiuè in loco*. Hoc prænotato sit

III. Hæc propositio. *Angeli loquendo propriè sunt in loco modo posteriori, priori verò modo non nisi impropriè.* Ita sanctus Thomas hîc articulo primo, & communiter omnes, immò addũt plerique primam partem huius propositionis sic explicatam esse de fide, propter aperta sacræ Scripturæ testimonia, quibus boni Angeli dicuntur esse in loco, vt Matthæi decimo octauo, *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei*; item quibus dicuntur *ascendere, descendere, & mitti ad nos*, vt Lucæ primo sanctus Gabriël legitur missus ad beatam Virginem, *ad Hebræos* primo dicuntur *spiritus administratorij in salutem eorum, ad quos mittuntur*, item Ioan. quinto Angelus dicitur singulis annis descendere in piscinam, Matth. vltimo

IV. Angelus dicitur descendere de cælo, & reuoluere lapidem: mali verò Angeli esse apud inferos in igne, Matth. decimo-quinto, alij dicuntur esse in aëre, vnde vocantur *potestates aëreæ, tenebrarum principes* ab Apostolo, & *volucres cæli* capite 28. Iob.

Probatur etiam ex Patribus, vt S. Athanasio *ad Serapionem*, dicente id esse discriminis inter Spiritum sanctum & Angelum, quòd hic certum & determinatum locum habeat, ille verò nullo definiatur loco, sancto Gregorio Nazianzeno oratione secundâ *de Theologia*, sancto Gregorio Magno libro secundo Mora-

A lium capite tertio, sancto Bernardo, sermone quinto *in Cantica*, vbi ita ait, Angelos de loco ad locum mutari, *tam indubitata, quàm nota probat auctoritas Ecclesiæ*; & modus ille, quo in suis quotidianis precibus vtitur, apertè id testatur; nam in oratione completorij orat, vt sancti Angeli habitent in ea familia, vel domo, vbi formatur hæc oratio; in aliis orat, vt mali Angeli eiiciantur ex ea habitatione; at *habitare, venire, exire*, &c. significant id, quod sic habitat, venit & exit, quemadmodum exprimitur in istis orationibus, ita esse in aliquo certo loco, vt tamen non sit in alio, ad quem rogatur venire, aut ad quem ire compellitur, quod est ipsum esse *definitiuè* in loco, vt patet ex eius explicatione posita in nostro notabili. V.

Potest etiam & hæc nostræ assertionis pars

B confirmari aliquâ congruentiâ; quòd partes vniuersi debent locum naturæ suæ accommodatum habere in illo; atqui Angeli sunt aliquæ partes huius vniuersi, cùm eorum creatio sit etiam propter eius perfectionem, quemadmodum suprà docuimus: ergo Angeli debent habere aliquem locum in hoc vniuerso: ergo cùm solus modus existendi in loco *definitiuè* sit accommodatus eorum naturæ, quia sunt substantiæ purè spiritales, Angeli sunt in loco *definitiuè*. VI.

Deinde: illud propriè est in loco, etiam iuxta hunc modum, quod loquendo propriè mouetur localiter, vt patet ex ipsis terminis, & natura motus localis: atqui ex citatis suprà sacræ Scripturæ testimoniis, Angeli propriè mouentur de loco in locum, nam ascendunt,

C descendunt: igitur sunt aliquo modo propriè in loco. VII.

Posterior item pars nostræ propositionis asserens *Angelos esse impropriè in loco circumscriptiuè*, probatur primò ex Patribus, vt S. Aug. libro secundo *de Genesi ad literam* capite vigesimo, sancto Damasceno libro primo *de fide Orthodoxa* capite 17. dicente Angelum esse in loco *modo intellectuali*; imò ex ipsomet Aristotele libro primo *de cælo* textu 100. affirmante intelligentias neque esse in loco, neque per ipsum tempus consenescere, sed esse inalterabiles & impassibiles.

Probatur etiam ratione: illud tantùm est in loco iuxta hunc modum, quod est diuisibile, & commensuratum loco; atqui Angelus non est diuisibilis, nec commensuratus loco, quia totus est spiritalis quędam substantia, nec proinde habet aliquas partes sui correspondentes

D partibus loci; sed est tantùm metaphoricè hoc modo in loco; quæ metaphorica Angeli existentia in loco attenditur penes ipsam eius operationem transeuntem, quæ ad locum extenditur, & penes corpus, quod ab illo assumitur. VIII.

Atque iuxta hanc nostram propositionem facilè conciliantur inter se Patres, quorum alij negant Angelos esse in loco, alij contrà affirmant; quod vtrumque est verum iuxta diuersam considerationem & distinctionem nostrâ propositione assignatam.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angeli habeant locum sibi determinatum.

SIT hæc nostra propositio. *Licet Angelus non limitetur ad hunc vel illum locum in particulari, sed possit esse successiuè in hoc vel illo loco, habet tamen certum locum quoad magnitudinem, & paruitatem, nec potest esse simul in omnibus locis, seu vbique locorum.* Propositio videtur esse contra Durandum libro primo sententiarum distinctione trigesimâ septimâ, secundâ parte quæstione primâ, vbi ait Angelos non habere certum, & determinatum locum, sed esse vbique, non quidem eo modo, quo Deus est vbique per essentiam, sed alio, scilicet quatenus Angelus

II. potest vbique operari, & simul est, vbicunque etiam potest successiuè operari; vnde ibidem infert Angelum propriè loquendo non posse moueri localiter, ita vt transferatur de vno loco in alterum, sed simul esse in omni loco, in quo potest existere.

Probatur tamen propositio: primò, quia limitatio & illimitatio alicuius entis quoad locum, seu magnitudo & paruitas loci eius, sequuntur conditionem ipsius entis, sunt enim aliquæ proprietates illius; atqui omnes & singuli Angeli habent naturam certæ & limitatæ perfectionis, non tantùm in entitate, sed etiam in sua virtute & modo operandi: igitur & singuli Angeli habent certum & determinatum locum.

III. Deinde id, quod existit, & caret verâ immensitate, & existentiâ vbique locorum, habet certum & determinatum locum, quia existere vbique locorum, & habere solummodò locum determinatum, opponuntur: atqui nullus Angelus existit de facto vbique locorum, nam id soli Deo conuenit, vt ex professo docuimus suprà cum sancto Thoma.

Est tamen notandum, quòd licet hæc Durandi sententia in se & secundùm se spectata sit erronea, & temeraria, vt patet ex locis sacræ Scripturæ citatis præcedenti articulo, Durandum tamen excusari ab errore, & temeritate, quia eodem loco numerò trigesimo octauo ait se ista omnia ibi dixisse, inquirendo potiùs, quàm asserendo.

IV.

DISPVTATIO II.

De loco intrinseco Angelorum.

CVM esse in loco sit aliquid superadditum substantiæ Angelicæ, ratione cuius Angelus vt existens in loco, est aliquid compositum, & Angelus ita sit in vno certo, & determinato loco, vt tamen liberè sese constituat in alio, quemadmodum potest intelligi ex dictis præcedenti disputatione, nullusque detur effectus sine causa sua formali, A quæritur nunc, quidnam sit formalis causa, seu ratio, quæ propriè & formaliter constituit Angelum in loco, quo remanente censeatur remanere in eodem planè loco, & quo deperdito locum suum perdidisse. V.

Vbi notandum est, pro duplici ratione existendi in loco, duplicem distingui locum, vnum *extrinsecum*, vt nunc vocant communiter Philosophi, vt Toletus quarto Phys. quæst. octauâ, Suarez in Metaphys. disp. 51. sectione secundâ num. 3. & lib. 4. de Angelo capite 2. & sequentibus; item Conimbricenses & plures alij recentiores ad prædicamentum situs, & vbi, & ad lib. quartum Phys. Aristotelis, qui locus definitur *superficies corporis ambientis*; alter locus qui posteriori ratione existendi in loco correspondet, & ab auctoribus nunc recentitis vocatur *intrinsecus* ad distinctionem

B prioris, nihilque est aliud quàm spatium, quod res secundùm se, & suam entitatem considerata occupat intra se ipsam, licet intelligamus illam non circumcingi aliquo corpore, vt facilè intelligitur ex dictis suprà de existentia Dei in spatiis imaginariis: iuxta quam loci distinctionem duplex quæstio potest moueri de ratione formali, per quam Angeli sunt in loco *intrinseco*, altera de *extrinseco*: hâc disputatione agemus de loco *intrinseco*, sequenti autem agemus de *extrinseco*: sit igitur VI.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli sint in loco intrinseco formaliter per aliquem modum sibi immediatè infusum à Deo, qui non sit in potestate voluntatis Angeli. VII.

C SIT hæc nostra propositio. *Angeli non sunt formaliter in loco intrinseco per aliquem modum sibi à Deo immediatè transfusum, qui non sit in potestate voluntatis Angelica.* Est contra Alensem secundâ parte suæ Summæ quæstione trigesimâ secundâ, membro primo. Probatur: datâ hâc sententiâ Angelus non esset in hoc vel illo loco pro sua libertate, sed solummodò pro libertate diuinæ voluntatis, hunc modum independenter ab Angeli voluntate imprimentis, sicut sagitta non dicitur esse vbi vult, pro sua libertate, sed pro libertate sagittarij imprimentis ei impulsum ad hunc potiùs scopum, quàm ad alium; at modus iste existendi in loco

D repugnat naturali conditioni, & perfectioni Angelorum, quâ sunt entia libera, sicut & nos homines sumus: ergo. VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angeli sint formaliter in loco intrinseco per suam substantiam.

PLACET sententia negans, cum qua concludimus; *Angeli non sunt in loco formaliter per suam substantiam, ita vt nuda illorum substantia sit formalis & præcisa ratio, cur sint in loco, & potiùs in hoc, quàm in alio.* Propositio est contra Durandum primo sententiarum distinctione trigesimâ septimâ, & vt nonnullis videtur contra Scotum secun-

I. do sententiarum distinct. secundâ quæstione sextâ.

Probatur: illud non est propriè formalis ratio ipsis Angelis existendi in loco, quo manente immutato, locus tamen Angelorum non desinit mutari, quia formalis effectus debet tandiu manere, quandiu formalis eius causa remanet: atqui substantia Angeli potest mutare suum locum intrinsecum, esséque in alio spatio per motum localem, substantiâ Angeli remanente eadem; nam substantia sancti Raphaëlis verbi gratiâ nunc est eadem, quæ ante aliquot millia annorum præbebat comitatum iuniori Tobiæ: igitur Angeli non sunt formaliter in loco per suam substantiam.

Deinde: illud non est propriè formalis causa huius effectus, ad quem non determinat
II. suum subiectum, quia proprium causæ formalis est, communicando se ipsum subiecto illud restringere ad proprium suum effectum, ita vt non possit concipi causa existere, nisi simul etiam effectus eius concipiatur ibi existere in tali subiecto; atqui substantia Angeli eum non determinat ad existendum in hoc particulari loco, quatenus hic locus est particularis; sed ad id Angelus est indifferens, cùm pro sua libertate hunc possit relinquere, alium acquirendo, semper tamen suam eandem substantiam retinendo.

Neque est, quòd quis respondeat substantiam Angeli esse quidem indifferentem ex se ad existendum in hoc, & singulari loco, posse tamen Angeli substantiam considerari, quatenus connotat hanc & istam indistantiam, & sic esse ipsis Angelis formalem rationem existendi in loco.
III.

Non est, inquam, quòd quis hoc respondeat, nam prius est substantiam Angeli habere fundamentum proximum, ratione cuius est huic & isti loco præsens, & connotatur vt indistans, quàm talem præsentiam & connotationem poni; hoc enim resultat ex isto priori, & hæc præsentia resultat ex aliquo præsupposito in ipsa substantia sic præsente: ergo cùm posterius non sit causa prioris, aliquid debet dari in Angelo, quod sit ei formalis causa, & fundamentum talis numero præsentiæ; sed hæc causa non potest esse ipsa nuda Angeli substantia, vt nostræ rationes probant, nec item eadem substantia quatenus connotat hanc & illam singularem indistantiam, vt nunc probatum est: ergo præcisa formalis causa, per quam Angeli sunt in loco, non
IV. est ipsa eorum substantia.

Addidi in conclusione hanc particulam, *potiùs in hoc loco, quàm in alio*; quia si quæratur tantùm ratio, propter quam Angelus habet locum determinatum, & non est vbique, respondebitur esse ipsam eius substantiã, quæ est finita & determinata, vt præcedenti disputatione docuimus: at si quæratur per quid formaliter & præcisè habet Angelus, quòd postulans tantùm indefinitè aliquem determinatum locum, obtineat potiùs hunc, quàm illum, non benè respondebitur id prouenire à sua substantia, siue vt nudè spectata, siue vt etiam connotat hanc & illam indistantiam: quemadmodum nostra argumenta probant, quæ etiam applicata existentiæ Angelorum probant illam similiter non esse causam for-

A malem ipsis Angelis, cur sint in suo loco intrinseco. V.

Articvlvs IV.

Vtrum Angeli sint formaliter in loco intrinseco per operationem.

PRIMA sit propositio. *Angeli non sunt formaliter in loco intrinseco per aliquam operationem immanentem.* Propositio est contra Caietanum hîc articulo primo, qui putat Angelos esse in loco per applicationem virtutis ad agendum, & nomine *applicationis* intelligit tantùm actus ipsos immanentes voluntatis, & intellectus practici, quibus Angeli sese disponunt, & sunt in promptu ad agendum, & per hanc dispositionem Caietanus existimat Angelos esse in loco *inchoatiuè*. VI.

B Probatur autem nostra propositio: actus immanentes intellectus & voluntatis sunt potiùs causæ incitantes, & impellentes ad motum localem, & ad se sistendum loco, quàm constitutiuæ formaliter ipsius existentiæ in loco, quemadmodum patet in nobis; at hîc agimus de causa formali: deinde nullâ factâ mutatione loci, sed substantiâ Angeli remanente ibi, vbi anteà erat, Angelus potest mutare voluntatem, & actum intellectus practici ad agendum; item potest ibi detineri per vim, & violentiam à Deo, vel ab aliquo alio Angelo superiori, vt videre est in istis dæmonibus, qui in sacris Scripturis leguntur ligati apud inferos, vbi tamen nollent esse: ergo eiusmodi actus immanentes non erunt causa formalis, cur Angeli sint in
C loco. VII.

Secunda propositio. *Angeli non sunt in loco intrinseco per operationem transeuntem.* Propositio est contra multos sancti Thomæ discipulos hîc, & primo sententiarum, vt contra Ægidium Romanum distinctione 27. contra Ferrariensem primo *contra Gentes*, cap. 68. imò ex eorum opinione contra S. Thom. hîc, dum ait Angelos esse in loco *per contactum virtutis*, & illi volunt S. Thom. per *contactum virtutis*, hîc nihil aliud intelligere, quàm operationem transeuntem, quæ dicatur contactus virtutis, eo quòd hæc operatio id efficiat in Angelis, quod præstat quantitas in corporibus, quæ ratione suæ quantitatis sunt in loco; nostra tamen propositio est multorum recentiorum.

D Probatur primùm ex sancto Damasceno lib. 2. *de fide* cap. 3. vbi ait prius esse Angelum moueri ad aliquem locum, quàm in eo operari. Deinde ex S. Thom. 3. p. q. 52. art. 2. vbi loquens de descensu animæ Christi Domini ad inferos, distinguit modum existendi animæ separatæ in loco per operationem, à modo eiusdem animæ essendi in loco secundùm substantiam. VIII.

Confirmatur: ideò auctores contrariæ sententiæ volunt Angelos esse in loco per operationem transeuntem, quia sunt substantiæ spiritales: ergo sicut animæ separatæ à corporibus sunt in loco absque operatione aliquâ transeunte, iuxta sanctum Thomam nunc citatum, similiter & ipsi Angeli erunt in loco, sine aliqua operatione transeunte.

I. Neque est, quòd quis dicat in doctrina sancti Thomæ disparem esse rationem animæ separatæ quoad operationem transeuntem, & ipsorum Angelorum, quia iuxta sanctum Thomam infrà quæstione centesimâ decimâ septimâ articulo quarto, Caietanum ibi, & alios sancti Thomæ discipulos, anima est tantùm determinata ad mouendum corpus à se viuificatum, vnde ab illo separata nullum potest ampliùs corpus mouere; at substantia Angeli non est determinata ad mouendum vnum tantùm corpus, vt ibidem obseruat sanctus Thomas in solutione ad primum; ideóque cùm non sit par ratio animæ separatæ, ac Angeli, non rectè inferri ex eo, quòd anima Christi Domini à suo corpore separata fuerit in loco secundùm suam essentiam, sine vlla operatione transeunte,
II. & ipsum etiam Angelum esse in loco secundùm suam substantiam, absque vlla operatione transeunte.

Hoc inquam dici non potest: quia eadem est ratio quoad modum essendi in loco, ipsius animæ, ac Angeli in doctrina sancti Thomæ, vt expressè notat Caietanus articulo citato secundo: ergo sicut ex eo, quòd anima Christi Domini nihil est operata, vel circa iustos, vel circa paruulos, qui decesserunt cum solo originali, non benè colligitur istam animam Christi Domini non descendisse ad inferos secundùm suam substantiam, vel animas eiusmodi infantium non esse apud inferos, ex eo, quòd nullam actionem transeuntem exerceant in illo loco; pari modo non benè colligitur Angelos non esse in tali loco, quia in eo nullam actionem transeuntem exercent.

III. Probatur secundò nostra conclusio: in doctrina sancti Thomæ superiùs à nobis relata, Angeli verè & propriè loquendo creati fuerunt in cælo empyrèo, at non potest assignari quidnam produxerint tunc Angeli in illo cælo empyreo.

Illud primò non potest esse motus, quia cælum istud, vt omnes volunt communiter, est immobile; tum etiam, quia licet esset mobile, cùm in primo instanti suæ creationis ibi verè extiterint, & motus non fiat in instanti, ibi non fuerunt per productionem motus.

Non potest item esse aliqua qualitas, tum quia Angeli nihil possunt præter motum; tum quia non potest assignari, quænam sit illa qualitas & operatio transiens: nam
IV. quod Ferrariensis suprà ait eos *exercere operationem occultam*, gratis & sine fundamento dicitur, cùm nulla possit assignari necessitas, vel vsus eiusmodi operationis siue ex parte Angelorum, siue ex parte çæli empyrei.

Quod item dicunt alij, vt Capreolus secundo sententiarum distinctione secundâ, scilicet *Angelos ornare cælum*, refellitur, quia non potest explicari quid sit ornatus ille, nisi exhibitio præsentiæ Angelorum, quæ tamen actionem transeuntem non importat.

A Quod item dicunt alij, scilicet esse *impressionem quietis, & stabilitatem*, dici etiam non potest, quia cælum empyreum est ex se, & naturâ suâ firmum & stabile, & priùs fuit in se perfectum, quàm Angeli in eo creati. V.

Quod denique alij dicunt, scilicet Angelos *ibi producere lumen quoddam*, non quidem naturali virtute, sed supernaturali, gratis etiam dicitur, quia Angeli, vt sunt entia naturalia, & libera ad existendum in hoc, vel illo loco, ita debent habere causam formalem naturalem existendi in loco, & eorum libertati subiectam, vt possint sese constituere hîc vel ibi pro sua libertate: at potentia obedientialis, quâ effectus aliquis producitur supernaturaliter, non est naturalis: tum etiam, quia licet id admitteretur
B pro bonis Angelis, attamen non posset admitti pro malis, qui sunt in inferno, vbi sunt tenebræ densissimæ, *& sempiternus horror inhabitat*. VI.

Neque est, quòd quis dicat nomine *operationis transeuntis*, etiam intelligi ipsam passionem, ac proinde cùm dæmones torqueantur apud inferos, eos rectè dici esse ibi per operationem.

Hoc inquam dici non potest, nam etiamsi nomen *operationis* extenderetur ad significandam passionem, attamen in sententia sancti Thomæ, & multorum discipulorum eius infrà quæstione sexagesimâ quartâ, dæmones non propriè patiuntur ab igne, sed tantùm ab illo detinentur tanquam in carcere, & ex hac apprehensione concipiunt dolorem: at dolor eiusmodi est actus imma-
C nens, quia nihil est aliud, nisi renisus voluntatis ad id, quod est, vel non est, vt ibi loquitur sanctus Thomas. VII.

Postremò confirmatur hæc nostra conclusio ex absurdis, quæ aliàs sequerentur, verbi gratiâ, quòd nobilissimæ partes vniuersi, cuiusmodi sunt Angeli non essent in vniuerso, dum non operantur: deinde ex eo, quòd suprà docuerimus Deum esse in spatiis imaginariis, licet ibi nullam exerceat operationem transeuntem: tertiò ex eo, quòd Deus sicut potest denudare substantiam suâ quantitate, & illam conseruare in eo spatio, in quo erat, ita etiam potest tollere ab Angelo actionem transeuntem, & tunc conseruabit substantiam Angeli in eodem loco, in quo antea operabatur, imò potest etiam Deus subtrahere ab Angelo concursum necessarium ad ap-
D plicationem suæ virtutis, seu ad coaptationem illius ad spatium, in quo Angelus est dispositus ad proximè operandum in illo, vel etiam ad sese vniendum illi; & tamen Angelus semper erit in aliquo loco, cùm sit aliqua pars vniuersi: igitur Angelus nullo modo est in loco intrinseco propriè per operationem transeuntem quouis modo consideratam. VIII.

Et ex iis omnibus soluuntur facilè omnia, quæ possunt afferri contra nostram propositionem.

I. **ARTICVLVS V.**

Quæ sit formalis ratio, per quam Angeli sunt in loco intrinseco.

SIT hæc vnica propositio. *Angelus formaliter est in loco intrinseco per suum vbi Angelicum, quod nihil est aliud, quàm aliquis modus realis intrinsecus distinctus ex natura rei ab eius substantia, & productus efficienter ab eo, à quo mouetur, vel constituitur in tali spatio.* Ita Molina, & plures alij recentiores hîc, & Suares tum in Metaphysicis suprà, tum etiam libro quarto de *Angelis* capite secundo.

Vt autem hæc propositio probetur, duo breuiter sunt facienda: primò probandum est dari verum vbi in Angelis, alterum per hoc
II. ipsum vbi Angelos esse, & constitui alicubi.

Quod spectat ad primum probatur breuiter: vbicumque datur vera & realis mutatio localis, ibi debet dari verus & realis terminus tali mutationi debitus; atqui in Angelo datur vera & realis mutatio localis, & mutatio localis habet pro suo termino ipsum vbi de nouo acquisitum: igitur datur verè & propriè vbi in Angelo. Maior patet, quia non datur actio sine termino. Minor verò patebit ex dicendis infià de motu Angelorum, & quòd mutatio localis alium non possit habere terminum, quàm ipsum vbi, patet, quia nihil aliud potest assignari, vt etiam tradunt communiter Philosophi.

Secundò item probatur: esse hîc, illic, vel alicubi est effectus quidam formalis, & verus: ergo debet prouenire ab aliqua causa formali:
III. sed in Angelo non potest prouenire ab alia causa, quàm à modo illo intrinseco, quem vocamus *vbi*, quia aut proueniret ab aliquo, quod est omninò extrinsecum ipsi Angelo: at semoto omni extraneo, Angelus potest conseruari à Deo, vbi anteà erat, quemadmodum patet ex dictis; aut proueniret ab aliquo intrinseco; & hoc non, quia intrinsecum illud esset, vel substantia Angeli, vel proprietas, vel aliqua eius actio immanens; at suprà probatū est nihil horum posse esse formalem rationem constituendi Angelum in loco; deinde omnes aliæ res creatæ sunt in eodem loco, & quandiu retinent idem vbi, tandiu sunt in eodem loco, & quandiu mutant locum, tandiu mutant & ipsum vbi, & econtrà: igitur & ipsa substantia Angeli, erit in loco per ipsum suum vbi.

IV. Verùm contra hanc propositionem obiicies: si daretur talis modus, vel esset indiuisibilis, vel diuisibilis: si diuisibilis, ergo non potest esse receptus in ipsa substantia Angeli, quæ est indiuisibilis, quia diuisibile non potest recipi in indiuisibili: si est indiuisibilis, ergo Angelus non posset existere in aliquo longo spatio, & sese ab illo paulatim substrahere, quia eiusmodi substractio nequit fieri, nisi per deperditionem alicuius partis istius modi, qui ad variationem talis loci simul etiam varietur: at ex communi sententia Theologorum potest Angelus se constituere in loco suo adæquato, & sese ab aliqua eius parte substrahere pro sua libertate, sicque oportebit modum illum esse diuisibilem, quod tamen suprà est reiectum.

A Respondetur hunc modum esse indiuisibilem, sicut & ipsa substantia Angeli. Ad id, quod infertur de substractione Angeli à loco adæquato ad locum inadæquatum, respondetur illam fieri per deperditionem istius modi, non quidem secundùm aliquam sui partem, sed eo planè modo, quo anima rationalis, dum sese substrahit ab aliqua parte corporis, amittit illud vbi, quod habebat, dum informabat illam partem corporis, quod vbi non est aliqua pars, loquendo propriè, istius vbi, quod adhuc retinet, dum est in reliquo corpore; sed quemadmodum anima per replicationem sui est tota in qualibet parte corporis, ita etiam habet hunc modum, seu vbi spiritale replicatum, per quod est in tali spatio, vnde sicut anima rationalis, dum desinit partem illam informare, amittit istud vbi, quod habebat, in quantum re- V.
B plicabatur in tali parte corporis, quod vbi erat indiuisibile, sicut & anima est indiuisibilis, ita & Angelus, qui ad modum animæ rationalis, existens in corpore, est totus in toto loco, & totus in qualibet parte, dum sese substrahit ab aliqua parte spatij sui adæquati, amittit totum illud vbi indiuisibile, quatenus replicatum erat in illa parte spatij, à quo retrahit suam substantiam: & quemadmodum ex omnibus *vbi* replicationibus & animæ in toto corpore, vna totalis præsentia resultat, & vnum quoddam totale vbi, quod habet anima in toto spatio illo, quod corpus eius includit; ita ex omnibus replicationibus Angeli in toto aliquo spatio resultat vnum totale quoddam vbi, quod erit vnum & quodammodo continuum, ratione spatij, quod est continuum, licet vnumquodque istorum vbi seorsim, & secundùm se con- VI.
C sideratum, sit vnum, & proinde illa omnia simul plura sunt: & pro hac responsione videri potest Suarez libro quarto *de Angelis* capite decimo septimo, & plures alij recentiores. VII.

Secundò obiicies: in quocumque reperitur verum vbi, in eo reperitur vera distantia, & propinquitas ad aliud, & diuersitas situs, quia possunt dari plura alia entia, quæ sint in aliis vbi; sed in Angelo non potest dari vera distantia, vera propinquitas, & verus situs, quia hæc omnia important extensionem quantitatis, quæ propriè non est in re spiritali, qualis est Angelus.

Respondetur propinquitatem & distantiam localem præcisè loquendo non importare extensionem quantitatis, sed ea posse dici distare realiter à se inuicem, quia ita sunt entia realiter existentia, vt non sint in eodem spatio, apto
D repleri corpore, vt patet in ipsis extremitatibus, seu lateribus vacui, quæ à se inuicem distant. Quod verò spectat ad *situm*, non reperitur in quocumque vbi, sed tantùm in vbi corporeo, quia nascitur ex dispositione partium corporis inter se; at vbi Angelicum est spiritale. VIII.

Obiicies tertiò: modus ille, per quem Angelus est in loco, vel sequitur naturaliter substantiam Angeli, vel ponitur tantùm in eius substantia ad nutum ipsius Angeli: si primum, ergo sicut substantia Angeli est determinata ad vnum, ita & erit iste modus, ac proinde non poterit Angelus sese constituere in maiori, vel minori loco, prout voluerit, quod tamen est contra communem Theologorum sententiam, vt patebit infrà: si secun-

I. dum dicatur: ergo Angelus poterit sese omninò absoluere à loco, quia poterit nolle producere eiusmodi modum: at suprà diximus esse absurdum Angelum existere, & tamen nullibi esse.

Respondetur modum illum & sequi naturaliter substantiam Angeli, & esse ad nutum voluntatis Angelicæ, quia Angelus mouet seipsum, sed diuersâ ratione; nam sequitur naturaliter substantiam Angeli, quia positâ substantiâ Angeli in rerum natura, necessariò habet, vt sit alicubi, & proinde habet modum hunc intrinsecum, non tamen hunc vel illum in particulari, nisi ad nutum suæ voluntatis; vnde non sequitur Angelum posse sese absoluere ab omni loco, sed tantùm ab hoc, vel illo loco particulari, sicut possumus constituere nos in hoc, vel illo loco, pro nostra liber-
II. tate, non tamen esse sine aliquo loco.

Obiicies postremò: illud non censetur causa formalis, quod potest tolli remanente formali effectu: at Deus per absolutam potentiam potest tollere, non tantùm hunc modum in particulari, quem habet iam Angelus, ratione cuius est in loco, sed etiam potest quemcumque alium modum tollere, & solam eius substantiam existentem conseruare, etiam absque propria hypostasi, & proinde potest Deus hunc etiam modum ab illo tollere, túncque substantia eiusmodi Angeli non erit in loco, defectu prædicti modi, & etiam erit in loco, quia de facto existit in rerum natura, & repugnat enti creato existere & nullibi esse: ergo modus iste intrinsecus non videtur esse formalis ratio, per quam Angelus sit in loco.

Respondetur negando posse tolli omnem
III. eiusmodi modum ab Angelo; nam licet possit dari diuinitus aliqua substantia creata absque vlla hypostasi, idem tamen non potest dici de ipso vbi, quia quando aliquis modus est ita intrinsecus ipsi entitati, vt entitas quatenus est actualis, postulet hunc vel alium eiusdem rationis, tunc non potest intelligi esse actualis, nisi simul afficiatur tali modo; sed modus prædictus, quem vocamus *vbi*, est ita intrinsecus substantiæ Angeli, quatenus est actu, vt necessariò postulet, hunc vel alium similem, quia non potest intelligi aliquid esse de facto in vniuerso, & non esse in aliquo eius spatio vero, vel imaginario, quod non potest dici de ipsa hypostasi seu subsistentia: nam rectè intelligimus substantiam creatam posse existere etiamsi priuetur omni subsistentiâ.

IV.

DISPVTATIO TERTIA.

De loco extrinseco Angelorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Quæ sit formalis ratio, per quam Angeli sunt in loco extrinseco.

CVm locus extrinsecus ex Aristotele libro quarto *Physic.* sit *vltima superficies corporis ambientis illud*, quod dicitur esse in loco extrinseco, potest considerari in ordine ad talem locum, vel præci-

A sè secundùm solam rationem *ambitus, & continentiæ*, per habitudinem partium ipsius contenti ad ipsum locum ita continentem, prout scilicet aliquæ partes locati dantur, quæ correspondeant partibus loci: vel secundò potest considerari, quatenus locus habet vim sibi connectendi, & conseruandi ipsum locatum, quod nonnulli vocant locum *physicè* consideratum, ad distinctionem considerationis illius, in ratione puræ, & nudæ superficiei, quæ ab illis appellatur locus *Mathematicus*, quia talis eius consideratio propriè spectat ad Mathematicam: vel tertiò quatenus locus & locatum habent quandam coexistentiam, simultatem, & compræsentiam. V.

Iam si præsens difficultas moueatur iuxta primam comparationem locati ad locum, sensus illius erit, per quid Angelus existens in lo-
B co extrinseco, censeatur esse *modo extensiuo*, & habere aliquas veluti partes correspondentes partibus istius loci extrinseci; si verò moueatur difficultas iuxta secundam comparationem, sensus quæstionis est, per quid formaliter coniungantur inter se, in ratione loci & locati, locus corporeus, & Angelus existens in illo; ex qua dissolutione sequatur perditio loci, & prædictæ vnionis: si denique difficultas moueatur iuxta tertiam comparationem, tunc sensus præsentis quæstionis erit, per quid Angelus formaliter sit simul, & compræsens rei corporeæ, vel etiam loco corporeo, in quo verè & realiter existit: nam ad has tres comparationes locati ad locum extrinsecum, tota potest reduci difficultas de ratione, quâ existunt Angeli in loco extrinseco corporeo, & etiam varietas opinionum circa illam, VI.
C & per istas comparationes possunt variæ illæ sententiæ ad aliquam inter se concordiam reuocari: sit itaque VII.

Prima propositio. *Angeli prout comparantur primo modo ad locum extrinsecum, sunt in loco corporeo formaliter per actionem transeuntem:* ita sanctus Thomas hâc quæstione articulo primo, & plures ex eius interpretibus, explicando eius sententiam de existentia Angelorum in loco.

Probatur: per illud Angelus est sic formaliter in loco extrinseco, per quod ita est præsens, vt ambiatur superficie concauâ loci extrinseci, & ratione cuius dicitur habere partes aliquas correspondentes partibus talis loci, vt intelligitur ex eius definitione relata superiùs ex Aristotele: atqui Angelus habet totum istud formaliter in ordine ad locum ex-
D trinsecum, per operationem transeuntem corpoream: igitur Angelus prout comparatur ad locum extrinsecum, iuxta primam comparationem, est in illo formaliter per operationem transeuntem. Maior patet ex se, & ex definitione loci extrinseci. VIII.

Minor probatur quoad singulas partes, & primò quòd substantia Angeli ibi sit præsens, prout præsentia dicit existentiam seu positionem Angeli in tali spatio, quod intercluditur tali superficie, patet ex dictis.

Deinde quòd Angelus tunc ambiatur à concaua superficie talis loci, probatur ex eo, quòd tota substantia Angeli sit in illa, nec etiam naturaliter reperiatur extra illam, vt in aliquo loco extrinseco.

Tertiò, quòd Angelus ratione suæ opera-

I. tionis transeuntis corporeæ dicatur habere partes aliquas correspondentes partibus loci, probatur: quidquid est connexum rei vt extensæ, & habenti partes correspondentes partibus alterius entis etiam extensi, si non formaliter & propriè habeat partes, correspondentes prædictæ extensioni, saltem extensum est per denominationem extrinsecam ab ente extenso sibi coniuncto desumptam, quatenus est vbicumque aliqua pars entis extensi sibi annexi reperitur: atqui Angelus existens in loco extrinseco est coniunctus suæ operationi transeunti, quæ, cùm sit corporea, est extensa, habétque partes correspondentes partibus loci sui extrinseci: igitur & Angelus existens in loco extrinseco, est extensus, habétque partes correspondentes partibus loci sui extrinseci, per denominationem extrinse-
II. cam desumptam ab ipsa operatione transeunte.

Secunda propositio. *Angeli, prout secundo & tertio modo comparãtur ad locum extrinsecum, sunt formaliter in illo per ipsum suum vbi intrinsecum, non purè, & simpliciter consideratum, sed quatenus illud est simul, cùm vbi corporum, in quibus dicitur esse, sicque loquendo præcisè & formaliter existentia Angeli in loco extrinseco, nihil est aliud, quàm simultas Angeli in corpore quoad realem intimam præsentiam.* Ita Suarez citato libro quarto capite septimo, vbi pro hac sententia refert plures Scholasticos tam veteres, quàm recentiores.

Probatur primò tota propositio, simúlque explicatur exemplis existentiæ Dei in creaturis secundùm suam essentiam; item existentiæ corporis & sanguinis Christi Do-
III. mini, sub speciebus consecratis; nam ipsum existere Angeli in loco corporeo correspondet istis, & existere Dei per substantiam, seu essentiam in rebus, dicit tantùm existentiam substantialem Dei in eo spatio, in quo res creatæ existunt, significando simul ipsam simultatem existendi rerum in eodem spatio, vt quæstione octauâ huius partis ostendimus; nam sicut in Deo ipsum existere in rebus creatis nihil reale superaddit supra ipsum existere Dei in tali spatio, sed meram tantùm denominationem extrinsecam, natam ex ipsa coexistentia Dei, & creaturarum, & Deus dicitur tandiu esse in illis rebus per suam essentiam, quandiu talis coexistentia durat; sic etiam ipsum existere Angeli in loco corporeo nihil aliud dicit, quàm substantiam Angeli existere per
IV. suum vbi intrinsecum in illo spatio, quod locus ille corporeus importat, cum simultate ipsius vbi rei corporeæ, intra idem spatium: item quemadmodum existentia corporis & sanguinis Christi Domini sub speciebus consecratis nihil est aliud, quàm ipsum verum, & reale Christi Domini corpus, realis eius sanguis habentia suum intrinsecum vbi, intra totum illud spatium, quod species illæ consecratæ occupant, in ordine ad componendum cum illis vnum aliquod totale signum sacramentale, quatenus connotat simultatem ipsius vbi specierum consecratarum intra illud idem spatium, in quo corpus & sanguis Christi Domini sunt per suum vbi intrinsecum: & quemadmodum destructis rebus Deus remanens intra idem spatium non

A amplius dicitur propriè esse in illis, nihilque V.
reale deperdi, sed meram tantùm denominationem extrinsecam fundatam in coexistentia superiùs explicata, & Deus absolutâ suâ potentiâ posset conseruare corpus & sanguinem Christi Domini intra illud spatium, in quo sunt sub speciebus consecratis, destruẽdo penitus species, aut illas transferendo alibi, ipso tamen Christi Domini corpore & eius sanguine ibi remanentibus, nec tunc corpus & sanguis Christi Domini dicerentur esse sub speciebus consecratis; nihilque reale deperderent, sed meram tantùm denominationem fundatam in coexistentia prædictarum specierum: sic etiam & ipsos Angelos esse in aliquo corpore, vel loco extrinseco, nihil est aliud, quàm eos ita habere suam substantiam per suum vbi intrinsecum intra spatium ali-
B quod, vt tamen connotetur simultas ipsius VI.
vbi corporis, seu loci extrinseci intra idem spatium; vnde Angelus per sui positionem & existentiam in loco corporeo, nihil reale acquirit, præter modum illum intrinsecum, quem vocamus *vbi*, sed meram tãtùm denominationem extrinsecam fundatam in coexistentia: nec item deperdit quicquã reale eo ipso, quo desinit esse in aliquo corpore, vel loco extrinseco, sed prædictam tantùm denominationem extrinsecam, quæ sublatâ coexistentiâ etiam desinit.

Secundò probatur propositio: Angeli per illud sunt formaliter in loco extrinseco iuxta duas vltimas comparationes considerati, per quod Angelus & corpus seu locus extrinsecus coniunguntur sibi inuicem, & quo locus extrinsecus conseruat Angelum in esse locati,
C vt patet ex notabili præmisso ad nostras pro- VII.
positiones, & explicatione sensus præsentis difficultatis: atqui Angelus & corpus, in quo ipse Angelus est, seu locus eius extrinsecus, coniunguntur inter se, per ipsum intrinsecum vbi Angelicum, modo nostrâ propositione explicato consideratum, & existentia Angeli in tali loco tandiu durat, quandiu ipsum intrinsecum vbi Angeli, vt sic consideratum, quia statim atque connotatio superiùs explicata, & coexistentia deperditur in ipso intrinseco vbi Angelico, statim & ipsa existentia Angeli in tali loco deperditur, & econtrà hæc existentia Angeli in loco extrinseco tandiu durat & conseruatur, quandiu ipsum vbi intrinsecum Angelicum sub tali ratione conseruatur, & durat, quemadmodum intelligitur facilè exemplis superiùs petitis ab
D existentia tum Dei per suam essentiam in VIII.
omnibus rebus, tum etiam corporis & sanguinis Christi Domini in sacramento altaris: ergo Angeli sunt formaliter in loco extrinseco per suum vbi intrinsecum, modo in secunda nostra propositione explicato consideratum.

Quòd verò per idem eiusmodi vbi hoc eodem modo consideratum, Angelus sit in loco extrinseco iuxta tertiam comparationem locati ad locum extrinsecum, patet, quia simultas, coexistentia, compræsentia nihil aliud formaliter dicunt, quàm duorum, vel plurium entium simul existentiam, seu quòd plura entia habeant suum intrinsecum vbi simul, & in eodem spatio, proindéque sint sibi indistantia; atqui Angelus & locus eius

I. extrinsecus in tantum habent suum vbi intrinsecum in eodem spatio, in quantum ipsum vbi intrinsecum Angeli habet intimam & realem præsentiam simul cum intima & reali pręsentia ipsius loci extrinseci: igitur Angelus est etiam in loco extrinseco iuxta tertiã comparationem locati ad locum, per ipsum suum vbi intrinsecum, consideratum modo in nostra propositione explicato.

Hinc sequitur ipsum vbi intrinsecum Angeli nudè & simpliciter consideratum esse fundamentum ipsius existentiæ Angeli in loco extrinseco, & sublatâ hâc Angeli existentiâ in loco extrinseco, non propterea tamen ipsam absolutam & simplicem existentiam Angeli in tali spatio tolli.

Atque ex his colligitur Angelos sic existere in loco extrinseco, etiamsi nihil in illo, vel
II. circa illum operentur actione transeunte: nam corpus & sanguis Christi Domini licet sint modo quodam mortuo sub speciebus consecratis, nihilque de facto operentur, dum hoc sacramentum asseruatur in Ecclesia, attamen non desinunt dici esse ibi realiter præsentia, tanquam in aliquo loco extrinseco; & Angelus, cùm liberè exerceat actionem transeuntem, potest sese eodem modo habere in tali corpore, cessando ab omni opere transeunte, quo anteà sese habebat, dum aliquid transeunter operabatur, cùm semper sit illi coniunctus, tanquam forma quædam motrix assistens ipsi suo mobili; ex quibus duobus sic inter se coniunctis resultat vnum tantùm aliquod per accidens.

Dicitur autem Angelus esse in loco extrinseco, & non econtrà, locus extrinsecus in An-
III. gelo, quia Angelus est in corpore, & loco extrinseco tanquam motor in mobili, forma assistens, apprehenditúrque à nobis tanquam aliquis actus assistens; vnde cùm formæ & actui conueniat potiùs existere in alio, fit, vt rectè dicamus Angelos esse iuxta hunc modum in loco extrinseco, non autem locum extrinsecum in Angelo.

DISPVTATIO IV.

De comparatione Angelorum ad suos locos adæquatos & inadæquatos.

ARTICVLVS PRIMVS.

IV. *Vtrum Angelus in pluribus locis contiguis inadæquatis esse possit.*

NOTANDVM primò locum esse duplicem, vnum *adæquatum*, alterum *inadæquatum*; *adæquatus* respectu Angeli dicitur, qui ita proportionatur, vt Angelus possit quidem esse in eo toto, non tamen in maiori, quem dari respectu Angeli patet ex dictis suprà, vbi docuimus vnumquemque Angelum sibi vendicare determinatum locum, ex conditione sua naturali; qui tamen, quia sequitur perfectionẽ substantialem Angeli, & dantur Angeli, alij aliis perfectiores etiam substantialiter, vt pote, quando sunt diuersæ speciei, est etiã maior pro perfe-

A ctiori Angelo, & minor pro inferiori; locus *inadæquatus* ille dicitur respectu Angeli, in quo Angelus ita est, vt tamen possit esse in maiori. V.

Notandum secundò, nos hîc tantùm disputare de existentia Angeli in pluribus locis, secundùm virtutem eius naturalem; nec nos hîc disputare de eius existentia simul & semel in pluribus locis adæquatis, quia certum est apud omnes, & ipsum nomen *loci adæquati* id indicat, Angelum non posse simul & semel, virtute suâ naturali esse in pluribus locis adæquatis; nam eo ipso, quo Angelus esset naturaliter simul & semel in pluribus locis adæquatis, nullus eorum sumptus seorsim esset locali eius existentiæ modo naturali factæ *adæquatus*; sed tantùm *inadæquatus*: quòd verò diuinâ virtute Angelus possit simul & semel existere in pluribus locis adæquatis, proba-
B tur iisdem omninò argumentis, quibus Philosophi libro quarto Phys. & Theologi tertiã parte agendo de sacramento Eucharistiæ docent vnum, idémque numero corpus posse à Deo poni in pluribus locis. Restat ergo tantùm difficultas de locis inadæquatis: pro cuius explicatione VI.

Notandum est tertiò, plura loca inadæquata posse considerari duobus modis; primò quatenus sunt sibi contigua, nec aliquod habent intermedium spatium, verbi gratiâ, si spatium aliquod sit partim plenum aëre, partim plenum aquâ, cui toti spatio Angelus dicatur esse præsens, ibi dantur duo loca distincta partialia, seu discontinua, propinqua tamen, seu contigua: secundò quatenus duo illa, vel plura loca sunt per intermedium aliquod spatium, à se inuicem diuisa, sicut respe-
C ctu animæ rationalis sunt caput & pes hominis, quorum tamen neutrum seorsim sumptum est locus adæquatus animæ rationalis, imò nec simul coniuncta. VII.

Postremò notandum adhuc posse duobus modis intelligi Angelum existere etiam naturaliter in pluribus eiusmodi locis inadæquatis sibi contiguis: primò quatenus tota eius substantia potest quidem ibi consistere, ita vt etiam non sit in reliquis locis contiguis, proximè intra locum eius adæquatum contentis, sicut anima rationalis ita est in corpore, vt tamen quando datur in eo membrum aliquod mortuum, in eo non est, in quo tamen, si adesset debita dispositio ad informationem, non possit non esse naturaliter: secundò quatenus substantia Angeli ita apprehenditur poni in istis locis pluribus inad-
D æquatis sibi contiguis, vt pendeat à libertate Angeli sese tantùm constituere in prædictis locis contiguis, intra adæquatum locum Angeli contentis. VIII.

Difficultas præsentis articuli procedit tantùm de pluribus locis inadæquatis, iuxta priorem sensum tertij notabilis, & posteriorem etiam sensum quarti notabilis; ita vt quæratur an possit Angelus naturaliter non tantùm existere simul & semel in pluribus eiusmodi locis inadæquatis, sed etiam sese in illis liberè constituere, non occupando alia loca inadæquata proximè contigua, intra locum suum adæquatum contenta.

Prima propositio. *Angelus potest esse simul & semel in pluribus locis inadæquatis sibi contiguis.* Ita omnes communiter cum

I. sancto Thoma hâc quæstione articulo secundo.

Probatur: vbi plura loca inadæquata sibi contigua integrant vnum totalem & adæquatum alicuius entis indiuisibilis locum, tunc potest tale ens esse in aliquot locis eiusmodi inadæquatis, non existendo in reliquis, vt patet exemplo superiùs sumpto ab anima rationali, quia talis discontinuitas, quæ tunc reperitur inter eiusmodi loca, se merè habet per accidens ad vbi intrinsecum, per quod, ens istud indiuisibile est in loco, nec tollit, vel impedit distantiam, vel propinquitatem, quam tale ens indiuisibile habet ad quæcumque alia: atqui plura illa loca inadæquata contigua sunt quædam partes integrantes locum adæquatum Angeli.

II. Deinde anima rationalis dum est in corpore hominis adhuc in infantia constituti, ita est in toto suo corpore, vt si corpus illud comparetur ad se ipsum penes magnitudinem, quam in ætate virili habebit, censeatur esse quidam locus eius inadæquatus, constans pluribus partibus: ergo sicut animæ rationali secundùm suum naturalem statum consideratæ non repugnat simul & semel existere in pluribus eiusmodi locis inadæquatis contiguis, maximè cùm anima rationalis, quia est forma informans, maiorem habeat dependentiam à corpore, vt extenso, quàm Angelus habeat à loco vt extenso, poterit Angelus esse simul & semel in pluribus locis inadæquatis sibi contiguis.

III. Et hoc totum confirmatur ex eo, quòd sanctus Raphaël libro Tobiæ capite octauo alligauerit Asmodæum in deserto superioris Ægypti, per quam alligationem sanctus Raphaël intelligitur hunc dæmonem restrinxisse ad minorem locum, quàm ipse dæmon optaret, vel quàm etiam posset occupare, relictus suæ naturali perfectioni, & libertati.

Secunda propositio. *Angelus potest pro sua libertate constituere se in aliquibus locis sibi contiguis, non se constituendo in aliis etiam contiguis locum suum adæquatum ingredientibus.* Hæc propositio est cótra Gregorium *à Valentia* hac parte puncto tertio existimantem Angelum non posse sese constituere pro sua libertate in prædictis locis inadæquatis contiguis, quin etiam sese constituat in aliis sequentibus contentis intra suum locum adæquatum; est tamen communis omnium aliorum Scholasticorum, vt potest facilè intelligi tam

IV. ex dicendis, quàm ex dictis suprà pro prima nostra propositione, & est aperta sententia sancti Thomæ hîc articulo secundo, quando ait Angelum esse in diuisibili, vel indiuisibili loco, maiori vel minori *secundùm quod voluntariè applicat suam virtutem ad corpus maius vel minus*; quò loci ponderanda est particula *voluntariè*, quæ exprimit hanc nostram propositionem esse sancti Thomæ, quem omnes eius interpretes ibi sequuntur.

Probatur: vbi causa formalis existendi in loco considerata in particulari, quatenus est hæc, vel illa, subiacet voluntati ipsius locati tam secundùm modum suum, quàm secundùm suam existentiam, tunc locatum potest istam causam formalem ita producere, vt illud determinet ad existendum solum- A modò intra breuius spatium, quàm sit locus eius adæquatus, quia aliàs non censeretur subiacere eius libertati; atqui ipsum vbi intrinsecum est Angelo causa formalis existendi in loco, vt suprà diximus, & hoc eius vbi pendet quoad suam existentiam in particulari à libera voluntate Angeli, quia pendet ab illo Angelo motum localem liberè exercente; pendet item quoad modum suum à libera voluntate eiusdem Angeli se ipsum liberè mouentis, quia eius modificatio pendet ab applicatione motricis potentiæ ad sese mouendum, quam Angelus potest applicare ad mouendum suam substantiam, ad hunc tantùm locum, & non ad ampliorem, maximè cùm substantia eius sit indiuisibilis, nec dependeat à corpore, vt sit in aliquo spatio: igitur potest Angelus etiam liberè sese constituere in breuiori spatio, quàm sit locus B eius adæquatus, cuiusmodi sunt plures loci inadæquati contigui; & hoc patet in dæmone possidente aliquod corpus hominis, ad cuius pedes, vel aliam corporis partem sese restringit sæpenumero, deserendo reliquas eiusdem corporis partes. V. VI.

Articvlvs II.

Soluuntur fundamenta aduersariorum contra secundam nostram propositionem.

Primvm est: quòd substantialis perfectio Angeli non subsit eius libertati, sicut nec ipsa eius substantia, sed diuinæ tantùm voluntati, quia fecit Deus hunc & istum Angelum C esse tantæ, & non minoris perfectionis substantialis; atqui quòd Angelus tantum, & tantum locum habeat, prouenit ex substantiali eius perfectione, quò enim Angeli sunt perfectiores, eò etiam ampliorem habent sphæram loci. VII.

Respondetur hæc duo distingui, scilicet, perfectionem substantialem, vel consequentem substantialem perfectionem, subiacere libertati habentis talem perfectionem & vsum, seu applicationem talis perfectionis ad agendum consequentis substantiam, subiacere libertati habentis illam; quemadmodum patet in nostris potentiis, quæ licet insint nobis necessariò, attamen quoad applicationem & vsum, pendent à libertate nostræ voluntatis: in Angelo ipsa vis motiua ad tantum spatium est perfectio consequens per- D fectionem substantiæ ipsius Angeli; vnde Angelus non potest facere, vt vis eius loco motiua non sit tantæ virtutis, vel minoris in actu primo, ad sese extendendum in tantum, vel minus spatium: at ipsa localis motio producens vbi est tantùm vsus aliquis, & actus potentiæ loco motricis, qui vsus seu actus est talis, vel talis vbi, pro ratione applicationis istius potentiæ ad sic, vel sic mouendum, ad tantum vel minus spatium; ideóque cùm hæc applicatio fiat naturaliter in Angelo, ex imperio voluntatis eius, & ad illam sequatur necessariò tale vbi, sicut talis effectus ad talem causam, fit, vt Angelus possit pro sua libertate sese constituere in minori spatio, & in aliquot locis tantùm inadæquatis contiguis. VIII.

I. Secundum est: ista positio Angeli in locis inadæquatis sibi contiguis non constituendo se in aliis locis, non magis subiacet libertati Angeli, quàm subiaceat libertati Dei sese præsentem substantialiter constituere in aliquo loco, non existendo in aliis, vel etiam, quàm subsit libertati animæ rationalis informantis corpus, vt tantùm sit in vna illius parte, & non in aliis, quantumlibet rectè dispositis, vel etiam subsit libertati entis corporei, vt sit minoris quantitatis, quàm sit de facto, quia Deus & anima rationalis sunt entia etiam spiritalia, indiuisibilia, libera; imò Deus est in maiori perfectione libertatis, quàm possit cogitari esse Angelus; atqui Deus suâ etiam absolutâ potentia non potest facere, vt sit in minori aliquo spatio, & non existat in aliis; quia hæc existentia & immensitas Dei fundatur in
II. ipsa eius entitate, & substantiali perfectione, nec similiter anima potest id facere in suo corpore, quemadmodum experimur in nobis, neque item ens aliquod corporeum, vt patet ex iis, quæ communiter tradunt Philosophi de naturali eius extensione: igitur pari modo Angelus non poterit sese ita constituere in aliquot locis inadæquatis sibi contiguis, quin etiam ex necessitate suæ naturæ sese constituat in aliis proximis locum suum adæquatum ingredientibus.

Respondetur negando minorem; cuius disparitatis ratio non est, quòd maior, & perfectior libertas reperiatur in Angelo, quàm in Deo, hoc enim est blasphemum, sed potiùs maior perfectio Dei, vt existentis in aliquo spatio, quàm sit existentia Angeli, vel animæ rationalis, quòd scilicet Deus sit om-
III. ninò immobilis, & immutabilis intrinsecè, & necessariò immensus, existens in quouis spatio, cui ratione summæ huius perfectionis suæ repugnet non esse necessariò in omni spatio, & loco, proindéque ita constituere se ipsum in breui aliquo spatio, vt tamen in reliquo non reperiatur de facto; Angelus autem non est intrinsecè immensus, immobilis, sed habet certam sphæram sui loci, & continentiæ, existit in loco per aliquam formam modalem superadditam suæ substantiæ, dependentem tam quoad suam existentiam in particulari, quàm quoad modificationem ab ipsa voluntate Angeli, sicut à nobis dependet ipsa deambulatio, vel progressio; ideóque Angelus potest pro sua libertate sese in loco inadæquato suæ substantiæ constituere, non constituendo se in aliis etiam inadæqua-
IV. tis locis proximè contiguis.

Simili ratione respondetur ad exemplum desumptum ab anima rationali & corpore; est enim anima in corpore, tanquam naturalis forma informans corpus, cui naturale est, quandiu est in corpore, dare de facto esse omnibus, & singulis partibus corporis; sicque ex naturali necessitate habet totam, & adæquatam suam præsentiam ad totum suum corpus, & ad singulas partes eius; at Angelus non creatur à Deo tanquam forma informans corporis alicuius, vel loci: item corpus manendo sub eadem quantitate, & eadem raritate non potest facere, vt occupet maiorem locum; quia tunc vel aliqua eius pars nullum locum occuparet, vel duæ partes illius essent simul, & semel in eodem loco, quod

A vtrumque non potest fieri naturaliter ab illo, cùm quantitas extensa occupet locum quantum, & duæ quantitates sese naturaliter expellant ab eodem spatio; quod vtrumque non habet locum in Angelo, cùm sit immaterialis & indiuisibilis. V.

ARTICVLVS III.

Vtrum Angelus possit esse simul in pluribus locis inadæquatis a se inuicem spatio discretis, & intra locum suum adæquatum contentis.

SCOTVS libro 1. sententiarum distinct. 2. quæst. 7. & Gabriël ibidem quæst. 3. dubio 3. art. 3. dicunt præsentem difficulatem esse
B dubiam, circa quam nihil assertiuè pronunciant. Caietan. hâc quæst. art. 2. Ferrariensis lib. 3. *contra gentes* cap. 68. & ij ferè omnes, qui asserunt Angelum esse in loco per operationem, tuentur partem affirmantem, quia cùm Angelus liberè operetur, potest intra suum locum adæquatum applicare virtutem suam duabus istius sui loci extremitatibus, in illis operari, nolendo quicquam operationis exercere in intermedio spatio adæquati sui loci. His tamen non obstantibus, VI.

Sit prima propositio. *Si Angelus supponatur existere in adæquato loco per suum vbi, potest ita existens operari in duabus extremitatibus illius, non operando in intermediis locis; sicque poterit esse aliquo modo per operationem transeuntem corpoream & extensam in duobus locis discretis, non existendo in intermediis.*

C Probatur primò auctoritate S. August. lib. 11. *de Genesi ad litteram* capite 27. vbi ait, dæmonem, quando tentauit Euam, fuisse simul in serpente, per quem loquebatur, & in Eua instigando illam interiùs, ad consentiendum peccato; at Eua & serpens distabant spatio à se inuicem. VII.

Probatur etiam ratione præcedentis sententiæ; cùm enim Angelus possit operari in loco suo adæquato, remanens intra illum secundùm suam substantiam, potest pro sua libertate desinere operari in spatio intermedio, non tamen desinendo operari in extremitatibus, vel applicando virtutem suam agendi ad duas tantum extremitates, & nullo modo ad partes intermedias adæquati sui loci: nec aliqua inde sequitur substantiæ Angeli diminutio, vel ipsius eius vbi, cùm semper rema-
D neat in toto illo loco adæquato, & esse alicubi non inferat necessariò ibi operari, sed solummodò illæ eius operationes erunt discontinuæ & diuisæ, quod, cùm eius virtuti agendi sint inadæquatæ, non magis repugnat simul esse & fieri, quàm repugnet nos vnâ manu aliquid in vno loco, & aliud aliâ manu in altero intra locum nostrum adæquatum contento simul operari; & sicut hæc vtraque operatio non diuidit nostram substantiam, nec facit vnum totale vbi esse duo totalia vbi, ita nec hæc vtraque operatio Angeli facit, vt Angelus sit in se ipso diuisus, vel habeat duo vbi. Et iuxta hanc propositionem Ferrariensis, Caietanus, & alij superiùs relati possunt facilè conciliari cum aliis Scholasticis mox referendis. VIII.

I. Secunda propositio. *Angelus non potest virtute naturali sese secundùm suam substantiam & entitatem constituere in duobus locis inadæquatis discretis intra locum suum adæquatum contentis, non constituendo se in intermediis.* Ita Abulensis 2. parte quæstione 32. membro 3. sanctus Bonauentura 2. sententiarum distinctione 2. parte 2. articulo 2. quæstione 2. & plures ex recentioribus ad hanc S. Thomæ quæstionem, vbi illum ita explicant articulo 2.

Probatur primò ex Patribus, sancto Athanasio quæst. 26. *ad Antiochum*, Didymo libro *de Spiritu sancto*, S. Damasc. lib. 2. *de fide orthodoxa* capite 3. & aliis, qui in eo distinguunt Deum à creaturis, quòd Deus sit in omnibus locis, creaturæ verò minimè: & S. Damasc. disertè ait Angelos eodem tempore non posse esse, nec operari hîc, atque illic.

II. Neque responderi potest hos Patres esse intelligendos *de locis adæquatis*, non autem *de inadæquatis*: nam quâ ratione vnus & idem Angelus potest naturaliter esse simul & semel in pluribus locis inadæquatis, per aliquod intermedium spatium discretis, contentis tamen intra locum suum adæquatum, eadem planè ratione poterit esse simul & semel in pluribus locis inadæquatis quidem, sed discretis à se inuicem, & extra suum locum adæquatum positis; sícque simul, & semel poterit esse in cælo & in terra, in duabus oppositis extremitatibus totius vniuersi, & eadem ratione poterit naturaliter esse simul & semel in duobus locis adæquatis, à se inuicem discretis. Quod probatur: tota ratio, cur secundùm sententiam contrariam Angelus possit esse simul & semel in duobus locis inadæquatis, III. à se inuicem discretis, contentis tamen intra locum suum adæquatum, est, quia neuter istorum locorum, imò ambo simul sumpta non excedunt locum eius adæquatum; atqui eadem ratione possumus designare in cælo breue aliquod spatium, item aliud in terris, & similiter in singulis mundi extremitatibus sibi oppositis, quæ tamen omnia spatia simul iuncta non excedunt locum adæquatum Angeli: igitur sicut Angelus potest naturaliter esse simul & semel in duobus locis inadæquatis discretis, contentis tamen intra locum suum adæquatum, sic etiam poterit naturaliter esse simul & semel in duobus locis inadæquatis discretis, & extra locum suum adæquatum positis: at hoc est absurdum, vt etiam agnoscit Caietanus hîc articulo secundo.

IV. Dices hanc rationem non esse totalem, sed prætereà ei esse addendum, *vt loca ista inadæquata contineantur intra ambitum loci adæquati*, quia sicut Angeli habent certam sphæram suæ actiuitatis, ita & continentiæ; ideóque, cùm in nostra ratione duo loca discreta ponantur extra ambitum adæquati loci Angeli, non est mirum, si simul & semel non possit esse in illis, sicut est in duobus locis inadæquatis discretis, contentis tamen intra locum suum adæquatum.

Sed hæc solutio non tollit vim nostræ rationis, quia tunc tantùm maior, vel minor distantia locorum partialium impedit, ne aliquod ens creatum ponatur virtute naturali in illis, quando hæc loca naturaliter postulant continuationem inter se ad hoc, vt aliquid simul & semel existat in illis connaturaliter; si

A nullam habeant dependentiam à medio, ad hoc, vt aliquid recipiant intra se, tunc maior vel minor distantia videtur omninò impertinens, cùm nulla possit afferri necessitas indistantiæ: atqui iuxta sententiam, quam hîc impugnamus, duo loca partialia Angeli aliquo spatio à se inuicē discreta, non postulant inter se continuationem, ad hoc, vt Angelus sese virtute suâ naturali constituat in illis: ergo maior illa distantia, quam hæc loca partialia habent, discreta inter se, quando accipiuntur extra locum adæquatum Angeli, non impediet, quin Angelus suâ virtute naturali sese in illis constituat, vt extra locum suum adæquatum consideratis. V.

Probatur secundò propositio: cuicumque repugnat solis suæ naturæ viribus, vel suam substantiam, & entitatem diuidere, vel eam B reproducere in pluribus locis à se inuicem aliquo intermedio spatio discretis, eidem repugnat sese per virtutem suam naturalem tantùm constituere in illis pluribus locis discretis, quia omnis creata substantia est in loco per suum vbi, quod nullibi de facto reperitur sine substantia, cuius est proprium vbi, cùm sit modus, & modus nunquam detur sine re, cuius est modus; & proinde, vt aliqua substantia habeat duo vbi, ratione duorum locorum, intermedio spatio discretorum, in quibus dicatur existere, illa debet esse entitatiuè in vtroque illo discreto loco, vel diuiso quoad suam entitatem, vel in vno saltem loco reproducta, vt patet in mysterio Eucharistiæ, in quo corpus & sanguis Christi Domini sunt per multiplicem reproductionem: atqui Angelus non potest propriam substantiam, & entita- VI. C tem virtute suâ naturali diuidere, est enim substantia spiritalis; nec item alibi seipsum reproducere, quia hoc est miraculosum, vt Theologi docent, dum agunt de sacramento Eucharistiæ, & Angeli per vim suam naturalem non possunt facere miracula: igitur Angelus non potest sese solis naturæ suæ viribus constituere in pluribus locis inadæquatis, per aliquod intermedium spatium discretis. VII.

Dices: dum Angelus est in loco suo adæquato, per multas replicationes suæ entitatis, quibus illa veluti explicatur per totum locum, & singulas partes illius, cùm hæc replicatio fiat pro arbitrio Angeli, nónne potest nolle replicare suam substantiam in medio loci sui adæquati, sed tantùm in extremitatibus illius; vel quando est replicata per totum locum adæquatum, tollere replicationem à meD dio loci adæquati, & illam tantùm conseruare in extremitatibus? VIII.

Respondeo non posse, quia licet hæc replicatio sit libera Angelo, attamen prout est in tali spatio, longè distante ab eo, in quo est substantia Angeli, non est hæc replicatio ei possibilis, nisi mediante replicatione suæ substantiæ in spatio intermedio, sicut licet sit nobis liberum extendere brachium ad tale spatium, non tamen nisi priùs extenderimus illud ad intermedium spatium: quia enim replicatio debet fieri in spatio veluti continuo saltem naturaliter, vt patet in anima, quæ naturaliter non potest existere in extremis partibus corporis, non existendo in medio illius; imò & in ipso Deo, quia vt docuimus quæstione octauâ huius primæ partis, non potest existe-

I. re in duabus extremis partibus alicuius spatij, etiam imaginarij, quin existat in medio, fit, vt etiam Angelus non possit sese constituere in duabus extremitatibus loci sui adæquati, quin etiam occupet intermedium illius spatium.

Tertia propositio. *Si Angelus supponatur esse tantùm formaliter in loco per operationem transeuntem, ita vt sine illa, non sit etiam quoad suam substantiam in spatio, tunc non potest Angelus esse in pluribus locis inadæquatis, aliquo spatio discretis, intra locum suum adæquatum contentis, nisi etiam simul sit in locis intermediis.*

Probatur: ibi tantùm est Angelus iuxta hanc sententiam, vbi operatur; atqui Angelus non potest operari in duabus oppositis extremitatibus loci sui adæquati, non operando in intermedio illarum spatio: igitur Angelus
II. non potest esse in duabus illis extremitatibus oppositis. Maior patet ex se. Minor probatur auctoritate S. Thom. hâc primâ parte quæst. octauâ articulo primo, vbi vniuersaliter ait esse de ratione agentis immediatè, vt sit simul cum suo effectu: item Scoti 2. sententiarum distinct. 2. quæst. 6. item S. Damasc. cit. cap. 3. & aliorum Patrum superiùs relatorum, quando dicunt motum esse Angelis necessarium, vt operentur vbi anteà non erant; quod esset falsum, si possent operari in posteriori extremitate loci sui adæquati, non operando in aliis eius partibus antecedentibus, sibíque proximioribus, quatenus non haberent opus aliquâ mutatione locati, quâ suam substantiam explicando, eam facerent præsentem ei loco partiali, in quo operantur.

Deinde eadem minor probatur ratione:
III. naturalis modus agendi cuiusque causæ efficientis, est agere quasi per lineam continuatam suæ actionis à proximo in distans; atqui Angelus operans in posteriori extremitate loci sui adæquati est causa efficiens suæ eiusmodi operationis, & agit modo tantùm naturali, quia agit solis suæ naturæ viribus; & hæc pars posterior extremitatis loci sui adæquati est aliquo modo distans à sua substantia existente in prima antecedenti extremitate eiusdem loci sui adæquati: igitur hæc operatio Angeli debet esse per lineam continuatam à proximo spatio in prædictam extremitatem, & ex consequenti ista operatio ita debet esse in prædicta posteriori extremitate, vt Angelus operetur etiam in illis spatiis, quæ mediant inter aliam extremitatem & istam.

Maior vltima patet inductione factâ per
IV. omnes causas naturales, quæ dum agunt in distans, semper agunt actione transfusâ per medium, vt docent communiter Philosophi, & experientia docet actionem agentis naturalis impediri aliquo interiecto corpore: cuius rei hæc est ratio, quòd debeat priùs agere in propinquum, quàm in distans, nec vlla probabilis ratio potest afferri, quæ à communi lege agendi extrahat Angelos, cùm ipsum medium veluti sustineat & quasi deferat actionem agentis, & proinde licet Angelus sit omninò spiritalis, sitque absolutus à corpore, non tamen à propinquitate locali, quæ in agente saltem principali, cuiusmodi est Angelus, respectu operationis, de qua loquimur, est necessaria.

Confirmatur ampliùs: quia si Angelus pos-
A set operari in eiusmodi extremitate, non operando in medio, tunc quia medium sese haberet omninò per accidens, imò impertinéter ad operationem Angeli, tam benè posset operari in extremitate simili ad quamlibet distantiam posita, sícque existens & remanens in cælo, posset operari in alia parte vniuersi omnium remotissima à cælo, quod tamen nemo admittit, cùm Patres superiùs relati dicant eos oportere descendere in hæc inferiora, vt hæc & ista præstent. V.

Nec facit in contrarium, quòd Angeli dicantur operari per voluntatem: & piscis quidam nomine *torpedo*, vt refert Aristoteles lib. 19. *de historia animalium* cap. 37. dicatur causare in brachio piscatoris magnum torporem, quem tamen non causat in arundine, vel hamo, vel rete intermedio, quo capitur.

B Nam primò falsum est voluntatem Angeli VI. esse causam proximam efficientem actionis transeuntis, quam exercet, cùm sit tantùm impulsiua, sed motrix eius potentia est causa proxima efficiens talis actionis. Deinde falsum etiam est prædictum piscem nihil producere in illo corpore intermedio, quo capitur, nam idem ille piscis non potest torporem illum causare in brachio alterius hominis in eadem ad ipsum piscem distantia posito, nec tamen tangente hamum, vel corpus intermedium, quo capitur, quod impedimentum causatur tantùm ex defectu continuationis medij: vnde piscis ille licet in hamo, arundine, retibus, vel alio corpore, quo capitur, non producat torporem propter incapacitatem subiectorum eiusmodi; attamen producit in illis vel frigiditatem, vel aliquam aliam qua-
C litatem, quæ perueniens ad brachium pisca- VII. toris, coniuncto prædicto instrumento, quo capitur, producit torporem, cuius est subiectum capax; & sic de aliis similibus experientiis dici potest semper produci in ipso medio aliquam qualitatem, quâ mediante talis effectus tandem producitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum detur aliquis locus diuisibilis ita minimus, vt Angelus non possit sese constituere in minori.

GREGORIVS à *Valentia* loco superiùs citato cum quibusdam aliis antiquioribus affirmat dari aliquem locum diuisibilem, quo non possit dari minor, in quo Angelus
D existat: atque huic sententiæ fauet Vasque- VIII. sius hîc disp. 19. cap. 2. dum ait non constare nobis, vtrum Angelus possit esse in minori & minori loco in infinitum.

Melior tamen aliorum sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus: *Angelum naturaliter posse pro sua libertate sese constituere in minori & minori loco diuisibili:* ita S. Bonau. 2. sententiarum cit. 2. parte 2. dist. art. 2. quæst. 3. Maior eadem dist. quæstione 9. Caietanus & plures alij ad 2. artic. huius quæst. in quo S. Thomas satis expressè hanc nostram propositionem tradit.

Probatur primò: nullum potest afferri fundamentum, ex quo Angelus necessitetur ad existendum in aliquo loco diuisibili, qui sit maior minori: ergo potest pro sua libertate

I. sese constituere in loco minori & semper minori diuisibili. Consequentia patet ex se. Antecedens probatur: istud fundamentum vel esset ipsa Angeli *substantia*, vel *forma*, per quam formaliter constituitur in loco, vel *modus ipse*, quo entitas Angeli est in loco, seu habet se ad locum, vel ipsa eius *operatio transiens*, quia hæc tantùm possunt distingui in Angelo per comparationem ad locum, in quo possit sese constituere: atqui ex nullo istorum capitum repugnat Angelum sese constituere in minori, & minori semper loco diuisibili, quàm sit locus maior minori. Non quidem ex parte suæ *substantiæ* vel *formæ*, per quam est formaliter in loco, quia hoc vtrumque est indiuisibile, nec proinde postulat necessariò aliquem locum diuisibilem, & certæ cuiusdam magnitudinis.

II. Nec item repugnat ex parte *modi*, quo Angelus est in loco, quia est totus in toto & totus in qualibet parte, vnde sicut anima rationalis est in qualibet parte minima loci sui adæquati, ita & Angelus.

Nec obstat, quòd anima postulet corpus certæ cuiusdam quantitatis, infra quam non possit existere in corpore; est enim quoad hoc dispar ratio, scilicet, quòd anima rationalis sit in corpore, vt forma informans, ad quod requiruntur organa, & certa quædam eorum dispositio, quæ omnia non possunt rectè saluari in quouis corpore quam breuissimæ staturæ: Angelus verò non est in loco, vt illum informet, sed est absolutus & independens à corpore.

Item repugnat ex parte operationis transeuntis, quia, vt iam ostendimus, Angelus
III. verè & realiter potest alicubi existere, eséque indistans, vel propinquus alicui corpori, licet nihil operetur.

Probatur secundò: vbicunque Angelus potest immediatè operari, ibi potest esse, quia operatio immediata importat propinquitatem localem agentis ad patiens, vt ostendimus: atqui Angelus potest operari, seu aliquam actionem transeuntem exercere in loco minori diuisibili, & semper minori diuisibili, verbi gratiâ, potest mouere aliquam minimam partem alicuius continui, & est quælibet pars continui ex Aristotele libro sexto *Physicorum* adhuc diuisibilis in infinitũ: ergo poterit sese constituere in loco minori diuisibili & semper minori diuisibili; licet enim multoties diuisione repetitâ possit deueniri ad aliquam partem continui ita minimam, vt quia fugit nostros
IV. sensus, non possit diuidi à nobis, quia tamen Angelus in cognoscendo est independens à corpore, longéque perfectiùs cognoscit res naturales, quàm nos, ille poterit cognoscere istam minimam partem esse adhuc diuisibilem, imò & eam diuidere, & si adhuc ponatur indiuisibilis respectu Angeli, attamen non respectu Dei, cùm supponatur continua, & quodcumque continuum sit diuisibile in infinitum, & ita poterit Angelus circa illam operari, sicque semper constituere sese in minori loco, scilicet imprimendo motum prædictæ parti, vt actu & formaliter diuisæ à suo toto, vel etiam relinquendo illam in toto, poterit ei immediatè imprimere motum, & per illam reliquas totius partes mouere, vt indicat S. Thomas hâc quæst. art. 2.

A Atque ex his constat, disparem esse rationem magnitudinis ac paruitatis loci Angelici, V.
quòd scilicet, quia noua occupatio loci prouenit ex ipsa motione Angeli, quâ se mouet ab vno loco ad alium, vel suam substantiam extendit, & hæc virtus est finita, cùm sit entis creati, debuit locus adæquatus Angeli habere certos quosdam terminos suæ magnitudinis; sicque datur ex parte Angeli aliquod fundamentum sui termini loci adæquati, quoad magnitudinem, & quoad paruitatem respectu loci diuisibilis nullum potest pro ea desumi fundamentum, ex parte Angeli, vel etiam operationis eius, vt ostendimus; ideóque licet Angelus non possit sese constituere in maiori loco diuisibili, posse tamen sese constituere in loco minori diuisibili, & semper minori diuisibili.

B Obiicies: si Angelus possit naturaliter sese VI.
constituere in minori & minori loco diuisibili secundùm latitudinem, poterit etiam sese constituere in maiori loco secundùm longitudinem, & maiori; at hoc repugnat supradictis, quibus docuimus Angelum habere locũ determinatum quoad magnitudinẽ. Sequela maioris probatur ex Euclide libro primo elemẽtorum propositione 35. *Quidquid potest esse sub vno æqualium determinato, potest etiam esse sub quouis alio æqualiũ, nisi figuratio obstet*; atqui Angelus caret figuratione, quia est substantia purè spiritalis, & ex hypothesi potest sese naturaliter cõstituere in loco latitudinis quatuor pedum, & pro sua libertate in minori & minori loco secundùm latitudinem; iam quod detrahetur eius latitudini, addatur eius longitudini, quemadmodum locus ille minuetur
C secundùm latitudinem, sic crescet secundùm VII.
longitudinem: ergo tunc Angelus poterit occupare tantum spatij secundùm longitudinem quantum reliquit secundùm latitudinem; sed illud quod potest detrahi tali latitudini, est syncategorematicè infinitum quia hæc latitudo est in infinitum diuisibilis, sicut omne continuum: ergo etiam Angelus tunc poterit occupare locum longitudinis infinitæ saltem syncategorematicæ, sicque non habebit certum & determinatum locum secundùm magnitudinem, cuius tamen contrarium suprà docuimus.

Respondetur, omissâ solutione Maioris lib. 2. sentent. dist. 2. quæst. 4. Caietani hâc quæstione concedentium totum, quod infert obiectio, quod tamen ex dictis patet esse falsum, negando sequelam maioris, ad cuius pro-
D bationem desumptam ex citata propositione VIII.
Euclidis, respondetur eam tantùm esse veram, considerando solummodò & præcisè ipsam extensionem, & commensurationem quantitatis mathematicæ, non autem semper esse veram, quando quantitates illæ considerantur per ordinem ad substantias, quas afficiunt; fit enim aliquando, vt ipsa natura, seu substantia, quæ afficitur tantâ extensione, sit talis conditionis, vt nimia magnitudo, vel paruitas repugnet propriæ eius conditioni: & multominùs hæc propositio Euclidis habet locum in substantiis spiritalibus; quemadmodum etiam videre est in anima rationali, quæ licet possit informare aliquod corpus tantæ longitudinis, & latitudinis; attamen non potest informare corpus contractę latitudinis

I. cum duplici longitudine; quia scilicet requirit certam proportionem inter organa, & præterea virtus eius, sicut & reliquorum agentium est determinata ad aliquam distantiam; pari modo, quia virtus motrix in Angelo est determinata ad certam distantiam, Angelus non poterit addendo longitudini sui loci id, quod detrahitur eius latitudini, sese constituere in maiori & maiori loco, quàm ferat distantia loci sui adæquati, secundùm omnes suas dimensiones considerati.

Ex his omnibus patet esse falsum, quod Vasquesius suprà dicebat, scilicet *nobis non constare vtrum Angelus possit esse in minori & minori loco diuisibili in infinitum*; nam id probauimus etiam *positiuè*, sumpto argumento ab operatione, quam Angelus pro sua libertate potest exercere in eiusmodi loco, & paris esse
II. facilitatis Angelo sese constituere in eiusmodi minori & minori loco, quia hoc totum pendet ab eius voluntate applicante vim motricé ad faciendum talem motum, & tale vbi, & proinde vel eius extensionem, vel contractionem, quâ prior eius applicatio deperdatur.

Articvlvs V.

Vtrum Angelus possit esse in puncto.

NEGANT Alensis secundâ parte quæstione trigesimâ septimâ membro tertio, S. Bonauentura suprà, & nonnulli alij.

Melior tamen est affirmans sententia, cum qua cõcludimus: *Angelus potest sese naturaliter constituere in puncto, seu indiuisibili loci sui adæquati.* Propositio est S. Thom. art. 2. huius
III. quæst. & plurium eius interpretum ibi, qui communiter supponunt dari puncta, & licet supponeretur nulla de facto dari actu puncta, sed illa esse tantùm in potentia, vel apprehensione intellectus, per solam designationem; adhuc tamen nostra propositio retineret suam veritatem, quatenus tunc sensus huius esset, eo modo, quo fieri potest, vt duo corpora sese realiter contingant in aliquo indiuisibili, siue reali, siue secundùm designationem tantùm, verbi gratiâ, corpus perfectè sphæricum potest tangere corpus perfectè planum, in quo contactus ille realis perficitur, quidquid sit illud & cuiuscumque conditionis.

Propositio sic explicata probatur: vbicumque Angelus potest habere suum vbi intrinsecum, ibi potest existere, & habere præsentiam substantialem ipso vbi intrinseco importa-
IV. tam, item distantiam, vel propinquitatem à quocumque alio existente in distanti, vel propinquo spatio; talis enim existentia localis est formalis effectus istius vbi intrinseci, qui à sua causa formali non potest separari: atqui Angelus potest habere, imò acquirere vbi intrinsecum in indiuisibili, modo nunc explicato, quia ex dicendis sequenti quæstione Angelus potest mutatione instantaneâ transire ab vno loco sibi inadæquato ad alium sibi proximum etiam inadæquatum, & prætereà ipsum vbi, tam quoad suam modificationem, quàm quoad suam existentiam in particulari, quatenus est hoc, vel illud in indiuiduo, pendet à libera voluntate Angeli, vt suprà docuimus; nec datur aliqua repugnantia, vel ex parte ipsius loci indiuisibilis, vel ex parte ipsius

A Angeli substantiæ, vel etiam ex parte ipsius vbi, cùm ista omnia sint indiuisibilia, nec ex sua natura postulent realem extensionem: igitur nihil obstat, quin Angelus possit naturaliter sese constituere in puncto, seu in indiuisibili. V.

Neque est, quòd sanctus Bonauentura suprà obiiciat, punctum cùm non dicat superficiem ambientem, & circumscribentem, non posse esse locum, de cuius ratione est ipsa sua diuisibilitas, & correspondentia, seu circumscriptio partium loci ad partes locati.

Nam hîc nomine *loci* non intelligimus veram, vel etiam imaginariam superficiem propriè dictam, quæ importet extensionem, seu aliquem ambitum partium locati ad partes loci, sic enim certum est Angelum non esse in puncto; sed nomine *loci* tantùm intelligimus
B id, in quo verè & propriè ita existat Angelus, vt tamen extra illud non sit, habeátque ibi præsentiam, & indistantiam, quod propriè conuenit puncto comparatione Angeli, qui etiam est indiuisibilis, potéstque ita totam suam substantiam constituere, vt nihil eius existat extra prædictum istud indiuisibile. VI.

Nec etiam est, quòd alij obiiciant punctum non esse capax alicuius operationis transeuntis. Primò, quia per illam non est formaliter in loco, sed absque operatione transeunte, Angelus potest esse alicubi, & habere suam substantiam præsentem; idcóque etiamsi ex hypothesi Angelus nullam actionem transeuntem posset exercere circa aliquod indiuisibile, vel in aliquo indiuisibili, non propterea tamen desineret posse esse in indiuisibili, quia supposito, quòd operaretur circa locum diui-
C sibilem, posset desistere ab omni operatione transeunte, & sic contrahere suam substantiam ad aliquod indiuisibile. VII.

Deinde Angelum posse immediatè operari in puncto, vel saltem inchoare operationem in puncto, patet explicatione sensus nostræ propositionis; vt enim globus perfectè sphæricus tangit planum in puncto, vel in aliquo indiuisibili, quod respondet puncto, ita etiam Angelus potest ibi applicare suam virtutem, istúmque contactum causare, sícque se in tali puncto constituere, siue punctum istud sit verum, siue tantùm sit in potentia & aliquod correspondens alicui puncto reali.

Articvlvs VI.

Soluitur dubium.

D VIII.

QVÆRÉS, cùm dixerimus Angelũ existentem in loco inadæquato, dum vult adæquatũ locum, in cuius aliqua parte iam existit, occupare, replicare solummodò suum vbi, explicando suam substantiam simul, sícque esse in toto suo loco adæquato, & dum se ipsum retrahit ab aliqua eius parte, deperdere solummodò vnã, vel plures replicationes ipsius sui vbi, pro ratione suæ contractionis & retractionis: quæres, inquam, quomodo, dum relinquit vel totum suum locum adæquatum, vel aliquam eius partem, & occupat aliam partem alterius loci sibi etiam adæquati, constituatur in eo; an per nudam & simplicem tantùm replicationem prioris sui vbi, an verò per acquisitionem noui vbi.

I. Respondetur conformiter ad id, quod suprà diximus, quamprimum Angelus constituitur in aliquo loco, acquirere ipsum vbi toti huic suo loco correspondens, secundùm suam entitatem, non tamen necessariò acquirere illud secundùm suas omnes replicationes actu, sed tantùm in virtute, quatenus illæ omnes continentur in ipsa entitate eius vbi, vt in sua radice: accipit autem hanc vel illam replicationem, vnam, vel multiplicem sui vbi, pro arbitrio suæ voluntatis, quia ipsa modificatio *vbi* subest eius voluntati, sicut & ipsa explicatio suæ substantiæ: quando verò relinquit aliquid adæquati illius loci, quod ipsum eius vbi, quo iam afficitur, secundùm omnes suas replicationes consideratum respicit, séque constituit in aliqua parte alterius loci similiter adæquati, tunc ista constitutio in loco non fit
II. per explicationem, seu replicationem vbi, quod anteà acquisiuit sese constituendo in prædicto loco, quia tale vbi erat determinatum ad eas solummodò replicationes, quę poterant facere, vt substantia Angeli esset tota in illo loco adæquato, & tota in qualibet eius parte: sicut enim locus adæquatus Angeli est determinatus ad certam distantiam, & explicationem, ita & ipsum eius vbi; & sicut dantur plura loca, quę singula secundùm se, & seorsim sumpta adæquant localitatẽ Angeli, ita etiam dari possunt plura vbi adæquata, quæ istis pluribus locis respondeant; ideóque quando Angelus relinquit vnam partem loci sui adæquati, retinendo adhuc aliquas, & acquirit aliquot alias partes noui loci adæquati, tunc in illis ponitur per acquisitionem noui vbi, secundùm totã suam entitatem quidem,
III. non tamen quoad omnes replicationes actuales, sed quoad eas tantùm, quæ istis partibus loci inadæquatè occupati respondent, & dum reliquas omnes partes loci prædicti adæquati relinquit, non tantùm deperdit omnes replicationes illi correspondentes, sed & ipsum vbi, quoad totam suam entitatem.

Dices: tunc vnum & eundem numero Angelum, simul & semel habiturum duo vbi, vnum correspondens priori loco adęquato, in cuius aliqua parte est adhuc, & alterum correspondens alteri loco adæquato, in cuius etiam aliqua parte existit, quatenus locus quem nunc adæquatè occupat, componitur ex partibus duorum locorum adæquatorum: at repugnat dari simul & semel duo vbi, in eodem ente: tum quia non dantur in eodem subiecto plura accidentia solo numero distincta, cuius-
IV. modi sunt ista duo vbi: tum etiam quia, cùm ipsi vbi respondeat existere in loco, tanquam formalis effectus, Angelus esset naturaliter simul & semel in duobus locis; tum etiam quia ipsa duo vbi facerent vnum quid veluti continuum, sicut est ipsum spatium, in quo tunc Angelus existit, vel quid discontinuum, & solummodo vnum per aggregationem, quatenus vnum vt distinctum, aduenit alteri vt à se distincto, & semper retinet suam distinctionem ab illo.

Respondetur concedendo Angelum tunc habiturum duo vbi, nec hoc magis implicat, quàm nos habere duo, vel plura vbi, quando ambas manus extendimus extra spatium, quod nostrum corpus occupat. Nec obstat, quòd hæc duo nostra vbi sint in duobus dis-
A tinctis subiectis, illa verò duo vbi Angeli sint in eadem numero eius substantia: nam ista V.
duo vbi ita solo numero distinguuntur, vt tamen dicant habitudinem ad duo distincta spatia, súntque minimæ entitatis, cùm sint tãtùm quidam modi; vnde sicut dantur de facto plures relationes solo numero distinctæ in eodem subiecto, verbi gratiâ, plures paternitates in vno, & eodem homine habente plures filios, quia sunt ad distinctos terminos, & minimæ entitatis, ita etiam duo vbi solo numero distincta poterunt esse naturaliter in eodem Angelo, ita vt ratione huius sit in aliqua parte loci sibi adæquati, & ratione alterius, in aliqua etiam parte alterius loci, quem posset adæquatè occupare; sicque Angelus esset tantùm in duobus locis inadæquatis sibi continuis, vel contiguis: & licet totum eius spa-
B tium, quod componit hunc vtrumque locum VI.
inadæquatum Angeli sit continuum, ipsa tamen vbi, per quæ formaliter in illis constituitur, non erunt vnum aliquid entitatiuè continuum, sed duo distincta, sicut duo accidentia spiritalia in eodem subiecto distinguuntur à se inuicem; quæ tamen duo vbi component vnam præsentiam continuam ratione spatij, sicut plura illa vbi, quæ corpus Christi Domini habet in tota Eucharistia, vnam tantùm componunt præsentiam continuam ratione spatij, licet distinguantur realiter à se inuicem.

Dices: quando existens Angelus in aliqua parte loci sui adæquati sese extendit ad reliquas, quidnam acquirit.

Respondetur acquirere replicationem, seu explicationem vbi, quod iam entitatiuè ha-
C bet, quæ replicatio, si præcisè consideretur, VII.
nihil est aliud, quàm aliquis modus eiusmodi vbi, quia per illam non tantùm ipsamet substantia Angeli, sed etiam ipsum vbi modificatur, cùm enim non haberet hanc vel illam actu extensionem, sed tantùm virtute, nunc illam accipit actu & de facto; vnde modus ille Angeli existentis in proxima sibi extremitate loci sui adæquati, ad vltimam extremitatem eiusdem loci terminatur ad ipsum vbi non nudè & simpliciter sumptum, sed vt actu explicatum, seu ad ipsam eius extensionem seu explicationem.

Neque est, quòd quis dicat iuxta hanc explicationem dari *modum modi*, quod tamen communiter omnes negant: nam tunc tantùm est absurdum dari *modum modi*, quando inde sequitur progressus in infinitum: at quã-
D do talis progressus non sequitur, sed potest ad VIII.
aliquod primum & vltimum peruenire, tunc non est inconueniens dari *modum modi*, quando diuersi effectus assignantur prouenientes ex formis modalibus; sic punctus est aliquis modus lineæ, linea superficiei, superficies corporis, & sic existentia communiter dicitur à Philosophis *modus essentiæ*, subsistentia *modus existentiæ*: at in præsenti casu statim deuenitur ad vltimum aliquod, vt per se patet.

Respondetur secundò, quòd si modus iste philosophandi circa ipsum vbi Angeli, & eius existentiam in aliquo loco minus placeat alicui, poterit cum quibusdam recentioribus respondere, vbi Angelicum esse diuisibile per partes formaliter à se inuicem distantes, correspondentes diuersis partibus loci, quarum

I. vna acquiratur per motum de nouo factum ad nouam partem loci, aut spatij, & altera deperdatur per recessum ab alia parte spatij, sicut fit in nobis, nec magis repugnare dari tale vbi diuisibile secundùm extensionem in subiecto spirituali, cuiusmodi est Angelus, quàm dari in nostro intellectu, vel voluntate spiritalem qualitatem, quæ sit quoad plures gradus, seu intensionem diuisibilis; imò & secundùm extensionem, vt est habitus scientiæ, qui paulatim extendit se ad plures, & plures conclusiones cognoscendas; & sic facilè intelligi semper aliquid de nouo acquiri per quamlibet mutationem loci, & aliquid deperdi per recessum ab illo, sicque vbi totale posse deperdi successiuè, sicut & ipsa vnio animæ rationalis à suo corpore potest successiuè deperdi.

II. Verùm qui hunc respondendi modum existimauerit esse faciliorem, videat qui fieri possit, vt, cùm istud vbi sit entitatis purè spiritalis, sicut & ipse Angelus, habeat partes formaliter extensas, & distantes quoad spatium, cùm modus existendi rei purè spiritalis, iuxta communem veterum, & recentiorum Theologorum sententiam, sit existere totum in toto, & totum in qualibet parte: deinde, qui fieri potest, vt accidens istud, quod vocamus vbi, sit actu in Angelo, tanquam in proprio subiecto, habeat formaliter extensionem actualem, nec tamen formaliter extendat suum subiectum, seu non faciat Angelum habere formaliter partes extra partes in ordine ad spatium, sicut hoc vbi supponitur habere in ista responsione; cùm quælibet pars istius vbi, vt de facto extensa & rema-
III. nens naturaliter in quacumque parte illius spatij sibi correspondente, inhæreat de facto substantiæ Angeli, eúmque faciat formaliter esse præsentem huic spatio, tanquam vni parti alicuius maioris spatij.

Nec quicquam facit pro hac secunda responsione exemplum sumptum ab *intensione qualitatis*, vel etiã *extensione habitus scientifici* ad plures conclusiones; nam proprius & formalis effectus intensionis, non est intendere substantiam, cui inest subiectiuè, sed efficaciam seu actiuitatem formæ alicuius accidentalis ei inhærentis adaugere, quod rectè intelligitur fieri additione graduum ad gradus in subiecto purè spiritali, per formas accidentales purè etiam spiritales, cùm propter indiuisibilitatem suam rectè concipiantur ita esse in eodem subiecto indiuisibili, vt alij aliis sint
IV. posteriores, qui spiritalem vim agendi priorum augeant, & formalis & proprius effectus quantitatis corpulentiæ, seu molis est dare subiecto cui inhæret, vt sit aptum natum habere partes extra partes ita extensas, vt vnaquæque illarum possit occupare distinctum locum, & de facto occupet, nisi aliunde impediatur, quod nullo modo potest conuenire substantiæ purè spiritali, qualis est Angelus.

Neque etiam prædicta extensio habitus scientifici facit ad propositum; hæc enim non est vera & propriè dicta extensio, qualis est hæc, de qua hîc loquimur, sed tantùm metaphorica, cùm habitus scientiæ per talem extensionem non constituatur in alio spatio, vel aliqua eius parte, in qua nondum erat, sed hoc tantùm sensu dicitur extendi, quòd cùm

A nondum esset applicatus ad ingenerandum intellectui, cui inest, notitiam specialem huius & huius veritatis in particulari, ad quod tamen præstandum erat idoneus saltem in radice, vel virtualiter, nunc applicatus, ingeneret illam de facto; vel si hæc extensio habitus scientifici ponatur consistere in additione plurium partialium habituum scientificorum ad primum iam acquisitum, & tota aliqua scientia dicitur esse tantùm vna aggregatione istorum habituum; non inde tamen habitus iste dicetur magis propriè extendi, quàm prædictæ qualitates, dum additione graduum intenduntur, cùm isti habitus partiales scientifici de nouo additi non magis respiciant aliquod spatium, quàm gradus illi, quibus aliqua qualitas intenditur; & nullus veterum Scholasticorum reperietur, qui agnoscens V.
B Angelos esse substantias purè spiritales, admiserit aliquid permanens purè in Angelo formaliter extensum. Et hæc addidimus circa istum modum respondendi, vt ostenderemus maiorem in eo difficultatem apparere, quàm in nostro. VI.

ARTICVLVS VII.

Vtrum plures Angeli possint naturaliter esse simul in eodem loco.

PRIMA propositio. *Plures Angeli non possunt esse simul & semel in eodem loco intrinseco.* Probatur ex dictis, Angeli sunt in loco intrinseco per aliquem modum sibi superadditum, sed plures Angeli non possunt habere vnum & eundem numero modum; igitur nec
C vnum & eundem numero locum occupare. VII.

Secunda propositio. *Si locus sumatur pro spatio plures Angeli possunt simul & semel esse in eodem loco*; ita Scotus secundo sententiarum distinctione secundâ quæstione octauâ, Gabriël ibidem quæstione secundâ articulo tertio; imò & ipse Caietanus articulo vltimo.

Probatur: ex sancti Marci capite quinto, legio dæmonum fuit in eodem homine; at non est probabile vnumquemque dæmonem istius legionis, ita fuisse in tam exiguo spatio, quo homo continetur, vt vnus non esset, vbi erat alius, seu in eodem spatio, & in homine Arreptitio dæmon potest esse in toto illo spatio, in quo est anima, quæ informat corpus Arreptitij: ergo cùm eadem sit ratio Angelorum, ac animæ, sicut anima & Angelus possunt simul & semel esse in eodem spatio, ita etiam &
D plures Angeli. VIII.

Deinde, si quæ sit ratio, propter quam implicet plures Angelos esse in eodem loco, est, aut quia eadem est ratio plurium Angelorum, ac plurium animarum, plures autem animæ non possunt esse simul in eodem corpore; vel quia Angeli sunt in loco *per operationẽ*, & repugnat eandem operationẽ exerceri à pluribus Angelis, quia sic plures causæ totales eiusdem effectus darentur, quod communiter reiiciunt Philosophi, aut quia quælibet pars vniuersi requirit locum distinctum, & Angelus quilibet est aliqua pars vniuersi; vel quia plures Angeli non possunt intelligi in eodem spatio nisi per penetrationem ad inuicem, quæ naturaliter dari non potest, vel denique sine illapsu vnius Angeli in substantiam alterius,

I. solus autem Deus illabatur creaturis; sed ex A nullo istorum capitum repugnat, non quidem ex primo, quia quòd duæ animæ non possint esse in eodem corpore, non prouenit ex nuda & simplici ipsarum coexistentia in eodem spatio, sed ex eo, quòd ex materia & forma fiat vnum per se: non item secundo, quia plures Angeli saltem, vt causæ partiales possunt producere eundem effectum, vt capite decimo sexto S. Luc. anima Lazari portatur ab Angelis in sinum Abrahæ, quæ tamen poterat portari ab Angelo. Adde quod suprà docuimus Angelum non esse in loco per operationem. Neque item ex tertio, quia ordo vniuersi non attenditur penes locum, sed penes perfectionem & diuersitatem graduum, qui non desinunt esse, etiamsi plures Angeli sint in eodem loco: non ex quarto capite,
II. quia penetratio propriè tantùm attenditur B penes ipsa corpora, at Angeli sunt spiritales, & omninò incorporei.

Non denique ex eo, quòd sequatur dari illapsum contra cōmunem doctrinam S. Thomæ tertiâ parte quæst. octauâ articulo octano in solutione ad primum, & eadem parte quæstione sexagesimâ quartâ articulo primo, & omnes communiter Scholasticos secundo sententiarum distinctione octauâ: nam illapsus propriè dictus vltra realem præsentiam seu coexistentiam rei, quæ dicitur illabi cum ea, cui illabitur intra idem spatium, importat ingressum illabentis substantiæ intra terminos rei, cui dicitur illabi, quatenus qui illabitur alteri, ita penetrat intrinsecum eius esse, vt det illi existere, illúdque conseruet, quemadmodum loco nunc citato obseruant Scholasti-
III. ci, & insuper potest voluntatem eius flectere C quocumque voluerit, & omnia, quæ sunt in eius anima, scrutari; quæ omnia soli Deo conueniunt, vt patet ex dictis suprà capite octauo de existentia Dei in omnibus rebus quæstione decimâ quartâ de cognitione Dei, & ex dicendis de cognitione Angelorum circa secreta & cogitationes cordium.

Ex quibus omnibus argumenta eorum, qui sequuntur sententiam nostræ secundæ propositioni contrariam, manent soluta, vt facilè potest animaduerti ex simplici applicatione dictorum præsenti articulo ad eiusmodi argumenta.

IV. AD QVÆSTIONEM D QVINQVAGESIMAM TERTIAM.

QVIA motus localis est ad acquirendum de nouo locum, ideò post explicationem loci Angelici motus eius localis est explicandus. Sit itaque

DISPVTATIO I. V.

De existentia, essentia & causis motus Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli localiter moueantur.

QVI volunt Angelos esse vbique, vt Durandus, contra quem disputauimus præcedenti quæstione; item qui volunt eos esse nullibi, vt Heruæus lib. 1. sentent. distinct. 37. & tractatu *de motu Angelorum* quæstione primâ, consequenter existimant Angelos pro- VI.
priè non moueri localiter, sed tantùm impropriè, & metaphoricè, quatenus nunc sunt in istis corporibus, nunc in aliis tanquam in propriis suis effectibus, eos scilicet producendo; vnde Caietan. articulo primo huius quæst. ait motum localem loquendo propriè non conuenire substantiis spiritalibus, vúltque contra plures S. Thom. discip. hanc sententiam esse S. Thom. hâc quæst. quando art. 1. in corpore ait moueri secundùm locum conuenire Angelo tantùm æquiuocè.

Communis tamen Theologorum sententia est, quam loco nostræ propositionis ponimus, *Angelos posse verè & propriè moueri localiter.*

Probatur primò ex sacris Litteris, in quibus passim Angeli tam mali, quàm boni dicuntur, *ire, venire, ingredi, exire, discedere, ascendere, descendere, circuire, deambulare*, & cætera id genus, quæ præcedenti quæst. VII.
protulimus, quæ vel de sola intellectuali præsentia, vel per solam aliquam denominationē aduenientem Angelis non possunt de illis intelligi esse dicta, quia id est contra proprietatem verborum sacræ Scripturæ, iuxta quam illa sunt intelligenda, quando nullum datur fundamentum recurrendi ad sensum aliquem metaphoricum, & improprias loquutiones, vt in præsenti casu contingit; licet enim aliquando hæc aut similia dicantur de Deo, vel de aliqua ex personis diuinis, quia tamen fides Catholica nos docet Deum esse immensum, & immutabilem, motus verò localis propriè dictus repugnat enti propriè immenso & immutabili, fit, vt cum legitimo fundamento intelligamus hæc & similia, dum tribuuntur Deo, vel dicuntur de illo, tribui & dici tan- VIII.
tùm metaphoricè; atqui Angeli, nec immensitatem, nec omnimodam & absolutam habēt immutabilitatem, vt suprà docuimus: ergo hæc & similia dicta de Angelis in sacra Scriptura, debent accipi secundùm ipsam verborum proprietatem: sic Lucæ primo sanctus Gabriël Angelus legitur *missus in ciuitatem Galilea, ingressus cubiculum beatiss. Virginis*, ab illa discessisse, Matth. 8. dæmones per Christum Dominum eiecti ab homine possesso dicuntur *exeuntes abiisse in porcos.*

Probatur secundò ex Patribus, sancto Gregorio Nazianzeno oratione secundâ *de Theologia*, sancto Ambrosio libro primo *de Spiritu sancto* cap. decimo, vbi ait Seraphim transire de loco ad locum, S. Chrysost. hom. 3. in

I. epistolam *ad Hebræos*, S. Bern. serm. 5. *in Cantica Canticorum*, & pluribus aliis, dum prædicta sacræ Scripturæ testimonia explicant, ob quæ non desunt ex recentioribus, qui velint hanc nostram propositionem esse tam certam, vt dicant illam non posse negari sine errore.

Nec est, quòd Caietanus, & aliqui alij suprà dicant S. Thom. dissentire nostræ propositioni, dum hîc articulo primo ait motum solummodò conuenire Angelo *æquiuocè*; nam loquitur tantùm de motu, qui ita fiat, vt pars vna ipsius mobilis sit extra aliam, & commensuretur loco circumscriptiuo, vt satis significat in ipsomet corpore articuli: & reliqui scholastici pro prædicta opinione relati non tam videntur nostram propositionem negare, quàm communem modum illam explicandi, vt patebit infrà.

II. Tandem probatur ratione: motus localis nihil est aliud, quàm recessus ab vno loco, & accessus ad alterum, quia moueri localiter, mutare locum, transire de vno loco ad alium sunt vnum & idem; hæc enim omnia important deperditionem vnius vbi, & acquisitionem alterius, quod est proprius terminus motus localis; atqui Angeli verè & propriè recedunt ab vno loco, & accedunt ad alterum, vt patet in sancto Gabriële veniente in cubiculum beatissimæ Virginis, & posteà discedente ab illo, item in S. Raphaële præbente comitatum iuniori Tobiæ in toto suo itinere: igitur motus localis propriè conuenit Angelis.

Confirmatur hæc ratio ex descensu animæ Christi ad inferos, quem fuisse realem docent communiter Scholastici, contra Durandum
III. libro tertio sententiarum distinctione vigesimâ tertiâ: est autem eadem ratio Angelorum, ac animæ rationalis.

ARTICVLVS II.

Quid sit Angelum moueri localiter.

PRIMA propositio. *Angelum moueri localiter non est operari illum circa diuersa corpora, vel circa diuersas partes eiusmodi corporis.* Hæc propositio probatur, Angelum moueri localiter per se primò solùm requirit mutationem loci: sed Angelus potest mutare locum, licet nihil operetur circa corpus; nam Angelum acquirere nouum locum est fieri præsentem nouo spatio; at sine vlla operatione circa corpus Angelus potest esse præsens nouo ali-
IV. cui spatio, vt patet ex dictis præcedenti quæstione.

Deinde vnus idémque Angelus manens in eodem loco potest operari aliquid circa corpora transeuntia: ergo ipsum moueri localiter non est ipsum Angelum operari circa diuersa corpora, vel circa diuersas partes corporis, multóque minus motus Angeli potest esse actio illa, per quam operatur circa corpus, cùm sine illa possit sese mouere, & econtrà possit variare suam operationem circa corpus, nec tamen moueri localiter.

Secunda propositio. *Motus Angeli est quidam modus substantiæ Angelicæ inexistens illi immediatè, tanquam in subiecto, & ab illa distinctus ex natura rei.* Propositio hæc colligitur ex sancto Thoma dist. 37. & quæst. quartâ.

A Probatur prior pars: motus localis est via & acquisitio loci, solùm differens ab illo, sicut fieri & factum esse; sed res in fieri est eadem cum re in facto esse, habens tamen diuersos modos: ergo motus Angeli non est diuersa res à loco Angeli: ergo sicut locus Angeli ex dictis est modus aliquis substantiæ Angelicæ, ita etiam & motus. V.

Posterior etiam pars propositionis, scilicet *hunc motum esse subiectiuè in Angelo*; probatur: motus est in re mobili, vt patet in rebus corporeis; sed Angelus ex hypothesi est ipsum mobile, quia est id, quod acquirit nouum vbi, quod est in nouo spatio, & quod deserit prius: igitur Angelus est subiectum motus. Deinde, forma est in eo subiectiuè, quod per illam intrinsecè & realiter mutatur; atqui forma, per quam Angelus mo-
B uens se localiter mutatur intrinsecè, est ipse motus: igitur motus ille est in Angelo subiectiuè. VI.

ARTICVLVS III.

A quo sit motus Angelicus, & quid sit potentia motrix Angeli.

PRIMA propositio. *Motus Angeli potest esse effectiuè ab Angelo.* Probatur Lucæ quarto, vbi Christus Dominus ita alloquitur dæmonem existentem in homine Arreptitio, *obmutesce & exi ab eo.* Deinde subiicitur *& exiit*; & alibi dicitur *dæmonia exibant*, & Patres sæpiùs citati, dum docent motum conuenire Angelis, simul etiam docent illos pos-
C se mouere se; vnde quando sanctus Augustinus libro octauo *de Genesi ad literam* capite vigesimo & alibi, negat creaturam spiritalem moueri per loca, id tantùm negat de illo motu, qui fit per extensionem partium extra partes, quæ respondeant partibus ipsius loci, vt expreßè se ipsum explicat capite vigesimo secundo, dum ait *id non moueri per spatia locorum, quod per ea non distenditur.* VII.

Probatur denique ratione: vnumquodque per cognitionem viuens finitum & limitatum in suo esse, potest sese mouere secundùm locum, vt patet inductione factâ per eiusmodi omnia viuentia, & docent Conimbricenses tractatu *de anima separata* disputatione sextâ articulo secundo: & potest confirmari ex eorum appetitu; nam eiusmodi viuens potest naturaliter appetere, vt sit alibi, quàm sit in eo spatio, in quo iam est naturaliter, & per-
D fectio talis viuentis postulat, vt habeat vim ad sese transferendum ad tale spatium, ne appetitus iste videatur esse frustraneus; sed Angelus est aliquod viuens per cognitionem, cùm sit substantia intellectualis: igitur potest Angelus sese loco mouere. VIII.

Dixi in conclusione, *motum localem posse esse effectiuè ab Angelo*; quia fieri potest, vt Angelus superior moueat inferiorem, contra eius voluntatem, vt patet in dæmonibus, dum eiiciuntur vel expelluntur ab Angelis superioribus; & tunc eiusmodi motus non est effectiuè ab illis, sed ab aliis eos expellentibus, sicut motus proiectorum est effectiuè ab ipsis proiicientibus.

Ex quibus constat dari *potentiam loco motricem* in Angelo; nam actus proprius arguit

I. A propriam suam potentiam esse in exercente actum, sed actus proprius potentiæ motricis est ipsum mouere, vt omnes intelligunt, & ipsum mouere est in Angelis, vt iam ostendimus: ergo potentia motrix propriè reperitur in Angelis.

Secunda propositio. *Potentia motrix in Angelo non est ipse intellectus, vel voluntas Angeli, siue vt in actu primo, siue vt in actu secundo cognitionis & volitionis ipsius motus, sed est aliqua facultas ab intellectu & voluntate distincta, quæ dirigitur per intellectum, & per voluntatem applicatur ad motum producendum.* Tota propositio facilè intelligitur ex dictis suprà quæstione vigesimâ sextâ huius partis, vbi ostendimus actiuam potentiam in Deo esse aliquid distinctum ab eius intellectu & voluntate, quod etiam probatur de potentia

II. B motrice Angelorum: voluntas & intellectus sunt facultates immanentes, per quas nihil immediatè producitur ad extra, vt communiter docent Philosophi, motus autem est aliquod productum ad extra: ergo id, quod est potentia motrix in Angelo, non est formaliter intellectus, vel voluntas Angeli, siue vt in actu primo, vel vt in actu secundo considerantur, sed aliquid aliud, quod vtramque actionem huius vtriusque facultatis præsupponit.

Deinde si potentia motrix in Angelo nihil esset aliud, quàm eius intellectus, & voluntas, nulla posset afferri ratio, cur Angelus non possit sese mouere, vel aliquid aliud, ad quamcumque distantiam, cùm possit id intelligere & velle, vt videre est in dæmonibus apud inferos alligatis, cùm ad talem

III. C intellectionem & volitionem nihil faciat, quòd res sit distans, vel propinqua: at certum est ex dictis suprà Angelum non posse aliquid mouere ad quamcumque distantiam; igitur potentia motrix in Angelo est aliquid distinctum ab eius intellectu & voluntate. Vnde etiam rectè intelligimus in motu Angeli illud reperiri, quod alij communiter requirunt in motu, scilicet vt sit aliquid, quod moueat, & item aliquid, quod moueatur; nam quod mouet, est ipsa eius potentia motrix, quod verò mouetur, est ipsa eius substantia.

DISPVTATIO SECVNDA.

IV. D

De motu continuo & discreto Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum motus Angeli possit esse continuus.

NOTANDVM est primò, quemadmodum sanctus Thomas hîc articulo primo in solutione ad primum insinuat, duplicem distingui *continuationem* seu *extensionem* in motu, vnam ex parte eius, quod mouetur, seu ex parte *mobilis*, alteram ex parte *spatij*, quod percurritur, & ex parte *temporis*, quo sit eiusmodi motus. V.

Notandum secundò duplicem distingui extensionem, vnam *quantitatiuam*, ratione cuius fit, vt partes substantiæ affectæ quantitate sese expellant ab eodem spatio; alteram esse tantùm *virtualem*, ratione cuius fit, vt aliquod ens carens quantitate molis, & corpulentiæ occupet tantum spatium, vt patet in nostra anima, quæ licet sit spiritalis, est tamen veluti diffusa per totum nostrum corpus.

Notandum tertiò ex dictis suprà locum Angeli esse posse vel *diuisibilem*, vt si occupet hanc aulam; vel *indiuisibilem*, vt si restringat totam suam substantiam, & præsentiam ad punctum, quod posse facere suprà docuimus. His ita prænotatis, sit

Prima propositio. *Angelus existens in loco diuisibili, potest moueri motu continuo.* Ita sanctus Thomas hîc articulo primo, vbi tacitè reuocat eius contrarium, quod docuerat primo sententiarum distinctione trigesimâ septimâ quæstione tertiâ. Idem docet Scotus secundo sententiarum distinctione secundâ quæstione nonâ, & plerique sancti Thomæ interpretum ad præsentem quæstionem. VI.

Probatur: tunc aliquis censetur moueri localiter motu continuo, quando est in loco sibi adæquato, cuius vnam partem deserit, & partem loci vicini ingreditur, vt patet experientiâ: sed Angelus existens in aliquo loco diuisibili, potest vnam partem illius loci deserere, & simul deserendo, se in alium locum sibi vicinum transferre, paulatimque locum sibi adæquatum occupare: ergo Angelus potest sese mouere motu continuo. VII.

Probatur minor: Angelus est totus in toto spatio, & totus in qualibet illius parte; quòd verò sit in maiori vel minori, pendet ex eius arbitrio, vt anteà docuimus: ergo Angelus potest sese tollere à prima parte spatij, deinde à sequenti, & ita deinceps, & eodem tempore successiuè in alio loco vicino sese constituere, sicque mouere se motu continuo.

Deinde de ratione motus continui tantùm est, vt mobile transeat spatium successiuè, & sine interruptione sui loci priùs perueniat ad propinquiores partes sui spatij, deinde illas relinquat, & ad remotiores perueniat: at hoc totum potest naturaliter præstari ab Angelo.

Tandem eadem est ratio Angeli, ac animæ rationalis, sed anima rationalis potest aliquas partes successiuè deserere, & primùm extremitates corporis, deinde paulatim alias partes, vt docet experientia: igitur Angelus poterit etiam sese successiuè mouere ab vno loco ad alium. VIII.

Secunda propositio. *Angelus existens in indiuisibili loco potest sese mouere motu continuo.* Hæc propositio videtur esse contra Aristotelem, qui libro sexto Physic. docet indiuisibile non posse moueri per se, est tamen Scoti libro secundo sententiarum distinctione secundâ quæstione nonâ, & plurium recentiorum.

Probatur: Angelus existens in indiuisibili, potest sese mouere ad id, quod est imme-

I. diatè post punctum; at quod est immediatè post punctum, vel est punctum vt volunt, qui contendunt lineam constare ex puris punctis, & tunc Angelus poterit etiam sese in eo constituere, & ita consequenter veluti describere lineam, sicut Mathematici dicunt lineam fieri ex fluxu puncti; vel quod immediatè sequitur est linea, & tunc, quia Angelus non cogitur occupare totum spatium, quod potest, tunc est ei liberum sese solummodò mouere ad aliquam partem minimam lineæ, & ita continuare motum, in quo reperietur continuitas tam ratione spatij, quàm ratione temporis: ratione quidem spatij, quia dum existens in indiuisibili mouetur per totam lineam, nihil est in ea, quod non percurrat: ratione item temporis, quia nunquam interrumpit suum
II. motum: ergo Angelus existens in loco indiuisibili, potest aliquâ ratione sese mouere motu continuo.

An autem punctum separatum à sua linea possit moueri continuè, non est huius loci discutere, sed Philosophorum, ad librum sextum Phys. Aristotelis.

Articvlvs II.

Vtrum Angelus possit naturaliter moueri de vno extremo ad alterum non transeundo per medium.

Dvplex potest distingui motus Angeli: vnus *continuus* præcedenti articulo explicatus: alter *discretus*, qui constat variis mutationibus, quarum quælibet est simultanea, seu caret successione, quomodo vnus
III. Angelus existens in aliquo spatio simul illud deserit, & sese constituit in alio æquali spatio, & ita paulatim quibusdam quasi saltibus, multa percurrit spatia, qui motus propter hanc distinctionem variarum eiusmodi mutationum simultanearum sese consequentium, appellatur *discretus* ad distinctionem prioris.

Quòd Angelus motu continuo non possit sese mouere ab vno extremo ad alterum, nisi transeundo per medium, est communis sententia, quam S. Thom. hâc quæstione articulo secundo, & omnes communiter tradunt: primò quia continuitas motus requirit priores & posteriores partes magnitudinis, quæ percurrantur à mobili: at Angelus non transiens per medium istas omnes partes non
IV. percurrit. Secundò, quod mouetur *motu continuo*, est partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, hoc sensu, quòd priori parte spatij acquisitâ, eam deserendo, acquirat proximè sequentem, vt suprà explicatum est, & proinde dum motus fit, medium, quod assignatur inter vtrumque extremum, debet necessariò prius percurri, quàm vltimum loci extremum.

Solùm itaque restat difficultas de *motu discreto*, an scilicet Angelus possit naturaliter sese tali motu mouere ab vno extremo loco ad alterum etiam extremum, non transeundo per medium, verbi gratiâ, an Angelus existens in cælo possit solâ suâ virtute naturali transire immediatè ad terram, non existendo in locis intermediis, neque pertranseundo illa.

A Multi sancti Thomæ discipuli ad secundum articulum huius quæstionis sequuntur partem affirmantem. Melior tamen est contraria sententia, cum qua concludimus: *Angelus non potest naturaliter motu discreto sese mouere ab vno extremo loco ad alterum etiam extremum, non transeundo per medium.* Ita Alensis secundâ parte quæstione vigesimâ tertiâ membro secundo, sanctus Bonauentura libro primo sententiarum distinctione vigesimâ septimâ quæstione duodecimâ, & plures S. Thom. interpretes ad secundum articulum huius quæstionis. V.

Probatur propositio: tam necessarius est ordo inter ipsa loca siue vera, siue imaginaria, vt statim atque aliqua substantia per mutationem localem deserit vnum locum, statim siue velit, siue nolit, excipiatur à loco, qui est
B proximior ei, à quo recedit: atqui spacium medium est locus proximior ei extremo, à quo recedit Angelus: ergo Angelus sese mouens ab vno extremo ad alterum, debet priùs recipi in medio, quàm perueniat ad alterum extremum. VI.

Maior probatur ex eo, quòd hîc articulo secundo sanctus Thom. docet corpus non posse moueri ab vno extremo ad alterum, nisi transeundo per medium, vt etiam ipsa experientia docet.

Quòd verò eadem sit ratio Angeli ac corporis quoad hoc, patet: in corpore possumus duo distinguere, scilicet *substantiam*, & *quantitatem*: at ratio *substantiæ* sumpta saltem genericè est eadem in Angelo, ac in corpore: ergo quod vni competit, competet etiam alteri, & quod denegatur vni, denegabitur etiam alteri; sed corpus habet à præ-
C cisa sua ratione substantiæ, vt non possit transire ab vno extremo ad alterum, nisi transeundo per medium: ergo & Angelus non poterit transire ab vno extremo ad alterum, nisi transeundo per medium. VII.

Minor vltima probatur: corpus non habet istud *à quantitate*, quia corpus ratione extensionis suæ quantitatiuæ habet duo, scilicet primum, quòd tantum & tantum spatium occupet; alterum, quòd expellat aliud corpus ab eiusmodi spatio; at hoc vtrumque loquendo præcisè non impedit transitum corporis ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium: non primum, quia ratione illius postulat solummodò, vt sit in spatio sibi proportionato, possumus autem intelligere alterum extremum esse ei proportio-
D natum absque eo, quòd transeat per medium: ergo vi extensionis quantitatiuæ non fit, vt corpus mouendo se ab vno extremo ad alterum, transeat per medium. VIII.

Secundum item præcisè consideratum non impedit, quin corpus possit transire ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium, quia corpus expellit tantùm aliud corpus ab eo spatio, in quo est; non autem ab ipso medio, in quo non est, quódque potest replere; & item potest replere alterum extremum non replendo medium, quia ex hypothesi alterum extremum est satis capax: igitur quòd ipsum corpus non possit transire ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium, non prouenit ex parte quantitatis; nec etiam aliquod aliud accidens proprium corpori po-

I. test afferri, à quo id proueniat: igitur cùm sola remaneat tunc eius substantia, id etiam tantùm proueniet à ratione substantiæ, quæ cùm etiam reperiatur in Angelo, quemadmodum corpus non potest transire ab vno extremo nisi transeundo per medium, ita etiam Angelus non poterit transire ab vno extremo ad alterum, nisi transeundo per medium.

Probatur secundò: quotiescumq; res aliqua ponitur in loco distāti, in quo priùs non erat, semper præter loci mutationem, aliqua mutatio substantialis interuenit, vt patet factâ inductione per omnes eiusmodi mutationes, nam quando Christi Domini corpus ponitur in sacramento altaris, vbi anteà non erat, reproducitur; imò qui existimant corpus Christi Domini poni sub speciebus panis

II. per actionem *adductiuam*, non admittunt illud transire à cælo, in quo est, ad ipsas species, impertransito medio, sed volunt illud ibi produci, vi verborum, hanc tamen actionem vocari *adductiuam*, non *productiuam*, quia corpus Christi Domini iam est in alio loco; at Angelus non potest facere aliquam mutationem substantialem circa se ipsum: igitur non potest etiam Angelus sese mouere ab vno extremo ad alterum impertransito medio.

Dices contra primam nostram rationem desumptam à corpore, non esse parem rationem corporis, ac Angeli, quoad eiusmodi motum, eo quòd corpus impediatur à tali motu per suam molem & grauitatem; at Angelus caret grauitate & mole, ideóque poterit transire ab vno extremo ad alterum extremum, non transeundo per medium.

III. Sed id refellitur: nam & S. Thom. quarto sententiarū distinctione quadragesimâ quartâ quæstione tertiâ articulo tertio, & ferè omnes alij Theologi, vbi agunt de agilitate corporis gloriosi, docent implicare corpora gloriosa, ita transire ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium: ergo cùm in corpore sic considerato nihil ampliùs restet, quo talis transitus impediatur, quàm substantia, quæ in præcisa ratione substantiæ est eiusdem rationis saltem genericæ, ac corpus, Angelus non magis poterit transire ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium, quàm aliquod corpus, & proinde sicut repugnat vnum corpus transire ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium, ita repugnat Angelum transire ab vno extre-

IV. mo ad alterum extremum valde distans, non transeundo per medium.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM est: quia si tunc Angelus pertransiret medium, oporteret eum enumerare loca infinita, quod est absurdum. Sequela maioris probatur: vbi est discretio partium, ibi est & numerus, quia numerus consistit in discretione; atqui in illo spatio, quod percurritur ab Angelo per motum discretum, dantur partes infinitæ, quia in linea sunt infinita puncta, saltem in potentia, & continuum cuiusmodi est linea, est diuisibile in infinitas partes: er-

A go cùm Angelus percurrat tale medium, enumeretque singulas eius partes, & vnumquodque eiusmodi punctorū sit aliquis locus Angeli, vt patet ex dictis articulo præcedenti, tunc Angelus mouens se ab vno extremo ad alterum transeundo per medium, enumerabit infinita loca. V.

Respondeo negando sequelam maioris, nam & in continuo motu mobile pertransit puncta infinita, & loca eiusmodi etiam infinita, nec tamen propriè dicitur enumerare partes infinitas; tum quòd puncta illa, & partes in continuo infinitæ sint tantùm in potentia, & non actu diuisæ; tum etiam quòd numerus propriè sumptus prout importat actualem enumerationem partium alicuius totius, non consistat in quauis discretione, & diuisione, sed in ea, quæ completur per intellectum,

B ponentem aliquem ordinem in tali diuisione partium, & Angelus potest ita transire per totam aliquam lineam motu discreto, vt tamen auertat intellectum, & cogitationem ab eiusmodi diuisione & enumeratione partium. VI.

Secundum fundamentum: Angelus ita est independens à loco, vt, cùm sit indiuisibilis secundùm suam substantiam, possit liberè sese constituere in quouis loco etiam indiuisibili: ergo cùm inter illud extremum & alterum, in quo est Angelus, detur medium sic proportionatum Angelo recipiendo, Angelus poterit ibi sese præsentem sistere non pertranseundo medium interiacens.

Respondetur Angelum esse quidem independentem ab hoc, & illo particulari loco, simpliciter considerato, quatenus potest si volue-

C rit, illum relinquere, vel occupare; non tamen hoc sensu, quòd possit sese constituere in aliquo loco à se maximè distanti, non transeundo per medium; vt enim ex sua naturali conditione, quâ existit, est necessariò alicubi, ita etiam ex naturali, & intrinseca habitudine, quam loca seruant inter se in recipiendis intra se substantiis, quâ scilicet locus remotus non recipit substantias, per motionem purè & simpliciter localem, nisi priùs locus intermedius illas receperit, Angelus volens ab vno loco transire ad alium valde distantem, necessitatur transire per medium. VII.

Tertium fundamentum: Angelus vel est in loco per *operationem transeuntem*, vel per *ipsum vbi*, prout ratione illius coniungitur alicui corpori, vel *per applicationem suæ virtutis ad operandum*: atqui Angelus potest pro sua liber-

D tate operari in duabus extremitatibus, non operando in spatio intermedio, vt anteà docuimus, similiter potest pro sua libertate coniungere suum vbi duobus corporibus positis in duabus extremitatibus, vel etiam applicare suam virtutem ad operandum circa illa, & non coniungere illud suum vbi cum corporibus existentibus in spatio intermedio, quia liberrimus est in producendo, & modificando suo vbi. vt patet ex dictis. VIII.

Respondetur ex dictis suprà patere Angelum non esse formaliter in loco per *operationem transeuntem*, nec per *suum vbi*, vt formaliter applicatum corpori, nec per *applicationem suæ virtutis ad operandum*, sed purè & simpliciter per *suum vbi*; vnde cùm tale vbi sequatur positionem substantiæ eius in tali spatio, & hoc

I. tale spatium, vt pertranseundum, perueniendo ad aliud longè distans spatium, habeat necessariam connexionem cum intermedio, fit, vt Angelus volens peruenire ad illud extremum valde distans, necessitetur transire per illud intermedium.

Quartum fundamentum: intellectus noster potest cogitare de locis, vel rebus maximè à se inuicem distantibus, non cogitando de intermediis: ergo similiter Angeli poterunt ab vno extremo ad alterum peruenire non transeundo per medium.

Confirmatur hæc ratio ex Patribus, qui sæpè dicunt Angelos, vel animas beatas posse tam citò reali suâ præsentiâ transire ab vno loco, in quo sunt, ad locum quàm maximè distantem, ac possunt de ipsis cogitare; sic loquuntur sanctus Augustinus *in*
II. *Enchiridio*, sanctus Bernardus sermone quarto *in festo omnium Sanctorum*, & alij, qui dicunt Angelos in instanti descendere è cælo in terram: ergo sicut Angeli, & animæ beatæ possunt cogitare de rebus maximè distantibus, non cogitando de intermediis, ita etiam poterunt sese constituere ab vno extremo in altero, non pertranseundo spatia intermedia.

Respondetur non esse parem rationem cogitationum, ac ipsius transitus localis: tum quia cogitationes fiunt sine vllo motu locali: tum etiam, quia variæ & diuersæ cogitationes non seruant necessariò aliquem inter se ipsas ordinem, sicut ipsa spatia & loca: tum quia intellectus habet apud semetipsum ipsas species rerum cognoscendarum, potéstque his vel istis sese applicare, provt voluerit, non progrediendo extra se ipsum, vel etiam extra
III. locum, in quo nunc est.

Ad confirmationem petitam ex modo loquendi Patrum, respondetur eos ita loqui per exaggerationem, vt significent magnam esse, & miram velocitatem motus Angelorum, vel animarum beatarum; quo etiam sensu sanctus Thomas est intelligendus infrà quæstione centesimâ decimâ tertiâ articulo sexto in solutione ad tertium, quando ait Angelum non indigere temporis morâ, ad motum localem, sed statim posse è cælo adesse homini suæ custodiæ commisso; loquitur enim de aliqua mora communi modo aliarum, quæ à nobis communiter agnoscuntur perceptibiliter.

IV. ### ARTICVLVS IV.

Vtrum repugnet Angelum absolutâ Dei potentiâ transire ab vno extremo ad alterum, non transeundo per medium.

EX iis, qui sequuntur nostram sententiam de existentia Angeli in loco, per suum vbi, Suarez libro quarto *de Angelis* cap. 19. existimat id non implicare, immò tertiâ parte quæstione trigesimâ tertiâ sectione primâ & secundâ, putat aliquod corpus posse absolutâ Dei potentiâ per mutationem instantaneam transire ab vno loco ad alium, non transeundo per medium; quod etiam docet Molina ad præsentem quæstionem sancti Thomæ.

Verùm rationes illæ, quibus articulo se-
A cundo probauimus nostram propositionem, V.
habent etiam suam vim circa illam, provt potest procedere de motu locali Angeli, secundùm absolutam potentiam Dei facto; nam petuntur ex intrinseca habitudine motionis purè & propriè dictæ localis ad spatium verum, vel imaginarium; item ab ipsa naturali conditione substantiæ creatæ, vt loco mobilis: vnde cùm implicet Deum immutare aliquid intrinsecum & essentiale rebus creatis, totam suam essentiam retinentibus, fit, vt etiam implicet Angelum absolutâ Dei potentiâ sese mouere motu simpliciter locali, ab vno extremo ad aliud longè distans, non transeundo per medium: & si motus purè localis posset ita fieri impertransito medio, posset etiam & fieri in instanti, contra communem Philosophorum sententiam, quam etiam ex professo do-
B cet S. Thom. *in additionibus ad tertiam partem* quæstione 75. articulo tertio; Deus enim VI.
posset facere, vt eodem instanti, quo Angelus est, & deserit vnum extremum, idem Angelus esset per motum purè localem in alio extremo valde distanti, & cùm tempus ipsum sit propria mensura motus localis, quemadmodum communiter docent Philosophi in Physicis, Deus posset facere, vt instans esset tempus, item vt instans haberet partes verè & propriè priores & posteriores, & plura alia his similia circa ipsum motum localem, & ipsum tempus eius mensuram, quæ omninò reputantur absurda ab omnibus Philosophis.

Et quamquam omnipotentia Dei longè superet nostrum concipiendi modum, attamen, vt asseramus hoc & illud in particulari non implicare fieri à Deo, debemus illud ita apprehendere secundùm communem notionem
C terminorum, vt noster intellectus ibi non ap- VII.
prehendat essentias rerum destrui, vel intrinsecam illam, quam habent ad se, habitudinem dissolui, sicut in præsenti casu destruuntur; nec video, quâ ratione intellectus possit concipere rem aliquam, cum sola mutatione purè locali, seu excludente aliquam sui de nouo reproductionem, ita posse deserere locum suum, & poni in alio valde distanti, vt tamen spatium, quod interiacet, priùs illam non excipiat: si enim motus ille localis fit in tempore, quæro vbi sit illa substãtia, toto illo tempore, quo abest à primo loco, tanquam termino *à quo*, antequam perueniat ad terminum *ad quem*, & cùm repugnet substantiam actu existere, & nullibi esse ex dictis suprà, nec possit aliud conueniens spatium assignari, cui insit, quàm
D totum intermedium, debet necessariò transire VIII.
per medium spatiũ, sicque non potest Angelus transire ab vno loco ad alium valde distantem, solo motu locali, non transeũdo per medium.

Neque vrgent in contrarium, quæ opponunt, nam quod obiiciunt congregationem sanguinis ad locum generationis pro efformando corpore Christi Domini in vtero beatissimæ Virginis in instanti factam fuisse, ostendimus tertiâ parte quæstione sextâ, eam non fuisse factam per mutationem instantaneam, sed per motum localem breuissimo tamen tempore, alioquin tolli à beatissima Virgine Deipara veram rationem matris, respectu Christi Domini; & huius opinionis implicatio apparet ex iis, quæ in confirmationem nostræ sententiæ protulimus. Quibus addi

I. potest, non ea tantùm dici posse, non fieri à
Deo, quæ important rem aliquam simul esse
& non esse, constántque terminis propriè
contradictoriis, sed ea etiam, quæ licet sint
vtrimque positiua, aliquam tamen habent ad
se inuicem incompossibilitatem, vt hominem
esse formaliter brutum, sic etiam extrema à se
inuicem distantia habent incompossibilitatem
ad aliquid recipiendum motu purè locali, abs-
que eo, quod recipiatur in medio, quod illa
inter se connectit.

Nec item vrgent, quæ secundò obiiciunt e-
xistentiam eiusdem rei in duobus extremis
temporibus, absque aliqua eius coexistentia,
cum intermedio tempore, puta aliquas res co-
existere posse tempori præterito, & futuro,
non tamen coexistendo præsenti: tunc enim
aliqua substantialis mutatio debet interueni-
II. re; quatenus talis res toto illo intermedio
tempore caret suâ actuali existentiâ, quam
primo tempore habebat, quámque de nouo
acquirit, per sui reproductionem in alio ex-
tremo tempore: at in nostra præsenti difficul-
tate agitur tantùm de motu purè & simpliciter
locali, excludente omnem & quamlibet sub-
stantialem mutationem.

Non item vrgent, quæ tertio loco obii-
ciunt, quòd in sententia Scoti corpus Christi
Domini ponatur sub accidentibus substantiæ
panis per *adductionem*, absque aliquo transitu
per medium. Nam id intelligitur solutum se-
cundâ nostrâ ratione secundi articuli, sicut ex
nunc dictis, quod subiicitur vnum & idem
numero corpus in duobus extremis locis posse
poni absque eo, quòd ponatur in intermediis,
& modo etiam extensiuo, licet non existat, vel
III. præfuerit in intermediis, sicut aliquis sacer-
dos potest consecrare duas extremitates sibi
oppositas eiusdem formæ nolendo consecra-
re intermedias, & sic tantùm constituere cor-
pus Christi Domini in istis extremitatibus,
substantiâ panis purè & simpliciter remanen-
te in partibus intermediis, sicut erat ante con-
secrationem. Id inquam patet solutum ex di-
ctis; nam ista omnia non fiunt per motum purè
& simpliciter localem, & corpus Christi Do-
mini ita ponitur sub speciebus panis, vt ta-
men reproducatur, est enim per transsubstan-
tiationem, & non per motum localem, & quia
ponitur vi verborum consecrationis ex inten-
tione sacerdotis prolatorum, si aliquis sacer-
dos intendat consecrare duas tantùm extre-
mas partes vnius & eiusdem formulæ sibi op-
IV. positas nolendo consecrare intermedias, solæ
illæ extremæ à tali sacerdote designatæ, habe-
bunt sub se verum & reale corpus Christi Do-
mini, mediæ verò non item, non quia possit da-
ri motus purè localis ab vno extremo ad aliud
impertransito medio, sed quia instrumentalis
causa reproductiua corporis Christi Domini a-
git tantùm, vbi applicatur, & in tali casu appli-
catur solummodò extremis illis partibus, &
non intermediis, sicut diximus suprà de opera-
tione transeunte Angeli, cum scilicet posse o-

perari circa duas extremitates oppositas loci, V.
quem adæquatè occupat, nihil tamen operan-
do circa medium.

Nec denique vrgent, quæ postremo loco
obiiciunt, vbi scilicet, per quod Angelus est,
verbi gratiâ, Romæ, non dependere ab eo, per
quod Angelus est in pluribus spatiis, quæ sunt
inter Romam & Lutetiam: ergo Deum abso-
lutâ suâ potentiâ posse producere in Angelo
nunc Parisiis existente vbi, per quod sit Romę,
non producendo alia vbi, per quæ sit in spatiis
intermediis; item posse ab illo tollere vbi,
quod est Parisiis: igitur tunc poterit Angelus
diuinâ virtute transire de vno extremo ad a-
liud, non transeundo per medium. Quòd ve-
rò tunc foret motus localis, probant, quia to-
ta essentia motus localis consistit in eo, quòd
sit transitus alicuius subiecti de loco in locum,
ex Aristotele quinto Physicorum textu tertio. VI.
Vnde ille, inquiunt, tria tantùm substantialia
requirit ad motum, *subiectum* seu *mobile*, quod
transit, *terminum à quo*, & *terminum ad quem*:
at talis transitus potest intelligi totus sine per-
transitione medij, & proinde etiam motus,
cùm in exemplis nunc relatis, transitus talis re-
periatur.

Non est inquam, quòd id vrgeant, nam ip-
sum vbi, per quod Angelus est formaliter Ro-
mæ, verbi gratiâ, potest dupliciter considera-
ri; primò absolutè simpliciter, & secundùm se,
& sic est omninò independens ab vbi, per
quod idem Angelus constitueretur in spatiis,
inter Romam & Lutetiam mediis; deinde po-
test considerari, vt de facto deperditur solo
motu locali tendente Lutetiam, & hoc modo
tam ipsum vbi, quàm illud aliud, quod debet
habere Parisiis, seruant intrinsecam habitudi- VII.
nem ad se inuicem, cùm talis motus dicat ten-
dentiam, fluxum & viam termini *à quo*, ad ter-
minum *ad quem*, & via, quâ peruenitur ad ip-
sum terminum *ad quem* nihil sit aliud, quàm
ipsummet spatium existens inter hunc vtrum-
que terminum.

Ad confirmationem petitam ex Aristotele,
respondetur eum tali explicatione motus lo-
calis, non exclusisse transitum per interme-
dium spatium, quin potiùs illum explicasse,
quando dixit motum esse *actum entis in poten-
tia, secundùm quod in potentia*; item quando ad
illum requirit, vt mobile sit partium in termi-
no *à quo*, & partim in termino *ad quem*; hæc
enim, vt suprà docuimus, denotant fluxum a-
liquem, & tendentiam ipsius mobilis à termi-
no *à quo*, ad terminum *ad quem* per interme-
dium spatium: & sicut ipse Aristoteles in Phy- VIII.
sicis non laborat, vt probet dari motum, quia
id satis constat experientiâ; pari etiam iure,
quia eadem experientia docet motum purè lo-
calem ita esse à termino *à quo*, vt tamen sit ad
terminum *ad quem*, percurrendo interme-
dium spatium, & hoc etiam satis intelligeba-
tur ex aliis ab eo dictis de motus successione,
& principio, ideò non curauit ista fusiùs ex-
plicare.

I.
DISPVTATIO III.

De motu circulari & instantaneo Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angelus existens in loco suo adæquato, possit sese mouere circulariter.

EGIMVS de motu locali recto, quem potest Angelus exercere, nunc paucis videndum est, an quemadmodum rota potest moueri supra eun-
II. dem axem circulariter, possit
etiam Angelus existens in loco suo adæquato moueri circulariter in illo; sit

Prima propositio. *Angelus non potest ita moueri quoad suam substantiam.* Probatur: ad rationem motus requiritur, vt vel ipsum mobile habeat vnam partem suæ entitatis in vna parte spatij, & aliam in alia collocet, vel saltem, vt vnam partem spatij aliquâ ratione relinquat, & abiiciat tanquam terminum *à quo*, & aliam etiam acquirat tanquam terminum *ad quem*, aliàs enim nulla ibi reperiretur successio; quæ tamen debet inesse motui propriè dicto ex communi sententia Philosophorum in Physicis; atqui Angelus ita existens in loco suo adæquato habet totam suam substantiam in singulis partibus sui loci adæquati, nec vnam relinquit partem
III. suæ substantiæ in vna parte spatij habentis
se, vt terminum *à quo*, quia manet totus in qualibet parte loci sui adæquati, nec aliam acquirit, quia iam in illa erat, cùm supponatur esse adæquatè in loco suo adæquato; nec item relinquit aliquam partem spatij adæquati ratione suæ entitatis, nec aliam aliquo modo acquirit, quia tota eius substantia iam erat in illo termino, quem fingimus esse terminum *ad quem*, & similiter remanet in illo, quem appellabimus terminum *à quo*; igitur Angelus existens adæquatè in loco suo adæquato, non potest sese quoad substantiam mouere in illo circulariter.

Secunda propositio. *Si Angelus existens adæquatè in loco suo adæquato consideretur secundùm varias illas multiplices replicationes suas virtualem extensionem importantes, adhuc non*
IV. *potest aliquo modo sese mouere circulariter, in-*
tra totum suum illum locum adæquatum, ratione eiusmodi replicationum à se inuicem distinctarum. Probatur: ad rationem motus circularis requiritur, vt ipsum mobile secundùm aliquid sui decurrat successiuè aliam, & aliam partem spatij, quod ambitur tali loco circulari, & relinquat aliquid tanquam terminum *à quo*, & acquirat aliquid tanquam terminum *ad quem*, vt videre est in motu rotæ supra suum axem; quo fit, vt posterior pars rotæ veniat in locum prioris partis intra eundem circulum contentæ, nec illam transgrediatur; atqui Angelus existens adæquatè in loco suo adæquato, licet habeat varias replicationes, virtualem extensionem importantes à se inuicem distinctas, non po-
A test tamen facere, vt vna ex eiusmodi suis replicationibus certo & determinato alicui spatio correspondens succedat spatio, in quo idem ipse est, vel erat per aliam replicationem, quia replicationes illæ sunt modi quidam ipsius vbi Angelici, quemadmodum suprà docuimus, & proinde sicut vbi Angelicum dicit intrinsecam habitudinem ad hoc spatium determinatum, ita etiam & singulæ eius replicationes seruatâ proportione dicunt intrinsecam habitudinem ad hanc, & illam in particulari partem spatij loci adæquati Angelici: ergo sicut ipsum vbi, per quod Angelus est in hoc spatio, non potest deferri ab eo ad aliud spatium, in quo potest esse per aliud numero vbi, ita vt per illud suum prius vbi succedat alteri proximo spatio, cui aliud vbi debet corresponde- V.
B re; pari etiam ratione Angelus non poterit facere, vt hæc eius replicatio, per quam est virtualiter extensus in hac numero parte spatij loci sui adæquati, succedat alteri replicationi, per quam erat virtualiter extensus in alia parte spatij sui adæquati. VI.

Confirmatur: quando aliquis modus est totus in determinata habitudine vnius entis ad aliquod aliud determinatum in particulari, tunc licet res illa, cuius est modus, possit existere etiam factâ aliquâ variatione circa id, quod respicit per talem modum, ipse tamen modus non potest remanere, vt videre est in modis vnitiuis, & etiam patet ex ipsa simplici & nuda cognitione terminorum, quibus constat hæc propositio; quia aliàs talis modus haberet aliquam indeterminationem, & indifferentiam saltem circa plura indiuidua, sicque non esset determinatus, etiam in particulari;
C atqui vnaquæque replicatio Angeli est qui- VII.
dam modus totalis eius vbi, & vnaquæque replicatio respicit specialem aliquam partem totalis spatij adæquato loco Angeli correspondentem, vt patet ex dictis: ergo quantumcumque maneat idem numero Angelus, & idem numero vbi entitatiuè consideratum, dum est in loco suo adæquato, quia ea singularis spatij pars adæquati loci Angelici, quam prædicta replicatio respicit, intelligitur variari, dum Angelus fingitur moueri circulariter intra totum suum locum adæquatum; talis inquam replicatio non ampliùs remanebit, sicque non poterit per motum circularem Angeli succedere priori replicationi intra idem totale spatium, nec ex consequenti Angelus hoc etiam modo sese mo-
D uere circulariter. VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angelus possit in instanti acquirere locum proximum & cohærentem ei, quem relinquit.

NOTANDVM est primò hæc distingui inter se, *mouere se localiter*, & *acquirere locum*; nam primum importat motum propriè dictum, vt motus condistinguitur à mutatione, quatenus superaddit ei partes priores, & posteriores, importantes aliquam successionem, plures existentias reales in diuersis locis alicuius totalis spatij, vt docent Philosophi in Physic. secundùm verò potest intelligi & fieri sine intrinseca illa successione partium

I. priorum, & posteriorum, verbi gratiâ, quando Angelus fuit à Deo creatus, acquisiuit locum sine tali successione, item & anima, quando in sui creatione infunditur corpori, quod simul totum informat, & etiam totum simul & semel deperdit, & relinquit in morte subit vnea hominis. Hîc non est disputatio nobis de motu locali propriè dicto, nã licet aliqui velint eum posse fieri in instanti, quatenus existimãt totam eius successionem prouenire ex resistẽtia medij, quod etiam videtur placuisse Aristoteli in Physic. agendo de motu in vacuo: quia tamen istud examinare propriè spectat ad Philosophos, & omnes paucis exceptis negant eũ fieri posse in instanti, ostendúntque totam rationem successionis, quæ est in motu, non prouenire à sola positiua resistentia medij, hæc enim est extrinseca; sed ab intrinseca ratione II. spatij, quod habet partes inter se distantes, quæ simul non possunt percurri ab ipso mobili, & ex intrinseca ratione motus, qui partes priores, & alias eis succedentes postulat; ideò à tali quæstione supersedemus, & tantùm obiter notamus, quando Tertullianus in Apologet. cap. 22. ait *Angelos in momento esse vbique*, particulã istam *in momento* idem sonare, ac *breuissimo tempore*, quatenus celerrimâ velocitate mouentur ab vno loco ad alium, etiam valde distantem, vt patet ex transportatione Habacuc è Iudæa Babylon vsque, factâ per Angelum circa horam prandij, vt refertur Danielis 14. cap.

Notandum secundò, duobus modis posse intelligi Angelum virtute suâ naturali mutare locum, seu acquirere nouum locum in instanti: primùm deserendo locum *inadequa*-III. *tum*, in quo est inadæquatè, & se constituendo in loco etiam inadæquato proximè vicino, seu etiam deserendo totum locum, in quo est adæquatè, & se totum adæquatè constituendo in alio proximo loco similiter adæquato: secundò deserendo locum siue *adaequatum* siue *inadaequatum*, quem adæquatè, vel inadæquatè occupat, & instantaneâ mutatione acquirendo nouum locum, siue *adaequatum*, siue *inadaequatum*, distantem tamen spatio aliquo intermedio ab eo, in quo est, tanquam in termino *à quo*, ita vt vnico illo instanti sit in spatio intermedio, & in ipso loco, quem de nouo acquirit: & de his duobus modis mutandi locum est disputatio; sed de priori tantùm hoc articulo dicemus, pro quo sit

Vnica propositio. *Angelus potest virtute suâ naturali acquirere in instanti locum ali*-IV. *quem siue inadaequatum, siue adaequatum proximum & cohaerentem ei, quem tali mutatione derelinquit*: ita communiter omnes, Albertus libro primo sententiarum distinctione trigesimâ septimâ articulo vigesimo tertio & vigesimo quarto, Gregorius secundo sententiarum distinctione sextâ quæstione tertiâ articulo secundo, & plures alij tam ex recentioribus, quàm ex antiquioribus ad ista loca Magistri sententiarum, & præsentem quæst. S. Thomæ.

Propositio explicatur: Angelus potuit toto præcedenti tempore fuisse tantùm in loco priori inadæquato, vel adæquato, & in vltimo instanti terminatiuo istius temporis sese constituere in alio loco inadæquato, vel etiam adæquato proximè sequenti, sicque mutare locum pristinum, & acquirere nouum in in-A stanti, siue adæquatum, siue inadæquatum. V.

Propositio sic explicata probatur: mutatio illa, quæ fit tota simul, fit in instanti, vt communiter docent Philosophi, & patet, quia si fieret in aliquo tempore, sicut tempus habet partes priores & posteriores duratione, ita & hæc mutatio quoad hoc suum fieri, haberet partes priores & posteriores secundùm durationem, sicque non esset tota simul; atqui mutatio, quâ Angelus deserit vnum locum, siue adæquatum, siue inadæquatum, & alium proximè sequentem, siue adæquatum, siue inadæquatum acquirit, potest ab illo fieri tota simul solis naturæ viribus: igitur Angelus solis naturæ suæ viribus potest in instanti mutare locum tam adæquatum, quàm inadæquatum. Maior satis patet.

Minor probatur: quando mobile, quoad B suam entitatem est indiuisibile, & totum in VI. toto, & totum in qualibet parte, tunc localis eius mutatio potest fieri tota simul, & si eius constitutio in loco fiat pro eius libertate, & solis eius naturæ viribus, tunc tale mobile potest pro sua voluntate sese totum simul & semel solis suis viribus substrahere ab vno loco, & sese constituere in proximè sequenti, cùm nullæ ibi reperiantur partes, quæ siue in situ, siue in mutatione aliquam seruent inter se successionem; ideò enim aliquod corpus non potest mutare totum locum in instanti, quia est diuisibile, extensum, habet vnam partem sui in vna parte loci, & aliam in alia; atqui Angelus est omninò entitatiuè indiuisibilis, cùm sit substantia purè & simpliciter spiritalis, éstque totus in toto, totus in qualibet parte, quia hic modus existendi est proprius rerum C spiritalium, & præterea Angelus sibi & naturæ VII. suæ relictus est liberrimus in occupando, & relinquendo loco, vt patet ex dictis: igitur Angelus potest suis naturæ viribus facere suam mutationem localem totam simul, & sese in eodem instanti substrahere ab vno loco, & constituere in alio proximè sequenti.

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

OBIICIES primò: licet Angelus sit entitatiuè indiuisibilis, attamen locus eius adæquatus sequens proximè alium adæquatũ, quem deserit, habet veram vel saltem imaginariam extensionem, habet item alias & alias partes, similiter & locus ille adæquatus, quem deserit: ergo priùs se totum constituit in prio-D ribus, sibiq; vicinioribus partibus loci sui ad- VIII. æquati, deinde in posterioribus: ergo tunc non mutat locum in instanti; quod enim fit secundùm prius & posterius, non fit in instanti, cùm non fiat totum simul.

Confirmatur ex dictis suprà: ideò motus localis propriè dictus non potest fieri in instanti, etiam in vacuo, quia medium ratione suæ extensionis realis, vel imaginariæ, habet resistentiam, quam vocant *intrinsecam*; atqui hæc eadem resistentia medij reperitur in illo spatio, quod est inter vtrumque extremum loci adæquati Angeli, quando Angelus facit mutationem tantùm purè localem, quia tale medium sicut & vtrumque extremum semper retinet totam suam extensioné: igitur quemadmodũ Angelus non potest vno tantùm instanti

I. A durationis facere motum localem propriè dictum, ita idem Angelus non poterit in vno tantùm instanti facere mutationem purè localem ad locum adæquatum immediatè proximum ei, in quo iam existit.

Respondetur concesso antecedente, negando duas consequentias ibi factas, ad quarum probationem respondetur duplicem distingui prioritatem, vnam *naturæ*, alteram *durationis*, ex prima non licere inferre secundam, vt videre est in sole, & eius luce, in anima & eius facultatibus, & aliis pluribus, quæ licet seruent aliquem inter se ordinem *naturæ*, secundùm quem vnum est prius alio, nihilominus sol & lux eius, item anima rationalis, & eius facultates sunt simul duratione: pari modo, licet Angelus occupans locum suum adæquatum prius secundùm ordinem naturæ intret partes sibi

II. B viciniores loci sui adæquati proximè sequentis, & posterius naturâ partes remotiores; nihilominus tamen vno eodémque instanti durationis, omnes illas simul & semel occupat, sese totũ in toto, & totum in singulis eius partibus constituendo: quod potest illustrari exẽplo animæ rationalis, quæ licet ordine naturæ priùs sese constituat in aliquibus partibus sui corporis, quàm in aliis, eodem tamen instanti durationis se totam in toto corpore, & totam in singulis eius partibus collocat.

Ad confirmationem, respondetur disparem esse rationem, tam vtriusque extremi loci adæquati vnius Angeli, quàm medij, quod est inter illa, provt hæc considerantur in ordine ad motum localem propriè dictum ab iisdem extremis, & medio, provt considerantur tantùm in ordine ad simplicem mutationẽ loci, quòd

III. C scilicet, quia motus localis propriè & formaliter spectatus debet habere vnam partem sui post aliam, cùm sit intrinsecè successiuus, debeat etiam ex consequẽti metiri vnam tantùm partem eius magnitudinis, quam decurrit, post aliam; vnde toti magnitudini repugnat sic totam simul & semel decurri per motum propriè dictum; quia verò mutatio loci sumpta præcisè in ratione mutationis, non importat vnam sui partem post aliam, sed potest esse tota simul, & præterea tam vtrumque extremũ loci adæquati Angeli, quàm spatium eius intermedium, est aliquid permanens, nullam seruans prioritatem & posterioritatem durationis inter suas partes, vt considerantur in ordine ad recipiendum intra se Angelum; ideò fit, vt Angelus possit se totum simul & semel con-

IV. D stituere in omnibus & singulis partibus loci sui adæquati, licet aliquem in eo seruet naturę ordinem, vt iam animaduertimus.

Obiicies secundò: si talis mutatio loci potest fieri in instanti, duo instantia essent sibi immediata, vnum scilicet, quo Angelus est in termino *à quo*, & alterum, quo se constituit in termino *ad quem*, sed non dantur duo instantia sibi immediata, quia datur aliquod tempus inter instantia: igitur nec talis mutatio loci potest fieri in instanti. Confirmatur: talis motus tunc propriè non fit in instanti, sed in tempore saltem discreto, quia duratio illa, quæ coalescit ex pluribus instantibus sibi immediatè succedentibus vocatur *tempus discretum*; at duratio illa, quâ hæc mutatio loci fit tota simul ab Angelo, constat duobus instantibus sibi immediatè succedentibus, scilicet vno, in

quo quiescit, & est in termino *à quo*, & altero, quo immediatè sese constituit in termino *ad quem*: igitur talis mutatio loci fit propriè *in tempore discreto*: & non in instanti. V.

Respondetur primò, in mutationibus spiritalibus non repugnare dari duo instantia sibi immediatè succedentia, vt infrà patebit; hanc autem mutationem Angeli de loco in locum esse entis spiritalis. Deinde respondetur in præsenti casu, duo instantia ita sibi immediatè succedere, vt tamen duo illa simul sumpta non mensurent hanc mutationem localem Angeli, sed prius instans quietem tantùm eius in termino *à quo*, tunc enim Angelus dicitur quiescere, & proinde cùm *quiescere, & mutare locum* sint opposita, Angelus in eo primo instanti, non dicitur mutare locum: vnde istud instans est omninò extrinsecum

huic mutationi locali, de qua loquimur; solum verò secundum instans mensurat hanc mutationem localem, ideóque non sequitur tunc Angelum mutare locum in tempore etiam discreto, quia ad id necessum esset hoc vtrumque instans, quod componit eiusmodi tempus, mensurare hanc mutationem localem Angeli, & hoc vtrumque instans esse tali mutationi intrinsecum, quod vtrumque non reperitur in hac mutatione. VI.

Nec obstat, quòd hæc mutatio localis importet derelictionem prioris loci, tanquam termini *à quo*, & acquisitionem noui tanquam termini *ad quem*, quæ sunt duo distincta; hæc enim duo ita sunt à se inuicem distincta, vt cum solo ordine prioris & posterioris secundùm naturam possint esse simul duratione vnius etiam veri & realis instantis,

cùm sese mutuò iuuent, quatenus vnumquodque illorum est causa alterius in suo genere: nam eo ipso, quo fit recessus à termino *à quo*, fit etiam necessariò accessus ad terminum *ad quem*. VII.

Tandem si hæc localis mutatio facta ab Angelo comparetur ad durationem nostri temporis, non propterea definet dici fieri *in instanti*, nec inde sequetur duo instantia immediatè sibi succedere in nostro tempore, nam Angelus ita quiescet in termino *à quo*, primo illo instanti, quod respondebit alicui vero instanti nostri temporis, vt tamẽ localis illa mutatio instantanea per sui coexistentiam correspondeat alicui minimo, quod est in parte temporis immediatè sequentis illud prius instans; sicut licet puncta non sese immediatè conse-

quantur in linea, quia ex solis punctis non cõponitur, nihilominus tamen dum globus perfectè sphæricus mouetur super planum perfectum, dicitur tangere lineam in puncto, non quòd vbicumque tangit illam, tangat verum & reale punctum, sed aliquid in linea correspondens puncto. VIII.

Articvlvs IV.

Vtrum Angelus possit in instanti acquirere locum distantem ab eo, quem relinquit.

Prima propositio. *Angelus existẽs adæquatè in toto loco suo adæquato nõ potest virtute naturali sese cõstituere vnico instãti in alio adæquato loco distante, transeundo per medium.* Ita S. Bo-

I. nauentura libro primo sententiarum distin-
ctione trigesimâ secundâ in secundâ parte ar-
ticulo secundo quæstione tertiâ, Richardus
& Ægidius ibidem, pluresque alij ex recentio-
ribus ad præsentem quæstionẽ sancti Thomæ,
est tamen contra Albertum suprà, Maiorem &
Gregorium libro secundo sententiarum dis-
tinctione secundâ & sextâ.

Probatur: ea tantùm possunt fieri, & esse eo-
dem instanti, quæ sunt tota simul, vt patet ex
dictis, atqui localis existentia Angeli in medio
etiam sibi adæquato vel inadæquato, & eius lo-
calis existentia in loco distãti, & simul adæqua-
to, non possunt esse tota simul solâ virtute na-
turali Angeli; quia ambæ illæ locales existentiæ
simul iunctæ excedũt totam capacitatem adæ-
quati loci Angeli, extra quam solis naturæ suæ
viribus non potest sese constituere: igitur solâ
II. virtute naturali Angeli non potest fieri, vt An-
gelus simul & semel sit in medio loco sibi adæ-
quato, & in alio etiã distanti, nec proinde An-
gelus existens in toto suo loco adæquato pote-
rit sese in instanti constituere in alio distanti
loco adæquato, transeundo per medium.

Explicatur ampliùs, & simul confirmatur:
Angelus non potest naturali suâ virtute simul
& semel existere in pluribus locis adæquatis,
modo adæquato, vel simul & semel in vno
magno loco excedente locum suum adæqua-
tum; quia tota capacitas Angeli, & locus eius
adæquatus debent sibi correspondere, nec An-
gelus potest esse in loco maiori loco suo maxi-
mo; atqui medium, quod in præsenti casu sup-
ponitur transiri, est locus adæquatus Angeli,
similiter & locus, qui vocatur distans, vel sal-
tem totus ille locus, qui coalescit ex tali medio
III. & loco distante excedit locum adæquatum
Angeli, vt per se patet: igitur Angelus sua vir-
tute naturali non potest sese simul & semel seu
in instanti constituere in medio, & in loco di-
stanti adæquato.

Neque satisfacit, quod auctores contrariæ
sententiæ respondent, Angelos non posse qui-
dem esse permanenter in loco maiori loco suo
maximo, posse tamen esse transeunter, & veluti
in raptu, sicut res quælibet, dum mouetur, di-
citur esse in loco maiori se ipsâ: hîc autem non
agi de loco, in quo Angelus permaneat, sed
quem solummodò transeat; hoc inquã non sa-
tisfacit, primò quia tota ratio, ob quã Angelus
non potest esse in aliquo loco maiori loco suo
maximo, tã habet locum in ipso transitu, & ve-
luti raptu Angeli, per aliquem locum, quàm in
ipsa eius permanẽtia in loco, hęc enim est limi-
IV. tata eius substantiæ perfectio ad tantam solũ-
modò capacitatẽ, & non ad maiorem, quę per-
fectio manet eadẽ & omninò inuariata tã in e-
iusmodi trãsitu, quàm in ipsa permanẽtia An-
geli in eodem loco: ergo sicut isti auctores ad-
mittunt Angelum solis suis viribus non posse
permanenter existere in aliquo loco maiore
maximo loco suo, sic debent admittere, non
posse etiã esse transeunter in aliquo loco ma-
iore suo loco maximo. Deinde cùm Angelus
sese moueat liberè, & possit pro sua voluntate
motum, seu mutationem illam loci sistere vbi,
quando, & quomodo voluerit, sicut in ipso ra-
ptu, seu trãsitu est simul & semel totus in ma-
iori loco maximo suo loco, sic potest ibi esse
permanenter, quia dum est toti illi spatio co-
extensus potest sistere, & sic non tantùm trans-

A eunter, sed etiam permanenter existere in ali- V.
quo loco maiore loco suo maximo: res autem
dũ mouetur, non dicitur hoc sensu esse in lo-
co maiore se ipsâ, quasi simul & semel occupet
aliquem locum maiorem, quàm sit eius capaci-
tas & extẽsio, sed hoc tantùm sensu, quòd suc-
cessiuè coexistat toti spatio, per quod mouetur,
quod quidẽ totum spatiũ est aliquid maius illâ.

Secunda propositio. *Licet Angelus existens
in loco indiuisibili possit mutare locum in instan-
ti, sistendo se totum in proximo indiuisibili, &
ita facere alias mutationes locales instantaneas,
sicque facere aliquem motum discretum, non ta-
men potest totum eiusmodi motum ex istis plu-
ribus instantaneis mutationibus constantem face-
re in instanti, sed tantùm in tempore discreto.*
Tres sunt partes propositionis, cuius prima
fuit sufficienter probata articulo primo dis-
B putatione secundâ propositione secundâ. VI.

Pars secunda probatur: quod est formali-
ter successiuum, non potest fieri in instanti,
& esse totum simul & semel; atqui talis mo-
tus Angeli est ens aliquod formaliter successi-
uum, quatenus constat pluribus instantaneis
mutationibus loci sibi inuicem succedenti-
bus, quarum aliæ iam transierunt, aliæ sunt,
& aliæ adhuc sunt futuræ, vt per se patet:
igitur talis motus Angeli non potest fieri in
instanti.

Vt tertia denique pars asserens *talem motum
fieri in tempore discreto* probetur, præmitten-
dum est duplex tempus distingui à Philosophis
& Theologis, vnum, quod nascitur ex motu
primi mobilis, de quo Philosophi disputant
libro quarto Phys. alterum *spiritale*, quod vo-
cant *discretum* & *Angelicum*, quod nihil est a-
C lud, quàm duratio quędam composita ex mul- VII.
tis instantibus Angelicis sese immediatè se-
quentibus sine vlla communi copula, sicut nu-
merus componitur ex pluribus vnitatibus à se
inuicem distinctis; vnde sicut numerus ob de-
fectum communis vinculi vocatur *quantitas
discreta*, ita tempus Angelicum vocatur *discre-
tum* ex eo, quòd momenta, quæ illud com-
ponunt nullo vinculo colligantur; est autem
momentum seu *instans temporis discreti* nihil a-
liud, quàm quædam duratio tota simul, & in
se ipsa indiuisibilis, continens durationem
vnius liberæ actionis Angelicæ, siue operatio
ista coexistat pluribus partibus nostri tempo-
ris, siue paucioribus, dummodo sit vnica,
sicque pro libito Angeli vnum instans potest
coexistere paucioribus partibus nostri tem-
D poris, & aliud pluribus, & hæc momenta
dum alia aliis succedunt, componunt tempus VIII.
illud, quod vocamus *discretum*, seu *Angeli-
cum.* Hoc præmisso,

Probatur tertia pars nostræ propositionis:
illud censetur fieri *tempore* tantùm *discreto*,
quod durat solis mutationibus instantaneis,
illisque constat ita sibi succedentibus, vt nul-
lo tamen vinculo communi inter se coniun-
gantur, vt patet explicatione temporis discre-
ti nunc traditâ: atqui totus motus, de quo fit
mentio in hac nostra propositione, constat so-
lis eiusmodi instantaneis mutationibus, vt
per se patet.

Confirmatur: tunc propriè est motus, quãdo
mobile ita sese constituit in aliquo loco, eúmq;
de facto deserit, & postea sese adhuc transfert
in alium locum, quem etiam statim deserit,

I. & ita deinceps, quia ibi est recessus à termino A *à quo*, & accessus ad terminum *ad quem*, & prętterea talis motus est discretus; sicut numerus, quia singulæ mutationes ita à se inuicem distinguuntur, vt tamen seruent aliquem ordinem, ratione cuius faciunt totum quoddam, sicut numerus: ergo cùm duratio rei, eiúsque mensura debeant proportionari existentiæ rei, & nihil sit, quod proportionetur tali motui, præter tempus illud discretum à nobis explicatum, motus ille rectè dicitur fieri tantùm in tempore.

Articvlvs V.

Vtrum detur terminus celeritatis motus contrarij Angelorum.

II. Cvm Angeli ex dictis possint acquirere locum adæquatum in instanti, & possint se in loco diuisibili minori, & semper minori in infinitum constituere, videatúrque acquirere locum adæquatum in instanti esse aliquid maius, quàm illum acquirere in tempore breuissimo, quantumuis minimo, quæritur vtrum Angelus possit celeriùs, & semper celeriùs in infinitum sese mouere de loco in locum, ita vt potentia motiua Angeli nullum habeat terminum celeritatis in faciendo motu continuo; nonnulli etiam ex recentioribus existimant nullum eiusmodi terminum dari.

Melior tamen est contraria sententia, cum qua concludimus, *dari certum quemdam terminum celeritatis motus continui facti ab Angelo.* Probatur primò, quia determinatæ & finitæ potentiæ solis naturæ viribus agentis, virtus
III. etiam agendi debet esse determinata & finita, non solummodò secundùm extensionem, sed etiam quoad intensionem, vt patet inductione factâ per omnia agentia naturalia; atqui potentia motrix in quolibet Angelo est finita & determinata, vt suprà ostendimus, quæ tamen esset infinita, si Angelus posset velociùs, & semper velociùs in infinitum sese mouere, sicut est quædam infinitas in diuina potentia, quòd possit non tantùm plures & plures effectus producere, sed etiam perfectiores, & perfectiores secundùm intensionem in infinitum.

Deinde: sicut omnes Angeli (quia sunt omninò indiuisibiles) non excedunt sese quoad locum indiuisibilem, quantumcumque vnus excedat alium entitatiuâ perfectione; ita nec sese inuicem excedent in potentia motrice, si
IV. quilibet Angelus possit semper velociùs & semper velociùs in infinitum sese mouere, cùm hæc perfectio omnibus & singulis Angelis eodem planè modo conueniret; at omnes Angelos esse quoad potentiam motricem æquales inter se, est falsum, cùm hæc sequatur conditionem suæ substantiæ & naturæ, quæ in vno Angelo est etiam specie perfectior, quàm in alio, sicut aliqui Angeli dantur specie distincti ab aliis.

Tertiò ad hoc, vt motus fiat velociùs, & velociùs semper in infinitum, in minimo & semper minimo tempore; cùm motus eiusmodi non fiat, nisi vel producendo ipsum vbi, vel aliquam illius replicationem, vt ostendimus, oporteret Angelum ita sese mouendo producere tot, & tam multas replicationes per tale spatium, vt sese inuicem impedirent; nam sicut partes motus velocissimi sunt magis compressæ, quàm partes motus tardioris, ita etiam omnes illæ replicationes tam breuissimo tempore productæ, erunt magis veluti compressæ, sícque potiùs sese impedient, & ex consequenti ipsum motum retardabunt, cùm tam breui tempore non possint per aliquam successionem obtinere suam extensionem. V.

Ex quo patet solutio ad id, quod auctores contrariæ sententiæ obiiciunt, quòd, cùm Angeli possint sese constituere in loco diuisibili minori & minori in infinitum, nec videatur illud esse minus, quàm acquirere locum breuissimo tẽpore, ex consequẽti possunt celeriùs & celeriùs in infinitum se mouere: patet in-
B quam solutio ad hanc obiectionem, nam ad hoc, vt Angelus possit sese constituere in loco VI. diuisibili semper minori & minori, satis est, quòd pauciores semper & semper pauciores replicationes producat, quamdiu manet intra locum suum adæquatum, vel si est in illo totus coextensus, sufficit, quòd deperdat plures semper & plures replicationes ex omnibus iis, quas habet de facto in illo loco suo adæquato sese veluti constringendo, quod facilè intelligitur ab eo fieri, cùm omnes illæ replicationes eius non dependeant à se inuicem, siue in fieri, siue in conseruari, sed vna possit deperdi sine alia, ex sola libertate Angeli sese veluti restringentis, cùm tamen econtrà dum illæ omnes aliquâ successione producuntur, tunc sibi inuicem sunt impedimento, vt iam explicatum est.

Atque ex hoc à fortiori intelligitur Ange-
C lum non posse mouere aliquod corpus, quantalibet velocitate, sed aliquâ tantùm determinatâ: cùm enim corpora habeant grauitatem VII. sibi innatam, quam Angeli non habent, & grauitas corporum aliquo modo resistat mouenti, quatenus retardat motionem illius, vt docet experientia, nec Angeli solis naturæ suæ viribus possint illam amouere à corporibus, vel donum agilitatis conferre illis; fit, vt si se ipsas, substantias immateriales, nullâ grauitate ac mole affectas non possint celeriùs & celeriùs in infinitum mouere in minimo & semper minimo tempore in infinitum, multò minus possint mouere aliqua corpora quantalibet velocitate, sed tantùm prout determinata conditio naturalis eiusmodi corporum patitur.

D VIII.

DISPVTATIO IV.

De effectibus potentiæ motricis Angelorum.

Actenvs dari in Angelo potentiam motricem ostendimus; & quòd illa sese extendit ad mouendum se ipsum etiam explicauimus; nunc quid Angelus possit per illam circa alia vel agendo, vel etiam obsistendo dicendum est.

I.

Articulus I.

Quidnam Angeli mouere possint.

Notandum est primò, subiecta ipsi Angelo extrinseca, circa quæ motrix eius potentia sese potest exercere, esse, vel res corporeas, vel res purè spiritales, vt sunt alij Angeli, vel etiam animæ hominum, & de vtrisque quæstionem posse moueri; quid scilicet potentia motrix Angeli possit circa illa.

Notandum est secundò, nos hîc nullo modo agere de motu cælorum, an fiat, vel non fiat ab Angelis, & quomodo; hoc enim propriè spectat ad Philosophos: sed tantùm agimus de aliis, quæ Angeli vi potentiæ suæ motricis
II. possunt causare, tam circa alias res corporeas, quàm etiam circa alias creaturas spiritales. His prænotatis sit

Prima propositio. *Angelus potest naturaliter in quocumque corpore naturali per potentiam suam motricem producere immediatè motum localem.* Hæc propositio est communis apud omnes Scholasticos.

Probatur facilè, primùm ex sacris literis, in quibus passim legimus Angelos tam malos, quàm bonos mouisse quædam corpora, vt Exod. 14. vbi Angelus Domini latens in columna nubis sese ostendens exercitui Pharaonis iam existenti in mari rubro intuitus per lumen coruscum in eiusmodi exercitum eiaculauit tonitrua, fulmina, lapides, tela ignita, quibus equites Pharaonis interfecit, & rotas curruum eius subuertit, item libro secundo
III. Paralipomenon capite trigesimo secundo Angelus Domini delet exercitum Sennacherib, Daniëlis 14. Angelus transfert Habacuc à Iudæa in Babylonem, Ioan. 5. Angelus mouet aquam piscinæ, Matth. quarto malus Angelus transfert Christum Dominum ab vno loco in alium, & Matt. 8. dæmones ingressi gregem porcorum agunt illum præcipitem in mare.

Probatur item ratione: omnis creatura cognitione siue per intellectum, siue per sensum prædita eo ipso, quo potest sese loco mouere, potest & cætera suæ motrici potentiæ inferiora de vno loco ad alium transferre, nihilque aliud ad id præstandum postulat, quàm localem vnionem sui cum re mouenda, vt sic agens & patiens coniungantur inter se, quemadmodum patet inductione factâ per res omnes capaces motricis potentiæ; atqui Angeli
IV. tam mali, quàm boni secundùm sua tantùm naturalia considerati sunt creaturæ præditæ intellectuali cognitione, & sese possunt mouere ab vno loco ad alium, vt ostendimus, eorúmque motrix potentia est longè maior, quàm sit vel grauitas, vel resistentia cuiuscumque rei corporeæ, per quam possint eis obsistere, quia sicut sunt nobilioris entitatis, ita etiam habent potentiam motricem perfectiorem seu maiorem; & præterea Angeli possunt sese indistantes coniungere ipsis corporibus: ergo Angeli siue mali, siue boni possunt quodcumque corpus transferre, seu mouere de loco in locum [illegible]

Confirmatur congruentiâ illâ, quam habet sanctus Thomas hâc parte infrà quæstione 110. articulo tertio: omnes partes vniuersi ita sunt
A inter se dispositæ, vt nobiliores & superiores sint per aliquid coniunctæ inferioribus; sed V.
Angeli sunt aliquæ partes nobilissimæ vniuersi, vt suprà docuimus, & quibuscumque rebus corporeis superiores, vt patet ex eorum intrinseca natura, nec aliquid aliud potest assignari, quo coniungantur rebus corporeis, quàm ipse motus, quo eas possunt mouere, cùm ratione illius S. August. lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. dicat naturam corpoream obedire Angelis; igitur Angelus potest naturaliter suâ motrice potentiâ producere motum localem in quocumque corpore naturali.

Nec his obstat, quòd dæmones, cùm sint obstinati in peccato, nobis inuideant bona omnia, eáque quantum possunt, impediant, non tamen mortem singulis hominibus inferant, vel hoc vniuersum euertant, vel a-
B liquid eiusmodi faciant, quod tamen ratio- VI.
ne malitiæ & inuidiæ facerent, si possent per potentiam suam motricem: hoc inquam non obstat, quòd enim ex his, & aliis eiusmodi pluribus hæc vel illa non faciant, non prouenit ex defectu potentiæ, vel etiam voluntatis ad nocendum, sed ex eo, quòd impediantur à Deo, qui non permittit illos hæc & ista facere, sed tantùm vti suâ motrice potentiâ ad nocendum, vel aliquid aliud præstandum, prout ipse Deus permittit, vt obseruat sanctus Augustinus, & Magi Pharaonis agnouerunt, quando defecerunt in producendis sciniphibus dicendo *digitus Dei est hîc* Exodi octauo, quatenus tunc Deus impediuit, ne dæmones, vel aliunde transferrent sciniphes, sicut aliqua transtulerant in aliis signis, vel ne applicatione actiuorum ad passiua produce-
C rent eiusmodi animalcula; quod idem etiam VII.
agnouit dæmon primo capite libri Iob, dum postulat à Deo permissionem nocendi ipsi Iob.

Secunda propositio. *Vnus Angelus potest vi suâ naturali alium Angelum mouere localiter.* Ita communiter omnes, Maior in secundum sententiarum distinctione secundâ quæstione septimâ, Suarez tam in Metaphys. disp. 35. sect. 6. quàm lib. 4. *de Angelis* cap. 28.

Probatur: vnus Angelus videtur esse magis proportionatus in ratione mouentis alteri Angelo in ratione mobilis, quàm sit ipse Angelus alicui corpori; sic enim magis sibi correspondent quoad omnia: atqui ex præcedentibus Angelus potest suâ virtute naturali mouere localiter aliquod corpus naturale:
D ergo vnus etiam Angelus poterit mouere lo- VIII.
caliter alium Angelum solâ virtute suâ naturali.

Deinde Lucæ decimo sexto Angeli dicuntur portare animam Lazari in sinum Abrahæ, & licet hoc fiat ad honorem sancti, non tamen obstat, quin etiam fiat cum reali motione à loco in locum: nec debet intelligi tantùm fieri ex virtute supernaturali, cùm ipsa deportatio substantiæ spiritalis à loco in locum nudè & simpliciter spectata dicat tantùm in mouente actionem transeuntem motricis eius potentiæ, cuius passio correspondens recipiatur in eo, qui mouetur: primum habet locum in Angelo mouente, vt patet ex dictis; secundum item non repugnat substantiæ Angeli, cùm illa sit loco mobilis, vt ostendimus.

I. Tertiò, nonnunquam etiam apud Patres animæ damnatæ, dum discedunt à suis corporibus, dicuntur rapi à dæmonibus, item detrudi, impelli ad inferos, ad quod præstandum, dæmones non debent dici accipere à Deo aliquam supernaturalem virtutem, cùm nulla ibi appareat necessitas talis virtutis, dæmon enim tam benè potest transferre solâ virtute suâ naturali animam à corpore separatam, de loco in locum, quàm, quando illa informat corpus, cùm sit substantia quædam mobilis seu capax motionis.

Tertia propositio. *Angelus inferior non potest virtute suâ naturali mouere Angelum superiorem reluctantem; imò nec sibi æqualem; fit autem hæc reluctatio à superiori, vel æquali, aut mouendo sese in partem oppositam, aut producendo in se ipso aliquam qualitatem detentiuam, similem ei,*
II. *quâ nos firmiter retinemus in eodem loco, resistendo alteri conanti dimouere nos ab eo.* Duæ sunt partes huius propositionis.

Prior probatur: omnis actio fit à proportione maioris inæqualitatis, & omnis motio iuxta proportionem virtutis motricis, prout applicatur à mouente; atqui virtus motrix Angeli inferioris est minor virtute motiuâ Angeli superioris, quia hæc sequitur conditionem substantialis perfectionis, quæ in superiore est maior, & in Angelis æqualibus est similiter æqualis: ergo Angelus inferior non potest loco mouere superiorem, vel æqualem sibi reluctantem.

Nec obstat, quòd Angeli custodes etiam inferiores aliquibus dæmonibus quoad naturalia, eos nolentes frequẽter loco mouent; id enim non faciũt solis naturæ viribus, sed ex po-
III. testate sibi à Deo tradita, sicut & nostri Exorcistæ, licet naturâ inferiores quibuscumque Angelis, eos, potestate per ordinem susceptâ, expellunt à corporibus hominũ, quæ possidẽt.

Posterior item pars propositionis probatur ex eo, quòd modus ille reluctandi sit Angelo possibilis, & nullus appareat cõmodior; quòd sit *possibilis* patet, quia potentia motrix in Angelo est tam efficax respectu ipsius Angeli, quàm sit in nobis respectu nostri, vel in cæteris animantibus, prout comparatur ad illa, quia hæc potentia, vt abstrahit ab eo, quòd sit in homine, vel Angelo, nullam vitalitatem rei tantùm corporeæ propriam postulat, aliàs enim Angeli illam in se ipsis, & ad se ipsos loco mouendos non haberent, ideóque quicquid illa habet, quatenus est tantummodò potentia motrix in homine, vel in alio animãte,
IV. habet, & in ipso Angelo, cui inest, seruatâ tamen proportione ad subiectum cui inest: atqui hæc potentia motrix in nobis vel aliis animantibus obsistit aliis, & contra suum appetitum mouentibus, vel producendo in illis qualitatem impulsiuam, quâ sese in partem oppositam mouerint, vel aliam, quâ sese firmiter retinent intra idem spatium; quam qualitatem ad distinctionem præcedentis, possumus appellare *detentiuam*, seu *retentiuam*, quatenus ita detinet Angelum firmiter in suo eodem loco, vt impediat alium Angelum eum dimouere; imò & Angelus superior, dum vult alium sibi inferiorem Angelum retinere intra eundem locum, & alligare certo alicui loco contra propriam suam voluntatem, imprimit illi retentiuam aliquam qualitatem, quâ mo-
A trix eius potentia impediatur exire in actum V.
secundum, nec hoc est illi magis difficile, quàm qualitatem aliquam impulsiuam, & loco motiuam ei imprimere, quam tamen potest in eo producere: & quemadmodum Scholastici admittentes motionem localem posse fieri ab Angelis, simul etiam concedunt qualitatem impulsiuã inferiùs explicandam, quia hęc est aliquod adiunctum motui; ita etiam, quia hæc qualitas retentiua est aliquid coniunctum ei actioni, quâ Angelus superior detinet inferiorem, impedítque eius motum localem, admittendo Angelum superiorem posse suis viribus impedire inferiorem, ne mutet locum etiam contra propriam inclinationem, simul etiam admittunt tunc superiorem imprimere inferiori prædictam qualitatem retentiuam.

Addimus tamen, quòd quemadmodum vt
B homo se ipso alium hominem renitentem reti- VI.
neat in eodem loco, requiritur eum illi esse præsentem, & intimè coniunctum, & qualitas illa retentiua, quam ei imprimit, dependet ab eo etiam in conseruari; ita similiter ad hoc, vt Angelus superior detineat inferiorem renitentem in eodem loco, requiritur, vt sit illi intimè præsens, & coniunctus loco, alioquin qualitas detentiua in loco, impressa inferiori, vbi non recipiet continuum influxum ab Angelo eam imprimente, remittetur, & per resistentiam motricis potentiæ deperdetur.

Hinc quando Tob. 8. sanctus Raphaël dicitur apprehendisse dæmonium, illúdque religasse in deserto superioris Ægypti, item alius Angelus Apocalyps. 20. ligasse Satanam per mille annos, eum misisse in abyssum, quia detentiones istæ dæmonum contra propriam eo-
C rum voluntatem, durant in absentia Angelo- VII.
rum, qui eos ligauerunt, dicendum est istas detentiones non fuisse factas solis naturæ viribus Angelorum ligantium, sed saltem pro eo tempore, quo boni Angeli recedebant ab illis, id fuisse factum per substractionem generalis concursus Dei, absolutâ Dei potestate facti, ne hæc dæmonia possent inde exire.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angeli mouentes rem aliquam imprimant ei impulsum.

SIT hæc vnica propositio. *Angelus dum mouet aliquod corpus, vel alium Angelum ad locum distantem, imprimit eis aliquam qualitatem, quam possumus vocare impulsum.* Hæc proposi-
D tio probatur iis omnibus, quibus Philosophi VIII.
agentes de motu proiectorum, docent ipsum mouens imprimere proiectis eiusmodi qualitatem, quam sententiam S. Thom. docet in quæst. disputatis *de potentia* quæst. 11. art. 5. & in quæst. disputatis *de anima* art. 11. in responsione ad secundum: item Durandus in 4. sent. distinct. 1. quæst. 1. & plures alij etiam ex recentioribus ad præsentem quæst. S. Thom.

Probatur: omne agens debet esse coniunctum patienti, vel *immediatè*, seu *per se ipsum*, vel *mediatè*, seu per aliquid aliud, quod sit ab ipso agente, vt omnes Philosophi docent; atqui Angelus potest mouere aliquod corpus, vel alium Angelum à loco sibi proximo ad alium distantem, vt patet ex relata deletione exercitus Pharaonis: igitur tunc Angelus mo-

I. uens ipsum mobile ad locum distantem, dum adhuc mouetur in medio, debet alteri Angelo esse coniunctus *mediatè*, sed nihil potest assignari tunc, quo Angelus mouens coniungatur mediatè corpori, vel Angelo iam distanti, quàm qualitas illa ab eo impressa mobili: igitur Angelus mouens corpus, vel Angelum ad aliquod spatium distans, imprimit ei aliquam qualitatem; imò quando Angelus immediatè coniunctus quo ad locum patienti mouet illud, debet etiam & aliquem impulsum ei imprimere, solam enim localem eius indistantiam non sufficere, patet ex eo, quòd hæc approximatio possit dari sine tali motione.

Quòd item, cum hac approximatione locali, sola volitio Angeli sine tali qualitate impulsiua non sufficiat ad mouendum corpus, vel Angelum indistantem, probatur ex eo, quòd
II. voluntas Angeli producat tantùm actus immanentes; at hæc motio, siue corporis, siue Angeli ab vno loco proximo ad alterum valdè distantē est operatio quędam transiens. Deinde possumus intelligere aliquem Angelum habere voluntatem mouendi aliquod corpus, vel aliquem Angelum sibi indistantem, nec tamen inde sequi expulsionem istius corporis, vel Angeli à suo loco, cuius rei defectum non possumus reiicere in aliā causam, quàm, quòd potentia motrix Angeli nihil impresserit corpori, vel Angelo, quo expelleretur à suo loco.

Hanc eandem conclusionem probant aliqui ex eo, quòd Angelus possit impedire casum lapidis descendentis in terram, ad quod putant requiri impressioné alicuius qualitatis ab Angelo factam tali lapidi, quâ impediatur vlteriùs progredi. Sed hæc ratio benè refellitur ab
III. alijs, vt animaduertit Suares lib. 4. *de. Ang.* cap. 31. Angelus enim potest detinere lapidem descendentem, nihil faciēdo in illo, cum scilicet sustinendo in aëre, & impediendo, ne vlteriùs descendat, sicut plerumque contingit in ipsis rebus corporeis, quæ dum alijs descendentibus occurrunt suâ firmitate, aliarum descensum impediunt.

Cæterum, quia qualitas illa impulsiua recipitur in ipso mobili, tanquam in suo subiecto & quicquid recipitur ad modum recipientis, recipitur, ideò quando res, quam Angelus mouet, est corporea, hæc etiam qualitas impulsiua est corporea; quando verò est substantia purè spiritalis, sicut est Angelus, tunc etiam quoad suam entitatem est purè spiritalis.

Neque his obstat, quod communiter dicunt Theologi Angelum nihil posse immedia-
IV. tè circa aliquod extremum subiectum præter motum localem, qui tamen est aliquid distinctum à tali qualitate, cùm hæc sit in secunda specie qualitatis, scilicet in potentia, quia est immediatum principium operandi, motus verò localis minimè. Nec item quòd talis impulsus videatur esse qualitas nimis imperfecta, vt possit ad gradum spiritalem vel pertinere, vel peruenire.

Hæc inquam non obstant: non primum, quia dum Theologi ita loquuntur, nomine *motus localis* etiam intelligunt ea, quæ sunt coniuncta motui, nec aliquod aliud determinatum principium postulant, quod sit eorum productiuum, sicut, licet figura & extensio localis distinguātur aliquo modo à motu locali, quia tamen non habent aliud principium produ-

A ctiuum sui, quàm ipsum motum localem, Angelus faciens motum localem rectè dicitur ea facere, & rectè comprehenduntur sub nomine V.
motus localis, qui solus dicitur possibilis Angelo secundùm virtutem suam naturalem agendi considerato; pari etiam modo hæc impulsiua qualitas, quia est annexa motui locali, rectè comprehenditur sub motu locali, tanquam aliquid, quod etiam naturaliter potest ab Angelo produci.

Secundum itē non obstat: nam & dantur aliqua etiā accidentia spiritualia tam parum perfecta, cuiusmodi sunt vbi, & id genus nonnulla, quæ tamen, quia sunt in substātiis spiritualibus, non desinunt suo modo pertinere ad gradum spiritalem, nec, vt aliquod accidens in suo ordine pertineat ad gradum spiritalem, requiritur tanta perfectio, quanta in substātia,
B sed sufficit, quòd ad illā aliquo modo spectet. VI.

ARTICVLVS III.

Vtrum Angeli per motum aliquid possint producere distinctum ab impulsu.

NOTANDVM est posse intelligi aliquid fieri ab Angelo per potentiam eius motricem, primò immediatè, ita vt inter illam, vel actum eius, & id, quod dicitur per illam fieri, nihil aliud mediet tanquam productiuum immediatum eius, quod dicitur fieri per illam; secundò mediatè tantùm, quatenus potentia motrix Angeli facit aliquid, quod ab ea factum, posteà producit hunc vel istum effectū.

Prima propositio. *Angeli virtute suâ naturali per motricē suam potentiā possunt mediatè ea om-*
C *nia, quæ solâ & simplici applicatione actiuorū ad passiua, fiunt ab agente naturali, vel ad eiusmodi applicationem resultant*: ita cōmuniter omnes. VII.

Probatur ex S. August. lib. 3. *de Trinitate* cap. 8. & 9. & alibi, vbi agens de prodigiis factis per Magos Pharaonis, fusè docet illa fuisse facta per dæmones applicantes actiua passiuis, quorum vim natiuam, tam in agendo, quàm in patiendo probè norunt, sicut etiam & conuenientissimam rationem ea inter se coniungendi acutissimè penetrant, & omnia impedimenta possunt auertere, quod totum facilè intelligitur ex eo, quòd maior sit potestas Angeli secundùm sua naturalia considerati, quàm hominis circa ea, quæ ad sui productioné non postulant in agente vitalitatem, nec in modo, quo effectus procedit ab agente: vt enim Angelus est perfectior in sua specie, quàm sit ho-
D mo, ita etiam debet habere perfectiorem, vel saltem æqualem potentiam in agendo; atqui homo rerum naturalium peritissimus solâ applicatione actiuorum ad passiua potest multos effectus causare, seu producere, sumendo hoc verbum in amplissima significatione, quemadmodum docet experientia in hortulanis maturitatem quorumdam fructuum accelerantibus, item in procuranda eductione pullorum ex ouis, certo modo calefactis, & in aliis id genus, & hæc omnia si pręcisè spectētur, nullam postulant vitalitatem in tali agente, nec ab eo procedunt modo vitali; vt patet ex eo, quòd si causæ proximæ eiusmodi effectuum coniungātur inter se eo modo, quo postulāt produci, aliquo tantùm casu ab agente inanimato, non desinunt eosdé suos effectus producere, vt et- VIII.

I. iam docet experientia: igitur Angeli solis suæ naturæ viribus relicti possunt applicatione actiuorum ad passiua res multas producere.

Confirmatur: hæc applicatio actiuorum ad passiua tota consistit in ea motione locali, quâ vnum fit alteri indistans loco, vt per se patet; atqui Angelus potest solis naturæ suæ viribus facere ipsa agentia naturalia indistantia loco ipsis patientibus, vt patet ex dictis, & ampliùs intelligetur ex mox dicendis: igitur Angelus solis suæ naturæ viribus potest per motricem suam potentiam facere mediatè ea omnia, quæ per simplicem applicationem actiuorum ad passiua fiunt à causis naturalibus.

Secunda propositio. *Angeli solis suæ naturæ viribus non possunt immediatè producere vllam substantiam, nec etiam immediatè alterare corpora*: ita cómuniter omnes Scholastici, S.
II. Thomas infrà quæst. 110. art. 2. in solutione ad 2. & 3. item lib. 5. *contra gentes* cap. 103. S. Bonauentura 2. sentent. 2. parte 7. distinctionis art. 2. quæst. 1. Scotus ibidem & plures alij.

Probatur primùm ex cap. *Episcopi* 26. quæst. 5. vbi damnantur, qui credunt dæmones posse facere aliquam creaturam, vel illam in deterius, vel in melius transmutare, vel etiam in aliam speciem transformare: item ex Concilio Brachar. I. can. 8. vbi condemnantur, qui ad sensum & mentem Priscilianistarum credunt dæmones facere aut fecisse creaturas; imò etiam tempestates, scilicet immediatè propriâ suâ auctoritate, & absque permissione Dei, cùm nihil possint, nisi quod solâ applicatione actiuorum ad passiua potest fieri; item ex S. Leone ep. 93. condemnante prædictã hæresim Priscilianistarum, item ex S. August. lib. 3. *de*
III. *Trinit.* cap. 8. & 9. vbi negat materiam corporalem obedire dæmonibus ad nutũ in ordine ad generationem, accretionẽ & alterationem.

Probatur ampliùs: quâ enim ratione Angelus posset solis naturæ viribus vnam substantiam immediatè producere, vel alterare, posset & quamlibet, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia, & proinde sola creatio esset ei impossibilis.

Deinde multæ formæ substantiales postulant educi è subiecto actione vitali; at Angeli nullam possint exercere actionem vitalem corpoream, vt suprà docuimus.

Tertiò: omne producens immediatè tanquã causa propria debet continere suum effectum; atqui Angeli non continẽt substãtiales formas rerum naturalium, etiam eminẽter; sunt enim illis improportionatæ: & licet Deus sit longè
IV. immaterialior Angelis, quia tamen habet modum agendi illimitatũ, quo etiã sese extendit ad creationem, & proinde ad omnem modum possibilem, quo res naturalis est apta produci, & prætereà ratione suæ omnipotentiæ continet eminẽter omnes quoscumq; effectus possibiles, ideò fit, vt immaterialis existens possit omnes & quascumque substãtias producere, econtrà verò Angelus, quia habet modũ agendi limitatum iuxta conditionem suæ potentię, nec formas substantiales rerum naturalium in se continet, eas non possit immediatè producere, vel etiam alterare corpora; & si hæc posset, deberet alia virtus & potentia istorum productiua admitti in Angelo, quæ tamen esset distincta à potentia eius motrice, quemadmodum generatiua potentia in ipsis animã-

A tibus est distincta à potentia loco motiua; V.
quam tamen aliam facultatem nemo Theologorum aut Philosophorũ agnoscit in Angelis.

Vnde constat disparem esse rationem istarũ qualitatum alteratiuarum ab illis qualitatibus impulsiuis & retentiuis, quas suprà diximus Angelos posse producere per motũ localem, quòd scilicet efficientia eiusmodi qualitatum sit actus proprius motricis potentiæ, & sine illis potentia motrix non intelligatur exercere motum expulsionis, vel detentionis; at qualitates alteratiuæ & formæ item substantiales naturales aliam requirunt potentiam ab ipsa motrice facultate, quam nullam possumus in Angelis assignare.

B AD QVÆSTIONEM LIV. VI.

DISPVTATIO VNICA.

De cognitione Angelorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum cognitio Angelica, intellectus Angelicus sint idem cum substantia, & existentia Angeli, item an agens intellectus, possibilis, & cognitio sensitiua sint in Angelis.

QVia actio Angeli est cognitio, vt indicant hęc eius nomina, *intelligentia, dæmon*, idcir-
C co post explicatam essentiam, VII.
locum & motum Angelorum, agit S. Thom. de cognitione Angelorum, quæcumque autem habet præsenti quæst. reuocantur ad tria capita; primò enim comparat actum cognitionis Angelicæ cum substantia, & existentia Angeli; deinde confert potentiam intellectiuã eius, cum eius substantia; tertiò quærit an *cognitio sensitiua*, item *intellectus agens & patiens* locum habeant in Angelis, quæ omnia intelliguntur facilè ex similibus quæstionibus, quas Philosophi lib. *de anima* mouent de nostra cognitione, intellectu nostro, & necessitate intellectus agentis & patientis in nobis; vt enim rectè intelligimus actum cognitionis intellectiuæ esse realiter in nobis distinctum, tam à substãtia nostræ animæ, quàm ab eius existentia, ex eo, quòd
D nullâ factâ mutatione in substantia, vel existẽ- VIII.
tia animæ, hic & ille actus cognitionis potest adesse & abesse, & alius ei succedere; ita etiã, quia Angelus potest carere actu alicuius cognitionis circa plura obiecta creata sibi extrinseca, nec semper habet actualem cognitionem illorum, vt infrà patebit, quia item Deus, vel etiam alij superiores Angeli illuminando inferiores docent eos, quæ tamẽ nesciebant, facilè intelligimus actum cognitionis Angelicæ esse distinctum à substantia & existentia Angeli, & Patres sæpè, vt S. Leo ep. 93. & alij citati, dum ageremus *de scientia Dei*, docent hoc esse proprium ipsi Deo, vt sit suum intelligere, & vt substantia eius sit impermixta accidentibus.

Deinde omnis cognitio est, vel *sensitiua*, vel *intellectiua*, & sensitiua reperitur tantùm

I. in entibus aliquâ saltem parte corporeis, sitque mediantibus organis, & suprà ostendimus Angelos esse substantias purè spiritales, rectè etiam sequitur nullam aliam in Angelis dari cognitionem præter *intellectiuam*; vnde quando S. Dionys. lib. *de diuinis nominibus* capite 4. admittit in dæmonibus *proteruam phantasiam*, id tantùm accipitur metaphoricè, & per quandam similitudinem.

Tandem: quia Angeli, vt sequenti quæstione docebimus, non intelligunt per species acceptas à rebus, ideò consequenter non habent in se ipsis intellectum *agentem*, prout iuxta Philosophos lib. *de anima* est spiritalis quędam potentia, quæ abstrahit species rerum intelligibilium à phantasmatibus: neque similiter habent intellectum *possibilem*, prout Philosophi sumunt illum, pro spiritali potentia, quæ
II. prædictas species omnes abstractas per intellectum agentem recipit in se ipsa, cùm enim potentiæ dentur propter operationem, & obiecta, quia aliàs essent frustraneæ, & abstractio specierum à phantasmatibus, earúmque receptio, quæ sunt propriè operationes eiusmodi intellectuum, non habeant locum in Angelis, nec etiam intellectus agens & possibilis hoc modo considerati reperiétur in illis.

Nec obstat, quòd in Christo Domino, & primo parente, quibus scientiæ erant infusæ, prædicti intellectus locum habuerint: nam primò eiusmodi intellectus consequuntur animam rationalem, vt formam corporis: deinde omnes scientiæ animæ Christi Domini, & primi parentis infusæ, non erant infusæ *per se*, id est, talis conditionis, vt non possent ab illis naturæ viribus comparari, sed aliquæ e-
III. rant infusæ tantùm *per accidens*, id est, infusæ quidem à Deo, quæ tamen poterant ab illis, studio & labore comparari, vt de Christo Domino docent sanctus Thomas, & eius discipuli tertiâ parte quæstione 11. ideóque cùm id, quod est *per accidens*, non destruat id, quod est *per se*, saltem quoad actum primum, & Christus Dominus vt homo, item primus parens potuerint aliquot scientias acquirere, quibus comparandis viâ ordinariâ vterque prædictus intellectus modo superiùs explicato est necessarius, ille vterque intellectus debuit esse in Christo Domino, & primo parente. Adde quod cit. quæst. tertiæ partis ostendunt Theologi intellectum animæ Christi Domini potuisse in aliquo sensu vti scientiâ sibi infusâ *per se* etiam per conuersionem ad phantasmata, nec proinde talis intellectus fuit
IV. inutilis animæ Christi Domini, qui tamen in Angelis, cùm sint omninò incorporei, esset inutilis.

Addidi in hac responsione de hoc vtroque intellectu, *prout secundum Philosophos sumuntur*; si enim habere hunc vtrumque intellectum sit tantùm habere aliquid simile cum vtroque intellectu, tunc quia inferior Angelus potest illuminari à superiore, dicitur habere intellectum *possibilem*, quatenus aliquid de nouo addiscit, & superior Angelus illuminans inferiorem dicitur habere intellectum agentem, quo sensu Alensis 2. parte quæst. 22. membro 3. admittit illum in Angelis, quem tamen loquendi modum esse improprium notat sanctus Thomas articulo quarto in solutione ad vltimum.

A

AD QVÆSTIONEM LV. V.

DISPVTATIO VNICA.

De medio cognitionis Angelicæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli intelligant omnia per suam substantiam.

REPETENDVM ex dictis ad quæst. 12. & 14. huius primæ partis, quod etiam Philosophi docent lib. *de anima*, ad cognitionem pręter ip-
B sam potentiam cognoscitiuã aliquid requiri, quod cum illa concurrat, & hoc esse, vel *obiectum*, vel *speciem illius*, vel aliquid supplens vices illius: & hoc vocant Theologi cõmuniter *medium cognitionis*: est autem medium illud duplex, vnum *cognitum*, alterũ *non cognitum*, vt locis citatis notauimus: hîc tantũ agitur de medio *non cognito*, & sensus articuli est vtrum in Angelis, dum cognoscũt omnia alia à seipsis, tunc propria eorum substantia suppleat vicem speciei intelligibilis, an verò debeant Angeli habere aliquid aliud distinctum à sua substantia, quidquid sit illud. VI.

Aristoteles lib. 12. *metaph.* textu 51. & eius commentator Auer. ibi existimant Angelos omnia cognoscere per suam substantiam; ad quam opinionem Altisiodorensis libro secundo suæ summæ accedit, ait enim essentiam
C Angeli esse diuinæ essentiæ similem, in eo, VII.
quòd sit speculum quoddam rerum omnium; neque propterea Angelos esse Deo pares, sed differre, quòd scilicet Deus actu semper intueatur omnia, Angeli verò minimè, sed tunc tantùm, quando intendunt in ipsas res.

Communis tamen sententia, quam loco conclusionis ponimus, est, *Angelos non intelligere res alias à se per suam substantiam*: hæc propositio est sancti Thomæ hîc articulo primo, & omnium eius interpretum. Probatur ex sancto Dionysio libro *de diuinis nominibus* capite quarto, dicente Angelos cognoscere *diuinâ collustratione*; at eiusmodi collustratio est aliquid distinctum à substantia Angeli.

Probatur etiã ratione: primùm iis omnibus,
D quibus citatâ quæst. 14. probauimus Deum
intelligere per solam suam substantiam, quæ VIII.
rationes ita petuntur ex propriis ipsius Dei, vt applicatæ præsenti quæstioni statim ostendant eius veritatem.

Deinde, quia si substantia Angeli ei esset ratio cognoscendi omnia, tunc Angelus semper & necessariò intelligeret omnia, quemadmodum seipsum necessariò intelligit, quia se cognoscit per suam substantiam, vt dicetur infrà, & cùm substantia eius sit tam indifferens ad vnam rem, quàm ad aliam, ratio sufficiens non posset reddi, cur hanc potiùs, quàm illam intelligeret; at certũ est vt patebit inferiùs, Angelum non omnia intelligere, vel necessariò, vel semper, & aliqua posse fugere cognitionem eius: ergo Angelus non intelligit omnia à seipso distincta per suam substantiam.

I. Obiiciunt auctores contrariæ sententiæ: Angeli sunt actus puri & intellectiui essentialiter: ergo nihil distinctum à sua substantia possunt recipere, quod cum illorum intellectu efficiat cognitionem rerum ab illis distinctarum; sed sola eorum substantia supplebit vicem eiusmodi medij.

Respondetur quòd Angeli sunt tãtùm actus puri puritate excludente solam materiam, cum qua rectè potest aliqua forma spiritalis in illis recepta consistere, quæ cum illorum intellectu efficiat in illis cognitionem rerum omnium ab illis distinctarum.

Ad id autem quod addunt auctores contrariæ sententiæ, quod sunt *essentialiter cognoscitiui*, seu *intellectiui*: respondetur hoc esse tantùm verum in actu primo, & radicali, non autem de actu proximo, vel etiã de actuali cog-
II. nitione, quasi hæc sit de intrinseco conceptu illorum: hoc enim esse falsum patet, tum ex præcisa ratione creaturæ, quam Angeli intrinsecè includunt, quæ necessariò admittit compositionem ex actu & potentia, tum ex dictis quæst. 14. huius partis de actuali intellectione Dei, tanquam prædicato quidditatiuo diuinæ essentiæ, tum ex dictis præcedenti quæst. de distinctione intellectus & intellectionis Angelicæ ab essentia & existentia Angeli.

Quæres, an Deus posset facere, vt Angelus per ipsammet suam substantiam supplentem vicem speciei impressæ intelligat aliam à se.

Respondetur posse: nam quidquid causa aliqua secunda potest in genere causæ puræ efficientis non vitalis, Deus potest illud communicare alteri, seu dari ei, vt possit illud facere: at quidquid facit tale medium cognitionis, si-
III. ue illud sit species impressa, siue fingatur esse quid aliud, est totum in genere causæ efficientis non vitalis, vt expressè ostendimus quæst. 12. huius 1. partis.

Nec obstat, quòd substantia Angeli non contineat in seipsa eminenter res omnes alias à se: nam in tali casu diceretur aliquo modo eas continere in se *virtute*, quatenus haberet in se virtutem ex parte obiecti, vel speciei requisitam ad formandam intellectionem, quæ tamen virtus tunc non esset necessariò aliquid superadditum entitati substantię ipsius Angeli, sed ipsamet entitas substantiæ Angelicæ, iuxta potestatem suam actiuam obedięntialem considerata, eodem planè modo, quo sacramenta nouæ legis dicuntur habere virtutem producendi gratiam physicè in suscipiẽtibus.

IV. Quæres secundò, an in tali casu esset liberum Angelo hanc vel illam rem actu & de facto cognoscere, & velle huic, vel illi attẽdere.

Respondetur, quòd posset Deus facere, vt tunc Angeli cognoscerent etiam liberè res creatas distinctas à se, sicut & nunc, quia talis concursus substantiæ Angeli supplentis vicem speciei impressæ semper indigeret ipso generali concursu Dei, sicut & omnis causa; vnde sicut Deus fecit, vt concursus eius generalis ad hoc, & illud agendum in particulari determinetur à concursu causæ secundæ, etiam liberæ, ita etiam posset facere vt concursus eius generalis necessarius actioni talis substantiæ, determinaretur tantùm ab ipsa voluntate Angeli ad hoc, vel illud in particulari cognoscẽdum, quod tantùm valdè confusè cognoscit, dum intuetur suam substantiam, sicut dum

A intuetur species, etiam aliquâ cognitione confusâ aliquo modo intelligit obiecta per illas repræsentata. V.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angeli intelligant per species intelligibiles.

NOTANDVM est nos hîc agere tantùm de necessitate specierũ intelligibilium, pro formanda cognitione in Angelis, an scilicet suppositâ communi sententiâ de illarum necessitate in nostro intellectu, earum etiam necessitas habeat locum in Angelis; qua de re duæ sunt sententiæ, vna negans, sed quæ duabus distinctis viis procedit.

Prior est Gandauensis quodlibeto quinto
B quæstione 14. asserentis Angelos cognoscere per quemdam habitum scientialem suo intellectui superadditum, qui repræsentat obiectiuè omnia intelligibilia, seruato quodam ordine, scilicet primò substantiam Angeli; deinde reliqua pro ordine suæ perfectionis, ita vt perfectiora priùs repræsentet, posteriùs imperfectiora. VI.

Secunda via est Durandi secundo sententiarum distinct. 6. quæst. 3. Gregorij Ariminensis eodem lib. distinct. 7. quæst. 3. Ochami ibidem quæst. 17. & 18. Angelos non cognoscere per species.

Prima propositio. *Angeli cognoscunt res alias à se directâ cognitione per species intelligibiles, nec prædictus scientialis habitus in illis datur, prout per illum aliquid aliud intelligitur, quàm species intelligibilis.* Priorem par-
C tem propositionis docet hîc S. Thom. omnes eius discipuli & plures alij, similiter posteriorem & præsertim Scotus secundo sententiarum distinct. 3. quæst. 10. VII.

Prior pars probatur: ad hoc vt fiat cognitio, debet obiectum vel aliquid loco eius simul concurrere cum potentia, vt locis superiùs citatis obseruauimus; atqui obiecta creata distincta ab ipsis Angelis non possunt per se concurrere cum intellectu Angelorum ad efformandam cognitionem de se ipsis: ergo debent concurrere per aliquid aliud, quod vices eorum gerat; hoc autem nihil est aliud, quàm species intelligibilis.

Minor probatur de obiectis materialibus: hæc enim propter suam improportionem non possunt immediatè, & per se ipsa concurrere, cum visiua potentia ad corporalem visionem,
D sed tantùm per species sensiles, licet detur maior proportio inter illa, & prædictam potentiam, quàm inter illa, & intellectum Angelicum, vt per se patet. Adde quòd res materiales vt agant, debent esse intra certam distantiam ad ipsum patiens; at Angeli cognoscunt res materiales, quæ actu existunt, etiam dum sunt ab illis loco remotissimæ. VIII.

Idem patet de obiectis creatis spiritalibus ex eo, quòd primò obiectum debeat coniungi potentiæ intellectiuæ, non quomodocumque, sed intimè, vt sic illam determinet ad sui cognitionem, tum etiam vt sic illi coniunctum faciat vnum totale agens; at Angeli non possunt per se ipsos ita immediatè coniungi intellectibus aliorum Angelorum, eos cognoscentium, quia vt intellectio est actus immanens,

I. ita & totum eius principium immediatum debet esse intra ipsum intellectum cognoscentis; alij verò Angeli non possunt sese substantialiter constituere intra intellectum Angeli cognoscentis, quia hoc habet aliquam rationem *illapsus*, quem tamen omnes Theologi denegant etiam Angelis. Deinde ex eo, quòd Angelus possit alium cognoscere etiam positum extra locum suum adæquatum, quia ad cognitionem intellectiuam intuitiuam propinquitas localis est impertinens, cùm vnus Angelus possit alium longè fugientem, vel etiam renitentem sibi coniungi intimè cognoscere: igitur cùm tunc intellectualis cognitio fiat, nec tamen Angeli concurrant per se immediatè, debet aliquid aliud assignari, per quod cognoscantur, & hoc vocamus *speciem intelligibilem*.

II. Posterior item pars probatur: quia omnis habitus intellectualis concurrens ad cognitionem, vel se tenet ex parte potentiæ, quatenus illam facilitat, vel ex parte obiecti, quatenus illud repræsentat, & vices eius gerit in agendo; at primo modo non datur in Angelis pro cognitione rerum creatarum ad solum & purum ordinem naturæ spectatum, quia eo ipso, quo sunt intelligentiæ, & actus puri puritate ab omni materia, habent ex se sufficientem promptitudinem ad intelligendum; nec etiam iuxta secundum modum aliquis datur habitus in illis, qui non sit species intelligibilis, quia Philosophi nullos agnoscunt habitus in intellectu, prout habitus condistinguitur à specie intelligibili, qui sese teneant ex parte obiectorum; sed tantùm qui sese teneant ex parte potentiarum, quatenus dantur ad illas
III. facilitandas, vel confortandas; ideò aliqui obseruant Gandauensem suprà non discrepare à nobis, nisi in modo loquendi.

Obiiciunt auctores contrariæ sententiæ, qui viam posteriorem amplectuntur: species illæ nec sunt necessariæ Angelis ad *intuitiuam* cognitionem, cùm res creatæ, eo ipso quo existunt, & sunt intra locum adæquatum Angeli, sint ei sufficienter approximatæ, vt patet ex eo, quòd se intelligant per proprias suas substantias, & præterea habent intellectum rectè dispositum ad cognoscéda obiecta creata, cùm ideò nominentur *intelligentiæ*: nec item sunt illis necessariæ ad cognitionem *abstractiuam*, hæc enim nascitur ex intuitiua, nimirum ex eo, quòd intellectus cognouit aliquid intuitiuè, quædam habilitas nascitur in eo, ad illud iterum cognoscendum abstracti-
IV. uè, quando voluerit: ergo Angeli non cognoscunt per species intelligibiles.

Respondetur res materiales non esse sufficiéter approximatas Angelis, vt per se ipsas, & immediatè concurrant, cum eorum intellectibus ad intellectionem, vt probat nostra ratio; imò nec ipsos Angelos substantias alioquin spiritales; nec parem esse rationē substātiæ Angelicæ respectu sui intellectus, ac substantiæ aliorum Angelorum, prout comparantur ad alios & sibi extraneos intellectus, cùm propria substātia sit proprio suo intellectui maximè intima; & has species esse tam necessarias in cognitione abstractiua, quàm in intuitiua, ostendit nostra ratio, cui non obstat, quòd abstractiua nascatur ex intuitiua, quam Angeli anteà habuerunt; nam ita nascitur, vt tamen fiat per

A illam eandem speciem, quâ idem obiectum priùs cognoscebatur intuitiuè, illa enim species, quæ ita est modificata, quandiu Petrus, V.
verbi gratiâ viuit, vt illum absolutè viuentem repræsentet, post eius mortem ita modificatur, vt illum repræsentet sub ratione obiecti cogniti, quod aliquando fuit, & non est ampliùs, vt infrà explicabitur, quando dicemus, quâ ratione Angeli cognoscunt singularia.

ARTICVLVS III.

Vtrum Angeli species, per quas intelligunt, accipiant à rebus.

PRÆSENS difficultas procedit tantùm de cognitione naturali Angelorum, tam re-
B spectu obiectorum spiritalium, quàm materialium. Scotus 2. sentent. distinct. 3. quæst. 11. VI.
Maior ibidem quæst. 6. & aliqui alij existimant Angelos accipere à rebus singularibus tam spiritalibus, quàm materialibus, species, quibus illas intelligunt, & quòd possent sibi comparare species rerum vniuersalium, nisi illas haberent sibi à Deo infusas.

Sit hæc nostra propositio. *Angeli nullas accipiunt species siue singulares siue vniuersales à rebus siue spiritalibus, siue materialibus, quibus cognoscant illas.* Ita S. Thom. hîc & 2. *contra gentes* cap. 96. & 98. & primùm, quia acceptio specierum à rebus duo dicit, primùm illarum eductionem ab obiectis seu rebus ad potentiam, secundò earum abstractionem, & depurationem à materia, si sint rerum materialium.

C Probatur quoad primum ex eo, quòd materialia cuiusmodi sunt hæc obiecta, non possint agere naturaliter in spiritalia, cuiusmodi VII.
sunt intellectus Angelorum; tum etiam quia materialia non possunt transmittere speciem sui vsque ad cælum, vel etiam vsque ad profundum inferni, nisi factâ penetratione, quæ naturaliter non fit, in quibus tamen locis Angeli existentes cognoscunt naturaliter res materiales.

Quòd item *res spiritales non emittant naturaliter sui species ad intellectus Angelorum*, probatur: primò ex eo, quòd vt suprà obseruauimus, Angeli nihil possunt ad extra nisi motum localem, & quæ sunt illi connexa, & ab eorum potentia motrice; atqui emittere sui speciem, est aliquid ad extra omninò inde-
D pendens à potentia loco motrice, propriè sumpta, quia talis actio est tantùm intentio- VIII.
nalis, cuius principium nullo modo est potentia motrix: deinde ex eo, quòd species emissæ ab obiectis priùs recipiantur in spatio intermedio, quàm in potentia, vt communiter Philosophi docent libris *de anima* agendo de nostris speciebus à suo obiecto emissis: atqui nullum potest assignari medium siue illud sit spatium, siue quid aliud, quod vel recipiat in se ipso subiectiuè species transmissas ab obiectis spiritalibus ad intellectus Angelorum loco & aliquo spatio distantes, vel aliquâ ratione multiplicet species eiusmodi in medio, quia spatium illud aut est reale, & sic aliquid materiale, & proinde improportionatum eiusmodi speciebus recipiendis, aut est inane, aut solummodò imaginarium, & tunc, cùm

I. illæ species, licet sint tantùm intentionales, sint accidentia quædam spiritalia, cuiusmodi sunt obiecta à quibus diffluunt, similiter & intellectus Angelici in quibus debent recipi, sunt spiritales, quemadmodum sunt aliquid reale non subsistens, sed naturâ suâ inhærens ita non possunt recipi immediatè in tali spatio imaginario. Adde quòd omne spatium, quod est à terra in cælum, & à terra in infernum, est reale: ergo cùm in illo prædictæ species spiritalium obiectorum non possint naturaliter recipi, Angeli etiam existentes in cælo, vel in profundo inferni, non poterunt cognoscere ista obiecta actu existentia, quod tamen est falsum.

Neque dici potest non esse opus aliquâ transmissione speciei obiecti spiritalis ad intellectum Angeli, sed solam eius indistantiam
II. seu propinquitatem localem sufficere; tum quia tunc talis cognitio non fieret per species, cuius tamen contrarium probatum est articulo præcedenti; tum etiam quia sequeretur Angelos aliquo saltem spatio distantes à se inuicem non posse sese cognoscere, vel etiam animas rationales, quod tamen patet esse falsum ex eo, quòd Magi etiam sæpè inuocant dæmones longè distantes, qui tamen sese statim illis præsentes exhibent.

Probatur item secunda pars, scilicet *intellectum Angelorum non posse abstrahere species ab obiectis, easque depurare*: abstractio specierum & earum depuratio à materia facta per intellectum, postulat præuiam aliquam cognitionem, quâ intellectus ad id excitetur: tum quia talis abstractio & depuratio debet fieri modo proportionato intellectui; at modus
III. ille proportionatus est excitatio illius per aliquam cognitionem, quia nihil est tam proportionatum intellectui, quàm cognitio: tum etiam quia abstractio specierum & earum depuratio à materia non fit in nobis ab intellectu, nisi priùs excitemur per imaginationem, quæ imaginatio licet non sit ipsius nostri intellectus agentis, est tamen ipsius nostræ animæ, cuius agens intellectus est potentia; atqui nulla cognitio potest assignari in intellectu Angeli, per quam excitetur ad faciendam talem abstractionem, & depurationem specierum à materia; non quidem sensitiua, cùm hæc sit entis alicuius corporei habentis sensus, cuiusmodi non est Angelus; non item intellectiua, cùm enim hæc cognitio esset de specie obiecti, circa quam abstrahendam & depurandam intellectus Angeli versaretur,
IV. iam talis species obiecti præsupponeretur existere in intellectu Angeli ante ipsam sui abstractionem, & depurationem à materia, sicque non abstraheretur, quod enim cognoscitur debet esse, vel per seipsum, vel per sui speciem coniunctum intellectui illud cognoscenti: igitur intellectus Angelorum non possunt abstrahere species à rebus, easque depurare à materia.

Confirmatur ampliùs hæc tota ratio; species sensibiles ob suam crassitiem non possunt concurrere ad intellectionem, nisi saltem attenuentur à sensibus, vt Philosophi docent libris *de anima*, & intellectus agens in tantum abstrahit species, easque facit intelligibiles, in quantum coniungitur phantasmatibus, vt iidem Philosophi docent ibidem: at-
A qui nulli dantur sensus interiores in Angelis, V.
cùm sint planè incorporei, nullus item intellectus agens, vt suprà ostendimus: igitur intellectus Angelorum non possunt abstrahere species à rebus sensibilibus, easque à materia depurare.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta aduersariorum.

PRIMVM est: quòd accipere species à rebus cedat in maiorem perfectionem Angeli: est enim perfectius aliquid habere *à se ipso*, quàm ab alio.

Respondetur, tunc tantùm esse melius habere aliquid à se ipso, quàm ab alio, quando vel non implicat illud habere *à se*, ex carentia
B sufficientis ad id principij, vel quando habet VI.
aliquam sibi adiunctam imperfectionem; quod vtrumque reperitur in præsenti casu, vt rationes nostræ conclusionis probant.

Secundum est: quidquid potest virtus inferior, potest & superior in eodem ordine; at intellectus noster, qui est inferior intellectu Angeli intra eundem ordinem, id potest, & quòd non possit immediatè accipere species à rebus sensibilibus, sed ad id indigeat ministerio sensuum, prouenit ex eius imbecillitate: ergo cùm intellectus Angeli sit perfectior, poterit illud præstare, & longè faciliùs accipere species à rebus spiritalibus, vt pote sibi proportionatis.

Respõdetur, tunc virtutem superiorem non posse producere effectum, quem virtus inferior eiusdem tamen ordinis producit, quando
C virtus inferior ad producendum hunc effectũ VII.
postulat coniungi alicui, quod repugnat virtuti superiori, vt patet in quibusdam qualitatibus, quæ licet sint eiusdem speciei, quia tamen pro producendo tali effectu postulant coniungi tali agenti, vel subiecto, non producunt istos effectus, vt existunt in aliis subiectis, quemadmodum pluribus exemplis docuimus suprà, quando ostendimus Angelos non posse efformare corpus, quod veram mollitiem & duritiem corporis humani habeat; at vt noster intellectus abstrahat species à rebus, easque depuret à materia, sibi necessariò postulat coniunctionem cum phantasia, vt suprà docuimus, & quòd noster intellectus indigeat necessariò ministerio sensuum, vt abstrahat species à rebus sensibilibus, ratio adæquata & integra non est eius imbecillitas,
D sed ipsa etiam crassities obiectorum intelligen- VIII.
dorum, quæ propter sui improportionem ad intellectum postulant priùs depurari à materia, vt Philosophi docent libris *de anima*.

ARTICVLVS V.

A quo, quando, & quomodo Angeli accipiant species, per quas intelligunt.

SCOTVS loco superiùs citato negat istas species infundi Angelis, à primo instanti suæ creationis, propter aliquot incommoda, quæ tamen soluemus inter probandã nostram sententiam: Capreolus 2. sentent. distinct. 3. quæst. 2. & alij existimant Angelos habere species à primo instanti suæ creationis, non

I. tamen per infusionem, seu concreationem, sed per emanationem à substantia Angeli, sicut proprietates animæ dimanant ab essentia animæ.

Prima propositio: *Angeli res omnes tam vniuersales, quam singulares, quas cognoscunt, intelligunt per species sibi concreatas, seu congenitas:* ita sanctus Thomas hîc, & communiter omnes eius discipuli.

Probatur: quotiescumque ens aliquod est in tali ordine, vt ex sua natura vendicet sibi hanc perfectionem, tunc si non possit suis viribus sibi prouidere de mediis, quibus illam assequatur, Deus ea illi confert; hoc enim postulat ordo diuinæ prouidentiæ, quia aliàs tota aliqua species posset frustrari suo fine, & Deus deesset in necessariis; & hoc patet euidenter in ipsa generatione hominis, quæ,
II. quia est talis, & tam perfecta, vt postulet eam formam, quam homo non potest per se producere, ideò Deus statim atque actio hominis & ipsa dispositio per eum introducta requirit hanc formam, animam scilicet rationalem, eam per se ipsum infundit corpori; atqui Angeli sunt creaturæ intellectuales, quæ naturâ suâ postulant cognitionem, quia vita illorum consistit in cognitione, & à primo instanti suæ creationis cognouerunt non tantùm res vniuersales, sed aliquot etiam singulares, verbi gratiâ, Lucifer eos, quos seduxit, & Angeli seducti Luciferum, similiter & qui ei restiterunt, & hæc vtraque cognitio postulat fieri per species, vt ostendimus primo & secundo articulo, nec illæ possunt per Angelos accipi ab ipsis obiectis, vt ostendimus articulo tertio: igitur Deus debuit eius-
III. modi species infundere Angelis à primo instanti suæ creationis.

Neque hinc sequitur Angelum à primo instanti suæ creationis cognouisse omnia etiam libera futura contingentia, ex eo, quòd ad habendam cognitionem potentia & species obiecti illi coniuncta sufficiant; item ex eo, quòd à primo illo instanti cognoscant suam substantiam, suas species, & proinde omnia & singula obiecta, ad quæ istæ species habent habitudinem, cùm sint correlata, & vnum correlatorum non possit cognosci, quin & alterum cognoscatur.

Hoc inquam non sequitur: non primum; nam aliud est habere istas species, solummodò repræsentatiuas rerum in actu primo, & aliud eas habere repræsentatiuas in actu secundo: iam vt positâ specie in intellectu cog-
IV. nitio sequatur, non sufficit, quòd species sit in actu primo tantùm repræsentatiua obiecti, sed requiritur, vt de facto illud repræsentet in actu secundo; at species infusæ Angelis à primo instanti suæ creationis, quæ erant rerum adhuc futurarum, illas eis tunc repræsentabant tantùm in actu primo, quatenus earum efficacia in actu secundo dependet ab existentia obiecti in rerum natura, tanquam à conditione sine qua non: cuius rei hæc est ratio, quòd species illæ Angelicæ sint intuitiuæ, id est ordinatæ ad coefficiendam cognitionem intuitiuam, quæ intuitiua cognitio, quia est rei actu & de facto existentis, requirit obiectum, ad quod terminatur, existere; ideò licet Angeli à primo instanti suæ creationis habuerint species rerum, quæ hactenus extiterunt,
A & adhuc existent, quia tamen eo instanti suæ V.
creationis hæc actualis existentia rerum eiusmodi non erat defectu huius conditionis, ad id requisitæ, eas primo illo instanti suæ creationis non cognouerunt; vnde quando dicitur sufficere ad intellectionem, quòd species obiecti sit coniuncta potentiæ, hoc tantùm sensu est accipiendum, quòd hæc sufficiant in ratione principij, & causarum coefficientium cognitionem, non autem considerando etiam ea, quæ requiruntur tanquam conditiones.

Secundum item inconueniens allegatum non sequitur ex nostra assertione; nam vt Angeli dicantur cognoscere à primo instanti suæ creationis substantiam suam, & suas species, sufficit, quòd cognoscant hanc esse naturam suæ substantiæ, item & conditionem suarum specierum, quòd scilicet sint repræsentatiuæ
B aliquorum obiectorum in confuso; non au- VI.
tem requiritur, quòd sciant has suas species esse repræsentatiuas huius & huius obiecti in particulari, sicut quæstione duodecimâ huius partis diximus, ad hoc, vt beati dicantur videre omnipotentiam Dei, sufficere, quòd cognoscant in essentia diuina illam sese extendere ad illud omne, quod non implicat: nec vrget vulgare illud, *vnum correlatum non potest cognosci sine altero*; id enim est tantùm verum de relatis categoricis, aut *quasi categoricis*, quorum totum esse *est ad aliud*, non autem de relatis tantùm *transcendentaliter*, cuiusmodi sunt species infusæ Angelis, vt patet in potentiis, habitibus & aliis id genus.

Secunda propositio. *Eiusmodi species non fluunt ab ipsa natura Angelica tanquam quædam proprietates à subiecto, sed simul cum intellectu*
C *creantur à Deo, eique infunduntur*; hæc propo- VII.
sitio in re est eadem cum præcedenti, & tantùm distinguitur ab illa, quòd explicet specialem modum, quo Angeli species istas habuerunt, & est S. Thom. hîc, dum ait eas *creari, infundi*, vel *esse congenitas*.

Probatur: illud censetur esse proprietas, quod ita emanat ab essentia, in qua recipitur, vt illa sit actiuum principium istius per quandam resultantiam, & non solummodò passiuum, vt videre est in omnibus veris proprietatibus: atqui intellectus Angeli non se habet tanquam actiuum principium eiusmodi specierum, quia ea tantùm possunt emanare ab essentia, quæ sese tenent ex parte illius; hæc enim resultantia est ad perficiendam essentiam in se; at species eiusmodi non se tenent ex parte essentiæ, vt principij radicalis, ne-
D que ex parte intellectus, vt principij proxi- VIII.
mi, sed ex parte ipsius obiecti, vt omnes Philosophi docent: ergo non debent ab illa dimanare.

Neque propterea species illæ possunt dici *supernaturales*, licet sint *infusæ per se*; nam hæc duo *esse infusum per se*, & *esse supernaturale* distinguuntur; ad primum sufficit habere solum Deum causam sui efficientem; ad secundum requiritur esse indebitum alicui naturæ creatæ, vt patet in anima rationali, quæ est *per se infusa*, & nihilominùs naturalis tantùm, quia debetur corpori hoc & illo modo vltimatè disposito: pari modo species illæ, quibus Angeli cognoscunt, rectè dicuntur *infusæ per se*, & nihilominus Angelis naturales, ob propensionem naturalem, quam habent ad illas reci-

I. piendas in ordine ad actualem cognitionem rerum naturalium, sibi in eo ordine, in quo sunt creati, debitam.

Articvlvs VI.

Vtrum superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales, quàm inferiores.

NOTANDVM est speciem hoc loco dici vniuersalem *in repræsentando*, seu in coefficienda cognitione, & non in existendo, quatenus scilicet vna & singularis existens, est tantæ virtutis, vt per eam plura obiecta possint cognosci tam distinctè, ac si cognoscerentur per proprias & distinctas species.

Notandum secundò plura distinctè cognita per eandem speciem posse habere se duobus modis: primò, ita vt conueniant in aliquo, quod sit primarium obiectum per speciem repræsentatum, & plura illa sint obiectum secundarium, qui modus cognoscendi plura, etiam distinctè per eandem speciem, habet locum, obiecta secundaria continentur aliquo modo in primario, tanquam in causa, vel quando conueniunt in aliqua superiori ratione, quomodo si daretur species impressa diuinæ essentiæ, quâ beati Deum clarè viderent, & creaturas, tunc viderent diuinam essentiam distinctè, & simul etiam plures creaturas, vt patet ex dictis suprà quæst. 12. huius primæ partis, quo item modo brutum & homo, quatenus conueniunt in animali tanquam obiecto primario, cognoscuntur secundariò; alter modus est, ita vt plura illa, quæ dicuntur cognosci per eandem speciem distinctè, ita sunt à se inuicem distincta, seu etiam diuersa, vt vnum non contineat aliud, nec item illa duo, vt sic distinctè cognita, continentur in alio tertio, tanquam primario obiecto, vel si conueniant, non tamen spectentur secundùm illud obiectum primarium, sed solummodò præcisè, prout sunt obiecta omninò essentialiter distincta.

Præsens difficultas non procedit in primo sensu, omnes enim facilè admittunt vnam posse dari speciem, quæ hoc modo repræsentet primariò communem rationem animalis, & secundariò plura eius inferiora; sed præsens difficultas procedit in secundo sensu, an verbi gratiâ, vna singularis species possit dari, quæ repræsentet Angelum & lapidem, cuius beneficio, intellectus eâ informatus cognoscat alterutrum independenter ab alio tanquam obiecto cognito, sed tantùm per ipsam vnicam speciem tanquam per medium non cognitum, quæ tamen hoc vtrumque obiectum referat in ratione speciei sese tenentis ex parte obiecti, & an sic de facto superiores Angeli intelligant per species vniuersaliores plura, quàm Angeli inferiores cognoscant.

Scotus lib. 2. sentent. dist. 3. quæst. 10. Maior ibidem quæst. 3. & aliqui alij tam ex recentioribus, quàm antiquioribus sequuntur partem negantem.

Melior est S. Thom. & omnium eius discipulorum hîc sententia, quam nostris sequentibus propositionibus explicabimus, quarum sit

Prima propositio. *Non repugnat vnam numero speciem intelligibilem dari, per quam plura etiam specie distincta cognoscantur distinctè*: potest primùm probari ex eo, quòd plures Philosophi docent in Physicis parietem, verbi gratiâ, ex variis specie rebus compositum, vel aliam multitudinem ex variis specie rebus compositam, vnicâ tantùm specie videri, quæ tamen referat singulas partes componentes istam multitudinem, & non tot numero speciebus, quot sunt res specie distinctæ, vt probant ex eo, quòd partes illæ à se inuicem separatæ, positæ tamen intra eandem distantiam non æquè bene viderentur, ac videntur, quando sunt simul coniunctæ, quod est argumento illas aliâ specie videri, quando sunt coniunctæ, & aliâ, quando sunt separatæ. Nec potest responderi istas partes tunc videri, quatenus conueniunt in aliqua ratione, nam cognoscuntur etiam vt disconueniunt, verbi gratiâ, si vna pars parietis sit nigra, & altera alba, cognoscuntur vt sic.

Dices hoc fieri propter propinquitatem, quam obiecta illa tunc seruant inter se; at nihil tale posse assignari in pluribus obiectis cognitionis Angelicæ, cùm illa nullam inter se seruent propinquitatem, siue naturalem, siue artificiosam, nec aliquid loco illius possit assignari, quod postulet identitatem numericam speciei referentis Angelo plura obiecta specie diuersa.

Sed id refellitur; nam primò hæc responsio admittit non repugnare per vnam numero speciem, plura etiam distincta specie cognosci distinctè: deinde sicut talis propinquitas plurium entitatum specie distinctarum non est id, quod emittit illam numero speciem, per quam tam multa obiecta cognoscuntur distinctè, quia hæc cùm sit nuda quædam indistantia non agit, sed est tantùm quædam ratio, seu potiùs occasio, vel conditio, ratione cuius plura illa, vt vnita, vnam tantùm emittunt sui speciem, repræsentantem distinctè singulas partes; ita etiam diuersitas specifica Angelorum in sua entitate, cui Deus vult attemperare infusionem specierum intelligibilium, quatenus Angelo perfectioris speciei debetur perfectior modus cognoscendi, erit etiam ipsi Deo sufficiens ratio, aut congruentia, vt Angelo perfectioris speciei infundat vniuersaliorem speciem: & sicut illa specifica differentia, quam seruant inter se singulæ partes, quæ componunt prædictum parietem, non impedit, quin vnica tantùm tunc emittatur species, per quam hæc singula cognoscantur distinctè, ita differentia illa specifica, quam tam res intellectæ, quàm earum species, seorsim & diuisim haberent ad se inuicem, non obstabit, quin Deus possit infundere vnam numero speciem, per quam vt virtute multiplicem, plura obiecta essentialiter distincta cognoscantur distinctè.

Sed quia non omnes Philosophi admittunt doctrinam hanc de vnica specie numero referente totum parietem, ideò etiam aliter probamus nostram propositionem hoc modo: eorum omnium vna, & singularis species tenens se ex parte obiecti potest dari, per quam omnia per illam repræsentata cognoscantur distinctè, quorum potest dari vna intellectio distincta, & vnum verbum mentale, seu vna tantùm species expressa, quia sicut animaduertimus quæst. 12. huius primæ partis art. 12.

I. actualis cognitio & species expressa dicunt maiorem similitudinem obiecti cogniti, quàm sola species impressa dicat, & proinde cuiuscumque potest dari cognitio actualis & species expressa, potest etiam & impressa dari: atqui Angelus potest naturaliter vno tantùm actu plura specie distincta cognoscere distinctè, & ex consequenti vnicâ specie expressâ repræsentare, hæc enim respondet cognitioni intellectiuæ; igitur potest dari vna singularis species tenens se ex parte obiecti, per quam plura specie distincta cognoscũtur etiã distinctè. Maior est satis confirmata nunc, & loco citato. Minor est S. Thom. quæst. 58. sequenti vbi cum illo docebimus Angelos eodem actu posse plura specie distincta cognoscere distinctè, imò id aliquando habere locum in nobis obseruabimus.

II. Tandem probatur propositio: quicquid plura agentia seorsim sumpta possunt in genere causæ efficientis non vitalis, Deus potest totum illud vni tantùm communicare, ita vt causa illa sit entitatiuè vna, virtute tamen multiplex, & sic sola possit facere totum illud, quod singulæ causæ possunt seorsim facere: atqui efficientia specierum intelligibilium est in genere causæ puræ efficientis non vitalis, vt patet ex dictis de illa ad quæst. 12. huius partis, & ex iis, quæ communiter Philosophi tradunt lib. *de anima*: igitur Deus potest facere, vt vnica species intelligibilis efficiat totum illud, quod plures numero distinctæ species impressæ, vel etiam essentialiter distinctæ, aut infusæ efficerent: ergo sicut duæ species duarum rerum specie distinctarum facerent, vt sua obiecta specie distincta cognoscerentur distinctè

III. ab intellectu informato duabus speciebus eiusmodi obiectorum, ita etiam Deus potest facere, vt intellectus, vnicâ numero specie informatus, quæ tamen sit virtute multiplex, cognoscat distinctè plura specie, & essentialiter à se inuicem distincta.

Maior propositio patet in sole, & aliis id genus causis, quæ licet sit vna entitatiuè causa, imò & vnicam realiter & entitatiuè virtutem habeat, puta calorem, vel aliquid aliud, nihilominus, quia calor solis, vel illud, per quod agit in hæc inferiora, est virtute multiplex, sol per eiusmodi virtutem entitatiuè vnicam, potest quidquid plures causæ etiam specie distinctæ possent efficere

Quòd item *species impressa agat tantùm in genere causæ purè efficientis non vitalis*, patet inductione factâ per singula eius munera, quæ

IV. sunt determinare potentiam, simul concurrere cum illa loco obiecti ad faciendam actualem cognitionem obiecti, & alia, quæ tradunt Philosophi, locis nunc citatis. Quod confirmatur ampliùs ex eo, quòd iuxta communem Theologorum sententiam diuina essentia habens se ad instar speciei impressæ concurrat cum intellectu vniuscuiusque beati, ad hoc vt plures res creatas videat in Verbo, quemadmodum ostendimus citatâ quæst. 12. huius primæ partis.

Dices non esse parem conditionem speciei vniuersalis, ac ipsius virtutis solis, vel causarum vniuersalium, vel etiam diuinæ essentiæ vnitæ beatis per modum speciei intelligibilis impressæ, quatenus virtus solis determinatur per concursum aliarum causarum, & per sub-

A iectum in quo earum actio recipitur, similiter diuinam essentiam influere prout vult, ad hæc & illa videnda, cùm sit speculum liberum, sicque hoc vtrumque posse concurrere ad hunc effectum producendum, vel non producendum, ad videndum hoc obiectum, & ad non videndum istud; at verò speciem intelligibilem infusam intellectui Angelico, cùm eodem modo se præbeat, ac si esset impressa ab obiecto, agere naturaliter & necessariò, proindéque facturam esse, vt intellectus Angeli, informatus specie vnicâ, virtute tamen multiplici, ad plura essentialiter distincta videnda semper & necessariò videret illa obiecta, quod tamen est falsum, & repugnat libertati, quâ Angelus quilibet cognoscit hanc vel illam creaturam actu suâ cognitione naturali. V.

B Sed hoc nihil obstat: licet enim species infusa Angelo ex sua naturali intrinseca, & determinata ratione, sit apta repræsentare in actu secundo, hæc & illa sua obiecta creata intellectui, quem informat, quia tamen eiusmodi species non efficit de facto cognitionem obiectorum, quæ repræsentat, nisi prout habet sibi annexum concursum potentiæ intellectiuæ, & Angelus pro sua libertate potest sese applicare ad hoc, & non ad ista intelligenda; ideò hæc species infusa Angelo, vna quidẽ entitatiuè, virtute tamen multiplex repræsentabit intellectui Angelico hæc & ista obiecta sua in actu secundo, & non omnia, sícque intellectus Angeli non necessitabitur ad cognoscendum ea omnia, ad quæ virtus & efficacia suæ speciei sese extendit. VI.

Secunda propositio. *Angeli intelligunt per species vniuersales*: ita S. Thom. hîc & omnes

C eius discipuli; & quia hæc conclusio procedit de facto, quod non ita nobis innotescit, potest tantùm probari aliquibus congruentiis, quibus ostendatur naturam Angelicam, & ipsam mundi vniuersitatem postulare, vt res ita sese habeat. VII.

Primùm itaque probatur: incorruptibilia, quæ sunt in hoc vniuerso, ita se habent, vt quò sunt perfectiora, eò paucioribus indigeant ad exercendum suas actiones, vt patet in sole, qui vnicam in re habet virtutem, quâ tam multos, támque diuersos specie producit effectus, quæ enim (ait auctor libri *de causis* propositione 10.) *sunt diuisa in inferioribus, ea sunt vnita in superioribus*; atqui Angeli sunt incorruptibiles, vt ostendimus, item sunt nobis superiores, & anima nostra intelligit per species singulares, vt Philosophi docent com-

D muniter: igitur Angeli intelligent per species vniuersales. VIII.

Deinde: quo aliqua creatura magis accedit ad Deum, eo etiam magis debet participare eas Dei perfectiones, quæ possunt communicari creaturæ in eo ordine, in quo est, sunt enim creaturæ aliquæ participationes diuinitatis: atqui perfectio Dei est, quòd intelligat omnia per vnicum medium, vt ostendimus quæstione 14. & multa intelligere per vnicam speciem communicabile est creaturis, vt ostendimus præcedenti propositione, & Angeli secundùm sua naturalia considerati magis accedunt ad Deum, quàm quæcumque aliæ creaturæ secundùm pura sua naturalia consideratæ, nec hic modus intelligendi magis excedit perfectionem Angeli, quàm ex-

I. cedat perfectionem animalis, quòd communis eius sensus solus & vnicus, percipiat alia omnia obiecta, quæ alij sensus inferiores diuisim percipiunt: igitur Angeli intelligunt per species vniuersales.

Tertia propositio: *Angeli superiores & perfectiores intelligunt per species vniuersaliores*; ita sanctus Tomas hîc.

Probatur secundâ ratione præcedentis propositionis: quo aliqua natura est in ordine superiori & proximiori Deo, eo perfectiùs debet participare perfectiones Dei, & quo aliqua creatura est in perfectiori ordine intelligibilium, eo etiam perfectiùs debet intelligere; atqui Angeli supremi ordinis accedunt proximiùs ad Deum, súntque in perfectiori ordine intelligibilium, quàm sint Angeli ordinum inferiorum, & omnia intelligere per
II. vnicum medium vniuersalius, est aliqua perfectio Dei: ergo superiores Angeli intelligent per species vniuersaliores, quàm inferiores Angeli intelligant.

Neque satisfacit, quod aliqui respondent, Angelos superiores intelligere perfectiùs, quàm inferiores, quatenus clariùs & perspicaciùs intelligunt res per suas species, quàm inferiores intelligant.

Hoc inquam non satisfacit, quia perfectio Dei non tantùm consistit in hoc, quòd clariùs cognoscat res, sed etiam in eo, quòd vnico medio, eóque simplicissimo cognoscat omnia: ergo vt natura Angelica accedat ad perfectionem Dei in intelligendo, Angelus quo est in ordine perfectiori, debet etiam intelligere per medium simplicius, & vniuersalius, sícque cùm intelligat solùm per species infusas,
III. debet intelligere per species vniuersaliores.

Deinde conueniens fuit Deum infundendo species Angelis, illas attemperare subiectis: ergo quemadmodum Angeli superiores, tam quoad vim intelligendi, quàm quoad suam entitatem, sunt specie perfectiores, ita etiam fuit conueniens Deum perfectioribus, perfectiores species tam extensiuè, quàm intensiuè infundere, & proinde etiam vniuersaliores.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta aduersariorum contra doctrinam præcedentis articuli.

PRIMVM fundamentum est, quòd vna & eadem forma numero indiuisibilis, non possit esse similitudo rerum planè dissimilium,
IV. quatenus sunt dissimiles; at species siue impressa, siue infusa, tenens se ex parte obiecti, est similitudo obiecti, Angelus item & lapis, verbi gratiâ, sunt obiecta planè dissimilia: igitur vna numero species tenens se ex parte obiecti non poterit dari pro duobus eiusmodi obiectis essentialiter distinctis.

Respondetur maiorem eius esse falsam de forma, quæ ita quoad suam entitatem est indiuisibilis, vt tamen sit virtute multiplex, nam diuina idea est formalis similitudo creaturarum etiam dissimilium, cùm tamen illa sit vna entitatiuè tantùm, & solummodo virtute multiplex, quemadmodum ex professo docuimus suprà ad quæst. 15. art. 1. & 2. vnde qui volunt speciem impressam esse similitudinem formalem rei cognoscendæ, respondebunt

A speciem vniuersalem infusam Angelo esse quidem vnam tantùm formam indiuisibilem *entitatiuè, virtute* tamen esse multiplicem, ideóque ei non repugnare sic esse similitudinem dissimilium, vt sub vna ratione sit similitudo, & repræsentatio hominis, sub alia leonis, & sic de reliquis: & quemadmodum ideæ diuinæ dicuntur esse plures, ratione diuersarum eiusmodi repræsentationum, per ordinem ad res repræsentatas, licet in re & quoad entitatem sit vnica tantùm simplicissima idea; sic etiam vniuersalis species infusa Angelo, erit *entitatiuè* vnica, & secundùm rationem, seu per ordinem ad diuersa obiecta, quæ repræsentat, erit multiplex, quod idem videre est in verbo mentali, quod vnum existens, dum opposita simul intelliguntur, est expressa similitudo oppositorum, & proinde similitudo
B dissimilium, quatenus dissimilia sunt. VI.

Deinde respondetur speciem impressam, vel infusam tenentem se ex parte obiecti, non *esse formalem similitudinem* obiecti, sed *effectiuam* tantùm, vt sæpè animaduertimus; vnde sicut non repugnat idem entitatiuè esse principium effectiuum dissimilium, quatenus vnum aliquod agens est virtute multiplex, ita etiam nihil repugnat vnam entitatiuè speciem infusam Angelo concurrere cum eius intellectu ad cognitionē rerum planè dissimilium.

Secundum fundamentum est, quòd vnius speciei vnum debet dari adæquatum obiectum, à quo vna illa species specificetur, sunt enim species infusæ Angelis aliqui habitus, & proinde sicut habitus specificantur ab obiectis, ita & hæ species: & quemadmodum vt obiecta dent vnitatem specificam suo habitui,
C debent conuenire in vna aliqua ratione *quæ,* VII.
vel *sub quâ* attingantur ab habitu; ita etiam vt plura obiecta dent aliquam vnitatem, & specificationem ei speciei, per quam repræsentantur, debet aliquid vnum dari, in quo plura illa obiecta conueniant, & ratione cuius respiciantur à tali specie, cùm species sese tenens ex parte obiecti, dicat transcendentalem habitudinem ad suum obiectum, sicut & habitus ad suum; atqui plura illa obiecta, quæ dicuntur repræsentari per vnam & eandem numero speciem in entitate singularem, in repræsentatione vniuersalem, non conueniunt in aliqua vna ratione communi, quæ cognoscatur, vel sub qua cognoscantur per talem speciem, vt expresè notauimus superiori articulo in secundo nostro notabili: ergo.

Confirmatur hæc ratio: duæ differentiæ
D constitutiuæ duarum specierum non possunt VIII.
vniri inter se, ad componendam aliam tertiam, ab vtraque diuersam; quia sic habent incompossibilitatem, & incompossibilia non possunt sibi inuicem vniri: atqui transcendentalis habitudo speciei tenentis se ex parte obiecti ad suum obiectum est propria differentia constitutiua talis speciei, & in exemplo allato de Angelo & lapide, respectus ille ad Angelum constituit speciem Angeli, aliam & diuersam à specie lapidis: ergo duo illi respectus non possunt vniri sibi inuicem ad componendam aliquam speciem diuersam ab hac vtraque specie, & sic ex consequenti non poterit dari vna singularis species, per quam vtrumque prædictum obiectum distinctè cognoscatur.

I. Respondetur primò obiectum adæquatum vniuersalis speciei Angelicæ esse totam illam collectionem, seu multitudinem obiectorum, quæ per talem speciem repræsentantur Angelo, quorum obiectorum quodlibet est aliqua pars obiecti totalis, sicut quando multi colores distincti specie percipiuntur vnicâ visione, etiam vt distincti, vnusquisque secundùm propriam suam rationem non est totale obiectum istius visionis, sed tota collectio eiusmodi colorum, & non aliqua ratio vna & communis omnibus & singulis istis coloribus, cùm supponantur percipi distinctè, & vt distincti specie, sed vnusquisque istorum colorum est tantùm aliqua pars obiecti totalis ipsius visionis.

Secundò respondetur vnitatem physicam eiusmodi speciei desumi ab eius entitate, quæ
II. in re ita est vna simplex qualitas, vt tamen sit *virtute* multiplex; quòd si agatur de vnitate specifica in ratione speciei, seu de specificatione eiusmodi speciei infusæ, respondetur talem speciem eam accipere ab illa vnitate, seu conuenientia, quâ plura obiecta, vt comparata ad hunc, vel illum intellectum Angeli habentis hunc vel istum gradum essendi & intelligendi distinctum specie ab aliis Angelis, sunt apta cognosci per vnam tantùm speciem, quæ tamen plura obiecta, vt comparantur ad Angelos inferiores, sunt tamen apta cognosci per plures species, quæ conuenientia non dicit vnam aliquam rationem vniuocè communem omnibus, & singulis partibus obiecti totalis huius speciei, quæque sit aliqua ratio sub qua species illa infusa intelligibilis repræsentet singula sua obiecta partialia, sed
III. quemadmodum totale obiectum est solummodò aliqua collectio, & multitudo quædam obiectorum, quæ eadem specie possunt cognosci, & non est formalis aliqua ratio abstracta ab omnibus, quæ illis conueniat vniuocè, ita etiam hæc vnitas & conuenientia non est aliqua formalis ratio omnibus & singulis obiectis per talem speciem cognoscibilibus communis vniuocè, sed potiùs est veluti quædam vnio, & coniunctio, quâ plura obiecta possunt eadem specie cognosci, & sicut in exemplo allato de pariete per vnicam speciem viso, coniunctio eorum, quæ diuersâ specie componunt istum parietem, est illis ratio seu occasio, vt vnâ tantùm specie repræsententur ipsi visiuæ potentiæ, ita etiam hæc vnio & aptitudo, quæ inest pluribus obiectis, vt possint eadem specie repræsentari, & cognosci à tali, vel tali
IV. intellectu, dat eiusmodi speciebus specificationem suam.

Nec obstat quod dicitur inter obiiciendum, scilicet obiecta habituum debere conuenire in aliqua ratione, *sub qua*, attingendi sua obiecta, à qua accipiant specificationem, nam ad summũ id tantùm habet locũ in iis habitibus, qui sese tenent ex parte potentiæ, quos solos Philosophi & Theologi communiter intelligunt nomine *habitus*, & non de iis, qui sese tenent tantùm ex parte obiecti, cuiusmodi sunt species, cùm hæ reponantur in alia specie qualitatis, puta in potentia naturali, saltem reductiuè: cuius discriminis hæc est ratio, quòd habitus illi posterioris generis habeant rationem alicuius causæ purè efficientis non vitalis, vt sæpè obseruauimus: at vnitas speci-

A fica eiusmodi causæ non desumitur ab aliqua ratione communi omnibus suis effectibus, sub qua talis causa attingat omnes & singulos suos effectus; fit enim sæpè, vt vna & eadem causa possit producere effectus omninò diuersos specie, imò & genere proximo, quemadmodum sol & aliæ id genus causæ vniuersales, sed potiùs causæ illæ efficientes accipiunt suam specificationem ab ea aptitudine, & conuenientia, quâ fit, vt plures effectus etiam specie diuersi possint naturaliter produci per talem causam; quæ non repugnantia fundatur in sufficienti proportione virtutis talis causæ ad talem & talem effectum, etiam alterius speciei producendum, quatenus talis virtus quoad suam efficaciam est multiplex, licet quoad entitatem sit vnica. V.

Quòd si quæras, in quo fundetur ista con-
B uenientia, & vnio, quâ plura distincta specie obiecta possunt cognosci per talem Angelum vnicâ tantùm specie. VI.

Respondetur fundari in eo, quòd quodlibet obiectum, siue vnum *entitate*, siue vnum *collectione* tantùm seu multitudine, dum comparatur ad potentiam cognoscentem, postulet posse ab illa cognosci, modo correspondenti perfectioni talis potentiæ; vnde quia perfectior modus intelligendi est intelligere plura etiam specie distincta per pauciores seu vniuersaliores species, & cognitio istorum obiectorum debetur naturaliter huic & isti intellectui Angelico, hæcque intellectio in hac & ista paucitate specierum respondet perfectioni specificæ huius & istius Angeli, fit, vt quia Deus infundit Angelis tales species, quales vis eorum naturalis intelligendi obiecta
C naturalia postulat, qualésque Angeli eas abstraherent ab obiectis, si hæc abstractio esset illis possibilis, fit inquam, vt hæc pluralitas obiectorum specie etiam diuersorum in eo conueniat, quod respectu talis Angeli repræsentetur per vnicam tantùm numero speciem intelligibilem, virtute tamen multiplicem. VII.

Ad confirmationem huius secundi argumenti respondetur, maiorem eius esse tantùm veram respectu vnius, & eiusdem considerati secundùm eandem virtutem; esse verò falsam respectu vnius, & eiusdem, quando illud vel est tantùm vnum aggregatione plurium, vel quando est virtute multiplex: tunc enim, quia æquipollet multis realiter distinctis, potest secundùm vnam virtutem sibi propriam habere hanc vel illam differentiam, quæ extra illud potest constituere aliquod totum, quod ta-
D men vt est in illo, est tantùm aliqua pars eius totalis constitutiui, quod essentialiter distinguitur ab hoc vtroque componente seorsim, vt videre est in attributis diuinis, in anima rationali, & corpore, & pluribus aliis, & duas differentias essentialiter sibi oppositas posse reperiri in vno & eodem, quod tamen sit virtute multiplex, patet etiam ex iis, quæ docuimus ad primam quæst. huius 1. partis. VIII.

Tertium est: si Angeli, quo sunt perfectiores in sua natura, eo per species pauciores & magis vniuersales intelligant, cùm in sententia S. Thom. omnes Angeli distinguantur specie, sintque plures species Angelorum, quàm rerum naturalium, aliquis Angelus superior dabitur, qui intelliget res omnes per vnicam speciem, ita enim progressus poterit fieri ab

infe-

I. inferiori ascendendo ad supremũ omnium, vt deueniatur ad eum, qui cognoscat omnia per vnicam speciem: iam hoc dato, Deus creet alium Angelum isto perfectiorem, hoc enim non implicat, tunc Angelus ille intelliget omnia per suam substantiam: at hoc est soli Deo proprium: ergo Angeli non eò intelligunt per pauciores seu vniuersaliores species, quò sunt perfectiores.

Respondetur non repugnare dari aliquem Angelum, qui res omnes creatas ordinis naturalis intelligat per vnicam speciem, quia nulla ratio repugnantiæ apparet, an autem res ita sese habeat de facto non constat, neque ex eo sequitur Angelum, qui illo perfectior crearetur, tunc de facto intellecturum omnia per suam substantiam, quia datâ istâ hypothesi oportebit Angelum illum, qui anteà erat
II. omnium supremus, omniáque intelligebat per vnicam speciem, intelligere hunc Angelum de nouo creatum, & cùm illa vnica species, per quam intelligebat omnia, ei non repræsentet hunc supremum Angelum de nouo productum, tunc accipiet à Deo per infusionem nouam speciem, quæ illum repræsentet; sícque primus ille creatus intelliget per duas species, ille verò de nouo creatus per vnam, & ita semper ascendendo, nunquam dabitur aliquis Angelus, qui intelligat omnia per suam substantiam.

AD QVÆSTIONEM LVI.

III. DISPVTATIO VNICA.

De cognitione Angelorum ex parte rerum immaterialium.

EXPLICATIS principio & medio cognitionis Angelicæ, agendum est de obiecto illius, ac primùm ab immateriali & nobilissimo, & ab ipsomet Angelo, vt sibi ipsi valde intimo, exordiendum est.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angelus seipsum cognoscat.

PRIMA propositio. *Angelus se ipsum cognoscit:* propositio est apud omnes certissi-
IV. ma, & probatur, tum ex eo, quòd Angelus est ipsi suo intellectui in ratione obiecti maximè proportionatus, quippe qui respondet illi in ratione spiritualitatis, & est illi maximè indistans, seu valde præsens: tum etiam quia quilibet appetitus consentaneus rationi debet expleri: atqui inest cuilibet Angelo appetitus seipsum cognoscendi, & est rationi consentaneus, cùm sit intellectiuus Angelus, debeátque aliquas creaturas cognoscere, sítque maior perfectio se ipsum cognoscere, quàm alias creaturas: igitur Angelus se ipsum cognoscit.

Secunda propositio. *Angelus seipsum intelligit per suam substantiam sese habentem ad instar speciei impressæ:* ita S. Thom. hîc & eius discipuli.

A Probatur primùm ex S. August. lib. 9. *de Trinitate* cap. vltimo dicente, dum *mens se intelligit, ipsam solam esse parentem suæ notitiæ.* V.

Deinde probatur ratione: fundamentum, cur admittantur species obiectorum, est eorum improportio, & distantia ab ipsa potentia cognoscente, vt docent Philosophi lib. *de anima*; atqui substantia Angeli est ipsi suo intellectui maximè proportionata, vt iam animaduertimus, item ei maximè vnita, quia nihil tam intimè vnitum alteri est, quàm idem sibi ipsi, vel quàm sit ipsa potentia ei substantiæ, cuius est potentia: ergo vt Angelus cognoscat se ipsum, non habet opus specie: ergo cùm de facto se ipsum cognoscat ex præcedenti propositione, nec aliud supersit medium, quàm ipsamet eius substantia, debet Angelus se ipsum intelligere per suam substantiam sese
B habentem ad instar speciei impressæ. VI.

Nec his obstat, quòd anima nostra non cognoscat se per suam substantiam; nec quòd vlla substantia agat immediatè per se ipsam: hoc enim secundum docuimus quæst. 12. non intelligi de actione *intentionali*, cuiusmodi est cognitio.

Ad primum verò respondemus, animam separatam à corpore sese intelligere per suam substantiam, ob rationem nostræ conclusionis, inclusam verò corpore minimè, ex eo, quòd quamdiu est in tali statu, dependet à phantasmatibus, & quicquid cognitionis habet, totum illud habet ministerio sensuum exteriorum, dúmque in hac vita sese cognoscit, illud tantùm facit actione quadam reflexâ, quâ scilicet se ipsam reflectit supra se, vel ex cognitione, quam habet de aliis animabus.

C Vltima propositio: *Angelus omnia accidentia in se ipso existentia cognoscit per illamet, vt sese habentia ad instar speciei impressæ, & etiam per ipsam suammet substantiam tanquam per medium cognitum.* VII.

Prior pars propositionis probatur iisdem rationibus, quibus præcedens propositio. Deinde quia aliàs oporteret dari progressum in infinitum: nam quemadmodum Angelus indigeret aliquâ specie ad intelligendum propria sua accidentia, ita indigeret aliâ specie ad intelligendum illam speciem, quam haberet pro illis cognoscendis, & ita deinceps, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia.

Posterior item pars propositionis probatur: vbi aliqua substantia intuitiuâ cognitione penetratur, ibi talis substantia potest esse me-
D dium, quo sic cognito, & penetrato, cog- VIII.
noscantur ea omnia, quæ illi insunt, habéntque ad illam necessariam habitudinem in actuali sua existentia, quia ratio medij vt cogniti attenditur penes necessariam habitudinem secundarij obiecti ad primarium, vt potest facilè intelligi ex iis, quibus quæst. 12. & 14. docuimus Deum & beatos videre, etiam creaturas in essentia diuina tanquam medio; atqui quilibet Angelus penetrat totam suam substantiam cognitione intuitiuâ; si quam enim habet obiecti alicuius creati perfectam cognitionem, maximè propriæ suæ substantiæ, cùm hæc sit illi magis proportionata, magísque suæ conditioni, & naturali perfectioni conueniens, & præterea accidentia Angeli ita insunt eius substantiæ, vt etiam habeant

I. necessariam habitudinem ad illam, cùm hæc sit proprium illorum subiectum, & hæc sint illius perfectiones: igitur Angelus potest etiam cognoscere sua accidentia per suam propriam substantiam, tanquam per medium aliquod cognitum.

Articvlvs II.

Vtrum vnus Angelus alium cognoscat.

Prima propositio. *Vnus Angelus alium cognoscit.* Ita omnes communiter, & probatur: colloquium Angelorum arguit mutuam illorum cognitionem, item prælium inter illos commissum, item & societas, quæ debet esse inter membra eiusdem ciuitatis & reipublicæ; atqui in sacris Litteris describuntur Angeli colloquentes Isaiæ 6. Zach. 2. Apocalyps. 7. & sæpe alibi, item præliantur, vt Daniel. 10. & in Apocalyps. item omnes rempublicam componunt, & mundum intelligibilem, prætereà quilibet Angelus est obiectum proportionatum intellectiuæ potentiæ alterius, vt patet ex dictis: igitur vnus Angelus cognoscit alium.

II. Secunda propositio. *Non implicat vnum Angelum cognoscere alium per ipsam suam substantiam, vel etiam per ipsam substantiam Angeli cognoscendi, ita vt hæc substantia sit loco speciei impressæ, vel ad instar illius:* tota hæc propositio patet ex dictis tam suprà art. 5. quæst. 55. quàm ex dictis præced. art. de efficientia specierum, & earum supplemento, quatenus illa est tantùm in genere causæ purè efficiẽtis non vitalis, quam Deus potest cuilibet enti, prout voluerit communicare: vnde sicut illam communicat substantiæ Angeli ad firmãdam cognitionem sui ipsius, ita potest eidem substantiæ eandem vim & efficaciam communicare ad cognoscendum alium Angelum, & similiter eandem efficientiam tribuere substantiæ Angeli cognoscendi.

III. Tertia propositio. *Dum vnus Angelus cognoscit alium, non illum cognoscit per suam substantiam, sed per speciem sibi à Deo infusam.*

Probatur: si vnus Angelus cognosceret de facto alium per substantiam eius, quem vult cognoscere, quatenus talis substãtia esset loco speciei impressæ, tunc vnus aliũ inuito eo, non posset cognoscere, quia cùm ad id necessariũ sit talem substantiam coniungi potentiæ intellectiuæ, posset Angelus discedendo impedire cognitionem suæ ipsius substantiæ; at vnus Angelus non potest facere, quin alius Angelus eum cognoscat, cùm sit ens ordinis naturalis, & omnia eiusmodi debeant ab omnibus Angelis cognosci, item Angelus non posset alium cognoscere positum in aliqua distantia, ob eundem defectum sufficientis coniunctionis cum potentia cognoscente: at Angeli quantumuis distent à se inuicem, possunt sese inuicem cognoscere, cùm etiam possint maximè distantes colloqui, vt potest animaduerti in sacris Litteris.

IV. Tandem cognitio, vt fit modo ordinario, postulat obiectum esse maximè vnitum potentiæ, ita vt vnio obiecti cum potentia sit aliquo modo intrinseca, quatenus ipsummet obiectum, vel quod vices illius gerit, sit intra ipsum intelligentem: atqui vnus Angelus non potest esse intra intellectum alterius per vnionem aliquo modo intrinsecam: igitur vnus Angelus alium non cognoscit per suam substantiam. V.

Nec iis obstat, quòd aliqui Patrum, vt S. Iustin. quæstionibus *ad Orthodoxos* quæst. 76. S. Chrysost. hom. 13. *in Matth.* dicant bonos Angelos posse sese occultare dæmonibus: non enim volunt id fieri virtute naturali, sed supernaturali tantùm, vt potest intelligi ex ipsomet eorum textu.

Posterior pars propositionis probatur ex eo, quòd nullus alius restet modus, quo vnus Angelus alium cognoscat, quàm per speciem sibi à Deo infusam, cùm enim propria substantia Angeli cognoscentis nullam habeat necessariam connexionem cum alio Angelo, siue in ratione effectus, siue in ratione causæ, vel alicuius continentiæ, aut contenti, non potest per illam, tanquam per aliquod medium cognitum cognoscere alium Angelum. VI.

Vltima propositio. *Angelus superior potest comprehendere inferiorem, sed non è contra.*

Probatur: ad veram & propriè dictam comprehensionem obiecti tanta vis intelligendi requiritur in cognoscente, tam secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem, quanta est intelligibilitas in obiecto, tam secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem, vt docuimus ad quæstionem 12. huius primæ partis; atqui in superiori Angelo vis intelligendi secundùm extensionem est æqualis virtuti naturali intelligendi inferioris Angeli, & secundùm intensionem est maior in superiori, quàm sit intelligibilitas in Angelo inferiori, quia hæc sequitur conditionem entitatis Angelicæ: igitur Angelus superior poterit comprehendere Angelum inferiorem, non tamen econtrà. VII.

Neque est, quòd quis obiiciat, Angelum superiorẽ non cognoscere effectus liberos inferioris Angeli; quia vt Angelus superior dicatur comprehendere inferiorem, satis est, vt cognoscat hanc esse naturam liberi eius arbitrij quòd possit hoc & illud velle, hoc & illud nolle; non est autem necesse, quòd sciat Angelum inferiorem esse determinatè istud facturum, & hoc vel aliud omissurum, quia totum istud vt sic, seu quatenus liberum transcendit ordinem rerum naturalium, vt patebit ex dicendis infrà de cognitione Angelica cogitationum cordis.

Articvlvs III.

VIII. *Vtrum Angeli per sua naturalia possint Deum cognoscere.*

Tria sunt certa: primò Angelos posse naturaliter cognoscere Deum; sicut enim Deus continetur intra latitudinem naturalis obiecti intellectus humani, ita à fortiori continetur intra latitudinem obiecti intellectus Angelici, proindéque Deus potest naturaliter cognosci ab Angelo.

Secundò, certum est Deum non cognosci intuitiuè ab Angelis in suo puro statu naturali tantùm remanentibus, quod expressè docuimus quæst. 12. huius primæ partis de quolibet intellectu creato, ex quo etiam sequitur Deum non cognosci ab Angelis, sic conside-

I. A ratis quidditatiuè, & distinctâ cognitione, prout distincta illa & quidditatiua cognitio dicit distinctam cognitionem essentiæ, & attributorum Dei, prout illa sese habent à parte rei, & cognoscuntur per suum proprium conceptum, hoc enim tantùm conuenire beatificæ cognitioni patet ex dictis de illa, ad quæst. 12. huius partis, sed hoc tantùm sensu Deus potest, item & eius attributa cognosci distinctè, quatenus Angeli per ordinem ad creaturas, vel ex illis possunt diuinam essentiam, eiúsque perfectiones cognoscere, sicut & nos iuxta illud Apostoli *ad Romanos* primo: *inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.*

Tertiò, est etiam nobis certum ex dictis quæst. 12. huius partis Angelos suâ naturali cognitione non cognoscere Deum per ali-
II. quam speciem impressam, ibi enim ostendimus nullam de facto dari speciem intuitiuam pro cognoscendo Deo.

Restat igitur inquirendum, quo medio vtantur Angeli, ad Deum cognoscendum.

Sit hæc propositio. *Angeli cognoscunt Deum per suam substantiam non vt se habentem ad instar speciei impressæ, seu vt per medium non cognitum, sed vt per medium cognitum.*

Probatur quoad primam partem ex eo, quòd nulla occurrat necessitas, vel etiam ratio, cur Angelus ita cognoscat Deum, siue habeatur ratio efficientiæ, siue repræsentationis requisitæ in specie, ad hoc vt cognitio obiecti sequatur, maximè, cùm vnus Angelus alium Angelum sibi in ratione obiecti magis proportionatum non intelligat, vel per suam propriam, vel per ipsam Angeli cogno-
III. scendi substantiam.

Neque his obstat, quòd propria substantia Angeli sit aliqua imago Dei, & imago possit esse medium comparandæ cognitionis repræsentati per talem imaginem: nam vt aliquid per modum imaginis faciat cognoscere aliud, oportet vt aliquâ ratione priùs in se ipso, & secundùm se cognoscatur, verbi gratiâ, vt Rex cognoscatur per suam imaginem, talis imago debet priùs cognosci in se ipsa, quomodo non est amplius aliquod medium non cognitum, de quo tamen hîc disputamus.

Posterior pars propositionis probatur: Angelus eodem modo cognoscit Deum per suam substantiam, quo illum intelligit per substantiam aliorum Angelorum, vel per quoscumque effectus creatos, quia nullus alius modus occurrit, vt patet ex dictis pro prima parte
IV. propositionis: at vnus Angelus non alio modo intelligit Deum per substantiam aliorum Angelorum, vel per entitatem aliorum effectuum naturalium, quàm quatenus cognoscẽdo res creatas, videt illas esse dependentes ab illo, tanquam à sua causa, tam in suo esse, quã in suo conseruari, & proinde cùm hæc dependẽtia necessaria & intrinseca dicat ordinẽ intrinsecum ad Deum, talis hæc dependentia, vt sic cognita, est ipsis Angelis medium cognoscendi ipsum Deum: ergo cùm ex dictis suprà ad quæst. 12. huius 1. part. hoc sit cognoscere aliquid per suam, vel aliorum substantiam tanquam medium aliquod cognitum, Angelus tantùm cognoscit naturaliter Deum per suam & aliarum rerum creatarum substantiam, tanquã per aliquod medium cognitum.

Neque hinc sequitur talem cognitionem Angelorum esse discursiuam, vel Deum non cognosci in particulari, vel etiam non posse cognosci aliquo *conceptu absoluto*, sed *respectiuo* tantùm, seu per ordinem ad aliquas creaturas, vt effectus illius. V.

Hæc inquam non sequuntur: non primum, quia aliud est vnum cognoscere *in alio*, & aliud vnum cognoscere *ex alio*, vt obseruauimus ad quæst. 12. & 14. huius partis, quando docuimus Deum, & beatos cognoscere creaturas in Verbo; primum non facit discursum; sed secundum tantùm, quod non habet locum in Angelo, vt infrà dicetur.

Secundum item non obstat; hæc enim duo distinguuntur, cognoscere aliquid *in particulari*, & illud cognoscere *distinctè*; nam distincta cognitio importat quidditatiuam, quam
B cognitio particularis non importat, vnde Angelus potest cognoscere Deum *in particulari* esse finem suum naturalem, item & primam causam, licet nõ cognoscat illum *quidditatiuè*. VI.

Nec tertium denique obstat, quia licet prima illa cognitio, quam Angelus habet de Deo *sit respectiua*, hoc est, habeatur de illo per suam substantiam, vel rerum aliarum tanquam per aliquod medium cognitum, quia nihil potest aliud assignari, quod sit talis conditionis medium, nihilominus tamen postea potest formare alium conceptum absolutum de Deo, quo illum apprehendat vt ens à se, infinitum, & alio simili modo non includente ordinem ad creaturas.

C AD QVÆSTIONEM LVII. VII.

DISPVTATIO PRIMA.

De cognitione Angelorum respectu rerum materialium & singularium.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli cognoscant res materiales, & item singulares.

SIt hæc propositio. *Angeli intelligunt res materiales, tam singulares, quàm vniuersales.* Ita S. Thom. hîc artic. 1. & 2. & omnes communiter.

Prior pars, quæ procedit de
D vniuersalibus, probatur: tum ex eo quòd habeant aliquam intelligibilitatem, vt patet ex eo, quòd dentur scientiæ de illis, vt physica: tum ex eo, quòd illarum intelligibilitas non excedat vim intelligendi, quæ est in Angelis, cùm quoad illam Angeli sint nobis superiores, qui tamen aliquam de illis habemus scientiã: tum etiam quòd fiant Angelis proportionatæ, per suas species sibi à Deo infusas, vt suprà docuimus; tum denique quòd Angeli, cùm sint puræ intelligentiæ, considerando ordinem naturæ in statu & gradu eminentiori, quàm sint omnes aliæ creaturæ, secundùm pura sua naturalia consideratæ, debeant etiam res quascumque naturales, de quarum numero sunt res materiales vniuersales, cognoscere. VIII.

Posterior pars propositionis est de fide ex

I. pluribus scripturæ locis, in quibus tam mali Angeli, quàm boni describuntur, vt cognoscentes distinctâ & valde particulari cognitione aliquot singularia, mali Iob 1. & 2. capitibus, vbi Deus alloquens dæmonem, ait, *numquid cõsiderasti seruum meum* Iob, Matth. 4. dæmon tentauit Christum Dominum in deserto, ostendit illi singulares lapides, quos petit, vt conuertat in panes, item omnia regna mundi, & gloriam illorum, & ita pluribus aliis locis explicatur cognitio, quam habent dæmones aliquot rerum singularium, boni item, vt qui in Genesi apparent Abrahã, Loth, item lib. Tob, Raphaël vtrique Tobiæ apparens, & cum illis conuersans, lib. Daniel qui apparet Habacuc, item & in resurrectione Christi Domini.

II. Deinde ex eo, quòd singuli boni Angeli dantur singulis hominibus in eorum custodiã, vt habet cõmunis doctrina Patrum, & Theologorum, iuxta illud Christi Domini, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*; probatur item ex Patribus ad hæc singula scripturæ testimonia nunc relata, & rationes allatæ pro præcedenti parte probant & hanc secundam.

ARTICVLVS II.

Quomodo Angeli cognoscant res vniuersales & singulares.

SIT hæc prima propositio. *Angeli eadem specie sibi à Deo infusâ cognoscunt res vniuersales & illarum singularia.* Ita S. Th. hîc art. 1. in responsione ad secundum, & in quæstionibus disputatis *de veritate* quæst. octauâ art. 1.

III. Et primùm, quòd Angeli non accipiant à rebus singularibus species, quibus illas intelligant, probauimus suprà, quando ostendimus eos non posse illas abstrahere ab obiectis, sed tantùm habere à Deo sibi infusas.

Deinde, quòd Angeli videant res singulares eadem specie, quâ cognoscunt vniuersalem naturam, cuius hoc singulare est aliquod inferius, patet ex rationibus, quibus suprà ostendimus Angelos de facto intelligere per species vniuersales, si enim, quia quæ sunt dispersa in inferioribus, debent esse vnita in superioribus, quilibet Angelus intelligit per species magis vniuersales, quàm quilibet nostrûm, longè conuenientius est Angelum cognoscentem aliquot singularia, ea cognoscere, per eandem speciem, quâ cognoscit vniuersalem illorum naturam, quàm per alias species, quibus

IV. aliæ res essentialiter & toto etiam genere distinctæ cognoscerentur, ob maiorem conuenientiam, quam eiusmodi obiecta habent inter se: ergo cùm ex dictis de vniuersalitate specierum Angelicarum, naturæ toto genere distinctæ aliquando cognoscantur per vnam & eandem numero speciem, à fortiori res vniuersales, & earum singularia, per vnam tantùm speciem cognoscentur.

Deinde res cognoscuntur ab Angelis, vt sunt in se ipsis, & vt sic per suas species illis repræsentantur: atqui res secundùm rationẽ vniuersalis, & secundùm rationem ipsius singularis, sunt per modum alicuius vnius, cùm vniuersalia insint singularibus sicut secundæ substantiæ insunt primis; igitur Angelus per eandem speciem, per quam videt res vniuersales, videt etiam & illarum singularia.

A Quæres, an Angelus non possit intelligere vniuersale sine singulari, & econtrà. V.

Respondetur, si sermo sit de cognitione *abstractiua* posse, sicut & potest noster intellectus, cùm vsus ipsius speciei repræsentantis subsit libero arbitrio voluntatis ipsius Angeli: at si quæstio sit de cognitione *intuitiua*, quà res singularis videtur, sicuti est in se ipsa secundùm se totam, non potest, cùm in illa, vt sic considerata, gradus vniuersales includantur, & etiam conditiones indiuiduales.

Secunda propositio. *Species illa vniuersalis, quæ repræsentat Angelo ipsum singulare, ei etiã repræsentat existentiam, & durationem obiecti singularis per eam cogniti.*

Probatur: illud omne repræsentatur per speciem impressam, vel infusam tenentem se ex parte obiecti, quod intellectus cognoscit de

B obiecto, quia cognitio proportionatur speciei, vt principio coëfficiẽti cognitionem: atqui intellectus Angeli, dum cognoscit aliquod singulare, cognoscit existentiam eius & durationem, cùm cognoscat intuitiuè, & eiusmodi species sint comparatione rerum singularium primò & per se intuitiuè: igitur hæc species repræsentat Angelo existentiam & durationem rei singularis; imò & species sensibilis intuitiua, suo modo repræsentat etiam actualem existentiam, & durationem sui obiecti singularis sensibilis, quatenus facit, vt sensus exterior apprehendat suo modo, & experiatur rem singularem, sibi per suam speciem repræsentatam existere, & durare. VI.

Quæres cùm suprà docuerimus species esse infusas Angelis à primo instanti suç creationis, nec tunc res singularis repræsentetur in actu

C secundo, defectu actualis existẽtiæ, tanquam alicuius conditionis sine *qua non*, an tunc, quando res singularis ponitur in rerum natura, aliqua fiat mutatio in specie eam repræsentante, ratione cuius fiat proximè idonea illam repræsentare in actu secundo. VII.

Respondetur distingui in specie ipsam eius *entitatem, & vsum,* sicut etiam patet in nostris speciebus intellectibilibus, quas post sui acquisitionem, conseruat memoria in vsum abstractiuæ cognitionis & recordationis, iam dum Angelus cognoscit intuitiuè aliquod singulare existens, quod anteà defectu suæ existentiæ non cognoscebat, nulla fit varietas in ipsa entitate speciei infusæ, quia specifica eius ratio est posse repræsentare rem, seu posse eo tantùm modo concurrere ad coëfficiendam cognitionẽ obiecti per illam repræsentati se-

D cũdùm eum statum, quem habet tale obiectũ, vsus verò speciei est ipsa eius actualis applicatio, seu potiùs concursus eius ad coëfficiendã hanc vel illam sui obiecti cognitionem, quæ applicatio & concursus, quia est etiam virtute multiplex, sicut & ipsa repræsentatio speciei, & cognitio intuitiua obiecti, vt in se ipso existentis, postulat obiectum actu & realiter existens, tanquam id, ad quod terminetur; (aliàs enim talis cognitio non esset ita propriè intuitiua) ideò fit, vt positâ existentiâ talis sui obiecti, illud vt sic repræsentet, & hæc tota varietas sese tantùm tenet ex parte vsus, & concursus ipsius speciei, & non ex parte entitatis eius, cùm hæc non sit formalis similitudo obiecti, sed tantùm effectiua; neque est nouum imò valdè commune pluribus causis virtute multi- VIII.

I. plicibus, vt nullâ factâ varietate in illarum entitate, nunc secundùm aliquam inadæquatam rationem suæ virtutis agant, secundùm quam anteà non agebant, item vt cessent agere secundùm illam, iuxta quam anteà agebant.

Cæterùm notãdum est Angelos ita dici cognoscere ista *naturaliter*, non quasi semper actu illa cognoscãt, dum existunt; sed tantùm quòd possint illa cognoscere, si non impediantur, vel à Deo, substrahendo suum concursum ad id requisitum, vel alio modo; nam Angeli sunt ad cognoscendum ista liberi, vt patebit infrà. Dixi, *si non impediantur à Deo*, quia fit aliquando, vt cognitiò rei alicuius naturalis substrahatur illis à Deo, vel potiùs impediatur, propter bonum Ecclesiæ, vt patebit infrà agendo de cognitione mysteriorum nostræ fidei, in ordine ad intellectum Angelicum iuxta suæ

II. naturæ vires consideratum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Angeli possint naturaliter aliquot singularia contingentia possibilia tantùm cognoscere.

SIT hæc vnica propositio. *Angeli possunt naturaliter per species sibi congenitas cognoscere etiam aliquot singularia contingentia tantùm possibilia naturali virtute agentium naturalium.*

Probatur: cognitio Angelorum est perfectior naturali cognitione hominum; atqui plerique hominum norunt hanc & illam causam, hoc & illo modo applicatam, posse hoc & illud singulare producere, quæ tamẽ applicatio nunquam fiet, sícque tale singulare manet purum possibile, vt per se patet: igitur multò

III. magis Angelus poterit naturaliter cognoscere aliquot eiusmodi singularia tãtùm possibilia.

Deinde: Angeli habent cognitionem aliquo modo comprehensiuam rerum purè materialium, cùm ex dictis suprà Angelus superior cognoscat comprehensiuè Angelum inferiorem, qui tamen est ens aliquod longè perfectius quouis singulari materiali solâ virtute agentium naturalium possibili; sed ad eiusmodi cognitionem comprehensiuam requiritur, quòd Angelus cognoscat causam illam naturalem hoc saltem habere, quòd sit apta nata plures alios effectus singulares producere, licet illos de facto non producat, sicut cognoscimus potentiam visiuam esse aptam natam videre plures colores, quos tamen de facto non videt: ergo licet Angelus non cognoscat determinatè omnia & singula possibilia singu-

IV. laria alicuius agentis naturalis, potest tamen aliquot ex illis cognoscere.

DISPVTATIO II.

De cognitione Angelorum respectu futurorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli cognoscant futura necessaria non libera, & quomodo.

NOTANDVM primò, est futura esse in duplici differẽtia; *alia necessaria*, quæ scilicet sunt immediatè à causa naturali necessaria, quæ naturaliter impediri non potest, vt sunt ortus solis, lunæ

A futura eclipsis: alia sunt *contingentia*, ea scilicet, quæ sunt à causis quidem naturalibus & necessariis, sed quæ tamen possunt impediri per accidens, per concursum, verbi gratiâ, alicuius alterius, vt quòd hæc arbor ferat anno proximo fructus, quod futurum, licèt causæ eius sint rectè dispositæ, agántque necessariò, potest tamen impediri, vel per locustas, vel per nimium ardorem, vel per quid simile. V.

Notandum secundò, futura contingentia alia esse *contingentia*, quia possunt impediri à causa libera, alia, quæ tantùm dicuntur *contingentia*, quia possunt impediri per concursũ alicuius causæ naturalis, vt præmonuimus.

Notandum tertiò, inter futura contingentia alia esse, quæ contingunt vt plurimùm, alia, quæ rarò.

Notandum quartò, duobus modis posse in-

B telligi Angelum posse naturaliter cognoscere futura contingentia; primò cognitione certâ & infallibili, secundò cognitione tantùm coniecturali. VI.

Prima propositio. *Angeli suâ naturali cognitione, cognoscunt certò futura, quæ sunt ex causa necessaria, & quæ contingunt vt plurimùm, quatenus dependent à causis naturalibus.*

Probatur primò ex Patribus, vt S. Augustino passim libro *de diuinatione dæmonum*, Tertulliano *in Apologetico* cap. 22.

Deinde ratione: qui cognoscit causam, vt determinatam ad producendum talem effectum, eámque ita penetrat, vt videndo connexionem, quam habet cum aliis causis naturalibus, videat illam non impeditam iri à productione talis sui effectus, tunc si talis causa agat naturaliter, & necessariò, qui illam sic

C cognoscit, videt certò & infallibiliter effectũ esse futurum; atqui Angeli naturali suâ cognitione cognoscunt naturales causas, ortus & occasus solis, lunæ eclipseos, vidéntque talem fore dispositionem corporum, vt ea non interrumpatur, quia totam seriem causarum naturalium intuentur, ad quam talis effectus sequitur necessariò: igitur Angeli certò & infallibiliter, suâ naturali cognitione cognoscunt futura ex causa naturali necessaria, & quæ vt plurimum contingunt. Quod potest ampliùs confirmari ex cognitione perfectissimorum Astrologorum, qui etiam aliqua ex istis norunt certò. VII.

Secunda propositio. *Angeli suâ naturali cognitione, certò etiam cognoscunt futura rarò contingentia, quatenus pendent à solis causis naturalibus.* Ita Alensis 2. part. quæst. 26. memb. 4.

D Durandus 2. sentent. distinct. 7. & plures alij ad præsentem quæst. S. Thomæ. VIII.

Probatur primò ex S. August. cit. lib. *de diuinatione* cap. 5. 6. dicente, dæmones diuinare futuras tempestates, ægritudines, & eos hac in re tantùm decipi, ex eo, quòd eiusmodi futura impediantur ab aliquo superiori agente libero.

Probatur item ratione præcedentis conclusionis, quæ huic applicata illam ostendit: & licet hæc futura, vt comparantur ad suas causas proximas, sint contingentia & indeterminata: attamen vt comparantur ad totam seriem causarum, & vt sic cognoscuntur, non sunt propriè contingentia, vel indeterminata, sed necessaria & determinata, saltem in suis causis, quas cùm Angelus penetret, nouit et-

I. iam certò eiuſmodi futura.

Addidi vtrique propoſitioni hanc particulam, *quatenus pendent à cauſis naturalibus*; nam ſi conſiderentur, quatenus cauſæ naturales eiuſmodi futurorum immutantur, ex ſpeciali diſpoſitione Dei, eáque ſuperioris ordinis, verbi gratiâ, propter orationes ſanctorum, vel ad punienda quædam peccata, tunc hæc futura non dicuntur cognoſci certò & naturaliter ab Angelis cognitione abſolutâ, ſed tantùm conditionatâ, ſcilicet, ſi Deus permittat cauſas naturales moueri ſecundùm propriam ſuam inclinationem: vnde quando ſcripturæ & Patres negant dæmones præſcire futura, vt Sapientiæ 8. Iſaiæ 41. 45. id intelligunt de abſoluta cognitione, quâ præuideatur nullum impedimentum futurum per vllam cauſam, etiam ſupremam: hæc autem cognitio
II. Angelorum non eſt *intuitiua*, cùm non ſit rei præſentis & exiſtentis, ſed potiùs *abſtractiua*, ſicut cognitio illa, quam Aſtrologus habet de eclipſi futura poſt centum annos.

Articvlvs II.

Vtrum Angeli cognoſcant certò futura contingentia libera.

VNica ſit propoſitio. *Angeli ſuâ naturali cognitione non cognoſcunt certò futura contingentia, quæ dependent à libero Dei, vel hominis arbitrio, ſed tantùm coniecturaliter nonnulla ex illis norunt.*

Prior pars propoſitionis eſt de fide ex locis ſcripturæ nunc citatis, quæ pro ſigno diuinitatis aſſumunt eiuſmodi cognitionẽ futurorũ.

III. Fauet etiam ratio: nam vel Angeli cognoſcerent iſta contingentia, vt in ſe ipſis, & hoc non, quia nondum exiſtunt, vel in ſuis cauſis ad illa producenda iam determinatis, & hoc non, quia poſitis omnibus neceſſariis ad agendum, voluntas poteſt adhuc non agere. Notandum tamen eſt ex S. Auguſt. lib. 2. *de Geneſi ad litteram* cap. 17. & lib. *de diuinatione* loco cit. dæmonem aliquando poſſe ex quibuſdam cauſis prædicere aliqua eiuſmodi contingentia, primò quando id cognouit per reuelationem, quod tribus modis poteſt fieri: primus quando id habetur in ſacris Litteris; nam vna ex parte, ſcit Deum non poſſe mentiri, & ex altera, Deum multa prædixiſſe per ſuos Prophetas: ex quibus duobus colligit ea certò euentura, & quaſi ſciret illa à ſeipſo, ea prædicit: ſic paulò ante aduentum Chriſti Do-
IV. mini, & in ipſomet eius aduentu, dæmones prædixerunt ceſſationem ſuorum oraculorum, ruinam ſuorum templorum. Secundus eſt, quando dæmones id nouerunt per reuelationem ſibi factam à bonis Angelis: nam & dæmones aliquando fieri participes diuinarum reuelationum S. Thom. docet 2. 2. quæſt. 172. art. 6. & conſtat ex hiſtoria Iob, in qua Sathan ſcribitur apparuiſſe *inter filios Dei*. Tertius modus eſt, quando Deus decreuit aliquid facere, quod relinquit dæmoni tanquam miniſtro exequendum.

Poſterior item pars probatur ex eo, quòd interdum homines poſſunt præuidere nonnulla contingentia libera, verbi gratiâ, ex hac, & iſta mala diſpoſitione ciuium futuram ſeditionem: ergo à fortiori dæmon id poterit,
A præcisè maximè cùm ſuis tentationibus poſ- V.
ſit homines paulatim diſponere ad perpetranda eiuſmodi mala.

DISPVTATIO TERTIA.

De cognitione Angelorum reſpectu cogitationum cordium.

Articvlvs Primvs.

Vtrum Angeli cognoſcant cogitationes cordium.

PRimò certum ex dictis Angelos ſuâ naturali cognitione, cog-
B noſcere omnes noſtras actio- VI.
nes naturales, & neceſſarias tam voluntatis, quàm intellectus, cùm hæ ſint effectus quidam naturales, modo naturali prouenientes à ſua cauſa naturali, & Angeli cognoſcant omnia entia purè naturalia. Similiter ob eandem rationem cognoſcere omnes actus exteriores ſenſuum & appetitus, qui fiunt ex imperio voluntatis, non tamen prout fiunt ex tali imperio, propter ea, quæ dicemus de cogitationibus cordium.

Secundò, certum eſt Angelos poſſe aliquando per coniecturas, & cognitione etiam confuſâ, deuenire in cognitionem cogitationum cordis, vt docet S. Auguſt. lib. 12. *de Geneſi ad litteram* cap. 12. nam id habere locum in hominibus ipſa experientia docet: reſtat
C igitur tantùm difficultas de cognitione diſtin- VII.
ctâ, certa, eáque tantùm naturali, pro cuius explicatione

Sit hæc vnica propoſitio. *Angeli ſuâ naturali cognitione non poſſunt certò cognoſcere cogitationes cordium.* Ita communiter omnes.

Probatur primò ex ſacris Litteris, quæ id ſoli Deo tribuunt lib. 3. Regum cap. 8. Pſal. 7. *Scrutans corda & renes Deus*, Hieremiæ 17. *prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud.*

Deinde ex Patribus, S. Hieronymo ad citatum cap. Hierem. & ad cap. 9. S. Matth. S. Ambroſ. lib. 5. *in Lucam* ad illa verba Euangelij, *vt autem vidit cogitationes eorum*, & pluribus aliis, qui ex eo probant Chriſtum Dominum fuiſſe verè Deum, quòd internas mentis cogitationes & affectiones voluntatis, nullo
D ſigno exteriori patefactas cognoſceret: quæ VIII.
Scripturæ & Patrum teſtimonia non tantùm procedũt de futuris cogitationibus cordium, ſed etiam de illis, vt actu & de facto exiſtentibus, quemadmodum patet ex ſimplici textu prædictorum teſtimoniorum. Vnde Durandus lib. 2. ſententiarum diſtinct. 3. quæſt. 7. fallitur, dum aſſerit Angelos cognoſcere cogitationes cordium, quando actu exiſtunt, & ſolam earum vt futurarum ſeu nondum exiſtentiũm cognitionem, ſoli Deo reſeruatam intelligi in ſacris Litteris.

Secundò refellitur Henricus quodlibeto 3. quæſt. 14. dum exiſtimat Angelos cognoſcere cogitationes cordium, ſecundùm ſuam ſubſtantiam; nam & locis ſuprà Scripturæ cit. ipſi actus liberi interni ſecundùm ſe conſiderati

I. significantur esse soli Deo cogniti: hinc enim cor hominis vocatur *inscrutabile*, quatenus ex se non potest cognosci.

Deinde, vt entitas huius liberæ numero cogitationis cognoscatur, obiectum eius & finis debent cognosci eo modo, quo illam terminant, quia & specificatur ab illis, & intrinsecum habet ordinem ad illa, cùm intrinsecè sit amor, vel odium, verbi gratiâ, talis obiecti; sed cognoscere entitatem illam cogitationis cum tali habitudine, est illam cognoscere vt liberam, quia ex tali relatione, actio habet vt sit libera: ergo cùm Angeli naturaliter non possint cognoscere cogitationes cordium, vt liberas, etiam ex sententia Henrici, non poterunt illas cognoscere secundùm suam entitatem.

II. ARTICVLVS II.

Quænam sit ratio propter quam Angeli naturaliter non possint certò cognoscere cogitationes cordium.

SIT hæc propositio. *Ratio physica, cur Angeli non cognoscant cogitationes cordium antequā dirigantur ad illos, est, quia Angeli non habent illarum species sibi infusas à Deo, sed eas tantùm accipiunt, quando diriguntur ad illos; moralis autem ratio desumitur à fine seu conuictu politico, qui postulat, vt cogitationes vnius non manifestentur alteri propter dominium, quod habet in illas, nisi in quantum voluerit:* tres sunt partes propositionis.

Prima quæ est *de principio physico*, probatur: quia id non prouenit ex imbecillitate intelle-
III. ctiuæ potentiæ Angelorum, nullâ enim factâ additione luminis seu virtutis tenentis se ex parte potentiæ, statim atque liberæ cogitationes ad illos diriguntur, cognoscuntur ab illis.

Nec item ex defectu diuini concursus generalis requisiti ad illas cognoscendas: tum quia sacra Scriptura & Patres recurrunt ad inscrutabilitatem cogitationum eiusmodi, dum dicunt illas esse Angelis incognitas, & non ad substractionem diuini concursus generalis requisiti: tum quia talis substractio frequenter videretur, & in pluribus inducere perpetuum aliquod violentum; cùm sæpè numero multi Angeli illas ignorent; repugnat autem rectæ dispositioni vniuersi, dari aliquod violentum perpetuum: & licet impedimentum istud posset habere locum in dæmonibus propter bonū
IV. animarum, non tamen in bonis Angelis, qui salutem hominum amant, & procurant, quibus tamen liberæ nostræ cogitationes cordium sunt incognitæ.

Nec item istud prouenit ex defectu directionis eiusmodi cogitationum ad Angelos, quæ sit requisita, tanquam aliqua conditio sine qua non: quia, quod ex solo defectu eiusmodi conditionis non fit ab aliquo, nunquam loquendo propriè dicitur ei impossibile, verbi gratiâ, approximatio ignis ad lignum est talis conditio, nemo tamen propter illam dicet loquendo simpliciter esse impossibile igni cōburere lignum: nam omnis impossibilitas effectus loquendo simpliciter arguit, vel aliquem defectum in principio agendi, quatenus non est totum illud, quod requiritur,
A vt sit adæquatè in actu primo, vel indicat obiectum esse extra latitudinem talis potentiæ: V.
atqui ex sacris Litteris & Patribus suprà dicitur esse impossibile homini, & Angelo cognoscere cogitationes cordium, & hæc directio tantùm est conditio sine qua non: igitur causa, cur Angeli non cognoscant cogitationes cordium, non est defectus directionis illarum ad Angelos: ergo cùm ex iis omnibus, quæ concurrunt ad talem cognitionem, solæ restent species eiusmodi cogitationum, sola illarum carentia erit propriè causa physica, cur & Angeli istas cogitationes non cognoscant naturaliter, cùm intellectus, vt sit in actu primo adæquatè constitutus ad cognoscendum aliquod obiectum, debeat esse informatus eius specie.

Quòd verò Angeli non accipiant à Deo spe-
B cies eiusmodi cogitationum à primo instanti VI.
suæ creationis, probatur: Angeli tunc accipiūt tantùm species rerum naturalium, prout *naturale* distinguitur etiam à *libero*, quia tunc eorum tantùm accipiunt species, quorū cognitio illis secundùm suum naturalem statum consideratis est debita: atqui cognitio cogitationū cordis non est debita Angelis secundùm suum naturalem statum consideratis, imò debet illis esse occulta; quia aliàs non esset ampliùs aliquod secretum sub solo dominio eius, qui habet talem cogitationem, quatenus Angelus habens illam speciem, posset eam, quando existit, etiam inuito eius auctore, cognoscere: ergo Angeli non acceperunt species, quibus possent cognoscere cogitationes eiusmodi à principio suæ creationis.

Neque hoc repugnat iis, quibus suprà do-
C cuimus Angelos habuisse à primo instanti suæ VII.
creationis species pro rebus cognoscendis; id enim intelligitur de his tantùm speciebus, quæ ordinantur ad cognitionem rerum purè naturalium, prout *naturale* distinguitur à *libero*.

Neque item obstat, quòd licèt cogitationes cordis sint liberæ, vt possint elici, vel non elici, vbi tamen sunt elicitæ, non possunt ampliùs esse non elicitæ, velit, nolit voluntas, sicque videantur esse aliquid necessarium, quod proinde possit per species ab initio creationis acceptas, repræsentari Angelis, sicut & alia entia naturalia. Nam licet eiusmodi cogitationes, vbi productæ sunt, non possint non fuisse, sicque in facto suo esse sint entia necessaria; attamen quoad ipsum celari, seu non manifestari, etiam postquàm factæ sunt,
D manent semper entia libera, quandiu nullo VIII.
exteriori signo prodeunt foras; ideóque Angeli nullas à primo instanti suæ creationis debuerunt accipere species pro illis cognoscendis: nec est par ratio de singularibus futuris, non tamen existentibus; horum enim cognitio, cùm sit de ente purè & simpliciter naturali, iam illis erat debita, solùm tamen actu secundo obtinenda eo tempore, quo tale singulare existeret; at hæc cognitio cogitationum cordis tunc nullo modo erat illis debita.

Secunda item pars propositionis, scilicet *Angelos tunc accipere illas species à Deo, quando eiusmodi cogitationes diriguntur ad illos*, probatur: Deus tunc prouidet Angelis de speciebus, quibus cognoscunt alias creaturas

I. à se, quando illarum cognitio est illis debita, cùm non possint illas accipere ab obiectis, & Deus non desit in necessariis; atqui hæc cognitio cogitationum cordis est tantùm debita Angelis, quando illæ cogitationes diriguntur ad eos, quia tunc ponuntur aliquo modo sub dominio illorum, quatenus per earum directionem sibi factam ab eo, qui illas elicuit, acquirunt ius cognoscendi illas: igitur tunc Deus infundit illis species, quibus cognoscant eiusmodi cogitationes cordium.

Vltima denique pars propositionis probatur: illud est causa moralis, propter quam Deus noluit Angelos cognoscere cogitationes cordium, illisque propterea denegare species, quibus illas cognoscerent, quod, si Angeli & homines non habēt, posset eos impedire, tam ab exercitio eiusmodi cogitationum, quàm
II. ab exequutione eorum, quæ cogitant, tanquam quædam membra politica alicuius reipublicæ benè ordinatæ; vt enim Deus constituit totam aliquam rempublicam ex Angelis & hominibus, ita etiam voluit iura illorum integra seruari, vt sic meliùs possent coalescere in vnam rempublicam, & aliquod mutuum commercium vniuscuiusque naturæ proportionatum habere; atqui si Angeli & homines non haberent plenum dominium, tam celandi cogitationes suas cordis, tam quando factæ sunt, quàm quando fiunt, impedirētur illas exercere, & etiā exequi tanquam membra quædam communis eiusdémque reipublicæ, quia sæpè vna rationalis creatura nollet interiores quosdam actus liberos exercere, ne aliis innotescerent, quemadmo-
III. dum sæpè contingit in nobis, qui dum volumus aliquid facere, si tamen videamus illud non posse occultum esse aliis, omittimus facere: item impedirentur illas exequi; nam plerumque vbi aliæ creaturæ rationales cognoscerent istos actus, statim conarentur illos, & eorum effectus impedire; sícque libertas creatæ voluntatis & pax ipsius reipublicæ violaretur: igitur plenum illud dominium, quod creata voluntas habet in internos suos affectus, & bonum reipublicæ sunt causa moralis, propter quam Deus noluit Angelos cognoscere naturaliter cogitationes, & propter quam illis denegauit species, quibus possent illas cognoscere.

Quæres, an saltem Angeli cognoscant naturaliter habitus illos, qui ex actibus liberis producuntur in nobis, vel in aliis Angelis.

Respondetur, eodem modo esse philoso-
IV. phandum de illis, ac de cogitationibus cordium, scilicet, si eiusmodi habitus nullo signo exteriori sese manifestent, non cognosci ab Angelis: & ratio est, quia si Angeli cognoscerent naturaliter tales habitus, statim cognoscerent etiam & ipsos liberos actus, per quos sunt producti; actus enim sunt tales, quales sunt habitus, qui producuntur per eos: ergo cùm Angeli non cognoscant naturaliter actus liberos nullo signo exteriori manifestatos, non cognoscent etiam naturaliter habitus, qui producuntur per actus liberos; nullo signo exteriori manifestatos.

A

DISPVTATIO QVARTA. V.

De loquutione Angelorum.

QVIA loquutio nihil est aliud, quàm *expressio & manifestatio* conceptus eius qui loquitur, facta alteri, cui loquitur: sicque loquutio hæc magnā habet affinitatem cum cognitione cogitationum cordis, ideò priori difficultate expeditā posteriorem explicabimus: sit ergo

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli sibi inuicem loquantur.

B SIT hæc nostra propositio. *Datur loquutio in Angelis, seu Angeli sibi inuicem loquuntur.* VI.
Propositio videtur esse de fide, ex pluribus Scripturæ locis, in quibus Angeli introducuntur colloquentes, Isaiæ sexto & sexagesimo tertio, Zachariæ secundo & alibi, & ex eo, quòd primæ *ad Corinthios* 13. ita ait Apostolus, *si linguis hominum loquar, & Angelorum,* quibus testimoniis nō satisfaciet, qui dixerit ea intelligi de Angelis in assumptis corporibus, quia S. Chrysost. hom. 32. in priorem *ad Corinthios,* ait eò loci, per *linguas Angelorum* intelligi *incorporeas*, quod ibidem tradunt Theodoretus, Oecumenius, S. Basilius in primum caput *S. Ioan.* S. Damascenus libro secundo *de fide* capite tertio.

Fauet etiam ratio; nam proprium est omni substantiæ intelligenti loqui, posse manifesta-
C re suum conceptum; vnde etiam Deo pas- VII.
sim in Scripturis sacris loquutio tribuitur; atqui Angeli sunt substantiæ intelligentes: ergo illis conuenit loquutio.

ARTICVLVS II.

Quomodo sibi inuicem Angeli loquantur.

PRIMA propositio. *Loquutio Angeli propriè non fit per aliqua signa, siue corporea, siue spiritalia, quibus vnus Angelus suum conceptum exprimit alteri.* Prior pars est contra Durand. 2. sent. dist. 11. quæst. 2. existimantem Angelos loqui per signa, quæ sunt vel soni sensibiles formati in aëre instar vocum, vel quæ sint motus, & signa per illos facta in corporibus assumptis, sicut solemus loqui inter nos. Vbi
D notandum est nos non negare Angelos posse VIII.
in corporibus assumptis sic loqui; nam vbi describuntur in sacra Scriptura apparuisse in corporibus assumptis, satis frequenter agnoscuntur sic esse loquuti: sed sensus nostræ propositionis quoad hanc partem est, hunc modum loquendi non esse Angelis necessarium ad colloquendum inuicem.

Probatur: eo modo debet aliqua creatura posse loqui aliis sibi similibus, quo est illis sociabilis & apta, esse membrum alicuius reipublicæ, cum eiusmodi sibi similibus, quia societas creaturarum intellectualium maximè attenditur penes mutuam loquutionem, & manifestationem suorum conceptuum; atqui Angeli secundùm pura sua naturalia considerati, absque vllo corpore assumpto, & quatenus

I. sunt substantiæ purè spirituales, sunt creaturæ sociabiles componentes mundum intelligibilem, & modus loquendi proportionatus substãtiæ purè & simpliciter spirituali, non est corporeus, cùm modus iste non sit connaturalis ei, sed potiùs præternaturalis: ergo modus, quo Angeli loquuntur sibi inuicem, non est per signa aliqua corporea.

Altera pars propositionis, quæ procedit de signis spiritualibus, probatur: aut signa illa significant *naturaliter*, aut ex *institutione Dei*, vel *Angelorum*; primum dici non potest, quia aliàs cùm vnus Angelus loquitur, omnes alij Angeli eum audirent, si vellent animaduertere; sicque non posset loqui secretò, quod est absurdum ex dictis suprà de cognitione cogitationum cordis: secundum item dici non potest ob eandem rationem, quia si talis signorũ
II. significatio sit à Deo, fuit communicata omnibus Angelis, cùm omnes Angeli possint sibi inuicem loqui: tertium denique dici non potest, quia sic loquutio non fit necessariò per illa signa; nam priusquam Angeli imposuerint significationem signis, oportuit illos conuenisse inter se, & esse loquutos mutuò pro imponenda tali significatione: ergo sicut prima illa loquutio est facta sine signis, ita etiam Angeli possunt loqui sibi inuicem sine eiusmodi signis spiritalibus.

Deinde vel signa illa spiritalia sunt tantùm in eo, qui loquitur, vel sunt, & ponuntur ab ipso loquente in eo, cui fit loquutio: non primum, quia audiens debet excitari ad audiendum loquentem; at potest fieri, vt Angelus cui fit loquutio, diuertat mentem aliò, quàm ad illum Angelum, cui loquitur: non secundum,
III. quia Angelus non potest nisi motum, & quæ sunt connexa motui, cuiusmodi non sunt signa: tum etiam, quia signa illa debent deferri per medium ad audientem, & ita recipi in spatio intermedio, quod suprà negatum est agendo de speciebus, posse fieri naturaliter: igitur loquutio Angelorum non fit etiam per quædam signa spiritalia.

Secunda propositio. *Loquutio Angelorum non fit per speciem, quæ ab ipso loquente imprimatur audienti, quâ conceptus eius exprimatur alteri.* Probatur ex nunc dictis de signis, quatenus Angelus nihil potest præter motum producere, & quæ sunt illi annexa, de quorum genere non est species impressa.

Nec est, quòd quis dicat eiusmodi cõmune Theologorum axioma esse tantùm intelligendum de termino, seu effectu per veram & rea-
IV. lem actionem producto, prout realis actio cõdistinguitur ab intentionali: primò, quia cõmuniter assumitur ab omnibus Scholasticis, vt vniuersaliter verum, de quolibet effectu, nullam habente connexionem, cum motu locali. Deinde admissâ hâc restrictione necessitas specierum infusarum à Deo Angelis, pro cognoscendis aliis, siue distantibus, siue proximis tollitur; vt enim Angelus potest imprimere alteri Angelo speciem sui conceptus, quâ illum excitet ad audiendum, & quâ repræsentet illi suum conceptum; sic etiam poterit eidem Angelo, vel alteri imprimere speciem suæ substantiæ, quâ ab illo cognoscatur, quas tamen species vt à Deo infusas pro cognitione aliorum Angelorum auctores contrariæ sententiæ nostræ propositioni admittunt.

A Secundò probatur conclusio: Angelus potest loqui alteri Angelo, cum magna distãtia locali, quemadmodum intelligitur ex eo, quòd apud S. Lucam cap. 16. anima diuitis epulonis loquuta sit Abrahæ animę à se maximè distanti, vt ibidem Abraham significat, quando sic respondet, *inter nos, & vos chaos magnum firmatum est:* animæ autem separatæ, cùm sint eiusdem planè conditionis, ac Angeli, eodem etiã modo sibi inuicem loquuntur ac Angeli; sed vnus Angelus non potest alteri à se distanti imprimere speciem; vel enim emitteret illam à se, & sic deberet aliquod medium dari, quo deferretur ad alterũ distantem, & in quo subiectiuè reciperetur, vt perueniret ad illum, cui loquitur, quod medium & subiectum non potest assignari; vel educeret eiusmodi speciem è potentia alterius Angeli cui loquitur: & hoc
B non, quia longè distat ab illo, & omnis eductio formæ postulat aliquam coniunctionem ipsius educentis formam, cum ipso patiente, è cuius potẽtia ipsa forma educitur; omne enim agẽs debet aliquo modo esse cõiunctũ patiẽti. VI.

Tertia propositio. *Loquutio Angeli facta alteri Angelo nihil est aliud, quàm conceptus loquentis, vt directus & manifestatus alteri Angelo per speciem ei à Deo impressam, per cuius speciei receptionem, Angelus cui fit loquutio, excitatur ad percipiendum ipsam loquentis conceptionem.*

Probatur propositio primùm ex dictis suprà de cognitione cogitationum cordis, hæc enim est quædam loquutio: ergo sicut illa nihil est aliud, quàm ipsamet cogitatio, vt directa, & manifestata alteri per speciem, tunc ei à Deo impressam, ita etiam & ipsa loquutio erit tan-
C tùm ipse conceptus loquentis, vt directus & manifestatus alteri Angelo per speciem ei tunc à Deo infusam. VII.

Secundò probatur: quia quæcumque requiruntur ad veram loquutionem hîc reperiuntur, primũ aliqua realis mutatio, quâ Angelus cui fit loquutio, fiat de non audiente audiens, seu excitetur ad audiendum, scilicet noua receptio speciei de nouo impressæ, seu infusæ; vt enim nos in cognitione sensitiua excitamur ad audiendum per receptionem & expressionem speciei sensibilis, intra sensum auditus, ita etiam & Angelus in ea cognitione intellectiua excitatur receptione prædictæ speciei, ad attendendũ ad id, quod repręsentatur specie de nouo sibi impressâ: & quemadmodum si nolimus audire, auertimus auditum; ita etiã Angelus, si velit, potest nolle attendere ad id, quod repræsentat hæc species, nolendo eâ vti,
D sed diuertendo cogitationem aliò; sicque semper est ei liberum audire, vel non audire alium sibi loquentem. VIII.

Deinde in vera loquutione aliquis actus vitalis requiritur ex parte loquentis, & hoc reperitur in loquutione Angeli, iuxta nostram propositionem, scilicet conceptus ille per voluntatem directus & manifestatus; vnde lingua Angelorum poterit dici *ipsa voluntas*, vt faciens directionem prædicti conceptus, & intellectus exprimens & manifestans prædictum conceptum esse principium eius vitale, cùm sit illud, quod speciem expressam seu verbum mentale tunc in ipso Angelo exprimit.

Tertiò, ad loquutionem requiritur, vt illa possit etiam fieri secretò vni, scilicet aliis non audientibus, quantumcumque cupiant audi-

I. re; at hoc habet locum in nostra sentẽtia, cùm Deus speciem eiusmodi conceptus infundat tantùm ei, ad quem Angelus loquens dirigit illum.

Cæterùm Deus tunc imprimit eiusmodi species Angelo, ad quem fit eiusmodi directio, & manifestatio conceptus, ob easdem rationes, propter quas ostendimus suprà Deum infundere Angelis alias species ad cognoscendum; & sicut ibi diximus illas species nullo modo esse supernaturales, sed connaturales Angelis, ita & species, quas imprimit pro cognitione cogitationum, & sicut diximus species cogitationum cordis ante illarum directionem, non esse debitas Angelis, ita è contrario, dum fit directio, sunt illis debitæ, cùm accipiant ius illas cognoscendi.

Obiicies primò, contra hanc nostram propositionem,
II. Deum tunc censeri potiùs loqui, quàm Angelum, quia is propriè loquitur, qui exprimit conceptum; sed qui exprimit conceptum in præsenti casu, est solus Deus, quia ipse solus imprimit speciem illius repræsentatiuam: igitur tunc Angelus propriè non loquitur, sed potiùs Deus ipse.

Respondetur in vera loquutione duo posse distingui; primum illud, quod tanquam principium vitale exprimit, & manifestat internũ conceptum, alterum id, quo tenente se ex parte obiecti talis repræsentatio, & manifestatio conceptus inferioris perficitur; primum, vt *in actu exercito* constitutum facit aliquẽ formaliter loquentem, secundum verò minimè, sed tantùm sese habet, tanquã applicans obiectũ ad potentiã iam sufficienter dispositam, quan-
III. tum requiritur ex parte solius potentiæ; vnde cùm Deus, iuxta nostram sententiam tantùm infundat species ad eiusmodi loquutionem necessarias, non censetur propriè loqui, sed ipse Angelus: & quemadmodum nonnullis agentibus naturalibus, adhoc vt dicãtur generare, sufficit, quòd talem introducant dispositionem in subiectum, quæ iure suo postulet talem formam, licet eam non educant per se ex subiecto, vel etiam loquendo propriè non producant, vt patet in generatione hominis, & eorum, quæ generantur ex putri materia, quorum formæ à pluribus Philosophis dicuntur produci à solo Deo, vt supplente defectũ causarũ naturalium; ita etiam ad hoc, vt vnus Angelus dicatur loqui alteri, sufficit, quòd proprium suum conceptum dirigat ad alterum, cui vult manifestare, vt hæc eius volitio & directio postulet iure suo infusionem spe-
IV. ciei, ad id præstandum necessariæ.

Obiicies secundò, sequi Deum esse auctorẽ mendaciorum, & malorum, quæ dæmones committunt aliquando, dum sibi inuicem loquuntur, quatenus imprimit eis species, quibus hæc mendacia & mala perpetrentur.

Respondetur, Deum producentem eiusmodi species, non magis censeri concurrere ad malum, vel mendacium, quàm dum concurrit cum homicida perpetrante homicidium; vnde quemadmodum secundùm aliquos, Deus tũc non peccat, quia tantùm cõcurrit ad substantiam actus, & non ad eius malitiam, vel iuxta probabiliorem aliorum sententiam, tanquam causa quædam naturalis agens modo necessario, & non libero, cùm eius concursus ad hunc vel illum effectum determinetur à causa se-

A cunda; ideò fit, vt tunc Deus nullo modo censeatur esse auctor mali, sed vi illius pacti, quo pepigit concurrere cum omnibus & singulis agentibus, modo conuenienti eorum naturæ, tunc teneatur talem speciem imprimere, seu infundere ipsis etiam dæmonibus, ad quos alij malas suas cogitationes dirigunt. V.

Quæres, quomodo Angelus loquatur Deo, cùm Deus non sit capax alicuius speciei, quæ ei imprimatur?

Respondetur Angelum tunc censeri loqui Deo, quando eo fine dirigit ad illum suam cogitationem, vt illum oret, vel vt aliquid ab eo impetret, vel vt illum admiretur, vel vt aliquid aliud faciat dirigendo illud ad Deum, quemadmodum docet S. Thom. infrà quæst. 107. cùm enim Deus comprehendat Angelum, & quæcumque sunt in Angelo, non est ei opus
B aliquâ specie de nouo impressâ, vel infusâ, vt audiat Angelum, sed sola ipsa directio Angeli ad Deum sufficit, vt dicatur loqui Deo. VI.

DISPVTATIO QVINTA.

De cognitione Angelorum respectu mysteriorum gratiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli cognoscant mysteria gratiæ naturaliter.

NOMINE *mysteriorum gratiæ,* nihil aliud intelligunt hoc loco
C Theologi, quàm quæ sunt *supernaturalia:* duobus autẽ modis aliquid est supernaturale, vel *quoad substantiam & modum simul,* vt sunt visio beatifica, lumen gloriæ, gratia sanctificãs & id genus cętera, vel quoad *modum tantũ,* vt est visus cæco nato restitutus. VII.

Sit hæc propositio. *Angeli secundùm pura sua naturalia considerati non cognoscunt naturaliter illud, quod est supernaturale, siue illud sit modus tantùm, siue substantia, seu entitas non modalis.* Ita S. Thom. & omnes eius interpretes communiter ad vltimum articulum huius quæstionis.

Probatur primò: quia illud est extra latitudinem obiecti motiui Angelici intellectus secundùm sua naturalia considerati, cùm tale obiectum tantùm sit illud, quod est natu-
D rale. Secundò, quia Angeli secundùm sua naturalia considerati non acceperunt à Deo species obiectorum eiusmodi, cùm illis vt sic consideratis eorum cognitio sit improportionata, & indebita. VIII.

Dixi in conclusione, *illud, quod est supernaturale,* quia si in illo, vt in exemplo allato de visu restituto cæco nato, aliquid reperiatur, quod sit naturale, tunc Angelus poterit illud cognoscere, cùm sit obiectum proportionatum suo intellectui, & acceperit à Deo species omnium effectuum naturalium.

Secundò, addidi hanc particulam, *secundùm pura sua naturalia considerati;* si enim aliquid illis superaddatur, vt verbi gratiâ *reuelatio,* quæ illis fiat, vel *euidentia aliqua,* siue in attestante, siue in miraculis factis, ad probandum,

I. quòd hæc mysteria sint vera, tunc Angeli poterũt illa cognoscere, cùm videant hæc opera transcendere totã potentiã agentium naturalium, & sciant Deum, qui est primarius auctor miraculorum, quibus hæc comprobãtur, non posse mentiri: sic dæmones ex miraculis, quæ videbant fieri à Christo D. potuerunt habere vehementem suspicionem, quòd esset filius Dei: & licet Angeli secundùm pura sua naturalia considerati, absque vlla præmissa reuelatione *expressa*, vel *implicita*, & etiam absque omni & qualibet euidentia, siue *in attestante*, siue *ex miraculis* possint naturaliter cognoscere Deum posse plura, quàm ordinariè præstat; attamen non possunt naturaliter peruenire ad eam cognitionem, quã cognoscant Deum posse aliquid supernaturale, eo sensu, quo illud dicitur supernaturale, quod ordinat creaturam intellectualem ad fruendum Deo clarè viso, cùm nec huius rei cognoscendæ aliquam speciem acceperint à Deo: quia hoc obiectum non est naturale, nec etiam detur in tota latitudine creaturarum purè naturalium, & hoc modo solo consideratarum aliquid, quo possint in talem cognitionem assurgere, vt potest intelligi ex iis, quibus ad quæst. 12. S. Thom. art. 1. ostendimus claram visionem Dei non posse ratione naturali probari possibilem, & quibus ibidem docuimus visionem beatificam non posse esse vlli creaturę naturaliter debitã. (II. in margin)

Hinc licet dæmones viderent humanitatem Christi Domini, attamen non videbant modum inexistentiæ eius in Verbo diuino, nec item vident illum modum, quo Christi Domini corpus est totum & integrum sub qualibet particula in sacramento altaris, vt docet S.
III. Thom. 3. parte quæst. 77. art. 7. sed dum videbant humanitatem Christi Domini, licet non viderent positiuè in illa carentiam propriæ subsistentiæ, poterant tamen suspicari eam sibi occultari à Deo.

ARTICVLVS II.

Quænam mysteria gratiæ Angeli in via cognouerunt cognitione supernaturali.

NOSTRA sit propositio. *Angeli existentes in via, cognouerunt cognitione supernaturali mysterium Trinitatis, item & Incarnationis quoad suam substantiam, similiter media, quibus peruenitur ad vitam æternam.*

Probatur quoad singulas partes: quoad primam, Angeli in via id debuerunt credere,
IV. quod erat futurum obiectum beatitudinis illorum; at hoc est Deus trinus & vnus.

Probatur item quoad secundam partem auctoritate S. Augustini libro quinto *de Genesi ad litteram* capite 19. & item ex Ruperto in illud S. Ioannis de diabolo, *ille erat homicida ab initio*, qui hanc secundam partem asserunt; tum etiam ex eo quòd Christus Dominus sit à Deo constitutus, etiam caput Angelorum, vt ex Apostolo & Patribus docent Scholastici cum S. Thom. 3. part. quæst. 8. art. 4. at non est verisimile Angelis, in tanta perfectione etiam cognitionis positis ignotum fuisse illorum caput, cùm etiam non desint, qui opinentur eos inde sumpsisse occasionem peccandi.

Probatur item quoad tertiam partem ex Psalmo 23. item ex Isaiæ cap. 73. & Patribus

A explicantibus ista testimonia, in quibus Angeli introducuntur aliquid sciscitantes, quod spectat ad circunstantias mysterij Incarnationis, cuiusmodi est gloriosa Ascensio Christi Domini; & Apostolus primæ *ad Corinthios* secundo loquens de morte Christi Domini, illam vocat *sapiẽtiam in mysterio, quæ*, inquit, *abscondita est, quam nemo principum huius sæculi*, id est, dæmonum cognouit. Vnde *ad Ephes.* 3. hoc mysterium ratione aliquarum suarum circunstantiarum dicitur *innotuisse per Ecclesiam ipsis principibus & potestatibus in cælestibus*, vt etiam S. Hieron. notat ad illum locum vltimum. V.

Tandem vltima pars probatur: perfectum agens, quod ex ipsa cognitione finis tendit in illum, debet præter cognitionem finis habere & cognitionem mediorum, vt possit illis vti etiam ex electione; atqui Angeli fuerunt con-
B stituti à Deo in via, vt tenderent in Deum, tanquam finem supernaturalem, quia sunt creati à Deo, vt fruerentur vitã æternã: ergo debuerunt in tali statu cognoscere media illius comparandæ. Hinc cognouerunt virtutes Theologicas & alia id genus, quę nos cognoscimus, cùm fuerint tunc longè perfectiores nobis. VI.

DISPVTATIO SEXTA.

De illuminatione Angelorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit illuminatio in Angelis, & quomodo vnus alium illuminet. C VII.

QVIA illuminatio vt propriè sumitur à S. Dionysio lib. *de cælesti hierarchia*, S. Thom. infrà quæst. 106. & aliis Theologis, est tantùm de rebus aliquo modo supernaturalibus, ideò explicatâ eã cognitione, quã Angeli habent, vel habere possunt de rebus supernaturalibus, agendum est de illuminatione, & videndum quid illa sit, & quomodo fiat; pro qua re sit

Prima propositio. *Illuminatio est loquutio Angeli superioris cum alio inferiori, quâ illi manifestat aliquam veritatem aliquo modo supernaturalem.* Ita S. Thom. citatã quæstione.

Probatur propositio explicatione singularũ partium. Imprimis dicitur *loquutio*, quia om-
D nis traditio doctrinæ, de cuius genere est illuminatio, fit per loquutioné, vt patet in nobis, sicque loquutio est genus ad illuminationem. VIII.

Reliqua propositionis ponuntur loco differentiæ; & primùm hæc loquutio dicitur esse *Angeli superioris*, tum quia ita habent S. Dion. lib. cit. cap. 7. Greg. Nazianz. oratione 2. *de Theologia*, S. Greg. Magn. hom. 54. S. Damasc. lib. 2. *de fide* cap. 3. dum dicũt in qualibet hierarchia superiores esse doctores inferiorum; tum ex eo, quòd in sacris Litteris suprà cit. Angeli introducuntur loquentes de rebus supernaturalibus, & superiores dicere inferioribus illud, quod inferiores nesciebant, quod propriè est illuminare: tum quia in recipiendo bono est aliqua subordinatio Angeli inferioris ad superiorem, quoad ea, quæ sunt ex-

I. tra visionem beatificam, vt expressè docet S. A
Thom. infrà quæstione 106. sicque Angelus inferior non potest illuminare superiorem, sed econtrà: vnde Durandus refellitur, qui 2. sentent. distinct. 12. quæst. 3. existimat omnes Angelos à solo Deo illuminari immediatè, ex eo, quòd solus ille beatificet creaturam intellectualem; refellitur, inquam, quia illuminatio spectat ad cognitionem, quæ fit extra verbum, quæque appellatur *vespertina*.

Deinde additur in hac definitione, quòd hæc loquutio fit *de re aliquo modo supernaturali*; ita enim significat S. Dionys. suprà, dum ait cælestes intelligentias à supremis mentibus *doceri deificas scientias*, id est, veritates habentes peculiarem ordinem ad Deum, cuiusmodi sunt *supernaturales*, quatenus scilicet per illarum cognitionem superiores ordinãt
II. inferiorem ordinẽ ad Deum, vt docet S. Th. B
quæst. 106. 109. art. 3. vbi, quia cognitio supernaturalis propriè dicta non habet locum in dæmonibus, & illi, cùm sint obstinaces in suo peccato, non possint iuxta ordinariam potentiam Dei rectè ordinari ad Deum, vt sic perficiantur, docet illuminationem propriè dictam non habere locum in dæmonibus: tum etiam quia Angelus inferior per illuminationem purgatur à nescientia, quatenus acquirit aliquam doctrinam sibi anteà ignotam, ex S. Dionys. & aliis suprà citatis: atqui Angelus superior non potest purgare inferiorem à nescientia rerum purè naturalium, quia omnes & singuli Angeli cognoscunt omnes & singulos effectus naturales, & causas purè naturales: igitur illuminatio propriè dicta debet esse
III. circa res aliquo modo supernaturales.

Secunda propositio. *Quando aliquis Angelus illuminatur ab alio, accipit à Deo nouas aliquas species, referentes conceptus illuminantis, & superior dicitur illuminare inferiorem ex eo, quòd iuuet illum in apprehendendo obiecto, & in iudicando de illo; modus autem, quo illum iuuat, est, quòd Angelus superior ea diuidat in plures conceptus ipsi inferiori, quæ ipse superior paucioribus intelligit; item quòd rem illam, de qua illuminat inferiorem, fusiùs explicet, exemplo demonstret, illustret similitudine, modo accommodato ad intellectum Angeli inferioris, quem illuminat.* C

Tres sunt partes propositionis: prima patet ex dictis; nam illuminatio est quædam species loquutionis: ergo quicquid requiritur ad loquutionem Angelicam, debet in illa reperiri; at ex dictis suprà directio conceptus, im-
IV. pressio nouæ speciei repræsentantis conce- D
ptum facta à Deo, requiruntur in loquutione Angelica: ergo & in ipsa illuminatione.

Secunda item pars probatur ex eo, quòd Angelus superior eo modo illuminet inferiorem, quo doctor infundit doctrinam discipulo, vt habet S. Cyrillus Alexand. lib. 1. *in Ioan.* cap. 9. & S. Thom. cit. quæst. 106. art. 1. at doctor non aliter infundit doctrinam discipulo, quàm iuuando illum in apprehendendo obiecto, & ferendo iudicio de illo, vt docet experientia.

Vltima pars propositionis explicans modum, quo fit hæc illuminatio, est apertè S. Thom. citat. nunc 1. articulo, vbi illam probat ex S. Dion. ex cuius loco etiam probatur; dum S. Dion. cap. 15. explicans figuratiuas il-
las imagines, quæ solent attribui Angelis in V.
sacris Litteris & Patribus, docet quibusdam Angelis attribui dentes, qui significent diuisionem indultæ sibi perficientis alimoniæ, id est, perfectionem illam, quam Angeli superiores habẽt, vt per plures & distinctos cõceptus explicẽt inferioribus illam veritatem, quæ est cibus intellectus Angelici, quam tamen veritatẽ superiores Angeli paucioribus speciebus & conceptibus apprehendunt & intelligunt.

Tandem probatur ratione: Angelus illuminans eo modo se habet ad inferiorem, quo doctor docet discipulum, ex cit. auctor. atqui modus, quo doctor docet discipulum aliquam veritatem, est exprimendo pluribus conceptibus, quod ipse paucioribus intelligit, cùm enim ille intelligit conclusionem in præmissis, eam ex illis eruit ostendendo eius continen-
tiam, & ex admissis principiis talem veritatem VI.
rectè sequi, item à facilioribus progrediendo ad difficiliora, & ex rebus iam notis discipulo deducendo eum ad intelligentiam difficiliorum, explicando totum hoc exemplis, & similitudinibus, semper se accommodando quantum res patitur, ad captum discipuli, vt etiam significat Apostolus primæ *ad Corint.* 3. & docet experientia: igitur modus ille hâc vltimâ parte propositionis explicatus est, quòd Angelus superior illuminat inferiorem.

AD QVÆSTIONEM LVIII.

DISPVTATIO VNICA.

De modo Angelicæ cognitionis. VII.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus Angeli quandoque sit in potentia, & actu.

EXPLICATO obiecto intellectus Angelici, naturam & conditionẽ intellectionis eius explicat S. Thom. primùmque quærit, an Angelus sit aliquãdo in potentia, aliquando in actu: vbi notandum est, cùm ad cognitionem aliqua possint cõcurrere ex parte *obiecti*, vt sunt species, aliqua ex parte *potentiæ*, vt sunt habitus, qui illam facilitant; deinde ipsemet actus cognitionis, posse moueri quæstionem de his om-
nibus, scilicet an Angelus, comparatione illo- VIII.
rum, sit aliquando in potentia, id est aliquando illis caruerit, vel careat.

Notandum secundò, nos tantùm hîc agere de naturali cognitione Angelorum, & iis, quæ spectant ad illam.

Quod attinet ad species intelligibiles, satis patet ex dictis de earum infusione, Angelos nunquam fuisse in potentia ad illas, quibus cognoscunt res purè naturales, sed tantùm ad alias, quæ posteà illis infunduntur pro cognoscendis liberis cordium cogitationibus, & aliis id genus, de quibus suprà: solùm igitur restat difficultas de aliis.

Prima propositio. *Angelus de facto nullos habet naturales habitus, qui ita sint virtutes intellectuales, vt etiam non sint virtutes morales.*

Hæc

I. Hæc vltima pars additur pro excludenda
prudentia, quæ est ita virtus intellectualis, vt
etiam sit moralis.
Probatur propositio: habitus dantur ad fa-
cilitandam potentiam, vt docent omnes Phi-
losophi disputando de habitibus: at intelle-
ctiua potentia Angelorum nullam patitur dif-
ficultatem in intelligendo obiecta purè natu-
ralia; non ex parte *obiectorum*, quia habet illa-
rum species sibi à Deo infusas, & proinde per-
fectissimas in suo genere, non item ex parte
potentiæ, quia vt Angeli sunt entia perfectissi-
ma, quæque superant omnes res alias purè na-
turales, ita habent & intellectum perfectissi-
mum, qui vigore & efficaciâ sui luminis in-
telligibilitatem eiusmodi rerum, vel superet,
vel ad minus adæquet.
Secunda propositio. *Angeli possunt sibi ac-*
II. *quirere habitum fidei, vel opinionis de rebus, quas*
non possunt euidenter cognoscere, cuiusmodi sunt
futura contingentia.
Probatur: vbi potentia cognoscitiua potest
pati difficultatem circa obiectum, quod potest
ab illa aliquo modo cognosci, tunc ex fre-
quenti repetitione similium actuum circa tale
obiectum, potest sibi comparare habitum ali-
quem tali cognitioni correspondentem: atqui
potentia intellectiua Angelorum patitur dif-
ficultatem in cognoscendis quibusdam futu-
ris contingentibus, vt suprà docuimus, cùm
illa cognoscant tantùm per coniecturas: ergo
cùm coniecturæ generent tantùm opinionem
ex omnibus philosophis, Angeli poterunt sibi
acquirere habitum opinionis, quem non pos-
sunt habere infusum à Deo, cùm talis habitus
vt sic possit inclinare ad falsum, & hæc incli-
III. natio non possit Deo tribui.
Pari modo Angeli possunt sibi comparare
habitum alicuius fidei euidentis *in testificante*,
vt docent Theologi secundâ secundæ quæst.
5. art. 2. & probat illud S. Iacob. cap. 2. *dæ-*
mones credunt, & contremiscunt, quatenus ex
eo, quòd vident tot, tantáque miracula fieri,
in confirmationem alicuius veritatis, verbi
gratiâ, quòd *Christus Dominus sit verus, & na-*
turalis filius Dei, cognoscunt rem ita se habe-
re: vnde ex tali assensu sæpè sæpiùs repetito
ad multitudinem eiusmodi miraculorum, quæ
dæmones videbant fieri in hunc finem, com-
pararunt sibi habitum fidei, quo crederent
Christum Dominum esse verum Deum.
Tertia propositio. *Angelus est semper in actu*
secundo respectu cognitionis, quam habet de se ip-
so, & de Deo tanquam termino eius relationis, &
IV. *dependentiæ, quam habet ad Deum, ab aliis verò*
obiectis cognoscendis potest pro sua libertate ces-
sare.
Prima pars probatur: ens illud immortale,
cuius vita consistit in actuali cognitione, de-
bet esse semper in actu secundo, respectu ali-
cuius certi & determinati obiecti; si enim esset
in actu secundo respectu diuersorũ obiectorũ
quoad cognitionẽ sibi succedentium, vita eius
esset aliquo modo mortalis, nec mensuraretur
æuo propriè, cùm hoc æuum dicat duratio-
nem, habentem quidem principium aliquod,
sed quæ sit rei, quæ est tota simul, & dura-
tura in æternum à parte post: atqui Angelus
est ens immortale, cùm sit incorruptibilis,
cuius vita consistit in cognitione, cùm sit sub-
stantia purè spiritalis, cuius vita nulla est alia,

A quàm intellectio: ergo debet Angelo aliqua V.
cognitio actualis assignari, ratione cuius sit
semper in actu secundo; atqui nulla potest cõ-
modior ei assignari, quàm ipsa propria sui ip-
sius cognitio, quia eius necessitas nullam im-
portat in eo imperfectionem, cùm sequatur
ad positionem, & existentiam suæ substantiæ,
sicut quædam naturalis proprietas sequitur ad
suam substantiam, & sicut vita dimanat neces-
sariò & naturaliter à suo principio, ita & cog-
nitio sui ipsius dimanat quasi naturaliter ab
Angelo, séque habet ad omnes alias eius cog-
nitiones, tanquam earum fundamentum; vn-
de sicut motus cordis in animali est veluti
principium aliorum motuum, ita & in Ange-
lo cognitio sui ipsius est veluti principium om-
nium aliarum cognitionum, quæ sunt in illo,
sícque primâ illâ sui cognitione Angelus cog-
B noscit etiam vnico actu, secundùm eandem VI.
semper intentionem, quia exercetur ex neces-
sitate naturæ, suam substantiam, omnes suas
species, omnia sua accidentia, per modum
vnius obiecti adæquati.
Secunda item pars probatur: Angelus se
cognoscit, vt creaturam: ergo vt dependen-
tem à Deo: ergo cùm Deus terminet hanc de-
pendentiam, tunc Angelus cognoscit etiam
necessariò & semper Deum, vt terminum ta-
lis relationis.
Addidi hanc particulam, *vt terminum relatio-*
nis dependentiæ, cùm enim Deus possit alio mo-
do cognosci, puta absolutè & secundùm se,
tunc Angelus est liber in Deo sic cognoscẽdo,
quia nihil est, quòd illum necessitet ad talem
cognitionem: neque ex eo quod Angelus sẽ-
per & necessariò sic cognoscat Deum, sequi-
C tur eum esse semper beatum, saltem beatitu- VII.
dine naturali, & proinde dæmones, in qui-
bus naturalia manserunt integra, sic esse bea-
tos: nam hæc cognitio de Deo est tantùm *spe-*
culatiua, nec includit fruitionem seu possessio-
nem boni sic cogniti, quo tamen solo modo est
beatitudo, cùm vt sic tantùm satiet appetitum;
in Angelis verò secundùm solam suam naturã
consideratis, *matutinam* cognitionem non re-
periri, cùm illa cõsistat in clara visione diuinæ
essentiæ, constat ex dictis ad quæst. 12. huius
partis, sed tantùm *vespertinam*, cùm ea dica-
tur *vespertina*, quæ fit per species tantùm in-
fusas extra visionem diuinæ essentiæ.
Vltima denique pars propositionis nostræ
patet ex eo, quòd species Angelis infusæ sub-
sint, quoad vsum libertati Angelorum, &
obiecta creata per illas repræsentata non ha-
D beant essentialem & necessarium ordinem ad VIII.
Angelos, quo proinde eos necessitent ad suam
cognitionem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angelus possit plura simul intelligere.

PRIMA propositio. *Angelus non potest natu-*
raliter vno tantùm actu cognoscere omnia &
singula, quæ subiiciuntur naturali suæ cogni-
tioni.
Probatur: quia Angelus naturaliter non
potest intelligere infinita vnico actu: atqui
omnia & singula eius obiecta sunt propenu-
mero infinita, & infinitas, quam habet An-
gelus ad intelligendum, est potiùs *extensiua*

I. quatenus potest vnum post aliud, & sic in infinitum cognoscere, quàm *intensiua*, qualis requireretur ad omnia simul & semel, & vno tantùm actu cognoscenda.

Secunda propositio. *Quando plura repræsentantur alicui Angelo per vnicam speciem, tunc Angelus ille potest cognitione distinctâ cognoscere plura illa.*

Probatur: lumen Angelicum est proportionatum vniuersalitati speciei infusæ ipsi Angelo, atqui vniuersalitas ipsius speciei, quantum est ex parte eius in actu primo consideratæ, repræsentat simul & semel plura distinctè: ergo tunc Angelus per suum lumen poterit plura illa vno tantùm actu, etiam distinctè cognoscere.

Dixi in conclusione, *potest*, quia cùm plura illa obiecta non habeant necessariam inter se
II. connexionem *in repræsentari*, vt nec *in existere*, & vsus eiusmodi specierum subsit libertati Angeli, potest, si velit vti, suâ specie ad vnum tantùm obiectum cognoscendum, vel ad omnia.

Tertia propositio. *Vnicâ intellectione Angelus potest duo obiecta per diuersas species repræsentata simul intelligere.*

Probatur: quia Angeli sunt nobis perfectiores, & nos possumus vnicâ visione videre plura obiecta, nec ad vnitatem operationis requiritur vnitas obiecti; sed satis est, quòd operatio vna entitatiuè, sit virtute multiplex, vt patet in actione solis.

Quarta propositio. *Angelus potest simul & semel exercere plures actus intelligendi vtendo diuersis speciebus, non tamen tunc ita perfectè cognoscit.*

III. Prior pars probatur ex eo, quòd nulla est repugnãtia: non quidem ex parte *obiectorum*, quia ostendimus plura obiecta posse vno & eodem actu cognosci: non item ex parte *specierum*, quia species illæ quoad vsum subsunt arbitrio Angeli; vnde Angelus potest velle vti vnâ specie secundùm inadæquatam suam repræsentationem, quatenus scilicet repræsentat hominem, nolendo eâ vti, vt repræsentat leonem, & item vti alterâ suâ specie, quatenus ei repræsentat cælum, verbi gratiâ, & non totum illud, ad quod cognoscendum est apta; non repugnat denique ex parte *intellectus Angelici*, quia dum illa duo, vel plura cognoscit, non est necesse, vt applicet diuisim singulis totam actiuitatem sui intellectus, sed cùm sese liberè applicet ad intelligendum hęc obiecta, potest vnam quasi partem suæ virtu-
IV. tis ad intelligendum applicare vni speciei, & alteram alteri, sícque simul & semel vno & eodem actu cognoscere plura per diuersas species repræsentata.

Posterior item pars probatur: finita potentia non potest pluribus nullum inter se ordinem necessarium seruantibus tam perfectè attendere, ac si illa seorsim consideraret, iuxta vulgare illud, *pluribus intentus minor est ad singula sensus*: atqui obiecta de quibus hîc loquimur, sunt plura, nec aliquem seruant inter se ordinem necessarium.

Nec his obstat, quòd Angelus ex dictis supra, semper, & necessariò Deum & se cognoscat, proindéque futurum, vt nunquam aliquid cognoscat distinctè. Nam hæc nostra propositio procedit de ea cognitione, quæ

A propriè fit per species, & per quandam efficientiam propriè dictam intellectus Angelici: V.
at verò cognitio, quã habet Angelus de Deo, & se ipso, est veluti per quandam resultantiam naturalem, cùm sit per modum cuiusdam proprietatis naturalis, sícque hæc cognitio aliam non impedit, nec minuit actiuitatem intellectus Angelici, cùm duæ illæ cognitiones sint omninò distinctæ rationes; Angelus autem determinatur ad hoc potiùs cognoscendum, quàm aliud per suam voluntatem, quâ vult vti hâc specie, quæ volitio supponit aliquam cognitionem confusam, & imperfectam rei per speciem repræsentatæ, cùm Angelus suam cognoscat speciem, & voluntas determinet intellectum ad vtendum ipsâ specie, vt distinctè rem illam cognoscat.

B

ARTICVLVS III. VI.

Vtrum Angeli cognoscant discurrendo.

PRIMA propositio. *Angeli circa res naturales propriè non discurrunt*, est S. Thomæ hîc, quam tradit S. Aug. lib. 4. *de Genes. ad litteram* cap. 32. 33.

Probatur: ibi tantùm propriè est discursus, vbi duæ dantur cognitiones, quarum vna prior saltem naturâ est causa effectiua posterioris, vt dialectici communiter docent definiendo ratiocinationem: atqui Angeli non ita cognoscunt obiecta purè naturalia, nam species repræsentant modo perfectissimo, quantum est ex parte illarum, totum, quod est in obiectis, & præterea Angeli habent lumen perfectissimum ad percipiendum omnia obie-
C cta naturalia, secundùm illud omne, quod includunt in se ipsis: ergo eodem actu omnia ista VII.
apprehendunt, & cognoscunt, non autem vnum ex alio, nec proinde discurrunt, sicut nos propter imperfectum nostrum lumen, quod non potest simul & semel sese extendere ad totum obiectum, sed tantùm progrediendo paulatim, imò licet Angelus ratione suæ libertatis possit causâ cognitâ suspendere suũ actum, deinde alio sequenti actu cognoscere effectum, quod philosophi vocant *discursum secundùm successionem*, non potest tamen propriè discurrere, quod vulgò vocant *discursum causalem facere*, quia non potest efficere, vt prior cognitio causet, & sit propriè causa eius cognitionis, quam habet de effectu, nec potest applicare aliter intellectum ad intelligendum, quàm modo sibi connaturali, qui mo-
D dus est percipere obiectum vno simplici intuitu. VIII.

Secunda propositio. *Angelus potest propriè discurrere circa res quarum non habet species sibi congenitas, vt sunt cogitationes cordium, & res aliquo modo supernaturales.*

Probatur primùm ex Patribus, qui dum agunt de tentatione Christi Domini, docent dæmonem ex multis collegisse Christum esse verum Deum.

Probatur item ratione: tunc propriè est discursus, quando sunt duæ cognitiones, quarũ posterior causatur à priori: atqui duæ eiusmodi cognitiones possunt dari in Angelo, verbi gratiâ, vna, quâ videbat miracula Christi Domini, deinde alia, quâ intelligebat Christum Dominum asserentem se hæc face-

I. re, vt ostenderet se esse Messiam promissum in A
lege, sicque cùm lumine naturali cognosceret Deum non posse cooperari mendacio per vera miracula, colligebat Christum Dominũ esse verè Messiam.

Vnde, quando Patres negant Angelos discurrere, loquuntur iuxta priorem propositionem. Nec propterea sequitur *esse discursiuum*, non esse propriam differentiam hominis, quia esse discursiuum circa propria & sibi accõmodata obiecta, est proprium solius hominis; at esse discursiuum circa obiecta sibi non accommodata, cuiusmodi sunt cogitationes cordium respectu Angelorum conuenit etiam Angelis.

Ex quibus omnibus facilè intelligitur intellectum Angeli, siue boni siue mali, non posse falli circa obiecta sua purè naturalia, cùm perfectissimo modo illa omnia penetret, & natu-
II. ralia manserint integra in dæmonibus, circa B
res tamen vel supernaturales vel contingentes aut liberas, bonus Angelus licet illas naturaliter non cognoscat, falli tamen non potest, quia propter prudentiam, quâ pollet, cohibet se à ferendo certo, & determinato iudicio: malus autem propter prauum suum affectum, superbiam, & temeritatem sæpè de rebus sibi ignotis iudicat ex coniecturis, & fallitur.

AD QVÆSTIONEM LIX.

De voluntate Angelorum.

NOTA hâc quæstione quatuor do-
III. cet S. Th. quæ vel ex ipsa fide, C
vel ex iis, quæ philosophi tradunt communiter de voluntate, intelliguntur, vt, quòd in Angelis voluntas reperiatur; est enim appetitus consequens substantiam intellectualem, vt ostendimus agendo de voluntate Dei.

Item quòd liberum arbitrium sit in Angelis, cùm enim aliqui illorum peccauerint, vt dicetur infrà, & peccatum committatur *voluntariè*, seu liberè, vt omnes philosophi docent primâ secundæ, liberum arbitrium debet reperiri in Angelis.

Tertiò docet intellectum & voluntatem distingui in Angelis, cùm diuersa habeant obiecta; qualis autem sit illa distinctio eadem est quæstio, ac quomodo in nobis facultates animæ distinguantur tam à se inuicem, quàm ab
IV. essentia, quod propriè spectat ad Philoso- D
phum lib. *de anima*.

Postremò docet appetitum irascibilem, & concupiscibilem non dari in Angelis: nam isti appetitus ex Aristotele lib. 3. *de anima*, sunt in parte sentiente; at Angeli sunt omninò incorporei: vnde vis appetitiua in Angelo non diuiditur *in concupiscibilem & irascibilem*: attamen actus quidam spiritales reperiuntur in voluntate Angelorum, qui proportione quadã respondent actibus appetitus sensitiui; vt sunt *amor, desiderium, gaudium, appetitus vindictæ*, & id genus alia, vt patet in dæmonibus, qui in sacris Litteris dicuntur *tremere*, & vt *leones rugientes circuire nos, vt deuorent*, primâ Epistolâ S. Petri cap. 1.

V.

AD QVÆSTIONEM LX.

DISPVTATIO VNICA.

De amore & dilectione Angelorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Quæ dilectio, & circa quæ obiecta sit in Angelis.

AGITVR hîc tantùm de dilectione, quæ potest reperiri in Angelis secundùm pura sua naturalia consideratis: vbi no-
tandum est duplicem distingui VI.
dilectionem, vnam *naturalem*, quæ scilicet est ex naturali propensione voluntatis, seu quæ est à voluntate, vt natura est, id est, vt est determinata ad vnum ex sua naturali propensione; alteram esse *elicitiuam*, quæ scilicet est elicita à voluntate, vt voluntas est, seu vt est libera.

Notandum secundò, obiectum dilectionis Angelicæ posse tantùm esse duplex, scilicet *Deum*, vel *aliquam creaturam*. His positis, sit

Prima propositio. *In Angelis datur vtraque prædicta dilectio.* Ita S. Thom. hîc, & omnes communiter.

Prior pars probatur: vnaquæque res habet aliquam naturalem propensionem suæ naturæ proportionatam: ergo cùm Angelus sit res intellectualis, & inclinatio proportionata
substantiæ intellectuali sit dilectio elicita à vo- VII.
luntate, vt est natura, quemadmodum patet ex dictis suprà de voluntate Dei, & processione Spiritus sancti, Angelus debet habere dilectionem naturalem.

Posterior item pars probatur: vbicumque reperitur dilectio mediorum propter finem, ibi est dilectio *elicitiua*, quia talis dilectio fit ex libertate, quâ vnum medium eligitur ad finem obtinendum: atqui in Angelo datur dilectio mediorum propter finem, quia ex pluribus mediis vnũ seligit pro sua libertate, aliis relictis ad hunc & illum finem assequendum.

Hinc, quia conclusiones habent necessariam connexionem cum suis principiis, media verò ad finem minimè, quia cùm sint plura, vnum potest eligi alio relicto, fit, vt quamuis intellectus Angelicus cognito principio non possit
non cognoscere conclusionem in illo conten- VIII.
tam, eius tamen voluntas possit velle finem, non volendo tamen necessariò hoc vel illud medium in particulari, vbi plura dantur conuenientia ad obtinendum eundem finem.

Secunda propositio. *Angelus se ipsum diligit hâc vtrâque dilectione*: ita S. Thom. hîc art. 3.

Probatur primùm *de naturali* ex eo, quòd naturali appetitu desiderat sibi aliquod bonum, puta propriam felicitatem.

Probatur item *de elicitiua*; quia Angelus, verbi gratiâ, dæmon optat sibi deferri honorẽ ab hominibus, & Angeli possunt multa liberè sibi desiderare. Nec hoc arguit in illis imperfectionem eorum substantiæ repugnantem; eo enim, quo sunt creaturæ indigent aliquibus, sicque possunt illa liberè expetere; imò nun-

I. quàm Angelus, etiam malus habet se ipsum odio, licet enim optet non existere; id tamen facit ex amore sui ipsius, quo eligit vnum malum ad sese liberandum alio, & licet Angelus non possit se ipsum odisse, sícque amor ille sit necessarius quoad specificationem, attamen quoad exercitium est liber ipsi Angelo, vt docet Ferrariensis lib. 3. *contra gentes* cap. 109. Angelus enim potest apprehendere aliquam rationem boni in cessando ab actuali amore sui ipsius, puta, vt cum maiori intensione & actu feruentiori amet Deum; tum etiam, quia illud tantùm obiectũ necessitat voluntatem ad exercitium amoris erga se ipsum, in quo tanta ratio bonitatis relucet, vt rapiat voluntatem ad se propter suam eminentiã ab intellectu amantis cognitam, & cuius amoris cessatio apprehenditur esse aliquod malũ,
II. vel saltem defectus; hinc enim beati videntes Deum clarè necessitantur ad illum amandum: at Angelus nihil tale potest apprehendere in sua propria substantia, cùm sit quædam pura creatura: ergo potest cessare ab actuali amore sui ipsius.

Nec obstat, quòd suprà dixerimus Angelũ necessariò se ipsum intelligere, nam primò vita Angeli consistit in actuali intellectione & non in actuali volitione; deinde hæc cognitio Angeli de se ipso, est tantùm *speculatiua*, vt rectè animaduertit Ferrariensis suprà, ideóque non inducit necessariò dilectionem, & amorem obiecti cogniti.

Tertia propositio. *Vnus Angelus naturali dilectione diligit alium.* Ita S. Thom. hîc art. 4.

Probatur: vnumquodque amat naturaliter sibi simile, amor enim fundatur in similitudine
III. ne & conuenientia: ergo cùm vnus Angelus conueniat cum alio, in gradu intellectuali, diliget alium, & licet vnus Angelus possit habere odio alium, propter aliquas causas, non tamẽ quatenus secum conuenit, ita vt gradus ille intellectualis sit ei ratio motiua talis odij: sic enim se ipsum etiam odisset; licet participatio talis & talis gradus possit dæmonem in actum aliquem inuidiæ excitare; potest tamen Angelus vnum præ alio diligere pro maiori familiaritate, quam habet cum illo, vt etiam contingit in nobis.

Vltima propositio. *Angelus, iuxta primariam suæ naturæ inclinationem plus amat Deum, quàm se ipsum.* Ita S. Thom. hîc art. quinto.

Probatur: vnumquodque ens creatum, iuxta primæuam suam inclinationem consideratum, plus amat bonum totius, & vniuersi,
IV. quàm se ipsum, vt partem eiusmodi totius, quemadmodum patet in omnibus rebus, quę promouent sibi interitum, vt defendant totum, verbi gratiâ, ne detur vacuum; item quando manus sese naturaliter obiicit ad defensionem capitis: atqui Deus comparatus ad Angelum est bonum vniuersale, cùm sit fons totius entitatis, sine quo nihil est factum, Angelus verò est tantùm bonum quoddam priuatum, vt per se patet: ergo Angelus naturali dilectione plus amat Deũ, quàm se ipsum.

Vnde quod ait Aristoteles *amicabilia ad alterum esse ex amicabilibus ad se ipsum*, id est, in tantum aliquid amari, in quantum confert ad amorem ipsius diligentis, intelligitur solummodo de bonis particularibus, quæ quo magis sunt propria nobis, eo etiam à nobis plus dili-

A guntur, non autem intelligitur de bono vniuersali, cuiusmodi est Deus. V.

Addidi in propositione hanc particulam, *secundum primæuam suæ naturæ inclinationem*, quia dæmones ex sua voluntate per peccatum peruersa, prosequuntur odio Deum, iuxta illud Psalmistæ, *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper:* quanquam potest dici dæmones non habere odio Deum in se, & secundũ se consideratum, quia nulla potest eis apparere ratio in Deo, ob quam illum oderint, sed habere Deum odio ratione alicuius effectus, scilicet quòd illos puniat.

AD QVÆSTIONEM LXI.

B NOTA quæstio sexagesima prima, in qua disputatur de productione Angelorum, est à nobis explicata superiùs, vbi ad quæst. 50. egimus de creatione Angelorum. VI.

AD QVÆSTIONEM LXII.

DISPVTATIO VNICA.

De perfectione Angelorum in esse gratiæ & gloriæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

C *Vtrum Angeli fuerint creati in beatitudine.* VII.

DVPLEX distinguitur beatitudo intellectualis creaturæ, vna *naturalis*, quæ consistit in perfectione substantiæ, & in perfecta operatione facultatum eius intra ordinem naturæ, vt verbi gratiâ, naturalis beatitudo Angeli est, quòd eius substantia sit perfecta, intellectus eius habeat Dei & creaturarum notitiam naturalem abstractiuam, perfectam, & actus voluntatis illis correspondentes; altera beatitudo est *supernaturalis*, consistens in clara visione diuinæ essentiæ, vt explicatum est ad quæst. 12. huius primæ partis.

Notandum secundò naturalem beatitudinẽ posse dupliciter considerari: primò *perfectè*,
D quatenus vltra perfectionem substantiæ intellectualis, & perfectam operationem facultatum eius in Deo cognoscendo abstractiuè, vt potest ex creaturis cognosci, & in amando illo vt sic cognito, quatenus potest tendi in illum tanquam finem naturalem, habet insuper annexam sibi perpetuitatem manendi in tali statu, & rectitudinem voluntatis, cuius beneficio nunquam deficiet à fruitione talis boni. Deinde potest naturalis beatitudo considerari *imperfectè*, quatenus scilicet excludit prædictam perpetuitatem & rectitudinem. His prænotatis, VIII.

Sit hæc nostra propositio. *Omnes Angeli sunt creati in beatitudine naturali posteriori tantùm modo considerata, & non in beatitudine naturali priori modo spectata, nec etiam in superna-*

I. *turali*. Tota propositio est S. Thom. hîc, tres sunt eius partes.

Prima probatur: primò eo quòd Ezech. 28. dæmon dicitur fuisse *in deliciis paradisi Dei*, saltem in sensu spiritali secundùm Patres ibi, quatenus fuit in tali perfectione creatus, vt posset exercere perfectissimè suas operationes, & ex illis ingens aliquod gaudium resultare in eius voluntate.

Deinde probatur ex dictis: beatitudo Angelorum sic considerata consistit in ea cognitione, quâ ex creaturis Deum cognoscunt, & in eum, vt finem naturalem tendunt per amorem, ex primo & secundo notabili: atqui vt patet ex dictis de cognitione & amore Angelorum, Angeli statim atque fuerunt creati, exercuerunt eiusmodi actiones.

Probatur item secunda pars: omnes Angeli
II. pari modo fuerunt à Deo creati; at dæmones non fuerunt creati in beatitudine naturali, quatenus est perfecta, quia sunt creati cum periculo incidendi in mortalem culpam, & ex consequenti cum periculo incidendi in pœnam, & miseriam, quæ talem culpam sequuntur, vt patet ex eo, quòd omnes & singuli sint creati cum libertate ad peccandum, & aliqui de facto peccauerunt, qui sunt damnati in æternum, vt ipsa fides docet.

Tertia denique pars probatur tum ex eo, quòd tunc non viderunt clarè & intuitiuè diuinam essentiam, cùm tunc constituerentur viatores, & Deus à nullo puro viatore sic videatur de potentia ordinaria, vt docuimus ad quæst. 12. huius primæ partis: tum ex eo, quòd *impeccabilitas, stabilitas, securitas, & expletio totius appetitus rationalis* reperiantur
III. in beatitudine supernaturali, vt omnes Theologi docêt primâ secundæ agendo de illa: atqui Angeli per suam creationem sunt in eo statu positi, in quo possent peccare, cùm aliqui eorum de facto peccauerunt: ergo non habuerunt perpetuitatem, stabilitatem, & securitatem requisitas in beatitudine supernaturali.

Nec obstat, quòd S. August. lib. 11. *de ciuitate Dei*, cap. 9. dicat Angelos in principio suæ creationis fuisse participes lucis æternæ, numquam fuisse peregrinatos, eos adhuc perseuerare in beatitudine, in qua sunt creati, cùm enim gratia sanctificans sit quædam participatio vitæ æternæ, quia est eius inchoatio, & Angeli sunt creati in gratia sanctificante, vt sequenti articulo dicetur, possunt consequenter dici fuisse in principio creationis suæ participes lucis æternæ, & quia boni Angeli
IV. nunquam peccauerunt, illi possunt etiam dici eo sensu numquam fuisse peregrini, quo intellectualis creatura propter peccatum mortale dicitur exulare à Deo.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angeli fuerint creati in gratia sanctificante.

QVOD spectat ad necessitatem gratiæ, eadem est ratio Angelorum, ac hominũ, vnde sicut, Theologi 1.2. docent gratiam esse hominibus necessariâ ad actus supernaturales exercendos, & ad finem supernaturalem obtinendum, ita etiâ & Angelis; restat igitur difficultas an Angeli fuerũt de facto creati in gratia sanctificante, pro cuius explicatione

Sit hæc propositio. *Omnes Angeli tam boni,*

A *quàm mali fuerunt de facto creati in gratia sanctificante*. Ita S. Thom. hîc art. 3. V.

Probatur primùm ex eo, quòd Christus Dominus Ioan. 6. dicat diabolum *non stetisse in veritate*, vbi nomine *veritatis*, iuxta S. Chrysost. & Euthymium intelligitur *sanctitas*, quæ consistit in gratia habituali: deinde ex eo, quòd S. Iudas in sua canonica dicat, quosdam Angelos *non seruasse suum principatũ*; at ille *principatus* non potest intelligi de principatu naturæ, cùm naturalia manserint integra in dæmonibus: ergo debet intelligi de principatu gratiæ sanctificantis.

Tertiò ex Conc. I. Brach. can. 7. vbi diabolus dicitur priùs fuisse factus à Deo bonus, item ex S. August. lib. 12. *de ciuitate Dei* cap. 9. S. Basil. in Psal. 32. S. Hier. ad cap. 3. Oseæ.

Tandem Angeli non fuerunt creati à Deo
B in minori perfectione, quàm primi nostri parentes, cùm essent illis nobiliores; at primi nostri parentes fuerunt creati in gratia sanctificante, iuxta illud Eccles. 7. *Deus fecit hominem rectum*: nam *rectitudo* accipitur pro *sanctitate* passim in Scripturis sacris, vt lib. 3. Reg. cap. 15. VI.

Nec his obstat, quòd Ioan. Papa 16. causa quæst. 2. cap. *visis*, loquens de diabolo ita dicat, *erubescit charitatem, quam nequiuit in cælo habere*, S. item Aug. lib. 11. *de Genesi ad litteram* cap. 23. dicat, Angelum numquam fuisse beatum, neque Angelicæ vitæ dulcedinem gustasse, quam inquit nolendo accipere deseruit, & S. Greg. lib. 32. Moralium cap. 18. dicat Angelos initio suæ creationis habuisse foramina, id est naturam capacem gratiæ; illa tamen non fuisse repleta, eo quòd caruerint charitate.

C Hæc inquam non obstant: non primum, quia aliqui legunt in tempore præsenti, *nequit*, ita vt summus Pontifex loquatur de dæmone; postquam incidit in peccatũ, à quo non potest ampliùs resurgere, vel retinêdo lectionem in præterito, Papa loquitur ibi de retinêda charitate in cælo, quam certum est dæmonê non posse habere, cùm ceciderit à gratia. VII.

Secundum item non obstat, quia S. Aug. ibi potest intelligi de beatitudine supernaturali, quam vocat *vitam Angelicam*, comparando illam ad eam vitam, quam ducimus in terris.

Non denique vltimum; quia S. Gregor. ibi nomine *gratiæ* intelligit gratiam consummatam per gloriam, cuius gloriæ dæmones erant capaces, cùm essent creati in gratia sanctificante, quia tamen eam de facto non sunt consequuti, dicuntur *non fuisse repleti*, seu *eorum*
D *foramina non fuisse repleta*. VIII.

ARTICVLVS III.

Vtrum sese disposuerint ad gratiam sanctificantem.

QVIA ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 8. supernaturales actus fidei, spei, & amoris sunt dispositiones ipsis creaturis intellectualibus vsum intellectus & voluntatis expeditum habentibus, ad recipiendam gratiâ habitualem, ideò sensus præsêtis difficultatis est, an Angeli primo illo instanti, quo sunt creati exercuerint prædictos actus per liberum suum arbitrium, ex præueniêti gratia Dei, sicque sese disposuerint ad recipiendam gratiam sanctificantem.

Nostra propositio. *Angeli sese ad recipiendam gratiam sanctificantem disposuerunt, ita vt eodem*

I. *temporis instanti, seruato tamen aliquo ordine naturæ fuerint creati, acceperint gratiã præuenientem per illustrationem intellectus, & pium motum sibi in voluntate iniectum à Deo, sic excitati exercuerint prædictos actus supernaturales, & tandem gratiam sanctificantem receperint.* Ita S. Thom. seq. qu. 63. art. 5. in solutione ad 4. vbi ait Angelos meruisse in primo instanti suæ creationis, quos tamen ibidem, & hîc art. 3. ait accepisse gratiam habitualem in primo instanti suę creationis; vnde tacitè retractat contrarium, quod alibi, vt in quæstionibus disputatis *de malo* qu. 16 art. 4. in responsione ad 14. & 15. docuerat: hanc nostram eandem sequuntur sententiam plures ex eius interpretibus.

Probatur primùm ex S. August. lib. 12. *de ciuitate Dei* cap. 9. dicente Angelos fuisse creatos in dilectione Dei, & simul atque facti sunt ei per amorem adhæsisse.

II. Probatur deinde ratione: Deus ita sese habet in iustificatione creaturæ intellectualis, vt quando illa potest sese disponere ad gratiã per actus liberos, tũc non infundat illi gratiã, nisi præuiâ prædictâ dispositione, vt patet in iustificatione adultorum, item in prima infusionę gratiæ facta primo parenti, ad quam primus parens sese disposuit, vt docet S. Thom. infrà qu. 95. art. 1. in solutione ad 5. & hoc est valdè congruum, quia omnis amicitia, sicut & matrimonium debet contrahi ex consensu contrahentiũ: atqui omnes & singuli Angeli in primo instanti suæ creationis habuerunt liberum arbitrium expeditũ ad prædictos actus supernaturales exercẽdos; eorum enim intellectus nullo detinebatur impedimento, quominus esset promptus ad recipiendã reuelationẽ Dei

III. de mysterio Trinitatis, Incarnationis, & aliis id genus; nec item eorum voluntas retardabatur ad recipiendũ piam motionẽ, eique assentiendum; cùm ex parte substantiæ Angelicæ nullũ impedimentum possit afferri, sunt enim omnes Angeli ex natura sua independentes à quouis corpore & sensu, tam in operãdo, quàm in existendo: nõ item potest afferri impedimentũ ex parte eiusmodi actuum, cùm sola subordinatio cum aliquo ordine naturæ in illis sufficiat: nec item ex parte potentiarum, quia cùm illæ sint omninò spiritales, & in suis actibus vitalibus exercendis absolutæ ab omni motu propriè dicto, poterunt eos exercere in eodem instanti temporis, seruando tamen ordinem naturæ inter illos, cùm in vno instanti temporis plura possint distingui instantia naturæ.

IV. Neque inde sequitur omnes Angelos tunc sibi promeruisse vitam æternam, aut saltẽ esse verisimile, non omnes & singulos Angelos habuisse gratiam sanctificantẽ in primo instanti suæ creationis, cùm sit valde probabile ex tanta multitudine Angelorum, quibus habitualis gratia proponebatur obtinẽda per suos actus liberos, aliquos defecisse, quod tamen est contra omnem sententiam.

Hæc inquam non sequuntur: non primum, quia ad meritum de condigno; quale est illud, quo aliquis acquirit sibi ius ad gloriã æternã, requiritur, vt opus meritorium sit ab habente gratiam sanctificantem, vt docent Theologi 1. 2. at actus illi supernaturales, quos tunc Angeli exercuerunt, non fuerunt effectiuè à gratia habituali, imò nec à supposito habẽte gratiam habitualem, sed tantùm ex aliquo speciali auxilio Dei, vt loco citato docẽt Scholastici; vnde sunt tantùm meritorij de congruo. V.

Non item sequitur secundum, quia licet fateamur tunc Angelos potuisse peccare, nemo tamẽ illorum tunc peccauit: nam considerato modo agendi creaturæ intellectualis, fuit illis difficillimum tunc peccare, cùm nullum paterentur defectum in intellectu, nec aliquã haberent, siue externam, siue internam tentationem, & insuper vocantem gratiam haberent sibi congruentissimo modo applicatam.

Atque ex his intelligitur, quo sensu Angeli dicantur fuisse consequuti gratiam, & gloriã, iuxta quantitatem suorum naturalium, vt ex Patribus tradunt Scholastici lib. 2. sententiarum cùm S. Thom. hâc qu. art. 6. & eius interpretibus: non quòd scilicet naturalis perfectio vniuscuiusque Angeli fuerit ei dispositio postulans talem modum, & terminum gratiæ, eo VI. modo, quo dispositiones ad aliquam formam naturalem eam postulant, hoc enim tanquam Pelagianũ condemnatur à pluribus Conciliis; sed quòd Deus ex mera sua libertate, voluerit Angelo, quoad naturalia sua perfectiori dare maius auxilium supernaturale, vt sese conuersione supernaturali conuerteret in Deum, cui supernaturali cõuersioni, quia gratia habitualis respondet, quemadmodum docent Scholastici 1. 2. ideò consequenter Angeli dicuntur consequuti gratiam habitualem & gloriam, iuxta proportionem suorum naturalium, sensu tantùm nunc explicato.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Angeli meruerunt beatitudinem priùs duratione quàm essent beati.

CERTVM est apud omnes Scholasticos lib. 2. sent. dist. 5. & hâc qu. art. 4. quod etiã tradunt S. Aug. lib. *de correptione & gratia* cap. 11. S. Ansel. lib. *de casu diaboli* cap. 5. 6. Angelos, qui nunc fruuntur æternâ beatitudine, illam sibi promeruisse, cùm hac in parte nõ sint deterioris conditionis, quàm homines, & puro viatori habenti omnia ad illam promerendam necessaria, sit nobilius illam consequi suis meritis, quàm eam obtinere absque vllis meritis, & deceat vnumquodque pertingere suũ finem per operationes sibi, & ipsi suo fini proportionatas, cuiusmodi sunt respectu naturæ Angelicæ, & æternæ gloriæ, actus supernaturales exerciti per liberum arbitrium. VII.

Nec his obstat S. Hilar. can. 5. *in Matth.* dum ait lilia non laborãtia in Euãgelio esse beatos Angelos, quibus sine proprio suo labore candor æternæ gloriæ est indultus à Deo; nam S. VIII. Hilar. ibi vult tantùm ponere discrimen inter beatos Angelos, & beatos homines, quòd scilicet tempus meriti Angelorũ fuerit breuissimum, ita vt cõparatione factâ ad tempus, quo homines sibi promerentur vitam æternam, quod est longissimũ, vitã æterna videatur esse data Angelis omninò gratis & absque labore.

Difficultas ergo solùm est, quandonam Angeli promeruerint vitam æternam; an priùs duratione, quàm illã fruerentur; scilicet per opera quæ illius adeptionem præcederent duratione; an verò per opera, quę simul duratione erant cum ipsa beatitudine, licet eam ordine naturæ præcederent, sicut diximus Angelos sese disposuisse ad gratiam sanctificantem, quam tamẽ primo instanti suæ creationis sunt

I. consequuti, vel saltè an boni Angeli sibi promeruerint gloriam per opera eorũ glorificationẽ subsequentia: pro cuius explicatione sit

Nostra propositio. *Boni Angeli nec per opera bona suam glorificationem subsequentia, nec per bona opera illam concomitantia, sed per bona opera ex gratia sanctificante facta, quæ aliquã duratione eorum glorificationem præcesserunt, promeruerunt sibi beatitudinem supernaturalem.* Ita S. Thom. hîc art. 4. & 5. vbi retractauit contrarium, quod docuerat lib. 2. sentent. dist. 5. art. 2. quæst. 2.

Probatur primùm quoad duas primas partes ex eo, quòd iuxta legem communem, quâ Deus omnia disposuit, meritũ exigatur priùs duratione, quàm præmium vitæ æternæ conferatur, passim in sacris Litteris 2. *ad Timoth.* 2. *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 1.
II. *ad Corint.* 3. *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*: quæ testimonia tam benè possunt intelligi de Angelis, ac de hominibus, præsertim cùm in Apocalypsi dicatur eadem esse mensura Angelorum ac hominum.

Probatur secundò: non omnes actus, quibus Angeli promeruerunt vitam æternam, sunt compossibiles cum ipsa beatitudine, & fruitione diuinæ essentiæ in eadem duratione secundùm ordinariam potentiam Dei: ergo boni Angeli non potuerunt sibi promereri vitam æternam per opera meritoria, quæ vel concomitarentur vel subsequerentur glorificationẽ illorum. Consequentia patet, antecedens probatur: actus quibus Angeli sibi promeruerũt gloriam æternam, sunt actus supernaturales fidei, spei, & amoris, vt suprà notauimus; at-
III. qui actus fidei & spei iuxta legem ordinariam Dei non sunt compossibiles cum ipsa vita ęterna, in eadem duratione, vt docent communiter Theologi 2. 2. ex Apostolo 1. *ad Corint.* 13. cap. igitur boni Angeli non sibi promeruerũt gloriam æternam per merita concomitantia, vel etiam eorum glorificationem consequentia. Adde quòd beatitudo est vltimus terminus, & meritum est via ad terminum.

Probatur tandem iis omnibus, quibus Theologi 1. 2. agentes de merito, probant ex ordinatione Dei contẽtã in sacris Scripturis, Conciliis & Patribus, vnam ex conditionibus requisitis ad meritũ esse, quòd, qui mereretur, sit in via, & nondum in termino; vnde Theologi tertiã parte docent in Christo Domino conditionem viatoris fuisse in illo requisitam ad rationem meriti.

IV. Tandem bonus Angelus tunc tantùm sibi promeruit beatitudinem, quando potuit peccare, & sic amittere ius ad gloriam, quia eadem est ratio meriti & demeriti, quoad durationem: sed boni Angeli non potuerunt peccare, quando erant iam beati, quia perfecta beatitudo, qualis est in beatis Angelis, includit perpetuitatem, & tantam rectitudinem voluntatis, vt sit inamissibilis, cùm sit æterna à parte post, vt patet ex sacris Litteris.

Vltima deniq; pars probatur ex dictis: boni Angeli promeruerunt sibi gloriã æternam, sed ex nunc dictis illam sibi non promeruerũt per opera, vel concomitantia, vel consequentia gloriam æternam: ergo restat, vt illam promeruerint per merita gloriam antecedentia.

Ex his constat, quòd licet cognitio, & dile-
A ctio naturales remaneant in beatis Angelis, V.
quia gloria non destruit naturam, sed illam perficit, & cognitio naturalis & supernaturalis se facilè compatiuntur, cùm sint circa diuersa formaliter obiecta, & per diuersa media, & distincta lumina, vt intelligitur ex dictis ad quæst. 12. huius 1. part. & ex S. Thom. hîc art. 7. non propterea tamen Angelos in æterna beatitudine constitutos posse vel peccare, vel proficere in sua essentiali beatitudine, quæ consistit in clara visione & fruitione diuinæ essentiæ, licet quoad accidentalem gloriam possint aliquo modo proficere.

Prima pars huius corollarij patet ex nunc dictis de rectitudine voluntatis beatorum, quæ est intrinseca eorum statui, cui peccatum repugnat: item ex perpetuitate beatitudinis, quæ, si beati Angeli possent peccare, posset
B etiam amitti; tum denique ex eo, quòd illis VI.
Deum clarè videntibus, ne minima quidem apparet ratio conuenientiæ relinquendi & consectandi bonum aliquod creatum eius bonitati aliquo modo repugnans, cùm penetrent hæc omnia secundùm omnes suas conditiones.

Secunda item pars corollarij, quæ est S. Thom. hîc art. 9. patet iis omnibus Scripturę & Patrum testimoniis, quibus Theologi 2. 2. docent totum spatium promerendi esse determinatum solummodo ad totam durationem viæ, 2. *ad Corinth.* 5. *ad Galat.* 6. & cùm animę hominum beatorum dicantur in sacris Litteris esse similes Angelis in beatitudine, non est potior ratio, cur hæc & similia testimonia excludant meritum ab animabus beatis, quàm ab Angelis, & proinde cùm doceant homines
C iam beatos non ampliùs proficere quoad bea- VII.
titudinem essentialem, nec etiam beati Angeli proficiunt quoad illam, vnde quod ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 6. *nescitis, quòd Angelos iudicabimus*, non intelligitur de bonis Angelis, quasi sint iudicandi ob mala opera, quæ tempore suæ beatitudinis exercuerunt, sed intelligitur de malis Angelis, vt etiam explicat Tertullianus lib. *de pœnitentia* cap. 7.

Vltima denique pars huius corollarij probatur ex eo, quòd hæc accidentalis gloria consistit in quodam spirituali gaudio, & aliis eiusmodi, quæ sunt extra visionem beatificã, & fruitionem diuinæ essentiæ: nam Luc. 15. Christus D. ait *gaudium esse in cælo Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente*; & Apocal. 7. Angeli lætantur de mysterio Incarnationis. Et quanquam Angeli, & alij beati accipiant istud
D augmentum accidentalis beatitudinis longè VIII.
post adeptam vitam æternam, illud tamen ita accipiunt, vt illis non detur vi & efficaciã bonorum operum, quæ exercent in beata vita, sed cùm hæc accidentalis gloria sit potiùs aliquis fructus emergẽs, seu resultãs ex ipsa beatitudine, quàm effectus alicuius operis meritorij, cùm eo ipso, quo beati vident Deum clarè, illúmque prosequuntur amore beatifico, moueantur ad opera charitatis exhibenda nobis, & ad lætandum de nostra conuersione, fit, vt eo ipso, quo existentes in via promeruerunt sibi de condigno æternam gloriam ex efficacia eiusmodi meritorum in via factorum, consequenter accidentalem eiusmodi gloriam conuenienti tempore & modo accipiant.

I.

AD QVÆSTIONEM LXIII.

DISPVTATIO VNICA.

De malitia Angelorum quoad culpam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum malum culpæ seu peccatum possit esse in Angelis.

ANGELOS peccare potuisse satis patet ex eo, quòd ipsa fides tradit illos de facto peccasse, Iob cap. 4. *& in Angelis suis reperit prauitatem*, Matth. 25. *ite*
II. *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

An autem absolutâ Dei potentiâ pura aliqua creatura siue tantummodo intellectualis, siue etiam rationalis possit dari, quæ ex intrinsecis suæ naturæ principiis sit impeccabilis, siue circa legem purè naturalem, siue circa legem gratiæ, disputare propriè spectat ad primam secundæ, vbi agitur de peccatis, eorum causis & subiecto, sola ergo restat secunda pars difficultatis propositæ: pro cuius explicatione

Notandum est duobus modis posse intelligi peccatum esse in aliquo, imprimis *causaliter*, quatenus est causa, cur alius committat peccatum, scilicet suadendo, excitando, impellendo ad peccatum, quòd S. Thom. hîc
III. vocat *habere peccatum secundùm reatum*, quia non tantùm is, qui committit actum peccati, verbi gratiâ, furti aut homicidij, sed qui etiam suadet, & ad illum perpetrandum excitat, est reus peccati, vt docent Theologi secundâ secundæ: deinde peccatum potest esse in aliquo, quatenus ille suo proprio actu illud consummat, & perficit, vt dum quis alium interficit, vel rem eius suffuratur, quod aliàs dicunt peccare *formaliter*, peccare *secundùm effectum*, peccare *quoad culpam*.

Secundò notandum, duplex distingui à Theologis peccatum, *mortale* vnum, & alterum *veniale*: quod spectat ad *veniale*, an propriè possit habere locum in Angelo, etiam informato gratiâ sanctificante, ante tamen adeptionem gloriæ æternæ disputatur ex professo à S. Thom. & eius interpretibus
IV. primâ secundæ quæst. 89. articulo quarto. His prænotatis, sit.

Prima propositio. *Angelus potest omne & quodcumque peccatum priori modo consideratum committere.* Ita S. Thom. hîc art. secundo.

Probatur: dæmon potest suadere homini quodcumque peccatum, & sic esse causa omnis, & cuiuscumque peccati, vt S. Thom. docet ex professo primâ secundæ quæst. 75. articulo tertio, & patet ex illo Apostoli *ad Ephes. 6. non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates; aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in celestibus:* licet enim caro & mundus nos etiam alliciant ad peccatum, quia tamen diabolus vtitur his omnibus, tanquam instrumentis ad tentan-
A dum homines, fit vt rectè dicatur esse *causa* V.
omnium peccatorum, & sic prædictum locum Apostoli S. August. explicat serm. 8. *de verbis Domini*; ad quem locum Apostoli S. Hieron. docet quosdam dæmones esse præpositos singulis specialibus vitiis, vnde appellantur *spiritus carnis*, *spiritus inuidiæ*, *spiritus fornicationis*, & sic de reliquis, quia excitant ad eiusmodi peccata.

Secunda propositio. *Omnia & sola peccata spiritalia possunt posteriori modo esse in Angelis:* ita S. Thom. hîc articulo secundo.

Probatur: ea omnia peccata possunt tantùm formaliter reperiri in Angelo, ad quæ creatura purè spiritalis potest sese afficere, & quibus potest affici: atqui substantia creata purè spiritalis potest tantùm affici peccatis spiritalibus, cùm hæc solùm suæ naturæ possint ap-
B prehendi, vt conuenientia, cuiusmodi sunt VI.
superbia, inuidia, infidelitas, odium, inobedientia, & id genus cætera, vt patet ex sacris Litteris, in quibus virtutes oppositæ tribuuntur aliquando bonis Angelis, & eiusmodi vitia dæmonibus; vnde quando ea, quæ propriè consequuntur appetitum sensitiuum tribuuntur Angelis, id fit tantummodo secundùm aliquam metaphoram; nam peccata carnis, cùm sint actus quidam sensibiles vitæ sensitiuæ, quæ nullum locum habet in Angelis, non possunt loquendo propriè & formaliter esse in Angelis.

Nec iis obstat, quòd S. Thom. hîc enumeret tantùm *peccata inuidiæ, & superbiæ*, nec item, quòd dæmones maximè delectentur peccatis carnis, vt plures Patrum obseruant.

Hæc inquam non obstant: non primum,
C quia mens S. Th. non est negare alia superiùs VII.
enumerata peccata non posse esse formaliter in Angelis, sed quia alia peccata spiritalia, vel ab istis duobus deriuantur, vel aliquam cum illis habent connexionem, & magnam affinitatem, propterea hæc duo enumerauit, vt seipsum explicat in responsione ad tertium.

Nec item obstat secundum, nam hoc tantùm sensu dæmones maximè peccatis istis delectantur, quòd homines illis implicati difficiliùs resurgant à peccato, cùm hæc sint tenacissima, vnde talis delectatio est potiùs de damnatione hominum per eiusmodi peccata, quàm de peccato carnis, vt etiam notauit S. Thom. primâ secundæ quæst. 73. art. 5. in solutione ad secundum.

ARTICVLVS II. VIII.

D
Quodnam fuerit primũ peccatum Angelorum.

PRIMA propositio. *Primum peccatum primi Angeli fuit superbia.* Ita S. Thom. hîc, & omnes ferè Scholastici hîc, & secundo sententiarum dist. 6.

Probatur primùm ex illo Isaiæ 14. *quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, & Ezechiel. 29. quæ duo testimonia explicantur à Patribus de lapsu primi Angeli, à nonnullis secundùm sensum literalem, ab aliis iuxta spiritalem, sed quouis modo explicentur, semper ostendunt primũ peccatum primi Angeli fuisse *superbiam*. Item Tobiæ quarto Pater exhortans Filium ad su-

I. giendam superbiam ita ait, *in ipsa initium sumpsit omnis perditio:* ergo cùm perditio dæmonum præcesserit perditionem hominum, ipsa superbia videtur fuisse primum peccatum primi Angeli.

Probatur item ex Patribus, vt S. Amb. ep. 87. S. Leone serm. 4. *de collectis*, & aliis pluribus, quos fusè refert Coccius lib. 4. ar. 5. in suo Thesauro Catholico, vnde non satis conuenienter Scotus 2. sent. dist. 6. quæst. 2. ait peccatum hoc primi Angeli fuisse *luxuriã seu fornicationem aliquam spiritalem*, quâ inordinatè delectabatur de propria sua excellentia: nam licet hæc propria Angeli excellentia fuerit illi occasio superbiendi, & nimia hæc delectatio in illa sit peccatum; quia tamen omnis nimia delectatio reducitur ad illud, ex quo sequitur, & hæc delectatio sequitur ex obiecto super-
II. biæ Angeli, qui motus suâ excellentiâ sese nimiùm extollebat, ideò semper primum peccatum Angeli rectè dicitur & censetur fuisse superbia.

Quod verò primus omnium Angelorum absolutè loquendo peccauerit, tradunt Patres S. Hieron. in illud Iob, *ipse est initium viarum Dei*. S. Aug. lib. 11. *de Genesi ad litteram*, cap. 19. S. Chrysost. homil. 5. & 7. *ad populum*, & plures alij, quos S. Thom. sequitur hâc quæst. art. 7. & videtur colligi ex illo Matth. 15. *qui paratus est diabolo & angelis eius*, & ex citatis locis Isaiæ & Ezech. ibi enim denotatur quædam veluti dependentia, & inferioritas in iis, qui nominantur Angeli, ab eo, qui ibi appellatur diabolus.

Cui non obstat, quòd Angelus, qui primus peccauit, vocetur *Cherubin* Ezechiel. 28. cap.
III. supra cuius ordinem est ordo Seraphinorum, vt anteà docuimus, id enim fit, vt S. Thom. notat hâc quæst. art. 7. quia Cherubin significat scientiam, quâ inflatus primus Angelus peccauit, quæque in eo remansit, Seraphin verò significat ardorem charitatis, quæ in eo remansit, vnde non amplius ab ipso Propheta nominatur *Seraphin*, sed tantùm *Cherubin*.

Secunda propositio. *Primum peccatum aliorum Angelorum, qui ceciderunt, fuit etiam superbia.* Ita communiter omnes.

Probatur primùm ex illa resistentia, quâ S. Michael & Angeli eius restiterunt primo Angelo peccanti, & aliis eius sociis, *quis vt Deus?* item ex eo, quòd primus Angelus Isaiæ 14. dicatur *vulnerasse alios*, & in Apocalypsi secundùm explicationem aliquorum, *traxisse secum tertiam partem stellarum*, id est attraxisse in
IV. consensum sui peccati magnam aliquã partem Angelorum; item ex eo, quòd Patres, dum dicunt superbiam fuisse primum peccatum, interdũ loquantur non tantùm de primo Angelo, sed de omnibus Angelis peccantibus: tum etiam ex eo, quòd S. Amb. epist. 84. dicat diabolum in consensum suæ impietatis traxisse Angelos, hoc autem modo ei consenserunt, scil. vt sese substrahentes à dominio Dei, quoad affectum singuli, suum etiam principatum stabilirent, eo ferè modo, quo in aliqua seditione, qui adhærent primo auctori illius, non adhærent ei, vt sese illi subiiciant, sed ne subsint suo principi legitimo, & vt priuata commoda consectentur: & licet hæc secunda propositio sit certa, non tamen æquè ac prima, cùm sacræ Scripturæ expressiùs loquantur de

A peccato primi Angeli, quàm de peccato aliorum Angelorum. V.

Cæterum, quia peccatum superbiæ habet vt, tanquam à causa per accidens & occasionaliter, oriatur à virtutibus, vt S. Thom. notat 2. 2. quæst. 162. art. 2. ad 3. & primus Angelus erat omnium perfectissimus, & reliqui peccantes etiam suo ordine perfecti, ideò tam perfectæ, & excellenti creaturæ, motiuum excellentius ad peccandum non poterat occurrere, quàm propria illorum excellentia, & pulchritudo, quanquam absolutè loquendo non repugnabat aliquod aliud peccatum esse primum in Angelis, verbi gratiâ, peccatũ inobedientiæ, volendo, verbi gratiâ, opus aliquod bonum quidem, sed non pro tali instanti præceptum, quo potuissent à Deo obligari exercere aliud, sícque peccassent omissione.

B Tertia propositio. *Angeli, qui peccauerunt, præter peccatum superbiæ, commiserunt etiam peccatum inuidiæ.* Ita communiter Scholastici hîc, & citato loco 2. sententiarum. VI.

Probatur ex Patribus, S. Cypriano oratione *de zelo*, S. Basil. homil. *de inuidia*, S. Aug. lib. 14. *de ciuitate Dei* cap. 11. & pluribus aliis, ideóq; idem S. Aug. lib. 6. *contra Iulianum* cap. 1. specialiter vocat inuidiã, *vitium diabolicum.*

Probatur item ex eo, quòd peccatum superbiæ habeat peccatum inuidiæ sibi annexũ, vbi enim aliquis nimiùm amat suam excellentiam, facilè inuidet aliis, vt verbi gratiâ, suo superiori, quòd ei non coæquetur, suis inferioribus, timendo ne sibi coæquentur: ergo cùm omnes Angeli peccantes peccauerint peccato superbiæ, videntur peccasse peccato inuidiæ.

C Quarta propositio. *Ex singulis ordinibus Angelorum aliqui videntur cecidisse.* VII.

Probatur ex eo, quòd sacræ Scripturæ tribuant dæmonibus nomina diuersorum ordinum Angelicorum, vt *ad Rom.* 8. nomina *Angelorum, principatuum, virtutum.*

Nec obstat, quòd sacra Scriptura nunquã expresso nomine aliquem ex malis Angelis vocet *Seraphin* vel *Thronum*; id enim facit, vt notat S. Thom. hâc quæst. art. 4. in solutione ad 3. quia hæc nomina in sua significatione important aliquam iustitiæ significationem, quæ non remansit in dæmonibus, vt intelligitur ex iis, quæ ad quæst. 50. diximus de Hierarchiis & Ordinibus Angelorum; cætera verò nomina, vel à scientia, vel à potentia, vel à ministerio desumuntur, ideóque bonis, & malis Angelis possunt esse communia.

D Quota autem pars Angelorum ceciderit, non potest certò definiri, solummodò certum est magnam aliquam eorum multitudinẽ cecidisse; id enim sacræ Scripturæ superiùs relatæ significant, & Patres illas explicando; an verò maior, vel minor pars ceciderit, non ita constat, cùm sacræ Scripturæ id apertè non declarent, illúdque Apocalypsis duodecimi, quo draco dicitur traxisse *tertiam partem stellarum*, quódque à nonnullis explicatur de Angelis, qui in peccatum primi Angeli consenserunt, intelligitur ad litteram de hominibus, quos diabolus suâ tentatione induxit in peccatum. VIII.

Vltima propositio. *Licet primus Angelus suo peccato fuerit aliis Angelis causa peccandi, & sic aliquo modo prius ordine naturæ peccauerit,*

I. *non tamen prius duratione peccauit, sed omnes Angeli simul eodem instanti secundùm duratione͂ peccauerunt.* Duæ sunt partes propositionis.

Prior probatur: omnis causa est aliquo modo prior suo effectu; atqui primum peccatum primi Angeli fuit aliis inferioribus Angelis causa peccandi: ergo primum peccatum primi Angeli fuit aliquo modo prius peccato aliorum Angelorum, non aliquo instanti durationis, vt patebit ex sequenti parte huius propositionis: ergo prius natura.

Posterior pars item probatur, & primùm, quòd id potuerit fieri, quatenus primus Angelus eâ ipsâ duratione, quâ cõmittebat peccatum superbiæ, potuit simul illud manifestare aliis, alliciendo eos ad consensum; deinde quòd ita contigerit, probatur: si inferiores Angeli peccassent in alia sequenti duratione,
II. quàm primus Angelus peccauit, supremus ille Angelus fuisset priùs secundùm aliquam durationem damnatus, quàm alij inferiores, quia pœna est statim consequuta peccatum, sicque ex tali inflictione pœnæ sibi præsenti & cognita sese cohibuissent à præbendo consensu in peccatum supremi istius Angeli: atqui eadem duratione & simul & semel supremus Angelus inter peccantes, & ipsi inferiores peccantes sunt dam̃nati, quia dicuntur omnes simul detrusi in infernum: ergo inferiores Angeli peccantes, eadem duratione & eodem instanti peccauerunt, quo supremus Angelus peccauit.

ARTICVLVS III.

Quodnam fuerit motiuum seu obiectum peccati superbiæ Angelorum.

III. QVIA peccatum superbiæ potest multis modis committi, controuertitur ex quo motiuo fuerit commissum ab Angelis; qua de re variæ sunt Scholasticorum sententiæ, quas nostris propositionibus perstringemus.

Prima propositio. *Potuit quidem primus Angelus committere peccatum superbiæ sumptâ occasione ex mysterio Incarnationis sibi in via existe͂ti ad credendu͂ proposito, attame͂ non ita de facto primùm peccauit.* Duæ sunt partes propositionis, posterior est contra Catharinum opusculo *de gloria bonorum Angelorum,* & nonnullos alios.

Prior pars probatur: quidquid maximè excellens Angelus potest apprehendere, vt possibile, & suæ naturæ conueniens, potest illud appetere, quia in tantum aliquid mouet appetitum, in quantum apprehenditur aliquâ
IV. ratione sibi conueniens, & si Angelus appetat istud immoderatè, tunc peccat peccato superbiæ; atqui vnio intellectualis creaturæ cum Verbo diuino est aliquod bonum summè excellens, quo nihil potest dari melius, vt expressè notat S. Thom. hâc part. quæst. 25. art. 6. in solutione ad 4. & Angelus potuit illam apprehendere, vt possibilem fieri in sua natura, quia nos illud cognoscimus, suppositâ fide de tali mysterio, quam fidem Angeli etiã habuerunt in via, vt suprà docuimus, item Angelus potuit illam appetere, vt sibi conuenientem propter naturæ suæ excellentiam, imò vt aliquo modo debitam, scilicet, quatenus considerando hoc mysterium, non vt iam à Deo ex deliberata voluntate decretum, sed quatenus vtraque natura, Angeli scili-

A cet & hominis, est assumptibilis à Verbo, conferendo propriam suam naturam cum humana, potuit iudicare suam esse magis assumptibilem, ratione maioris excellentiæ, quam habet, & posteà istam vnionem immoderatè appetere: igitur primus Angelus potuit committere peccatum superbiæ, sumptâ occasione à mysterio Incarnationis, ad quod peccatum potuit etiam sequi peccatum inuidiæ. V.

Neque Angelus potuit ab hoc appetitu dimoueri ex eo, quòd propria eius subsistentia destruenda esset; nam potuit bonum propriæ subsistentiæ suæ parui facere comparatione ad vnione͂ cum Verbo diuino, ratione cuius propria eius substãtia nobiliori longè modo subsisteret, quàm per propriam suam hypostasim.

Secunda item pars propositionis probatur ex eo, quòd sacræ Scripturæ, & Patres dum
B loquuntur de primo peccato primi Angeli, significant illum appetiisse æqualitatem Dei: at æqualitas Christi Domini cum Deo Patre non conuenit naturę assumptę spectatæ secundùm se, sed tantùm supposito: igitur primus Angelus de facto non peccauit peccato superbiæ sumptâ occasione à mysterio Incarnationis. VI.

Nec obstat, quòd Patres interdum dicant diabolum inuidisse Christo Domino, & naturæ humanæ: id enim potest intelligi ab eo factum alio subsequenti peccato, vel etiam postquam fuit extra viam positus.

Secunda propositio. *Primus Angelus de facto non peccauit appetendo appetitu etiam inefficaci & simplici velleitate, æqualitatem cum Deo per essentiam, imò nec potuit sic peccare.* Prior pars est contra Maiorem 2. sententiarum dist. 6. quæst. 1. posterior contra Scotum ibidem, &
C nonnullos alios recentiores. VII

Prior pars probatur primò; quia modus loquendi sacræ Scripturæ describentis primu͂ peccatum primi Angeli est talis, vt significet illud fuisse commissum per voluntatem efficacem, & determinatam, vt patet ex illis verbis, *similis ero altissimo, in cælum conscendam:* deinde primum peccatum Angeli fuit grauissimum tam ex obiecto, quàm ex modo, quo voluntas tendebat in obiectum, vt locus Isaiæ relatus suprà, & etiam Patres de hoc peccato agentes satis significant: sed peccatum, quod committitur ex appetitu tantùm inefficaci, non est grauissimum, saltem quando est circa impossibilia, de quorum numero est hæc similitudo, vt etiam docet S. Thom. in quæst. disp. 16. *de malo* art. 15. in responsione ad 9. dum ait in eiusmodi voluntatibus non solere esse pec-
D catum aut meritum. VIII

Posterior item pars probatur: quando aliquid apprehenditur, vno & eodem conceptu etiam necessario, vt impossibile, & sibi disconueniens, tunc voluntas talis cognoscentis non potest etiam inefficaci appetitu illud sibi velle, & appetere: atqui quilibet Angelus vno & eodem conceptu cognoscit se esse creaturã, & etiã cognoscit Deum, vt suprà docuimus, & talis cognitio simul etiã importat cognitione͂ in Angelo, quòd sit illi impossibile, & simul disconueniens, vt sit Deus, quia eo ipso, quo cognoscit se esse intrinsecè creaturam, cognoscit absolutam independentiã sibi esse impossibile͂, & disconueniente͂, quia habet incompossibilitatem cum dependentia, quæ intrinsecè conuenit creaturæ: ergo non potest Angelus

I. peccare peccato superbiæ appetendo æqualitatem cum Deo secundùm essentiam.

Maior patet: quia appetitus nunquam fertur in disconueniens apprehensum & iudicatum disconueniens, & quando voluntas aliquando fertur in impossibile aliquâ etiam velleitate, tunc nullam in illo apprehendit rationem disconueniētiæ, sed duos format conceptus, vnum de aliqua conuenientia, non apprehendendo impossibilitatem illius obiecti, & tunc ratione istius conuenientiæ potest inefficaci appetitu ferri in illud, quo sensu verum est, quod habet Aristoteles libro tertio *Ethicorum* capite tertio, & experientia docet voluntatem imperfectam posse esse impossibilium: deinde intellectus format alterum conceptum de impossibilitate obiecti, & tunc, cùm in eo vt sic nulla appareat conue-
II. nientia in ordine ad cognoscentem, voluntas eius nullo appetitu fertur in illud.

Tertia propositio. *Primus Angelus de facto non peccauit ex illo inordinato appetitu beatitudinis supernaturalis, quo illam appetiit nullâ factâ mentione gratiæ & auxilij supernaturalis.*

Probatur primò, quia tale peccatum est potiùs *omissionis*, quàm *commissionis*, vt per se patet: at Scripturæ superiùs relatæ, & item Patres, dum agunt de hoc peccato, loquuntur de illo, vt de aliquo peccato *commissionis*, quemadmodum eorum verba sonant.

Deinde non eo ipso, quo quis appetit beatitudinem supernaturalem, tenetur etiam formaliter & expressè appetere media ad illam obtinendam necessaria, sed sufficit ea non excludere, nec appetere sibi non debita; atqui gratia & auxilium supernaturale sunt media
III. necessaria ad consequendam supernaturalem beatitudinem: ergo primus Angelus illam appetendo non tenebatur appetere gratiam & auxilia supernaturalia, formali & expresso appetitu, nec proinde in eo peccauit.

Nec iis obstat, quòd Patres, vt sanctus Augustinus libro vigesimo secundo *de ciuitate Dei* capite primo, sanctus Gregorius libro trigesimo quarto *Moralium* capite septimo, S. Anselmus libro *de casu diaboli* capite quarto, dicant Angelos fuisse desertores summi boni, quia per elationem putauerunt se sibi ad vitam sufficere; hoc enim potest rectè intelligi de illa superbia, quâ desiderarūt non subesse Deo, & imperare omnibus inferioribus, per quam superbiam infrà dicemus eos peccasse.

Quarta propositio. *Peccatum primi Angeli non fuit appetitus inordinatus suæ naturalis bea-*
IV. *titudinis.* Probatur: omnis appetitus est vel *desiderij* vel *complacentiæ*, sed primum peccatum primi Angeli in neutro isto appetitu inordinato circa naturalem beatitudinem fuit: igitur primum peccatum primi Angeli non fuit appetitus inordinatus suæ naturalis beatitudinis. Maior patet ex se.

Minor probatur primùm *de appetitu complacentiæ*; nam scripturæ & Patres explicant primum peccatum primi Angeli per appetitum *desiderij*, vt patet ex testimoniis superiùs relatis: deinde primus Angelus sic peccauit, vel quia appetitus iste *complacentiæ* erat de obiecto malo, vel quia habebat aliquam malam circumstantiam, verbi gratiâ, quòd esset nimius, vel quòd nō vlteriùs referretur ad beatitudinem supernaturalem: non primum, quia

A naturalis beatitudo secundùm se spectata est bonum aliquod excellens: non etiam secundum, quia appetitus ille vel fuisset nimius secundùm intensionem actus, vel secundùm æstimationem, quatenus Angelus pluris æstimabat talem beatitudinem, quàm oporteret secundùm rectam rationem: non primo modo, quia intensio actus per se, & ex se non reddit actum prauum, & quando amor est de obiecto bono, tunc intensio actus nunquam est per se prohibita, sed tunc tantùm, quando est occasio alicuius sequentis mali, quod nullum hîc potest assignari; nisi forte quis dicat primo Angelo præceptum fuisse impositum, vt suam naturalem beatitudinem ordinaret ad supernaturalem, idque non fecisse præ nimia intensione complacentiæ in sua naturali beatitudine: quod tamen refellitur, quia sic
B primum peccatū primi Angeli esset quædam omissio, quod tamen ostendimus esse falsum: deinde tale præceptum non potest ostendi. Denique nimius ille appetitus complacentiæ non fuit ex deordinata æstimatione naturalis beatitudinis: tunc enim tantùm aliquis sese nimium amat *appretiatiuè*, quando ex amore sui transgreditur aliquod præceptum: at nullum potest præceptum assignari, quod tunc primus Angelus sit transgressus. Quòd item non peccauerit appetitu *desiderij*, patet, quia talis appetitus est tantùm rei absentis, at fruebatur ex hypothesi, naturali suâ beatitudine.

Vltima propositio. *Ideò primus Angelus peccauit per superbiam, quia ex consideratione suæ perfectionis & pulchritudinis, appetiit tyrannidem, dominatum, & potestatem, quatenus noluit subesse Deo, vt sibi imperanti, & prætereà*
C *voluit omnia alia inferiora sibi subiacere.* Hæc propositio est satis cōmunis inter recētiores.

Probatur primùm ex sacris Scripturis, quæ à Patribus explicantur de primo peccato primi Angeli Ezech. 28. quando motiuum primi peccati primi Angeli exprimitur, dicitur *eleuatum est cor tuum in robore tuo: item in sapientia & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem*; item *dixisti Deus ego sum*; item Isaiæ decimo quarto, *super astra exaltabo solium meum, & similis ero altissimo*, quæ omnia verba exprimunt appetitum dominatus, quo volebat iugum Dei excutere, & aliis omnibus imperare; nam citato loco Ezech. ait: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi*; sicque æqualitas illa, quam superbiendo appetiit, fuit æqualitas in dominatu.

Probatur item ex Patribus, vt sancto Au-
D gustino libro decimo quarto *de ciuitate Dei* capite vndecimo ita dicente: *superbus ille Angelus, ac per hoc inuidus, per eandem superbiam à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens, de paradiso cecidit*, & libro vndecimo *de Genesi ad litteram* capite vigesimo tertio ait illum *superbiâ tumidum, & propriæ potestatis delectatione corruptum esse*: S. item Anselmo libro *de casu diaboli* capite quarto, & aliis agentibus de primo peccato primi Angeli: quorum testimonia huic vltimæ nostræ propositioni facilè possunt adaptari.

Tandem probatur ratione: & primùm, quòd modus iste tentandi sit possibilis Angelo, patet ex eo, quòd talis dominatus possit ab illo, vt *possibilis & conueniens* apprehendi: *possibi-*

I. *lis*, quia quemadmodũ rex potest habere pro-regem in aliqua regione remota, eique talis regionis administrationem relinquere liberam, ita etiam Deus posset creare perfectissimam aliquam creaturam intellectualem, cui totam vniuersi administrationem relinqueret quoad imperium, quatenus Deus nulla præcepta daret mundo, sed institutionem præceptorum nobili isti creaturæ relinqueret, sibi tamen reseruando, quòd & hoc vniuersum, & omnia creata dependerent ab illo tam in esse, quàm in conseruari & operari: hoc enim totum, nullam videtur inuoluere contradictionem, maximè cùm non defuerint ex philosophis gentilibus, qui putauerint Deum fecisse solam primam intelligentiam, cui cætera producenda commiserit.

Quòd item primus Angelus potuerit ap-
II. prehendere illud, vt sibi conueniens, patet, quia vt tale imperium conuenienter conferatur, videtur dandum creaturæ omnium nobilissimæ: atqui primus Angelus iudicabat se omnium creaturarum perfectissimum. Quòd verò ita de facto peccauerit, probatur ex cit. Script. & Patrum testimoniis.

Nec obstat, quòd per lumen naturæ iam cognosceret totam dispositionem vniuersi fore talem, qualis nunc est: quia Angelus non cognoscit necessariò, sed tantùm liberè dispositionem vniuersi huius, vt patet ex dictis; vnde primus Angelus poterat tunc actu tantùm cogitare de modo, quo totũ vniuersũ potest à Deo cõstitui sub imperio vnius supremæ creaturæ, & apprehensâ excellentiâ propriæ suæ naturę iudicare tale imperiũ esse sibi possibile, & conueniẽs, & ex consequẽti illud appetere,
III. sicque superbiendo peccare: & alij inferiores Angeli, qui etiam eodem peccato superbiæ peccauerunt, eâdem proportione, scilicet solùm habere dependentiam à Deo, & aliqua inferiora eodem planè modo sibi submittere, quâ ratione in diuisione amplissimi alicuius regni, multi nobiles totos principatus & dominatus sibi vendicant.

Articvlvs vltimvs.

Vtrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis, & quando peccauerit.

Angelos dæmones non esse naturaliter malos, fides Catholica docet in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & re-
IV. fertur capite *firmiter*, extra de summa Trinitate.

Constat etiam ex dictis suprà articulo 2. dæmones non peccasse de facto in primo instanti suæ creationis, cùm fuerint creati tunc in gratia, & S. Thom. hâc quæst. disp. *de malo* quæst. 16. art. 4. notat oppositum fuisse suo tempore condemnatũ à Facultate Parisiensi: quòd autem dicit Scriptura diabolum fuisse *homicidam ab initio*, idem sonat, ac ab eo tempore, quo peccatum cœpit esse in mundo, ipsum diabolum peccare, etiam peccato homicidij, quatenus procurat omnibus mortem, siue corporis, siue animæ, & in ea mala voluntate perseuerat, vt sanctus Augustinus explicat libro vndecimo *de ciuitate Dei* capite decimo quinto.

A Sensus itaque primæ partis huius artic. est, V.
an Angeli abstrahendo ab eo, quòd fuerint creati in gratia, & considerando eorum naturam secundùm se; an inquam sic potuerint peccare in primo instanti suæ creationis.

Prima propositio. *Angeli potuerunt peccare in primo instanti suæ creationis*: propositio dicitur esse contra S. Thom. & eius discipulos hâc quæst. art. 5. est tamen Scoti secundo sententiarum distinctione quintâ, & plurium etiam ex recentioribus.

Probatur: eo omni instanti, quo creatura intellectualis est absolutè & simpliciter libera tam quoad exercitium actus, quàm quoad eius specificationem respectu cuiuscunque obiecti, illa potest in eo omni instanti peccare, scilicet vel obiectum sibi propositum prosequendo odio, vel omittendo face-
B re, quod est sibi præceptum, quia causa libe- VI.
ra agens liberè potest positis omnibus ad agendum requisitis agere, & non agere, aliàs non esset libera tunc; atqui quilibet Angelus in primo instanti suæ creationis erat liber tam quoad specificationem, quàm quoad exercitiũ actus, quia creatus fuit cum dominio suæ voluntatis, & eius libertate, etiam ex sententia sancti Thomæ admittentis hîc Angelos sese disposuisse in illo primo instanti ad gratiam sanctificantem, & illam ex congruo promeruisse, nec maior libertas requiritur ad peccandum, quàm ad merendum coram Deo.

Atque ex hac ratione, vtrumque fundamentum contrariæ sententiæ soluitur: primum, quo dicitur Angelum tunc non posse peccare, quia habebat obiectum sibi applica-
C tum cum plena aduertentia rationis: nam VII.
hæc aduertentia rationis est vnum ex prærequisitis ad liberè agendum, & proinde cùm agens liberum positis omnibus ad agendum requisitis possit non agere, potuit Angelus in primo instanti ex certa malitia ad experiendum suam libertatem peccare.

Soluitur item & alterum fundamentum, quo scilicet dicunt Angelum tunc non potuisse peccare, quia prima operatio cuiuscunque agentis tribuitur Deo, tanquam suo auctori, cui peccatum non potest tribui: nam hæc propositio non intelligitur de agente libero, prout agit ex libertate, aliàs enim Angeli non meruissent in primo instanti; & si hæc propositio sit extendenda ad agens liberum, hoc tantùm sensu erit vera quòd in prima omnium actione, voluntas non
D mouet intellectum ad applicandum sibi ob- VIII.
iectum, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, sed tunc intellectum moueri à Deo, vt hoc vel illud obiectum proponat voluntati, quâ tamen propositione factâ voluntas manet libera ad illud, vel amplexandum, vel recusandum, vel etiam negligendum per omissionem actus exercendi sibi tunc propositi, & sententia contraria est tantùm hoc sensu vera, quòd loquendo moraliter & omnibus circumstantiis, tum naturæ Angelicæ, tum obiectorum illi propositorum consideratis, non sit ei tam facilè aliquod peccatum committere in primo instanti suæ creationis.

Secunda propositio. *Mali Angeli peccauerunt in secundo instanti suæ creationis, & sunt damnati in tertio, boni verò Angeli meruerunt*

I. *sibi de condigno æternam gloriam in secundo in-*
stanti suæ creationis, sicque via vtrorumque
Angelorum constat duobus instantibus, & boni
in tertio sunt donati gloriâ æternâ. Ita Scotus
lib. 2. sentent. dist. 4. & plures alij præsenti
quæst. artic. 6. contra Caiet. præced. quæst.
art. 5. & nonnullos alios, qui existimant bonos
Angelos fuisse consequutos gloriam æternam
in secundo instanti suæ creationis.

Probatur: in Angelis tot instantia debent
distingui, quot sunt actus distincti, seu opera-
tiones distinctæ sibi inuicem succedentes se-
cundùm durationem; nam multitudo instan-
tium Angelicorum attenditur penes successio-
nem operationum, vt patet ex iis, quæ diximus
suprà de tempore discreto, & motu Angelorũ;
atqui in Angelis tam bonis, quàm malis tres
II. operationes distinguuntur sibi inuicem succe-
dentes, quoad durationem: prima, quâ omnes
sunt creati, & simul sese disposuerunt ad gratiã
habitualem, quam tunc de facto receperunt;
cùm enim hæc omnia (licet seruent aliquẽ or-
dinem naturæ) ad vnum & idem referantur,
vt simul & semel quoad rationẽ fuerunt ita
vnum solummodò constituunt instans An-
gelicum. Secunda operatio est, quâ informati
gratiâ sanctificante boni sibi promeruerunt de
condigno vitam æternam, quæ operatio est
distincta à priori, cùm hæc sit à gratia sanctifi-
cante, vt à principio interno seu inhabitante,
& sit meritoria de cõdigno, prior verò sit tan-
tùm à gratia excitante, & adiuuante, sicq; tan-
tùm meritoria de congruo, est etiam hæc se-
cunda operatio in bonis Angelis distincta à
tertia, quòd secunda sit meritum & via, tertia
III. sit receptio mercedis, & fruitio vitæ æternæ,
quæ de potentia ordinaria nunquam sunt si-
mul, sicut nec ipsa fides, & spes, actus item illa-
rum supernaturales nunquam sunt simul se-
cundùm potentiam ordinariam cum ipsa frui-
tione diuinæ essentiæ, sed vnum illorum succe-
dit alteri: tum etiam quia tot instantia debent
distingui in bonis Angelis, quot in malis, nulla
enim potest sufficiens ratio disparitatis afferri:
nam cùm omnes tam mali, quàm boni pares
fuerint in primo instanti, quatenus omnes se-
se disposuerunt ad gratiam sanctificantem, in
quo nemo illorum eam sibi promeruit de con-
digno, & Deus post meritum de condigno de-
derit bonis vitam æternam, sicut malis post eo-
rum demeritum pœnam æternam, eadem est
quoad hoc ratio bonorum Angelorum ac ma-
lorum: atqui ex communi sententia dantur tria
instantia pro malis Angelis, primum, quo crea-
IV. ti sunt in gratia sanctificante, secundum, quo
peccauerunt, tertium, quo sunt damnati, &
pœnâ æternâ afflicti.

Via autem omnium Angelorum fuit breuis,
cùm ante creationem primorum parentum
sexto die factam mali iam periissent, vt patet
ex tentatione primorum parentum, & non
fuerunt Angeli creati ante hunc mundum
visibilem, vt docuimus suprà quæst. 50. &
quia Angeli habent facultates suas statim
perfectas, promptas & expeditas ad agendum,
possúntque breui duratione cum auxilio gra-
tiæ supernaturalis maximam gloriam pro-
mereri, nullúmque hostem interiorem ha-
beant; econtrà homines sint tardiores, &
imbecilliores ad merendum, corpus enim ag-
grauat animam, habeántque hostem inter-

A num sibi aduersantem; ideò congruenter na- V.
turæ Angelorum, via illorum fuit breuior, via
autem hominum prolixior.

AD QVÆSTIONEM LXIV.

DISPVTATIO VNICA.

De pœna dæmonum.

EXPLICATO peccato Ange-
lorum, de eorum pœna agen-
dũ est: dum enim ipsos periisse
fides Catholica docet secundę
S. Petri secundo, *Deus Ange-*
lis peccantibus non pepercit,
B vbi S. Petrus loquitur absolutè & simpliciter VI.
nullâ prorsus factâ restrictione, significat
omnes Angelos peccantes fuisse à Deo puni-
tos. Vnde quia tria distinguuntur in Angelis,
substantia scilicet, *intellectus*, & *voluntas*, & om-
nis illorum pœna debet esse necessariò, vel in
illis tribus coniunctim, vel saltem in aliquo il-
lorum: pro huius rei explicatione incipiemus
ab intellectu, cuius proprium est cognoscere, &
ab ea eius pœna, quæ consistit in aliqua priua-
tione cognitionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quam pœnam dæmones patiantur in intellectu.

C NOTANDVM imprimis duplicem distingui VII.
in Angelis cognitionem, vnam *natura-*
lem, alteram *supernaturalem*, vt intelligitur ex
dictis.

Notandum secundò, hanc vtramque cogni-
tionem subdiuidi in *speculatiuam* & *practicam*.
His prænotatis,

Sit hæc prima propositio. *Dæmones ratione*
sui peccati non sunt priuati aliquâ scientiâ spe-
culatiuâ, nec eorum intellectus est ob peccatum di-
minutus, vel quoad suam vim intelligendi illa,
vel in sua entitate. Ita S. Thom. & omnes Scho-
lastici communiter hîc articulo primo.

Probatur ex S. Dionys. lib. *de diuinis nomini-*
bus cap. 4. vbi docet omnia naturalia mansisse
integra in dæmonibus; atqui tota speculatiua
cognitio rerum purè naturalium est naturalis
dæmonibus, vt patet ex dictis suprà de illa, &
speciebus congenitis ipsis Angelis ad cogno-
D scendum res naturales. VIII.

Probatur item ex S. Aug. lib. 2. *de Genesi ad*
literam cap. 17. S. Isid. lib. 7. sent. cap. 10. & a-
liis, qui dum agunt de ipsa damnatione dæmo-
num, hanc nostram propositionem supponunt
vt verissimam; vnde mali Angeli nunc etiam
vocantur *dæmones*, ab illa excellenti rerum
scientia, quam adhuc habent, vt suprà obser-
uauimus ad quæst. 50. ex qua autem causa pro-
ueniat, vt dæmones aliquando decipiantur in
eiusmodi cognitione, docuimus suprà agendo
de cognitione Angelorum. Ex quo etiam patet
vim Angelorum intelligendi obiecta purè na-
turalia non esse diminutam, cùm virtus intelli-
gendi dignoscatur ex suis actibus, qui cùm non
sint imminuti, prout versantur circa obiecta
naturalia speculatiua, eorum etiam virtus in-

I. telligendi diminuta non erit, nec ex consequenti ipsa entitas intellectus Angelici, cui talis virtus debet proportionari.

Secunda propositio. *Dæmones ratione sui peccati sunt priuati rectitudine iudicij practici de rebus agendis, seu circa res morales exercendas spectantes ad ordinem naturalem.* Ita sanctus Thomas hâc quæstione art. 1.

Probatur primùm ex sacris literis Ezech. 28. capite, vbi dicitur de primo Angelo peccante, *perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, ita delectatus es tuâ pulchritudine, vt factus sis omninò cæcus.* Hinc sæpè in sacris literis dæmones vocantur *tenebræ*, vt *Lucæ* vigesimo secundo, *ad Ephesios* sexto, *ad Colossenses* primo.

Probatur item ex Patribus, vt S. Dionysio suprà, sancto Augustino libro vigesimo *de ciuitate Dei* capite primo, & in *Enchiridio ad Laurentium* capite vigesimo quarto & vigesimo quinto, vbi ait ignorantiam rerum agendarum & concupiscentiam nociuarum esse mala hominibus & dæmonibus communia. II.

Probatur tandem ratione: veritas & bonitas iudicij practici desumitur ex ordine ad affectum, & ad opus bonum moraliter, vt docent Philosophi in Ethicis, & Theologi primâ secundæ; sed dæmones nullum habent affectum bonum ad opus moraliter bonum etiam ordinis naturalis, cùm nullum habeant ad illud appetitum, vt paulò pòst patebit: igitur dæmones priuati sunt rectitudine iudicij practici circa res morales ordinis purè naturalis.

Nec obstat, quòd hæc moralia sint naturalia; & ex dictis primâ propositione, omnia naturalia manserint integra in dæmonibus: III. hæc enim moralia ordinis naturalis possunt duobus modis considerari, *speculatiuè*, scilicet *& practicè*, priori modo verum iudicium de illis veritatibus remansit in dæmonibus, non autem secundo modo, sicut videmus plerosq; viros doctissimos probè scire moralem Philosophiam, & Theologiam, & nihilominus hîc & nunc, malè etiam iudicare *practicè* de hoc, & tali negotio, propter deprauatam voluntatem, & ita hæc naturalis cognitio circa res agendas spectantes ad ordinem naturæ non est penitus ablata dæmonibus, sed potiùs dæmones circa illam sunt excæcati.

Vbi notandum est hanc propositionem non extendi ad practicum iudicium alicuius artis, vel prudentiæ politicæ, seu mundanæ, vt rectè animaduertit Suarez lib. 8. *de Angelis* cap. 6. IV. num. 12. cùm enim practica consuetudo in iudiciis circa istas materias non pendeat ex honesta intentione, sed ex efficaci intentione finis, seu operis intenti, & ex perfectione scientiæ, per quam media tali fini obtinendo proportionata cognoscuntur, & hæc cognitio maneat in dæmonibus, fit, vt non ita errent in iudicando etiam practicè de istis materiis.

Tertia propositio. *Dæmones propter suum peccatum priuati sunt omni cognitione & lumine verè & propriè supernaturali tam speculatiuo, quàm practico.* Ita sanctus Thomas hîc articulo primo, & communiter omnes Theologi secundâ secundę quæstione quintâ, vbi docent fidem infusam non remansisse in dæmonibus.

Probatur ex Patribus citatis tã primâ, quàm secundâ propositione, quibus addi potest sanctus Bernardus epistolâ septuagesimâ septimâ.

A Probatur tandem ratione: nulla gratia supernaturalis remansit in dæmonibus; at omnis cognitio purè & simpliciter supernaturalis est aliqua gratia, cùm sine aliquo speciali auxilio gratiæ non possit haberi, vt docent Theologi primâ secundæ agendo de necessitate gratiæ. Deinde ad quid hæc cognitio esset in dæmonibus, cùm in bonum suum illâ non possint vti, vtpote qui damnati sunt in æternum. V.

Hinc consequenter perdiderunt *fidem, spem & alios supernaturales habitus*, quos habebant sibi infusos, & licet supponatur dæmones in via nullum exercuisse actum *infidelitatis*, quia tamen iam sunt in termino, talis habitus per Deum tollitur ab illis in pœnam sui peccati; nec vt de amissa æterna beatitudine doleant, & tristentur, opus est fidem super- B naturalem remanere in illis; fides enim illa VI. quam ex miraculis & aliis eiusmodi, imò & in via sibi compararunt, (nam plerique Theologi docent ad frequens exercitium actuum supernaturalium nobis ingenerari aliquos habitus ordinis naturalis, qui aliqualem habeant similitudinem cum infusis, vt videre est in iis, qui à fide Catholica recedentes nonnullos articulos videntur sibi tam firmiter credere, ac ante habitum fidei per apostasiam deperditum, vt fusiùs nos primâ quæstione huius partis docuimus) sufficit illis ad concipiendum dolorem de amissa beatitudine æterna, & recordatio peccati in via commissi potest ab ipsis damnatis haberi sine ipsa fide, existente in illis, sicque possunt ex illa etiam torqueri.

C Has enim ob causas addidi in hac propositione particulam illam *verè & propriè supernaturali*: nam talis cognitio est tantùm materialiter de obiecto supernaturali, & non formaliter, cùm non sit ex motiuo supernaturali, & quoad practicam cognitionem supernaturalẽ dæmones illâ sunt priuati, tam prout hæc potest *speculatiuè* considerari, quàm quatenus consideratur, *vt practicè practica*, cùm amiserint omnes habitus infusos supernaturales, quibus eiusmodi veritates possint cognosci, quod non ita amiserunt circa veritates practicas ordinis naturalis *speculatiuè* tantùm spectatas, vt iamiam animaduertimus. VII.

ARTICVLVS II.

Quam pœnam in voluntate dæmones patiantur. VIII.

D SIT prima propositio. *Dæmones per peccatum amiserunt gratiam habitualem, & omnes supernaturales habitus, qui simul cum gratia sanctificante infunduntur iustificatis in ipsa voluntate.* Propositio est communis.

Et primò, quòd amiserint *gratiam habitualem* patet, quia hæc deperditur per peccatum mortale. Deinde quòd *reliqua simul perdiderint*, patet, quia hæc consequuntur illam, vnde eâ destructâ simul etiam destruuntur; & licet spes & fides infusæ in nobis etiam mortaliter peccantibus remaneant, non tamen in iis, qui iam sunt in termino, vel in ipsa damnatione, vt docent omnes Theologi secunda

I. secundæ, vnde cùm dæmones sint damnati in A perpetuum, illi sunt etiam priuati hoc vtroque habitu supernaturali infuso.

Secunda propositio. *Altera pœna dæmonum quoad voluntatem illorum obstinatio in malo est, quæ consistit in duobus, primum est, quòd non possint pœnitere peccati, alterum est, quòd non possunt exercere aliquod opus morale, quod sit bonum secundùm omnes suas circumstantias, ex quibus fit, vt sunt obstinaces in suo peccato.* Tota propositio est sancti Thomæ hîc articulo secundo.

Et quòd primum reperiatur in dæmonibus, probatur tum ex eo, quòd dicantur *puniri in æternum* Luc. decimo quinto in epistola canonica sancti Iudæ; tum quòd Patres, sanctus Gregorius Nyssenus libro primo Philosophiæ capite tertio, sanctus Epiphanius epistolâ *ad*
II. *Ioannem Hierosolymitanum*, sanctus Hieronymus epistolâ sexagesimâ quintâ & nonagesimâ quintâ, & libro secundo *contra Ruphinum*, item sanctus Augustinus libro *de hæresibus*, hæresi quadragesimâ tertiâ, sanctus Gregorius lib. 2. Moralium cap. 3. S. Bernard. serm. 22. *in Cantica Canticorum*, & plures alij, qui videri possunt apud Sixtum Senensem lib. 6. Bibliothecæ annotatione 290. doceant contra Origenem dæmones non resipiscere ad veram pœnitentiam, quò etiam loci apud Senensem liberantur aliqui Patres, qui falsò accusabantur de isto errore.

Probatur etiam ratione: ad hoc, vt quem peccati mortalis sui pœniteat, requiritur aliquod auxilium supernaturale gratiæ excitantis, & adiuuantis, vt docent Theologi tam primâ secundæ agendo *de iustificatione*, quàm
III. tertiâ parte agendo *de contritione*; atqui dæmones pro eo statu, in quo sunt, nullum accipiunt auxiliũ gratię supernaturalis à Deo; quia iam sunt in termino, & Deus statuit dare tantùm eiusmodi auxilia tempore viç, vt patet Eccles. 9. *quodcumque potest agere manus, instanter operare citò, quia nec ratio, nec sapientia, nec sciẽtia erunt apud inferos, quò tu properas*; item 2. *ad Corinth.* 5. *ad Galat.* 6. & aliis pluribus, quibus Theologi primâ secundæ agentes de merito ostendunt tempus totum merendi esse restrictum à Deo ad tempus viæ: igitur non potest ipsos dæmones pœnitere sui peccati mortalis.

Quòd item *dæmones non possint aliquod bonum exercere secundùm omnes suas circumstãtias*, probatur primò ex dictis secũdâ propositione art. præced. deinde ex scriptura, vt Ioan. 3. vbi dia-
IV. bolus dicitur *ab initio peccare*, quia semper perseuerat in actu peccati; item ex eo, quod appellatur *Pater mendacij, Sathan, tentator* seu *calumniator*; item ex Patribus, S. Fulg. lib. *de fide ad Petrum* cap. 3. S. Greg. lib. 12. Moral. cap. 1. S. Bernard. lib. 5. *de consideratione* dicentibus voluntatem diaboli & damnatorum semper esse peruersam, atque iniustam.

Probatur etiam ratione: qui certò nouit nihil sibi profuturum benè operari etiam moraliter quoad omnes & singulas circũstantias actus moralis, sed certum habet se semper in æternum mansurum in grauissimis tormentis, licèt habeat physicam potentiam ad exercendos actus moraliter bonos secundùm omnes suas circumstantias, attamen ratione talis status, in quo se constitutum considerat, habet moralem impotentiam ad benè moraliter operandum ex omnibus circumstãtiis, cùm potiùs agatur desperatione, & concipiat graue odium aduersus infligentem sibi pœnas eiusmodi æternas: atqui totum istud reperitur in dæmonibus, vt patet ex sacris literis, dum agunt de pœnis dæmonum, & hoc sensu S. Aug. epist. 107. ad *Vitalem* dixit diabolum non habere liberum arbitrium ad benè faciendum, quatenus ratione sui status, in quo se ipsum considerat, non habet efficaciam moralem ad remouenda omnia impedimenta, quæ ab extrinseco illum dimouent à benè operando. V.

Addidi in propositione hanc particulam (*secundùm omnes suas circumstantias*) quia dæmon potest exercere aliquod bonum morale secundùm aliquas circumstantias, vt patet ex diuite Epulone Luc. 16. qui optabat fratres suos non viuere luxuriosè, nec descendere in infernum,
B quod desiderium ex obiecto erat bonum, sed non ex motiuo, cùm id tantùm faceret ex proprio amore sui, ne scilicet ob peccatum fratrum suo exemplo peccantium, posteà grauiùs accidentaliter puniretur. VI.

Ex his sequitur obstinationem dæmonum in malo non prouenire ex inflexibilitate liberi eorum arbitrij, quasi immobiliter adhæreant iis obiectis, quæ semel elegerunt. Nam & diabolus aliquando mutauit sententiam, vt quando suasit Iudæ prodere Christum Dominum, & aliquantò pòst voluit impedire, ne morti adiudicaretur, suggerendo vxori Pilati per somnium, vt impediret mortem Christi Domini; sed causam illius remotam priuatiuam huius obstinationis esse denegationem auxilij supernaturalis necessarij ad pœnitendum de peccato, cuius denegationis causa est ipsa voluntas
C iustissima Dei, quâ statuit dare tantùm hæc auxilia viatoribus, & punire pœnâ æternâ malitiam peccati mortalis, causa verò proxima, & positiua est ipsa eorum perseuerantia in suo peccato, & consideratio sui status miserrimi & in tali miseria perpetuò duraturi. VII.

Secundò intelligitur in voluntate damnatorum verè & propriè reperiri dolorem & tristitiam, non quidem corporalem, sed spiritalem, quatenus dolor nihil est aliud, quàm quidam renisus voluntatis, vel ad id, quod est, vel ad id, quod non est; habent enim aliquem renisum ad cruciatus, quos patiuntur: item ad id, quod sunt priuati vitâ æternâ, quam habere stetit tantùm per illos.

Quæres an dolor sit tantus in dæmonibus, vt omne gaudium excludat.

Respondetur non excludere, nam ex san-
D cto Augustino libro secundo *de Genesi ad literam* capite decimo septimo relato à sancto Thoma hâc quæstione articulo tertio, dæmon lætatur de potestate, quam habet in peccatores, & sanctus Thomas ibi docet gaudium & dolorem, vbi sunt de diuersis, posse simul reperiri, maximè, quando important simplices actus voluntatis, quomodo sese habent in dæmonibus. Vnde concludit nihil prohibere dæmones gaudere de vno, & tristari de alio, quibus non repugnat status dæmonum, quia sufficit, vt sint in statu miseriæ condigno suis peccatis, at erit condignus, si priuentur vitâ æternâ, & pro grauitate sui criminis affligantur ab igne, & miseriam sui status experiantur, & sicut intellectus dæmonum potest si- VIII.

I. mul & semel cognoscere duo obiecta naturalia distincta distinctis speciebus & distinctis actibus, vt suprà docuimus, ita & eorum voluntas poterit occupari simul, & semel circa duo obiecta, vnum *doloris*, alterum *delectationis*, verbi gratiâ, quòd obtinuerint suis tentationibus ruinam quorumdam hominum, quam maximè desiderant.

Nec obstat, quòd beati nullum patiantur dolorem. Nam minimus dolor destruit aliqua ex parte statum beatitudinis omninò completæ, qualis est beatitudo sanctorum; at leue quoddam gaudium non destruit statum miseriæ damnatorum correspondentis suis peccatis; & quod Aristoteles ait 7. Eth. cap. 4. maximam delectationem expellere omnem tristitiam, & proinde maximam tristitiam expellere omnem delectationem, intelligitur tantùm de
II. delectatione sensibili, vt significat S. Thom. cit. nunc art. 3. in solutione ad primum.

Articvlvs III.

Quam pœnam dæmones patiantur in sua substantia.

Prima propositio. *Dæmones cruciantur ab igne*. Propositio est de fide ex sacris literis, Matth. 25. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius:* item Luc. 16. anima diuitis epulonis ait *crucior in hac flamma*, & nostram propositionem Patres docent ad hunc vtrumque locum, & alios illis similes.

Secunda propositio. *Iste ignis est verus, realis, & corporeus*. Hæc propositio ita est nunc
III. certa, vt opposita censeatur esse temeraria: nam Patres & Theologi eodem modo loquuntur de igne inferni, ac de igne purgatorij: at Patres Concilij Florentini contra Græcos defendunt ignem purgatorij esse verum ignem.

Probatur ex Patribus, quos fusè refert Sixtus Senensis libro quinto Bibliothecæ annotatione 141. & annotatione 229. vbi à contraria opinione vendicat S. Greg. Mag. Possunt etiam & alia Patrum testimonia videri apud Coccium in thesauro Catholico libro decimo.

Probatur tandem ratione: sacræ Scripturæ debent explicari ad literam, quando res ipsa patitur, nec aliquid obstat, ex receptissima regula S. August. at sacræ Scripturæ dicunt dæmones, & animas damnatorum
IV. cruciari igne; & hoc totum potest commodè intelligi de vero igne corporeo, vt patebit ex dicendis.

Nec obstat, quòd eiusmodi spiritus dicantur *torqueri à verme*, qui tamen vermis sumitur ibi metaphoricè, vt explicant S. Hieronymus ad cap. 9. S. Marc. S. Ambros. ad cap. 14. S. Luc. est enim dispar vtriusque ratio: nam quia vermis, quatenus est animal, & dicitur rodere, importat actionem vitalem, quâ aliqua pars substantiæ detrahatur ei, quem dicitur rodere, & hæc actio sensitiua vitalis non potest vt sic esse circa substantiam purè spiritalem, vt patet ex dictis suprà ad quæst. duodecimam, & quæst. 51. fit, vt oporteat accipere vermem in istis locis scripturæ secundum sensum solummodò metaphoricum: quia verò

A ignis infert solummodò cruciatum, qui potest intelligi fieri ab igne corporeo in solo genere causæ puræ efficientis non vitalis, saluâ semper remanente substantiâ spiritali, quæ cruciatur, fit, vt nomen ignis debeat ibi accipi in sua vera significatione, scilicet pro vero corporeo & sensibili igne: & quod aliqui Patres dicunt ignem hunc non esse materialem, sicut est noster, potest explicari quoad modum sese conseruandi, & etiam agendi circa sua obiecta; non enim producit in eiusmodi spiritibus aliquid corporeum, sed spiritale quid, vt videbitur infrà, nec item indiget aliquâ materiâ sensibili, verbi gratiâ ligno, aut aliâ, quâ semper foueatur, quemadmodum noster ignis, sed non corrumpitur, vel quia Deus impedit eius corruptionem, sicut impedit corruptionẽ corporum damnatorum, vel quia nullum ibi V.
B habet agens contrarium à quo patiatur, quæ omnia cùm sint extrinseca eius entitati, faciũt, vt semper sit eiusdem speciei cum nostro igne. VI.

Tertia propositio. *Ignis ille non torquet dæmones solâ illâ alligatione, quâ eos detinet inclusos contra propriam eorum voluntatem: nec etiam solâ illius apprehensione, vel etiam cognitione, quâ coguntur semper de illo cogitare.* Hæc propositio videtur esse contra S. Thom. hìc art. 4. Scotum in 4. sententiarum dist. 44. & nonnullos alios.

Probatur primò ex eo, quòd tota hæc efficientia est tantùm intentionalis, cùm sit solummodò in ratione obiecti; at scripturæ & Patres maiorem efficientiam tribuunt huic igni in dæmones & animas damnatorum, Luc. 16. ait diues epulo, *mitte Lazarum, vt refrigeret meam linguam, quia crucior in hac flamma*, & S. Aug. lib. 21. *de ciuit. Dei*, cap. 10. spiritus damnatos
C cruciari ab igne *miris, tamẽ veris modis*, vbi notandæ sunt illæ particulæ (*miris veris modis*) quæ denotant eiusmodi cruciatum non esse per actionem duntaxat intentionalem, vel per nudam intentionem, sed per veram efficientiam alicuius rei. VII.

Probatur secundò: eodem modo seruatâ proportione ignis inferni agit in Angelos damnatos ac ignis purgatorij in animas ibi detentas; atqui ignis purgatorij non agit in animas per solam detentionem, cùm enim animæ in tali statu habeant voluntatem suam conformem diuinæ voluntati, & virtutem spei infusam, quâ adhuc sustentantur, non ægrè ferrent se tandiu retardari ab ingressu cæli, & proinde non cruciarentur, quod est contra fidem: ergo cruciantur per veram efficientiam ignis.

D Neque satisfacit, quod aliqui addunt, scilicet dæmones, vltra id, quòd detineantur ab igne, etiam apprehendere ipsum ignem vt sibi nociuum. Nam ignis inferni eodem modo agit in dæmones, quo ignis purgatorius in animas saluandorum; at ignis purgatorius non cruciat animas, quatenus apprehenditur ab illis vt nociuus; hæc enim apprehensio procedit à falso iudicio, quod non potest admitti in animabus purgatorij, nisi velimus afferre Deum pro causa talis deceptionis, quod non sapit eius bonitatem. VIII.

Neque etiam satisfacit quod alij addunt, scilicet ideò dæmones cruciari ab igne, quia præterquã quòd detinentur vi per ignem, tanquã in carcere, attamen semper occupantur, & necessariò in actuali cognitione, & cogitatione

I. ignis. Hoc inquam non obstat; primò quia scripturæ dicunt dæmones cruciari per ignem. Deinde illa cogitatio de igne, aut est de ipso igne vt est *ens quoddam naturale*, aut vt cognoscitur à dæmonibus tanquã *carcer*, & *nociuus*; non priori modo, quia intellectus dæmonum, cùm non possit defatigari, & impediri cõsideratione aliquorum obiectorum, ex tali necessaria cognitione ignis non poterit esse causa molestiæ ipsis dæmonibus, sicut actualis cognitio, quam Deus habet de rebus, ei non est molesta; nec etiam illa cognitio, quam Angelus habet naturaliter de Deo & seipso: non item secundo modo, quia dæmones aut falsò apprehendunt se cruciari ab igne, aut verè, si falsò pœna est imaginaria, si verè, ergo sententia illa debet aliquem effectum assignare, quem realiter producat in dæmonibus.

II. Addidi in propositione hanc particulam *solâ*, quia non negamus eiusmodi alligationem & cogitationem de igne esse aliquam pœnam damnatorum, sed tantùm contendimus non esse totam, quæ significatur per scripturas, & Patres, dum dicunt damnatos torqueri *igne æterno*.

Quarta propositio. *Ignis non cruciat dæmones efficiendo in illis calorem, vel causando in illis dolorem talem, qualem anima vnita corpori habet, quando eius corpus vritur.*

Prior pars probatur: accidens corporeum non potest produci in subiecto purè spirituali; atqui calor ignis est accidẽs merè corporeum, dæmon substantia merè spiritalis: ergo ignis non potest cruciare dæmones efficiendo in illis calorem.

III. Posterior item pars probatur, & est Henrici Gandauensis quodlibeto octauo quæstione trigesimâ quartâ: implicat dari actum vitalem, & immanentem absque obiecto sibi proportionato, & quando actus ille vitalis est per organum corporeum, tunc non potest à Deo suppleri, vt patet ex dictis suprà de illis actibus, quos Angeli possunt exercere in corporibus assumptis; sed dolor ille, qui concipitur ab anima vnita suo corpori ex eo, quòd viuum eius corpus comburitur, est actus vitalis, & immanens, quia est dolor voluntatis, qui causatur ex eius voluntate dolorifica, causata per ignem in corpore, & est per organum corporeum, quale dæmones non habent, cùm careant animâ sensitiuâ; igitur ignis inferni non cruciat dæmones causando in illis talem dolorem, qualem anima vnita corpori habet,

IV. quando corpus eius comburitur: & licet animæ damnatorum habeant in radice, & in potentia vim sentiendi, attamen, quia vt talis potentia reducatur ad actum intrinsecè postulat fieri mediante organo corporeo, fit vt animæ damnatorum nunc dolorem illum nondum patiantur. Adde quòd ignis dicitur eodem modo agere in homines, ac in dæmones, quia vt Henricus loco citato notat ex sancto Gregorio libro nono Moralium capite trigesimo nono: *quamuis Angelorum atque hominum longè natura sit dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos & vnus in crimine reatus ligat*: atqui ignis non potest nunc isto modo torquere animas purgatorij, vt patet ratione nunc allatâ, tum etiam ex eo, quòd obiectum huius doloris nondum reperiatur in eiusmodi animabus: ergo nec etiam dæmones cruciantur tali modo per ignem inferni.

V. Quinta propositio. *Ignis inferni cruciat dæmones quatenus tanquam physicum quoddam instrumentum Dei agens per suam obedientialem potentiam producit in illorum substantia aliquam qualitatem spiritualem illis disconuenientem, & fœdantem illorum substantiam.* Propositio est satis communis inter recentiores: probatur quoad singulas partes, primùm ex scriptura & Patribus, qui tribuunt veram aliquam efficientiam ipsi igni circa dæmones, vt indicant hæc verba, *crucior in hac flamma*, & locus sancti Augustini relatus. Deinde quicquid verè causat cruciatum, causat illum, vel tollendo aliquid conueniens, vel introducendo aliquid disconueniens, ex quo posteà cognito dolor oriatur in appetitu; atqui ignis verè cruciat dæmones ex locis nunc citatis, & nihil potest assignari, quod tollat à substantia dæmonum, cùm illa sit indiuisibilis, & hæc pœna sit distincta ab aliis superiùs explicatis, per quas aliquid deperdit diabolus: ergo ignis inferni debet torquere illos, introducendo aliquid, sed nihil aliud potest assignari, quàm hæc qualitas, quia vt gratia existens in substantia animæ iuxta sententiam sancti Thomæ illam exornat, ita etiam hæc qualitas, cùm non detur ad operandum, residebit in eius substantia, eámque deturpabit: vnde quemadmodum ignis causat dolorem producendo tantùm obiectum eius, scilicet qualitatem dolorificam, ita etiam ignis inferni producendo in substantia dæmonis hanc qualitatem disconuenientem, causabit in illo dolorem, &

VII. quatenus dolor ille est acerrimus, & propter sui acrimoniam habeat aliquam analogiam ad combustionem, propterea ignis ille dicitur *comburere dæmones*, & cruciatus iste vocabitur *combustio*, sicut purgatio à peccato per baptismum, vocatur *ablutio*: & hæc qualitas est tantùm *præternaturalis*, & sicut præternaturale est homini habere in vna & eadem manu sex aut octo digitos, & hoc fœdat manum eius, causátque illi dolorem, ita & hæc qualitas per ignem producta in dęmonibus. Quòd denique *ignis habeat potentiam obedientialem, per quam id faciat*, eadem est difficultas ac de sacramentis, vbi verior opinio docet hanc vim physicam inesse illis ad producendam gratiam, & proinde argumenta, quæ id probant, applicata huic conclusioni probant & istam propositionem.

VIII. Sexta propositio. *Locus pœnalis temporarius aliquorum dæmonum est aër caliginosus, perpetuus verò est infernus.* Prior pars probatur ex capite sexto *ad Ephesios*, vbi Apostolus vocat dæmones *rectores tenebrarum*, quia aliqui eorum ibi habitant, vt ad illum locum Patres explicant: nec propterea desinunt torqueri ab igne, quia Deus potest vel aliquam partem ignis alligare eis, vel facere vt ignis inferni etiam distans agat in illos, cùm sit tantùm instrumentum, & coniunctio agentis ad passum sit tantùm quædam conditio sine qua non, quam Deus, dum est causa principalis, vt hîc, potest supplere respectu causæ instrumentalis.

Posterior pars probatur ex Psal. 85. *descendent in infernum*, & ex Patribus, S. Aug. epist. 99. S. Chrysost. hom. 5. in epist. *ad Timoth.* Fa-

I. uet ratio: in omni republ. benè constituta debet esse aliquis locus, in quo rei detineantur, vt docet experientia: atqui regnum Christi est benè constitutum: ergo debuit Deus in eo aliquem carcerem creare, & proinde infernum; nec hoc aduersatur diuinæ bonitati, & misericordiæ, quia Deus ita est misericors, vt etiam sit iustus, & misericordia eius etiam relucet in puniendis damnatis, quatenus punit citra condignum.

Vltima propositio. *Infernus est subtus terram.* Probatur ex modo loquendi sacræ Scripturæ de illo Num. 16. *Dathan & Abyron descenderunt in infernum viuentes.* Psal. 62. *introibunt in inferiora terræ*, id est, in infernum. Matth. 12. cap. vbi agitur de descensu Christi Domini ad inferos, *Filius hominis erit in corde terræ.* Hanc nostram propositionem docent Patres, S. Hieron. in caput secundum Ionæ, vnde S. August. lib. 2. retract. cap. 24. re- A tractat quod libro octauo *de Genesi ad literam* capite quinto & alibi dixerat, scilicet infernum esse locum spiritalem: & congruentia pro nostra propositione est, quòd damnati debeant esse in loco maximè distanti à beatis, item abiecto infami & obscurissimo, vt patet ex modo loquendi scripturæ de illo: at talis locus non potest commodiùs assignari, quàm in centro terræ. II.

Nec hîc repugnat quòd S. Chrysost. hom. *de præmiis Sanctorum* dicat infernum esse extra hunc mundum: nam ibi sumit *esse extra mundum*, pro eo, quod est esse extra superficiem terræ, sicut vulgò solemus dicere eum qui moritur, exire è mundo, cùm tamen mundus, si sumitur secundùm se totum, comprehendat etiam cœlum empyreum, & alia animarum receptacula.

Atque hactenus de iis, quæ spectant ad Angelos.

INDEX
RERVM ET MATERIARVM
QVÆ HOC TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, posterior numeros marginales significat.

A

Abraham.

ABRAHÆ præceptum de immolando filio à qua specie voluntatis diuinæ emanaret. 220.IV

Absolutum.

Absolutum quatenus absolutum posśitne esse ratio cognoscendi aliud. 160.VIII

Abstractio.

Abstractio specierum à materia quomodo fiat per intellectum. 535.III

Abstractum.

Vide nomen.

Abstractiuum.

Vide cognitio.

Acceptio.

Acceptio personarum reperiatúrne in collatione primæ gratiæ. 253. V. in prædestinatione insigniter electorum ad gloriam 256. II. quid ad eam requiratur. 253. V. 256. II

Accidens.

Accidens quodlibet an & quomodo ex sua naturali conditione debeatur alicui subiecto. 124. II. vt sit spiritale, quam perfectionem postulet. 530.V

Accidens aliquod supernaturale cur potiùs produci possit, quàm substantia supernaturalis. 120.IV

Accidens supernaturale non postulat necessariò aliquod subiectum quoad suam entitatem supernaturale. 120.IV

Accipere.

Accipiet de meo & annuntiabit vobis exponitur. 410.II.IV

Actio.

Actiones sunt suppositorum, de quibus actionibus id debeat intelligi. 446.VI

Actio vitalis.

Actiones vitales quæ sint. 496. III. quam habitudinem dicant ad potentiam suam. *ibid.* corporeæ sunt in duplici differentia. *ibid.* IV

Actiones vitales corporeæ quoad vitalitatem non possunt produci ab Angelo in corpore assumpto. 496. V. nequidem per absolutam Dei potentiam. 498. I. quoad entitatem illam quæ consistit in motu possunt produci. *ibid.* VI

Actiones vitales quoad entitatem productæ ab Angelo dicuntur esse similitudinariè eædem cum aliis actionibus formaliter vitalibus. 498. VII. quoad suam physicam rationem sunt eiusdem speciei cum entitate actionum formaliter vitalium. 499. I

Vide Angelorum operationes in corporibus assumptis.

Actus.

Actus an & quomodo sit melior potentiâ. 297. III

Actus internus & exterior ei respondens quomodo dicantur esse eiusdem virtutis. 257. IV

Actus cognitionis quando specificatur ab obiecto primario. 143. VIII

Actus, quibus essentia diuina & creaturæ in visione beatifica cognoscuntur, síntne diuersi specie. 143. VIII. fiántne ex diuerso motiuo. 144. II

Actus cognitionis Angelicæ distinguitur ab eius substantia & existentia. 531. VIII

Actus intentio quando sit prohibita. 565. IV

Actus immanentes secundùm Aristotelem quo sensu sint infœcundi. 419. IV

Actus qui est extra latitudinem obiecti potentiæ vitalis est ex suo genere distinctus ab illo effectu, quem talis potentia potest vitaliter producere. 126. IV

Actus Theologiæ aliquis potéstne simul esse speculatiuus, & practicus. 20. VIII. 21. II

Actus liber Dei.

Actus liber diuinæ volitionis secundùm entitatem suam habeátne aliquam causam sui. 237. VI. VII

Actus liber Dei sitne denominatio extrinseca. 231. VII. an aliqua perfectio ipsi superaddita 232. IV. an respectus rationis. *ibid.* VIII. quid sit. 233. VI

Vide volitio Dei.

Actus notionalis.

Actus notionalis nomine quid significetur. 450. III. quot modis possit dici voluntarius. 450. VI.

Actus notionales dantur in Deo. 450. IV. sunt tantùm quatuor. *ibid.* quæ sit eorum quidditas & distinctio. *ibid.* V. sunt de aliquo scilicet de tota potentia producentis. 451. vbi dicuntur esse de aliquo, particula *de* quam habitudinem importet. 452. III.

quomodo referatur ad essentiam diuinam. *ibid.* VIII

Actus notionales qui reflectantur supra personas à quibus sunt. 434 VI. VII. an & quam habeant potentiam, *vide* potentia notionalis.

Actus generationis in Patre non est notio. 401. VII. *vide* notio, potentia notionalis.

Actus supernaturalis.

Actus supernaturales *exerceri à potentiis naturalibus vt adiutis gratiâ*, quo sensu dicitur à sancto Augustino. 139. IV

Actus supernaturales fidei, spei, & amoris sunt dispositiones ad recipiendam gratiam habitualem. 557. VII

Actus fidei, spei & charitatis cur sæpè possint elici intensiores ab iis, qui sunt ingenij tardioris, quàm à doctioribus. 141. VIII

in Actibus supernaturalibus fidei primùm distinguitur ipsa apprehensio terminorum, deinde ipse formalis assensus propositionis. 141. VII. in illis quid sit naturale, quid supernaturale. *ibid.*

ex Actibus supernaturalibus possunt ingenerari in nobis habitus naturalis ordinis. 566. VI

Adam.

Adam habuit intellectum agentem, & possibilem. 532. II. eius omnes scientiæ non erant infusæ per se, sed aliquæ per accidens. *ibid.* III

Additio.

Additiones ad Symbolum quæ condemnantur. 426. II

Adorare, Adoratio.

Adorari possunt sancti vel propter increatam Dei excellentiam, vel propter creatam sibi communicatam. 144. I

Adoratio, quâ adoramus Deum propter se, sítne distinctæ speciei ab ea adoratione, quâ adoramus sanctos propter sanctitatem illis communicatam. 144. I

Adoratio Sanctorum quæ sit à virtute religionis, quæ à virtute duliæ. 144. II

Adultus.

Adulti gratiam sanctificantem quomodo accipiant iuxta propriam vniuscuiusque virtutem. 252. VIII

Adulti aliqui sunt æquales in visione beatifica, sicut & in meritis. 137. VII

Aër.

Aër caliginosus est locus pœnalis temporarius aliquorum dæmonum. 569. VIII

Æqualitas.

Æqualitas in Deo non debet attendi penes modum habendi vel accipiendi perfectiones. 337. VIII

Æqualitas in Deo importat solùm relationem rationis. 458. V

Æqualitas actiuæ obedientialis potentiæ vnde debet repeti. 138. VIII

ad Æqualitatem duorum inter se quæ requirantur. 457. VI

Æqualis, æqualitas in visione beatifica.

Æquales esse beatos in visione beatifica asseruit Iouinianus. 137. VI

Æquales sunt in visione beatifica singuli infantes qui post susceptum baptisma antequam peccent decedunt. 137. VII. adulti aliqui. *ibid.* Angeli aliqui. *ibid.*

Æqualitatem beatorum in visione beatifica non ostendunt idem denarius diurnus datus omnibus operantibus. 137. III. æqualis mensura mannæ distributi in deserto filiis Israël. *ibid.* & IV. eiusdem agni Paschalis manducatio, eadem vestium filiorum Israël in deserto conseruatio. *ibid.* V. vnus modus videndi Deum scilicet sicuti est. *ibid.* VI. simplicitas Dei. *ibid.*

Vide inæqualitas, visio Dei.

Æternitas.

Æternitas quomodo definiatur. 83. I. eius definitio explicatur. *ibid.*

Æternitas secundùm suam formalem rationem considerata intrinsecè est duratio. 78. II. in re æterna est propriè & formaliter aliquid absolutũ & non respectiuum. 78. IV. quomodo dicitur esse maior quauis duratione creatâ. 79. II. quomodo coëxistat omnibus & singulis partibus temporis. 79. V. in sua præcisa & formali ratione non includit aliquod ens rationis. 81. VI. non est propriè loquendo mensura diuini esse vel cuiuscunque alterius rei. 81. VIII. quomodo à Patribus dicatur esse mensura diuinæ durationis. 82. VI

Æternitas non est propriè mẽsurabilis. 82. VIII

Æternitas nulli creaturæ ex naturali sua conditione conuenire potest. 83. VIII. cur potiùs à parte post possit conuenire alicui ex naturali sua conditione, quàm à parte ante. 84. II

Æternitatis respectu non sunt contradictoriæ huiusmodi propositiones, *Antichristus est, Antichristus non est.* *ibid.* VI

in Æternitate alia est vniformitas formalis, alia obiectiua. 82. IV

in Æternis *idem est esse & posse*, quomodo debeat intelligi. 361. II

Æternitas Dei.

Æternitas est aliquod Dei attributum. 83. II. soli Deo est propria. 83. V

Æternitas Dei est mensura perfectionis omnium aliarum durationum. 82. II. quo sensu apud Patres dicatur *ambire omne tempus.* 197. IV. quomodo Deus dicatur esse auctor suæ æternitatis. 83. VII

an & quomodo Æternitas Dei contineat omnes durationes creatas possibiles. 196. VI. VIII

Æternitas non conuenit vlli relationum diuinarum vt distinguitur ab essentia diuina. 383. VI. in diuinis cur non dicantur esse tres æterni, sed vnus æternus. 383. IV

Agere, agens.

Agere immediatione virtutis & suppositi simul non est agere nullo alio supposito concurrente. 60. I

Agendi triplex modus distinguitur. 59. VIII

Agens cur debet esse indistans à passo vt agat. 61. VI

Agens naturale non potest agere in aliud quin agat in medio. 511. IV

Agens naturale, & agens ex proposito quomodo differant in agendo. 236. IV

Agentis prima operatio quomodo tribuatur Deo. 564. VII

Agenti increato cur magis repugnet agere vbi non est, quàm agenti creato.

Alius & aliud.

Alius & aliud an & quomodo dici possint de Deo. 396. III

Aliud in definitione relationis sumatúrne substantiuè vel adiectiuè. 341. VIII

Almariani.

Almariani dicebant Deum esse formam mundi. 41. III

Alogiani.

Alogiani sic dicti, quòd negarent verbum in diuinis. 317. VIII. 410. III. respuebant Euangelium sancti Ioannis. *ibid.*

Altisiodorensis.

Altisiodorensis quomodo distinguit cognitionem Dei à cognitione Angelorum. 532. VII

Amare, amicabile, amicitia.

Amare aliquem quid sit. 242. I

Amicabilia ad alterum quo sensu dicuntur ab Aristotele *esse ex amicabilibus ad seipsum.* 556. III

Amicitia quid sit. 241. I

Amor.

Amor, an & quis postulet esse à duobus suppositis. 431. VI

Amor alius beneuolentiæ simplicis, alius reciprocus. 431. V

Amor est radix doni. 435. VII

Amoris creaturarum & cognitionis in Deo dispar ratio. 419. I

Amor propriè & formaliter est in Deo. 240. VIII

Amor Dei in creaturas irrationales, qualis sit. 241. I. sítne æqualis erga omnes. 241. III. quomodo distinguatur à nostro. 227. III

nomen Amor in diuinis aliquando sumitur essentialiter, aliquando notionaliter. 433. VI sumptum *notionaliter* cuius sit proprium. *ibid.* VII

Amoris & Verbi in diuinis quæ dispar conditio. 411. IV

ex quo Amore Spiritus sanctus procedat: *vide* Spiritus sanctus, *vide* Dei amor.

Angelus, Angelorum nomen, natura, existentia.

Angelus iuxta notationem nominis idem est quod nuntius. 463. III. est potiùs nomen officij, quàm naturæ. *ibid.*

Angelus communiter significat substantiam spiritalem siue beatam, siue damnatam. 463. V. quando sumatur pro maligno spiritu. *ibid.* VI. nonnunquam magis strictè sumitur pro ea substantia, quę est vltimæ hierarchiæ. *ibid.* V

Angelus apud prophanos auctores vocatur *intelligentia, dæmon. ibid.* VI. cur sic vocetur. *ibid.* & 470. I

nomen Angelus quibus aliquando tribuatur in scriptura & Patribus. 463. IV

Angeli diaboli qui dicantur. 463. IV

Angeli quâ puritate sunt actus puri. 533. I

Angeli nullâ sui parte sunt corporei, nec ex sua naturali conditione habent corpora quantumuis subtilia. 469. III. non aërea. 470. III. quo sensu in scriptura vocentur spiritus. 469. III

Angelos esse corporeos qui existimauerint. 469. II

Angelis quo sensu tribuantur corpora à Patribus. 470. V

qui facis Angelos tuos spiritus explicatur. 463 III

Angelos esse negarunt Saducæi. 564. II. quidam nomine Dosithæus. *ibid.* III

Angeli dantur de facto. 464. IV. secundùm naturam suam considerati sunt in gradu intellectuali perfectiores homine secundùm suam naturam considerato. 464. V. eorum existentia an & quomodo probari possit. 464. VIII. cur illa non æquè efficaciter à posteriori possit demonstrari, quàm illa Dei. 466. III

Angelorum incorruptibilitas.

Angeli sunt incorruptibiles ab intrinseco, non ab extrinseco. 472. I. meliùs dicuntur esse tales naturâ suâ, quàm ex gratia, & dono Dei. 473. II. quam habent potentiam ad non existendum. 473. VII

Angelorum creatio.

Angeli nec ante mundum corporeum, nec post, sed simul cum hoc mundo sensibili fuerunt creati. 466. VII. an sit de fide, quòd tunc creati fuerint. 467. IV. omnes siue boni, siue mali fuerunt creati intra hunc mundum corporeum & omnes in eodem loco. 467. VIII. non fuerunt primùm creati in aëre. 468. II. non in cælo empyreo. *ibid.* III. fuerunt creati in eo cælo, quod proximè collocatur sub cælo empyreo. *ibid.* VI

Angeli in primo instanti suæ creationis fuerunt liberi. 564. V

Angelorum numerus.

Angeli sunt in magno numero. 474. I. non infinito. 474. IV. nobis ignoto. *ibid.* IV. excedunt numerum omnium hominum, tam præteritorum, quàm præsentium, & futurorum. 474. V. non est de fide. 475. I

Angeli non sunt de facto tot numero, quot sunt numero indiuidua imperfectorum entium corporeorum. 475. III

Angelorum distinctio specifica & numerica.

Angeli aliqui distinguuntur inter se specie. 476. I. quòd sic distinguantur non est de fide. 475. VIII

Angeli cur potiùs possint inter se distingui specie, quàm animæ rationales. 477. II

Angeli omnes eiusdem hierarchiæ non sunt de facto eiusdem speciei. 482. III. nec omnes eiusdem ordinis. *ibid.* V. nonnulli sunt. *ibid.* IV

Angeli conueniunt in aliquo conceptu communi generico. 482. VII

Angeli cur de facto potiùs nonnulli sint eiusdem speciei, quàm sint plures soles vel alia id genus entia eiusdem speciei. 483. V

Angeli quidam de facto dantur, qui solo numero inter se differant. 481. VIII

Angelorum species subalternæ plures possunt dari. 482. VIII

Angelorum distinctio specifica potiùs est desumenda ex rationibus politicis, quàm ex intrinseca eorum natura. 476. IV. possítne inferri ex donis à Deo illis gratuitò concessis. 477. IV

Angelos esse eiusdem naturæ quo sensu dictũ est à Patribus. 476. VI. non posse esse eiusdem speciei quo sensu asserat S. Thomas. 477. VIII. 480. V

Angeli vnio cum corpore.

Angeli substantialis vnio cum corpore quid sit. 484. I. accidentalis. *ibid.*

Angeli ad corpus vnio quam habet similitudinem cum animæ ad corpus vnione. 486. I

Angeli propriè loquendo non possunt assu-

mere aliquod corpus viuens. 490. II. possunt assumere vera & realia corpora mortua, tam animalium perfectorum, iam à natura formata, quàm imperfectorum, quæ erunt talia saltem ex parte materiæ, qualia apparent. 490. IV. quando assumunt corpora à se efformata, illa sunt vera corpora, sed non talia, qualia apparent. *ibid.* VII

Angeli in assumptione corporis decipiántne videntes. 489. I

Angelus non debet esse necessariò definitiuè in corpore assumpto. 486. II. non moueri per accidens cum eo. *ibid.*

Angeli boni & mali assumántne corpora ex eadem vel simili materia. 491. VII

Angelus non assumpsit linguam asinæ Balaam cùm dicitur esse loquuta. 484. VIII

Angeli annuntiantes pastoribus natiuitatem C. D. assumpserunt corpora. 485. VIII. etiam annuntiantes resurrectionem. *ibid.*

Vide apparitio, dæmon.

Angelorum operationes in corporibus assumptis.

Angeli in assumptis corporibus posśintne producere mollitiem & duritiem, quæ sit eiusdem rationis cum mollitie & duritie corporis humani. 493. VIII. 494. & 495

Angeli actiones illas, quæ nequeunt exerceri sine corpore, non possunt in assumptis corporibus exercere secundùm illud, quòd sunt vitales. 496. V

Angeli in assumptis corporibus non possunt eodem modo intelligere, quo nos intelligimus. 497. V. in assumpto cadauere hominis recenter demortui non possunt audire, videre, & similes actiones exercere. *ibid.* VI. nec in corpore viuo. 498. I. etiam per absolutam Dei potentiam. *ibid.*

Angeli in assumptis corporibus possunt producere actionem illam, quæ tota consistit in motu. 498. VI

Vide actio vitalis, dæmon.

Angelorum apparitiones.

Vide apparitio.

Angelorum locus & præsentia in loco.

Angeli loquendo propriè sunt in loco definitiuè, non circumscriptiuè. 500. III. habent certum & determinatum locum, nec possunt esse vbique. 501. I. non sunt in loco intrinseco per aliquem modum sibi immediatè à Deo transfusum. *ibid.* VII. non per suam substantiam. *ibid.* VIII. etiam connotantem hanc & istam indistantiam. 502. III. non per suam operationem immanentem. 502. V. nec transeuntem. *ibid.* VII. sunt formaliter in loco intrinseco per suum vbi Angelicum. 504. I

Angeli an & quomodo sint in loco extrinseco per suam operationem transeuntem. 505. VII per suum vbi intrinsecum. 506. 507. II

Angelus ex vi suæ perfectionis postulans totum hunc vniuersum pro suo loco non esset vbiq; eo modo, quo illud Deo cõpetit. 75. II

Angelus potest esse simul & semel in pluribus locis inadæquatis sibi contiguis. 507. VIII. etiam non se constituendo in aliis contiguis locum suum adæquatum ingredientibus. 508. III. cur potiùs liberè possit sese constituere in loco adæquato vel inadæquato, quàm vel Deus, vel anima rationalis informans corpus vel aliquod ens corporeum. 509. III. IV

si Angelus supponatur existere in loco adæquato per suum vbi, potest ita existens operari in duabus extremitatibus illius, non operando in intermediis. 509. VI. non potest virtute naturali sese secundùm suam substantiam constituere in duobus locis inadæquatis discretis intra suum locum adæquatum contentis, quin se constituat in intermediis. 510. I. replicatâ ipsius substantiâ per totum locum adæquatum non potest tollere replicationem à medio loci adæquati & illam conseruare in extremitatibus. 510. VIII. si supponatur esse tantùm formaliter in loco per operationem transeuntem, ita vt sine illa non sit etiam quoad suam substantiam in spatio, tunc non potest Angelus esse in pluribus locis inadæquatis, aliquo spatio discretis, intra locum suum adæquatum contentis, nisi etiam simul sit in locis intermediis. 511. I

Angelus potest naturaliter pro sua libertate sese constituere in loco minori & minori diuisibili. 511. VIII. cur non æquè postulet corpus determinatæ quantitatis ac anima rationalis. 512. II. nobis non constare vtrum possit esse in minori & minori loco diuisibili falsò asserit Vasquesius. 513. I. potest naturaliter sese constituere in puncto, seu indiuisibili loci sui adæquati. *ibid.* III

Angelus quo sensu non sit in puncto. 513. VI. licet non operaretur circa illud, non desineret esse in illo. *ibid.* VI. posśitne operari circa illud. *ibid.* VII

Angelus non potest etiam transeunter esse in loco maiori suo loco maximo. 526. III. IV. quomodo sit independens ab hoc & illo particulari loco. 520. VII

Angelus occupans suum locum adæquatum priùs tantùm naturâ intrat partes proximiores, deinde remotiores. 525. II. existens adæquatè in toto suo loco adæquato non potest virtute naturali vnico instanti sese constituere in alio loco adæquato distante transeundo per medium. 515. VIII. quando constituitur in loco, quod vbi acquirat. 514. I. quando relinquit aliquid sui loci adæquati, & acquirit aliquid alterius loci adæquati, quod vbi habeat. *ibid.* II. an tunc habebit duo vbi. *ibid.* IV. an & quomodo distincta. 514. V. VI. existens in aliqua parte sui loci adæquati, quando sese extendit ad reliquas, quidnam acquirit. 514. VII

Angeli existentia in loco quomodo debet explicari. 514. 515. sitne diuisibilis per partes formaliter à se distantes. 515. II. est eiusdem rationis, atque illa animæ. 503. II

Angeli à loco adæquato ad inadæquatum substractio quomodo fiat. 504. VI

Angeli plures non possunt simul esse in eodem loco intrinseco. 515. VI. possunt esse simul in eodem spatio. *ibid.* VII

Angelici loci magnitudinis & paruitatis dispar ratio. 512. V

Vide vbi Angelicum.

Angelorum motus.

Angelus potest verè & propriè moueri localiter. 516. VI

Angelum moueri localiter non est illum operari circa diuersa corpora, vel circa diuersas partes eiusmodi corporum. 517. III

Angelum moueri per loca quo sensu negat S. Augustinus. ibid. VII

Angelus an & quam habeat potentiam motricem. 517.VIII.518.I

Angelus existens in loco diuisibili potest moueri motu continuo.518.II. potest in indiuisibili. ibid.VIII

Angeli non possunt moueri motu continuo, quin transeant per medium. 519. III. nec motu discreto.ibid.V. cur nō magis possint, quàm corpus. ibid. VI. cur non æquè possint ac intellectus cogitare de locis discretis non cogitando de intermediis. 521. II. quo sensu dicũtur à PP. æquè velociter moueri ab vno loco ad alium ac ista cogitare. ibid. II. etiam absolutâ Dei potentiâ non possunt transire ab vno extremo ad alterum non transeundo per medium. 521. V. quo sensu dicuntur non indigere temporis morâ ad motum localem. 521. III

Angeli transeuntes in motu per medium debeántne enumerare infinita loca. 520.V

Angeli quo sensu dicuntur à Tertulliano esse in momento vbique. 524.II

Angelus in suo loco adæquato existẽs non potest moueri circulariter quoad suã substantiam. 523. II. existens in loco suo adæquato prout consideratur secundùm varias suas replicationes importantes virtualem extensionem, adhuc non potest aliquo modo sese mouere circulariter intra suum locum adæquatum ratione istarum replicationum. 523.IV

Angelus potest virtute suâ naturali acquirere in instanti locum aliquem siue adæquatum siue inadæquatum proximum ei, quem tali mutatione derelinquit. 524.IV

Angelus non potest aliquem motum discretum constantem ex pluribus mutationibus instantaneis facere in instanti, sed tantùm in tempore discreto. 526.VI

Angeli non possunt celeriùs, & celeriùs in infinitum sese mouere. 527. III. cur id magis non possint, quàm sese constituere in loco minori, & diuisibili in infinitum. 527. VI

Angelus inferior non potest virtute naturali mouere superiorem reluctantem. 529.I. nec æqualem. ibid. an & quomodo in motu possit reluctari inferiori. 529. II. III. dum vult retinere inferiorem, quam qualitatem ei imprimat. 529. IV. an & quomodo debeat esse ei præsens. 529. V

Angelus potest naturaliter mouere alium Angelum localiter. 528. VII. quodcunque corpus naturale. ibid. II. determinatâ tantùm velocitate. 527. VII

Angelus mouens aliquod corpus vel alium Angelum ad locum distantem, imprimit eis qualitatem impulsiuam. 529. VII. non per solam volitionem cum approximatione locali mouet. 530. II. quo sensu dicitur nihil posse producere circa aliquod subiectum præter motum. ibid. IV

Angeli custodes quoad naturalia inferiores aliquibus dæmonibus quâ virtute eos aliquando nolentes mouent. 529 II

Angeli virtute sua naturali per motricem potentiam possunt immediatè ea omnia, quæ solâ & simplici applicatione actiuorum ad passiua fiunt ab agente naturali, vel ad eiusmodi applicationem resultant. 530. VII

Angelorum operationes.

Angeli solis naturæ suæ viribus non possunt immediatè producere vllam substantiam, nec etiam immediatè alterare corpora. 531. II. cur ista non æquè possint ac possunt producere qualitates impulsiuas, & retentiuas. ibid. V

Angelus nihil potest producere ad extra præter motum, quomodo debeat intelligi. 549. III

Angeli nihil operantur in cælo empyreo. 503. III. non motum. ibid. non aliquam qualitatem. ibid. non ornatum. ibid. IV. non stabilitatem. ibid. V. non lumen quoddam. 503. V

Angelus suâ virtute naturali agens est specialis causa principalis corporis ab illo assumpti. 491. VI

Angeli quo sensu dicuntur à S. August. aptare sibi corpora assumpta secundùm *attributam sibi à creatore omnipotentiam*. 493. II. à S. Thoma ea non operari nisi diuinâ virtute. ibid. IV

Angelorum custodia.

Angeli deputantur ad custodiam hominum, 474. VI. regnorum. ibid. specierum rerum. ibid.

Angelorum intellectus & cognitio.

Angeli non habent intellectum agentem. 532. II. nec possibilem. ibid. habent aliquid illis simile. ibid. IV

Angelus inferior, qui illuminatur à superiori, potest dici habere impropriè intellectum possibilem. 532. IV. superior illuminans agentem. ibid.

Angeli quo sensu dicuntur esse essentialiter cognoscitiui. 533. II

Angeli non intelligunt res alias à se per suam substantiam. 532. VII. dicuntur à sancto Dionysio eas intelligere *collustratione diuinâ*. ibid. an possint per absolutam Dei potentiam alia à se per suam substantiam intelligere. 533. II. in illo casu an liberè hanc vel illam rem intelligerent. 533 IV

Angeli cognoscunt res alias à se per species intelligibiles. 533. VII. cur non æquè possint aliorum Angelorum substantias per illas intelligere, ac propriam substantiam. 534. IV

Angeli nullas accipiunt species siue singulares, siue vniuersales à rebus, siue materialibus, siue spiritalibus, quibus illas cognoscant. 534. VI

Angeli vnius indistantia ad intellectum alterius non sufficit vt ipse cognosci possit. 535. II

Angelus per suum intellectum non potest abstrahere species ab obiectis, eásque depurare à materia. 535. II

Angeli res omnes tam singulares, quàm vniuersales, quas cognoscunt, intelligunt per species sibi concreatas & congenitas. 536. I. an inde sequitur, quòd intelligant ab initio creationis suæ omnia futura libera. 536. III. quomodo in instanti suæ creationis suas species cognoscant. 536. VI

Angeli intelligunt per species vniuersales. 538. VII. quomodo cum iis liberè obiecta cognoscant. ibid. VI. superiores intelligunt per species vniuersaliores. 539. I

Angelus in intelligendo quomodo accedat ad perfectionem Dei. 539.II
Angelus aliquis potest dari, qui omnia intelligat per vnam speciem. 541. I. qui foret eo superior non se intelligeret per suam substantiam. *ibid.* II
Angelus seipsum cognoscit. 541. IV. per suam substantiam sese habentem ad instar speciei impressæ. *ibid.* cur potiùs ita seipsum cognoscat, quàm anima in corpore inclusa seipsam. 541. VI. quomodo omnia accidentia in seipso inclusa cognoscat. *ibid.* VII. est semper in actu secundo respectu cognitionis quam habet de seipso. 553.IV
Angelus cognoscit alium Angelum. 542. I. potest illum cognoscere per ipsam suam substantiam, vel etiam per substantiam Angeli cognoscendi. *ibid.* II. non illum cognoscit per suam substantiam, sed per speciem sibi à Deo infusam. *ibid.* III. quo sensu à nonnullis Patribus boni Angeli dicuntur posse sese occultare dæmonibus. 542. V
Angelus superior potest comprehendere inferiorem, non contrà. 542. VI. ad talem comprehensionem non est necesse quòd omnes eius actus liberos cognoscat. *ibid.* VII
Angeli naturaliter possunt cognoscere Deum. 542. VIII. non tamen intuitiuè & distinctè. *ibid.* VIII. Deum cognoscunt per suam substantiam tanquam per medium cognitum. 543. II. an possint eum cognoscere per conceptum absolutum. 543.V
Angelus est semper in actu secundo, respectu cognitionis, quam habet de Deo vt habet ad illum relationem dependentiæ, respectu aliarum cognitionum minimè. 553. IV
Angeli cognoscunt res materiales, tam singulares, quàm vniuersales. 543. VII. eadem specie sibi à Deo infusâ cognoscunt res vniuersales, & illarum singularia. 544. II. possintne intelligere vniuersale sine singulari, & econtrà. *ibid.* V. per eandem speciem, quâ intelligunt ipsum singulare cognoscunt eius existentiam, & durationem. *ibid.* an species illorum mutentur, dum de facto cognoscunt res existentes. 544 VII. quo sensu dicuntur cognoscere res materiales naturaliter. 545. I. per species sibi congenitas possunt cognoscere etiam aliquot singularia contingentia tantùm possibilia naturali virtute agentium naturalium. 545. II
Angeli suâ naturali cognitione cognoscunt certò futura, quæ sunt ex causa necessaria, & quæ contingunt vt plurimùm, quatenus dependent à causis naturalibus. 545. VI. futura rarò contingentia quatenus dependent à solis causis naturalibus. *ibid.* VII. cur ea non cognoscant nisi vt dependent à causis naturalibus. 546. I. non cognoscunt suâ naturali cognitione certò futura contingentia, quæ dependent à libero Dei vel hominis arbitrio, sed tantùm coniecturaliter nonnulla ex illis norunt. 546. II. cognoscunt certò omnes nostras actiones naturales, & necessarias tam voluntatis, quàm intellectus. *ibid.* VI. coniecturaliter possunt deuenire in cogitationes cordium. 546. VI non tamen certò. *ibid.* VII. falsò dicuntur à Durando eas, quando existunt cognoscere suâ virtute naturali. 546. VIII. ab Henrico Gandauēsi eas cognoscere secundùm suam substantiam. *ibid.* quæ sit ratio physica propter quam naturaliter non possint cognoscere cogitationes cordium. 547 II. moralis. *ibid* ratio physica nôn petitur ex imbecillitate intellectus Angelici. *ibid.* II. non ex defectu concursus generalis Dei. *ibid.* non ex defectu directionis huiusmodi cogitationum ad Angelos requisitæ tanquam conditionis sine qua non. *ibid.* IV
Angeli primo instanti suæ creationis non acceperunt species cogitationum cordis 547. VI. eas tantùm accipiunt, quando diriguntur ad illos. *ibid.* VIII. an cognoscant habitus qui ex actibus liberis producuntur. 548. IV
Angeli secundùm pura sua naturalia considerati non cognoscunt naturaliter illud quod est supernaturale, siue illud sit modus, siue substantia seu entitas non modalis. 550. VIII. cum reuelatione vel euidentia in attestante possunt illa cognoscere. *ibid.* VIII
Angeli existentes in via cognouerunt cognitione supernaturali mysterium Trinitatis, item & Incarnationis quoad suam substantiam, similiter media, quibus peruenitur ad vitam æternam. 551. III
Angeli ad quas species intelligibiles sint in potentia. 551. VIII
Angeli nullos habent habitus, qui ita sint virtutes intellectuales, vt non sint etiam morales. 552. VIII. possunt acquirere habitum fidei vel opinionis de rebus, quas non possunt euidenter cognoscere. 553. II
Angelus non potest naturaliter vno tantùm actu cognoscere omnia, quæ subiiciuntur naturali eius cognitioni. 553. VIII. si plura illi repræsentātur per vnicam speciem, tunc potest cognitione distinctâ cognoscere illa plura. 554. I. vnicâ intellectione potest duo obiecta per diuersas species repræsentata simul cognoscere. 554. II. potest simul & semel exercere plures actus intelligendi vtendo diuersis speciebus, non tamen tunc ita perfectè cognoscit. *ibid.*
Angelus circa res naturales propriè non discurrit. 554. VI. potest tamen circa res illas quarum non habet species sibi congenitas. 554. VIII
Angeli siue boni, siue mali intellectus non potest falli circa obiecta naturalia. 555. II. circa supernaturalia intellectus boni non fallitur, sæpe tamen intellectus mali. *ibid.*
Angelus cognoscit sibi esse impossibile & disconueniens quòd sit Deus. 562. VIII
Angeli eorum semper vident faciem Patris explicatur. 463. V
Angelus primus potuit apprehendere aliquam creaturam esse possibilem, cui totam vniuersi gubernationem Deus relinqueret. 563. VIII. huiusmodi dominatum vt sibi conuenientem potuit apprehendere. 564. I. per lumen naturale qualem cognouit esse dispositionem vniuersi. 564. II

Angelorum loquutio.

Angeli sibi inuicem loquuntur. 548. VI. non per aliqua signa siue corporea, siue spiritalia, quibus vnus Angelus suum conceptum exprimit alteri. 548. VII. non per speciem

quæ ab ipso loquente imprimatur audienti. 549. III. quomodo loquantur. *ibid.* VI
de loquutione Angelorum Durandi sententia. 548. VII
Angeli, quo sensu in sacris Scripturis leguntur loquuti. 498. VIII
Angelus vt loquatur alteri, quid sufficiat. 550. III. quomodo loquatur Deo. 550. V
Angeli loquutio nihil est aliud, quàm conceptus loquentis, vt directus & manifestatus alteri Angelo per speciem ei à Deo impressam per cuius speciei receptionem, Angelus, cui fit loquutio, excitatur ad percipiendum ipsam loquentis conceptionem. 549. VI
Angelorum loquutionis lingua est ipsa voluntas vt faciens directionem conceptus Angeli. 549. VIII. principium vitale est intellectus exprimens ipsum conceptum. *ibid.*
Angelo ad quem fit directio alicuius conceptus imprimuntur à Deo species, & quare. 550. I. an Deus tunc censeatur loqui. *ibid.* II. an concurrere cum malis ad eorum mendacium. *ibid.* V.
Vide loquutio.

Angelorum illuminatio.

Angelus an & quomodo illuminat, & illuminatur. 552. III
Angelus superior eo modo illuminat inferiorem, quo doctor infundit doctrinam discipulo. 591. IV
Angeli illuminatio est loquutio Angeli superioris cum alio inferiori, quâ illi manifestat aliquam veritatem aliquo modo supernaturalem. 551. VI. quare debet esse de re supernaturali. 552. I

Angelorum dilectio.

Angelus se diligit dilectione naturali, & elicitiuâ. 555. VI. cur potiùs possit seipsum diligere liberè, quàm intelligere. 556. I. naturali dilectione diligit alium. 556. I. iuxta primariam suæ naturæ inclinationem plus amat Deum, quàm seipsum. *ibid.* II
in Angelis datur dilectio naturalis, & elicitiua. 555. VI

Angelorum voluntas & appetitus.

Angeli præditi sunt voluntate. 555. II. distinctâ ab intellectu. *ibid.*
Angeli non sunt præditi appetitu concupiscibili aut irascibili. 555. IV. possunt tamen producere aliquos actus spiritales respondentes actibus appetituum. *ibid.* quomodo dicuntur desiderare prospicere in Deum. 93. I
Angelus potuit appetere sui vnionem hypostaticam cum Verbo. 562. IV

Angelorum custodia.

Angeli deputantur ad custodiam hominum. 474. VI. regnorum. *ibid.* VI. specierum rerum. *ibid.*

Angelorum via.

Angelorum via duobus constat instantibus. 565. I. fuit breuis. 566. V. cur breuior illâ hominum. *ibid.*

Angelorum gratia, & meritum.

Angeli omnes fuerunt de facto creati in gratia sanctificante. 557. V. quo sensu à sancto Gregorio dicuntur initio creationis habuisse *foramina non repleta. ibid.* VI. sese ad recipiendam gratiam sanctificantem disposuerunt. 557. VIII. æquè indigent gratiâ ad agendum supernaturaliter, ac homines. 557. IV. quo sensu dicuntur consequuti gratiam iuxta sua naturalia. 558. V
Angeli boni sibi promeruerunt vitam æternam. 558. VII. in secundo instanti suæ creationis. 565. I. quomodo à sancto Hilario dicantur eam habuisse sine proprio labore. *ibid.* VII. eam non promeruerunt per bona opera antecedentia, nec concomitantia, sed solùm per antecedentia. 559. I. quomodo promeriti sunt accidentalem gloriam. 559. VIII

Angelorum prædestinatio.

Angeli aliqui fuerunt prædestinati. 249. IV. in sua prædestinatione quomodo dicantur manifestare diuitias bonitatis & iustitiæ diuinæ. *ibid.* VI. liberari & saluari à malo. 250. II. à prædestinatione hominum differre. *ibid.* I

Angelorum beatitudo.

Angelus sitne beatus saltem beatitudine naturali ex cognitione necessaria, quam habet de Deo, vt termino suæ relationis dependentiæ. 551. VII
Angeli fuerunt creati in beatitudine naturali imperfecta, non perfecta, nec supernaturali. 556. VIII. quo sensu dicuntur à S. August. fuisse in principio suæ creationis participes lucis æternæ, nunquam fuisse peregrini. 557. III
Angeli boni in tertio instanti suæ creationis beatitudinem æternam sunt consequuti. 565. I. quo sensu dicuntur consequuti gloriam iuxta sua naturalia 558. V. nec possunt peccare, nec in essentiali beatitudine proficere, licet in accidentali possint. 559. V
nunquam fuerunt miseri, vel etiam infecti aliquâ culpâ veniali. 249. VIII

Angelorum peccatum.

Angeli non de facto peccauerunt in primo instanti suæ creationis. 564. IV. potuerunt peccare. *ibid.* V
Angeli causaliter possunt committere omnia peccata mortalia. 560. IV. formaliter sola spiritalia. *ibid.* V
Angeli qui peccauerunt, commiserunt etiam peccatum inuidiæ. 561. VII. ex singulis ordinibus aliqui videntur cecidisse. 561. VII. cur ex iis nullus in scriptura vocetur *Seraphin* vel *Thronus. ibid.* eorum quota pars ceciderit non constat. 561. VIII
Angeli omnes eodem instanti durationis peccauerunt. 562. I
Angeli fuisse desertores summi boni, quia per electionem putauerunt se sibi ad vitam sufficere, quo sensu dicantur à SS. PP. 563. III
Angeli inferiores quomodo peccato superbiæ ceciderint. 564. III
nulli Angeli de facto peccauerunt in primo instanti suæ creationis. 558. V
Angeli peccauerunt in secundo instanti suæ creationis. 564. VIII
Angeli inferiores per quid peccauerint. 561. III
Nescitis quod Angelos iudicabimus, de qui-

bus id debeat intelligi. 559. VII. *vide* dæmones.

Angeli primi peccatum.

Angelus primus peccauit per superbiam. 560. VIII. non per aliquam fornicationem spiritalem, quâ nimium delectabatur in propria excellentia. 561. I. eum peccauisse docent sancti Patres. 561. II. cur vocetur apud Ezechielem Cherubin. *ibid.* III

Angelus primus licet priùs ordine naturæ aliis peccauerit, non tamen ordine durationis. 562. I

Angelus primus potuit quidem committere peccatum superbiæ sumptâ occasione ex mysterio incarnationis, sibi in via existenti ad credendum proposito, attamen non ita de facto primùm peccauit. 562. III. non peccauit appetendo etiam appetitu inefficaci æqualitatem cum Deo per essentiam, imò, nec potuit sic peccare. 562. VI. non ex inordinato appetitu beatitudinis supernaturalis, quo illam appetiit nullâ factâ mentione gratiæ & auxilij supernaturalis. 563. II. non ex vllo appetitu beatitudinis naturalis. 563. IV. ideò peccauit per superbiam, quia ex consideratione suæ perfectionis & pulchritudinis appetiit tyrannidem, dominatum, & potestatem, quatenus noluit subesse Deo, vt sibi imperanti, & præterea voluit omnia alia sibi inferiora subiicere. 563. VII.

Angelorum damnatio.

Angeli mali damnati sunt in tertio instanti suæ creationis. 564. VIII

Angelos peccantes periisse fides Catholica docet. 565. V

Vide dæmones.

Anima.

Anima postulat corpus proportionatum naturali suæ virtuti. 469. V

Anima rationalis indiuiduatur per aliquid sibi superadditum 481. II. cur potiùs postulet corpus certæ cuiusdam quantitatis quàm Angelus. 512. II

Animæ plures cur non possint esse simul in eodem corpore. 516. I

de Animæ sentientis ratione sitne esse principium radicale communicandi naturam alteri. 329. I

Annihilabile, Annihilatio.

illud est Annihilabile naturâ suâ à Deo, cuius natura intimè pendet à Deo, liberè eam conseruante Hæc propositio est falsa, & quare. 473. VII

Annihilatio est præternaturalis Angelis. *ibid.* VI

Anomæi.

Anomœorum hæresis. 95. II

S. Anselmus.

S. Anselmus quomodo dicat Filium nascendo distingui à Spiritu sancto. 428. I

Anthropomorphitæ.

Anthropomorphitæ existimabant Deum esse quoddam ens corporeum. 37. VII. illorum hæresis reiicitur. *ibid.*

Apparitio.

Apparitio trium Angelorum facta Abrahæ fuit vera. 486. VII. sancti Raphaëlis iuniori Tobiæ. *ibid.* Diaboli Christum Dominum tentantis in deserto. *ibid.* VIII. Angelorum, qui in forma iuuenum apparuerunt mulieribus in resurrectione Christi Domini. *ibid.*

Apparitiones Angelorum quæ referuntur in sacris Scripturis nonnullæ fuerunt imaginariæ. 486. V. quæ. *ibid.* multæ fuerunt veræ. *ibid.* V

Apparitiones aliquas Angelorum factas in veteri testamento fuisse veras fuit valde congruum. 487. II

Apparitiones Angelorum fieri secundùm imaginationem quomodo dicatur à S. Damasc. 487. VIII

quæ Apparitiones, condemnentur cap. *Episcopi.* 26. quæstione 5. 488. III

Apparitiones frustráne admittuntur. 488. VIII. decipiántne videntes. 489. I. vnde diiudicentur veræ, vel imaginariæ. *ibid.* III. IV

Apparitiones visibiles bonorum Angelorum quomodo dignoscantur ab apparitionibus dæmonum. 489. V. VI

Vide Angeli vnio cum corpore.

Appetitus.

Appetitus videndi Deum in homine considerato secundùm pura sua naturalia qualis sit. 90. VIII

Appetitus cuiuslibet beati est omnimodè expletus in visione beatifica. 141. VII

Appetitus aliquis intrinsecè conuenit viuenti intellectuali. 219. III

Appetitus rationalis quid sit. *ibid.* IV. *vide* desiderium.

Archangeli.

Archangeli qui sint. 475. V

Argumentatio.

an valeat ista Argumentatio, *Deus est Pater, Deus est Filius: ergo Pater est Filius.* 441. II. an ista, *Pater non est Filius, Deus est Pater, ergo Deus non est Filius.* 441. II

Argumentum.

vbi valet Argumentum à commutata propositione. 346. VIII

Argumenta omnia quæ fiunt contra fidem possunt solui per Theologiam. 29. II

Arius, Ariani.

Arij hæresis quæ, & quo tempore orta. 310. III

Ariani vnde desumebant argumenta contra diuinitatem filij æterni. 311. III. IV. quibus regulis soluantur huiusmodi argumenta. *ibid.* IV. V. VI

Ariani nullos ex antiquis PP. pro sua hæresi potuerunt proferre. 312. II

Ariani dicti sunt & Macedoniani. 315. V

Arianorum rationes contra diuinitatem Spiritus sancti soluuntur. 316. VIII

Ariminensis.

Ariminensis sententia negans proprietates dari in personis diuinis, reprehenditur à nonnullis tanquam erronea, aut saltem temeraria. 442. III

Aristoteles.

Aristoteles negat actum intelligendi in Deo esse accidens. 39. II

Aristoteles quo sensu dicat intellectum diuinum fore vilissimum, si cognosceret minutissima quæque. 181. VI

Aristoteles existimat Angelos omnia cognoscere per suam substantiam. 532. IV

Armeni.

Armeni negauerunt possibilitatem visionis beatificæ. 85. IV

Ars.

Ars quo sensu ab Aristotele dicitur habitus effectiuus. 213. III

Asina.

Asina Balaam, quæ dicitur diuinitus loquuta, non fuit assumpta ab Angelo 485. VIII

Assensus.

Assensus circa conclusiones Theologicas sunt in duplici differentia. 14. IV

Assensus conclusionis Theologicæ ex duabus præmissis de fide sitne diuinæ fidei. 14. II

Assensus, qui sunt ex duabus præmissis de fide, sunt eiusdem speciei. 15. VIII. qui sunt ex vna de fide, & alia naturali distinguuntur specie à se inuicem. 16. I. qui sunt ex vna præmissa de fide, & altera tantùm probabili ad quem habitum Theologiæ reuocentur. 16. II

Assensus in conclusiones Theologicas deductas ex vna præmissa de fide, & alia naturali quodnam habeant adæquatum motiuum. 14. V. an distinguantur ab illis, qui sunt in conclusiones deductas ex præmissis de fide. 15. III. VII

Assumere.

Assumere est idem ac ad se sumere. 483. VIII

Assumptio.

Assumptio corporis facta ab Angelo non est vnio veræ formæ informantis corpus. 484. III. non fit per vnionem hypostaticam. 484. V. non per nudam assistentiam Angeli ad corpus tanquam motoris cum mobili *ibid.* VIII. non per realem tantùm illius existentiam in corpore eius, quem vexat. 485. I

Assumptio corporis ab Angelo fit per substantialem ipsius Angeli positionem in corpore, vt vtatur eo tanquam instrumento ad se repræsentandum & manifestandum, vel aliquam suam proprietatem. 485. III

ad Assumptionem corporis ab Angelo non requiritur vt corpus assumptum sit formatum ab Angelo. 486. II. vt Angelus sit definitiuè in illo. *ibid.* vt moueatur cum eo per accidens. *ibid.*

Vide Angelus.

S. Athanasius.

S. Athanasius asseruit in suo Symbolo Spiritum sanctum procedere à Filio. 424

Attributum diuinum.

Attributum diuinum quid sit. 35. V. quas conditiones requirat. *ibid.* VII. non est necesse vt sit aliquid commune Deo & creaturis 36. I. non vt sit aliquid naturaliter demonstrabile. *ibid.*

Attributum essentiale remanendo commune toti Trinitati potest accommodari alicui personæ diuinæ propter peculiarem aliquam rationem. 441. V

Attributum notionale in Deo, aut aliquid ipsi simile ita restringit nomen essentiale concretum, vt tunc supponat pro ea tantùm persona, cui talis actus notionalis competit. 440. I

Attributorum Dei diuisio.

Attributa Dei alia positiua alia negatiua. *ibid.* hæc diuisio fundatur in sancto Dionysio. *ibid.* quid sunt positiua, quid negatiua. *ibid.* III

Attributa Dei alia absoluta, alia notionalia. 148. II. absoluta quid sint. 354. VIII

Attributa diuina considerata in ordine ad se. & essentiam diuinam.

Attributa absoluta tam prout comparantur ad se inuicem, & alia attributa relatiua, quàm prout comparantur ad essentiam diuinam, non distinguuntur vel realiter, vel ratione ratiocinante, sed solùm virtualiter. 355. I. à Deo quomodo distinguantur, *vide* distinctio in diuinis.

Attributa quædam Deo essentialia quomodo dicuntur esse extra eius essentiam. 168. III

Attributa Dei cum essentia diuina non faciunt aliquam compositionem. 39. II

Attributa Dei inter se & essentiam diuinam non sunt synonyma. 355. VI

Attributa diuina non includunt essentialiter essentiam diuinam, nec vnum attributum essentialiter includit aliud. 366. IV

Attributa diuina tam de diuina essentia, quàm de se mutuò prædicantur tantùm in sensu identico non in formali. 366. VI

Attributa diuina comparata ad visionem beatificam.

Attributum aliquod diuinum prout virtualiter distinguitur ab essentia diuina, & ab alio potest inadæquatâ visione videri sine alio, & sine essentia diuina. 158. II

Attributum absolutum videtur à beato vt virtualiter distinguitur ab alio. 149. I. relatiuum, vt distinguitur à correlatiuo. *ibid.*

Attributa diuina tam notionalia, quàm essentialia videntur à beatis. 148. IV. probatur id esse de fide. *ibidem.* VI. à beatis in visione beatifica quomodo distinguantur. 357. IV

Attributa diuina quæ dicunt eiusmodi respectum ad creaturas, vt tota ratio distinguendi illa sint ipsæ creaturæ, non debent videri necessariò à beatis. 149. VII

hæc Attributa omnipotentia, eminentia, scientia in Deo quomodo videantur à beatis. 148. VII

Vide beati.

Auctor, Auctoritas.

quo sensu nomen hoc *Auctor* possit affirmari & negari de Patre & Filio in diuinis. 407. III

Auctoritas Ecclesiæ est locus Theologicus. 27. III

Audacia.

Audacia sitne in Deo. 241. VI

Auerroës.

Auerroës existimat Angelos omnia intelligere per suam substantiam. 532. VI

S. Augustinus.

sanctus Augustinus nunquam egit ex professo de electione ad gloriam. 267. V. de qua egerit. *ibid.*

sanctus Augustinus retractauerítne ea, quæ scripsit de gratia in libro ad Simplicianum. 261. VIII. commendat illud opus libro de prædestinatione sanctorum. *ibidem.*
sanctus Augustinus retractat quod dixerat infernum esse locum spiritalem. 570. II. solâ cognitione Angelorum distinguebat dies Geneseos. 9. VI
cur & quo sensu dicat sanctos vitâ functos nescire, quæ apud nos gerantur. 162. I
sanctus Augustinus quo sensu dicat *quod est,* dici *ad se.* 380. VII. *ab eo quod est esse. essentiam appellari. ibid.* Filium Dei esse sapientiam de sapientia. 459. VI
sancti Augustini non est liber Soliloquiorum. 267. VI
ex sancto Augustino auctoritates desumptæ contra electionem hominum ad gloriam ante præuisa merita explicantur. 267. 268

Autotheani.

Autotheanorum hæresis, quâ dicunt Filium esse Deum à se ipso, reiicitur. 455. I

B

Beatitudo.

BEATITVDO alia est totalis & completa tam quoad corpus, quàm quoad animam, alia principalis, sed tantùm incompleta & solius animæ. 93. VI. completa est remuneratio operum danda post iudicium vniuersale. *ibid.*
Beatitudo obiectiua tantùm significatur per denarium diurnum Matthæi 20. non verò formalis. 137. III
in Beatitudine detúrne aliqua inæqualitas. 136. VII. quomodo illa sit intelligenda. 137. VII. huius inæqualitatis causa moralis quæ sit. 138. causa physica. *ibid.* IV. *vide* inæqualitas.
Beatitudo inæqualis non potest conferri duobus æqualibus in meritis. 139. VII
Beatitudo maior vel minor vnde attendatur. 161. VIII
Beatitudo creata hoc ipso, quod est fruitio Dei, posśitne fieri perfectior. 303. IV
Beatitudo intellectualis creaturæ alia est naturalis, alia supernaturalis. 556. VI. naturalis alia perfecta, alia imperfecta. *ibid.* VII
Beatitudo sanctorum quomodo correspondet beatitudini Christi Domini. 94. VIII
Beatitudo Dei Patris in quo consistat. 414. VIII. creaturæ. 415. I. vtriusque dispar ratio. *ibid.*
Beatitudinis status excludit omnem dolorem. 568. VIII
Beatitudo Angelorum, *vide* Angelorum beatitudo.
Vide beatus, visio Dei.

Beatus.

Beati nunc vident de facto essentiam diuinam. 92. est de fide à tempore Benedicti XII. *ibid.*
Beati vnius appetitus in visione beatifica non potest magis satiari, quàm appetitus alterius beati. 141. VII
quomodo vnus Beatus dicatur esse essentialiter alio beatior. 144. III
Beati vident de facto omnia attributa tam notionalia, quàm essentialia, quæ sunt formaliter in Deo. 148. IV. est de fide. *ibid* VI. quomodo videant omnipotentiam, eminentiam, & scientiam Dei. *ibid.* VIII. vnicâ cognitione beatificâ sic vident totam essentiam diuinam, & omnia quæ sunt formaliter in Deo, vt etiam videant illa omnia, non solùm quatenus sunt quid vnum realiter, sed etiam vt sunt vnum formaliter, item quatenus vnum attributum absolutum distinguitur ab alio sibi correlatiuo. 149. I. quomodo vnicâ visione ista omnia possint videre. *ibid.* VI. non est necesse, quòd videant ea attributa essentialia, quæ sic respiciunt creaturas, vt tota ratio ea distinguendi sint ipsæ creaturæ. 149. VIII. vident aliquas creaturas in Verbo. 160 III quæ sit ratio propter quam videant potiùs hæc vel illa ex possibilibus, aut cur vnus illorum videat plura, alter verò pauciora. 161. I. vident de facto omnia mysteria fidei, quæ habent esse in aliqua temporis differentia. 161. IV. non vident pro hoc instanti nonnulla mysteria, quæ pertinent ad tempus futurum. 161. IV. ex singularibus ad vnam aut alteram personam, vel gentem spectantibus vident, quæ pertinent ad suum statum. 161. VI. non vident quæ pendent à libera voluntate creaturæ rationalis, nisi quatenus speciali quadam ratione pertinent ad eorum statum. 162. III. vident in Verbo totum hoc vniuersum & omnes rerum species, quibus constat, saltem causaliter, quatenus per species sibi infusas cognoscunt illa. 162. IV. ea omnia, quæ vident in Verbo, vident simul, non autem vnum post aliud cum vera successione. 162 IV
Beati in visione beatifica quomodo distinguant attributa Dei à se inuicem virtualiter. 357. IV. extra visionem quomodo. *ibid.* VIII
Beati cognitione vespertinâ cognoscunt Deum & attributa eius. 358. II
Beati nullum possunt pati dolorem. 567. VIII
Beati non possunt nominare Deum sicuti est sibi inuicem vel viatoribus. 163. VII. *vide* Dei nomen.
Beatorum cognitio vna matutina, alia vespertina. 9. V. 159. I. vnde orta huiusmodi distinctio. 9. V. VI
in Beatis datur de facto species expressa diuinæ essentiæ. 131. V
Beatius est dare, quàm accipere, de quo id debeat intelligi. 317. IV

Begardi.

Begardorum & Beguinarum hæresis. 95. II

Behemoth.

Behemoth cur dicatur initium viarum Domini. 467. III

Benedictus XII.

Benedictus XII. definiuit beatos nunc de facto videre essentiam diuinam. 91. III

sanctus Bernardus.

sanctus Bernardus asserit Gilbertum Porreta-

num resipuisse in Concilio Rhemensi. 347. V
sancti Bernardi ratio efficax, quâ reiiciebat hæresim Porretani. 348. I
sancti Bernardi rationes quam indicabant distinctionem admisisse Porretanum. 347. VI

Bessarion.

Bessarion Cardinalis quo sensu vsus fuit, nomine *causæ* & *causati*, in oratione, quam habuit in Concilio Florentino. 406. VIII

Bonitas, bonum.

Bonitas increata est obiectum primarium formale voluntatis diuinæ. 225. II
Bonitas creata est obiectum secundarium voluntatis diuinę spectatæ quoad suam terminationem. 225. IV
Bonitas vna transcendentalis, alia moralis 50. II
Bonitas & sapientia in genere an & quomodo distinguantur. 355. IV
Bonitas Dei, *vide* Dei bonitas.
Bonitates creatæ non sunt formaliter eiusdem rationis cum increatis sibi correspondentibus in Deo. 187. IV
Bonum increatum quomodo consistat in modo, specie, & ordine. 50. IV
Bonum esse ratione suæ essentiæ conuenit soli Deo. 52. IV
quid me vocas bonum, nemo bonus nisi solus Deus, quomodo debeat intelligi. 312
Boni cur sæpius affligantur. 243. VIII
Bonum quomodo sit proprietas entis. 229. VII

C

Caïn.

CAÏN filiæ dicuntur filiæ hominum. 471. I

Caluinus.

Caluinus in quo ponat certitudinem prædestinationis. 282. III
Caluinus existimat vnumquemque fidelem debere certâ fide credere se esse prædestinatum. 283. VIII
Caluini de reprobatione hæresis. 286. I
Caluini obiectiones contra doctrinam reprobationis soluuntur. 287. 288

Catharinus.

Catharini de prædestinatione opinio reiicitur. 259

Cassianus.

Cassianus fuit præcipuus inter Semipelagianos. 251. II

Causa.

Causa est principium per se influens esse in effectum, seu est à qua per se pendet effectus. 406. I
ad rationem Causæ plura requiruntur, quàm ad rationem principij. 406. I
nomen Causa iuxta vsum linguæ Latinæ non conuenit Patri diuino respectu Filij & Spiritus sancti. 405. VIII. iuxta vsum linguæ Græcæ potest conuenire. 406. VIII
Causa generalis diuinæ prædestinationis cuiuscumque est ipsa diuinorum attributorum manifestatio. 250. V
Causa physica efficiens, & finalis prædestinationis ad primam gratiam est Deus. 250. VI. materialis est ipse prædestinatus. *ibid.* formalis est ipsa natura effectuum prædestinationis. *ibid.*
Vide prædestinatio ad primam gratiam.
Causa reprobationis, *vide* reprobatio.
Causa principalis debeátne esse nobilior suo effectu. 110. V
ad rationem Causæ principalis sufficit, si eius virtus innata sit proportionata suo effectui proportione tantùm radicali. 109. IV
vnde proueniat limitatio virtutis in Causa creata. 110. IV
an Causa aliqua detur huius connexi ex parte hominis cur iste reprobetur, & cur Deus misereatur huius. 286. III

Causalitas.

Causalitas causæ efficientis est via per quam communicatur tota entitas termino producto. 406. VI
ad Causalitatem propriè dictam requiritur, vt tota entitas eius quod dicitur causari accipiat esse distinctum à causa. 406. VII

Celeritatis.

Celeritatis motus Angelici datur aliquis terminus. 527. III

Certitudo.

Certitudo prædestinationis in quo ponatur. 281. IV
Certitudinis nomine quid intelligatur. 22. VI
quid per Certitudinem cognitionis intelligatur. 192. VI. vnde certitudo cognitionis prouenit. 192. VII

Cherubin.

Cherubin qui sint. 475. VII

Christus Dominus.

Christus Dominus quo sensu dicitur *creatus, factus*. 312. VIII. quo sensu dicitur missus à Spiritu sancto. 461. II
Christus Dominus habuit intellectum agentem & possibilem. 531. II
Christus Dominus videt omnia singularia supernaturalis ordinis. 162. II. quomodo dicatur nescire diem extremi iudicij. *ibidem.* nouit certò numerum electorum. 184. V
Christus Dominus aliter est causa nostræ prędestinationis, quàm cæteri sancti. 274. VIII 275. I
Christus Dominus quomodo dicatur à sancto Bernardo plus dilexisse Ecclesiam, quàm suum corpus. 141. II
Christus Dominus vsus est Theologiâ. 2. I
Christus Dominus cur aliquando in scripturis dicatur *Angelus*. 463. IV. cur aliquando loquens de processione Spiritus sancti nominet solum Patrem. 425. VI
Christus Dominus quo sensu à sancto Augustino dicitur eodem modo comedisse, quo Angeli leguntur in sacris Scripturis comedisse. 498. III
Christi Domini diuinitas probatur à nonnullis ex eo, quòd cognouerit cogitationes cordium. 546. VII
Christi Domini scientiæ omnes non erant infusæ per se, sed aliquæ erant per accidens. 532. III

Christo Domino quædam conueniunt secundùm vnam naturam, quæ non ei conueniunt secundùm aliam. 312. VI
Vide filius Dei.

Sanctus Chrysostomus.

quis fuerit sensus sancti Chrysostomi circa visionem beatificam. 87. V

Circuminsessio.

Circuminsessionis nomine quid intelligatur. 459. III
Circuminsessio datur in diuinis. 459. III. in quo illa consistat. *ibid.* V
Circuminsessio importat in Deo solum relationem rationis. 460. IV

Circumstantiæ.

Circumstantiæ omnes quæ sunt in aliqua re, sintne ratio mouens Deum ad volendum illam. 221. VII

Coexistere.

quid sit Coexistere æternitati Dei vt toti, quid vt totaliter spectatæ. 195. II
nihil realiter Coexistit ab æterno æternitati Dei. 194. III. fundamentalis ratio propter quam id asseratur. 196. II

Coexistentia.

an Coexistentia futurorum contingentium in æternitate ab æterno posset esse ratio ea cognoscendi à Deo. 199. III
Coexistentia rerum æternitati Dei illustratur exemplo animæ rationalis coexistentis omnibus partibus corporis. 197. I
Coexistentia Dei in rebus possitne colligi à priori ex eius operatione transeunte, vel tantùm à posteriori. 61. IV

Cogitatio.

Cogitatio de igne inferni est aliqua damnatorum pœna. 569. I
Cogitationes cordium vbi productæ sunt, an & quomodo sint liberæ. 547. VII

Cognitio scientia.

Cognitio Dei, *vide* Dei cognitio, scientia.
Cognitio Angelorum, alia *naturalis*, alia *supernaturalis*. 565. VI. vtraque diuiditur in speculatiuam & practicam. *ibid. vide* Angelorum cognitio.
Cognitio beatorum, *vide* beati.
Cognitio quam dæmones habent de veritatibus nostræ fidei, sitne naturalis quoad suam entitatem. 19. III
Cognitio omnium possibilium non potest communicari vlli intellectui creato. 159. V
Cognitio rerum possibilium ex qua Verbum procedit est abstractiua. 417. IV
Cognitio à potentia & obiecto paritur, quomodo debeat intelligi. 334. III
Cognitio abstractiua quid sit. 534. quomodo nascitur ex intuitiua. *ibid.* IV
Cognititio sensitiua nulla datur in Angelis. 532. I
Cognitionis terminus cuiusnam sit imago. 415. V
Cognitionis creaturarum & amoris in Deo dispar ratio. 419. I. quod sit discrimen inter cognitionem Dei per essentiam & eiusdem cognitionem ænigmaticam. 85. III

Cognoscere, cognoscens.

Cognoscere aliquid in particulari, & distinctè, quomodo distinguantur. 543. VI. quid sit vnum in alio cognosci. 160. I. quomodo inter se distinguantur cognoscere vnum in alio, & cognoscere vnum ex alio. 160. II
Cognoscens perfectissimo modo non priùs fertur in finem, quàm in media. 269. VI. imperfecto modo secus. *ibid.*
Cognoscens debeátne fieri res cognita saltem in esse intelligibili. 181. III

Cognoscibilitas.

Cognoscibilitas rei an & quomodo fundetur in eius entitate. 192. I

Columba.

Columba, quæ apparuit in baptismo C. Dom. non fuit vera columba. 461. VII

Comestio.

Comestio eiusdem agni Paschalis non ostendit æqualitatem beatorum in visione beatifica. 137. V

Communicabilitas.

Communicabilitas naturæ diuinæ alia est radicalis, alia formalis. 360. VII. sola radicalis est de essentia naturæ diuinæ. *ibid.* VIII

Communicatio.

Communicatio actualis sitne de essentia boni. 51. VIII

Communitas.

Communitas aliqua datur per considerationem nostri intellectus inter personas diuinas. 376. IV. huiusmodi communitas non est vniuersalis vniuoca. *ibid.* non analoga. *ibid.* VI. qualis sit. *ibid.* VII. VIII
Communitas naturæ diuinæ, & eius communicabilitas quomodo inter se distinguantur. 360. VI

Compositio, compositum.

Compositio alia actiua, alia passiua. 40. IV. alia quæ fit ex partibus propriè dictis, alia quę est ad modum numeri. *ibid.* IV
Compositio rationis quid dicat. 39. VI
Compositio non reperitur in Deo. 39. IV. *vide* Dei simplicitas.
ad veram Compositionem quid requiratur. 349. VI
Composita quæ excludantur à prædicamentis. 443. VIII

Comprehensio.

Comprehensio est vox translata à rebus corporeis ad spirituales. 144. VI. quid sit. 145. IV. quotuplex sit. 144. VIII
ad Comprehensionem est impertinens, quòd res cognita posset cognosci ab agente perfectiori. 146. II
ad Comprehensionem essentiæ diuinæ non requiritur cognitio effectus determinati ad existendum ex decreto Dei. 426. VII
an esse Comprehensum à diuina cognitione sit quædam perfectio. 180. IV

Conceptus.

Conceptus dicatúrne essentialiter in diuinis. 410. II
Conceptus obiectiuus essentiæ diuinæ quomodo distinguatur à conceptu obiectiuo relationis. 35. III

Concilium.

Concilium Antiochenum quo sensu vocem *homousion* reiecerit. 310. II
Concilium Ephesinum quo sensu definit sub anathemate nihil esse addendum Symbolo Concilij Nicæni. 416. I
Concilium Lateranense damnat quamlibet quaternitatem rerum in diuinis. 345. IV.

quæ fuit occasio illius decreti. *ibid.*
Concilij Nicæni mens de Spiritu sancto. 314. I
in Concilio Nicæno cur nihil fuit definitum de processione Spiritus sancti. 425. VIII
in Concilio Toletano vndecimo, vbi de Trinitate dicitur *quæ non tres sed tria dici debet*, quomodo legi oporteat. 396. I
Conclusio.
Conclusio quam debet habere similitudinem cum præmissis. 23. VI
Conclusio quomodo sequatur debiliorem partem. 25. IV
Conclusio propriè Theologica quæ sit. 13. I
Conclusiones Theologicæ ex aliis Theologicis deductæ pertinent ad eumdem habitum ad quem pertinent illæ conclusiones vnde deducuntur. 16. II
Conclusiones Theologicæ deductæ ex duabus præmissis de fide, sintne inferioris certitudinis, quàm sint propositiones de fide. 23. I. an deductæ ex vna de fide, & altera naturali sint maioris certitudinis conclusionibus non Theologicis. 24. V
Concretum.
Concretum, *vide* nomen concretum.
Concursus.
Concursus Dei in visione beatifica debet proportionari actiuitati luminis gloriæ. 140. III
Concursus Dei maior vel minor fundatur in maiori vel minori merito. 140. IV
Congregatio.
Congregatio sanguinis ad locum generationis pro efformando corpore C. D. in vtero beatissimæ Virginis non fuit facta in instanti. 521. VIII
Connaturalitas.
Connaturalitas visionis beatificæ elicitæ ex habitu luminis gloriæ quid sit. 114. VII. an posset aliunde suppleri. 115. II
Consequentia.
Consequentia alia *materialis*, alia *formalis*. 209. II. quomodo inter se distinguantur. *ibid.* III
hæc Consequentia sitne *bona essentia diuina communicatur : ergo generatur.* 439. VII
Consequentia hæc nulla est: *Pater priùs origine intelligit, quàm diuinæ personæ procedant ab illo; ergo in illo priori personæ productæ non sunt.* 416. III
qualis sit hæc Consequentia, *res creatæ existunt in æternitate, ergo & in tempore.* 197. II
Consequentiæ bonitatis cognitio cuius sit. 3. V
Consequentiam formalem esse bonam, & talem consequentiam esse necessariam quomodo inter se differant. 209. VI
Conseruatio.
Conseruatio eadem vestium filiorum Israël in deserto non ostendit æqualitatem visionis beatificæ. 137. V
Constitutio.
Constitutio qualis possit admitti in re simplicissima. 443. VI
Continentia.
Continentia vnius in alio triplex *formalis, eminentialis, & virtualis.* 44. III
Continentia formalis quid sit. *ibid.* eminentialis. *ibid.* IV. virtualis. *ibid.* V
Continentia eminentialis malè explicatur ab Ochamo, & Gabriele. 44. VII. quid ad illam requiratur. *ibid.* IV. V
Contingens.
Contingens quid sit. 188. VI. quotuplex. *ibid.* VI. VII. VIII
Contingentia.
Contingentia rerum non tollitur ex præscientia Dei. 190. VI. 191. VIII
Continuatio.
Continuatio requiratúrne ad effectum prædestinationis. 277. VIII
Conuenientia.
Conuenientia quam habent plura obiecta vt intelligantur per vnicam numero speciem ab Angelo, in quo fundetur. 640. VI
Cornelius.
Cornelij eleemosynæ fuerunt ex auxilio supernaturalis gratiæ. 253. I
Corpus.
Corpus animatum perfectius est inanimato. 38. III
Corpus quando dicatur organum. 497. VII
Corpus vndequaque infinitum non foret vbique ad illum modum, quo Deus est vbique. 75. I
Corpus idem non potest poni in diuersis locis impertransito medio absque actione substantiali. 522. II
Corpus non habet à quantitate, quòd non possit moueri ab vno loco ad alium impertransito medio. 519. VII. non à grauitate. 520. III. id habet à substantia. 520. I
Corpus Christi Domini non ponitur sub speciebus nisi per actionem substantialem. 522. II. potest poni in duabus extremis hostiæ partibus absque eo, quòd ponatur in intermediis & quomodo. 522. III
Corpus assumptum ab Angelo.
Corpus assumptum ab Angelo sitne vnum specie. 491. VIII
Corpus illud in quo Exodi trigesimo tertio Angelus Deum repræsentans apparuit Moysi, fueritne à solo Deo immediatè efformatum. 493. VI
Corpora assumpta ab Angelis & ab ipsis efformata, sunt quidem vera corpora, sed non talia, qualia apparent. 490. VI. conficiuntur ex aëre condensato, admixtis quibusdam aliorum elementorum particulis. 490. VII. explicatur huiusmodi compositio. 491. II
Corpora assumpta à bonis & malis Angelis sintne ex eadem vel simili materia. 491. VII. non sunt à Deo tanquam à speciali causa. 492. III. sed ab Angelo. *ibid.* VI
Corporeum.
Corporei nomine quid aliquandò significetur apud Patres. 470. VI
Correlatum.
Correlatum vnum non potest sine altero cognosci, de quibus debeat intelligi. 536. VI
Corruptibile.
Corruptibile aliud ab *intrinseco*, aliud ab extrinseco. 471. VII. vtriusque discrimen. *ibid.* VIII
Corruptibile quid sit. 473. VI
Creatio.
Creatio prædestinati sitne effectus prædestinationis. 279. II
Creatura.
Creatura nulla potest dari, quæ sit similis Deo

similitudine vniuocâ, datur tamen similis similitudine analogâ. 48.VIII
Creatura nulla potest dari, quæ ex naturali sua consideratione postulet esse æterna. 83. VIII
Creaturę quomodo in Deo habent verius esse, quàm in propria natura. 47. V. vnde fit quòd earum aliæ sint perfectiores, aliæ minus perfectæ. 49.II
Creaturæ omnes sunt bonæ ipsâ bonitate Dei exemplari, efficiente, & finali, non tamen formali. 52.VII
Creaturæ an & quomodo dicantur procedere à Deo vt trino. 430. VIII. an postulent cognosci vt procedentes à Deo trino. 431.II
Creaturæ existentes obiectiuè in mente Dei síntne ideæ diuinæ. 215.VIII
Creaturæ cognoscuntur à Deo tam secundùm illud esse, quod in ipso habent, quàm secundùm illud, quod habent extra ipsum. 182.I
Creaturæ quo sensu intelliguntur dici, & exprimi à Verbo. 420.I
Creaturæ quomodo sint medium illius amoris, quo Deus seipsum amat. 227.V
Creaturæ possibiles & earum cognitio, an & quam habeant necessitatem. 418.III
si Creaturæ nullæ essent possibiles, Deus non esset idem omninò, qui nunc est. 417 III. 418. VII. nec esset Verbum diuinum idem, quod nunc est. 418.VII
Creaturarum similitudo cum Deo non est reciproca, & quare. 49.IV
in Creaturis tot dantur existentiæ, quot sunt actualitates. 381.III

Credere.

Credere in Spiritum sanctum est eum agnoscere Deum, & in eum vt auctorem omnium bonorum tendere. 313.VIII
nisi Credideritis, non intelligetis, explicatur. 3. VIII

Credibile.

Credibile per quod motiuum demonstretur. 28. IV
Credibilis & scibilis dispar ratio quoad realitatem obiecti formalis. 7.VIII

D

Dæmon.

Dæmonis nomen.

DÆMON quid secundùm nomen significet. 463. VI. apud veteres promiscuè sumitur tam pro malis, quàm pro bonis spiritibus. *ibid.* in sacris literis & Patribus sumitur tantùm pro malo spiritu. 464. I. esse nomen ita detestabile, vt hoc modis omnibus à SS. Angelis nos remouere debeamus, asserit sanctus Augustinus. 464.I
Dæmones an & quo sensu dicantur aëreæ potestates. 468. III

Dæmonum cognitio.

Dæmonis cognitio de veritatibus nostræ fidei quoad suam entitatem est naturalis. 19. III
Dæmones ex miraculis quæ videbant fieri à Christo Domino vehementem suspicionem habuerunt, quòd esset Filius Dei. 551. I. licet viderent huma[illegible]em eius, non videbant modum inexistentiæ eius in Verbo. 551. II. non vident illum modum, quo C. Dom. corpus est totum sub qualibet particula in sacramento altaris. *ibid.*
Dæmones quo sensu à sancto Dionysio dicuntur habere proteruam phantasiam. 532. I
Vide Angelorum cognitio.

Dæmonis prædictio.

Dæmon an & quomodo possit aliquando certò prædicere nonnulla futura contingétia, quæ pendent à libero Dei vel hominis arbitrio. 546. III. quomodo ante aduentum C. D. prædixit certò cessationem suorum oraculorum, ruinam suorum templorum. *ibid.* IV

Dæmonis vnio cum corpore & operatio.

Dæmonem non posse corpus assumere quo sensu dicatur à sancto Epiphanio. 487. VII
Dæmones quo sensu à sancto Hieronymo dicantur non posse esse intra simulachra. 487. VIII
Dæmon in homine arreptitio potest esse in toto illo spatio, in quo est illius anima. 515. VII
Dæmones in assumptis corporibus sub specie feminarum possunt abuti viris, & sub specie virorum abuti feminis. 499. III. an ex tali congressu possit esse generatio. *ibid.* VI
Dæmon potest imitari vocem & loqutionem hominis in assumpto corpore. 498. VIII. etiam sine assumpto corpore. *ibid.*
Dæmones cur hæc & ista, quæ possunt facere in detrimentum hominum, non faciant. 528. VII
Dæmones incubi qui sint. 499. III. qui sucubi. *ibid.*
Vide Angelorum vnio cum corpore, Angelorum operationes in corporibus assumptis.

Dæmonum inuidia.

Dæmonem inuidisse Christo Domino & naturæ humanæ quo sensu Patres dicant. 561. VI

Dæmonum liberum arbitrium.

Dæmon quo sensu dicitur à S. August. non habere liberum arbitrium ad benè faciendum. 567.V

Dæmonum flexibilitas.

Dæmon aliquando mutauit suam sententiam. 567. VI

Dæmonum peccatum.

Dæmones non sunt naturaliter mali. 564. IV. non peccauerunt de facto in primo instanti suæ creationis. *ibidem.* oppositum fuit condemnatum à Facultate Parisiensi tempore sancti Thomæ. *ibid.* potuerunt peccare in primo instanti suæ creationis. *ibid.*V
Dæmones quomodo dicantur committere peccata carnis. 560. iis delectari. *ibid.* delectari rebus sensibilibus. 471.II

Dæmonum damnatio.

Dæmones periisse fides Catholica docet. 565. V.
in Dæmonibus damnatis omnia naturalia remanserunt. 565. VII

Dæmonum pæna secundùm intellectum.

Dæmones ratione sui peccati non sunt priuati aliquâ scientiâ speculatiuâ, nec eorum intellectus est ob peccatum diminutus. 565. VII. sunt priuati rectitudine iudicij practici de rebus agendis, seu circa res

morales exercendas, spectantes ad ordinem naturalem. 566. I. non desinunt retinere iudicium practicum alicuius artis, vel prudentiæ mundanæ. 566. III. priuati sunt omni lumine verè, & propriè supernaturali tam speculatiuo, quàm practico. 566. IV. perdiderunt fidem, spem, & alios supernaturales habitus, quos habebant sibi infusos. 566. V

Dæmones vt de æterna beatitudine amissa doleant, opúsne sit fidem supernaturalem remanere in illis. 566. VI. quæ cognitio ad huiusmodi dolorem eliciendum illis sufficiat. *ibid.*

Dæmonum pœna secundum voluntatem.

Dæmones per peccatum amiserunt gratiam habitualem, & omnes supernaturales habitus, qui simul cum gratia sanctificante infunduntur iustificatis in ipsa voluntate. 566. VIII

Dæmones habent obstinationem in malo. 567. I. non habent illam ex inflexibilitate liberi arbitrij. 567. VI. vnde illam habeant. *ibid.* non posſũt pœnitere peccati. 567. I. non possunt exercere aliquod bonum secundùm omnes suas circumstantias. *ibid.* III. possunt tamen secundùm aliquas. 567. V. pro eo statu, in quo sunt, nullum accipiunt auxilium supernaturale. 567. II

Dæmonum pœna secundum substantiam.

Dæmones cruciãtur ab igne. 568. II. quo sensu dicantur torqueri à verme. 568. IV. ex sancto Augustino cruciantur ab igne miris veris modis. 568. VI. cur dicuntur rectores tenebrarum. 569. VIII. positi in aëre non desinunt torqueri ab igne inferni. *ibid.*

Dæmonum locus pœnalis.

Dæmonum aliquorum locus pœnalis temporarius est aër caliginosus, perpetuus verò est infernus. 569. VIII

Dæmonium.

Dæmonium religatum à S. Raphaële in deserto superioris Ægypti quâ virtute dicitur ibi detineri. 519. VI

S. Damascenus.

S. Damascenus quid senserit de processione Spiritus sancti à Patre & Filio. 426. V

Damnatio, damnari.

Damnatio & saluatio simul esse nequeunt respectu vnius & eiusdem hominis eodem modo considerati. 183. V

Damnatio æterna nihil est aliud, quàm ipsa reprobatio. 295. I

Damnari non potest prædestinatus in sensu composito licet posſit in diuiso. *ibid.* IV

Dauid de Dinando.

Dauid de *Dinando* censuit Deum esse materiam primam. 41. IV

De.

particula *De* vbi actus notionales dicuntur esse de essentia diuina, quam habitudinem ad illam importet. 452. III. VIII

Deceptio.

Deceptio interueniátne aliqua vbi in missione diuina res non sunt verè quales apparent. 461. VIII

Decretum.

Decretum Dei prædefiniens futura non est adæquata ratio illa cognoscendi. 193. III

Decretum Dei imponátne nobis necessitatem. 240. II

Definitio.

Definitio subiecti quando sit in demonstratione medium ad probandum proprietates de illo. 8. VIII

Definitiuè.

Definitiuè esse in loco quid sit. 59. IV

Deitas.

Deïtas an & quomodo possit esse persona. 373. VIII

Deïtas potest dici trina. 396. II

Deïtas & paternitas magis inter se distinguuntur, quàm Deus & Pater. 352. IV

Delectatio.

Delectatio nimia in propria excellentia fueritne primum peccatum primi Angeli. 561. I

Delectationem maximam expellere omnem tristitiam quo sensu Aristoteles velit. 568. II

Deleri.

Delerine posset quis de libro vitæ. 296. II

Deleri aliquem de libro vitæ quid sit. 296. II

Demonstrari.

Demonstrari, & posse demonstrari quomodo distinguuntur. 32. III

Demonstrari potest Dei existentia à posteriori. 32. IV. non à priori. 31. V

Denarius.

per Denarium diurnum datum operariis apud S. Matth. intelligitur tantùm beatitudo obiectiua non formalis. 137. III

Dependentia.

Dependentia creaturarum à Deo, quomodo sit medium demonstrationis à posteriori existentiæ Dei. 32. VII. quo modo sit necessaria. *ibid.* VIII

Dependentia conuenit tantùm rei existenti & quare. 300. IV

Dependentia cui propriè competat. 341. V

ad Dependentiam propriè dictam quid requiratur. 317. IV

Dependere.

Dependere significat ipsum esse dependentis esse distinctum, & causatum ab eo, à quo dicitur dependere. 313. III

quo sensu Dependere & dependentia dicantur de Deo. 341. IV

Descensus.

Descensus animæ C. D. ad inferos fuit realis. 517. III

Desiderium.

Desiderium rationabile vniuscuiusque beati debet expleri. 161. VII

Desiderium videndi Deum in homine considerato secundùm pura sua naturalia quale sit. 90. VIII

Desperatio.

Desperatio sitne in Deo. 241. V

Destinatio.

Destinatio quid significet in nomine prædestinationis. 244. VIII

Determinatio.

Determinatio causæ proximæ ad producendum effectus futuros liberos contingentes an & quam inducat in illis certitudinem obiecti. 202. V. an aliquam inducat in illis necessitatem. 203. II. an destruat eorum contingentiam. 203. III. 204. V

Dei notitia, & existentia.

Dei nomine quid intelligatur. 30. V

Deus potest cognosci vel per viam affirmatio-

nis, vel per viam negationis. 34. VI
quot modis Deus possit cognosci. 85. II
quid sit cognoscere Deum per essentiam. 85. II
Deum ex sancto Dionysio à nobis & scientiâ cognosci, & ignoratione quid sit. 36. III
Deus continetur intra latitudinem obiecti adæquati specificatiui intellectus creati. 88. II
Deus tanquam prima causa non potest naturaliter ab intellectu creato cognosci. 90. IV
Dei cognitionem esse nobis à natura insitam quomodo Patres intelligant. 31. II
Deum esse est per se notum secundùm se. 30. VI. non est per se notum quoad nos. *ibid.* VIII
Dei existentia potest demonstrari à posteriori. 32. IV. est de fide quòd sic possit ostendi. 34. I. non potest demonstrari à priori. 31. V nec respectu beati, nec respectu viatoris. *ibid.* VIII
Dei existentia cur magis efficaciter possit à posteriori probari, quàm illa Angeli. 466. III
Dei existentiâ demonstratâ, non demonstratur eius essentia. 33. VI
Deum esse à seipso quid sit. 453. I
Deum dicimus quod est melius omni animâ, explicatur. 466. IV

Dei simplicitas.

Dei simplicitas, in suo formali conceptu quid includat. 34. VIII
Dei simplicitas sitne aliquod eius attributum. 35. IV. sitne aliqua perfectio. 36. VIII
Dei essentia est omninò simplex. 37. III
in Deo non reperitur compositio rationis. 39. IV
Dei essentia non componitur ex essentia & existentia. 38. VI. nec ex essentia & singularitate. *ibid.* VIII. nec ex natura & supposito. 39. I. nec ex subiecto & accidente. *ibid.* III. etiam ex sententia Aristotelis. *ibid.*
Deus non est quoddam ens corporeum. 37. VII. membra corporis attribuuntur tantùm Deo metaphoricè. 38. VI
Dei attributa cum essentia diuina non faciunt aliquam compositionem. 39. II
Deus non potest componere aliquod tertium, compositione quæ sit ex his. 40. VI
Deus supplens in nobis vicem alicuius habitus supernaturalis facit tantùm vnum aliquod ens per accidens cum nostris facultatibus. 41. VIII
Dei natura cur potiùs non possit componere cum supposito creato, quàm suppositum diuinum cum natura creata. 41. VIII
Deus beatitudo obiectiua, & visio eius formalis faciunt vnum tantùm per accidens. 42. I
Deus non potest communicare suam simplicitatem vlli creaturæ. 42. II

Dei perfectio.

Deus est perfectissimus. 42. VI. omnes omnium creaturarum perfectiones continet. 43. IV. quomodo contineat perfectiones simpliciter simplices. 44. VIII. quomodo simplices. 45. II. Deum continere omnes perfectiones sitne de fide. 44. II. an ex continentia eminentiali perfectionum simplicium denominetur per illas. 45. VI
Deus & vniuersum simul non sunt aliquid melius & perfectius intensiuè, quàm sit solus Deus. 47. VII. sunt quid extensiuè melius. 48. I
Dei perfectio importétne quidpiam reale. 47. II. an sit attributum. *ibid.* IV
in Deo cur Pater & Filius non sit quid melius. 48. V

Dei bonitas.

Deus non tantùm bonus est in seipso, sed etiam est summè bonus rebus creatis. 50. II. est summè bonus bonitate morali. 50. VII
Dei bonitas moralis per excellentiam dicitur *sanctitas essentialis.* 50. VIII. quomodo dicatur positiuè, & negatiuè summè bonus. 51. IV. V
Dei bonitas siue transcendentalis, siue moralis non est aliquod eius attributum. 51. VII
Deus est bonus ratione suæ essentiæ. 52. II
Deus non habet à suis relationibus, quòd sit summum bonum. 55. IV. non à suis attributis absolutis. *ibid.* V. à sola essentia sua. *ibid.*

Dei infinitas.

Deus est infinitus. 54. IV
Dei infinitas quam negationem dicat. 53. III. secundùm significationem nominis est aliquid negatiuum. 54. VIII ratione rei substratæ tali nomini est aliquid positiuum. *ibid.* non est aliquod attributum Dei. 55. IV. probari potest ratione naturali. 55. V

Dei locus, existentia & præsentia in rebus.

Deus quinque modis dicitur esse in rebus. 56. IV. per essentiam suam est in omnibus rebus. 57. I. quomodo dicatur habitare in cælo. 57. V. non inficitur ex eo, quòd existat in rebus sordidis. *ibid.* non potest à nobis concipi quomodo existat in omnibus rebus. 57. VII. est actu & de facto secundùm suam substantiam extra hoc vniuersum, & supra omnes cælos 69. IV. quo sensu intelligatur existere extra hoc vniuersum. 71. VI
Deus est in omnibus locis etiam vt formaliter loca sunt, & quomodo sit in illis. 59. II. III. IV. conuenientiùs dicitur esse cum loco, quàm in loco. 59. V. quomodo à Patribus dicitur nusquam esse, & tamen esse vbique. 59. IV
Dei existentia in rebus an & quomodo sit aliquid ipsi conueniens ex intrinseca necessitate suæ perfectionis. 61. V. quid superaddat diuinæ substantiæ. 62. VII. an rectè colligatur ex eius operatione. 60. II. an possit probari à priori vel à posteriori per operationem transeuntem. 61. IV. 63. IV
Deus potest dici esse in spatiis negatiuis. 72. III. quam habitudinem habeat ad illa. 74. II. quam relationem. 74. III. quomodo sit in illis. 73. II. III. cur potiùs existat in illis, quàm in rebus possibilibus. *ibid.* VIII
Deo, esse vbique vi suæ naturæ, ita conuenit, vt repugnet communicari alteri. 74. VI

Dei immutabilitas.

Deus est omninò immutabilis quo ad suum esse substantiale. 75. VIII. tam secundùm

quamlibet formam accidentalem, quàm secundùm substantialem eius substantiæ aduenientem. 76. III
Dei immutabilitas ratione nominis est aliquid negatiuum, ratione significationis aliquid positiuum. 76. V I. est aliquod Dei attributum. *ibid.* est soli Deo propria. 77. I

Dei æternitas.

Deus est æternus. 83. I. quomodo dicatur esse auctor suæ æternitatis. 83. VI
Dei æternitas est attributum. 83. III. soli Deo conuenit. 83. I

Dei vnitas.

Deus est vnus. 84. VIII

Dei visio.

Deus potest videri ab intellectu creato. 85. IV. quo sensu dicitur inuisibilis habitare lucem inaccessibilem. 86. V
Deum videre sicut est, quid sit. 157. II
an aliqui viderunt Deum in hac vita. 127. III. *vide* beati, visio Dei, essentia Dei.

Dei incomprehensibilitas.

Deus est omnino incomprehensibilis ab intellectu creato. 146. III. est de fide, quòd non possit comprehendi ab intellectu creato. 146. IV
Dei incomprehensibilitatis vera & adæquata ratio. 147. V
est quædam perfectio in Deo, quòd sibi sit comprehensibilis. 180. IV

Dei nomen.

quid significet hoc nomen *Deus*. 164. VII. an hoc nomen *Deus* possit communicari alicui creaturæ. 164. VIII
Deus non potest sibi imponere nomen aliquod, quod illum totum & totaliter significet beatis. 164. *vide* beatus.

Dei scientia.

Deus habet scientiam de seipso. 165. V. habet de creaturis. *ibid.* VI
Deus se per suam essentiam intelligit. 178. VIII. an per creaturas possit se intelligere. 179. III
Deus se & omnia, quæ formaliter habet in seipso cognoscit comprehensiuè. 179. V
Deus quomodo distinguat attributa sua à se inuicem virtualiter. 357. IV
an in cognitione, quam Deus habet de seipso, relationes se habeant per modum speciei impressæ secundùm suum formale relatiuum, an verò sola diuina essentia. 180. V

Dei scientia respectu rerum creatarum.

Deus cognoscit res omnes creatas distinctè. 181. IV. eas cognoscit in seipso. 182. VI. respectu talis cognitionis essentia diuina non se habet per modum speciei impressæ. *ibid.* nec expressæ. 183. II. quomodo sese habeat. 183. II. an omni potentiâ & causatione rerum ab ipso præcisis desineret cognoscere res creatas. 184. IV. conciliantur variæ loquendi formulæ Patrum circa scientiam Dei de rebus creatis, quæ videntur sibi contrariæ. 214. III

Dei scientia respectu mali.

Deus cognoscit malum & quomodo. 185. VI
Deum cognoscit peccatum quoad priuationem, quam importat in seipso, & quomodo. 186. I
Deus non potest cognoscere mala particularia per rationes bonitatis existentes in seipso, oppositas istis malis particularibus. 184. II. nec per illas ideas, quas habet de bonitatibus creatis, quibus ista mala opponuntur. *ibid.* VI. nec per suam essentiam vt habentem se instar speciei impressæ. *ibid.* VII
Deus dependeátne à bonitatibus creatis, vt cognoscat earum priuationes. 188. II

Dei scientia respectu futurorum contingentium.

Deus habet certissimam scientiam de futuris contingentibus absolutis. 188. VIII. certitudo istius cognitionis non petitur adæquatè ex decreto prædefiniente ista futura. 193. III. non ex ideis diuinis. *ibid.* VI. non ex coëxistentia futurorum in æternitate Dei. 194. III. non ex eorum veritate determinata antecedenter ad quodcunque decretum Dei. 199. VI. nec ex eorum veritate determinata etiam ex suppositione, quòd futura sint. 201. II. quæ sit prima & adæquata ratio cur supposito aliquo decreto circa res ad extra habeat certitudinem huiusmodi cognitionis. 201. VI. an eodem modo cognoscat futurum consensum gratiæ vocanti, ac omnia alia futura contingentia. 207. VII
Deus cognoscit certò omnia futura libera contingentia conditionata. 208. IV. quomodo illa cognoscat. 210. IV

Dei scientia respectu possibilium, & non entium.

Deus cognoscit distinctè omnia possibilia & quomodo. 211. I. II. repugnantia. *ibid.* IV. priuationes & negationes. *ibid.* VIII. entia rationis. 212. III
Deus posśitne facere ens rationis. 212. IV
modus, quo Deus cognoscit impossibilia, quî differat à modo nostro illa cognoscendi. 211. VII. quo intelligit priuationes & negationes, quî differat à modo nostro illas intelligendi. 212. II
Vide scientia.

Dei idea.

Deus habeátne ideam sui. 218. III. rerum vniuersalium. *ibid.* priuationum & negationum. *ibid.* rerum possibilium, materiæ primæ, & accidentium, quæ comproducuntur cum subiecto. *ibid* IV
Dei essentia quatenus sese habet instar speciei impressæ, habeátne rationem ideæ, an quatenus continet in seipsa eminenter omnes creaturas. 216. IV
Dei essentia vt imitabilis à creaturis habeátne magis rationem ideæ, quàm diuina cognitio quatenus repræsentat creaturas. 217. VI
Vide idea.

Dei volitio.

Deus *omnia, quæcunque voluit, fecit,* quo sensu debeat intelligi. 224. II
Deum velle alia à se, sitne aliqua perfectio. 225. VIII
Deus nec per se, nec per accidens vult malum culpæ. 230. VI. per accidens vult malum pœnæ & naturæ. 231. I. actu positiuo, vult permissionem peccati. 230. VII
Deus *vult res omnes vt media ad seipsum,* quomodo sit intelligendum. 238. IV

Deus positiuâ voluntate ordinat media sufficientia ad salutem etiam reproborum. 223. VIII
videatúrne nolle saluare, quem de facto non saluat. 224. VII
conferendo gratiam efficacem alicui, an & quomodo habeat magis specialem affectum erga eum, quàm in eum, cui confert tantùm sufficientem. 273. VII
Deus ante præuisionem malorum operum non habuit aliquem actum positiuum voluntatis, quo excluserit aliquos efficaciter à gloria æterna, eósque deputauerit ad pœnam æternam. 286. III
Deus ante præuisionem cuiuscunque peccati hominum, non habuit aliquem actum positiuum, quo efficaciter excluserit aliquos à gloria æterna, etiam non considerando istam exclusionem per modum priuationis, & pœnæ, sed alicuius tantùm modi, ad splendorem suæ gloriæ, & manifestationem suæ iustitiæ vindicatiuæ. 288. VII
nullos reprobauit efficaciter, etiam negatiuâ tantùm reprobatione, ante mala eorum opera præuisa, in quibus & cum quibus morerentur. 290. IV
Deus tantùm habuit efficacem voluntatem excludendi aliquos à vita æterna, postquam præuidit eos morituros in peccato. 291. V
faceretne alicui iniuriam si post præuisos homines in communi massa perditionis aliquos erueret liberaliter, & alios ex mera voluntate relinqueret. 291. III
Deum indurare aliquos vt non videant, intelligant, quomodo debeat explicari. 294. III
Vide voluntas Dei.

Dei amor.

Deus seipsum, & suam bonitatem amat necessariò. 226. V. quomodo id sit intelligendum. 227. I
Deus amat liberè creaturas existentes in aliqua temporis differentia. 227. II. quo amore eas amet. *ibid.* VIII. an amet res possibiles. 228. V. quomodo amet peccatores & habitus vitiosos. 227. VII
Deus quomodo plus amet Christum, quàm totam Ecclesiam. 241. II
Deum posse diligere quid sit. 219. VII

Dei odium.

Vide odium.

Dei omnipotentia.

Deus sitne ideò omnipotens quia creaturæ sunt possibiles. 229. I
quid possit potentiâ ordinariâ. 302. IV. quid extraordinariâ. *ibid.*
Deus potest facere multa quæ non facit, nec determinauit facere. 302. VI. quo sensu in Scripturis sacris dicitur non potuisse facere aliqua, quæ tamen non implicant. *ibid.*
Deus non potest facere, vt præterita quatenus præterita non fuerint, nec vt præsentia quatenus præsentia, non sint; nec denique futura quatenus futura, non sint futura. 301. IV
non potest essentialiter facere meliora ea quæ fecit, potest tamen accidentaliter. 303. I
Deus datâ qualibet re creatâ potest semper aliam rem, intra eamdem speciem creare accidentaliter perfectiorem, & aliquando datâ aliquâ specie potest aliam speciem creatam, intra idem genus, adhuc essentialiter perfectiorem creare. 303. V
Deus non est specialis causa & immediata corporum assumptorum ab Angelis. 492. III
Deus dependeátne à rebus possibilibus. 418. VII
Deum *esse agens per essentiam* quo sensu sit intelligendum. 236. VII. VIII
implicat Deum posse creare aliquem intellectum, qui ex sua vi naturali possit clarè & intuitiuè videre Deum absque vllo superaddito. 116. III
Nomina & prædicationes, quæ Deo conueniunt.
possumus dicere in Deo esse tres res, tria entia, tres vnitates. 393. III. tres bonitates, tres veritates, tres aliquos. VII
non possumus dicere esse in Deo tria indiuidua. 394. VI
in Deo est trinitas. 395. VI. non triplicitas. *ibid.*
quod est Deus tantùm identicè non semper dicit perfectionem simpliciter simplicem. 371. VI
Deus & habens deïtatem quomodo differant. 392. I. 439. III
terminus *hic Deus* non priùs concipitur, quàm ipsæ personalitates relatiuæ quasi aduenerint naturæ diuinæ. 391. VI
terminus *hic Deus* significat aliquid absolutum, & ratione cuius illud significet. 391 VII
eorum quæ prædicantur de Deo, alia prædicantur tanquam constitutiua essentiæ illius, alia prædicantur tanquam ei adiuncta. 35. V. in quo fundatur huiusmodi distinctio. *ibid.* VI
Deus potest dici trinus, non triplex. 395. VI
an Deus dicatur quinus vel quinarius propter quinque notiones. 404. II
quidquid est in Deo, quo sensu sit Deus. 364. VI
Deus spiritus est ex euangelio fuit expunctum à Macedonianis. 313. V
Deus erat Verbum est propositio inuersa pro illa, *Verbum est Deus.* 310. IV
Deus generat, Deus spirat, Deus generatur, Deus spiratur: in his propositionibus terminus notionalis habet se instar attributi. 44[illegible]. II
Deus generans est Deus genitus, hæc propositio est falsa. *ibid.* III
Deus non generat, falsa est propositio. *ibid.* IV. *Deus generat* est propositio vera. *ibid.*

Diabolus.

Diabolus quo sensu dicitur fuisse homicida ab initio. 364. IV
cur dicitur ab initio peccare. 567. III. appellatur, *Pater mendacij, Sathan, tentator.* *ibid.*

Dicere, dictio.

Dicere in diuinis quo sensu est commune omnibus personis diuinis. 320. IV. quid superaddat intelligere essentiali. *ibid.*
Dictio in diuinis quomodo distinguatur ab intellectione. 313. V. I

Differentia.

Differentiæ constitutiuæ diuersarum specie-

rum,

rum, an & quando possint vniri inter se ad componendam aliam, diuersam ab vtraque. 540. VII

Dilectio.

Dilectio alia naturalis, alia elicitiua. 555. IV

Dilectio hominis erga Deum an & quomodo antecedat dilectionem Dei erga homines. 272. VII

Dilectio Dei & proximi quomodo dicitur esse plenitudo legis. 20. I

Diligere.

Diligere sumptum notionaliter quot modis possit sumi. 434. V

Diligendi potentia in Deo quid sit. 219. VII

Dilemma.

Dilemma vel suin damnatus, vel non, explicatur. 264. VIII. 265. I

Disputatio.

Disputatio de vocibus *hypostasis, substantia*, inter Græcos & Latinos quo tempore orta fuerit. 372. VIII. sopita. *ibid.* rursus excitata. 373. I. tandem ex communi consensu vniuersalis Ecclesiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis fuit determinata. 373. II

Distantia.

Distantia inter duo quid importet. 504. VII

Distinctio.

Distinctio ex natura rei quid sit. 347. II. potest conuenire alicui rei vel actu & formaliter, vel virtute & eminenter. 347. III

Distinctio virtualis inter duo non facit numerum. 350. II. quid præstat. 352. VI

Distinctio in diuinis.

Distinctio nulla datur realis, vel solius rationis ratiocinantis, sed solummodò virtualis tam inter attributa absoluta ad se inuicem, & etiam ad relatiua comparata, quàm vt comparantur ad essentiam diuinam. 355. I

Distinctio virtualis in Deo alia est incompleta, alia completa. 356. V. inter essentiam Dei & eius attributa an & quomodo conueniat Deo absque ordine ad creaturas. 356. VI. cum ordine ad creaturas. 357. II

quâ Distinctione virtuali Deus & beatus in visione beatifica distinguant attributa Dei à se inuicem. 357. IV. quomodo distinguantur à beato in cognitione vespertina. 357. IV

Distinctio realis datur inter relationes diuinas consideratas ad se inuicem. 344. VI. non ad essentiam diuinam. 347. VII

Distinctio tantùm virtualis datur inter relationes originis & essentiam diuinam. 353. IV

Distinctio virtualis intercedens inter essentiam Dei & relationes vnde repetatur. *ibid.* V. quibus exemplis illustretur. *ibid.* VIII. 354. I

Vide relatio diuina.

Distinctio virtualis inter essentiam Dei & eius relationes, sufficit, vt aliquid affirmetur de essentia, quod non affirmetur de relationibus. 348. V. & 352. VI

Distinctus.

quomodo hæc vox *Distinctus* dicatur de Deo. 396. VI

Diuinitas.

Diuinitas, eodem modo non se habet ad omnia diuina, quo ens ad omnia entia. 354. II

Diuisio.

Diuisio Angelorum in hierarchias & ordines. 475. IV

Dolor.

Dolor propriè est in voluntate damnatorum. 567. VII. an sit tantus, vt omne gaudium excludat. *ibid.* VIII

Dominium.

Dominio carere in suam actionem sitne aliqua imperfectio. 226. VIII

Dominus.

Domino meo, sede à dextris meis, de quo ille locus debeat intelligi. 370. III. IV

Donum.

Donum propriè quid sit. 435. III. quid sit impropriè. *ibid.* VIII. fit propriè soli naturæ intellectuali. *ibid.* VII. ad rationem doni quæ conditiones requirantur. 435. V

Doni radix est amor. 435. VII

Doni ratio conuenit essentiæ diuinæ, item vnicuique personarum diuinarum, tam coniunctim, quàm seorsim per comparationem ad creaturas rationales. 436. IV

Donum an & quomodo possit esse essentiale in diuinis. 436. IV

Donum vt illud est alterius per originem conuenit Filio & Spiritui sancto respectu creaturarum. 436. VII

Donum an & quomodo conueniat soli Spiritui sancto. 436. VIII. ratione cuius id ipsi soli conueniat. 437. VIII

rationes Doni in diuinis conueniunt suis subiectis ab æterno. 437. IV

Dositheus.

Dosithæus negabat dari Angelos. 464. III

Durandus.

Durandus quomodo accedat ad opinionem Begardorum. 95. IV. fallitur dum asserit Angelos cognoscere suâ virtute naturali cogitationes cordium, quando actu existunt. 546. VIII.

Durandi de vbiquitate Angelorum sententia. 501. II. debeatne excusari ab errore. *ibid.* III

Duratio.

Duratio interna, alia externa. 77. VIII. an aliquam importet successionem. 78. VIII. an vna possit esse maior aliâ. *ibidem.*

Duratio imaginaria temporaria ab æterno potest dari. 68. III

E

Effectus.

EFFECTVS contingens vt contingens, an & quomodo non subdatur per certitudinem alicui scientiæ. 203. VII

Effectus prædestinationis quid sint. 275. III. an sint. *ibid.* V. quas conditiones requirant. *ibid.* VII. qui sint. 276. V

Effectus prædestinationis quomodo præsupponant naturalem prouidentiam, &

eius effectus circa prædestinatos. 280. III
Effectus prædestinationis potest esse malum pœnæ. 280. VII. mors. *ibid.* VIII. mors fortuita. 281. I. mors martyrum. *ibidem.*
Vide prædestinationis effectus.
Effectus reprobationis quas conditiones requirant. 286. VIII
Effectus reprobationis impropriè qui sint. 295. II
Vide reprobatio.

Efficacitas.

Efficacitas diuinæ voluntatis quomodo debeat attendi. 298. IV

Electio.

Electio ad gratiam, *vide* prædestinatio ad gratiam.
Electio ad gloriam est facta ex præscientia meritorum prouenientium ex gratia. 260. IV. probatur ex scriptura. 260. 261. ex Patribus. 261. 262. obiectiones ex scriptura desumptæ soluuntur. 265. 266. ex Patribus. 267. 268
Electio ad gloriam an sit vel ex vno, vel pluribus meritis. 271. VI
in Electione creaturæ rationalis ad gloriam duo distinguuntur, & quæ. 263. III

Ens.

Ens sumptum secundùm totam suam latitudinem est obiectum adæquatum specificatiuum intellectus creati. 88. II. sic sumptum est tantùm intelligibile finito modo ab intellectu creato. 147. IV
Ens cur potiùs sit de intrinseca ratione omnium entium, quàm diuinitas sit de essentia omnium diuinorum. 364. II
Ens simplex virtute tamen multiplex potest considerari secundùm vnam rationem, absque eo quòd consideretur secundùm aliam. 153. VIII
per *Ens ab alio* quid intelligatur. 317. IV. V

Ens rationis.

Entia rationis cognoscantúrne à Deo. 212. II. fiántne. *ibid.* III

Entitas.

Entitas vna & eadem potest diuersos formaliter terminos respicere. 346. I

Eò.

particulæ *Eò* & *quò* denotant præcisè formales rationes rei. 327. VIII

Episcopi.

Episcopi cur aliquando vocentur Angeli. 463. IV

Erasmus.

Erasmus reprehenditur, quòd noluerit dicere *in principio erat Verbum.* 410. VI

Esse.

Esse formaliter in aliquo, esse de intrinseco illius conceptu, an & quomodo distinguantur. 156
ipsum Esse à se seu independens non est vltimò constitutiuum essentiæ diuinæ. 172. VII

Essentia, essentiale.

Essentiæ rerum vt possibiles dicantúrne esse aliquod bonum. 229. VII
quo sensu in diuinis Essentialia intelligantur esse priora notionalibus. 397. V

Essentia diuina.

Essentia diuina præscisa à suis attributis cur nõ sit aliquod ens limitatum. 46. IV. quomodo contineat omnia eminenter. 297. VI. sítne id, quod in diuinis referatur. 445. VIII
Essentia diuina quomodo dicatur principium productiuum quo. 456. II
Essentia diuina sítne repræsentatiua futurorum in illo signo rationis, quo eam concipimus ante omne decretum de rebus futuris. 194. I. vt causâ futurorum contingentium an & quomodo illa obiiciat cognitioni diuinæ. 204. VIII. sola se habet instar speciei impressæ in ea cognitione, quâ Deus se comprehendit. 180. V
Essentia diuina dum Pater generat, sítne æquè in actu proximo ad spirandum, quàm ad generandum. 425. IV
Essentia diuina communicata Filio à Patre per generationem, & à Patre & Filio Spiritui sancto per spirationem, non est propriè donum, sed solùm impropriè. 436 II
Essentiæ diuinæ fœcunditas, *vide* fœcunditas.
ex diuina Essentia & relationibus originis nulla datur compositio. 365. VII

Essentiæ diuinæ vltimò constitutiuum.

Essentiæ diuinæ vltimò constitutiuum non est ipsa infinitas. 171. VIII. ipsum existere. 172. II. ipsum esse à se. 172. VII. intellectiuum vt importat gradum intellectiui radicalis. 173. V. diuina voluntas nec diuina volitio. *ibid.* VI
Essentia diuina quatenus consideratur specificè constituitur per actualem intellectionem per essentiam tanquam per vltimam sui differentiam constitutiuam. 170. VIII. non includit essentialiter relationes originis. 358. V. nec attributa diuina. 366. III
Essentia diuina dicitur tantùm de suis attributis in sensu identico, non in formali. 366. VI
Essentia Dei & eius attributa tam absoluta quàm relatiua non sunt inter se synonyma. 355. VII
Essentia diuina an & quomodo sit Pater. 360. IV

Essentiæ diuinæ existentia & subsistentia.

Essentia diuina existit per existentiam absolutam. 377. VIII. non subsistit per subsistentiã absolutam. 384. I. an & quomodo subsistat per subsistentias relatiuas. 390. II. 392. IV. vt præscindit à subsistentiis relatiuis an sit completa in ratione substantiæ. 389. II. III. 390. III. IV
non imperfectio in Essentia diuina, quòd emendicet suum complementum à diuinis relationibus. 390. V
Essentia diuina vt præscisa à relationibus diuinis est inunibilis cuiuis supposito creato, & quare. 391. I

Essentiæ diuinæ concursus ad visionem beatificam.

Essentia diuina per modum speciei impressæ concurrens in visione beatifica non supplet efficaciam luminis gloriæ. 103. VI. detegitur falsitas fundamenti Vasquesij id asserentis. 105. I
Essentia diuina per virtutem Dei absolutam potest videri ab intellectu creato abs-

que vllo lumine gloriæ. 111. IV. poteſt eſſe principium agendi ad extra intentionaliter. 130. V
Eſſentia diuina in viſione beatifica ſe habet ad inſtar ſpeciei impreſſæ.128.IV. concurrátne vt incompleta & ſubordinata intellectui. 131. II. ſupplens ſpeciem impreſſam habeátne ſe aliter, quàm ſe habens inſtar ſpeciei impreſſæ. 128. VIII. duplicem habet influxum, vnum generalem, alium ſpecialem. 129 III
Eſſentia diuina non videtur facto à beatis per ſpeciem impreſſam. 128. IV. videtur per expreſſam. 132. V
Eſſentiam diuinam adæquatè videri implicat, quin & videantur attributa omnia tam abſoluta, quàm relatiua, quę ſunt in ea formaliter. 150. IV
implicat diuinam Eſſentiam videri ſine ſuis attributis abſolutis, & relatiuis eâ viſione, quæ ſit beatifica, & correſpondens formatæ fidei, quam nunc habemus in via. 152. V.
Eſſentia diuina poteſt videri intuitiuè, & ſicuti eſt, inadæquatâ viſione non viſis attributis tam abſolutis, quàm reſpectiuis. 153.I
Eſſentiæ diuinæ fœcunditas poſsítne videri non viſis perſonis. 154.VI
Eſſentiam diuinam non viderunt Adam in ſuo ſopore extatico, nec ſanctus Benedictus. 128.I
Eſſentiam diuinam beatiſſimam Virginem vidiſſe piè credi poteſt. 128.I

Eſſentiator, eſſentiatus.

Eſſentiator idem eſt, ac productor eſſentiæ. 315.VI
Eſſentiatus idem eſt, ac qui habet eſſentiam productam. ibid.

Eugubinus.

Eugubinus tribuit Angelis corpora. 469.II

Euidentia.

Euidentia eſt de intrinſeca ratione ſcientiæ. 2. V
Euidentia principiorum quæ requiritur in ſcientia. 2. VIII. ſolius conſequentiæ non ſufficit. 3.IV. principiorum ſcientiæ in ſuperiori ſcientia non ſufficit. ibid.VI

Euſebius.

Euſebius Nicomedienſis dedit occaſionem vſurpandi in Eccleſia hanc vocem ὁμοούσιον. 310

Excæcatio.

Excæcatio non eſt effectus reprobationis. 293. VIII

Excludere.

Excludere imperfectionem ſitne perfectio. 37.I

Excluſio à gloria æterna.

an Deus Excluſerit efficaciter actu poſitiuo voluntatis aliquos à gloria æterna ante prę uiſionem malorum operum. 286.III
an Deus Excluſerit aliquos à gloria æterna etiam non conſiderando iſtam excluſionem per modum priuationis & pœnæ, ſed tantùm alicuius modi ad ſplendorem ſuæ gloriæ & manifeſtationem ſuæ iuſtitiæ vindicatiuæ. 288. VII
Deus ſolùm Excluſit aliquos efficaciter à gloria æterna, poſtquam præuidit eos morituros in peccato. 291.V

Vide reprobatio.

Exiſtentia.

Exiſtentia quo ſenſu dicitur eſſe actus formaliſſimus eſſentiæ. 381.III
Exiſtentia ſubſtantiæ & accidentis ei inhærentis inter ſe diſtinguuntur. 381.VI
Exiſtentia hominis prædeſtinati ſitne effectus eius prædeſtinationis. 279. II
Exiſtentiæ ſubſtantiali eſt intrinſecum dare ſuæ entitati exiſtere de facto poſitiuè per ſe, & non inniti alteri ad modum accidentis. 385.VI
Exiſtentiæ in creaturis non reſpondent ſolis eſſentiis. 381.II

Exiſtentia in diuinis.

datur in diuinis vna abſoluta Exiſtentia, eáque eſt communis omnibus & ſingulis perſonis diuinis. 377.III
præter Exiſtentiam abſolutam dantur tres aliæ exiſtentiæ relatiuæ realiter à ſe inuicem diſtinctæ. ibid.VIII
Exiſtentiæ diuinæ relatiuę diſtinguuntur tantùm virtualiter ab exiſtentia abſoluta communi. ibid.
poſſunt admitti quatuor Exiſtentiæ relatiuæ in diuinis cum aliqua reſtrictione. 382. VIII

Exiſtere.

Exiſtere per ſe non eſt vltimò conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ. 172.II

Exitus.

Exitus vnius perſonæ ab alia in diuinis quis poſſit admitti. 460. VIII non is, qui ſit per modum imperij. ibid. per modum conſilij. ibid. per modum obſecrationis. ibid.

Exorciſtæ.

Exorciſtæ quâ virtute expellunt dæmones à corporibus hominum. 519. III

F

Facies.

FACIEM alicuius videre quid ſit. 85.VI

Facultas Pariſienſis.

Facultas Pariſienſis tempore S. Thomæ definiuit Angelos de facto non peccauiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis. 564. IV

Fidelis.

Fidelis nullus poteſt certò ſcire ſe eſſe de numero prædeſtinatorum abſque aliqua ſpeciali reuelatione Dei. 283 VIII

Fides.

Fides & ſcientia poſsíntne eſſe ſimul. 33. IV
Fides ſupernaturalis remaneátne in dæmone, vt de amiſſa beatitudine doleat. 566. VI
Fides infuſa cur potiùs remaneat in nobis peccantibus, quàm remanſerit in dæmone. 566. VIII

Figuli.

Figuli exemplum ab Apoſtolo vſurpatum explicatur. 287. VIII. 288. II

Filiatio.

Filiatio diuina ſi Spiritus S. non procederet à Filio, forétne eadem quæ nunc eſt. 428. IV

Filius.

nomen Filius vnde acceperit ſuam ſignificationem. 329. VIII
de ratione Filij non eſt, quòd ſit imago Patris. 330. IV
Filij Seth & Enoch dicuntur filij Dei, & quare. 471. I
particula *Filióque* an & quomodo ſit additio ad Symbolum Nicænum. 426. I. quando

fuerit ipsi addita. *ibid.* III. qua de causa. *ibid.*

Filius diuinus.

Filius æternus est verè Deus, & consubstantialis Patri. 310. III. cur dicitur ex vtero genitus. 307. V. cur non dicitur essentiatus. 315. VII. cur non esse precariò à Patre. *ibid.* quo sensu dicitur *αὐτόθεος. ibid.* in ipso nec est dependentia à Patre, nec indigentia. *ibid.*

Filius Dei dicitur ignorare diem iudicij, vt eum reuelet aliis. 313. II. quo sensu neget suum esse dare beatitudinem. 313. III

Filius diuinus procedit à Patre. 315. III. nunc est genitus, & adhuc generatur. 323. I. meliùs dicitur esse semper genitus, quàm generari. *ibid.* II. generatur existens. *ibid.* III. eius generatio quomodo à PP. dicitur opus naturæ. 318. VI

Filius in diuinis non potest dici Verbum per appropriationem tantùm. 317. VIII

cur in processione Filij diuini explicanda Patres sæpè vtantur exemplo Verbi creati. 316. VII

Filius diuinus per comparationem ad Patrem potest dici principiatus. 405. VII. est verè principium. 405. IV. posśitne dici sermo. 410. V. meliúsne dicatur sermo, quàm Verbum. *ibid.* VI. hac de re Erasmi & Laurentij Vallæ reprehensio. *ibid.*

Filius in diuinis non est artificialis imago cuiusquam. 421. VII. cuius sit substantialis, seu naturalis imago. *ibid.* VIII. cuius intentionalis. 423 II. vnde ipsi competat, quòd sit naturalis imago Patris. 422. IV. an & quomodo dici possit alius à Patre & Spiritu sancto. 396 III. aliud. *ibid.*

Filius diuinus potest dici esse distinctus à Patre & Spiritu sancto. 396. VI. non potest dici diuersus, discrepans, differens, dispar, vel alter à Patre, & Spiritu sancto. *ibid.* quo sensu dicitur in scripturis nihil facere, nisi quòd Patrem videat facientem, nihil scire à se, sed à Patre, etiam de rebus existentibus in tempore. 419. V

Filius diuinus quo sensu dicitur sapientia de sapientia. 439. VI. non dicitur simpliciter de substantia, sed de substantia Patris. 453. I. respectu Patris ad intra an possit esse donum. 436. II. à solo Patre potest mitti. 461. II. quo sensu à nonnullis Patribus negatur posse mitti. *ibidem.*

Filius in diuinis quo sensu à Patribus dicitur esse æqualis Patri, Pater tamen non esse æqualis Filio. 458. IV. non potest dici fons & origo diuinitatis. 405. V. non potest dici initium Spiritus sancti. 407. IV

Filius diuinus accipit tantùm secundariò essentiam diuinam vt communicandam Spiritui sancto. 319. VI. non est principium illius veluti actionis, quâ Spiritus sanctus procedit, & quare. 339. I. quòd non generet, non prouenit ex eius impotentia. 458. IV

Filius ratione suæ generationis à Patre dicitur *omnia habere à Patre, nihil habere à se, audire à Patre, nihil posse facere, nisi quod viderit Patrem facientem*, &c. 312. VIII. quid his loquendi formulis significetur. *ibid.*

Filius & Spiritus sanctus dicuntur boni per essentiam. 52. VII

non transeunt à non esse ad esse. 76. IV

Vide generatio, Verbum, processio diuina.

Finis.

Finis quomodo debeat intelligi esse *id cuius gratia fit aliquid.* 270. I

Finis rerum alius communis seu prouisoris, alius specialis seu rei prouisæ. 243. III

Finis immediatus prædestinationis potest dici etiam eius effectus in executione. 278

Finis alius *scientiæ*, alius *scientis.* 20. II

Finitum.

Finitum esse sibi, quid sit apud S. August. 179. VIII

Fœcunditas.

Fœcunditas quomodo competat creaturis. 319. V. secundùm quam proportionem Deo & creaturis competat. *ibid.*

Fœcunditas naturæ diuinæ alia est radicalis & remota, alia formalis & actualis. 360. VII. sola radicalis est de essentia diuinæ naturæ. 360. VIII

Fœcunditas radicalis quomodo dicatur de qualibet persona diuina. 361. VI

Fœcunditas diuinæ essentiæ non visis personis, posśitne videri. 154. VI

Forma.

Forma vna & eadem numero indiuisibilis quomodo possit esse similitudo rerum planè dissimilium, quatenus sunt dissimiles. 539. IV

Forma separata à materia quomodo habet totam perfectionem illius speciei, quam includit. 481. V

Futurùm.

Futurum aliud est necessarium, aliud contingens. 545. III

Futurum contingens sumptum formaliter duas dicit habitudines, & quas. 192. V

Futurum vt cognoscatur futurum quomodo debeat esse determinatum. 190. II

Futura contingentia non realiter existunt in æternitate Dei ab æterno. 194. III. quo sensu ex sententia admittentium eorum coexistentiam ab æterno cum æternitate Dei, dicantur existere ab æterno. *ibid.* IV. VIII. an si coexisterent æternitati huiusmodi coexistentia esset ratio cur à Deo cognoscerentur. 199. III

Futura & præterita stare apud Deum quid sit apud sanctum Augustinum. 197. IV

Futura omnia quo sensu dicantur esse præsentia Deo. 197. VIII

Futura ante omne decretum Dei habeántne futuritionem vel non futuritionem. 200. VI

Futura libera contingentia an & quam habeant certitudinem obiecti ex determinatione suæ causæ proximæ. 201. V. an ex huiusmodi determinatione destruatur eorum indifferentia. 203. II. eorum contingentia. 203. III. 204. I

Futura libera contingentia an dicant intrinsecam habitudinem ad essentiam diuinam. 205. IV

Futura contingentia conditionata sunt duplicis generis. 208. II
Futura libera contingentia conditionata cognoscuntur à Deo. 208. IV
de Futuris liberis contingentibus possintne ante quodcunque decretum formari propositiones contradictoriæ. 200. III

G

Gabriel.

GABRIEL Archangelus fuit deputatus beatissimæ virgini ad custodiam. 475. II.

Gandauensis.

Gandauensis distinguit tria lumina à Deo infusa hominibus, per quæ cognitio articulorum fidei habeatur. 3. VII. reiicitur. *ibid.* VIII. asserit Angelos cognoscere res per quemdam habitum scientialem suo intellectui superadditum. 533. VI. reiicitur. *ibid.* VII. falsò existimat Angelos cognoscere suâ virtute naturali cogitationes cordium secundùm suam substantiam 546. VIII

Gaudium.

Gaudium sitne in Deo. 241. VII
Gaudium potest esse in dæmone. 576. VII. cur potiùs possit esse in dæmone, quàm aliqua tristitia in beatis. *ibid.* VIII

Generare.

Generare, & communicare quomodo differunt. 439. VII

Generatio.

Generatio intendit similitudinem naturæ. 321. VII. fit ex proprio deciso semine viuentis & eius superfluo alimento. 496. III
Generationis definitio. 321. II. explicatur. *ibid.*
ad Generationis definitionem non est necesse addi hanc particulam *ex vi processionis.* 322. III
Generationis primaria intentio quæ sit. 329. secundaria. *ibid.* II
ad Generationem non requiritur vt communicetur genito virtus sese communicandi alteri in natura. 327. I. *& sequent.* 329. III

Generatio diuina.

Generatio diuina quoad rationem generationis sitne eadem, ac generatio creata. 335. IV. quo sensu à S. Damasc. dicitur esse opus naturæ. 318. VI
Generatio Filij in diuinis quo modo sit voluntaria. 450. VII. an actu voluntatis antecedente ipsam generationem filij. 451. III
Vide Filius diuinus, processio diuina, Verbum.

Genitus.

esse Genitum & ingenitum non significant substantiam, sed modum habendæ substantiæ. 323. IV

Gradus.

Gradus metaphysici cur potiùs inter se faciant aliquam compositionem, quàm essentia diuina & relationes. 349. VIII

Glorificatio.

Glorificatio prædestinati est effectus prædestinationis. 276. V

Gratia.

Gratia prima quoad sufficientiam offertur singulis. 253. IV
cùm Gratia efficax offertur Deus iure misericentis vtitur. *ibid.* V
Gratia sanctificans quomodo conferatur adultis iuxta propriam vniuscuiusque virtutem. 252. VIII
Gratia collata ex meritis C. D. vel SS. dicitur semper gratuita. 274. VIII
Gratia externæ protectionis est aliquis effectus prædestinationis. 280. III
Gratia quo sensu à Concilio Arausicano & S. Aug. dicatur conferri ad inuocationem humanam. 274. V
Deus Gratiam efficacem conferendo alicui an & quomodo habeat specialem affectum erga eum, quàm erga illum cui confert tantùm sufficientem. 273. V
quod non fit ex Gratia nihil confert ad vitam æternam. 253. VIII
ex Gratia aliquid dari quid sit. 473. III

Græci.

Græcorum hæresis de processione Spiritus sancti, *vide* hæresis.

H

Habere.

HABERE aliquid à seipso quando melius sit, quàm habere ab alio. 535. VI

Habitus.

Habitus scientificus an & quomodo sit diuisibilis secundùm extensionem. 515. IV. V
Habitus scientialis non datur in Angelis per quem res intelligant, prout per illum aliquid aliud intelligitur, quàm species intelligibilis. 534. II
Habitus aliqui ordinis naturalis possunt ingenerari in nobis ex actibus supernaturalibus. 566. VI
ratio formalis Habitus & potentiæ debétne esse eis intrinseca. 13. IV
Habituum obiecta, quæ debeant conuenire in aliqua ratione communi attingendi sua obiecta. 640. IV
Habituum iudicatiuorum duplex formalis ratio, vna *sub qua*, alia *per quam.* 12. VI. eorum vnitas & distinctio vnde petitur. *ibid.* VII

Hæresis.

Hæresis negans, personas distinctas esse in diuinis quos primos habuerit auctores. 307. VIII
Hæresis Anthropomorphitarum quæ fuerit. 37. VII. Anomœorum. 95. II
Hæresis Autotheanorum, quâ dicunt filium esse Deum à seipso reiicitur. 453. I
Hæresis Græcorum de processione Spiritus sancti. 423. VII. quando cœperit. *ibid.* quando aperta fuerit. 424. I. reiicitur. *ibid.*
Hæresis Sadducæorum negantium dari Angelos. 464. II

Hierarchia.

Hierarchia quid sit. 475. IV
Hierarchiæ Angelorum quælibet quibus constet ordinibus. 475. V
Hierarchiæ Angelorum sunt tres. 475. IV

S. Hieronymus.

S. Hieronymus quo sensu dicat esse absurdum deducere maiestatem Dei, vt sciat quot per singula momenta nascantur pulices. 281. VII

Homo.

Homo non continet eminenter omnia animátia. 44. VII. secundùm naturalia sua con-

ſideratus nullum habet abſolutum deſiderium cognoſcendi Deum ſicuti eſt. 90. VIII
Homines quomodo dicantur fieri vnus ſpiritus cum Deo. 41. II. creati ad imaginem Dei. 398. IV
Homines priùs deſerunt Deum, quàm Deus homines. 290. VIII
Homines quò ſenſu nonnunquam dicantur mali. 186. VI
Homines aliqui fuerunt prædeſtinati. 249. IV quoad prædeſtinationem ab Angelis quomodo differant. 250. I. in prædeſtinatione quomodo dicantur manifeſtare diuitias bonitatis, iuſtitiæ, & gloriæ diuinæ. 249. VI. liberati & ſaluari à miſeria. 250. I. II
Homines ingenij tardioris cur aliquando poſſint elicere actus fidei, ſpei & charitatis intenſiores, quàm qui ſunt doctiores. 141. VIII

Homouſion.

nomen Homouſion quando & à quibus fuerit receptum in Eccleſia. 309. VIII. Patres Concilij Nicæni cur illud in tractatu fidei poſuerint. 310. I. Euſebius Nicomedienſis dedit occaſionem illius vſurpandi in Eccleſia. *ibid.* quo ſenſu reprobetur à Patribus Concilij Antiocheni. 310. II

Humanitas.

Humanitas C. D. vt vnita Verbo diuino poſſitne fieri perfectior. 303. III

Hypoſtaſis.

Hypoſtaſis ſignificat perſonam, ſeu id, quod vnicuique perſonæ proprium eſt. 373. II. aliquando fuit vſurpatum ad ſignificandum eſſentiam. 373. IV. οὐσία ſignificat ipſam naturam, eſſentiam. 373. II

I

Iacob.

IACOB nomine quis intelligatur à Paulo ad *Romanos* nono. 266. VII

Idea.

Idea quid ſecundùm nomen ſignificet. 214. VIII. quid ſecundùm rem. *ibid.* tria ad eius rationem requiruntur. 215. II. deriuatur à græco εἶδος. *ibid.*
an per Ideam operis eius defectus ab artifice cognoſcatur. 187. VI

Idea diuina.

Ideæ dantur in Deo. 215. II. ſintne in eo quid neceſſarium. *ibid.* VI. quid in ipſo habeat rationem ideæ. 216. VI
Idea in Deo ſitne eadem, ac in artifice creato. 216. II
Ideæ an & quomodo plures dicantur eſſe in Deo. 217. VIII. cur potiùs dicuntur plures ex multitudine obiectorum, quàm ſcientiæ vel artes. 218. I. quarum rerum ſint in Deo. 218
Ideæ diuinæ non ſunt in Deo ratio cognoſcendi futura contingentia. 193. VI
Vide Dei Idea.

Ignis.

Ignis apparens ſupra Apoſtolos in die Pentecoſtes non fuit verè ignis. 161. VII
Ignis purgatorij eſt verus ignis 568. III. quomodo agat in animas, quæ in eo detinentur. *ibid.* VII

Ignis inferni.

Ignis inferni quo ſenſu à nonnullis Patribus negatur eſſe materialis. 568. V. cur non corrumpatur. *ibid.* eſt eiuſdem rationis cum noſtro. *ibid.* non torquet dæmones ſolâ illâ alligatione, quâ eos detinet incluſos contra propriam eorum voluntatem: nec etiam ſolâ illius apprehenſione. 568. VI
Ignis, quo cruciantur dæmones eſt verus, & corporeus. 568. III
Ignis inferni non cruciat dæmones efficiendo in illis calorem, vel cauſando in illis dolorem talem, qualem anima vnita corpori habet, quando corpus eius comburitur, 569. II. eodem modo cruciat homines, quo dæmones. *ibid.* IV. cruciat dæmones, quatenus tanquam quoddam inſtrumentum phyſicum Dei agens per ſuam obedientialem potentiam producit in illorum ſubſtantia qualitatem ſpiritalem illis diſconuenientem, & eorum ſubſtantiam fœdantem. 569. V. eodem modo ſeruatâ proportione agit in damnatos, ac ignis purgatorij in animas ibi detentas. 568. VII

Illatio.

Illatio vnius propoſitionis ex alia ratione ſignificationis propriè non facit diſcurſum. 24. I

Illapſus.

Illapſus quid importet. 516. II. cui propriè conueniat. *ibid.* III

Illuminatio.

Illuminatio in Angelis quid ſit. 551. VI. an & quomodo fiat. *ibid.* VII
Vide Angelorum illuminatio.

Imaginarium.

Imaginarium ſpatium, *vide* ſpatium.

Imago.

Imago quid ſit. 421. I. quotuplex ſit. *ibid.* VI
Imago naturalis in quo fundetur. 421. II
Imago in diuinis non eſt formaliter & intrinſecè ſubſtantialis, ſed extrinſecè tantùm. 330. VIII
Imago dicitur ab imitando. 421. VII. ex quo adæquatè coaleſcat. 422. VIII. in diuinis an & quomodo dicitur relatiuè. *ibid.*
ratio Imaginis eſt aliquid poſterius ipsâ filiatione tam in filio diuino, quàm in quolibet creato. 330. IV
ad Imaginem propriè dictam requiritur eadem ſimilitudo, quæ in propriè dicta generatione. 327. I
ad Imaginem intentionalem quid requiratur. 423. IV

Immaterialitas.

Immaterialitas Angelorum non impedit eorum vnitatem ſpecificam. 479. VII

Immenſitas Dei.

Immenſitas Dei quoad nomen eſt aliquid negatiuum. 57. VIII. formaliter ſumpta eſt aliquid poſitiuum. *ibid.* an ſit aliquod Dei attributum. 58. IV. an & quomodo poſſit à nobis cognoſci. 57. VII. an & quomodo diſtinguatur à compræſentia Dei in rebus. 58. IV. an & quomodo contineat omnia loca realia poſſibilia. 196. V
Immenſitatis Dei ad exiſtendum in omnibus locis, & eius omnipotentiæ ad creandum omnia diſpar ratio. 71. II

Immutabilitas.

Immutabilitas & neceſſitas quomodo differunt. 76. II
Immutabilitas eſt ſoli Deo propria. 77. I

Impossibilitas.

Impossibilitas quæ datur, vnde debeat repeti. 300. III

Impius.

Impij cur abundent diuitiis. 243. VIII

In.

particula In quas habitudines significet, quando aliqua res dicitur esse in aliquo spatio temporis, vel loci. 72. IV

Inæqualitas.

Inæqualitatem esse in visione beatifica docet Catholica fides. 136. VII

Inæqualitatis visionis beatificæ quæ sit causa moralis efficiens. 138. II. quæ causa physica. *ibid.* IV. secundùm Nominales est ipsa sola voluntas Dei. *ibid.* III

Inæqualis beatitudo non potest conferri duobus æqualibus in meritis. 139. VII

Inæquales esse singulos beatos quoad visionem beatificam existimauit Paludanus. 137. VII

Incommunicabilitas.

Incommunicabilitas est quædam passio personalitatis. 374. III

Incompossibilitas.

Incompossibilitas relationum diuinarum non impedit, quominus sint formaliter in Deo. 46. VI

Incompossibilitas quæ requiratur in perfectione simpliciter simplici. 370. VIII. & 371. IV. V

Incorruptibile, Incorruptibilitas.

Incorruptibile, *vide* corruptibile.

Incorruptibilitas Angelorum, *vide* Angelus.

Increatum.

ratio Increati non conuenit vlli relationum diuinarum. 383. VI

Indeterminatio.

Indeterminatio causæ proximæ impediátne quominus Deus cognoscat eius effectum. 203. V

Indifferentia.

Indifferentia an & quomodo sit in Deo. 231. V. alia causæ, alia effectûs. 234. VI

Indistantia.

Indistantia vnius Angeli ad intellectum alterius non sufficit, vt possit cognosci ab illo Angelo. 535. II

Indistantia ad agendum, *vide* agere.

Indiuiduum.

tria Indiuidua non dantur in Deo. 394. VI

Indiuiduatio.

Indiuiduatio quo sensu sequitur necessariò ipsam speciem. 481. VI. non multiplicatur tantùm ad conseruationem speciei. 483. II

Indiuisibile.

Indiuisibile non potest cognosci, quin totum perfectè & sicuti est cognoscatur. 96. II

Indurare.

Deum Indurare aliquos, vt non videant, intelligant quomodo debeat explicari. 294. III

Infallibilitas.

Infallibilitas consequutionis effectus importátne necessitatem in agendo. 240. VI

Infantes.

Infantes baptisati morientes ante vsum rationis fuerunt prædestinati ante propria præuisa merita. 259. III

Infantes qui post susceptum baptisma decedunt, antequam possint aliquo modo peccare, sunt æquales in visione beatifica, sicut & in gratia habituali. 137. VII

Infernus.

Infernus est locus pœnalis perpetuus dæmonum. 569. VIII. est subtus terram. 570. I. quomodo dicitur esse extra hunc mundum. 570. II

Inferni ignis, *vide* ignis inferni.

Infinitas.

Infinitas secundùm essentiam quid neget. 53. III

Infinitas non habet in Deo rationem vltimæ differentiæ. 171. VIII

Vide Dei infinitas.

Infinitum.

Infinitum in essentia præter Deum, nec datur, nec dari potest. 55. VIII

vt vnum Infinitum sit alteri æquale quid requiratur. 180. III

Infiniti secundùm quantitatem in suo statu naturali derelicti, & infiniti secundùm essentiam dispar ratio. 54. VII

Inflictio.

Inflictio pœnæ æternæ est propriè effectus reprobationis. 294. V

Infusum.

Infusum esse per se, & esse supernaturale quomodo distinguantur. 536. VIII

Ingenerabilitas.

Ingenerabilitas actiua, & inspirabilitas passiua in Filio non sunt notiones. 401. IV

Ingenerabilitas passiua, & inspirabilitas actiua in Spiritu sancto non sunt notiones. *ibidem.*

Ingenitum.

Ingenitum quomodo communiter sumatur. 409. III. quomodo dicatur de prima persona Trinitatis. 408. VIII. quomodo de secunda. 409. I. de tertia. *ibid.* II. de essentia diuina. *ibid.* V. potest dici de aliquo negatiuè vel priuatiuè. *ibid.* IV. dicitur negatiuè de diuina essentia. *ibid.* V. priuatiuè de Patre diuino. *ibid.*

Ingenitum sumitur tribus modis. 324. V

Initium.

nomen hoc *Initium* non potest dici de Patre diuino respectu Filij, nec de Filio respectu Spiritus sancti. 407. IV

Iniuria.

Iniuria fierétne alicui si post præuisos homines in communi massa perditionis Deus aliquos erueret liberaliter, alios relinqueret. 231. III

Innascibilitas.

Innascibilitas sitne aliquid positiuum vel negatiuum. 402. IV. quem ordinem consideratur habere ad Deum spectatum sub ratione deitatis. 8. VIII

Innascibilitas in diuinis apprehenditur posterius ipsâ paternitate. 403. II. cur prima omnium inter diuinas notiones recenseatur. 403. IV

Instans.

Instans temporis discreti quid sit. 526. VII. quomodo componat tempus discretum. *ibid.* VIII

Intellectus.

Intellectus an & quomodo producat terminum sibi similem. 331. IV. quam similitudinem intendat in productione termini. *ibid.* VI

Intellectus agens quid sit. 532. I. quid possibilis. *ibid.* neutrum habent Angeli. *ibid.* II. vtrumque habuerunt Christus Dominus & primus parens. *ibid.* II

Intellectus noster vt abstrahat species ab obiecto, cur postulet coniungi cum phantasia. 535. VII. VIII. cur potiùs possit abstrahere species ab obiectis, quàm intellectus Angelicus. 535. VII

Intellectus Angeli non potest abstrahere species ab obiectis, eásque deputare. 535. II

Intellectus creati obiectum adæquatum specificatiuum est ens sumptum secundùm totam suam latitudinem. 88. II

Intellectum fieri intelligibiliter obiectum priusquam illud cognoscat quid sit. 129. V

Intellectum ferri posse in quodcunque obiectum contentum intra latitudinem specificatiui sui obiecti quomodo cognoscamus naturaliter. 91. II

Intellectus creatus indiget aliquo supernaturali, vt eius virtus eleuetur ad videndum Deum. 95. IV

Intellectus concurrit efficienter ad visionem beatificam. 107. VII. non per modum causæ partialis. 107. VI. non causæ instrumentalis. 108. III. cum lumine gloriæ componit vnum totale agens principale ex parte potentiæ ad eliciendam visionem beatificam. III. I. an comparatione supernaturalitatis possit dici instrumentum. 107. II

quæ sit dispar ratio Intellectus informati lumine gloriæ in efficienda visione beatifica ac intellectus & voluntatis cum habitibus supernaturalibus ad producendos actus supernaturales. 141. VII

Intellectum se habere duntaxat passiuè in visione beatifica docent Nominales. 138. III

Intellectio.

Intellectionis terminus vocatur verbum mentis, & quare. 316. V

Intellectio & dictio in Deo an & quomodo distinguantur. 319. VII

Intellectio & volitio in diuinis sunt vnica entitas, virtute tamen duplex. 338. VIII. & 339. I

Intellectio actualis non præsupponit suum obiectum. 169. VI

est aliqua ratio primò constituens essentiam diuinam. 166. VI

Intellectio actualis per essentiam ita est prædicatum aliquod constitutiuum diuinæ essentiæ, vt sit vltima illius differentia quasi constitutiua, quatenus consideratur specificè. 170. VIII. quo sensu dicitur adæquare passiuam intelligibilitatem essentiæ diuinæ. 180. I. communicatur tantùm materialiter Spiritui sancto. *ibid.* II

Intellectio actualis in Deo per essentiam non potest probari per immaterialitatem. 174. I sítne radix omnipotentiæ diuinæ. 174. III. an & quomodo sit proportionata futuris contingentibus cognoscendis ab æterno. 205. VIII. an & quomodo penetret certò actualem connexionem contingentium cum sua propria futuritione. *ibid.*

Intellectualitas.

Intellectualitas prout abstrahit ab actuali intellectione, non potest esse in Deo. 170. III

Intellectiuum

Intellectiuum quod est in Deo, & intellectiuum quod est in nostro conceptu, quomodo differant. 170. II

Intellectiuum prout importat gradum intellectiui radicalis tantùm non est vltimò constitutiuum essentiæ diuinæ. 173. V

Intelligibilitas.

Intelligibilitas diuinæ essentiæ, & intelligibilitas creaturarum in visione beatifica distinguantúrne specie. 143. VIII

Intelligere.

Intelligere si consideretur sine relatione paternitatis est quid essentiale. 318. VIII. si cum relatione est quid notionale. *ibid.*

Intelligere vt est duntaxat in Patre diuino est generatiuum filij. 319. I

Intensio.

Intensio actus quando prohibita. 563. V

Intentio.

Intentio efficax finis quomodo respiciat effectum exequendum. 256. VI

Intentio Dei duplex circa peccatores. 287. IV

Interminabilitas.

Interminabilitas respectu æternitatis est aliquid reale existens intrinsecè & formaliter in re durante. 80. II. rectè appellatur infinitas duratiua. *ibid.*

Interminabilitas æternitatis & æui quomodo differant. 80. VI

Inuisibilis.

Inuisibilis quomodo tribuatur Deo in scripturis. 86. V

Ioachim.

Ioachim existimabat aliquem modum compositionis ex natura & supposito dari in Deo. 39. I. dicebat tres personas diuinas esse tantùm vnum inter se vnitate ordinis & nexus, non vnitate essentiæ. 345. V

S. Ioannes Baptista.

S. Ioannes Baptista quo sensu aliquando dicitur Angelus. 463. IV. fuit prædestinatus ante præuisa eius merita. 259. II

S. Ioannes Euangelista.

S. Ioannes Euangelista cur cognominatur Theologus. 1. III. scripsit suum Euangelium, vt contra Cherintum & Ebionitas ostenderet C. Dom. esse ante beatissimam Virginem. 310. V

Ioannes de Ripa.

Ioannis de Ripa sententia negans proprietates personales in diuinis esse relatiuas. 444. reiicitur. *ibid.* V

Ioannes XXII.

Ioannes XXII. quid senserit de visione Dei à beatis. 94. IV

Iouinianus.

Iouiniani hæresis fuit omnes beatos esse æquales in visione beatifica. 136. VII. fuit condemnata in Concilio Mediolanensi per Syricium Papam. *ibid.*

Ira.

Ira sítne in Deo. 242. IV

Iudas.

Iudas fuit de numero reproborum. 265. VIII

Iudicium.

Iudicium verum de rebus moralibus quomodo remansit in dæmone. 566 III

Iustificatio.

Iustificatio est effectus prædestinationis. 276. V

Iustitia.

Iustitia sitne in Deo. 242. V

Iustitia & misericordia quomodo reperiantur in quouis opere Dei. 242. VIII. in prædestinatione hominum. 249. VI. Angelorum. *ibid.* damnatione dæmonum. 570. I

L

Laurentius.

Laurentius Valla impudentiæ arguitur, quòd sustineat nomen *persona* non significare subsistentiam incommunicabilem naturæ intellectualis. 372. II. reprehenditur quòd noluerit dicere *in principio erat Verbum.* 410. VI

Leo tertius.

Leo tertius curauit Symbolum Constantinopolitanum describi in lamina argentea. 415. VII. qua de causa. 416. III

Liber.

Libri nomine in scriptura quid intelligatur. 295. IV

Liber vitæ quid significet. 295. V. quid sit. *ibid* VII. quotuplex, *ibid.* VIII

Libri vitæ à prædestinatione distinctio. 295. VIII

Liberatio.

Liberatio à miseria duplex. 250. II

Libertas.

Libertas non tollitur ex præscientia Dei. 190. VI

Libertas ad agendum quando sit perfectio in agente. 451. VII

Libertatis nostræ cum diuina voluntate conciliatio. 240. VII

Libertatis creatæ cum reprobatione conciliatio. 295. III

Liberi arbitrij bonus vsus, quo ipse prædestinatus cooperatur Deo vocanti, sítne aliquis effectus prædestinationis. 78. VII

Libertas diuinæ voluntatis est longè perfectior libertate cuiuscunque creaturæ. 235. VII

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium quomodo dicitur à S. Aug. esse media via, per quam voluntas potest vel intendi ad fidem, vel ad infidelitatem inclinari. 139. IV

Liberum arbitrium est in Deo. 231. II. *vide* actus Dei liber, volitio diuina.

Lingua.

Linguæ apparentes supra Apostolos in die Pentecostes non fuerunt veræ linguæ. 461. VII

Locus.

Locus alius intrinsecus, alius extrinsecus. 501. V

Locum acquirere & mouere se localiter quomodo distinguantur. 523. VIII

Locus Dei, *vide* Deus.

Loci Theologici qui sint. 27. III

Loci Theologici extrinseci qui sint. 27. V

Locus adæquatus Angeli quid sit. 507. IV. quid inadæquatus. *ibid.* V. *vide* Angeli locus, vbi Angeli.

Loci Angelici magnitudinis & paruitatis dispar ratio. 512. V

Loqui.

Loqui simpliciter, & loqui aliis quomodo distinguantur. 411. I I

cur non censeatur Loqui Deus infundens Angelis species ad loquutionem necessarias. 550. II

quo sensu Loquatur Filio Pater diuinus, dum illum generat. 411. III

Loquutus est per os Sanctorum, à Christo Domino explicatur de Spiritu sancto. 313. VIII

Loquutio.

Loquutio quid sit. 496. III. 548. V

in Loquutione quæ distinguantur. 550. II

Lucretius.

Lucretius existimauit Deum esse perfectissimum. 42. VIII

Lumen.

Lumen naturale eodémne modo se habeat in omnibus scientiis naturalibus, ac diuina reuelatio virtualis in Theologia. 13. VIII

Lumen Theologicum Gandauensis est omninò fictitium. 3. VIII

Lumen gloriæ.

Lumen gloriæ dicitur tale per analogiam ad lumen corporeum. 97. IV. non est formaliter visio essentiæ diuinæ. 97. IV. non ipsum lumen increatum Dei, nec concursus, quo concurrit cum intellectu ad visionem beatificam. 97. VI. non potentia. 98. VII. est qualitas supernaturalis infusa à Deo ipsi intellectui. 98. II. an sit propriè habitus operatiuus 98. VIII. an sit de fide illud esse aliquid habituale. 99. VI VIII

Lumen gloriæ ex parte materiali postulat esse in subiecto, non ex formali. 124. VIII

Lumen gloriæ est formalis participatio Dei tum in sua formali entitate, tum quoad suum modum operandi. 111. III. sítne aliquid perfectius, quàm sit habitus gratiæ vel charitatis. 120. I. an possit emanare ab aliqua creatura possibili. 115. IV. an possit postulari ab aliqua creatura possibili tanquam quidpiam sibi ex naturali perfectione debitum. 123. IV

Luminis gloriæ necessitas ad visionem beatificam.

Lumen gloriæ non ideò est necessarium, vt beatifica visio recipiatur in intellectu beati. 100. VII. nec, vt intellectus beati recipiat diuinam essentiam in seipso, vt formam intelligibilem. 102. IV. ad quid præcisè sit necessarium. 106. II. non datur vt loco speciei impressæ concurrat ad visionem beatificam. 103. III. non suppletur per essentiam diuinam ad modum speciei impressæ concurrentis. 103. VI

Luminis gloriæ concursus ad visionem beatificam.

Lumen gloriæ non auget virtutem intellectus beati intendendo illam. 106. VII. nec eam ita auget, quòd sit tota forma, per quam intelligat. 107. I. quomodo illam augeat. 107. V

Lumen gloriæ concurrit efficienter ad visionem beatificam. 107. VIII. non tanquam causa partialis. 107. VI. non vt instrumentum intellectus videntis Deum. 110. VI. cum

intellectu componit vnum totale agens principale ex parte potentiæ ad eliciendam visionem beatificam. 111. II. est immediata ratio propter quam intellectus immediatè agit. 139. VI
Lumen gloriæ non confertur iuxta indigentiam intellectus ad eliciendum visionem beatificam, quam est habiturus. 139. VIII
Luminis gloriæ actiuitas possitne suppleri in visione beatifica. 111. VI. quomodo. 112. VII

Lux.

Lucis ad cognoscendum tenebras, & increatæ bonitatis ad cognoscendum peccatum, quæ sit comparatio. 180. VII
Lucem inaccessibilem Deum inhabitare quid sit. 86. VI

M

Macedonius.

MACEDONIVS quid docuerit de Spiritu sancto. 313. IV. eum vocabat ministrum & famulum Dei. *ibid.* quomodo eum distinguebat ab Angelis. *ibid.* quæ, & quo tempore fuerit orta eius hæresis. *ibid.*

Macedoniani.

Macedoniani à Macedonio sic dicti. 313. V. ad fulciendum suam hæresim falsabant sacros codices. *ibid.*

Maius.

qui potest Maius, potest & minus, quomodo debeat intelligi. 456. VII

Malum.

Malum triplex. 185. V
nomine Mali apud sanctum Dionysium nonnunquam intelliguntur entia positiua creata, & quo sensu. 186. VI
Malum culpæ non potest esse effectus prædestinationis. 281. III. non cognoscitur à Deo scientiâ approbationis. 185. VIII
Malum pœnæ potest esse effectus prædestinationis. 280. VII

Manducatio.

Manducatio est contritio cibi, & eius traiectio per instrumenta vitalia animalis in eius stomachum. 496. III
Manducatio, quâ Christus Dominus Lucæ vigesimo quarto probauit suam resurrectionem, fuit vera manducatio. 496. VI. VII. quo sensu dicatur à sancto Thoma non esse sufficiens argumentum probandæ dominicæ resurrectionis. 496. VIII

Manna.

Mannæ distributi filiis Israël mensura æqualis non ostendit æqualitatem visionis beatificæ respectu beatorum. 137. V

Mansio.

Mansiones multæ sunt in domo Patris mei, explicatur. 136. VIII

Marathonius.

Marathonius quis fuerit. 313. V. quæ eius doctrina. *ibid.*

Martyr.

Martyrum mors potest esse effectus prædestinationis. 281. I

Mas.

Mas & femina ex Aristotele quomodo dicuntur distingui materialiter. 481. III

Massa.

Massa perditionis quorum sit. 286. VI
in Massa perditionis potest quis esse duobus modis. 286. V

Materia.

Materia vel ordo intrinsecus ad illam non est principium indiuiduationis. 480. IV
Materia est principium corruptionis. 472. IV

Maternitas.

Maternitas beatæ Virginis possitne fieri perfectior. 303. III

Medium.

Medium cognitionis quid sit. 532. V. quotuplex. *ibid.* VI. Medium notificans aliud quale debeat esse. 185. II. nō est necesse ipsum realiter referri ad rem, quam notificat. *ibid.*

Melius.

Melius quidpiam potest dici, vel ratione sui, vel ratione finis intenti. 304. III. istius particulæ variæ habitudines. *ibid.* IV. V

Membrum.

Membra corporis metaphoricè tantùm Deo tribuuntur. 38. VI

Mensura.

Mensura quid sit. 81. II. quotuplex. *ibid.*

Merces.

Merces quo titulo concedatur. 262. VII. mercedis & simplicis donationis discrimen. *ibid.*

Meritum.

Merita puri alicuius hominis possintne esse aliquo modo causa prædestinationis alicuius. 274. II

S Michaël.

S. Michaël habet custodiam Montis Gargani. 475. II

Millenarij.

Millenarij qui fuerint. 92. II. negabant beatos nunc videre Deum per essentiam. *ibid.*

Minuere.

Minuisti eum paulò minus ab Angelis. 463. V. 464. VI

Misericordia.

Misericordia in nobis includit compassionem alienæ miseriæ, & voluntatem illius subleuandæ. 242. VI
Misericordia Dei reperitur in quouis opere ipsius. *ibid.* VIII. in damnatione dæmonum. 570. I

Missio.

Missio alia est visibilis, alia inuisibilis. 461. IV. visibilis subdiuiditur in eam, quæ est tantùm ad apparendum in signo sensibili, & in eam quæ est ad subsistendum in illo. 461. V
Missio in diuinis quomodo definiatur. 460. VII
Missio cur simpliciter dicatur temporalis. 461. III. quo sensu dicatur æterna. *ibid.*
Missio visibilis, quando est tantùm ad apparendum, tunc res illæ, sub quibus persona missa apparet, sunt tales de facto, quales apparent, scilicet quando res illæ sunt valde imperfectæ, quando autem sunt magis perfectæ, tunc licet sint aliquæ res veræ, & non tantùm per imaginem, attamen non sunt tales quoad veritatem rei 461. VI. cur tunc non interueniat aliqua deceptio. *ibid.* VIII

Missio inuisibilis personæ diuinæ fit tantùm quando datur gratia sanctificans, vel aliquod eius augmentum. 462. II. non fit per iustificationem solâ extrinsecâ Dei beneuolentiâ peractam. *ibid.* III. non per fidem informem. *ibid.* non per gratias gratis datas. *ibid.* IV
ad Missionem sítne necessarium, quòd conferatur gratia gratum faciens. 461. VIII

Mittere.

Mittere sæpè idem sonat ac producere. 461. I

Modus.

Modus eligendi homines ad gloriam ante præuisa merita, an & quomodo reddat nobis assecutionem vitę æternæ impossibilem. 264. I. quomodo inducat socordiam, & negligentiam. *ibid.* VII
Modus substantialis supernaturalis possítne produci. 120
Modus idem videndi Deum scilicet sicuti est, non ostendit æqualitatem visionis beatificæ. 137. II
Modi extrinseci afferunt entitatem alterius rationis & prædicamenti rebus, quas modificant. 380. I
quomodo Modi intrinseci non afferunt entitatem distinctam ab ea re, quam modificant. 379. VIII
Modum modi dari quando repugnat. 514. VIII

Mors.

Mors potest esse effectus prædestinationis. 280. VIII. mors fortuita. 281. I. mors martyrum. *ibid.*
Mors an & quomodo sit effectus reprobationis. 294. VII. VIII

Motiuum.

Motiuum credibilis, & possibilis. 28. IV

Motus.

Motus localis quid sit. 517. II
Motus progressiuus fit per virtutem residentem in tendonibus, imaginatione, & appetitu eam ad motum excitantibus. 496. III
ad Motum quid requiratur. 523. II
ed Motum localem an ex Aristotele sit necessarius transitus per medium. 522. VII

Motus Angeli.

Motus discretus Angeli quid sit. 519. III
Motus Angeli est quidam modus substantiæ Angelicæ inexistens, & ab illa ex natura rei distinctus. 517. IV. potest esse effectiuè ab Angelo. 517. VI
Motus localis in Angelo, & mutationis localis instantaneæ dispar ratio. 525. II
Motum conuenire Angelis tantùm æquiuocè quid sit. 517. I
in Motu Angeli reperitur & mouens, & mobile. 518. III
Vide Angeli motus.

Mouere.

Mouere se localiter, & acquirere locum, quo modo distinguantur. 523. VIII

Moyses.

Moyses non vidit essentiam Dei in hac vita. 127. III
quomodo velit deleri de libro vitæ. 296. IV
cur explicans creationem vniuersi non meminerit Angelorum. 464. IV. 467. II

Mulier Nannetensis.

Mulier Nannetensis per sex annos turpissimam libidinem cum dæmone experta tandem resipuit. 499. IV

Multitudo.

Multitudo rerum non obest prouidentiæ diuinæ. 243. VII

Mutatio.

Mutatio est à non esse ad esse, vel simpliciter, vel secundùm quid. 317. I
Mutationis localis instantaneæ, & motus localis in Angelo dispar ratio. 525. II
in Mutatione locali instantanea Angeli, an & quomodo possint dari duo instantia sibi succedentia. *ibid.* V

Mysterium.

Mysterium Trinitatis non est contra rationem. 397. V. ratione naturali probari non potest. *ibid.* VII. *Vide* Trinitas.
Mysterij gratiæ nomine quid intelligatur. 550. VII

N

Natiuitas.

NATIVITAS Sanctorum an & quomodo sit effectus prædestinationis. 279. IV. V. VII. eius diuersa ratio respectu prædestinationis ab existentia. 279. VI. 280. I

Natura.

ei Naturæ tantùm repugnat esse in pluribus indiuiduis, de cuius essentia est ipsa singularitas. 478. VIII

Naturale.

Naturalia omnia mansisse integra in dæmonibus S. Dionysius docet. 565. VII

Necessitas.

Necessitas in actibus voluntatis dicátne aliquam imperfectionem. 226. VII

Negatio.

Negatio potest opponi alteri negationi. 65. III
Negationes cur excludantur à ratione perfectionis simpliciter simplicis. 43. III
Negationes vel priuationes quomodo sint obiectum scientiæ visionis. 176. IV

Nestorius.

Nestorij symbolum, & eius peruersa dogmata condemnantur in synodo Ephesina. 425. VIII

Noëtus.

Noëti hæresis quæ fuerit. 307. VIII

Nomen.

Nomen accipit mensuram suæ significationis ab ipso imponente, non ab audiente. 163. III.
Nomen essentiale appropriari personæ quid sit. 441. V
Nomina significantia actionem, quæ conueniant Deo ex tempore, quæ ab æterno. 437. VI
Nomina, quibus actus notionales exprimuntur in diuinis, sunt in duplici differentia. 434. V
Nomina essentialia possintne appropriari personis diuinis. 441. V
Nomina quædam possunt propriè & substantialiter dici de Deo. 164. V
Nomen aliquod potest imponi Deo, respondens ei imperfectæ cognitioni, quam de illo habemus. 161.
Vide Dei nomen.
Nomina essentialia abstracta non possunt supponere pro personis diuinis. 439. V. quædam possunt vsurpari per modum nominis concreti. *ibid.* VIII
essentialia cócreta si non restringantur per

aliquod attributum notionale ad aliqua diuinis personis, sed duntaxat ponantur secundùm se in aliqua propositione, tunc supponunt pro essentia diuina, vt existente in omnibus personis. 439. VIII. si restringantur per aliquod attributum notionale, tunc supponunt pro ea tantùm persona cui talis actus notionalis competit. 440. I
Nomina concreta essentialia substantiua, vel etiam adiectiua substantiuè sumpta, prædicantur singulariter de tribus personis diuinis. 438. IV. essentialia adiectiua, vel adiectiuè sumpta prædicantur pluraliter de personis diuinis. 438. V
Nomina substantiua quomodo in prædicatione distinguuntur ab adiectiuis. 438. VIII transcendentia aut quasi transcendentia quomodo prædicentur in diuinis. 439. III
Nomina personalia possunt prædicari de essentialibus. 441. I. qualis sit eorum prædicatio. ibid. IV

Notio.

Notio quid sit. 399. V. non est necesse quòd importet aliquam dignitatem in re cuius est notio. *ibid.* VIII. nec quod importet aliquid positiuum. 400. I
Notiones admittendæ sunt in diuinis. *ibid.* IV quinque tantùm dantur. *ibid.* VIII. quis sit illarum ordo. 401. VIII
Notiones diuinæ, an & quomodo distinguantur tam à se inuicem, quàm à diuinis relationibus & personis quibus sunt propriæ. 403 IV
Notionum numerus quinarius sítne ita determinatus, vt saluâ fide non liceat aliquid addere, vel detrahere. 404. IV
Notiones distinctæ à paternitate inadæquatè consideratæ, fundéntne nobis alias notiones. 402. VII

Notitia.

Notitia euidens istorum terminorum *Deus est*, vel istius *Deus* infusa alicui, possétne assumi ab aliquo viatore pro medio demonstrandæ Dei existentiæ. 32. I

Nubes.

Nubes, sub quâ Spiritus S. apparuit in transfiguratione fuit vera nubes. 461. VII

Numerus.

Numerus electorum est certus. 284. IV. cui certò sit cognitus. *ibid.* excedátne numerum reproborum. 284. VI
qui Numerus repugnet Deo. 394. VIII. 395. I

Nuntiare.

qui Nuntiant ex parte Dei aliquid hominibus, in Scriptura vocantur Angeli. 463. IV

O

Obduratio.

OBDVRATIO non potest esse effectus reprobationis. 293. VIII

Obiectum.

Obiectum quodnam habeat rationem principij respectu cognitionis, an motiuum, an terminatiuum. 415. III
Obiectum aliquod potest esse duplici modo altioris ordinis potentiâ, & quis sit ille duplex modus. 89. VI
Obiectum intellectus aliud specificatiuum, aliud motiuum. *ibid.* I
quid sit aliquid contineri intra latitudinem Obiecti specificatiui intellectus. 88. V
Obiectum diuinæ scientiæ aliud creatum, aliud increatum. 178. VII
Obiectum formale habitus iudicatiui possítne esse id, in quod ipsa eius cognitio vltimò resoluitur. 7. V. quid sit. *ibid.*
Obiectum adæquatum speciei vniuersalis Angelicæ quodnam sit. 540. I
Obiecti & subiecti in scientiis distinctio. 61. IV
Obiecta spiritalia non emittunt naturaliter sui species ad intellectus Angelorum. 534. VII
Obiecta materialia cur non possint per se concurrere cum potentia intellectiua Angeli ad sui cognitionem. 533. VII. cur non possint emittere sui speciem ad intellectum Angeli. 534. VII
Obiecta habituum quæ debeant conuenire in aliqua ratione communi attingendi sua obiecta. 640. IV

Obligatio.

Obligatio hominum ad eliciendum actum spei supernaturalis possítne stare cum electione ad gloriam ante præuisa merita. 263. V

Obstinatio.

Obstinatio dæmonum in malo in quo posita sit. 567. I. non prouenit ex inflexibilitate liberi eorum arbitrij. *ibid.* VI. quæ sit illius causa proxima, quæ remota. *ibid.*

Oculus.

Oculus corporeus per potentiam Dei ordinariam non potest videre essentiam Dei. 125. II. nec per extraordinariam. *ibid.* VIII
quo sensu à S. Augustino dicatur posse videre Deum. *ibid.* VI. possítne absque nulla cooperatione. 126. VII

Odium, odisse.

Odium an & quomodo sit in Deo. 241. VIII
Odij ab inuidia discrimen. 242. II
Odisse aliquem quid sit. *ibid.* I

Oeconomia.

in Oeconomia versari quid sit. 1. III

Omnipotentia.

Omnipotentia ad quas res se extendat. 458. III
Omnipotentia Dei non potest esse medium naturale à priori possibilitatis visionis beatificæ. 90 II. an & quomodo alicui creaturæ possit communicari. 301. I. an & quomodo in Deo sit prior actuali eius cognitione. 184. VI
ad Omnipotentiæ diuinæ comprehensionem sitne necesse cognoscere omnes illius habitudines in particulari. 416. VIII. 417. III
Omnipotentiæ Dei ad creandum omnia, & eius immensitatis ad existendum in omnibus locis dispar ratio. 71. II
Omnipotentiâ Dei naturali lumine cognitâ non sequitur nos posse cognoscere singula, circa quæ se extendit. 300. VIII
Omnipotentiâ præscisâ à Deo desinerentne res creatæ esse possibiles. 184. V

Omnis.

non Omnis non idem est ac nullus, sed idem ac non quilibet. 137. VIII

Operatio.

Operatio prima agentis quomodo tribuatur Deo. 564. VII
Operatio téporalis & processio æterna quomodo includantur in missione. 461. IV

Operatio transiens Angeli non impedit quo minus Angelus possit esse in loco minori & minori diuisibili. 512.III

Opinio.

Opinio Durandi negans requiri aliquid supernaturale ex parte intellectus creati vt eleuetur ad visionem Dei, est erronea. 96. VIII

Opus.

Opus omne bonum supernaturale prædestinati est effectus prædestinationis. 276. V

Opera bona moralia, quæ exercentur ab infidelibus ante primam eorum vocationem, non sunt effectus prædestinationis. 280. V

Opera magica an & quæ probent existentiam substantiæ spiritalis. 465. V. 466 II. an sint ab anima vel corpore inclusa, vel extra corpus posita. 465. VII. an ab aliqua causa naturali. *ibid.* VIII

Oppositio.

cur sola Oppositio relatiua reperiatur in Deo. 342. VI

Ordinare.

Deus Ordinat positiuâ voluntate media sufficientia ad salutem etiam reproborum. 227. VIII

Ordo.

Ordo ita constans multis speciebus, vt multæ illæ species constent etiam multis indiuiduis est pulchrior eo ordine, qui constat solùm multitudine specierum. 483. VI

Ordo naturæ an & quis reperiatur inter personas diuinas. 458. VII. 459. I I. an inter quamlibet originem diuinam, & passiuam sibi correspondentem. 458. VIII

Ordo actuum diuinæ volitionis desumatúrne ex ordine, quem obiecta seruant inter se. 255. I 257. I

Ordo quilibet Angelorum quibus constet spiritibus. 475. V. Archangelorum. *ibid.* VI. principatuum. *ibid.* potestatum. *ibid.* virtutum. *ibid.* dominationum. *ibid.*

Ordinis Angelorum nomine quid intelligatur. 475. IV

ex Ordinibus singulis Angelorum aliqui ceciderunt. 561. VII

Ordo vniuersi postulétne habere de facto substantiam purè spiritalem animâ hominum superiorem & inferiorem Deo. 465. II. III. non attenditur penes locum. 516. I. penes quid attendatur. *ibid.*

Origenes.

Origenes an idem senserit, quod Arius. 312. III

Origenis de animarum creatione opinio. 151. I

Origo.

Origo personarum in diuinis non est notio. 402. II.

P

Parabola.

in PARABOLIS non est necesse omnes & singulas earum partes aliquid significare, quod deseruiat earum fini. 93. VIII. 137. IV

Particula

Particula exclusiua in propositione de personis diuinis, in qua attributum est essentiale, significat tantùm exclusionem eorum, quæ sunt alterius naturæ, non personæ. 312. V

Partus.

Partum esse quid sit. 315

Passiones.

Passiones an & quomodo sint in Deo. 341. IV

Pater.

nomen hoc *Pater* potest dupliciter esse concretum. 365. III. est proprium soli primæ personæ Trinitatis. 407. VI. ratione rei significatæ priùs, & magis propriè conuenit Deo Patri vt generanti Filium, quàm ipsi Deo vt principio creaturarum, vel quàm conueniat alicui patri creato generanti filium. 408. I

nomen hoc *Pater* ratione nominis, seu modi significandi priùs conuenit patri creato respectu filij creati, quàm conueniat primæ personæ diuinæ respectu Filij, vel quàm conueniat toti Trinitati respectu creaturarum, quas producit. 408. VI

Pater diuinus.

Patris æterni diuinitas ostenditur. 310. II

Pater diuinus quo sensu dicitur maior auctoritate Filio. 313. I. non dicitur essentiator. 315. VII. vnde fit, quòd priùs apprehendatur subsistens, quàm producens. 446. VI

Pater diuinus in primo signo originis non intelligit diuinam essentiam & paternitatem, vt duo obiecta distincta realiter vel ex natura rei. 352. III. sitne perfectè beatus cognitione suæ essentiæ. 414. VIII

Pater diuinus nunc generauit perfectè Filium, & adhuc generat. 323. I quomodo à sancto Augustino dicitur non esse sapiens sapientiâ genitâ. 352. I. quo sensu communicet essentiam diuinam completam Filio. 389 III. quomodo intelligatur generauisse Filium vbi voluit. 451. IV. producendo Filium, quo sensu dicatur illi loqui. 411. III. an solus in diuinis dicatur esse principium. 405. III

Pater diuinus an & quo sensu possit dici causa Filij. 405. VIII. 406. VIII. 407. I. auctor sui Filij. 407. III. an possit dici initium respectu Filij & Spiritus sancti. 407. IV

Pater in diuinis rectè dicitur & est principium ad intra. 404. VII. quo sensu dicatur esse principium totius diuinitatis. 405. II. solus, sitne sufficiens principium Spiritus sancti. 416. VII

Pater diuinus non potest propriè mitti. 461. II

Pater & Filius in Deo cur non sit quid melius. 48. V. melius'ne dicantur esse vnum principium Spiritus sancti, quàm vnum duntaxat principium spirandi esse in Patre & Filio. 432. V. in illa propositione particula *vnum principium* pro quo supponat. 433. I

Pater & Filius an & quomodo diligant se Spiritu sancto. 434. IV

in Patre ipsa potentia generandi, vel actus generationis, vel ipsa habitudo principij non sunt notiones. 401. IV

Paternitas.

Paternitas quomodo constituit Patrem in esse distinctæ personæ à Filio ante omnem mentis operationem. 355.II

Paternitas in diuinis priùs apprehenditur quàm innascibilitas. 405. II. quomodo emanet ab essentiâ diuina. 407. VIII

Paternitas & innascibilitas in Patre sunt notiones. 400.VIII

Paternitas est Deus, quo sensu sit vera hæc propositio. 364. VI

Patres.

Patres VII. Synodi actione quintâ his verbis, *etiam Domine,* quid approbauerint. 471. IV. V. cur non reprehenderint sermonem Ioannis Thessalonicensis asserentis, quòd Angeli non essent omninò corporis expertes. *ibid.* VI

Patres veteris testamenti pro illo tempore cognouerintne ea, quæ gererentur in terris. 162. II. an ad eos tunc dirigebantur orationes. 162.II

Patripassiani.

Patripassiani qui fuerint. 307. VIII. eorum hæresis primi auctores. *ibid.*

S. Paulus.

S. Paulus non vidit essentiam Dei in hac vita. 127. VII. quomodo velit esse anathema pro suis fratribus. 296. V

Peccatum.

Peccatum quomodo nos priuet Deo. 186. IV. quomodo sit offensiuum Dei. 186. V. non causat reprobationem nisi in eo reprobus perseueret. 286. I. quodnam causet reprobationem. 286.II

Peccatum non est propriè effectus reprobationis quatenus est malum culpæ. 293. II. nec quatenus est pœna alterius peccati præcedentis. *ibid.*

Peccatum potest esse in aliquo vel causaliter, vel formaliter. 560.III

Peccata omnia possunt esse in Angelis causaliter. 560. IV. formaliter sola spiritalia. *ibid.* V

Peccata carnis impropriè tantùm tribuuntur dæmonibus. 560. VII. quo sensu illa dicantur iis placere. *ibid.*

Penetratio.

Penetratio propriè attenditur penes corpora. 516. II

Per.

Per particula in scripturis etiam nonnunquam tribuitur causæ principali. 311.I

Perfectio.

Perfectio alia simpliciter simplex, alia simplex. 43. I

Perfectio simpliciter simplex quid sit. *ibid.* quid requiratur ad illam. *ibid.* III. quid sit simplex. *ibid.* IV

Perfectio alia est absoluta seu entitatiua, alia est respectiua. 367. III

Perfectio aliqua quomodo possit esse in vna persona diuina, licet non sit in alia. 369.I

Perfectiones creaturarum, quæ sunt in Deo, non sunt eædem numero in illo, quæ sunt in ipsis creaturis, sed tantùm secundùm aliquam analogiam. 46.VII

Perfectiones in Deo tres dantur respondentes tribus relationibus personalibus, quarum vnaquæque est infinita in suo genere. 368.V

Perfectio Dei, *vide* Deus.

Perfectus.

Perfectum quid illud est, cui nihil deest. 367. II

vt quidpiam sit Perfectum, non est necesse quòd sit absolutum. 367.VIII

Perfecti estote sicut Pater vester cælestis perfectus est. 42. VII

Permissio.

Permissio peccati subiacet prouidentiæ diuinæ. 243. VIII. quo sensu numeretur inter signa diuinæ voluntatis. 220. V

Permissio peccati à Deo non infert necessariò peccatum. 193. IV

Permissio peccati in homine prædestinato si per se spectetur, non est effectus prædestinationis. 281. IV. per accidens potest esse. *ibid.* VI. non est effectus reprobationis. 293. V

Perseuerantia.

Perseuerantia in gratia est effectus prædestinationis. 276.V

Perseuerantia in peccato non est effectus reprobationis. 293. V

Persona.

Personæ definitio traditur & explicatur. 372. IV. V. VI. & VII. variæ acceptiones afferuntur. 371. VIII. & 372.II

Persona quomodo reddat suum subiectum incommunicabile alteri. 372. VI. quàm substantiam significet. 372

Persona & subsistentia in diuinis sintne synonyma. 384.V

Persona diuina.

Personæ nomen admittendum est in diuinis. 373. VI

Persona diuina non potest dici *solitaria, vnica,* vel *singularis.* 396. VI. an & quomodo sit æquè simplex ac essentia diuina, vel diuina relatio. 443.VIII

Personarum pluralitas in Deo probatur. 308.I

Personæ diuinæ quo sensu possint esse perfectiores vnicâ tantùm personâ. 369. IV. V

Personæ diuinæ non habent conuenientiam eodem modo in nomine & ratione personæ, quo eam habent in nomine & ratione deitatis. 376. III. an habeant aliquam communitatem per considerationem nostri intellectus. 376. IV. qualis sit hæc communitas. *ibidem.* IV. V. VI. VII. & VIII

Personæ diuinæ existunt per existentias diuinas. 377. VIII. cur non æquè distinguantur inter se absque processione vnius ab alia, quàm personæ creatæ. 429. II. an & quomodo sint ab alio 317. IV. V. possintne referri ratione essentiæ diuinæ. 446.I

Personarum diuinarum constitutiuum.

Personæ diuinæ constant essentiâ, tanquam aliquo communi, & suis proprietatibus relatiuis, tanquam ratione constitutiuâ, & distinctiuâ illarum. 441. VI. qualis sit hæc constitutio, an realis actualis, an formalis, an virtualis realis. 443. II. an per ordinem ad creaturas. 443. V

Personæ diuinæ ex se & independenter ab intellectu per quid constituantur. 447. I. variæ de earum constitutione per ordi-

nem ad modum nostrum concipiendi sententiæ. *ibid.* V. quid possimus distinguere in illarum constitutione. 447. II. vt considerantur constitutæ in suo gradu vltimo conceptu distincto constituuntur & distinguuntur formaliter etiam nostro modo considerandi per suas relationes personales, vt sunt formaliter relationes in actu exercito. 447. VIII. prout apprehenduntur per analogiam ad res creatas, constituuntur in suo esse personali per suas relationes personales, quatenus sunt formæ quædam hypostaticæ. 448. VIII. quo respectu possint constitui & distingui per origines. 449. II. an magis principaliter constituantur, & distinguantur per relationes suas etiam vt relationes nostro modo considerandi per analogiam ad res creatas, quàm constituantur, & distinguantur per ipsas suas origines. 449. V. quo modo & ordine concipiantur à nobis per analogiam ad personas creatas. 449. VII

Personas diuinas figurari proprietatibus quid sit. 442. II

Personarum diuinarum æqualitas.

Personæ omnes diuinæ sunt æquales & sibi similes in substantia, duratione, perfectione, & potentia. 457. VII

Personarum diuinarum missio.

Persona vna nunquam mittitur, quin & alia, quæ potest mitti, mittatur. 462. VII

Personæ, quæ possunt mitti, nunquam mittuntur, quin etiam simul prima persona detur. 462. VII

Vide missio.

Personarum diuinarum concursus ad visionem beatificam.

Personam aliquam diuinam implicat videri quidditatiuâ cognitione intuitiuâ, & diuinam essentiam nullo modo videri. 156. VI

Persona diuina Patris non potest de absoluta Dei potentia videri clarè, sicuti est in seipsa, nisi & persona Filij ei correlata videatur. 150. VII

Persona diuina Spiritus sancti non potest videri quidditatiuè, intuitiuè, & sicuti est, nisi aliæ duæ personæ diuinæ simul videantur. *ibid.*

cur potiùs vna Persona possit vniri naturæ humanæ sine alia, quàm vna videri sine alia. 151. IV

Persona diuina in particulari.

Persona prima Trinitatis est verè Deus. 310. II. quo modo & quo ordine à nobis concipitur per analogiam ad personam creatam. 449. VIII

Persona secunda Trinitatis in hæresi Græcorum de processione Spiritus sancti non desineret esse Filius. 328. I. 329. VII. est verus Deus. 310. III. consubstantialis Patri. *ibid.* eò est Filius, quò est Verbum. 327. VIII.

Personæ Patris & Filij non possunt cognosci, nisi & cognoscatur persona Spiritus sancti. 151. VIII

Persona secunda & tertia quo modo & ordine à nobis concipiãtur per analogiam ad personas creatas. 450. I

Personalitas.

Personalitas sitne forma præcipua ipsius personæ diuinæ. 452. V. præcisè sumpta non consistit in faciendo subsistere in alio genere, quàm substantia subsistat. 385. VIII

Personalitas in nobis habet existentiam distinctam ab existentia naturæ. 381. IV

Personalitas, prout res significata per hoc nomen subest nostro conceptui, non significat formaliter relationem sub ratione relationis, sed tantùm consequenter. 315. IV

Personalitas & subsistentia ex vsu Ecclesiæ quomodo sint synonyma. 373. IV. 384. VI

Personalitas diuina.

Personalitas in diuinis est diuina relatio. 375. I. est aliquid positiuum. 374. II

Personalitates relatiuæ possunt videri simul non visis aliis attributis, vel diuinâ essentiâ. 158. III

Personalitates diuinæ propriè non sunt modi. 374. IV. impropriè possunt esse. *ibid.* VI. concipiuntur à nobis tanquam modi aliqui. 374. IV

Phantasia.

Phantasia proterua quo sensu dicitur esse in dæmonibus. 532. I

Philosophus, Philosophia.

vnde Philosophi gentiles acceperint cognitionem mysterij Trinitatis. 398. VI

Philosophia quæ reiiciatur ab Apostolo. 22. III

Platonici.

Platonicorum sententia tribuens Angelis corpora valde subtilia. 469. II

Plinius.

Plinius malè negat Deum esse omnipotentem ex eo, quòd non possit mortem sibi consciscere. 300. VII

Pœnitentia.

Pœnitentia quomodo presupponat permissionem peccati. 281. VII

Porretanus.

Porretani opinio, relationes diuinas realiter distinguens ab essentia diuina. 347. V. vbi actum fuit contra ipsum. *ibid.* IV

Possibile.

Possibile omne possitne simul & semel produci. 300. II. an & quomodo sit obiectum *simplicis intelligentiæ*, & *visionis*. 176. V. per quod motiuum demonstretur. 28. IV

Possibilium omnium cognitio non potest vlli intellectui creato conferri. 159. IV

Possibilitas.

ad Possibilitatem alicuius rei quid requiratur. 521. VII. 522. II

in Possibilitate rerum quæ distinguantur. 300. V

Posterioritas.

Posterioritas originis datur inter personas diuinas. 458. VIII

Potentia.

Potentia quæuis cur potiùs indiget præuiâ dispositione ad producendum aliquid supernaturale, quàm ad recipiendum. 101. VII

Potentia creata potest concipi cum carentia

sui actus, diuina non potest. 453.V
Potentia intellectiua maior vel minor nihil confert ad eliciendam visionem beatificam magis vel minus perfectam. 138. IV
Potentia obedientialis actiua intellectus est æqualis in omnibus intellectibus. 138. VIII
Potentia obedientialis alia omninò pura, alia non omninò pura. 109.VIII
Potentia obedientialis intellectus, & naturalis eius potentia materialiter conueniunt, non formaliter. 139. III
Potentiæ obedientialis actiua quantitas vnde debet repeti. 138. VII
an quod se habet per modum Potentiæ obedientialis participet rationem causæ instrumentalis, vel principalis. 109.VIII
Potentia visiua cur possit sese aliquo modo terminare ad tenebras. 299.VIII
Potentia vitalis respectu sui actus vitalis habet rationem veluti causæ formalis. 126. IV
Potentia motrix datur in Angelo. 517. VIII. quid illa sit. 518.I
Potentia motrix in Angelo est tam efficax respectu ipsius, quàm sit in nobis respectu nostri. 519. III. nullam vitalitatem rei tantùm corporeæ propriam postulat. *ibid.*
ad Potentiæ realis rationem quid requiratur. 453.III
Potentiarum, & habituum iudicatiuorum quoad vnitatem & specificationem distinctio. 12. VIII

Potentia diuina.

Potentia in Deo quid sit. 296. VII. quotuplex sit. *ibid.*
Potentia actiua datur in Deo. 297. I. est perfectio simpliciter simplex. 297. III. non est diuina essentia. 297. IV. non intellectus aut voluntas Dei. *ibid.* VII. est speciale attributum. *ibid.* VII
Potentia in Deo an & quomodo sit prior, & posterior ipso intellectu, & voluntate Dei. 298. VI. VII
Potentia Dei versetúrne circa impossibile. 299.VIII
Potentiæ Dei actiuæ quodnam sit obiectum adæquatum. 299.IV
Potentia actiua Dei ad extra est infinita. 298. VIII
Potentiæ Dei infinitas vnde desumatur. 299. III
Potentia Dei posśitne exhauriri. 300. II. sitne multiplex. 300.III
Potentiâ à Deo sublatâ desineréntne res esse possibiles. 300.V.VI.VII
Potentiâ ordinariâ quid Deus dicatur posse. 301. IV. quid extraordinariâ. *ibid.*
Potentia Dei ordinaria, & extraordinaria quomodo differunt. 302.V
Potentia generandi quomodo pertineat ad omnipotentiam. 458.III
Potentia realis sitne in Deo comparatione processionum actiuarum, an passiuarum. 453. VIII
Vide omnipotentia.

Potentia notionalis.

Potentia realis in Deo datur respectu actuum notionalium. 453. VI
Potentia notionalis producendi in Deo ad intra quid sit. 454. II
Potentiæ notionalis formalis terminus quis sit. 457.II
Potentia generandi in diuinis non est notio. 401. VII
Vide actus notionalis.

Practicum.

Practicum & speculatiuum an & quomodo sint differentiæ essentiales. 20.VI

Præ.

particula *Præ* quid significet in nomine prædestinationis. 244. III. cur non præponatur aliis actionibus Dei. *ibid.* V

Præceptum

Præceptum Abrahæ de immolando filio à qua specie voluntatis diuinæ emanaret. 210. IV

Prædestinatio.

nomen *Prædestinatio* vnde ducat originem. 244. II. quid significet. 245. II. alia completa, alia incompleta. 245. III. vtraque explicatur. *ibid.* IV
Prædestinatio est actus immanens. 245. V. æternus. *ibid.* VI. liber. *ibid.* an & quomodo sit intellectus vel voluntatis. *ibid.* VIII
Prædestinatio quam habeat causam generalem. 250. II
Prædestinatio completa quomodo definiatur. 247. VIII. incompleta. 248.II.249.I
Prædestinatio quomodo distinguatur à prouidentia communi. 248. II. quo sensu à S. August. dicatur esse præparatio beneficiorum Dei. 249. II. quo sensu dicatur liberatio à miseria. 250.I.II

Prædestinatio ad gratiam.

Prædestinatio ad primam gratiam non fit ex constellatione cæli tanquam ex causa remota, neque ex diuersitate temperamenti in homine tanquam ex causa proxima. 250. VIII. non ex meritis, quæ animæ exercuerunt priusquam essent infusæ suis corporibus. 251. I. non ex bonis operibus ipsius liberi arbitrij secundùm naturæ vires considerati. 251. II. non ex bono vsu liberi arbitrij, qui antecedit primam gratiam. 252. II. non ex præuisione boni vsus gratiæ. 252. III. non ex ipsa non resistentia, quâ homo sinit se duci. 252. IV. illius nulla datur gratia ex parte prædestinati. *ibid.* V
Prædestinatio ad primam gratiam solùm pendet à mera voluntate Dei, & eius beneplacito. 252. V

Prædestinatio ad gloriam.

Prædestinatio ad gloriam ante præuisa merita est possibilis. 254. II. an illâ positâ gloria conferretur ex merito. 255. VI. destrueretur libertas creata. *ibidem.* IV. 258. I. daretur acceptio personarum. 256. II. induceretur impeccabilitas in taliter prædestinato. 258. V
Prædestinatio ad gloriam sitne ante vel post præuisa merita, *vide* electio ad gloriam.
Prædestinatio quomodo præsupponat naturalem prouidentiam circa prædestinatos. 280. III
Prædestinatio hominum fuit facta post præuisum lapsum primi parentis. 282.

Prædestinatio ad gloriam est in potestate eius, qui prædestinatur. 283.II
Prædestinatio C.D. an & quomodo sit exemplar nostræ. 271.IV
in Prædestinatione Angelorum & hominum diuitiæ bonitatis, iustitiæ & gloriæ diuinæ apparent. 249. VI. VII

Prædestinationis certitudo.

Prædestinationis certitudo duplex. 281.IV
Prædestinationem esse certam est illam non frustrari suo effectu, & infallibiliter euenturum, quod Deus ordinauit per decretum prædestinationis. *ibid.*
Prædestinatio electorum est Deo certa. *ibid.* V. quâ certitudine. *ibid.* V. VI

Prædestinationis effectus.

Prædestinationis effectus quid sint. 275. III. an sint. *ibid.* IV. quas requirant conditiones. 275. VII. sunt in triplici differentia. 276. IV
Prædestinationis effectus sunt vocatio, iustificatio, perseuerantia in gratia, quodcumque bonum opus supernaturale prædestinati, & ipsa eius glorificatio. 276. V. an & quomodo possint esse res naturalis ordinis. 279. I. III. intellectus & aliæ perfectiones naturales prædestinati. 280. IV. bona opera moralia quæ exercentur ab infidelibus ante primam eorũ vocationem. *ibid.* V
Prædestinationis effectus potest esse malum pœnæ. *ibid.* VII. non culpæ. 281. III. per se non potest esse permissio peccati. *ibid.* IV. per accidens potest. *ibid.* VI
Prædestinationis finis immediatus potest esse & dici etiam eius effectus in executione. 278. V
Vide effectus prædestinationis.

Prædestinatus.

Prædestinatus consideratus in sensu diuiso habet in sua libertate non saluari, secùs in sensu composito. 283. IV
habeátne aliquid, quo se discernat à reprobo. 271. VIII
Prædestinati fuerunt aliqui ad gloriam ante præuisa eorum merita. 258. VIII. qui fuerint. 259
Prædestinati aliqui quomodo profecerunt ex peccatis. 281. IV
Prędestinatos de facto esse aliquos de fide est. 249. II

Prædicatum.

Prædicata, quæ præcisè conueniunt diuinę essentiæ, vt distinctæ à proprietatibus personalibus, sunt in duplici differentia. 361. IV
Vide Dei prædicata.

Prælium.

Prælium, quod describitur in Apocalypsi factum inter Michaëlem & draconem, de quo intelligatur. 468. V

Præpositiuus.

Præpositiuus negabat dari notiones in Deo. 400. III

Præscientia.

Præscientia Dei an & quam inducat necessitatem rebus liberis, & contingentibus. 190. VI. VIII. 191. V. quo sensu negetur à S. Augustino. 198. V
Præscientia cur peculiari ratione attribuatur reprobis. 285. VI. Præsciti dicuntur reprobi. *ibid.*

Præstigia.

Præstigia dæmonum quemodo possint discerni ab operibus magicis realibus dæmonum. 489. VII

Præteritio.

Præteritio an & quomodo sit accidens rei præteritæ. 302. II

Precariò.

esse *Precariò* tale quid sit. 315. VII

Principium.

Principium aliud *quo*, aliud *quod*. 432. IV
Principium productiuum *quo*, in creatis cur potiùs conueniat naturæ producẽtis, quàm in diuinis. 456. VIII
Principium radicale communicandi naturam alteri pertineátne ad rationem animæ sentientis. 329. I
Principium se habet ad causam sicut superius ad inferius. 405. I
Principium proximum in diuinis ex quo coalescat. 454. IV. aliud *quo*, aliud *quod*. *ibid.* VII
Principium in diuinis dicatúrne vniuocè, vel analogicè. 405. VI. an sit notio. 401. VIII.
Principium *quo* Spiritus sancti est vis spiratiua eadem numero in Patre & Filio. 432. IV
in Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. exponitur. 310. IV. quomodo debeat legi. *ibid.* VI
Principia Theologica non possunt naturaliter positiuè demonstrari esse possibilia. 28. V. non impossibilia. *ibid.* VI. immediata an possint demonstrari. *ibid.* I. mediata. *ibid.* III
Principia practica an & quomodo supponant speculatiua cognita. 31. IV. supponántne speculatiua cognita cognitione eiusdem generis. *ibid.*

Prioritas.

Prioritas *à quo* non inducit prioritatem antecessionis. 458. V
ex Prioritate naturæ non licet inferre prioritatem durationis. 525. I

Priscilianistæ.

Priscilianistæ dixerunt Deum esse animam mundi. 41. III

Priuatio.

Priuatio impropriè tantũ dicitur causa. 406. I cur excludatur à ratione perfectionis simpliciter simplicis. 43. III. cur non cognoscatur per seipsam, sed per formam sibi oppositam. 187. I.

Probare.

Probare aliquid *positiuè* quid sit. 28. IV. quid sit *negatiuè*. *ibid.*

Processio.

Processio est *emanatio vnius ab alio tanquam à suo principio*. 314. VIII. quotuplex sit. 314. VIII. factum est tantùm ex vsu Ecclesiæ quod significet emanationem Spiritus sancti. 314. VIII
Processio æterna & temporalis operatio quomodo includantur in missione diuina. 461. IV

Processio diuina.

Processio datur in diuinis. 315. III. an & quomodo possit probari. *ibid.* V
Processio diuina non est transiens, vel physica immanens. 315. VIII. est immanens metaphysica. 316. I. habet aliquam similitudinem cum emanatione verbi nostri mentalis. *ibid.* non dicit vllam mutationem. 317. I.

nec potentiam aliquam passiuam. *ibid.* II. nec personæ procedentis dependentiam. *ibid* III
vna Processio in diuinis potest habere realem oppositionem cum alia. 338. VIII
Processio Verbi est verè & propriè generatio. 322. IV. nullam dicit successionem. 323. I. non potest probari ex processione verbi mentalis, quod est in nobis. *ibid.* VI
Vide Verbi processio.
Processio in diuinis distincta à processione Verbi datur. 323. VI
Processio Spiritus sancti non est generatio. 323. VIII
Vide Spiritus sanctus.
Processiones diuinæ non sunt ab ipsa natura, sed ab intellectu & voluntate Dei. 317. VII quæ absurda sequantur ex sententia Durandi de principio processionum diuinarum. 318. III. IV. diuinæ processiones sunt productiones simplices. 378. V
Processiones diuinæ quo sensu dicuntur à Patribus esse à natura. 318. VI
Processiones duæ tantùm dantur in diuinis. 338. IV
Processiones Filij & Spiritus sancti à se inuicem distinguuntur formaliter. 339. V. quomodo illæ processiones conueniant, & differant inter se. *ibid.* VII
Processiones in diuinis cur non dentur, quæ respondeant potentiæ diuinæ. *ibid.* VIII. bonitati diuinæ. 340. I. scientiæ diuinę, prout illa diuiditur in *speculatiuam*, & *practicam.* 340. II

Prodigia.

Prodigia facta per magos Pharaonis quomodo fuerint à dæmonibus. 530. VII

Productio.

vt Productio aliqua dicatur esse huius & illius speciei, quid requiratur. 336. VII. vt cū producēte attingat rem seu terminum formaliter sub hac ratione formali. *ibid.* VIII
Productio simplex quomodo distinguatur à productione secundùm quid, seu à reproductione. 378. IV. à communicatione. 378. 454. V
Productio vermium, qui nascuntur ex aliis animalibus distinctis specie, cur excludatur à generatione. 322. II. pilorum. *ibid.*

Proportio.

ad Proportionem habitudinis vnius ad aliud quid sufficiat. 89. IV

Propositio.

Propositio naturalis, quæ ponitur in syllogismo Theologico sitne causatiua assensus conclusionis. 15. I. VI. an restringat influxum præmissæ de fide. 25. I
Propositio nota per se quid sit. 30. III. quotuplex. *ibid.* IV
Propositiones de futuro contingenti conditionato habeántne aliquam veritatem determinatam. 209. II
Propositiones hypotheticæ de cōditione pertinente ad rem cur potiùs sint veræ, quàm propositiones de conditione penitus disparata. 210. I
Propositiones aliquæ affirmatiuæ possunt formari de Deo. 164. VII
hæ Propositiones sintne bonæ, *res, quæ est essentia, generat, essentia est Deus generans.* 439. VI
qui negaret istam Propositionem, *Christus Dominus est risibilis*, cur puniretur vt hæreticus. 23. IV
Propositionis huius, *in Christo Domino sunt duæ voluntates*, vbi est de fide, quodnam sit motiuum. 23. V
Propositio ista, *Christus Dominus est passus, & mortuus pro me*, sitne Theologica. 23. VII
Propositio vna potest ex alia inferri, vel ratione *significationis*, vel ratione *connexionis.* *ibid.* VIII
Propositio ista *quodlibet est, vel non est*, sitne certior istâ, *Christus Dominus est risibilis.* 26. I
hæc Propositio est falsa, *Deus generans est Deus genitus.* 440. III. similiter illa, *Deus non generat.* *ibid.* IV
illa Propositio est falsa de Christo ante passionem, *Christus Dominus non est mortalis. ibid.* VIII
Propositiones illæ, *Pater est sapiens sapientiâ genitâ, & Pater generat se Verbo, vel Filio*, quomodo differant ab ista, *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto.* 434. I

Proprietas.

Proprietatis nomine in diuinis quid intelligatur. 441. VIII
Proprietas quædam personalis datur in qualibet persona diuina. *ibid.*
Proprietates personales in diuinis sunt aliquid relatiuum. 444. V
Proprietates alterificare personas diuinas, quid sit. 442. II

Prouidentia.

Prouidentia rerum omnium sitne in Deo. 243. II. VII. an consequatur infallibiliter finem rei prouisæ. *ibid.* V
Prouidentia alia generalis, alia specialis. *ibid.* IV
Prouidentia qualis sit pars prudentiæ. 247. V
Prouidentiæ nomine quid intelligatur. 243 I

Psalmus.

Psalmus centesimus nonus est Dauidis, non Melchisedech, aut alicuius alterius. 306. IV

Pulchritudo, pulchrum.

Pulchritudo quid sit. 49. VIII. quotuplex. *ibid.*
Pulchrum inter & bonum quod discrimen. *ibid.*

Punctum.

Punctum indiuiduatur per aliquid sibi superadditum. 481. II. an & quo sensu possit esse locus Angeli. 513. V. an possit esse subiectum alicuius operationis. *ibid.* VII

Q

QVÆCVMQVE *sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quando sit verum illud principiū. 344. VIII. & 348. VII. VIII.

Qualitas.

Qualitas impulsiua producta ab Angelo in mobili, sitne spiritalis, vel corporea. 530. III. possitne esse spiritalis. *ibid.* V
Qualitas spiritalis quomodo sit diuisibilis. 515. III
Qualitatis intensionis proprius & formalis effectus quis sit. *ibid.*
in Qualitatibus operatiuis, quæ possunt intendi & remitti, duo distinguuntur. 83. V

Quantitas.

Quantitas actionis & effectus quando atten-

ditur penes quantitatem causæ totalis & integræ. 141. IV
Quantitas potentiæ obedientialis actiuæ vnde debet repeti. 138. VII
Quantitas, prout est mensura alia est interna, alia externa. 81. IV
Quantitatis molis proprius & formalis effectus quis sit. 515. IV

Quasi.

particula Quasi non est diminuens, sed potiùs explicatiua in illo loco, *gloriam quasi vnigeniti à Patre.* 323. VIII

Quaternitas.

Quaternitas in diuinis dânatur à Concilio Lateranensi. 345. III. qua ex occasione. *ibid.* IV

Qui.

nomen *Qui est* est proprium Deo. 164. IV. quomodo intelligi debeat de Deo. 172. IV idem quod Iehoua. *ibid.* V

Quidquid.

Quidquid potest esse sub vno æqualium determinato, potest etiam esse sub quouis alio æqualium nisi figuratio obstet, quomodo sit intelligendum. 512. VIII

Quidditas.

Quidditas actuum notionalium quæ sit. 450. V

Quodlibet.

Quodlibet est, vel non est, an & quomodo possit esse propositio de fide. 25. VII

R

Raphaël.

S. RAPHAEL quomodo dicitur esse vnus è septem spiritibus qui adstant ante Deum. 474. III

Regula.

Regula S. August. de iis, quæ dicuntur de Filio diuino. 312. VII
Regulæ ad soluenda argumenta Arianorum contra diuinitatem Filij proposita. *ibid.* IV
Regulæ quibus soluantur argumenta proposita contra diuinitatem Spiritus S. 314. VI

Relatio.

Relatio præcisè considerata nullam dicit dependentiam. 341. III. resultat ad positionem termini. *ibid.* non multiplicatur entitatiuè ex diuersis formaliter terminis 346. I. non debet necessariò referre aliquid absolutum. 363. VI
Relationes in creatis secundùm suum esse *ad* sunt reales. 343. II. V
ad Relationem non datur motus, de qua relatione id debeat intelligi. 446. V

Relatio diuina.

Relatio quælibet diuina est actualiter formaliter Deus. 364. V. non potest dici æterna & quare. 183 VI. increata, & quare. *ibid.* est ratio distinctiua diuinarum personarum inter se. 343. IV
Relatio *dicentis ad dictum, & dicti ad dicentem* est eadem cum paternitate & filiatione. 344. II III
Relatio realis doni ad dantem, quam dicit Spiritus sanctus, constituátne specialem relationem. 437. VIII
Relatio diuina non supponit personam, quam refert, constitutam. 445. VI
Relationis diuinæ & creatæ dispar ratio. 445. VI
Relationes diuinæ aliæ sunt originis, aliæ non originis. 340. IV
Relationes originis quid sint. *ibid.* verè dantur in Deo *ibid.* VI. quo sensu à Boëtio negantur dari. 342. I
Relationes Patris & Filij cur potiùs sint reales, quàm relationes domini, & creatoris. *ibid.* IV
Relationes diuinæ secundùm suum esse *in* sunt substantiales. *ibid.* II. VIII. secundùm suum esse *ad* sunt reales. 343. II. tam secundùm *esse ad*, quàm secundùm *esse in* habent existentias relatiuas, & quo sensu id sit intelligendum. 382. II. non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, sed tantùm simplicem. 370. VI
Relationes diuinæ originis sunt tantùm quatuor. 344. I. omnes formaliter dicunt perfectionem entitatiuam. 367. VI. & respectiuam. 369. VI. distinguuntur inter se realiter. 344. VI. vt sumptæ propriissimæ in sensu formali sintne personalitates. 375. VII
Relationes diuinæ sub qua ratione potissimû sint proximum principium producendi ad intra. 456. V. cur non sint principium *quo* producendi ad *extra*, sicut sût ad *intra*. 456. VII. quomodo ad visionem beatificam côcurrant. 130 VIII. an se habeant instar speciei impressę in ea cognitione, quâ Deus seipsum comprehendit. 180. V
Relationum diuinarum incompossibilitas non impedit quominus sint formaliter in Deo. 46. VI
Relationum diuinarum sitne aliquod fundamentum, & aliqua ratio fundandi. 446. III. IV. V

Relationes diuinæ comparatæ cum essentia diuina.

Relatio quomodo prædicetur de Deo. 341. II. 360. I. 366. VI. quando superaddat perfectionem diuinæ essentiæ. 370. II
Relationes diuinæ non propriè dicuntur integrare diuinam essentiam. *ibid.* IV. non includunt in suo conceptu essentiam diuinam. 262. II. quomodo habent ab essentia diuina, vt sint ens increatum & infinitum. 364. III. nullam faciunt compositionem cum diuina essentia. 365. VII. habeántne se eodem modo ad diuinam naturam, quo nostræ personalitates ad nostram naturam. 381. VII
Relationes originis non distinguuntur realiter ab essentia diuina. 347. VII. non distinguuntur solâ ratione ratiocinante. 349. II. non ex natura rei. 350. VI. distinguuntur solâ distinctione virtuali ab essentia diuina. 353. IV. hæc distinctio reperitur ex eminentia diuinæ essentiæ, & imbecillitate nostri intellectus. *ibid.* V. explicatur exemplo virtutis exsiccatiuæ & mollefactiuæ, quæ est in sole. *ibid.* VIII. exemplo effectus causæ æquiuocæ. 354. I
Relationes originis in Deo non sunt de intrinseca ratione diuinæ essentiæ. 358. V. 360. I. non implicitè in ea includuntur. 359. IV. non conueniunt ei accidentariò. 360. I. prædicantur de ea tantùm in secundo modo dicendi per se. *ibid.*

Relatiuum, relatum.

Relatiuum aliquod possítne videri cum reali tendentia ad terminum ipso termino non viso. 152. II
id quod relatiuè dicitur, quomodo dicitur à

S. August. esse aliquid excepto relatiuo. 352.I

Relatum debeátne constitui ex re absoluta, quæ referatur & ex ipsa relatione. 445. VIII

Reluctatio.

Reluctatio vnius Angeli alteri in motu quid sit. 529.II

Remissio.

Remissio peccatorum non potest demonstrari naturaliter possibilis. 90.IV

Reprobare, reprobatio.

Deus nullos Reprobauit efficaciter etiam negatiuâ tantùm reprobatione ante mala eorum opera præuisa, in quibus & cum quibus morerentur. 290.IV

Reprobatio quid vi nominis significet. 285. I. est actus voluntatis connotans actum intellectus. 285. II. aliter connotat actum intellectus diuini, quàm prædestinatio. 286. III. est duplex. 28,.V

Reprobatio negatiua est interpretatiua volitio exclusionis à gloria. 290. V

Reprobationis datur aliqua causa ex parte reprobi. 291. VII

Vide exclusio à gloria, Dei volitio.

Reprobationis effectus quæ conditiones. 286. VIII. ad eius executionem quæ conducant. *ibid.*

Vide peccatum, permissio peccati, obduratio, excæcatio, inflictio pœnæ æternæ.

Reprobus.

Reprobi quibus nominibus appellentur in scriptura. 285. V. sunt aliqui de facto. 285. VII. congruentia, propter quam sint reprobi. *ibid.* VIII

Reproborum numerus cui cognitus. 295. III

ad Reproborum salutem Deus ordinat media sufficientia. 227.VIII

Res.

Res aliqua potest concipi esse actu sine subsistentia, non tamen sine existentia. 377. VI

Res ordinis naturalis an & quæ sint effectus prædestinationis. 2-9.III

Res aliqua non potest existere in duobus extremis temporibus, absque eo quod coexistat in intermedio sine mutatione substantiali. 522

Res cur dici possint possibiles. 300.III

Res possibiles dicantúrne habere aliquam dependentiam 300. IV. an desinerent esse tales à Deo sublatâ omnipotentiâ. *ibid.* V. VI. VII

Resurrectio.

Resurrectio sanctorum quomodo respondet resurrectioni Christi Domini. 94. VIII

Reuelatio.

Reuelatio diuina potest considerari vel incomplexè, vel complexè. 13. II. quomodo diuidatur. 16. V

Reuelatio diuina virtualis eodémne modo se habeat in Theologia, ac lumen naturale sese habet in omnibus scientiis naturalibus. 13. VIII. quæ reperitur in syllogismo Theologico constante vnâ præmissa de fide, & alterâ naturali, sítne adæquatum motiuum assentiendi illis. 14. VI

Reuelatio virtualis diuina est formalis ratio vnitatis Theologiæ. 13 I

positâ Reuelatione nostræ sanctificationis per gratiam potest probabiliter deduci possibilitas nostræ visionis beatificæ. 91.VIII

S

Sabellius, Sabelliani.

SABELLIVS non fuit primus auctor suę hæresis. 307.VIII

Sabellij heresis quæ & quo tempore fuerit orta. 307. VII. vnde illius fundamenta desumpta fuerint. 309. VI. Deum esse duntaxat trinominem dicebat. 307.VII

Sabelliani à Sabellio sic dicti. 307.VIII

Sacerdos.

Sacerdotes quo sensu dicuntur Angeli. 463. IV

Sadducæi.

Sadducæi negabant dari Angelos. 464. II. quomodo explicarent locos scripturæ, in quibus fiebat mentio Angelorum. 464. III

Salomon.

Salomon quomodo dicitur esse vnigenitus matris. 314.II

Saluare, Saluatio.

Deus videatúrne nolle Saluare, quem de facto non saluat. 224. VII

Saluatio à malo duplex. 250. II

Saluatio & damnatio non possunt esse simul respectu vnius & eiusdem hominis eodem modo considerati. 283. V

Sancti.

Sancti possunt adorari vel propter increatam Dei excellentiam, vel propter creatam sibi communicatam. 144.I. quando adorentur per virtutem duliæ, quando per virtutem religionis. *ibid.* II

Sanctificatio, sanctitas.

Sanctificatio tribuitur Spiritui sancto. 313. VIII

Sanctitas importat carentiam omnis mali, & confirmationem in omni bono. 50. VIII

Sapientia.

Sapientia creata est tantùm quædam perfectio simplex. 43. IV

Sapientia & bonitas in genere an & quomodo distinguantur. 355. IV

Sapientiæ conditiones quæ sint. 5. IV. V. VI

Satanas.

Satanas, qui in Apocalypsi dicitur esse ligatus per mille annos, missúsque in abyssum, quâ virtute dicitur detineri. 529. VI

Scibile, scientia.

Scibilis & credibilis dispar ratio quoad realitatem [illegible] formalis. 7.VIII

Scientia supponátne suum subiectum. 9.I

Scientia & fides possintne esse simul. 33. IV

Scientiæ euidentia, *vide* euidentia.

ad Scientiæ rationem quo sensu Aristoteles requirit aliquid maius scientiâ. 2. III

Scientiæ deificæ apud S. Dionysium quid sint. 552. II

Scientia Dei.

Scientia verè & propriè dicta sumpto nomine scientiæ pro euidenti & perfecta cognitione veritatis datur in Deo. 165.III

Scien-

Scientia Dei spectata secundùm se est vna tantùm; eáque simplicissima. 175. VIII spectata per habitudinem ad obiecta diuiditur in scientiam *visionis*, & scientiam *simplicis intelligentiæ*. 176. I

Scientia visionis quid sit. 176. II. an & quomodo se terminet ad futura contingentia. 198. VIII. sítne purè speculatiua. 214. II. non diuiditur in scientiam præteritorum, præsentium, futurorum, & quare. 198. III

Scientia simplicis intelligentiæ quid sit. 176. II. sítne purè speculatiua. 214. VI

Scientiæ Dei in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ adæquata est diuisio. 176. VII

Scientia media non constituit aliam speciem scientiæ, distinctam à scientia *visionis* vel *simplicis intelligentiæ*. 176. VIII. nec etiam scientia approbationis. 177. III

Scientiæ approbationis quæ sit antecessio ad suum obiectum. 177. VI

Scientia diuina rectè diuiditur etiam secundùm aliam habitudinem ad sua obiecta in necessariam & liberam. 177. VII. illa diuisio distinguitur à diuisione scientiæ Dei in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis. 178. III

Scientia Dei necessaria seu naturalis quid sit. 177. VIII. quid sit libera seu contingens. 178. I

Scientiæ diuinæ diuisio in abstractiuam & intuitiuam est eadem cum diuisione scientiæ Dei in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ. 178. V

Scientia, quam Deus habet de seipso, sítne directa, vel reflexa. 180. VI

Scientia futurorum conditionatorum ad quam speciem scientiæ Dei reuocetur. 178. II

Scientia in Deo de futuris, quo sensu negetur à sancto Augustino. 198. V

Scientia Dei est omninò immutabilis tam ex parte suæ entitatis, quàm ex parte rei cognitæ. 198. IV. sítne causa rerum omnium & quomodo. 212. VI. VIII. an præscisa à decreto. *ibidem* VII. 214. II. quænam sit talis. 213. V. an sit causa per directionem vel per efficiétiam. *ibid.* I. sítne practicè practica. *ibid.* VII. alio modo dirigit operantem quàm idea. 212. VIII. quomodo se terminet ad existentiam rei scitæ. 213. VIII

an Scientia creaturarum, quæ est in Deo, sit singularis vel vniuersalis. 166. III

Scotus.

Scoti de processione Verbi diuini ex cognitione diuinæ essentiæ sententia explicatur. 412. I

Scripti, Scriptura.

Scripti intus qui sint. 296. I. foris & extrinsecus qui. 295. VIII

Scriptura sacra est locus Theologicus. 27. IV. ex quo illius sensu desumatur argumentum validum. *ibid.* VII

Scriptura sacra quos sensus habeat. 27. VI quæ ex Scriptura sacra colliguntur síntne æquè certò credenda, quàm ea, quæ in ea expressa habentur. 24. III

Scrutatio.

Scrutatio secretorum quæ damnatur ab Isaia. 27. II

Semipelagianus.

Semipelagiani vnde dicti sunt. 251. II. quę fuerit eorum hæresis. *ibid.*

Sensibile.

Sensibile vehemens cur non possit percipi à potentia sensitiua. 96. VII

Septem.

Septem spiritus Apocalypsis quinto missi in omnem terram, quo sensu dicantur septem. 474. III

Seraphin.

Seraphin qui sint. 475. VII

Series.

Series saluationis bonorum Angelorum. 564. VII. damnationis malorum. *ibid.*

Sero.

particula *Sero* aliquando significat tempus iudicij vniuersalis. 93. VII

Sicut.

Sicut quam identitatem significat in illo loco, *estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* 311. VIII

Signum.

Signa illa, quæ metaphoricè solent dici diuinæ voluntates, significéntne semper aliquam voluntatem beneplaciti. 220. IV

Similitudo.

Similitudo triplex indiuidualis, accidentalis, & specifica. 322. I

Similitudo creaturarum cum Deo non est reciproca, & quare. IV. hominis cum Deo in quo consistat. 38. IV

Similitudo quæ est in Deo importat solùm relationem rationis. 458. V

ad Similitudinem duorum inter se quid requiratur. 457. VI

Simplicitas.

Simplicitas formaliter in quo consistat. 34. VIII. 35. I. II. dicátne nudam negationem. 34. VIII. sítne quædam perfectio. 36. VII

Simplicitas alia est realis vel formalis, alia virtualis. 443. VII

Simplicitas Dei, *vide* Deus.

Simplicitas Angeli non impedit quin indiuiduetur per aliquid sibi superadditum. 481. II

Singularitas.

Singularitas Angeli totam eius capacitatem extensiuam non explet. 479. V

Situs.

Situs non est nisi in vbi corporeo. 504. VIII

Sol.

Sol an & quomodo dicatur esse causa primaria æquiuoca in generatione animalium imperfectorum ex putri materia. 43. VIII

Soliloquia.

Soliloquiorum liber, qui communiter tribuitur sancto Augustino, non est illius. 267. VII

Sollicitudo.

Sollicitudo pertineátne ad prudentiam, & quomodo. 246. VIII

Solus.

particula *Solus* in propositione de personis diuinis in qua attributum est essentiale, quid significet. 312. IV. V. in diuinis sumpta syncategorematicè potest addi termino essentiali, categorematicè non potest. 196. VIII. I. quando in diuinis coniungi possit termino personali, quando non possit. 397. III

Spatium imaginarium.

Spatium quod vulgò vocatur *imaginarium*, non est aliquid reale, & positiuum. 63. VIII. non est aliqua priuatio. 64. I. est negatiua quædam intercapedo cum distantia negatiua occupabili à corpore. 64. II duplicem dicit negationem. *ibid.* III. per quam negationé constituatur. *ibid.* & 69. II. quomodo conueniat cum rebus possibilibus. 64. IV. 65. VIII. quomodo differat ab illis. *ibid.* existit suo modo, etiam nemine cogitante. 66. II. quid est tale spatium existere suo modo. 67. III. non propriè appellatur imaginarium, & quare. 67. IV. meliùs appellatur negatiuum. *ibid.* potest admittere partibilitatem in aliquot partes, æquale, inæquale, distantiam, propinquitatem. 67. V. quo sensu possit ea admittere. *ibid.* VI. VII. an destruatur creatione spatij realis. 69. I. est infinitè extensum, extensione negatiuâ non positiuâ. 68. II. an sit infinitum categorematicè, an syncategorem. 75. II. æternum est negatiuè, non positiuè. 68. VII.

Species.

Species subiicibilis est vniuersalis ratione sui materialis, non formalis. 478. VI

Species creata aliqua possitne creari essentialiter perfectior intra idem genus aliquâ aliâ specie creatâ. 303. V

Species repræsentatiuæ conclusionum Theologicarum anteà cognitarum, nec oblitarum remanent in intellectu beati. 11. VII.

Species impressa debeátne esse æquè immaterialis, ac obiectum. 133. I. an sit æquè infinita, vbi obiectum est infinitum. *ibid.* II. quam habeat conuenientiam cum obiecto. *ibid.* VIII. agit tantùm in genere causæ purè efficientis non vitalis. 538. IV. quomodo sit intellectui formale principium intelligendi. 333. VIII. non datur iam in visione beatifica. 118. IV

Speciei impressæ munera quæ sint. 129. I

Species impressa diuinæ essentiæ possitne produci. 131. I. quomodo posset produci. 134. IV. expressa de facto datur in beatis. 132. V

Species vniuersalis in repræsentando quid sit. 537. I V

Species intelligibilis vna numero potest dari, per quam plura etiam specie distincta cognoscantur distinctè. 537. IV

Species creatæ infusæ Angelis ab initio creationis quomodo sint repræsentatiuæ. 536. I V. non fluunt ab ipsa natura Angelica, tanquam quædam proprietates à suo subiecto, sed simul cum intellectu creantur à Deo, eique infunduntur. 536. VII an sint supernaturales, vel infusæ per se. *ibid.* VIII

Speciei vniuersalis Angelicæ obiectum adæquatum quodnam. 540. I. eius vnitas physica vnde petatur. *ibid.* II. specifica. *ibid.*

Specierum Angelis infusarum entitas, & vsus quomodo distinguantur. 544. VII

Specificatio.

Specificatio cognitionis vnde petatur. 182. IV

Speculatiuum.

Speculatiuum & practicum, an & quomodo sint differentiæ essentiales. 20. VI

Spes.

Spes infusa cur potiùs remaneat in nobis peccantibus, quàm remanserit in dæmone. 556. VIII

Spes sítne in Deo. 241. V

Spiratio.

Spiratio est principium quo Spiritus sancti. 432. IV.

Spiratio actiua quæ est in Patre & Filio, cur non constituat duplicem relationem. 344. IV. distinguitur tantùm virtualiter à paternitate & filiatione. 345. III

Spiratio actiua Filij quomodo est ab eius generatione. 346. VI

Spiratio Spiritus sancti est voluntaria vo untate principiante, vt voluntas est natura, non vt libera. 451. V

in Spiratione actiua potest admitti existentia relatiua. 382. VIII

Spiritus.

Spiritus significat impulsum & motionem. 413. VII

nomen *Spiritus* non sumitur semper in scriptura pro Spiritu sancto. 314. IV. VI

Spiritus vnus cum Deo, quomodo plures homines dicantur fieri. 42. II

Spiritus sanctus.

nomen *Spiritus sanctus*, an & quomodo significet aliquid essentiale. 423. VI. aliquid personale. *ibid.* VII

Spiritus sanctus est Deus. 313. VI. probatur. *ibid.* nullus Patrum dubitauit de diuinitate Spiritus sancti. 314. II. mens sancti Gregorij Nazianzeni de Spiritu sancto explicatur. *ibid.* III. argumenta S. August. pro illius diuinitate. 314. II. quomodo in Scripturis dicitur effundi, contristari, postulare cum lachrymis. *ibid.* V. vt sit propriè, & formaliter Deus, sufficit, quòd habeat in seipso propriè & formaliter deitatem. 337. I V

Spiritus sancti processio non est generatio. 323. VIII

Spiritus sanctus quo sensu sit ingenitus. 324. V. nec est frater Verbi, nec nepos Patris diuini, nec Filius vtriusque, & quare 324. VI. Primariò accipit diuinam essentiam sub ratione amoris, & consequenter secundùm alias suas perfectiones. 338. I. ordine executionis priùs secundùm rationem accipit actualem intellectionem secundùm essentiam, quàm attributum amoris. *ibid.* accipit tantùm materialiter actualem intellectionem. *ibid.* II. an & quomodo sit in eo instanti rationis, in quo Verbũ procedit ex illius cognitione. 415. VIII. procedit à Patre & Filio. 424. I. si non procederet à Filio, ab eo non distingueretur. 427. II. an id sit de fide. 429. III. foret vnica persona cum ipso. *ibid.* VII. an in eo casu foret eadem filiatio diuina quæ nunc est. 428. IV. non desineret distingui à Patre etsi ab eo non procederet. 424. VII. an æquè immediatè, æquè principaliter, & eodem modo procedat à Patre & Filio. 432. I. quo sensu à nonnullis Patribus dicatur procedere principaliter & magis propriè à Patre. 432. III. postulat per se, & necessariò esse à duabus personis diuinis 429. VIII. respectu Patris & Filij potest dici principiatus. 405. VII.

quo sensu appelletur Verbum Filij. 410. VII. imago Filij. 422. IV. ex quo amore procedat. 433. VII. an procedat ex amore rerum possibilium. 434. IV. quo sensu dicatur à Patribus nexus Patris & Filij, osculum Patris & Filij amor indiuiduus. 434. VIII. respectu Patris & Filij possitne esse donum. 436. II

Spiritum sanctum esse donum simpliciter, & esse donum nostrum quid sit. 437. VI

Spiritus sanctus non potest dici noster Spiritus. 437. VII. mittitur à Patre & Filio. 461. II. quo sensu à nonnullis Patribus negatur mitti. *ibid.*

Spiritus sanctus est Deus, hæc propositio est essentialis. 337. VII. *procedit vt Deus*, est tantùm vera in sensu identico. *ibid. procedit vt Deus spiratus*, est vera in sensu formali. *ibid.*

Subalternatio.

Subalternationis scientiarum quæ sint conditiones. 9. VIII

Subsistentia.

Subsistentia in Patribus & Conciliis aliquando ponitur pro nomine *substantia*. 384. IV.

Subsistentia & personalitas secundùm vsum Ecclesiæ vbi affirmantur de natura intellectuali sunt synonyma. 373. IV. 384. VI

Subsistentia & persona síntne synonyma. 384. V

Subsistentia reddit naturam cui inest omninò incommunicabilem. 384. VIII. eius ratio formalis non præcisè consistit in ratione existendi per se, & in se. 385. III. IV

Subsistentia sitne aliquod reale principium agendi. 454. VII

Subsistentiæ creatæ cur non æquè sibi vindicent rationem principij productiui *quo*, ac personæ diuinæ. 457. I

Subsistentia diuina.

Subsistentia diuina non est perfectio simpliciter simplex. 391. III

Subsistentia absoluta in diuinis non datur. 384. I

Subsistentiæ relatiuæ tres dantur in diuinis à se inuicem realiter distinctæ. 392. IV

Subsistentiæ personales diuinæ quid faciant in Deo subsistere. 390. II. an fundentur in diuinis productionibus, & illas supponant. 389. IV

Substantia.

Substantia ex communi vsu Ecclesiæ sumitur pro substantia. 373. IV

Substantia aliqua sex modis potest concipi esse supernaturalis. 117. V. *& sequent.* an possit dari aliqua, quæ aliquo ex his modis sit supernaturalis. 118. II. 119. VI. VII. 120. I. VII. VIII

Substantia informata accidente habet duplicem existentiam, vnam substantiæ, aliam accidentis. 381. VI. creata cur priùs debeat compleri per subsistentiam, vt agat, quàm diuina. 389. I

Substantia Angeli illum non impedit, quominus constituatur in loco minori, & minori diuisibili. 512. I

Substantiale.

esse Substantiale in diuinis, & esse formaliter naturam diuinam quomodo distinguantur. 233. III

Superbia.

Superbia fuit primum peccatum primi Angeli. 560. VIII. aliorum. 561. III. *Vide* Angeli peccatum.

Superbia habet peccatum inuidiæ sibi annexum. *ibid.* VI. potest oriri occasionaliter, & per accidens à virtute. *ibid.* V

Supernaturale.

Supernaturale, & infusum per se quomodo distinguantur. 536. VIII

quod præsupponit aliquid Supernaturale, sítne supernaturale. 18. VII

Supernaturalia quæ dicantur. *ibid.* VIII

Suppositum.

Suppositum creatum non potest naturaliter sibi vnire substantiã aliam creatam. 484. VII

Syllogismus.

Syllogismi Theologici à syllogismo purè naturali quoad motiuum conclusionis, sítne dispar ratio. 14. VIII

Symbolum.

Symbolum Nestorij condemnatur in synodo Ephesina. 426. I

Synonymum.

Synonyma quæ dicantur. 355. VII

T

Tactus.

TACTVS in homine cur sit perfectior quàm in cæteris animalibus. 494. V. cur non æquè citò erret circa suum obiectum, quàm cæteri sensus. *ibid.* IV. V

Talentum.

Talenti nomine apud S. Matth. quid intelligatur. 252. VIII

Tempus.

Tempus aliud est, quod nascitur ex motu primi mobilis, aliud quod vocatur Angelicum. 526. VII

Tempus Angelicum quid sit. *ibid.* cur dicatur discretum. *ibid.*

Temporis discreti instans quid sit. *ibid.*

Tenere.

Tene quod habes ne alius accipiat, de quibus dicatur. 258. III

Terminus.

Terminus formalis potentiæ notionalis quis sit. 457. II

Termini distinctarum specie emanationum debéntne esse distincti realiter. 428. VI

Termini ratio formalis vnde sit desumenda. 339. IV

quo sensu Deus dicatur *constituisse terminos gentium, iuxta numerũ Angelorum*. 474. VIII

Tertullianus.

Tertullianus dicens Deum esse quoddam ens corporeum excusatur. 38. I.

Theologia.

Theologia datur in Ecclesia 1. IV. cur dicatur sacra. *ibid.* cur, & quo sensu reuelata. *ibid.* est habitus intellectus. 2. II. non prudentia. *ibid.* III. non ars. *ibid.* IV. non scientia propriè dicta. *ibid.* V. non habitus declaratiuus, sed adhæsiuus. 4. IV. non habitus fidei infusæ. *ibid.* VI. non humanæ fidei acquisitæ, vel opinionis. *ibid.* VIII. est medius quidã habitus inter fidem & scientiam. 5. I. ad habitus scientiæ & sapientiæ reduci potest. *ibid.* II. quomodo. *ibid.* VIII. sítne habitus supernaturalis, vel naturalis. 18. quam dicat habitudinẽ ad supernaturale. *ibid.* VIII

Theologia iuncta iuri Canonico & Ciuili rectè potest conferri cum domino, & œconomo alicuius familiæ. 5. VII
Theologia an alicui scientiæ Dei, vel beatorum subalternetur. 9. VIII. an impropriè ei possit subalternari. 11. II. nulli habitui, vel supernaturali, vel naturali existenti in aliquo viatore subalternari potest. 10. V. VI
Theologia sitne argumentatiua. 26. VIII. vnde desumat sua argumenta. 27. II. ex quo sensu Scripturæ desumat valida. *ibid.* VII. possitne demonstrare sua principia immediata. 28. I. an mediata. *ibid.* II. an possit positiuè demonstrare ea esse possibilia. *ibid.* VI. an impossibilia. *ibid.* an possit soluere argumenta omnia, quæ fiunt contra fidem. 29. II. an à gentili facta possit soluere euidenter positiuè, an euidenter negatiuè. *ibid.* III
Theologiæ triplex significatio. 1. II. III
Theologiæ spectatæ secundùm se quæ sit necessitas. 21. VII. quæ antiquitas. 22. IV. spectatæ secundùm methodum, quâ nunc traditur in scholis, quæ sit vtilitas. 22. II. quæ antiquitas. *ibid.* IV

Theologiæ obiectum, & subiectum.

Theologiæ obiectum materiale adæquatum quodnam sit. 6. V. quod inadæquatum. *ibid* formale. 7. I. quid formale superaddat materiali, an aliquid reale, an aliquid rationis. *ibid.* VIII
Theologiæ subiectum adæquatum quodnam sit, quod inadæquatum. 8. II. quod attributionis, quod communitatis. 9. III. quomodo habeat Deum sub ratione deitatis pro obiecto adæquato. *ibid.*
Theologia quomodo remaneat in beatis, & damnatis. 11. IV. in hæreticis. *ibid.* & 17. IV. in iis qui sunt in purgatorio. 11. V. an fuerit in C. D. eiusdem speciei cum nostra. 12. II

Theologiæ vnitas, & species.

Theologiæ vnitas formalis est reuelatio virtualis. 13. I. cur virtualis tantùm. *ibid.* II. quâ vnitate sit vna. 16. VI
Theologiæ species quot sint. 16. VIII. quomodo istæ species inter se distinguantur. 17. III
Theologia positiua vnde sic dicitur. *ibid.* II. quatenus talis, est purè, & simpliciter speculatiua. 19. VIII
Theologia moralis cur sic appellatur. 17. III. est omninò practica. 19. VII
Theologia Scholastica cur sic appelletur. 17. III. adæquatè sumpta est formaliter theoretica, & practica, non solummodò eminenter. 20. III. scholastica quoad dignitatem subiectorum est magis speculatiua, quàm practica; considerata quoad multitudinem subiectorum particularium est magis practica, quàm speculatiua. 21. III
Theologica principia, *vide* Principia.
Theologicæ conclusiones, *vide* Cõclusiones.
Theologicæ conclusionis assensus, *vide* Assensus.
Theologici actus, *vide* Actus.
Theologici loci qui sint. 27. III

Theologus.

Theologus quando agit ex proprio munere. *ibid.* IV. an indiget habitu à Theologia distincto, vt soluat argumenta infidelium. *ibid.* VII. vnde proueniat euidentia, quâ cognoscit huiusmodi argumenta esse solubilia. *ibid.* VIII. cur aliquando negat conclusionem Theologicam. 26. VI
Theologus potest quidem euidenter negatiuè soluere argumenta à gentili facta directè contra fidem, non potest tamen ea soluere euidenter positiuè. 29. II. nonnulla ab hæreticis proposita potest euidenter positiuè. *ibid.* IV

θεός.

vox θεὸς etiam posita sine articulo in Scripturis significat Deum per essentiam. 310. VIII. nonnunquam cum articulo tribuitur Christo Domino. *ibid.*

Throni.

Throni in Angelis qui sint. 475. VII

Timor.

Timor sitne in Deo. 241. VI

Torpedo.

Torpedo producens torporem in brachio piscatoris quomodo agat in medio. 511. VI

Totum.

particula *Totum esse* in definitione relationis non excludit id, quod est de communi ratione relationis. 341. VI

Traditio.

Traditio est locus Theologicus. 27. IV

Tres.

Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, exponitur. 308. VIII. ex hoc loco rectè infertur Trinitas personarum in diuinis. *ibid.* obiectiones propositæ aduersus hunc locum soluuntur. 309. I. II. III. IV

Trinitas.

Trinitas in diuinis non potest dici trina. 396. I. potest dici esse in Deo. 395. VI
Trinitatis nomen quid significet. 305. III
Trinitatis mysterium positiuè contra Gentiles probari non potest. *ibid.* IV. potest tamen negatiuè. *ibid.* probatur ex veteri Testamento contra Iudæos. *ibid* VI. & 306. cur magis obscurè fuerit reuelatum in veteri Testamento quàm in nouo. 307. I. probatur ex nouo Testamento aduersus hæreticos. 308. VI
Trinitatis vestigium quomodo reluceat in creaturis. 398. IV. an supposità eius reuelatione probari possit ratione naturali. 398. VIII

Trinus.

Trinus potest dici de Deo. 395. VII

Triplex, triplicitas.

Triplex non potest dici de Deo. 395. VII
Triplicitas non potest dici esse in diuinis. 395. VI

Trisagium.

Trisagium Isaiæ non posse decantari sine calumnia vni tantùm personæ diuinæ aliis exclusis, probatur. 308. III

Tristitia.

Tristitia sitne in Deo. 241. VI. propriè est in voluntate damnatorum. 567. VI.

V

Valor.

VALOR auri & argenti in ordine ad vsus humanos, quomodo differat à valore visionis beatificæ in ordine ad satiandum intellectum. 143. I

Vasquesius.

Vasquesius arguitur imprudentiæ, quòd sanctum Chrysostomum erroris circa visionem beatificam accuset. 86. VIII

Vbi.

Vbi datur in Angelis. 504. II

Vbi Angelicum quid sit. 504. I. an sit indiuisibile. *ibid.* V. quomodo sequatur ex substātia Angeli. 505. I. an possit ab ea tolli. 505. III. non impedit quominus constituatur in loco minori & minori diuisibili. 512. I. possitne esse diuisibile secundùm extensionem. 515. II cur non sit æquè diuisibile secundùm extensionem, quàm qualitas spiritalis secundùm intensionem. 515. III. quàm habitus scientiæ secundùm extensionem. *ibid.* IV

duo Vbi an & quomodo possint esse in Angelo. 512. V

Vbi Angelici replicatio est modus, quo afficitur huiusmodi vbi. 514. VII

Vbique.

Vbique esse absolutè ex vi suæ naturæ ita conuenit Deo, vt impossibile sit communicari alteri. 74. VI

Vbique esse ex aliqua præsuppositione potest communicari creaturæ, imò & conuenire ei ex conditione suæ naturæ. 75. VI

Velle.

Velle vt est duntaxat in Patre & Filio est spiratiuum Spiritus sancti. 319. I

Velle si consideretur cum relatione spiratoris est quid notionale. 318. VIII. si sine relatione est quid essentiale. *ibid.*

Venditio.

in contractu Venditionis duo includuntur, & quæ. 263. II

Verbum creatum.

Verbum in scriptura aliquando sumitur pro re. 298. VIII

Verbum mentale & vocale quomodo inter se distinguantur. 411. II

ad rationem Verbi requiritúrne, vt producens illud loquatur alteri. 411. I

Verbum diuinum.

Verbi processio est verè & propriè generatio. 322. IV. quantæ sit difficultatis afferre rationem, propter quam sit potiùs generatio, quàm illa Spiritus sancti. 324. VIII. variæ hac de re afferuntur Patrum rationes simúlque reiiciuntur. 325. variæ Scholasticorum rationes reiiciuntur. 325. 326. 327. 330. 331

discriminis quod est inter processionem Verbi & Spiritus sancti radix. 334. IV. proxima ratio talis discriminis affertur. *ibid.* VII

Verbum esse apud Patrem, & vnigenitum esse in sinu Patris idem significant. 316. II

Verbum erat apud Deum, id est apud Patrem. 316. I

Verbum diuinum in Patre recipi, quo sensu dicatur. 296. VIII

Verbi Patris diuini & nostri dispar ratio. 316. VI

Verbum diuinum procedit ex intuitiua cognitione diuinæ essentiæ & omnium attributorum eius essentialium. 412. II. ex intuitiua cognitione trium diuinarum personarum. 412. V. per se & non concomitanter. 414. I. an & quomodo existat, cùm procedit ex sui ipsius cognitione. 416. I. procedit ex cognitione omnium creaturarum possibilium, vt purè sunt possibiles. 416. VI. illa cognitio est abstractiua. 417. IV. æqualitérne procedat ex cognitione personarum diuinarum & creaturarum possibilium. 417. V

Verbum diuinum non procedens ex cognitione Spiritus sancti foréne alterius rationis, quàm nunc sit. 414. III. cur non æquè in illo casu esset illius expressiuum, quàm nūc sit creaturarum existentium. 414. *ibid.* IV. magis principaliter procedit ex cognitione Patris diuini, quàm vel aliarum personarum, vel creaturarum possibilium. 417. V. non procedit formaliter ex cognitione intuitiua creaturarum vt existentium in aliqua temporis differentia. 419 II. quomodo procedat ex cognitione liberi decreti diuini. 420. VIII

Verbum diuinum esse expressiuum omnium creaturarum vt existentium, & Verbum diuinum formaliter procedere à Deo Patre ex tali creaturarum cognitione, quomodo distinguuntur. 420. III

nomen hoc *Verbum* est personale nomen Filij diuini. 409. VII. non est nomen essentiale. 410. I. sitne idem cum hoc nomine *Filius.* *ibid* III

de Verbi nomine Durandi sententia. 409. VI.

Verbum diuinum quomodo concurrat ad processionem Spiritus sancti. 431. VIII. 431. I. non mutatur in assumptione humanitatis. 76. VI. in assumptione humanitatis suppleuit existentiam subsistentiæ creatæ per relatiuam existentiam. 381. V

Veritas.

in Deo datur Veritas transcendentalis absoluta, & relatiua. 394. V

quo sensu nonnullæ veritates creatæ dicuntur indemonstrabiles. 165. VIII

Vermis.

Vermis quomodo sumitur, vbi dæmones dicuntur torqueri à verme. 568. III

Via, viator.

Via bonorum & malorum Angelorum in instantibus fuit æqualis. 565. II

Vide Angelorum via.

Viatores non possunt imponere Deo nomen, quod ex se significet quidditatiuè Deum beatis. 163. III

Videre.

an implicet aliquid Videri absque aliquo formali lumine. 114. II

quid sit Videre lumen Dei, in eius lumine. 97. VIII

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum; quis ibi per *Dominum* intelligatur. 313. VI

Videntes Filij Dei filias hominum, &c. de quibus id debeat intelligi. 470

B. Virgo.

B. Virgo fuit prædestinata ante præuisa merita. 259. I

B. Virginem Dei essentiam vidisse piè credi potest. 128. I

Virtus.

Virtus sese communicandi alteri in natura, non est de essentia animalis. 327. VI

Virtus superior quandonam non possit producere effectum, quem virtus inferior eiusdem tamen ordinis potest producere. 535.VI
Virtus spirandi in Deo an & quomodo postulet esse in duobus suppositis. 430.II. cur magis postulet esse in duobus suppositis, quàm virtus generandi. 431. IV. an foret alterius rationis, quàm nunc sit, si esset in vnico supposito. 430. VI
Virtus spiratiua prædicatur tantùm de Filio vt est spirator, non præcisè vt est Filius. 329. VI

Vis.

Vis productiua in diuinis non exhauritur vnicâ processione, & quare. 339.III

Visio Dei.

Visio Dei clara & intuitiua est possibilis intellectui creato. 85. IV. eius possibilitas positiuè ratione naturali probari non potest. 89. VIII. supposito lumine fidei potest euidenter negatiuè. 90. V. non positiuè. 91. VI. positiuâ reuelatione nostræ sanctificationis per gratiam potest probabiliter deduci. 91. VIII
Visio beatifica non potest esse medium demonstrationis à priori existentiæ Dei. 31. VIII. confertur ex iustitia distributiua. 137. I. posśitne recipi in oculo corporeo, absque vlla eius cooperatione. 126. VII. elicita ex habitu luminis gloriæ, habet aliquid speciale, quod non haberet quando fieret ex *aliquo tantùm* auxilio extrinseco. 114. VI. elicita per speciem impressam esset eiusdem speciei ac nunc est. 133. V
Visionis beatificæ inæqualitas non potest oriri ex eo, quòd vnus beatus magis satietur quàm alter. 142. VII. *vide* beati inæqualitas.
Visio beatifica S. Michaëlis non est Angelica, licet sit Angeli. 143. III. sancti Petri non est humana, licet sit hominis. *ibid.* permanens non est diuersæ speciei à transeunte. 144. IV
Visiones beatificæ tum hominum, tum Angelorum sunt eiusdem planè speciei. 142. II. an possint esse diuersæ speciei per absolutam Dei potentiam. 144. III
Visio essentiæ diuinæ inadæquatè sumptæ intuitiua & quidditatiua esset beatifica. 157. II. eiusmodi visio esset eiusdem speciei, quàm nunc sit. 158. III
Visio creaturarum à beatis alia est in Verbo, alia extra Verbum. 158. VII
non implicat absolutè loquendo dari aliquam beatificam Visionem, quâ nullæ ex creaturis merè possibilibus videantur in Verbo secundùm illud esse determinatum, quod possunt habere in seipsis. 159. II
ad Visionem beatificam relationes diuinæ concurrántne actiuè. 130. VIII

Vita.

Vita actualis in Deo non potest concipi vt potentia. 169. VII
Vitæ nomine quid in scriptura aliquando significetur. 295. V

Vitalis.

res non Vitales cur potiùs possint eleuari ad aliquid excedens suas vires, quàm vitales. 326. VI

Vnigenitus.

Vnigenitus secundùm propriam significationem excludit consortium alterius geniti. 324. I

Vnitas.

Vnitas formaliter posśitne dicere nudam negationem. 34. VIII
Vnitas physica speciei vniuersalis Angelicæ vnde petatur. 540. I. specifica. *ibid.* II. specifica sitne aliqua formalis ratio vniuocè communis omnibus & singulis obiectis cognoscibilibus per istam speciem. 540. III
Vnitas illa secundùm quam vnaquæque persona diuina dicitur esse vna, quæ & qualis sit. 393. VII

Vniuersale.

ad Vniuersale quid requiratur. 478. V

Vniuersum.

Vniuersi ordo ad suam perfectionem postulétne habere substantiam spiritalem animâ hominum superiorem, & inferiorem Deo. 465. II. III

Vnum.

ego & Pater Vnum sumus Ioannis decimo, quomodo debeat intelligi. 311. IV
hâc particula *Vnum* Christus Dominus duas hæreses Sabellianam, & Arianam confodit. 312. I
Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, de qua vnitate debeat intelligi. 311. VII

Vocatio.

Vocatio ab Apostolo exprimitur per verbum præteriti temporis, & quare. 244. VI. est effectus prædestinationis. 276. V

Voluntas.

Voluntas an & quomodo feratur aliquo appetitu in impossibile. 563. I
Voluntas Angeli quomodo est causa actionis transeuntis ipsius Angeli. 511. VI
Voluntas inefficax dicátne aliquam imperfectionem. 224. IV

Voluntas Dei.

Voluntas detúrne in Deo. 219. III. sítne per modum actus primi vel vltimi. *ibid.* V. alia est signi, alia beneplaciti. 220. II. vtriusque distinctio. *ibid.* III
Voluntas diuina alia est antecedens, alia consequẽs. 220. VII. an vtraque detur in Deo. 221. I. an hæc diuisio distinguatur ab aliis. 221. II I
Voluntas antecedens sítne aliquod desiderium. 221. VIII. sítne otiosa. 222. II. imperfecta. *ibid.* III
Voluntas concomitans datur in Deo. 222. IV. distinguitur à reliquis speciebus voluntatis diuinæ. *ibid.* cur illius tanquam distinctæ à reliquis Patres non mentionem expressam fecerint. 222. VI
Voluntas diuina alia est absoluta, alia conditionata. 222. VII. an hæc diuisio distinguatur ab aliis. *ibid.* VIII
Voluntas diuina non benè diuiditur in reuelatam & occultam. 223. I
Voluntas beneplaciti detúrne in Deo. 223. IV
Voluntas diuina an & quomodo habeat se negatiuè erga res merè possibiles. 230. III. an & quomodo sit causa rerum omnium ad extra. 236. II. an immediatiùs causet res creatas, quàm diuina scientia. 237. II. posśit-

nec prædefinit aliquid ſecundùm ordinem intentionis ante media iſtius rei obtinendæ. 254. VI

Voluntas Dei non eſt mutabilis. 238. V. an & quomodo ſit prima radix contingentiæ. 239. V. VIII. ſi illa deſineret eſſe libera, an etiam noſtra deſineret. 239. VII. imponátne nobis neceſſitatem. 240. III

nec diuina Voluntas, nec diuina volitio vltimò conſtituunt eſſentiam diuinam. 173. VI

Voluntatis diuinæ obiectum primarium formale. 225. II. obiectum ſecundarium formale. *ibid.* IV. adæquatum materiale obiectum. 226. IV

Voluntatis diuinæ à noſtra diſpar ratio. 238. VII. VIII

Voluntatis diuinæ efficacitas quomodo debeat attendi. 298. IV

Voluntatis diuinæ actus liber, *vide* actus liber, Dei volitio.

Volitio.

Volitio ordinata tendátne priùs in finem, quàm in media. 269. VI

Volitio actualis Dei quomodo ſit libera. 234. VI. quomodo indifferens. 234. VIII. à quo determinetur. *ibidem.* an ſit libera per rem faciendam, vel non faciendam. 235. III. quomodo ſit cauſa futuritionis vel non futuritionis rei. *ibid.* IV. quid ſit eius tendentia in obiectum. *ibid.* IV. eius libertas eſt longè perfectior libertate cuiuſcunque creaturæ. 235. VII

Volitio Dei quomodo diſtinguatur à noſtra. 225. VI

Volitio & intellectio in diuinis ſunt vnica entitas, virtute tamen duplex. 338. VIII. 339. I

Volitio & ſpiratio an & quomodo diſtinguantur. 319. VII

Volitio Filij eſt noſtro modo conſiderandi veluti via ad producendum Spiritum ſanctum, tanquam terminum. 339. II

Volitionis Dei liberæ effectus habeátne aliquam cauſam finalem. 237. VIII

Volitionis diuinæ terminatio ad effectum habeátne cauſam aliquam. 238. I. *vide* actus liber Dei, Dei volitio.

Vſia.

Vſia ſignificat ipſam naturam, eſſentiam. 373 II

Vſus.

Vſus liberi arbitrij, quo ipſe prædeſtinatus cooperatur Deo vocanti, eſt aliquis effectus prædeſtinationis. 278. VII

particula Vt quid ſignificet in hac propoſitione, *Spiritus ſanctus procedit vt Deus.* 337. VII

Vuiclefus.

Vuiclefus in quo ponat certitudinem prædeſtinationis. 282. III

Vulua.

Vulua & vterus tribuuntur metaphoricè Deo. 307. V

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pag. 9. *col.* 1. *lin.* 20. *lege* deitatis. *p.* 94. *c.* 2. *lin.* 34. *l.* Chriſtus. *p.* 109. *c.* 2. *lin.* 15. *l.* illo. *p.* 151. *c.* 2. *lin.* 19. *l.* cognitione. *p.* 152. *c.* 1. *lin.* 46. *l.* non. *p.* 169. *c.* 1. *lin.* 54. *l.* ſubſtantiam. *p.* 173. *c.* 1. *lin.* 38. *l.* non. *p.* 173. *c.* 2. *lin.* 59. *l.* oſtendere. *p.* 177. *c.* 2. *lin.* 60. *l.* non. *p.* 203. *c.* 1. *lin.* 41. *l.* procedit. *p.* 247. *c.* 1. *lin* 25. *l.* electione. *p.* 302. *c.* 2. *lin.* 58. *l.* non. *p.* 354. *c.* 2. *lin.* 23. *l.* virtualem. *p.* 527. *c.* 2. *lin.* 25. continui. *p.* 557. *c.* 1. *lin.* 21. *l.* quando.

APPROBATIO.

NOS, qui ſubſcripſimus in ſacrâ Theologiæ facultate Doctores Sorbonici, teſtamur *Diſputationes in Summam Theologicam ſancti Thomæ, Auctore* NICOL. YSAMBERTO *Aurelio, Doctore Sorbonico*, à nobis accuratè perlectas nihil ab Orthodoxâ fide, Chriſtianíſque moribus alienum complecti, omnia verò ſublimioris ſapientiæ ſtudioſis perutilia exhibere. Datum Pariſiis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo triceſimo octauo, die ſeptimâ Martij.

HABERT. LE MOYNE.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Chriſtianiſſimi LVDOVICI XIII. priuilegio cautum eſt, ne quis *Diſputationes in Summam Theologicam ſancti Thomæ, auctore* NIC. YSAMBERTO *Aurelio, Doctore ac Socio Sorbonico, & regio ſacræ Theologiæ in Academia Pariſienſi Profeſſore*: quouis charactere, aut formâ excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo compendioſo diſtrahere vel exponere poſſit, intra viginti annos computandos à die abſolutæ primæ editionis: præter Dionyſium de la Noüe Bibliopolam Pariſienſem, ſub pœna confiſcationis librorum, & mulctæ trium mille librarum turonenſium, aliarúmque contra eiuſmodi fraudatores definitarum in fuſiore diplomate eiuſdem Chriſtianiſſimæ Maieſtatis. Datum Pariſiis decimâ die Martij, anno ſalutis 1638. Et regni ipſius inuictiſſimi Regis 28. Subſignato, DENISOT.

Prima editio Diſputationum in primam partem ſancti Thomæ de Deo eiúſque attributis, Trinitate & Angelis, abſoluta fuit primo Iulij anni 1643.

208.8
Y89

59679

Ysambert, Nicolas
AUTHOR

Disputationes in Primam Partem
TITLE

S. Thomae.

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

59679